Car. [illegible] lib [illegible]

ſu

R. P.

PAVLI LAYMANN,

SOCIETATIS IESV,

THEOLOGIA

MORALIS,

IN QVINQVE LIBROS DISTRIBVTA.

Corrigiose con comission de los SS. Inquisidores segun el Indize de 1707. fr. Ant.o Blanca

THEOLOGIA MORALIS IN V. LIB. PARTITA.

QVIBVS MATERIÆ OMNES PRACTICÆ, CVM AD EXTERNVM ECCLESIASTICVM, TVM INTERNVM Conſcientiæ forum ſpectantes, noua Methodo explicantur.

AVCTORE
PAVLO LAYMANN,
SOCIET. IESV THEOLOGO.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus PETRI BILLAINE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno bonæ Fidei.

M. DC XXVII.

REVERENDISSIMO,
ET
ILLVSTRISSIMO DOMINO, D.
PARIDI,
ARCHIEPISCOPO SALISBVRGENSI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATO nato, S. R. I. Principi,

Domino meo clementissimo.



DVBITANDVM non est, Reuerendissime, & Illustrissime Princeps, plurimùm ad Ecclesiæ Catholicæ splendorem atque augmentum referre, si Parochi, aliíque Ministri non tantùm vitæ probitate, sed etiam scientijs instructi sint. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius*, Malach. 2. Quomodo autem alios docebunt, si ipsi non didicerint? quomodo veritatis lumen reliquis præbebunt, si ipsi in ignorantiæ tenebris versentur? Eruditum quidem hoc seculum esse, nemo ambigit: Nam variæ hæreses in Europa exortæ, ac propagatæ multorum ingenia excitârunt: ferme enim accidit, vt cùm Ecclesia pace fruitur, ignauiæ plerique se dedant, etiam Sacerdotes: sed cùm Fidei aduersarij ingruunt, tum etiam Ecclesiæ defensores ad bellum exercentur. Quare hæreses esse oportere, dixit Christus Dominus, quia hæc Dei Optimi sapientia est, vt ex ijs, quæ mala sunt, bona eliciat, propter electos. Quanta in omni scientiarum genere doctissimorum virorum volumina prętérito seculo edita sunt? longè plura, quàm trecentis antea lustris in toto Christiano orbe. Nam librorum in quauis facultate catalogus fieri poterat: sed eos, qui post exortas in Europa hæreses editi sunt, libros in numerum redigere possibile haut erit.

Veruntamen quod in conuiuio accubantibus accidere solet, vt epulorum copia, atque varietas oculos quidem oblectet, sed stomachum grauet potiùs, quàm releuet; ita librorum ingens copia bibliothecas ornat, legentium verò ingenia non rarò perturbat. Quàm multos audiuimus, qui dicerent, in vastis Scriptorum voluminibus contineri doctrinas optimas; sed quis eas seligat, quę ad cuiusque captum accommodatæ sunt? quis discernat à subtilibus quibusdam quæstionibus, quales in Academicis scholis disputari solent; sed ad mores hominum formandos, populúmque instruendum parum vtiles videntur? Sin verò moralis doctrinæ compendia ipsis offerantur, iterum querimoniæ existunt; aliud non esse, quam innumeram legum, canonum, ac censurarum congeriem; non rationibus, sed meris allegationibus nixam, quæ legentis ingenium fatigent, memoriámque confundant. Id nimirum non pauci ex Clero desiderant; quibus vel non sumptus ad libros multos emendos; vel non tempus, ingeniumque ad legendos suppetit; vt, quæ ad conscientiam, totúmque Christiani hominis officium, atque Ecclesiasticos ritus spectant, secundùm communem Doctorum sententiam, & Ecclesiarum consuetudinem facili methodo, aptísque rationibus collecta, non magno opere proponantur.

Hunc laborem vt pro bono publico susciperem, multi hortabantur, & instabant frequenter, quòd viderent me pluribus annis in moralis Theologiæ publicis prælectionibus versatum fuisse. Sed nimirum mearum agnoscens virium tenuitatem, molem huius negotij aggredi ausus non sum: quædam tamen postea concinnare cœpi, non certo in lucem edendi proposito; sed potiùs vt tentarem, quidnam in hoc scribendi genere præstare pos-

ſem. Donec tandem Superiorum meorum voluntas, imperiúmque acceſſit: tum verò dubitare non potui, Dei mihi auxilium affuturum, cui placet plerúmque per infirma inſtrumenta operari, ſi per obedientiæ virtutem Prælatorum ſuorum ductui ſe accommodent, in Deo omnis boni auctore, atque humanæ infirmitatis vnico adiutore, ſpe magna collocata.

Vt autem Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudini Veſtræ hoc opus dedicarem, cauſæ non exiguæ poſtulabant. Cùm enim Eccleſiaſticum ſit, ad Clericorum maximè inſtructionem conſcriptum; cui potiùs offerri debeat, quàm Eccleſiarum noſtrarum Antiſtiti Metropolitano? cuius auctoritate, & fauore munitum, tutiùs, vberioréque fructu in multorum manus deuenire queat. Etenim notiſſimum eſt, quanta diligentia, & cura Celſitudo Veſtra rei Eccleſiaſticę conſeruandæ, augendæque inuigilet, vt non ſatis eſſe arbitretur, Eccleſijs curatores, aliiſque officijs idoneos miniſtros pręfeciſſe; niſi etiam eorum acta frequenter inſpiciat, deijudicet, Eccleſias viſitet, quæ emendanda ſunt, corrigat, Clerúmque omnem in diſciplina conſeruet. Scit enim inter Eccleſię Miniſtros reperiri aliquos poſſe, non paſtores, ſed mercenarios, quę ſua ſunt quęrentes, non quę IESV Chriſti, non animarum, ſed pecuniarum lucris inhiantes. Quòd ſi oues Chriſti ab ijs negligantur, aut perdantur, profectò Epiſcopi ignorantię excuſatione culpam à ſe amouere non poſſunt: cùm ad ipſorum ſpectet officium, attendere ouibus ſuę nimirum curę à Chriſto ſummo Paſtore commiſſis.

Cùm Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudinem Veſtram ante annos ſex ad Salisburgenſem Epiſcopatum euectam eſſe intellexi, præſagijt animus, Eccleſiæ vtilem electionem fore; vt ſępius cum gaudio dicerem, eam eſſe optimi Pręſulis prudentiam, ſolertiam, vitęque integritatem, vt ſub ipſo Epiſcopatus Salisburgenſis haud dubiè felicitatem conſecuturus; atque inde etiam in alias Eccleſias fructus promanaturus ſit. Recordabar enim adoleſcentiæ Celſitudinis Veſtrę, quæ olim tanquam in ſemine omnibus oſtendebat, quàm vberes fructus in ætate matura naſcituri eſſent.

Ante annos viginti Ingolſtadij ferme eodem tẽpore & Præfectum Sodalitatis B. Mariæ Virginis Academicæ agebat; & in Acadamia publicâ diſputationem de ſcientiarum varietate conſcribebat, ac proponebat; vtrumque magna omnium laude, & admiratione. Non aſſentandi cauſa hæc dico, multi alij ſunt, qui etiam hodie id recordãtur, ac teſtificantur. Atque ego quidem Profeſſor, ac proinde Præſes diſputationis illius conſtitutus eram: ſed præſidio nullo opus fuit. Quin audiui aliquos, cùm dicerent, ſe doctorem alium non deſideràſſe: tanto iudicij acumine ad ſingula reddebatur reſponſio; vt etiam qui ex altioribus ſcholis adeſſent, non pauca ſe hoc Reſpondente didiciſſe gloriarentur. Hęc quidem minutiora, ſeu potiùs præludia quædam ſunt, ex quibus maiora poſtea conſecuta conſpicimus. Sed ego magis delector illis recenſendis, quibus etiam Societas noſtra ſubſidium aliquod attuliſſe videatur.

Accedit inſuper ſingularis beneuolentia, & fauor, quem Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudo Veſtra erga Societatem noſtram clariſſimis beneficentiæ ſignis declarauit: vt ingratitudinis vitio notari poſſemus, niſi noſtra etiam ſeruitia & obſequia deferremus. Quare ego quidem hunc meum laborem, poſt Deum Optimum Maximum, Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudini Veſtrę, Eccleſię eius Metropolitanę, aliiſque addictis Eccleſijs humillimè offero, ac dedico, maximi beneficij loco ducturus, ſi intellexero, hoc munus, vti ab animo obſeruantiæ, ac ſtudij pleniſſimo profectum eſt, ita etiam ſerena fronte acceptum fuiſſe. Deum Optimum Maximum ex animo precor, vt Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudini Veſtræ ad Eccleſiæ Catholicæ vtilitatem, in multos annos proſperum rerum ſucceſſum, ac deniq; bona cœleſtia largiatur. Monachij, ex Collegio Societatis IESV, die 29. Iunij, Anno Chriſti M. DC. XXV.

Reuerendiſſ. & Illuſtriſſ. Celſitudinis Veſtræ

Humillimus in Chriſto ſeruus

PAVLVS LAYMANN.



PRÆFATIO AD LECTOREM.

NVNC tandem, Lector beneuole, desiderio tuo satisfactum vides, quando tractatus omnes morales, quos octies percurrando, in Electorali hoc Societatis IESV Gymnasio tradidi, & plerosque publicis disputationibus preposui, in vnum volumen collectos, edo. Copiosiùs quidem, quam in scholis dictabam, adiectisque pluribus particularibus casibus, quos antè omittebam, partim ob temporis breuitatem, partim quòd magis ad externum, quàm internum conscientiæ forum pertinerent. Magno mihi hæc scriptio labore constat, quod prudens Lector ipsemet iudicabit. Ego autem Dei bonitatem prædico, qui mihi continuis auxilijs adfuit, vt quod cœpi opus ob gloriam eius, etiam ad finem perducerem. Atque hoc ipso laboris fructu contentus sum, neque alium expeto; nisi vt multis legentibus ad animæ salutem, ad Ecclesiæ Catholicæ augmentum, ac diuini nominis exaltationem cedat.

Inprimis autem opto, hos libros probari personis Ecclesiasticis, maximè animarum Pastoribus. Cùm tantopere necessarium sit ad splendorem, & incrementum Catholicæ Ecclesiæ, vt, qui aliorum animos doctrina, & moribus bonis informare debent, ipsimet in vtroque genere exculti sint: ob quam obligationem Deo iusto iudici in extremo iudicij die rationem reddere debebunt. Magnum profectò laboris mei fructum, animique consolationem reportabo, si intelligam, Parochos, aliósque Ecclesiæ Ministros Theologiam hanc moralem sibi vtilem arbitrari, cuius lectioni cum voluptate inhæreant, ad quotidianum praxin, ad prædicationem, rudiúmque hominum instructionem quædam interdum colligere studeant.

Ordinem tractationum eum ferme imitatus sum, quem S. Thomas de Aquino in Theologica summa tenuit; omissis ijs, quæ ad theoriam propriè spectant. At verò capita doctrinæ Christianæ, quæ sunt de conscientia, libero arbitrio; de Fide, Spe, Charitate; de oratione, iuramento, voto, Religionis statu; de Sanctorum cultu, festorum ac ieiuniorum obseruationibus, secundùm proprias rationes enucleatiùs pertractaui: appositis etiam antiquorum Conciliorum canonibus, & sanctorum Patrum sententijs: quia hæc res magnam vim habet ad ostendendum traditionis Catholicæ antiquitatem populum pro concione, & in catechismis erudiendum, atque in vera Fide confirmandum: denique ad Ecclesiæ aduersarios, ac nouatores coarguendum.

In tractatibus iuridicis de legibus, ac censuris, de iurisdictione, præsertim Ecclesiasticorum Prælatorum, de possessione, vsucapionibus, iniustis damnorum illationibus, ac restitutione; item de contractibus, vltimis voluntatibus, publicis denuntiationibus, atque iudicijs, præsertim matrimonialibus causis; de Ecclesiasticis beneficijs, pensionibus, decimis, aliisque prouentibus, & immunitatibus, quæstiones præcipuas proposui, ac decidi; in omnibus, cùm breuitatem sectatus, tum claritatem: vt animum legentis non confunderem, sed magis afficerem, ac detinerem. Profectò id agere mihi propositum fuit; an verò assecutus sim, alij iudicabunt.

Quòd si, amice Lector in his libris aliquid bonum, & vtile repereris, DEVM lauda, omnis boni auctorem: sin quid erratum fuerit, mihi adscribe; sed ignosce: homo enim sum, & quidem infirmus, qui errare potui; præsertim in tanta rerum varietate, ac multitudine.

Omnia porrò asserta Superiorum meorum, inprimis Romanæ Apostolicæ sedis iudicio lubens submitto: sed neque aliorum censorum examen detracto, paratus etiam ab ijs corrigi, & quæ scripsi, retractare, si quid à veritate, aut Ecclesiasticis canonibus, alienum demonstrauerint. Non enim propria sensa retinere, aut singulares sententias alijs obtrudere; sed quæ apud Doctores, & in Catholica Ecclesia communiter tradita, ac recepta sunt, dilucidè explicare mihi animus fuit. Moneo tamen priuatos quoslibet, vt priùs singula diligenter examinent, quàm, ob præiudicatas proprias sententias, quippiam damnare in animum inducant.



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Vm Moralem Theologiam, quam quinque complexus eſt libris P. PAVLVS LAYMANN, noſtræ Societatis Theologus, quatuor Patres Theologi ad id deputati, dignam cenſeant, quæ typis in publicum proferatur: Ego Gualterus Mundbrot Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpoſitus Prouincialis, facta mihi poteſtate ab Admodum R. P. N. Mutio Vitelleſco Præpoſito Generali, eius imprimendæ facultatem concedo.

In cuius rei fidem Auctori hoc chirographum Officij ſigillo munitum dedi. Monachij XV. Aprilis. Anno M. DC. XXV.

ELENCHVS



ELENCHVS TRACTATVVM, ET CAPITVM,

QVÆ IN QVINQVE MORALIS THEOLOGIÆ LIBRIS CONTINENTVR.

LIBER PRIMVS.

De generalibus moralis Theologiæ principijs:

Continet tractatus quinque: quorum primus de CONSCIENTIA *sex capita habet.*

TRACTATVS SECVNDVS.

De Actibus humanis voluntarijs, & inuoluntarijs: Continet capita decem.

TRACTATVS TERTIVS.

De Peccatis in communi: septem capita complectitur.

TRACTATVS QVARTVS.

De humanis Legibus: diuisus in capita quatuor & viginti.

TRACTATVS QVINTVS,

De Ecclesiasticis censuris, & irregularitate: diuisus in quinque partes.

PARS PRIMA.

De censuris in communi: habet septem capita.

PARS SECVNDA.

De censura excommunicationis: habet capita sex.

PARS TERTIA.

De suspensione: quinque capita habet.

PARS QVARTA.

De interdicto; sex capita habet.

PARS QVINTA.

De Irregularitate: nouem capita continet.

LIBER SECVNDVS.

De Theologicis virtutibus, Fide, Spe, & Charitate.

Complectitur tractatus tres: quorum primus de Theologica Fide continet capita septendecim.

TRACTATVS SECVNDVS.

De virtute Spei, & oppositis vitijs: habet duo capita.

TRACTATVS TERTIVS.

De Charitate, Misericordia, atque oppositis vitijs: continet tredecim capita.

LIBER TERTIVS.

De Iustitia & Iure, cæterisque Cardinalibus virtutibus:

Continet Sectiones quinque.

TRACTATVS SECVNDVS.

De restitutione: habet duodecim capita.

TRACTATVS TERTIVS.

De delictis: Continet partes tres; quarum PRIMA *est de obligationibus contractis ex iniusto fortunarum damno: habet sex capita.*

PARS ALTERA.

De obligationibus contractis ex iniusta læsione famæ, & honoris, diuisa in septem capita.

PARS TERTIA.

De obligationibus, contractis ex iniusta læsione corporis; habet capita quatuordecim.

TRACTATVS QVARTVS,

De pactis & contractibus: Est dispertitus in capita vnum & triginta.

TRACTATVS QVINTVS.

De Testamento, aliisque vltimis voluntatibus complectitur duodecim capita.

TRACTATVS SEXTVS.

De Iudicijs: absoluitur sex capitibus.

LIBER QVARTVS.

De virtute & statu Religionis.

Diuiditur vniuersim in decem tractatus: Primus de oratione, & horis canonicis continet capita sex.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Ecclesiasticis beneficij: habet octodecim capita.

TRACTATVS TERTIVS.

De iuramento, & periurio, in quatuordecim capita sectus.

TRACTATVS QVARTVS.

De voto, & voti relaxatione: octo capitibus absoluitur.

TRACTATVS QVINTVS.

De statu Religionis: diuiditur in tredecim capita.

TRACTATVS SEXTVS.

De decimis, primitijs, alijsque oblationibus: continet septem capita.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De festorum obseruatione: continet quinque capita.

TRACTATVS OCTAVVS.

De obseruatione ieiuniorum: absoluitur tribus capitibus.

TRACTATVS NONVS.

De Ecclesiastica immunitate: habet capita decem.

TRACTATVS DECIMVS.

De vitijs oppositis virtuti Religionis: continet octo capita.

LIBER QVINTVS.

De Sacramentis, & Sacrificio nouæ legis.

Continet decem tractatus: quorum primus de Sacramentis in communi distinguitur in octo capita.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Sacramento Baptismi, in nouem capita distributus.

TRACTATVS TERTIVS.

De Sacramento Confirmationis: diuiditur in ſeptem capita.

TRACTATVS QVARTVS.

De venerabili Sacramento Euchariſtiæ: habet ſeptem capita.

TRACTATVS QVINTVS.

De Sacrificio Miſſæ: habet ſeptem capita.

TRACTATVS SEXTVS.

De Sacramento Pœnitentiæ: complectitur capita quindecim.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De Indulgentijs: habet octo capita.

TRACTATVS OCTAVVS.

De Sacramento extremæ Vnctionis: octo capita.

TRACTATVS NONVS.

De Sacramento ordinis: in quatuordecim capita diſpertitus.

TRACTATVS DECIMVS.

De Matrimonij sacramento, quadripertitò diuisus.

PARS PRIMA.

De sponsalibus: habet duo capita.

PARS SECVNDA.

De Matrimonio secundùm se: habet septem capita.

PARS TERTIA.

De bono matrimonij: habet septem capita.

PARS QVARTA.

De matrimonij impedimentis tum dirimentibus, tum impedientibus tantùm, quindecim capitibus pertractatur.





IN NOMINE CHRISTI SALVATORIS.

SPEM A DEO FERENTIBUS, BEATISSIMA VIRGINE DEIPARA, SS. ARCHANGELO MICHAELE ET ANGELO CUSTODE, SS. MARTYRIBUS COSMA ET DAMIANO, SS. ECCLESIÆ DOCTORIBUS AUGUSTINO ET THOMA AQUINATE, SS. CONFESSORIBUS IGNATIO ET FRANCISCO XAVERIO, SS. VIRGINIBUS AGATHA ET LUCIA, ET OMNIBUS SANCTIS, INCIPIT:

LIBRI



LIBRI PRIMI TRACTATVS PRIMVS DE CONSCIENTIA.

Cap. I.

DE SYNTERESI.

SVMMARIVM.

1 *Synteresis est habitus principiorum practicorum.*
2 *Practica principia sunt vniuersales, ac per se notæ humanarum actionum regulæ.*

1 ΥΝΤΗΡΗΣΙΣ est habitus, siue conseruatio principiorum practicorum, secundum S. Tho. 1. p. q. 79. a. 12. De ea agens S. Hieron. in c. 1. Ezech. super illa verba, *Quatuor facies vni*, &c. vocat *scintillam conscientiæ, quæ in Cain quoque pectore, postquam eiectus est de paradiso, non extinguitur.* S. Basilius hom. 11. ad populum circa medium, quæ est in principium prouerbiorum Salom. *Apud nos ipsos iudicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facilè discernimus.*

Practica, siue moralia principia sunt vniuersales, ac per se notæ humanarum actionum *regulæ* & quasi quædam *lumina virtutum*, vera, & incommutabilia, ait S. August. lib. 1. de libero arbitrio, cap. 10. Cuiusmodi sunt, Bonum honestum amplectendum esse; malum peccati fugiendum: non plùs minúsve irascendum, comedẽdum, quàm oportet: item *iustè esse viuendum: propria suis quibusque esse reddenda, &c. nonne fateberis esse verißimum*, inquit ille, *& tam mihi, quàm tibi, atque omnibus id videntibus præstò esse communiter.*

2 Igitur rectè ait S. Thom. l. c. Sicuti naturaliter nobis indita sunt principia speculabilium; ita & principia agibilium. Verùm principia speculabilium; v. g. *Quicquid est, substantia, vel accidens est: Omne totum maius sua parte est* pertinent ad specialem habitum, qui ab Aristot. 6. Ethic. c. 6. dicitur *Intellectus*: principia autem agibilium eorum, quæ ad honestè viuendum pertinent, ad specialem habitum spectant, quem vocamus *Synteresin.* Vide Scotum in 2. d. 39. §. Ad quæstiones. Duran. ea d. q. 5. a. 1. Gabrielem Biel q. vn. a. 3. S. Thom. in quæstio. disputatis, q. 16. a. 2. vbi rectè colligunt, quòd circa synteresin error non contingit; quia versatur circa vniuersalissima principia agendorum, quæ per se nota sunt, non minùs quàm principia speculabilia.

CAP. II.

De Conscientia, quid sit.

SVMMARIVM.

1 *Conscientia est actus intellectus practici, iudicantis quid agendum, vel non agendum.*
2 *Conscientia partim se extendit ad opera nostra præterita, partim ad instantia & futura.*
3 *Conscientia de agendis est actus elicitus à virtute prudentiæ.*

Conscientia definitur, *Actus intellectus practici iudicantis aliquid hîc, & nunc agendum esse vel fuisse tanquam bonum honestum; vel fugiendum esse, aut fuisse tanquam turpe & inhonestum.* Vel sic, *Conscientia est iudicium rationis practicæ circa particularia per ratiocinationem deductum ex principijs vniuersalibus contentis in synteresi*, V. g. Omne malum peccati est detestandum: Periurium est malum peccati (quippe à Deo prohibitum; cùm virtuti Veritatis, ac Religionis, adeóque rectæ rationi aduersetur.) Ergo etiam periurium illud, quod heri feci, malum peccati est, supplicióque dignum: vel periurium hoc, de quo nunc delibero, malum peccati est, ac detestandum. Lege S. Tho. cit. q. 79. a. 13. S. Anton. p. 1. t. 3. c. 9. & 10. Gabr. cit. q. vn. a. 2. concl. 5.

Pro intellectu horum nota, quòd conscientia partim se
extendit ad opera nostra præterita, ea vel accusando tan- 2
quam malè facta; qui dicitur *remorsus conscientiæ*; vel commendando tanquam rectè facta: quod dicitur *testimonium conscientiæ nostræ* ab Apost. 2. ad Corinth. 1. Et ad Rom. cap. 2. *Ostendunt* (Gentiles) *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiã eorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Quomodo etiam accepit Ecclesiastes cap 7. *Scit conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti alijs.* Et S. August. lib. contra Secundinum Manichæum cap. 1. *Senti de Augustino quicquid libet; sola me in oculis* Dei *conscientia non accuset.* Partim verò se extendit conscientia ad opera instantia, & futura; dictando quæ agenda sint tanquam honesta; quæ verò omittenda tanquam turpia seu inhonesta: qua de re S. Basilius loco supra cit. ita inquit, *Quoniam ex ipsius Salomonis sententia, cogitationes iustorum iudicia sunt viro sapienti, omnino satagendum erit intra cordis arcana tribunal constituere, rectáque facere iudicia; mentem quoque velut in trutina suspendere ad ea quæ conueniunt, & ad quodlibet agendum æqua lance librare.* Atque hoc iudicium circa agenda propriè practicum est, Ideó-

quæ conscientia secundùm hanc acceptionem, quatenus de agendis iudicat, quàm maximè ad propositum nostrum spectat.

3 Corollarium conscientia est actus elicitus à virtute prudentiæ, circa particularia: Synteresis autem continet vniuersalissima principia prudentiæ. Inter Synteresin verò ac prudentiam particularem media est moralis scientia, iurisque prudentia; quippe cuius pronunciata, v. g. *In malis promissis fides non est seruanda. omne iuramentum seruari debet, quod sine dispendio salutis æternæ seruari potest*; comparata ad synteresin conclusionum locum obtinent; comparata verò ad particularem prudentiam, sunt & ipsa moralia quædam axiomata, recteque viuendi regulæ. Ita Durandus cit. q. 5. a. 1. Vide quæ de virtute prudentiæ dicam lib. 3. sect. 2.

CAP. III.
Quotuplex sit Conscientia.

SVMMARIVM.

1 *Conscientia alia est vera, recta; & alia falsa, errans, quæ impropriè conscientiæ nomen meretur.*
2 *Conscientia erronea interdum est inuincibilis, interdum vincibilis.*
3 *Conscientia alia est consulens, seu suadens; alia verò præcipiens agendum, aut prohibens omittendum.*
4 *Scrupulus non est conscientia appellanda.*

PRIMA diuisio. Conscientia alia est vera, recta; alia est falsa, errans. Quam diuisionem patet esse in membra analoga; cùm errans conscientia nomen conscientiæ simpliciter non mereatur. Conscientia recta, seu vera est, quæ ex practicis principijs secundùm omnes circunstantias rectè applicatis, colligitur de agendo, vel non agendo. Porrò applicatio illa principiorum interdum recta & vera est tam speculatiua, quàm practica veritate: & tunc emergit conscientia omnimodè recta, vera. Exemplum: Ius suum cuique tribuere honestum est; coniugi autem ius competit ad coniugij actum: ergo ipsi suus coniux rectè & honestè coniugij debitum reddit: hæc autem est mea legitima coniux, vti verè ac probè perspectum habeo: ergò honestum, debitumque est ad ipsam accedere, si congruentes loci, temporis, &c. circumstantiæ adsint. Interdum verò applicatio illa principij practici vera non est speculatiuè, seu ratione obiecti particularis absolutè spectati; sed solùm practicè, siue in ordine ad practicam conclusionem seu conscientiam rectè formandam. Exemplum habemus Gen. 29. cùm Patriarcha Iacob bona fide, id est, conscientiâ rectâ ad Liam accessit, ita secum ratiocinans, Honestum est accedere ad propriam vxorem: hæc autem est mea vxor vti prudenter arbitrari debeo: Ergo honestum est ad hanc accedere. Vbi vides applicationem principij, seu assumptionem speculatiuè falsam esse; veram tamen practicè, id est, in ordine ad inferendam conclusionem practicè veram. Etenim accessus ille verè honestus erat, & prudentiæ actus: cùm Iacob non nisi temere de mala Labani fide suspicari potuisset; ideoque quiuis vir bonus ac prudens, spectatis omnibus circumstantijs tunc occurrentibus, ita practicè iudicasset, & secundùm tale iudicium siue conscientiam operatus fuisset.

Si quæras: Vnde cognoscere possis, quòd conscientia quæ speculatiuè, seu ratione obiecti absolutè spectati, falsitatem habet; practicè tamen, seu moraliter vera sit, & proxima regula humanæ operationis honestæ: Respondeo. Tunc talem censendam esse, quotiescunque ea ex duobus practicis principijs indubiè veris per intellectus reflexionem colligi potest. Exempli causâ: Honestum est accedere ad eam mulierem, quæ hìc, & nunc meritò, ac prudenter existimatur propria vxor: hæc autem mulier hìc, & nunc meritò, ac prudenter à me existimatur propria vxor; ergo honestum est ad eam accedere.

Corollarium. Licet eiusmodi iudicium siue rationis conclusio secundùm quid falsa dici possit, videlicet secundùm obiectum præcisè spectatum; absolutè tamen loquendo, est vera & recta conscientia; idque dupliciter probatur: I. Quia, vt vidimus, per bonam ratiocinationem ex principijs practicis absolutè veris, concludi potest: ex veris autem semper verum infertur. II. Quia talis conscientia est regula proxima honestæ operationis; ideóque propriè ac directè actus prudentiæ, virtutis semper ad verum inclinantis. Quamuis aliter sentiat Maior in 4. d. 15. q. 9. §. dubitatur.

Conscientia falsa siue erronea dicitur, quæ ex falso, siue erroneo practico principio colligitur: v.g. cultus religiosus est honestus Deóque gratus: sed mentiri pro religionis augmento est cultus religiosus: ergò mentiri pro religionis augmento honestum est, Deóque gratum: atqui hoc mendacium in religionis augmētum cedet: ergo licitum & honestum est nunc mentiri. Quæ practicæ rationis conclusio seu conscientia, per se & simpliciter loquendo, falsa & erronea est; deducta ex falso & erroneo illo principio practico, quòd mentiri pro Religionis augmento sit cultus religiosus, honestus.

Conscientia erronea subdiuiditur in inuincibilem, & 2
vincibilem. Inuincibilis est, cuius error moraliter vitari non potuit; ideóque nec voluntarius est, nec ad culpam imputatur. Vincibilis autem est, cuius error vitari potuit, ac debuit, ac proinde indirectè voluntarius, atque culpabilis existit. Consequenter voluntas sequendo hanc conscientiam peccat; sequendo autem conscientiam inuincibiliter errantem à peccato excusatur. Sed difficultas est, vtrum opus moraliter bonum faciat, qui, v. g. religionis causâ ob inuincibilem errorem mentitur? Ex vna parte videtur affirmandum: cùm omnis actus humanus in indiuiduo vel moraliter bonus sit, vel malus. Ex altera verò parte negandum videtur; quia omnis actus honestus secundùm prudentiam elicitus est: sed conscientia errans, ex falso principio practico deducta, non potest esse actus virtutis prudentiæ. Ergo, &c. Respondeo, Talem actum voluntatis, propter inuincibilem errorem, v. g. mentiri volentis, esse aliquo modo bonum, ac honestum; videlicet secundùm affectum, & intentionem finis: quamuis deficiat à rectitudine honestatis secundùm applicationem medij: quandoquidem mendacium idoneum non est ad religionis honestatem: qui tamen defectus, cùm incognitus, & inuoluntarius sit, ad culpam non imputatur. Quare dicendum, quòd conscientia inuincibiliter errans actus prudentiæ sit non simpliciter; sed secundùm quid, quatenus in eo seruatur recta intentio finis honesti: consequenter voluntas sequendo talem conscientiam aliquo modo benè agit, videlicet secundùm affectum finis; licet deficiat secundùm applicationem ad opus: qui tamen defectus, propter ignorantiam excusatur, vt dixi.

Altera diuisio. Conscientia alia est consulens, siue suadens aliquid agendum, vel omittendum esse, non tanquam necessarium, sed vt magis conueniens ad morum honestatem, animæ salutem, v. g. virginitatem seruandam, diuitias pauperibus erogandas, vt expeditior sit ad salutis viam. Alia verò conscientia est præcipiens aliquid vt agendum, vel prohibens vt omittendum: quia ita necessarium sit ad morum honestatem, animæ salutem: v. g. non mentiendum, non peierandum, parentes honorandos esse. Discrimen est, quòd hæc hominem ligat, siue obligat: illa non item. 3

Præter has afferri solet *conscientia dubia, & conscientia scrupulosa*: Verùm hæc vmbræ potiùs, siue similitudines conscientiæ sunt, quàm vt propriè id nomen mereantur. Nam conscientia debet esse practicum rationis iudicium siue assensus: at neque dubitans, neque scrupulosus determinatè iudicat agendum aliquid, vel omittendum esse: sed ille ambiguus hæret: hic angitur tantùm, ac veretur 4

tur: de quibus tamen infrà dicam.

Cap. IV.

Quanta sit obligatio Conscientiæ præcipientis.

SVMMARIVM.

1 *Conscientia recta præcipiendo, vel prohibendo voluntatem obligat, vt peccet nisi illam sequatur.*
2 *Voluntas peccat, quotiescunq; agit contra conscientiam erroneam præcipientem, vel prohibentem.*
Operans contra conscientiam errantem, ea specie peccati, & contra eam virtutem delinquit, sicuti intellectus iudicat.
3 *Conscientia errans inuincibiliter obligat voluntatem ad sequendum: errans autem vincibiliter obligat tantum, ad non repugnandum; dum illa perseuerat.*
4 *Errans vincibiliter non est simpliciter perplexus, aut constitutus in absoluta peccandi necessitate: cùm possit, ac debeat deponere errorem.*

1 ASSERTIO I. Conscientia recta, seu vera præcipiendo, vel prohibendo obligat voluntatem, vt peccet, nisi illam in operando sequatur. Probatur, Voluntas peccat si in operationenon sequitur suam regulam: atqui conscientia intellectus rectè præcipiens, aut prohibens, est proxima regula voluntatis operantis, mouentisque alias potentias ad operandum, sicuti docet S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 3. & 4. Ergo peccat voluntas, ipseque homo, nisi conscientiam rectè præcipientem vel prohibentem in operando sequatur. Nota hic, quod dixi, conscientiam rationis (ductam ex synteresi) esse *proximam* regulam, ac legem humanæ voluntatis, moraliumque actionum: nam regula remota, attamen prima & principalis est lex æterna, & diuina: vnde humana ratio veluti quidam radius descendit, Dauide teste Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Vide S. Th. cit. a. 4.

2 Assertio II. Voluntas peccat, quotiescunque agit contra conscientiam erroneam præcipientem, vel prohibentem. Ita docet S. Thom. cit. q. 19. a. 5. & probat ex Apost. ad Rom. cap. 14. *Scio, & confido in Domino IESV, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Sensus verborum est: Scio, fretus gratia IESV Christi, qui nos à iugo legis Mosaicæ liberauit, nullo cibo veluti immundo nos inquinari: præterquam, si quis existimet aliquam escam (v. g. carnem suillam) etiam nunc immundam & vetitam esse: talis enim esca illi immunda & illicita erit, propter errantem suam conscientiam. Et paulò post, *Qui autem discernit* (inter cibos, ratus aliquos secundum legem Moysis immundos, ac prohibitos esse) *si manducauerit, damnatus est. Quia non ex fide*: id est, quia non agit secundùm conscientiam: *Omne autem, quod non est ex fide* (id est, quod non fit secundum, sed contra dictamen conscientiæ) *peccatum est.*

Rationem huius doctrinæ dat idem S. Thom. & Richar. in 4. d. 39. a. 2. q. 3. Ioan. Gerson p. 2. operum, de natura & qualitate conscientiæ, vbi de conscientia indiscreta. Cùm obiectum voluntatis sit bonum, ac malum non quomodocunque, sed prout est in apprehensione rationis: ideo si ratio apprehendat aliquid, ac voluntati proponat tanquam bonum morale necessarium, ac præceptum: esto re ipsa bonum non sit, sed malum: voluntas illud respuendo consentit in transgressionem legis. Iterum, si ratio apprehendat aliquid & voluntati proponat tanquam moraliter malum, ac prohibitum; esto re ipsa malum non sit, sed bonum, ac honestum; voluntas illud amplectendo consentit in obiectum malum, & prohibitum; adeóque peccat.

Corollarium, Operans contra conscientiam erroneam vincibilem, vel inuincibilem, ea ipsa specie peccati, atque contra eam virtutem delinquit, sicuti intellectus falsò iudicat: v. g. qui arbitratur ex lege misericordiæ se obligari ad mentiendum, quia ita necesse est ad vitam hominis liberandam; is contra misericordiæ virtutem peccat non mentiendo; vel moraliter, si æstimet obligationem mentiendi grauem esse, vel venialiter, si æstimet obligationem leuem esse, sicuti bene aduertit Durand. in 2. d. 39. q. 5. a. 3. num. 9. Item qui falsò arbitratus in Vigilia Epiphaniæ ieiunium præceptum esse non ieiunat, is contra temperantiam peccat. Ita S. Thom. q. 19. a. 5. ad 3. Nauar. in man. prælud. 9. n. 9. Vasq. 1. 2. disp. 59. cap. 3. num. 11. Martinus Becanus in 1. 2. tract. 1. cap. 4. q. 7. Sanchez lib. 1. moral. cap. 11. n. 5. Qui tamen rectè monet n. 3. vt aliquis cōtra erroneam conscientiam agendo peccet, necessarium esse, vt actio ipsius liberat sit: Quare si in carcere v. g. conclusus, existimet se peccare Missam non audiendo, non ideò peccat: Neque scrupulosus, cùm inuoluntarias suas passiones aut in oratione distractiones peccata esse arbitratur.

Assertio III. Hoc interest inter conscientiam errantem inuincibiliter, & errantem vincibiliter; quòd illa voluntatem obligat, adeo, vt nisi eam sequatur, peccet: ad hanc autem sequendam voluntas non obligatur; sed tantùm ad non repugnandum ei, quamdiu perseuerat. Ita S. Thom. a. 6. Prior pars probatur: Nam præceptum, siue lex falsò existimata, errore qui deponi non possit, ratione eius deceptionis, siue falsæ existimationis, adeóque per accidens, non minùs obligat, quàm præceptum, siue lex vera: adeò quidem, vt qui secundùm tale existimatum præceptum operatur, moraliter non malè seu cum peccato; sed potiùs bene operetur, vt dixi cap. præced. Altera pars explicatur: Qui per vincibilem, siue culpatam ignorantiam existimat, v. g. mentiendum esse, vt vita hominis liberetur, is duo virtualiter iudicia format: Vnum, *Oportet mentiri*, ad quod iudicium sequendum, siue secundùm illud operandum voluntas non obligatur: Nam contradictionem inuoluit voluntatem obligari ad peccandum: atqui voluntas sequendo, siue operando secundùm conscientiam errantem vincibiliter, peccat: ergo non obligatur ad eam sequendum. Alterum iudicium; *Malum peccati est non mentiri*: secundùm quod iudicium si voluntas nolit mentiri, itidem peccat: quia conformat se malo peccati existimati, sicut constat ex secunda assertione. 3

Obijcies: Hinc sequitur hominem perplexum fore, vt quicquid agat, peccaturus sit: si enim sequendo conscientiam vincibiliter erroneam consentiat in mendacium, peccabit contra veritatis virtutem, si autem resistendo conscientiæ, mentiri nolit, peccabit contra misericordiæ virtutem. Respondeo ex doctrina S. Bonau. in 2. d. 39. a. 1. q. 3. Richar. ibid. a. 1. q. 3. Gabr. q. vn. a. 3. dub. 2. S. Anton. p. 1. tit. 3. cap. 10. §. 4. Ioan. Gerson tract. de natura & qualit. conscientiæ, circa tertiam quæstionem, Non esse hominem simpliciter perplexum, aut constitutum in absolutâ peccandi necessitate. Potest enim, vt supponimus, ac debet deponere errorem: quo deposito cessabit conscientia, quippe quæ ex solo errore nata est. Dum autem conscientia non deponitur, sed perseuerat, fateor adesse peccandi necessitatem; non tamen absolutam, & antecedentem; sed ex hypothesi, ac consequentem: id est, si nolis errorem deponere quem potes, ac debes deponere, ideóque tibi indirectè voluntarius existit. 4

Nota autem, tunc errorem vincibilem, atque culpabilem esse, cùm intellectus aliquid agendum, vel omitendum esse iudicat non sine dubio, sine formidine oppositi; expresse vel implicitè dictans rem magis considerandam vel explorandam esse. Enimuerò in hoc casu voluntas nec velle debet quod intellectus proponit, nec nolle: quia datur medium inter hæc, videl. applicare intellectum ad rem certiùs intelligendam.

Quòd si autem aliquis eò perplexitatis deueniat, vt

vtrumque oppositorum videatur ipsi esse peccatum, mentiri, inquam, contra veritatis virtutem; & non mentiri contra misericordiam, & se tali errore ipsemet explicare non possit, neminemque habeat quem consulat; tunc eligendum erit quod minus malum apparet; v. g. in casu proposito mentiendum, vt culpa, quæ grauior videtur, contra misericordiam euitetur. Cùm enim peccatum omne non necessitate, sed libertate admittatur; ideo tali casu, quo homo perplexus ex inuincibili errore, necessitatem sibi impositam arbitratur ex duobus, quæ alioquin peccata esse putat, alterum admittendi; formare potest ac debet practicum iudicium; non fore sibi hîc, & nunc imputandum, si quod minus malum sibi videtur, elegerit, sicuti rectè præter alios docuit Abb. in cap. non magnopere, n. vlt. de immunit. Eccles.

Quòd si demum adeo homo perplexus sit, vtneque hoc ipsum arbitrari possit, vtrum ex propositis malis minus existat; tunc non peccabit, quicquid egerit; quia nemo necessitate peccat. Ita Henriq. lib. 12. c. 6. n. 7. Becanus q. 8. conclus. 4. Aliud exemplum, Parochus ad Ecclesiam festo die veniens, sacrificaturus pro populo, recordatur se ieiunum non esse: nec alius tunc Sacerdos accersiri potest, neque populus edoceri vt sine Missa quietus abscedat. Tali casu Parochus perplexus videtur: si enim celebrem (cogitat ipse) peccabo aduersus reuerentiam Sacramenti, propter legem Ecclesiæ: si autem non celebrem, peccabo contra legem charitatis, propter graue populi scandalum. Profectò in hoc casu, si (vt ponimus) scandalum euitari non possit, Parochus celebrare deberet: cùm lex Ecclesiastica cedat maiori legi naturalis charitatis. Si tamen hanc ipse veritatem perspicere nequeat, & alium non habeat à quo edoceatur; non peccabit Parochus, licet Sacrificio abstineat cum populi scandalo: seu quia id minus malum esse arbitratur, quàm non ieiunum celebrare: seu quia vtrum horum duorum maius malum sit, determinare propter ignorantiam non potest.

CAP. V.

De Conscientia dubia & opinatiua.

SVMMARIVM.

1 *Dubium differt ab opinione; & opinio à sententia.*
2 *Dubium (sicuti & opinio, sententia) aliud est iuris, & aliud facti.*
Dubium iuris aliud est speculatiuum, aliud practicum: & hoc vel generale seu abstractum: vel propriè seu proximè practicum.

1 NOTANDVM est primò; Si propriè loquendum sit, aliud est *dubium*, aliud *opinio*, & aliud sententia, siue *iudicium* animi *certum*. Nam dubium est cùm mens anceps hæret, vt neutri parti contradictionis assentiatur. Opinio est assensus incertus & non carens, saltem virtuali, formidine oppositi: quare opinio aliquid de dubio participare censetur. Iudicium, seu animi sententia certa omnem penitus dubitationem, ac formidinem partis oppositæ excludit; idque vel propter euidentiam obiecti, vel propter contestantis authoritatem.

2 Notandum secundò: Dubium aliud est *iuris*, & aliud *facti*. Dubium iuris dicitur, quod est de obligatione, aut facultate legitima agendi? vel de legitimo actus valore &c. Diuiditur in *merè speculatiuum*, ac *practicum*. Dubium iuris merè speculatiuum censetur, in quo directè nō quæritur de praxi, id est, humana actione, vtrum ea licita sit nec ne, sed de quodam alio legitimo: v. g. vtrum baptismus collatus in nomine Christi, sine expressa inuocatione SS. Trinitatis, valeat? vtrum testamentum sit legitimum? vtrum matrimonium, quod contraxi, validum? vtrum bellum, in quo milito, iustum? vtrum equus, quē possideo, meus sit, nec ne? Dubium iuris practicum est, in quo directè quæritur de praxi, seu actione morali, num ea licita sit: Hoc iterum duplex est, auctore Caiet. to. 1. tract. 31. opusc. 7. responsionum, resp. 13. dub. 7. Couar. reg. possessor. p. 2. §. 7. num. 5. Nau. in sum. præludio 9. num. 9. Sanchez libr. 2. de matrimonio, disp. 41. num. 4. & lib. 1. moral. c. 9. num. 3. Becano q. 8. n. 1. Vnum generale, & abstractum; vt cùm dubitatur, v. g. num contractus census germanici vsurarius sit? Vtrum liceat die festo bellare, piscari, pingere? cuiusmodi quæstiones iuris in scholis controuersæ esse solent. Alterum est dubium propriè practicum, seu practicè practicum, cùm in particulari dubitatur, vtrum hîc & nunc mihi liceat die festo pingere, bellare, contractum talem instituere? Meritò autem hoc dubium appellatur propriè, seu practicè practicum: quia propinquè est de praxi, seu actione morali, spectatis singulis eius circunstantijs. Dubium verò illud generale, & abstractum magis remotum à praxi; & idcircò à quibusdam speculatiuum vocari solet, comparatione videlicet alterius magis practici dubij, sicuti Sanchez notauit cit. disp. 41. num. 4. Denique dubium facti dicitur in quo ambigitur, vtrum aliquid factum sit, nec ne, v. g. vtrum votum editum: vtrum ætas septennij completa: vtrum Babtismus homini collatus: vtrum horæ canonicæ persolutæ nec ne? Cæterùm ex dubio facti plerumque oritur dubium iuris: v. g. dubitans vtrum votum religionis ediderit, mox dubitare incipit, an eo obligetur. Similiter ex dubio iuris merè speculatiuo sæpe oritur dubium practicum: v. g. dubitans vtrum Baptismus fuerit validus, mox dubitare incipit, an repeti debeat, nec ne: & dubitans vtrum matrimonium fuerit validum, mox dubitare incipit, num eius vsus licitus sit, nec ne: dubitans denique vtrum res sua sit, postea dubitare incipit, an eam retinere, alienare iure possit.

Porrò sicuti dubium, ita similiter & opinio aut sententia diuidi debet; quòd alia sit de iure, & alia de facto: & illa vel merè speculatiua, vel practica; eaque vel generali, & abstracto ideóque sententia potius speculatiua, vel in particulari, & propriè ac proximè practica, seu praxeos directiua.

§. I.

De dubio iuris propriè seu practicè practico.

SVMMARIVM.

3 *Agere vel omittere aliquid cum dubio propriè practico, semper est peccatum.*
4 *Ad rectè operandum requiritur iudicium practicum moraliter certum: quæ est conscientia lege, prudentia actus.*

ASSERTIO hæc sit. Agere vel omittere aliquid cum dubio propriè practico, semper est peccatum. Est communis sententia, quæ probatur ex Apostolo ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est*, id est, quod non fit cum determinato iudicio intellectus, siue conscientia, licitum esse quod hîc & nunc agitur, vel omittitur, id peccatum est. Ratio est I. Nam omnis actus humanus rectus & honestus debet esse prudens: prudentia autem consistit in iudicio mentis definientis quid hîc & nunc licite fiat, vel non fiat. II. Exponens se peccandi periculo peccat eodem genere peccati, qui se exponit, sicuti docet S. Thom. quodlib. 8. a. 13. Nau c. qualitas. num. 18. d. 5. de pœnit. Qui autem agit, vel omittit cum dubio practico, id est, dubitans vtrum agendo, vel omittendo peccet, is committit se peccandi periculo. Ergo, &c. 3

Atque in hac quidem assertione Doctores omnes consentiunt; sed disputant, vtrum ad rectè seu honestè operandum requiratur iudicium practicum, moraliter certum, quo excludatur omnis formido oppositi? Negant Vasq. 1. 2. disp. 62. c. 5. Sanchez lib. 1 moral. c. 9. num. 19. existimantes sufficere assensum probabiliter dictantem, quamuis

quamuis non ſine formidine oppoſiti, hoc vel illud honeſtè agi. Sed contraria ſententia eſt vera, quam præter Caiet. ver. opinionis vſus, Armillam ver. opinio. num. 2 docent Nau. c. ſi quis autem, n. 65 .d. 7. de pœnit. Suarez to. 5. diſp. 40. ſ. 5. num. 14. & ſ. 6. nu. 6. Benedict. Iuſtinianus in paraphraſi c. 13. ad Rom. in fin. Leſſ. lib. 1. c. 1. dub. 1. de prudentiâ. Nam prima regula humanarum actionum debet eſſe firma, & conſtans; videlicet conſcientia recta, quæ eſt actus prudentiæ, vnius ex intellectualibus virtutibus, quæ ſemper ad verum, & numquam ad falſum inclinant, teſte Ariſt. 6. Eth. c. 3. Opinione autem nos falli interdum contingit: Deinde iterum ſic argumentor; Quicunque deliberatè cōmittit ſe periculo peccandi, is peccat; ſed quicunque operans practicè certus non eſt, vtrum rectè ac honeſtè operetur, is cōmittit ſe periculo practicè errandi, ſeu peccandi: Igitur talis operans peccat. Oportet tamen hæc intelligere de incertitudine ac formidine intellectus iudicantis; non de ſcrupulo, quæ eſt inani ratione nixa apprehenſio, & inde ortus apprehenſiuus timor peccatum alicubi eſſe vbi non eſt. Nam cum tali irrationabili formidine conſiſtere poteſt ac debet certum dictamen ſeu iudicium intellectus, rectè atque honeſte aliquid agi, non obſtante vana illa apprehenſione peccati. Deinde ab hac doctrina excipienda eſt perplexitas, per quam intellectus iudicat vtrumque oppoſitorum puta facere & omittere, eſſe peccatum, eoque errore ſe expedire nequit, hoc caſu ſi quod minus peccatum apparet, homo elegerit, non peccaturum ſupra oſtendi. Etenim doctrina iſta, hominem ſemper peccare, ſi quod agit quod peccatum eſſe exiſtimet, aut dubitet; locum quidē habet ſi liberè actionem malā amplectatur; non autem ſi neceſſariò, vti accidit in caſu noſtro, cùm vtrumque & agere & omittere per inuincibilem ignorantiam peccatum eſſe videtur.

---

§. II.

De dubio ſeu quæſtione practicè vniuerſali, quę eſt inter diuerſas Doctorum probabiles opiniones.

SVMMARIVM.

5 *Qui vni parti quæſtionis opinatiuè aſſentitur, poteſt alteram probabilem iudicare: ſed non vt vera aſſentiri.*

Non poteſt intellectus aſſentiri propoſitioni, dum ipſi minùs probabilis apparet quàm oppoſita.

6 *Probabilis ſententia dicitur, quæ certitudinem non habens, tamen graui autoritate, vel non modici momenti ratione nititur.*

7 *Ex duabus contradicentibus opinionibus, verſantibus circa actionem humanam, an ea licita ſit: quiſque in praxi ſequi poteſt, vtram maluerit.*

8 *In dubio propriè practico quiſque obligatur ad partem tutiorem: non item in dubio abſtracto, aut ſpeculatiuo.*

6 *Vir doctus alteri conſulenti ſuadere poteſt ſecundum probabilem aliorum ſententiam, etſi eam ipſemet falſam iudicet.*

10 *Pœnitentem, qui ſecundum probabilem Doctorum opinionem operari vult, tenetur Confeſſarius abſoluere: licet ipſemet certò ſibi perſuadeat, doctrinam illam falſam eſſe.*

11 *Superiori præcipienti ſecundùm opinionem probabilem ſubditus obedire tenetur, etiam contra propriam probabiliorem.*

12 *In dubio an Prælatus iuſtè præcipiat, tenetur ſubditus obedire: niſi exinde graue incommodum timeatur: non item ſi præceptum negligatur.*

5 NOTANDVM eſt primò: Cùm opinio ſit animi ſententia incerta & non carens formidine oppoſiti, fieri poteſt, vt licet vni parti quæſtionis opinatiuè aſſentiaris; nihilominus alteram contradicentem probabilem iudices: Non dico *veram*, hoc enim impoſſibile eſt, vt intellectus duabus propoſitionibus contradicentibus directè aſſentiatur, ſiue vtramque veram iudicet: ſed hoc ipſo, quòd vni quæſtionis parti, quamuis opinatiuè & debiliter aſſentitur, veramque iudicat, eius contradicenti diſſentit, falſamque iudicat: cum quo tamen, vt dixi conſiſtere poteſt, vt eandem probabilem cenſeat. Imò nihil frequentiùs videre eſt apud Doctores, quàm vt ſententiam aliquam, adductis rationibus, falſitatis arguant, cùm interim eandem probabilem eſſe fateantur. Cæterùm cùm vna pars quæſtionis vel per rationem euidens, vel per fidem certa apparet; ei pars oppoſita ſiue contradicens nullo modo probabilis videri poteſt, ſicuti notauit Valent. t. 2. diſ. 2. q. 12. p. 5. q. 1.

Notandum ſecundò: Licet omnis pars quæſtionis, ſi probabilis ſit, opinatiuum aſſenſum gignere poſſit, abſolutè loquendo; non tamen id poteſt in omni intellectu: Si enim tibi pars oppoſita quæſtionis probabilior videatur, ſeu maiora rationum momenta in illam partem perſpicias; licet aſſenſum omnem cohibere tunc poſſis; tamen ex hypotheſi quòd alteri parti aſſentiri velis, neceſſe eſt vt probabiliori aſſentiaris; alteri autem, quæ minùs probabilis tibi apparet, aſſentiri tunc non potes. Si enim minùs probabili aſſentiaris, ſeu veram iudices, hoc ipſo oppoſitam falſam æſtimas: quod fieri non poteſt dum ea tibi probabilior ſeu veriſimilior apparet: propterea quòd intellectus iudicatiuus ſecundùm ſpecificationem non omnino liber ſit, ſed à rationibus & motiuis propoſiti obiecti determinetur. Neque reſponderi hîc poteſt, propoſitionem vnâ quidem ratione veram, alterâ verò falſam eſſe: quia veritas & falſitas, cùm inter contradictorios terminos verſentur, latitudinem non habent; quin potiùs, ſi vna pars quæſtionis vera eſt, tunc eius oppoſita ſimpliciter & omnimodè falſa eſt. Quare videtur mihi ille loquendi modus improprius & minùs philoſophicus, quo aliqui dicunt, *Propoſitio hæc verior eſt, quàm eius oppoſita.* cùm dicere oporteret, probabiliorem ſeu veriſimiliorem eſſe; oppoſitam verò minùs probabilem, quamuis non apertè falſam. Neque huic doctrinæ aduerſatur S. Tho. 1. 2. q. 17. a. 6. vbi ait, in ijs apprehenſis quæ intellectum non conuincunt in poteſtate noſtra eſſe aſſentiri, vel diſſentire. Id enim abſolutè verum eſt: quia poteſt intellectus imperio voluntatis moueri, vt omiſſa conſideratione rationum pro vna quæſtionis parte, conſideret & æſtimet rationes pro oppoſita occurrentes. Sed ſtante hypotheſi ſiue in ſenſu compoſito; dum, inquam, vna pars contradictionis veriſimilior apparet, quàm pars oppoſita, non poteſt intellectus illi diſſentire, & huic aſſentiri: quia id fieret ſine ratione, imò contra rationem. 6

Notandum tertiò: Probabilis ſententia, vti communiter accipitur, ita definiri poteſt, *quæ certitudinem non habens, tamen vel graui auctoritate, vel non modici momenti ratione nititur.* Autoritas grauis hoc loco cenſeri debet, quæ eſt ſaltem vnius viri docti & probi: qui tamen talem doctrinam non inconſideratè ac temerè; ſed poſt perſpecta rationum pondera, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, amplexus eſt: quod quidem ab ipſo factum fuiſſe alij plerumque præſumere poſſunt præſertim qui indocti ſunt. Ea verò ſententia probabilis cenſeri alteri non debet, quā vnus pluréſve Doctores contra communi calculo, inuenerunt; alij verò poſtea examinantes, communi calculo, tanquam improbabilem ac ſingularem, reiecerunt, adductis rationibus, vel Principum decretis, ad quæ priores illi vel non attenderunt, vel ſolidè reſpondere nequiuerunt. Videri poteſt S. Thom. quodl. 3. a. 10. Syl. ver. opinio, q. 1. Nauar. c. 27. n. 288. Sa ver. dubium, num. 3. Vaſq. diſp. 62. c. 4. num. 17. & 18. Sanchez lib. 1. moral. cap. 9. num. 7. & 11.

Secundò dixi, probabilem ſententiam eſſe, quam nō modici momenti ratio alicui confirmat, veritatique conſonam perſuadet. Quod intelligi debet de viro docto & rerum perito, qui fundamenta contrariæ ſententiæ, licet alioquin communis, perſpexerit, ac diſſoluerit, ſicuti docet Vaſq. cit. c. 4. in princ. Sanchez cit. cap. 9. num. 9. Azor. tom. 1. l. 2. c. 17. q. 6. Id tamen limitandum arbitror, niſi

ſingularem viri docti ſententiam alij poſtea examinantes, tanquam improbabilem & erroneam dânent: tunc enim non poteſt illi ſua perſuaſio non valde ſuſpecta eſſe de falſitate, licet ob intellectus tenuitatem, vel potiùs ob affectus prauitatem, non agnoſcat.

7 Aſſertio I. Ex duabus contradicentibus probabilibus opinionibus, quæ verſantur circa actionem humanam, an ea licita ſit nec ne; quiſque in praxi, ſiue operatione ſequi poteſt quam maluerit; etſi ipſi operanti ſpeculatiuè minùs probabilis videatur. Ita Nauar. in cit. c. ſi quis autem, d.7. de pœnit. Medina 1. 2. q. 16. a. 6. dub. penult. Arrag 2. 2. q. 63. a. 4. ibi. Salon. contr. 2. Lopez p. 1. inſtr. c. 126. Suar. t. 5. diſp. 40. ſ. 5. Azor to. 1. lib. 2. cap. 16. q. 2. & 4. Gutierrez lib. 1. can. qq. c. 13. num. 23. Sanchez lib. 2. de matrim. diſp. 41. n. 9. & l. 1. moral. c. 9. n. 14. Hen. l. 14. c. 3. n. 3. cōtra Gl. in c. Capellan. de ferijs. Cai. ver. opinionis vſus Angelū & Armi. ver. opinio, Syl. eod. ver. q. 1. Ioan. Maiorē in prologo 4. ſentent. q. 2. conc. 3. & 4. Conradū q. vlt. de contract. concluſ. 1. arbitrantes, ſequendam eſſe opinionem probabiliorem, vel quam operans veram eſſe iudicat. Probatur aſſertio: Opinionem, quæ non eſt aliena à recta ratione, poteſt aliquis prudenter ſequi: probabilis autem opinio non eſt aliena à recta ratione: ergo poteſt eam aliquis prudenter ſequi. Maior eſt clara. Minor declaratur ex definitione opinionis probabilis, quam dixi eſſe eam, quæ vel graui autoritate, vel non modici momenti ratione nititur. Confirmatur: Cùm in moralibus non facilè reperire ſit exactam veritatis certitudinem, ſed fermè ſolā veriſimilitudinem ſufficit ſequi quod eſt probabile. Etenim valdè difficilis, & propè impoſſibilis obligatio foret, ſi quiſque examinare ſemper debeat, vtra duarum probabilium opinionum efficaciore ratione, vel plurium aut peritiorum Doctorum autoritate fulta ſit.

Et hæc quidem abſolutè oſtendunt, licitum eſſe probabilem ſententiam in operando ſequi. Quòd autem id fieri poſſit, tametſi ipſi operanti ſpeculatiuè minùs probabilis, & oppoſita probabilior appareat; inde oſtendi debet: quia ſpeculatiua illa opinatio, eo ipſo quod incerta & fortaſſe falſa, non poteſt eſſe regula operationis: conſequenter operans aliam regulam, eamque certam ſectari debet; videlicet quòd in dubijs quæſtionibus circa mores quiſque operari poteſt ſecundùm ſententiam, quam viri docti probabilem & in praxi tutam defendunt. Neque verò tunc agit contra propriam conſcientiam: cùm conſcientia non ſit ſpeculatiua aliqua opinatio; ſed practicum certum iudicium de agendo, quod in tali caſu per reflexionem formari poteſt, vt dicam num. ſeq.

Aſſertio II. Ex duabus eiuſmodi probabilibus partibus quæſtionis licitum eſt etiam eam ſequi, quæ minùs tuta eſt, id eſt minùs quam eius oppoſita, remota videtur ab omni peccati ſpecie. Ita Doctores ſuprà citati. cuius oppoſitum videntur docuiſſe Caiet. ver. opinionis vſus Syl. ver. dubium. q. 2. Corduba in quæſtion. libr. 2. qu. 3 prop. 3. & apertiùs Ioan. maior cit. q. 2. concl. 3. Probatur aſſertio: In moralibus operationibus neceſſe non eſt ſequi quod optimum ac tutiſſimum eſt: ſed ſufficit ſequi bonum ac tutum. Quod autem probabilis opinio tradit, id bonum ac tutum eſt. Ergo licitum eſt eam ſequi; quãuis oppoſita opinio tutior id eſt, magis adhuc remota ſit ab omni peccati ſpecie ſeu ſimilitudine. Minor conſtat ex ſuprà dictis. Maior verò inde probatur: tum quia alioquin conſilium non differret à præcepto: tum quia nimis grauis obligatio homini operanti incumberet. Exemplū huius doctrinæ adfert S. Anton. p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. ex S. Thom. in 4. d. 17. q. 1. a. 3. q. 1. qui probabiliter docet, quòd lapſus in peccatum mortale ordinariè non ſit obligatus ad confitendum ſtatim, habita copia confeſſoris: cùm tamen contrarium doceat Alenſis p. 4. q. 77. mem. 4. a. 2. S. Bonau. cit. d. 17. p. 2. a. 2. q. 2. quorum ſententiam quis neget tutiorem & conſultiorem eſſe? nihilominus licitum eſt in praxi ſequi probabilem ſententiam S. Thomæ.

Sed obijcitur, quòd *in dubiis tutior via eligenda eſt* iuxta c. iuuenis, de ſponſal. & c. ſi quis autem, d. 7. de pœnit. *tene certum, & dimitte incertum.* Ad hoc reſpondet S. Anton. l. c. & Nau. cit. c. ſi quis autem, n. 34. & in man. c. 27. num. 281. Regulam illam potiùs conſilium, quàm præceptum continere. Reſpondeo ſecundò, diſtinguendum eſſe inter incertitudinem ſeu dubium propriè & ſimpliciter practicum: & dubium abſtractum, quod etiam ſpeculatiuum appellatur. Nam in illo quiſque obligatus eſt ſequi partem tutiorem: veluti ſi dubito, ſiue incertus ſum vtrum mihi hîc & nunc licitum ſit contractum cenſus germanici inſtituere, peccabo, niſi abſtineam: quia cōmitterem me peccandi periculo. In dubio autem abſtracto & ſpeculatiuo, v. g. vtrum cenſus germanicus ſecundùm ſe, & ſuapte natura iuſtus ſit, neceſſe non eſt ſequi partem tutiorem; quia ſequendo partem minùs tutam, tamen probabilem, formare poſſum conſcientiam, ſiue iudicium moraliter certum: licitum eſſe mihi hîc & nunc operari ſecundùm ſententiam ſpeculatiuè probabilem: quamuis adhuc certior, magiſque à peccandi periculo, vel potiùs ſpecie periculi remotus eſſem, ſequendo alteram ſententiam oppoſitam. Verum hîc locum habet iuris reg. 51. in 6. *Qui certus eſt certiorari vlteriùs non oportet.* 8

Quæres, Qua ratione in operando certus eſſe poſſit, qui incertam & dubiam ſententiam ſequitur: cùm ex incerto non poſſit colligi certum? Reſponſio patet ex ſuprà dictis; Certitudinem conſcientiæ, quam operans habere debet, non eſſe ſpeculatiuum ex principijs intrinſecis rei petitam; ſed eſſe practicam, ex practicis & rei extrinſecis principijs deſumptam: v. g. ſententiæ Doctorum probabiliter docenti aliquid eſſe licitum agere, poſſum me in praxi conformare: atqui Doctores aliqui probabiliter docent, contractum v. g. cenſus germanici celebrare licitum eſſe: ergo poſſum me huic opinioni in praxi conformare: vbi vides, vtramque huius practicæ ratiocinationis propoſitionem certam eſſe: ex certis autem non ſequitur niſi certum.

Sed contra inſtat aliquis, Non deeſſe Doctores, qui negant maiorem huius ratiocinationis propoſitionem veram eſſe: ergo ea non habet certam & indubiam veritatem. Secundò ponamus eſſe Doctores, qui negent ſententiam, v. g. quę iuſtitiam contractus germanici defendit, probabilem eſſe; exiſtimantes ſe manifeſtam demōſtrationem de oppoſito habere. quo caſu minor quoque propoſitio certa & indubia non erit. Reſpondeo, hac obiectione non plus probari, quàm quòd hi ipſi, qui ita perſuaſi ſunt, conſcientiam practicè certam formare haud poſſint: interim tamen tales non prohibent, quò minùs alij Doctores tam maiorem, quàm minorem propoſitionem pro certis habentes, ex ijs certum iudicium practicum concludant. Prohibere item non poſſunt, quò minùs alij, rem ipſam ſecundùm ſe non ita penetrantes, horum Doctorum autoritatem ſecuti, certò ſibi perſuadeāt, quod iſti docti ac probi viri agunt, vel ab alijs agi poſſe fatentur, ſe bona conſcientia ſequi, quantumuis alijs reclamantibus.

Ex dictis aliqua corollaria exiſtunt: Primum, Doctor alteri conſulenti conſilium dare poteſt non ſolùm ex propria, ſed etiam ex oppoſita probabili aliorum ſententia, ſi fortè hæc illi fauorabilior ſeu exoptatior ſit. Qua de re Vaſq. diſp. 62. cap. 9. nu. 47. Sanchez cit. c. 9. num. 20. Sairus lib. 1. clauis regiæ, c. 6. n. 11. Lopez p. 1. inſtru. cap. 120. Imò arbitror, nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti, opinionem à quibuſdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat: quamuis idem Doctor eiuſmodi ſententiam ſpeculatiuè falſam eſſe certò ſibi perſuadeat vt proinde ipſemet in praxi eam ſequi non poſſit. Cùm enim conſulens in re dubia ius habeat ſe conformandi opinioni quæ à quibuſdam viris doctis defenditur; nihil obſtente, quòd aliqui alij contradicant, & ſpeculatiuè ſenten- 9

ſententiam improbabilem iudicent; hoc ipſum ius conſulenti Doctor indicare non prohibetur. Atque hinc exiſtit, quòd vir doctus diuerſis, ſecundùm oppoſitas probabiles ſententias, oppoſita conſilia dare poſſit; ſeruata tamen diſcretione ac prudentia.

10 Secundum corollarium. Si pœnitens in praxi bona fide ſequatur ſententiam, quæ à quibuſdam Doctoribus tanquam probabilis ac tuta defenditur; Confeſſarius verò ſeu ordinarius, ſeu delegatus eandem ſpeculatiuè improbabilem cenſeat, nihil obſtante ſua perſuaſione, tenetur abſolutionem conferre. Ita docet Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. ad 1. Victoria in ſumma. de confeſſ. num. 177. Nau. in man. c. 26. num. 4. &c. ſi quis autem d. 7. de pœnitent. numer. 54. & ſeqq. & lib. 1. conſil. 1. de conſtit. q. 12. edit. 2. Medina in Inſtruct. Confeſſar. lib. 1. c. 8. & 1. 2. q. 19. a. 6. §. eſt alia quæſtio, concl. 3 Sanchez num 27. Vaſq. l. c. cap 7. & ali. Probatur: Confeſſarius, audita confeſſione, non poteſt abſolutionem negare pœnitenti rectè diſpoſito, nullumque peccati obicem ponenti. Atqui ſequendo probabilem opinionem pœnitens non peccat, ac proinde, quatenus eſt ex hoc capite, rectè diſpoſitus eſt. Ergo non poteſt illi abſolutio negari. Igitur reprehendenda eſt ea Confeſſariorum conſuetudo, qui veriti confitentem contra propriam ſententiam abſoluere, eundem ad alium Confeſſarium ablegant, qui oppoſitam probabilem opinionem tenet. Si enim ille alter abſoluere poſſit, cur non & tu poſſis? At cur tua ſpeculatiua perſuaſio pœnitenti obeſſe debeat?

Obijcies Confeſſarius eſt pœnitentis ſuperior: ergo pœnitens, depoſitâ propriâ opinione, Confeſſarij præcipientis opinionem amplecti tenetur. Reſpondeo. Non eſſe ſuperiorem ſimpliciter; neque ius præcipiendi habere in omnibus; ſed ſolùm in ordine ad peccata, quæ ad tribunal pœnitentiæ adferuntur: Verùm, vt ſuprà dixi, pœnitens non peccat adhærendo opinioni, quæ à Doctoribus probabiliter defenditur: ergo nihil illi Confeſſarius in hac cauſa, tanquam ſubdito, præcipere poteſt.

11 Tertium corollarium. Superiori præcipienti ſecundū opinionem probabilem, ſubditus tenetur obedire, etiam contra propriam probabiliorem, magiſque tutam. Ita Corduba lib. 3. Quæſtionarij, q. 4. Vaſq. diſp. 62. cap. 6. Manuale Prælatorum Ludouici Mirandæ t. 1. q. 26. a. 5. Si enim ſubditus aliquid licitè agere poteſt, præcipiente ſuperiore etiam debet. Quiſque autem licitè agere poteſt ſecundùm ſententiam probabilem, etiam contra propriā probabiliorem, ac tutiorem, vt ſuprà dixi: ergo ſubditus, præcipiente ſuperiore, etiam debet. Confirmatur: In dubio inter Superiorem & ſubditum præſumptio eſt pro Superiore, arg. c. quid culpatur, 23. q. 1.

12 Sed quid? ſi dubitetur de poteſtate præcipiendi, vtrùm eius limites non excedantur, vtrum iuſta cauſa ſubſit, &c. Reſpondeo cum Leſſio lib. 2. c. 41. num. 77. Miranda l. c. a. 6. In tali etiam dubio pro ſuperiore præſumptionem faciendam eſſe, arg. cit. c. quid culpatur. excepto, ſi ex hac parte graue incommodum in perſona, rebus, aut honore timeatur obedienti, alteriue perſonæ. Tunc enim ſubditus partē benigniorem amplecti poterit, vt obedire cum tanto diſcrimine non teneatur, quamdiu non conſtat, præceptum iuſtum eſſe, ſicuti præter citatos etiam docēt Adrianus quodl. 2. p 1. ad 3. Arrag. 2. 2 q. 63. a. 2. ad 2. arg. Medina 1. 2. q. 19. a. 6. §. ex his principijs.

§. III.

De dubio iuris merè ſpeculatiuo.

SVMMARIVM.

13 Regula illa, quòd liceat quamuis probabilem ſententiam in agendo ſequi, accommodanda non eſt ad quæſtiones merè ſpeculatiuas.

Si quæſtio ſit de valore Baptiſmi, alteriùs ve Sacramenti, plerumque non licet adminiſtrare ſecundùm probabilem, tamen incertam ſententiam.

14 Non tamen requiritur exacta certitudo, ſed ſufficit magna probabilitas: quo modo aiunt Doctores, licitum eſſe ſacramentum Pœnitentiæ accipere cum ſola attritione, etiam cognitâ; conformando ſe probabiliſſimæ ſententiæ, quòd talis dolor in ſacramento ſufficiat.

NON placet quorundam Doctorum ſententia, qui 13
ſuprà traditam regulam, quòd quamlibet ſententiam probabile in operatione ſequi licet; etiam ad quæſtiones ac ſententias de iure merè ſpeculatiuas transferūt. Talis merè ſpeculatiua & non practica quæſtio eſt de valore Baptiſmi, v. g. ſi miniſtretur in materia, vel forma dubia & incerta. Si enim probabilis ſit aliquorum Doctorum ſententia, affirmans talem materiam aut formam validè adhiberi; putant aliqui etiam licitè adhiberi poſſe, conformando ſe huic probabili ſententiæ; licet oppoſita probabilior etiam ſit; dummodo nec Eccleſiæ canon, nec lex charitatis repugnet. Ita docet Vaſq. 1. 2. diſp. 63. c. 2. & 3. Solon 2. 2. q. 63. a. 4. controu. 2. Sairus in claui regia li. 1. c. 7. num. 4. Sanchez 1. moral. c. 9. num. 33. Sed non placet hæc ſententia, cùm infirmo fundamento nixa ſit. Tametſi enim ſententia affirmans, materiam atque formam ad valorem ſacramenti ſufficientem eſſe, in ſcholis probabilis cenſeatur; tamen, cùm ea probabilitas merè ſpeculatiua ſit, nihil omnino dictat de operando. vel nō operando: ſed reſtat adhuc quæſtio practica, vtrum liceat in tali probabili, aſt incerta materia vel forma ſacramentum adminiſtrare: quæ quæſtio ex proprijs principijs in negatiuam partem ſatis clarè reſoluitur, ita vt oppoſita pars quæſtionis falſæ, imò & improbabilis iudicari poſſit: cùm ſit quædam irreuerentia contra ſacramentum, exponere illud periculo, ne inualidè miniſtretur: eiuſmodi verò periculum imminet, ſi exiſtente quæſtione, vtrum talis materia, aut forma ſufficiens ſit, pars affirmans ſolū probabilis, ideóque dubia cenſeatur. Quā de re videri poteſt Suarez tom. 4. diſp. 26. ſ. 6. num. 5. Excipiendus tamen eſt caſus neceſſitatis, in quo rectè adminiſtratur ſacramentum, præſertim vnum ex neceſſarijs, cum dubio valoris, ſaltem ſub conditione. Ita enim v. g. proles baptizatur, exerta ex vtero ſola manu, ſi periculum in mora ſit. Cùm enim ratio dictet ex duobus incommodis, id quod minus eſt eligendum eſſe, in tali caſu neceſſitatis ceſſat periculum irreuerentię formalis. Vide petr. de Soto tr. de ſacram. Euchar. lect. 2. Suarez t. 3. ſ. 4. in fine, & t. 4. diſp. 26 ſ. 6.

Præterea addo, quòd neque in quæſtionibus de valore ſacramenti ſemper requiratur exacta certitudo, ſed ſufficiat magna probabilitas, & quaſi moralis certitudo: ita vt oppoſita ſententia negans, talem v. g. materiam eſſe ſufficientem, quaſi nihil probabilitatis habere videatur. Nam ſic docent multi Doctores, licitum eſſe ſacramentum Pœnitentiæ accipere cum ſola attritione, etiam cognita: quia oppoſita ſententia, negans eam ſufficientē, valde improbabilis eſt: quia ſequeretur hominem nunquam iuſtificari per ipſam ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ, cùm iam ante per contritionem eum iuſtificatū eſſe oporteret: quod tanquam improbabile communiter iam reijcitur. 14

De Medico & Chirurgo,

SVMMARIVM.

15 Medicus in curando infirmo ſequi debet ſententias certas & ſecuras, relictis incertis ac dubiis.

Si moriturus homo ſit, niſi ei adhibeatur medicamentum non vacans periculo accelerandæ mortis, iunctum tamen cum probabili ſpe conferendæ ſanitatis, adhiberi poteſt.

SPECVLATIVÆ etiam, non practicæ quęſtiones 15
ſunt de medicamentis, & curationibus. Etſi enim probabilis opinio ſit, medicamentum infirmo profuturum eſſe; non ideo ſequitur probabile eſſe, quòd liceat Medico tale medicamentum dubium adhibere. Quin potiùs

cùm agatur de periculo corporis, securior via eligenda est. Quare Medici & Chirurgi sequi debent sententias certas & securas, reiectis incertis ac dubijs: grauiterque peccat Medicus, si experiendi tantùm causa inexplorata medicamenta infirmo adhibeat. Quòd si certa curatio non occurrat, tenetur sectari ea, quæ probabiliora iudicat, posthabitis opinionibus minùs probabilibus. Ita docent Syl. ver. Medicus, q. 4. Nau. c. 25. num. 61. & in cap. si quis autem, d. 7. de pœnit. num. 74. Sotus de iustitia lib. 3. q. 6. a. 5. ad 4. Sanchez num. 40. Vasq. 1. 2. disp. 64. ca. 4. contra Azor to. 1. lib. 2. c. 17. q. 11. in fine. Ratio est; Quia Medici officium, & lex charitatis ita postulat, vt adhibeantur remedia, quæ ad propositum sanitatis finem magis idonea, id est profutura iudicantur.

Sed quæstio est, si nulla medicamenta suppetant, nisi dubia & periculosa, vtrum infirmo applicari possint? Respondeo, prudenter examinandum esse, hinc quidem vim & periculum morbi; illinc verò tam spem sanandi, quàm timorem ac periculum nocendi. Quare, si Medicus intelligat, certò moriturum infirmum, nisi medicamentum adhibeatur, non carens quidem periculo accelerandæ mortis; iunctum tamen cum probabili spe conferendæ sanitatis, adhibere poterit, sicuti ex Galeno refert Adrianus de sacram. Confess. q. de correct. fraterna, Corduba lib. 3. q. 5. prop. 2. reg. 2. Sanchez num. 39. Valent. t. 3. disp. 3. q. 10. p. 2. Vasq. cit. disp. 64. cap. 4. num. 22.

De iudice in causa dubia.

SVMMARIVM.

16 *Iudex sententiam ferre debet secundùm opinionem de iure probabiliorem.*

Probabilior causa censeri debet: I. cui lex assistit. II. quam loci cõsuetudo tuetur. III. quam Doctores communiter sequuntur. IV. quam firmiores rationes stabiliunt. V. si reliqua paria sint, præferenda est opinio benignior.

16 SPECVLATIVA item & non practica quæstio est de iure partium litigantium, in qua licet probabilis videtur esse causa vnius, non tamen sequitur, esse etiam probabile quòd liceat Iudici tali parti victoriam adiudicare. Nam hæc quæstio practica ex proprijs principijs satis manifestè resoluitur: videlicet, quòd Iudex iudicare tenetur secundùm sententiam, quæ inspectis allegationibus & probationibus, probabilior iurique conformior est. Ita docet Syl. ver. opinio, q. 2. Sotus lib. 3. de iust. q. 6. a. 5. ad 4. Vasq. disp. 64. c. 2. Bannes 2. 2. q. 63. a. 2. dub. 1. solut. ad 2. Nam Iudicis officium est partibus litigantibus sententiam dicere, secundùm merita causæ: est autem per se notum, eam litigantium partem, quæ causam suam in iudicio secundùm leges & rationes probabiliùs defendit, potiore iure mereri. Ergo, &c.

Cauenda igitur est doctrina Arrag. 2. 2. q. 63. a. 4. & Salonis ibid. controu. 2. conclus. 4. Med. 1. 2. q. 19. a. 6. dub. penult. ad vlt. Si circa propositam controuersiam contrariæ sint opiniones probabiles de iure, posse Iudicem relicta probabiliore, iudicare secundum alteram probabilem.

Neque etiam placet sententia Valentiæ t. 3. disp. 5. q. 7. p. 4. dub. 3. Sairi lib. 1. cap. 11. propos. 2. Sanchez lib. 1. moral. c. 9. numer. 45. Si oppositæ opiniones æquè probabiles videantur, in Iudicis arbitratu positum esse, causam adiudicare vtri parti maluerit, v. g. beneuolentiæ causâ, amico. Quis verò non videat ab æquitate alienum esse, si duo æquale ius habeant, Iudicem, quem oportet esse iuris interpretem, iustitiæque administrum, vni eorum totum adiudicare, alteri abiudicare? Accedit & iuris regula 12. in 6. *In iudicijs non est acceptio personarum habenda.*

Quæres, quid ergò agendum hoc casu Iudici erit? Respondeo, si post causæ diutiùs dilatæ accuratam discussionem, neutra litigantium pars, inspectis allegatis, de facto aut de iure, superare videantur; vel ad superiorem Iudicem causam ablegandam esse: vel arbitros partium consensu statuendos: vel compositionem suadendam, imò etiam imperandam in tali casu nimis intricato, sicuti notauit Abb. in cap. vlt. not. 4. de maior. & obed. vel denique vni dimidium, alteri alterum dimidium iuris aut rei, de qualis est, adiudicandum.

Porrò probabilior causa censeri debet I. cui lex eo loco recepta assistit. Nam *Iudex in mandatis habet, vt secundùm leges iudicet*, l. nemo, C. de sentent. & interloc. c. 1. de constitut. & c. in istis, d. 4. Adde, si à litigatoribus, eorúmve aduocatis minùs dictum fuerit, Iudicem supplere ac proferre posse, quod sciat legibus ac iuri publico conuenire, iuxta tit. C. Vt, quæ desunt Aduocatis, &c. iuncta Glos. & annotauit Ab. in c. Raynutius, num. 11. de testam. Vbi ait, *Vbicunque aliquod ius ex deductis in iudicium cõpetit parti, licet pars ignoret, potest & debet Iudex ex officio supplere, cùm ipsi notorium sit*: quicquid hac in re repugnet Vasq. cit. c. 2. Illa tamen, quæ ad factum pertinent, proferre Iudex non debet, nisi quorum publicam notitiam ex actis vel instrumentis, accepit, qua de re vide eundem Ab. in c. bonæ, num. 9. de postul. Prælat.

II. Quam loci consuetudo tuetur, iuxta l. 1. C. quæ sit longa consuetudo: Nam in dubio, *Optima est legum interpres consuetudo*, l. si de interpretatione, ff. de legibus & notat. Abb. in cit. c. 1. n. 14. de constit.

III. Quam Doctores eo causarum genere periti communiter sequuntur. Porrò communis opinio non ex opinantium numero æstimanda est: cùm fieri soleat, vt vnius ductum plures eodem tramite, nulla noua ratione moti, velut aues auem, oues ouem sequantur: nisi etiam alij in nullius verba iurati, & ex professo quæstionem tractantes, bonis rationibus eandem sententiam confirment, sicuti notauit Nau. c. 27. n. 286 & seqq.

IV. Quam firmiorum rationum momenta stabiliunt: imò si ratio efficax sententiam minùs communem stabiliat, interdum communiori licitè præfertur, iuxta dictum Nau. c. 12. n. 10 Quòd à communi sententia recedendum non est, nisi in contrarium textus sit expressus, vel ratio efficax.

De Aduocato.

SVMMARIVM.

17 *Aduocatus causæ probabilis patrocinium licitè suscipit, etsi contrariam probabiliorem iudicet.*

18 *Aduocatus contra iustitiam peccat, obligationemque damni cõpensandi contrahit, si causæ iniustæ patrocinium suscipiat: vel si à patrocinando non desistat, cùm primùm iniustam esse deprehendit.*

19 *Aduocatus, qui probabili ignorantiâ facti laborans, causæ iniquæ patrocinium suscepit: postea errore detecto, salarium nihilominus petere potest. Sed parti aduersariæ patrocinium in eadem causa præstare non expedit: & plerumque licitum non est.*

20 *Aduocatus, itemque Iudex & Consiliarij, si intellexerunt quòd pars altera litigantium iniquam causam foueat, non possunt esse autores transactionis.*

QVÆRITVR, an quod suprà de iudice dictum est, similiter de Aduocato sentiendum sit? Respondeo, 17 Nequaquam: Quia Aduocati officium non est definire, seu ius dicere inter partes contendentes; sed parti vni litigantium assistere, & patrocinium adferre: consequenter, si Aduocatus causam clientuli non manifestè iniquam, sed probabilem iudicet; licitè eius patrociniũ suscipit, etsi, causam aduersariam probabiliorem, & faciliùs obtinendam arbitretur. Ita Sotus lib. 5. de iust. q. 8. a. 3. Syl. ver. Aduocatus, q. 10. Nau. c. 25. num. 28. Sa ver. Aduocatus, num. 1. Sairus lib. 1. c. 11. num. 17. Vasq. disp. 64. c. 1. Sanchez num. 51. 52. Less. lib. 2. cap. 31. dub. 9. num. 52. Nam quotiescunque causa dubia seu controuersa est, permittitur parti litem cum aduersario contestari; atque propositis iuribus ac rationibus suis, Iudicis dirimentis sententiam postulare. *Potest* autem *quis per alium, quod potest facere per seipsum*, reg. 68 in 6. Nam ideo iura Aduocatum permittunt, vt sit veluti vicarius partis litigantis.

Cæterùm

18 Cæterùm Aduocatus causam dubiam suscipiens, ad aliqua obligatus est. Primum: Vt ante omnia diligenter inspiciat causæ sibi propositæ æquitatem; vel probabilitatem: & si iniustam esse comperiat, nullo modo eius patrocinium suscipiat, multò minùs partem ad litigandum inducat, alioquin tanquam concausa ad compensationem damni parti læsæ obligatus erit, sicuti docet S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. & q. 71. a. 3. in corp. Quamobrem à Confessario absolui non possunt Aduocati, qui parati sunt cuiuis patrocinari, seu iustam, seu iniustam causam habeat litigandi. Secundum: Vt post diligentem totius causæ considerationem syncerè aperiat clienti, quantam probabilitatem vel spem victoriæ obtinendæ habeat. Alioquin, si falsa promissione, aut spe inani victoriæ clientem detineat, & sumptibus frustra faciendis inuoluat, ad compensationem damni ei obligatur, sicuti ex communi Less. lib. 2. cap. 31. dub. 8. Tertium: Vt Aduocatus, qui causæ dubiæ patrocinium suscepit, paratus sit, quàm primùm absistere, & clienti significare, si in progressu litis eius iniquitatem manifestè deprehenderit, sicuti tradit S. Thom. 2. 2. q. 71. a. 3. ad 2. Quòd si hoc ipsi graue futurum est, ideo à principio cauere debet, ne causas dubias facilè suscipiat, quibus parua spes victoriæ subest: præsertim si Iudices eo loco in contrariam partem hactenus iudicare soliti fuerunt. Vide Ioan. Maiorem in 4. d. 15. quæst. 28. §. Quintò infertur. Gabr. q. 6. a. 2.

19 His adde I. Si bona fide & probabili ignorantia ductus causæ patrocinium Aduocatus suscepit, & postea ex noua causa, v. g. propter instrumentum repertum, vel clienti confessionem, causæ iniquitatem deprehendit; salarium nihilominus peti posse: secus, si ob imperitiam causæ iniquitatem non cognouit, sicuti docet Syl. ver. Aduocatus, q. 22. Armilla num. 18. arg. l. Prætor, ff. de vacat. & excusat. munerum.

Adde II. Quamuis, absolutè loquendo, talis deprehendens iniquitatem causæ, quam defendendam suscepit, possit, ea derelicta, parti aduersariæ operam præstare: dummodo secreta, quę cum expresso vel tacito reticendi pacto accepit, non aperiat: tamen plerumque id scandalo non caret, ideoque dissuadendum, nec à Magistratu permittendum, sicut notat Prosper Farinac, lib. 1, tit. 1. praxis criminal. q. 4. num. 16. & videri potest Gutierez lib. 1. pract. qq. q. 30.

20 Adde III. Quòd peccet Aduocatus, sicut & Iudex vel Consiliarii, si intellecto quòd pars vna litigantium causam iniquam habeat, auctores sunt transactionis faciendę, cum alterius partis damno: quando quidem transactio solùm in causa dubia interuenire debet: idque colligitur ex S. Tho. cit. q. 71. a. 3. ad 2. & docet Less. cit. dub. 8. n. 49.

De iure dubio proprietatis.

SVMMARIVM.

21 *Si bonæ fidei possessori superueniat dubium, num res sua sit, & post diligentem veritatis inquisitionem nihil certi cognoscere possit, licitè eam retinet: imò & absumit: & qui tali possessori in dubio rem aufert, peccat, ac restituere debet.*

22 *Qui ab initio dubius fuit, ideóque non bona fide possessionem rei nactus: debet eam restituere, saltem secundùm proportionem dubii iuris, quod alter in re illa habere videtur.*

21 PRÆTEREA speculatiua, non practica quæstio censeri debet, quę est de iure proprietatis, videlicet vtrum res mea sit, siue ad me pertinens, nec ne. Nam esto probabilis sit opinio ad me pertinentem esse; non ideo statim consequens est, quòd liceat eam à possessore auferre, vel possessam absumere. Sed hæ quæstiones practicæ ex proprijs principijs moralibus resolui debent, vt mox explicabo. I. Si bona fide rem aliquam possidenti superueniat dubium, vtrum aliena sit & restitutioni obnoxia; tenetur is veritatem diligenter inquirere, atque interea rem conseruare, sin verò diligenter inquirendo veritatem deprehendere, atque speculatiuum dubium deponere non possit; practicè certus est, quòd liceat sibi rem retinere, vel etiam alienare, aut absumere. Sed etsi postea alienam fuisse demonstretur, non ampliùs tamen obligatur, quàm inde locupletior factus est. Ita ex communi Couar. regula possessor, p. 2. §. 7. num. 5. & reg. peccatum, p. 3. princ. num. 4. Syl. ver. restitut. 3. q. 7. dicto 3. Vasq. disp. 66. c. 7. Medina C. de restitut. q. 17. §. corollariè sequitur non esse indistinctè verum, Molin. to. 1. tr. 2. disp. 35. & 36. Sanchez lib. 2 de matrim. disp. 41. n. 12. Suarez t. 5. disp. 40. s. 5. num. 14. *Nam in pari causa possessor potior haberi debet*, reg. 170. ff. siue, *In pari delicto, vel causa potior est conditio possidentis*, reg. 65. in 6. Ex quo sequitur, si quis in tali dubio à bonæ fidei possessore rem sine Iudicis autoritate auferat, iniustum ei damnum inferre, & ad integram rei restitutionem obligari, sicuti notauit Nau. c. 17. num. 117. Sanchez cit. disp. 41. num. 26. contra Medin. C. de restit. q. 20. §. Secundum, quia presupponunt. Adde, tametsi bonæ fidei possessor speculatiuè probabilius iudicet, rem ad alterum pertinentem esse: dum tamen moralem certitudinem non habet, ad nullam restitutionem obligari, quæ est sententia Molinæ t. 1. tr. 2. disput 163. Vera crux p. 3. speculi, a. 13. in fine, Vasq. 1. 2. disp. 66. c. 7. num. 42. Sanchez lib. 1. moral. c. 10. num. 9. Non enim tenetur aliquis iure possessionis suæ seipsum ante omnem iudicis sententiam priuare, nisi constet rem ad alterum pertinere, sicuti sentit etiam S. August. in lib. de fide & operibus, c. 7. relatus in c. si virgo, 34. q. 1. *Bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei possessor perhibebitur.* Dum verò res incerta est, seu partium iura obscura sunt interim, ordinariè loquendo, est præsumptio pro possessore, ex iuris dispositione, sicuti constat ex §. retinendæ, Instit. de interdictis. Quæ etiam doctrina ex cõmuni bonorum virorum praxi confirmatur: Si enim aliquis rem bona fide hactenus vt suam possedit: & alius eã restitui petat, tanquam ad se pertinentem: solet possessor si post veritatis inquisitionem ipsi certò non constat ad alterum pertinere, iudicium experiri: & antè non restituere, quàm à Iudice, cognitâ causâ, condemnetur. Si tamen partes in hoc casu Iudicem non habeant, videtur compositione res transigenda, si pars altera exigat, vt infrà dicam num. 25.

II. Si quis ab initio mala fide possedit, quia rem à persona de furtis suspecta emit, vel dono accepit: & post diligentem veritatis inquisitionem cognoscere non potest vtrum aliena sit, debet restitutionem facere, secundùm proportionem dubij iuris, quod alius in re habere videtur. 22
Ita docet Salon 2. 2. q. 61. tract. de dominio, in fine. Molina t. 3. tr. 2. disp. 723. num. 3. Rebellus p. 1. de obligat. iust. lib. 2. q. 5. num. 7. Sanchez cit. disp. 41. num. 24. Qui enim rem aliquam accipit, dubitans vtrum accipiendi ius habeat, is non bonæ, sed malę fidei possessor est: igitur perseuerante hoc dubio, possessio illi suffragari non debet. Quia tamen certus non est, rem ad alterum pertinere, & consequenter dubium in ea ius habet, ex titulo v. g. emptionis, vel donationis comparatum: ideo non obligatus ad restituendum, nisi secundùm dubij proportionem. Cæterũ interdum fieri potest, vt tametsi aliquis dubitet, num venditor rei venditæ dominus sit, nihilominus iustè illius possessionem capere, ac retinere possit: Primò, si intelligat venditorem bona fide rem alienâsse, quia post diligentem inquisitionem non poterat deprehendere esse alienam, sicuti notauit Mol. to. 1. tr. 2. disp. 36. conclus. 1. & 3. Sanchez cit. disp. 41. n. 28. Etenim in hoc casu emptor succedit in iure pristini possessoris. Secundò, si quis rẽ, quam suspicatur furtiuam esse, emit, vel dono accipit, cũ proposito eam domino reddendi, tanquam eius negotiũ vtiliter gesturus, sicuti notat Couar. reg. peccatum, p. 3. princ. n. 4. Med. C. de restitut. q. 10. §. aliter tamen videtur. Sanchez num. 29. Quare, si postea rei dominus appareat, non debet possessor plus restituere, quàm possi-

det, aut loculetior factus est, sicuti docet Molin. to. 3. tract. 2. disput. 723. num. 4.

De dubio valoris Matrimonij.

SVMMARIVM.

23 *Dubitans de matrimonij contrahendi valore, quia v. g. certũ nuntium de morte coniugis non accepit, abstinere cogitur: sin autem contrahat stante tali dubio, coniugij debitum petere non potest: sed alteri bona fide contrahenti reddere tenetur.*

24 *Si post matrimonium bona fide contractum superuenit dubium de illius valore: idque post diligentem veritatis indagationẽ depelli non potest, licitum est debitum petere, reddere autem necessarium.*

Qui defectum matrimonii, quamuis bona fide contracti, manifesto deprehendit, omnino abstinere cogitur à reddendo & petendo.

23 SIMILI ratione dicendum est; Si dubium de matrimonij valore, ob latentis impedimenti suspicionem, antecedat, omninò ab eo contrahendo abstinendum esse sicuti docet Vera crux 3. p. speculi, a. 15. in fine, Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 42. Henriq. lib. 11. c. 15. num. 13. Idque partim ob fauorem sacramenti, ne inualidè administretur: partim ob illud principium; *Mala fide contractum iniri, possessionemque inchoari ab eo, qui initio dubitat, num cõtrahendi, possessionem capiendi ius habeat.* Quare qui ita mala ac dubia fide contraxit, dum dubium perseuerat, debitum coniugij petere non potest; licet alteri bona fide petenti reddere teneatur: qui est casus c. Dominus, de secundis nuptijs, & docet Sánchez l. c. concl. 1. Syl. ver. matrimon. 4. qu. 9. in fine, Vera crux. 3. p. spec. art. 18. concl. 6.

24 Sin verò post matrimonium bona fide contractum, superueniat dubium de illius valore, licitum est coniugii debitum petere. Nam *dubium superueniens bonæ fidei possessori obesse non debet.* Ita ex communiore Sanchez lib. 2. disp. 41. q. 4. num. 45. & colligitur ex S. August. lib. de fide & operibus c. 7. quod refertur causa 34. q. 1. c. si virgo. &c. 1. Vt lite pendente, vbi habetur, quòd *accusatus* (de matrimonij defectu) *ante probatam accusationem, iure quod habet in altero, priuari non potest.*

Imò stante tali dubio theorico, coniugi debitum petenti coniunx reddere tenetur: quia nemo priuatus alterum sui iuris possessione priuare potest, ob dubias, etiam probabiles; non tamen certas rationes, sicut notat Sanchez disp. 44. num. 4. & habetur in c. inquisitioni, de sent. excom. & apud S. Th. in 4. d. 41. q. vn. a. 5. question. 1. ad 3. Quare neque hîc periculum est fornicationis formalis seu peccaminosæ: cùm, esto matrimonium re ipsa irritũ sit, tamen probabilis ignorantia in bonæ fidei possessore à peccato excuset. Si tamen matrimonij defectus manifestò alicui exploratus sit, potiùs excommunicationis sẽtentiam sustinere deberet, quàm fornicationis peccatum, seu petendo seu reddendo putatitię vxori, admitere, sicuti constat ex cit. c. inquisitioni, & videri potest Sanchez l. 2. disp. 39. conclus. 1. Quod verò in eod. illo c. dicitur, si credulitas probabilis, & discreta, quamuis non manifesta, animum pulsat, debitum quidem reddi posse; sed non postulari, id non eodem modo. Doctores intelligunt. Nã S. Tho. l. c. S. Anton. p. 3. tit. 1. cap. 3. §. 2. Syl. ver. matrim. 8. quæst. 3. dicto. 5. Pet. Ledesma de matrim. q. 45. a. 1. dub. 2. ad 3. arg. 1. sent. aiunt, quòd dubitans de iure suo, si post diligentem inquisitionem, magis propendeat in eam partem, sibi ius non assistere; desinat esse bonæ fidei possessor: quam sententiam cum pluribus à se citatis tenuit Sanchez l. 2. de matrim. disp. 41. n. 19. Sed Vera crux p. 3. specul. a. 13. in fine, Sanchez l. 1. moral. c. 10. num 9. priorem sententiam suam retractans, docent, bonæ fidei possessorem iure suo nequaquam excidere, priusquàm certò vel quasi certò deprehendat, sibi ius non competere. Iuxta quam sententiam, quam suprà ipse secutus sum, duobus modis responderi debet ad c. inquisitioni: Primò dubitantem in casu eius capit. non adhibuisse diligentiam cognoscendæ veritatis: constat autem, dum dubitans veritatem inquirit, iure possessionis suæ vti non posse: exceptovnico casu, si vsus matrimonij dubij ad experimentum capiendum necessarius sit, iuxta decisionem c. laudabilem, de frigid. & malefic. in quo dicitur, si suspicio incidat inter coniuges de naturali perpetua impotentia, eaque probari non possit; triennij spatio cohabitandum ipsis esse, experiendi causâ. Secundò & faciliùs responderi potest; Eum, cui Papa in illo capit. respondit, ab initio mala fide contraxisse matrimonium; quia videlicet dubitabat, vel dubitare debebat de eius valore: vt proinde casus similis sit c. Dominus, de secundis nuptijs; vbi respondetur, Dubitantem de valore matrimonij, quod contraxerat, nondum habita certitudine coniugis prioris præmortuæ, debitum interim à coniuge sua exigere non posse.

De iure belli in causa dubia.

SVMMARIVM.

25 *Exorto inter Principes dubio de iure proprietatis, potior est causa possessoris bona fidei. Sin longè probabilius iudicetur ad alterum rem pertinere, tunc possessor in transactionem, vel bonorum virorum arbitrium consentire debet: alioquin bellum consentire debet: alioquin bellum contra eum geri potest, si partes contendentes iudicem superiorem non habeant.*

26 *Si neuter contendentium rem bona fide possideat, tunc alter alterum cogere potest, vt per arbitros, vel iustam diuisionem, transactionemve, controuersiam componi patiatur.*

27 *Per accidens, videlicet ob ignorationem, fieri potest, vt bellum ex vtraque parte formaliter iustum sit.*

28 *Qui in aliquo regno subditi sunt, si de aliqua re contendant, debent stare sententia Regis, vel Procerum regni: ideoque ordinariè inter tales iustum bellum geri non potest.*

DENIQVE doctrina suprà tradita etiam in materia belli ostendi solet, vt videre est apud Victor. relect. 25 de iure belli à nu. 27. Molinam to. 1. tract. 2. disp. 103. Becanum 2. 2. c. 25. q. 8. Vasq. disp. 64. cap. 3. Atque in primis supponendum, exortâ controuersiâ inter principes, vel Respubl. quæ superiorem nullum agnoscunt, de iure regni, prouinciæ ciuitatis, &c. oportere ante omnia rationes, seposito affectu, diligenter ac prudenter expendi, & vtrinque audiri; instituto conuentu, v. g. in confinijs regnorum, & missis eò viris rerum peritis: Neque fas esse bellum instituere, si res aliter discuti, ac iustè cõponi possit. *Nam bellare necessitatis, non voluntatis esse debet*, ait S. August. Epist. 207. relatus in c. noli, 23. q. 1. ob ingentia damna & incommoda, quæ coniuncta, vel inde prouenientia esse solent. Ea verò discussione facta, si dubium maneat de iure siue proprietate; refert, vtrum altera pars rem bona fide hactenus possederit, nec ne. Nam *superueniens dubium non nocet bonæ fidei possessori*: neque cogi potest ad rem restituendam, priusquam manifestum fiat alienam esse. Quare hoc casu bello locus non est: vel si instituatur, possessor tanquam vim passus se defendere; imò etiam illatam iniuriam vindicare poterit, sicuti rectè ostendit Victoria relect. de Indis num. 27. Monent tamen hoc loco Molina & Becanus ll. cc. Si vna pars absq; prauo affectu iudicet rem ad se pertinere; possessor verò dubitet quidem, attamen etiam eò propendeat, quòd res alieni iuris sit; tunc in conscientia obligatum esse, (si id sine grauiore incommodo fieri possit) vt saltem in trãsactionem, vel bonorum virorum arbitrium consentiat: sin verò id facere detrectet, posse contra eum bellum moueri. Cùm enim neuter litigantium, vt suppono, superiorem agnoscat; ideoque vterque in propria causa iudex esse debeat; si actor existimet rem ad se pertinere, idq; ius suum alia via consequi non possit; restat, vt bello exigendi potestatem habeat, nisi aliter alter satisfacere velit. Alia verò ratio est, si possessor dubius de iure proprietatis, superiorem iudicem habeat; tunc enim restituere nihil tenetur, antequam à iudice suo condemnetur dummodo actor impeditus non sit, quo minùs, si velit, iudicio

cio contendere possit; possessor etiam iustæ sententiæ Superioris sui stare paratus sit.

26 Sin autem neuter contendentium rem bona fide possideat; tunc vnus alterum cogere potest, vt vel mutuo cōsensu arbitri constituantur, vel res inter partes per transactionem diuidatur, proportione ubi iuris, quod cuique competere videtur. Quòd si iustæ huic petitioni alter satisfacere renuat, iam iniustus esse incipit, ideóque bello peti potest.

27 Accidit tamen interdum, vt artes post exactam causæ discussionem, iudicio discrepent: & vna quidem arbitretur, certò ac liquidò rem sibi debitam esse: altera verò vel contrarium sibi persuadeat, videl. nihil omnino iuris aduersario competere; vel saltem ius dubium esse, vt non integra res aduersario debeatur; quam tamen sibi deberi existimat. Quo casu alteram quidem partem necesse est decipi: si tamen error inuincibilis sit, & non ex prauo affectu ortus; quandoque fieri poterit, vt bellum ex vtraque parte formaliter iustum existat, nimirum per accidens, siue propter ignorationem.

28 Porrò, si duo contendentes de re aliqua Superiorem agnoscant, ordinariè bello locus non erit, cùm iudicio lis definiri possit, vt dicam in materia de bello. Similiter si, mortuo Rege, plures ex eodem regno, vel Repub. de iure regni disceptent; ad ipsam Remp. (quippe quæ singulis suis membris superior est) spectabit, litem dirimere, sicuti notârunt Vasq. Mol. Becanus ll. cc. Quemadmodum etiam schismatis tempore, ad Ecclesiam, siue Prælatos Ecclesiarum Episcopos pertinet iudicare, an & quis contendentium legitimus Pontifex existat. Et hæc locum habent, siue personaliter aliquis regni subditus sit, siue ratione territorij, quod in regno iam possidet: orta enim controuersia de iure talis territorij, debet possessor stare iudicio Regis aut regni: nisi vel lata sententia manifestò iniqua sit; vel ab initio rationem iustam afferat, cur iudices ipsi suspecti sint; ideóque arbitros dari postulet. Si tamen Princeps externus, & nullo modo subditus regno putet deberi sibi possessionem alicuius territorij, illudque iniustè à Rege vel regno negari, non video, qua ratione vel Rex, vel proceres regni possint esse iudices in hac controuersia; ita, vt aliter qui nullo modo adhuc subditus est, eorum iudicio stare teneatur; licet contrarium doceat Vasq. l. c.

§. IV.

De dubio & quæstione facti.

SVMMARIVM.

29 *Dubium facti potiùs est speculatiuum; & non propriè practicum.*

30 *Factum in dubio ordinariè non præsumitur.*

31 *In dubio an aliquis votū ediderit, aut homini promiserit, non debet censeri obligatus. Sin verò constet promissionem factam esse: sed dubitetur, an ei satisfactum, stat præsumptio pro obligatione.*

Si probabilius sit, ideoque opinetur aliquis, se votum executum esse, aut canonicæ orationis pensum persoluisse: videtur esse immunis obligatione.

32 *In dubio non præsumitur aliquid actum: sin autem constet actum esse, præsumptio est pro valore eius.*

33 *Qui dubitat, vtrum annum XXI. ætatis compleuerit, non tenetur ieiunare.*

34 *Si dubium sit, vtrum pubes fuerit adolescens cùm votum edidit, à patre vel tutore cassari potest.*

35 *Dubitans vtrum XXV. ætatis annum attigerit, à sacro Presbyteratus ordine interim abstinere debet.*

36 *Dubitans an dies ieiunii transacta, seu noctis medium sit, non potest carnibus vesci. Dubitans verò, vtrum sequens ieiunii dies cœpta sit, pergere potest vescendo, donec certior fiat. Et quòd talis non obstante illo dubio, postera die licitè sacrificet aut communicet, non est improbabile.*

37 *Qui dubitat vtrum peccatum mortale confessus fuerit, debet illud confiteri. Dubitans an peccauerit mortaliter, debet sub dubio confiteri.*

38 *In dubio, vtram excommunicatio aliave censura contracta sit benignior pars præferenda. Sin verò constet censuram contractam esse, in dubio non præsumitur absolutionem datam fuisse.*

39 *In dubio iuris nemo censeri debet irregularis: sed neque in dubio facti, excepta irregularitate ex homicidio iniusto.*

40 *Qui rationabiliter opinatur, quamuis non sine formidine oppositi, se hominem non occidisse, mortaliter non peccasse, aut peccatum confessum esse, practicè securus esse potest.*

41 *Puer Baptismum petens, de quo dubitatur, an vsum rationis habeat, baptizari debet reluctantibus parentibus infidelibus, si periculum in mora sit: Sed & vice versa, si parens talem puerum Baptismo offerat, ipse verò reluctetur.*

42 *Interdum ex diuersis principiis pro vtraque quæstionis parte rationes probabiles occurrunt, vt discerni non possit, quarum maius momentum sit.*

DVBIVM aut quæstio facti dicitur, quæ est circa facti aut cuiuscunque operis naturam, conditionem, 29 aut modum. Vt cùm dubitatur, aut quæritur, an puer rationis vsum adeptus sit: vtrum ætatem septennii compleuerit, vbi imprimis diligenter notandum; talem quæstionem de facto speculatiuam potiùs esse, quàm practicam: quia per eam directè non quæritur, vtrum operatio aliqua licita & honesta sic nec ne: quare tametsi probabile sit, v. g. quòd aliquis XXIV. annos compleuerit non ideo statim sequitur, quòd liceat illi Presbyteratum accipere: sed eiusmodi quæstiones circa factum, aut qualitatem facti ex propriis principiis resolui debent.

Secundò, obseruanda est regula apud omnes recepta, quòd *factum in dubio non præsumitur, sed demonstrari debet*, 30 sicut colligitur ex l. in bello, §. factæ, ff. de captiuis, & postliminio reuersis. Cui affine est, quod dicitur in l. 2. ff. de probat. *Ei incumbit probatio qui dicit*, seu affirmat aliquid factum: *non qui negat*. Quamquam hoc ipsum limitationem patitur: Nisi præsumptio potiùs sit pro affirmante, factum aliquid fuisse. Quò pertinet altera regula apud Mascardum volum. 2. de probationibus, concl. 734. Gloss. in citato libro 2. ff. de probat. & alteram Gl. l. in contrahenda, ff. de regul. iuris: *Factum in dubio præsumitur, si illud de iure faciendum erat.* Quia magis est, vt existimemus aliquem munus suum recte obijsse; atque in eo quod egit nihil necessarium omisisse. *Delictum autem & defectus non præsumitur, sed demonstrare debet.* Exempli causa; si constet alienationem aliquam factam esse, in dubio præsumendum omnem necessariam solemnitatem adhibitam fuisse. Simili ratione, si constet hominem quippiam egisse, v. g. Deo vouisse, præsumitur deliberationem sufficientem adhibuisse: quia id naturâ inest, vt homo deliberatè agat.

Exinde varij casus resolui possunt: I. In dubio, num 31 votum Deo edideris: vel homini aliquid promiseris, non debes censeri obligatus. Si autem constet de voto edito, vel promissione, aut donatione facta: dubitetur autem, num promissio aut votum impletum sit, v. g. votiuum ieiunium persolutum: vel vtrum donatio remissa, aut qualicunque debito satisfactum sit, præsumptio stat pro obligatione. Priorem partem, quòd votum in dubio non obliget, docet Sotus lib. 7. de iust. q. 3. a. 2. Lopez p. 1. instruct. c. 45. Suar. lib. 4. de voto, c. 5. & de censur. disp. 40. s. 5. num. 15. & s. 6. num. 5. Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 42. q. 3. & lib. 10. moral. cap. 1. num. 36. Barthol. Medina in Instruct. Confessariorū, lib. 1. c. 14. §. 7. contra Sa ver. votum num. 2. Azor to. 1. lib. 2. c. 19. q. 10. Vas. disp. 65. c. 3. Nam factum in dubio non præsumitur: sed demonstrari debet: & speciatim in hoc casu vinculum, siue obligatio voti, iuramenti, promissionis astruenda non est, nisi liquidò cognoscatur, arg. l. quicquid: ff. de verb. obligat. Quare regula illa, quæ in externo foro vsurpatur, quòd *nemo soluere cogitur, antequam monstretur esse debitor*, etiam in hoc ipso animæ iudicio locum habere debet: si videlicet mens dubia sit an promiserit, eóque dubio se expedire non possit, vt libera tunc

pronuntietur. Neque est omninò improbabile, quod docet Sanchez cit. numero 6. contra Rebellum p. 2. de oblig. iust. l. 1. q. 2. s. 2. num. 10. Etiamsi magis aliquis inclinaret in eam partem, quòd vouisset dum tamen incertus manet, non obligari voto. Quemadmodum nec bonæ fidei possessor, rem de qua dubitat num sua sit, restituere cogitur, priusquam morali certitude cognoscat alienam esse, vt suprà dictum. Posterior verò pars assertionis est communis, & probatur ex suprà tradita regula. Nam executio voti, alteriúsve obligationis, sicut & remissio donationis, &c. est aliquid facti, quod in dubio non præsumitur, sicut ex communi docet Sanchez cit. lib. 1. c. 10. num. 12. Vasq. 1. 2. disp. 66. c. 7. in fine. Cæterùm si quis probabilius esse arbitretur, adeóque opinetur se votum executum fuisse, aut canonicæ orationis pensum absoluisse, arbitror eum obligatione immunem esse: eò quòd in moralibus sæpe certitudo haberi non possit: neque in talibus conscientias nimis grauare oportet.

32 II. In dubio non præsumitur actum aliquem, v. g. donationis, legati interuenisse: si autem constet tale aliquid actum, potius est vt validum, quàm vt irritum pronuntietur, secundùm Gl. receptam l. in contrahenda, ff. de regul. iuris.

III. Qui post accuratam inquisitionem dubitat, vtrum
33 expleuerit ætatis annum vicesimum primum, non est possessione libertatis spoliandus, & ieiunij necessitate adstringendus, teste Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 41. num. 38.

34 IV. Si dubium sit, num pubes fuerit adolescens, id est, XIV. ætatis annum complêrit, cùm religionem vouit, à patre vel tutore votum irritari potest. Nam hæc ætatis mutatio est quid facti quod non præsumitur, nisi probetur. Accedit, quòd in dubio superior spoliandus non sit iure & autoritate sua. Ita Sanchez num. 39.

35 V. Dubitans, vt in neutram partem assentiendo inclinet, num XXV. ætatis annum complêrit, à sacro Presbyteratus ordine interim abstinere debet: partim quia factum in dubio non præsumitur: partim propter reuerentiam sacramenti, ne contingat hominem, cum legitimæ ætatis defectu, contra sacros canones ordinari: Quam ob rem Ordinarij ab ordinandis certum ætatis testimonium exigere solent. Et ita docet Sanchez numero 41.

36 VI. Dubitans in die ieiunij, num ea transacta sit, & hora duodecima, in qua noctis mediũ sonuerit, carnibus vesci non potest, donec certior fiat. Sin autem sequẽte die ieiunium erit, pergere licet carnibus vescendo, dum rationabiliter aliquis dubitat, num hora duodecima noctis sit, vti docet Sanchez cit. disp. 41. num. 40. Sed numquid Sacerdos dubitans, an noctis medium cœnando excesserit, altera die sacrificare poterit? Negat Sanchez lo. cit. quia in tali dubio seu incertitudine tutior pars eligenda videtur, propter reuerentiam sacramenti. Sed existimo, non improbabiliter permitti posse Sacerdoti, vt in tali casu sacrificet, etiam propter deuotionem, ac nulla cogente necessitate. Quia lex Ecclesiastica de ieiunio communicaturis seruando, non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. Cessante autem obligatione legis Ecclesiasticæ, iam nulla est irreuerentia cum tali dubio communicare. Alia verò ratio est, si dubitatur de eo, quod ad substantiam sacramenti pertinens, ab Ecclesiæ voluntate non dependet. Simili modo respondetur: Si dentibus quippiam masticans dubitet an deglutiuerit, vt in neutram partem inclinare possit, quòd à sacra communione abstinere non teneatur. Quia in eiusmodi casibus fauorabilia præsumere licet, ne conscientiæ nimis astringantur.

37 VII. Si quis recordetur se peccatum mortale commisisse, dubitet vero vtrum confessus sit: ita vt nec probabiliter iudicare seu opinari possit, se præcepto, ac debito confessionis satisfecisse, is tenetur peccatum confiteri, sicuti ex communi Nau. c. 9. num. 14. Suarez t. 4. disp. 22. s. 9. num. 7. Illud verò difficiliùs est dicere, si quis post diligẽtem animi discussionem dubius maneat, vtrum mortaliter peccauerit, ita vt in neutram partem assentiendo inclinare possit: an teneatur peccatum sub dubio confiteri. Communiter Doctores affirmant: inter quos Alensis p. 4. q. 77. mem. 2. a. 5. in corp. S. Bonau. in 4. d. 17. p. 3. a. 2. q. 1. & d. 21. p. 2. a. 1. q. 2. in fine. S. Thom. ead. d. q. 2. a. 2. ad 3. Adrian. in 4. de confess. q. 4. a. 3. ver. ad tertiam confirmat. Syl. ver. confessio, num. 3. Nau. c. 9. num. 14. Suarez t. 4. disp. 22. sect. 9. num. 7. Sanchez lib. 1. moral. c. 10. num. 66. & 67. Contrarium tamen reperi apud Ægidium Coninck t. 2. de Sacram. disp. 7. dub. 8. concl. 2. *Ad hoc, vt peccatum* (loquitur de mortalibus) *tenear confiteri, requiritur, vt saltem probaliter possim iudicare, me peccasse.* Idque probari posse videtur ex Trident. sess. 14. c. 5. Vbi ad seruandam confessionis integritatem tantùm exigit, *à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, recenseri.* Accedit & ratio: Quia in dubio delictum præsumi non debet: & in nullo foro aliquis accusari debet de delicto, quod eum commisisse ita ostendi non potest, vt data indicia & coniecturæ assensum generent. Verùm non libenter recedo à communi sententia, praxi etiam ac persuasione fidelium recepta. Nam sacramentum pœnitentiæ est vindicta salutaris, sess. 14. cap. 8. Trident. id est, non tantùm in punitionem criminum, sed magis etiam ad animarum salutem institutum: atqui in hoc dubio, quo de salute animæ agitur, tutior pars amplectenda est: vt, si fortè homo spiritualiter per peccatum mortuus sit, necessaria illi medicina quæratur, quæ est contritio, & in lege noua sacramentum pœnitentiæ. quare responderi debet ad oppositam rationem: Axiomata illa locum habere in odiosis; non item in ijs, quæ adeo fauorabilia & animæ salutaria sunt. Tridentinum verò Concilium ideo de peccatis dubijs mentionem nullam fecit, quia propositum illi erat ea tantùm definire, quæ certiora sunt: reliqua scholasticis disputationibus relinquens. Sed nota hîc primò: Quòd resolutio ista non data sit pro scrupulosis: quippe quorum dubia rationabilia esse non solent, vti dicam cap. seq. Nota secundò: Quòd resolutio ista maximè locum habet, si homo de contritione sua incertus, vita excessurus sit: tunc enim committit se periculo damnationis, nisi sacramentalem Confessionem instituat, ideoque ad eam obligatur naturali charitatis lege. Sin verò seu appropinquante periculo mortis, seu in decursu vitæ alia peccata sua, quorum conscientiam habet, confiteatur tacito illo, de quo post diligentem inquisitionem dubitat an commiserit, vel an fuerit mortale; tunc probabile apparet, non incumbere eius confitendi obligationem. Non enim ex lege positiua Christi, & Ecclesiæ: quia esset nimis seuera obligatio accusandi se de ijs, quæ commisisse se ignorat. Neque ex lege naturali charitatis, propter periculum animæ: quandoquidem confitendo bona fide peccata reliqua, per accidens remittuntur etiam ea, quæ ignorantur. Verùm in hac re nihil determino, sed aliorum iudicio committo.

VIII. Dubitans; an homo ille clericus fuerit, quem 38
percussi, quamuis temerè percusserim, non sine suspicione aliqua esse clericum; si tamen postea veritatem deprehendere non possim, non debeo me excommunicatum reputare. Eademque ratio est de aliis censuris; puta, si aliquis temerè & mala fide sacrum ordinem suscepit, dubitans vtrum legitimam ætatem habeat; si tamen veritatem deprehendere non possit, censendus non est suspẽsionis censuram incurrisse: veruntamen, si necessitas nulla cogat, sacro ministerio abstinere debet, vsque dum certus sit de ætate legitima. Ratio doctrinæ est: Quia delictum opere & euentu consummatum esse, atque exinde consequens pœna in dubio præsumi non debent, sed demonstrari;

ſtrari; cùm ſint quiddam odioſum, & homo exiſtat in poſſeſſione immunitatis. Quare omnia iura clamant, reum dubium eſſe abſoluendum: vt reg. 167. ff. *Fauorabiliores rei potiùs quàm actores habentur.* Reg. 15. in 6. *Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari.* Quare ſi Iudex in externo foro neminem punire debet, ſed abſoluere; ſi delictum, ob quod iuris pœna decreta eſt, ſufficienter cognitum non ſit: multò minùs in conſcientiæ foro aliquis ſe ipſum condemnare, & pœnam legis in ſe exequi cogitur, abſtinendo v. g. à ſacris tanquam excommunicatus, aut ſuſpenſus, donec delictum & contracta cenſura in conſcientia perſpecta & explorata ſit: licet Doctores aliqui contrarium ſentiant inter quos Molina tr. 3. diſp. 67. num. 7. Cæterùm, ſi conſtet quempiam excommunicatum fuiſſe, dubitetur verò vtrum abſolutus ſit; idipſum probari debet, non præſumi, ſicuti notat Sanchez lib. 1. moral. c. 10. num. 57. & Abb. in cap. propoſuit, num. 4. de cleric. excom. vbi ait: *Semel excommunicatus ſemper præſumitur eſſe excommunicatus. Nam qualitas ſemel poſita, quæ ex ſolo curſu temporis non tollitur, præſumitur exiſtere, donec probetur ſublata.* argum. reg. 8. in 6. *Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus.*

Sed difficilis quæſtio eſt, an quod hactenus dixi de cenſuris, ſimiliter etiam locum habeat in dubio contractæ irregularitatis? De qua re diuerſæ ſunt Doctorum ſententiæ. Nam Henriq. l. 14. c. 3. n. 3. & 4. & c. 14. n. 3. vniuerſim negat, aliquem in dubio æquali ſiue iuris, ſiue facti, irregularem cenſendum eſſe in conſcientiæ foro, quãuis aliter in foro externo præſumatur. Idque probabile eſſe fatetur Suarez cit. diſp. 40. ſ. 6. n. 10. Rebellus p. 2. l. 1. q. 2. ſ. 2.

Altera ſententia omnino oppoſita eſt Syl. ver. homicidium 3. q. 1. reg. 1. Maioli l. 1. de irreg. c. 2. reg. 7. Nau. c. 27. n. 193. Abbatis c. audientiam, n. 3. de homic. qui diſtinguunt inter forum externum & internum: in illo putant non eſſe irregularitatem decernendam. Nam vbi dubitatur de culpa, non eſt inferenda pœna: *Satius enim eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem condemnare*, dicitur in l. abſentem, ff. de pœnis. In foro autem interno cenſent dubitantem irregularem eſſe: quia in dubio tutior pars eligenda eſt, iuxta c. ſignificaſti, 2. de homic.

Tertia ſententia eſt Cou. in Clem. p. 1. n. 3. in princ. Mol. tr. 3. diſp. 33. mem. 7. & diſp. 67. n. 6. & 7. qui nihil diſtinguentes inter forum externum & internum, diſtinguunt tamen inter dubium iuris, & dubium facti: in illo negant aliquem irregularem eſſe cenſendum: in hoc vniuerſim affirmant.

Quarta ſententia eſt Vaſq. diſp. 65. c. 3. & diſ. 66. cap. 1. Azorij t. 1. l. 2. c. 19. q. 10. qui arbitrantur in vtroque foro ſiue dubium facti ſit, ſiue iuris irregularitatem præſumendam eſſe.

39 Mihi placet ſequi ſententiam Suarezij cit. diſp. 40. ſ. 5. & 6. Sanchez. l. 1. moral. c. 10. n. 42. & ſeqq. Auilæ p. 7. de cenſ. diſp. 2. dub. 5. quæ in his pronuntiatis conſiſtit. I. In dubio iuris, tam in foro externo quàm interno, nemo irregularis cenſendus eſt. Probatur ex c. is qui, de ſent. excom. in 6. vbi ad irregularitatem ob aliquod crimen incurrendam requiritur, vt in iure expreſſum ſit: cùm autem ius dubium & controuerſum eſt ſatis expreſſum non eſt: ergo in dubio iuris non incurritur irregularitas; nec alia pœna, vel obligatio.

II. In dubio commiſſi homicidij dubitans irregularis cenſeri debet, tam in foro externo, quàm interno. Ita habetur in c. ad audientiam, c. ſignificaſti, & c. penult. de homic. Eſtque communis Doctorum ſententia, quæ fundari debet in conſtitutione Pontificum, qui ob periculũ ſpecialis indecentiæ, ſi fortè poſtea innoteſcat, homicidã ad ſacrum altaris miniſterium acceſſiſſe, in tali dubio abſtinendum eſſe decreuerunt: quod ſignificatum videtur in cit. c. ſignificaſti: *Si diſcerni non poſſit, ex cuius ictu percuſſus interiit, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi: cũ in hoc caſu ceſſare ſit tutius, quàm temere celebrare.* Nota, quod ait, *In hoc dubio, in hoc caſu.*

III. In alijs dubijs facti, præter homicidium, nemo, ſeu in externo ſeu interno foro, irregularis cenſendus eſt: v. g. qui dubitat vtrum legitimè natus ſit nec ne, poteſt legitimus cenſeri & ſacros ordines accipere. Qui dubitat vtrũ vxor vnica acceſſerit virgo, poteſt ita præſumere, & clericus fieri. Probatur: Non eſt ſtatuẽda irregularitas, præterquam in caſibus à iure expreſſis; c. is qui, de ſent. exc. in 6. Sed vt in dubio facti aliquis irregularis cenſeatur, de ſolo caſu homicidij voluntarij expreſsũ eſt; ob ſpecialem eius, vt dixi, deformitatem in ordine ad ſacrum altaris miniſterium. Ergo non debet extendi ad alios caſus iure non expreſſos: Sed ſtandum eſt iure communi tam canonico, quàm ciuili; *In dubio neminem condemnandum, in pœnis benigniorem interpretationem faciendum, &c.* Quapropter ſpecialis illa deciſio, vt in dubio homicidij irregularitas præſumatur, extendenda etiam non eſt ad dubium mutilationis: quia mutilatio propriè non eſt homicidiũ. Et ita docet San. ci. c. 10. n. 49. Deinde extendi non debet ad dubiũ homicidij iuſti, v. g. in bello cõmiſſi; quia Pontifices loquũtur de caſu homicidij prohibiti: odia autem & pœnæ reſtringendæ potiùs, quàm extendendæ ſunt. Quæ eſt doctrina Henriq. l. 14. c. 3. n. 4. lit. x. Sanch. n. 50.

Fateor tamen, contrariam ſententiam, quæ in ordine tertia erat, nõ carere etiã probabilitate; eò quod in alijs quoque dubijs contractarũ irregularitatũ, irreuerentiæ periculũ ſubeſſe videatur; ne contingat, v. g. illegitimũ, bigamũ, mutilatorẽ, &c. ſacros ordines ſuſcipere, & altari miniſtrare. Nihilominus opinio, quam defendi in praxi tuta eſt. Quare reſpondetur ad hanc obiectionem; irregularitatem, & indignitatem ad ſacros ordines & altaris miniſteriũ eſſe ſolùm ex lege eccleſiaſtica & poſitiua: hæc autem cùm odioſa & pœnalis ſit, non obligat in caſu dubio: quare ceſſat tunc omnis irreuerentiæ periculum.

Ad extremum pro pleniore intellectu, duo obſeruanda 40
eſſe duxi: Primum, quòd reſolutiones huius §. quàm maximè procedant, ſi propriè dictum dubium exiſtat, vt in neutram partem inclinando intellectus opinari poſſit. Quòd ſi verò aliquis probabiliter opinetur, verumque iudicet (quamuis non ſine formidine aliqua oppoſiti) ſe, v. g. ad ordines ſuſcipiendos requiſitam ętatem habere; poterit practicũ iudiciũ prudenter formare; In tali caſu, quo ob humanę naturæ imbecillitatem maior certitudo haberi non poteſt, ſatis eſſe ſequi veriſſimiliora. Idemque dicendum eſt in alijs caſibus, puta ſi probabiliter opineris te hominẽ non occidiſſe; te mortaliter nõ peccaſſe, vel peccatũ confeſsũ fuiſſe; ſicuti docet Suarez cit. diſ. 22. ſ. 9. Quamuis ſi agatur de valore ſacramenti, præſertim neceſſarij, vel de periculo impudicitiæ, vt in dubio de impotẽtia mulieris: maior probabilitas, vel ſaltem maior operandi neceſſitas requiritur ad hoc, vt cum rationabili formidine partis oppoſitæ operari liceat

Alterum, quòd nõ infrequenter accidat, vt ob diuerſas 41
factorum circũſtantias, diuerſæ & quaſi oppoſitæ morales regulæ occurrant: vt tunc exactè conſiderandum ſit, cuius maior præ alijs ratio haberi debeat. Exẽplũ eſt: Si puer, de quo, examinatis indicijs, dubitatur: vtrũ vsũ rationis adeptus ſit, ſacramentum baptiſmatis petat, reluctãtibus parẽtibus infidelibus, tali caſu baptizandũ non eſſe, exiſtimat Henr. l. 2. c. 25. n. 3. Quia in dubio potior ſit conditio patris hactenus habentis filiũ in poteſtate ſua. Sed contrariũ magis placet, baptizandũ puerũ eſſe, ſi cõmodè expectari non poſſit, donec certiùs appareat de rationis vſu. Quia in dubio inclinandũ eſt in fauorẽ fidei, religionis, & animæ ſalutis: cũ maior ſit hæc iniuria, maiúſque detrimentũ: ſi puero, qui fortè cũ rationis diſcretione ſacramentũ petit, illud denegetur, quàm æſtimari debeat iniuria & damnũ patris ſi puer fortè necdũ rationis diſcretionẽ conſecutus, ab eius voluntate ac poteſtate abſtrahatur. Atque ita docent Sot. in 4. d. 5. a. 10. §. ſed alterum dubium eſt. Suar. in 3. p. diſp. 25. de baptiſmo ſ. 3. Vaſq. in 3. p. t. 2. diſ. 155.

Similis difficultas est, si parentes puerum baptismo spōte offerant; ille autem reluctetur, & consideratis indicijs dubium maneat de discretione rationis. Nam ex vna parte videtur non baptizandus; propter reuerentiam sacramenti, ne fortè inualidè administretur, quod docuit Suarez cit. f.3. in fine. Ex altera verò parte videtur baptizandus: quia in dubio pro salute animæ pronuntiandum. Et hæc pars præualere debet, si periculum in mora sit, sicuti bene tradunt Sotus & Vasq. ll.cc. Quia minùs æstimari debet periculum illud, ne baptismus puero reluctanti inualidè conferatur; saltem sub conditione. *Si capax es*, &c. vt euitetur maius periculum damnationis æternæ, quod puero imminere supponimus, nisi tunc baptizetur. *Cùm sacramentum*, inquit Vasq. *institutum sit in hominum salutem, maior habenda est ratio spiritualis necessitatis fratris, quàm reuerentiæ sacramenti.*

42 Interdum verò in vtramque partem quæstionis ex diuersis principijs probabiles rationes occurrunt, vt discernere aliquis non possit quarum rationum maius momentum censeri debeat. Exempli causa, si in vtramque partem æquale rationabile dubium sit; vtrum pecuniarum debitor illas soluerit nec ne; quæstio est, an hoc casu ad integram solutionem teneatur? Ita probabiliter affirmat Sanch. l.1. moral. c.10. n.12. Tū quia factum in dubio nō præsumitur: tū quia creditor iure & actione sua, quã semel eum habuisse constat, in dubio priuari non debet. In oppositã verò partem offert se ratio itidem probabilis; quòd debitor non teneatur ad solutionem integram; sed tantùm ad partem debiti, secundùm dubij proportionem: Quia æquitas non patitur, vt debitor sine culpa sua magno periculo subijciatur bis soluendi integrum debitum; creditor autem, qui & ipse, vt pono, tale dubium non diffitetur, nullo periculo expositus sit. Profectò in hoc casu neque creditorem condemnarem, si integram solutionem reciperet; neque debitorem, si integram solutionem facere omitteret: idque ob diuersas probabiles, quibus vtraque pars nititur, rationes.

CAP. VI.

De Conscientia scrupulosa.

SVMMARIVM.

1 *Scrupulus est vana apprehensio, & hinc ortus timor, peccatum alicubi esse vbi non est.*

2 *Contra scrupulos operari licitum: atque consultum est. Scrupulorum plura remedia sunt.*

1 SCRVPVLI definitio hæc est, quòd sit inani ratione nixa apprehensio, & hinc ortus timor, peccatum alicubi esse vbi non est. Dicitur *scrupulus*, quia animo insidens, molestiam & anxietatem parit. Originem plerumque trahit ex naturæ infirmitate, pusillanimitate, ac melancholia: interdum ex Dæmonis tentatione, teste S. Anton. p.1. tit. 3. c.10. §. 9. Nauar. c.27. man. n.282.

Indicium hominis scrupulis impliciti est, si contra sapientium, imò etiam proprium iudicium, tale quippiam agere peccatum non esse; nihilominus inquietus sit, timens ne fortè peccet, aut peccârit. Quamobrem scrupulosi plerumque in aliena causa iudicare solent sine formidine, hominemque absoluere à peccato: at verò si idem casus ipsis eueniat, statim formidare incipiunt peccatum inesse.

Remedia contra scrupulos à Doctoribus afferuntur:

2 I. Scrupulosus contra vanas apprehensiones, ac timores peccati audacter operetur: ex certa conscientia, licitum consultum, & quandoque necessarium esse contra scrupulum operari. Ita Gerson operum p.2. tr. de præp. ad Missam, consid. 6. S. Ant. p.1. t.3. c.10. §.10. Cord. l. Quæst. q. 5. prop. 4. Syl. ver. scrupulus, q. 3. Nau. l. c. Nam scrupulus non est conscientia, vel dictamen intellectus iudicantis, contra quod agere numquam licitum est: sed vana vt dixi, apprehensio, cui intellectus iudicatiuus ipsaque voluntas resistere potest, ac debet, sicuti notat Nau. in man. c. 27. nū. 279. & lib. 5. consil. 10. num. 8. de pœnit. & remiss. edit. 2. vbi ait, quòd scrupulus sit apparentia quædam, quæ haberi potest contra iudicium seu credulitatem de aliqua re.

II. Numquam iudicet esse peccatum mortale, vel se consensisse in peccatum mortale, nisi id certò deprehendat Ita Vasq. disp. 67. c. 2. Azor to. 1. l.2. c.20. q. vlt. Sanch l. 1. moral. c.10. n. 82.

III. Ea solùm confiteatur, quæ manifestò peccata esse cognouerit: non dubia, aut scrupulos. Ita docent Azor, Vasq. Sanch. ll. cc.

IV. Confessarium non de quibuscunque dubijs consultat; sed sæpe proprijs rationibus, ac regulis, à Confessario præscriptis, vtatur ad pellendos scrupulos. Ita Vasq. l.c. & Mol. tr.4. disp. 13. in fine, vbi ait, quòd Confessarius scrupuloso interdum præcipere debeat, vt de eiusmodi re neque cum ipso, neque cum alio vnquam loquatur; sed tanquam inane ac futile quid omnino contēnat: Interdum verò, si aliam materiam præter scrupulos ad confessionem non afferat, sine absolutione eum ad S. Eucharistiam dimittere, consultum erit.

V. Cùm primùm animo scrupulus exoritur, prudente aliqua ratione reijciat, nec cogitatione foueat. Cùm enim in apprehensione consistat, quantò diutiùs in vtramque partem adhibitis rationibus vertitur; tantò magis animo imprimitur & confirmatur, vt maiore deinde opera opus sit ad repellendum. Quamobrem expedit scrupulosum negotijs insistere, ne scrupulis vacandi tempus suppetat. Ita Caiet. ver. scrupulorum medicina.

VI. Confessiones non repetat: sed postquam semel, vel Confessarij iudicio, vel suo saltem probabili, integrè cōfessus fuisse visus est, acquiescat. Ita Nau. in c. fratres, n.30. d.5. de pœn. & in man. c.21. n.42. Med. q.19. a.6. in fine. Sa. ver. dubium, n.5. Henr. l.5. c.3. n 4. Neque verò propterea exponit se periculo: tum quia dubium in conscientia scrupulosi apud alios esset moralis certitudo: tum quia, esto aliqua confessus non fuisset, non teneretur cum tanto suo damno, & periculo hærendi perpetuò in tali anxietate, omnimodam Confessionis integritatem procurare; cùm ab ea minores interdum difficultates excusent, sicut bene notat Ægydius Coninck 2.2. p.2. disp. 7. n.68.

VII. Persuadeat sibi, quòd vnusquisque iudicio vel cōsilio Confessarij, alteriúsue viri docti ac probi tutò acquiescere possit; & verò scrupulosus debeat: videl. ob damna quæ scrupuloso impendent, si remedia & consilia respuat. Ita 8. Ant. cit. §.10. reg.5. Cord. cit. prop.4. Valent. to. 2. dis. 2. q. 14. p. 4. in fine. Nau. l.5. consil. 2. de pœnit. & remiss. edit. 2. vbi monet n.4. Postquam vnius eiusmodi viri responsum accepit scrupulosus, quòd alios consulere nō debeat; ne animum assuescat ad anxietates inutiles diutiùs fouendas.

VIII. Quòd aliorum bonorum virorum vita & consuetudo alijs possit esse viuendi regula: Quare quod illi absque peccati formidine agunt, vel agi posse arbitrantur, scrupulosus sequi potest; imò etiam interdum debet. Ita S. Ant. reg. 7. doct. 4. Syl. q. 4. Conradus de contract. q. vlt. circa 1. obiect.

IX. Nosse, quòd præcepta, præsertim affirmatiua & positiua, v.g. de ieiunijs, horis canonicis, excommunicationibus, irregularitatibus, &c. non secundùm rigorem, sed secundùm Epikeian intelligenda sint. Ita Syl. Ant. & alij ll.cc.

X. *Sentire de Domino in bonitate, & simplicitate cordis.* Sap. 1. Neque existimare, legis latorem tam rigidum ac durū, vt bonæ voluntatis hominibus peccata adscribat pœnámve decernat: Neque Deum aut Ecclesiam suis præceptis efficere velle, vt homo in stultitiam cadat, quod scrupuloso denique contingit. Ita S. Ant. Syl. ll. cc.

Ob-

Obijcere solent scrupulosi primò illud S. Gregorij ad Augustinum Anglorum Episc. quod refertur c. 4. d. 5. *Bonarum mentium est ibi etiam culpas agnoscere, vbi culpa nō est.* Nauar. ex Ioan. Gersone respondet n. 284. esse quidem hoc signum animi ad bonitatem propensi, per se tamen bonum non esse, sed scientiæ atque iudici j defectum. Respondeo secundò, S. Gregorium nomen culpæ latiùs accipere, pro quouis defectu, quem in se ipso homo agnoscere ac deplorare potest. Proposita enim ibi erat quæstio; vtrum mulier, dum menstrua patitur, ad Ecclesiam & S. Communionis mysterium accedere possit? Ad quod respondet: *Si ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est: sed si percipiat, non iudicanda. Bonarum quippe mentium est, ibi etiam aliquo modo culpas suas agnoscere, vbi culpa non est: quia sæpe sine culpa agitur, quod venit ex culpa. Vnde etiā cùm esurimus sine culpa comedimus: quibus ex culpa primi hominis factū est, vt esuriremus.*

Secundò: Si nunc morti proximus essem, non auderem cum hoc scrupulo excedere. Respondet Syl. quæst. 3. *In illo articulo multa faceret homo, quæ tamen necesse non est, nec expedit facere in vita: quia homo tandem desperaret, vel fatuus fieret.* Secundò respondet Sanchez num. 81. Etiam in illo articulo consultius scrupuloso fore, vt scrupulos contemnat. Vtraque responsio vera est.

TRACTATVS SECVNDVS. DE ACTIBVS HVMANIS VOLVNTARIIS, ET INVOLVNTARIIS.

CAP. I.

De Spontaneo & Voluntario.

SVMMARIVM.

1 *Ad operationem spontaneam requiritur, vt ab intrinseco principio procedat, & agens cognoscat quod agitur.*
Spontaneum definitur, cuius principium est in agente, cognoscente singula.
2 *Spontaneo contradictoriè opponitur non spontaneum: contrariè inuitum: quare omne inuitum est non voluntarium: sed non vice versa.*



D operationem spontaneam, quæ in agente intellectuali *voluntaria* dicitur, duo requiruntur: I. Vt ab intrinseco principio procedat; non ab extrinseco. Quare si ab extrinseco mouearis, traharis; tu autem per intrinsecum animæ principium ad motionem, tractionem nihil conferas: non erit hæc motio tibi voluntaria & spontanea, de quo vide S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 4. II. Vt quod agitur ab agente cognoscatur. Nā cognitio est præuium quid siue prærequisitum, quippe proponens obiectum, in quod omnis appetitio siue voluntas feratur, teste S. Thom. q. 9. a. 1. Quare dici solet; quòd *voluntas non fertur in incognitum.* Ideo, licet lapis à principio intrinseco, videl. congenita grauitate, deorsum feratur, quia tamen lationem suam non cognoscit, ea lapidi voluntaria non est; sed tantùm naturalis.

Ex quo intelligitur definitio spontanei tradita ab Arist. 3. Ethic. c. 1. & explicata à S. Damasc. l. 2. de fide, cap. 24. S. Thom. q. 6. a. 1. & 2. Spontaneum est, *cuius principium est in agente cognoscente singula.* Nomine singulorum (græcè ἕκαστα) intelliguntur ea omnia, ex quibus substantia actionis, tanquam obiecto suo, dependet; Exempli causa, si Titius patrem suum ense occidit; vt homicidium istud spontaneum, seu voluntarium ei sit, imprimis necesse est, vt manus eius non ab alio impellatur, ipso nihil conferente, deinde requiritur, vt sciat esse hominem & non inuincibiliter arbitretur esse feram; sciat quoque esse ensem, quo vtitur, eumque idoneum ad cædendum; & nō inculpatè existimet esse arundinem. Porrò, vt homicidium hoc, etiam quà parricidium, voluntarium existat, necesse insuper est, vt patrem suum esse cognoscat, quem cædit, & non inuincibiliter, atque inculpatè existimet esse alium hominem. Cùm enim actio parricidii suapte natura versetur circa parentem, tanquam proprium substantiale obiectum, cognitione propositum; ideò si hoc obiectum non cognoscat, seu nullam de patre cogitationem suscipiat, impossibile est, vt parricidium operanti volūtarium existat. Lege S. Thomam 1. 2. quæstione 76. artic. 3. Vasq. 1. 2. disp. 30. cap. 2. Cou. c. alma. p. 1. §. 10. n. 12. & seqq.

2 Spontaneo contradictoriè opponitur non spontaneum; & voluntario nō voluntarium: contrariè verò spontaneo opponitur inuitum; & voluntario inuoluntarium. Differt autem inuitum à non spontaneo; & inuoluntarium à non voluntario, imprimis subiecto: quia inuitum, sicut & spontaneum, solis cognoscentibus substantijs tribuitur; inuoluntarium autem, sicuti & voluntarium, si propriè loquendum sit, solis substantijs intellectualibus: quia cōtraria circa idem subiectum versantur. At verò non spontaneum, & non voluntarium, rebus non cognoscentibus maximè competunt.

Secundò, differunt latitudine prædicationis: Omne enim inuitum est non spontaneum; sicut & omne inuoluntarium est non voluntarium; sed non vice versa: siquidem ex contrario rectè infertur contradictorium, *Est nigrum, ergo non album.* Non item ex contradictorio infertur contrarium, *Est non album, ergo nigrum.* Confirmatur declaratur ampliùs; sola & nuda ignorantia facit actionem esse non voluntariam: veluti si hominem occidisti inuincibiliter ratus esse feram, sponte siue volens homicidium non cōmisisti. Non tamen sola ignorantia facit actionem esse inuoluntariam: sed requiritur etiam repugnātia voluntatis, vt dicaris inuoluntariè & inuitus agere, teste Arist. l. c. Quapropter infrà dicam, si inimicum, quem maximè occisum à te esse cupis, per inuincibilem errorem in venatione occidas pro ferâ, homicidium nec voluntarium, nec inuoluntarium tibi esse.

CAP. II.

De Libero.

SVMMARIVM.

1 *Intentio est motus rationalis appetitus in finem, per media assequendum.*
2 *Deliberatio rationis oritur ex indifferentia rerum intellectui in hac vita propositarum.*

1 *Voluntas liberè eligit, vel respuit id, quod intellectus, facta consultatione, iudicauit.*
4 *Duplex est libertas: Vna secundùm exercitium: altera secundùm specificationem.*
5 *Libero contradictoriè opponitur non liberum: contrariè autem necessarium naturæ.*
6 *Sola voluntas formaliter libera est à necessitate naturæ, intellectus autem est radix libertatis.*
7 *Illæ hominis actiones propriè humanæ dicuntur, quæ propter finem fiunt ex deliberatione rationis.*
8 *Actus humani partim sunt eliciti à voluntate: partim imperati.*
9 *Intellectus per se, & secluso actu voluntatis, non est capax peccati, aut meriti: similiter nec appetitus sensitiuus.*
10 *Primus actus intellectus in quouis negotio non est propriè humanus seu moralis; sed naturalis: adeoque peccati aut meriti incapax.*
11 *Actus intellectus & actus voluntatis sunt inter se partim priores; partim posteriores.*
12 *Licet intellectus in actibus suis per se liber non sit; multùm tamen pendet à libera motione voluntatis.*

1 PLVRES definitiones liberi, seu actiones liberæ afferri solent: Prima, Libera actio dicitur, *quæ post intentionem finis, & deliberationem rationis ex electione est.* Explicatur secundùm singulas particulas. *Intentio* est motus rationalis appetitus in finem per media assequendum, cuiusmodi actio inter animalia soli homini competit. Nam solus ipse in bono cognito percipit ordinem, ac proportionem ad media; bonum, inquam, acquiri posse per media: in qua proportione formalis ratio finis consistit. Bonum enim & finis idem sunt, teste Aristot. in 2. phys. Sed bonum absolutè dicitur; finis cum relatione ad media. Nam finis est, qui propter se appetitur, & cuius gratiâ cætera, velut media, appetuntur. Bruta autem animalia, etsi bonum suum, adeóque finem materialiter cognoscunt; non tamen formaliter. Cùm enim intellectu & discursu careât non possunt percipere proportionem siue ordinem vnius, tanquam viæ, medij; ad alterum tanquam terminũ & finem: quare neque actionibus suis finem intendunt. Exempli causa: Aranea non priùs intendit siue proponit naturam conseruare, famem sedare, ob id muscas capere, atque idcirco telam texere; sed naturæ à Deo inditæ æstimatione, ac instinctu ad texendum, velut impetu, impellitur: quare non ipsa, propriè loquendo propter finem agit, sed potius à Deo agitur in finem ab ipso constitutum. Qua de re S. Th. 1. 2. q. 12. a. 5. & q. 13. a. 2.

2 *Deliberatio rationis* oritur ex rerum huius mundi indifferentia, in eo consistente, quod nullum particulare obiectum homini in hac vita appareat omni ex parte bonum atque conueniens, hîc & nunc necessariò appetendum, si fœlix esse velit: sed in quauis re particulari, tametsi intellectus reperiat aliquam rationem bonitatis & conuenientiæ, propter quam expetenda videatur: videl. in obiectis virtutum honestatem; in obiectis vitiorum voluptatem, vel aliquam vtilitatem: in eisdem tamen reperit quoque rationem inconuenientiæ: in illis quidem difficultatem ac molestiam: in his turpitudinem ac reatum. Quamobrem humana ratio inter se confert, hinc apparẽtes rationes conuenientiæ: illinc oppositas rationes inconuenientiæ, & sic deliberat: ac denique concludit siue iudicat; dicitúrque talis processus intellectus, *deliberatio* & consilium: quare dicere solemus, hominem deliberatò, consultò egisse. At brutorum animalium æstimatiua facultas vnam solam conuenientiam boni sensibilis, videl. delectabile, siue commodum naturæ; nullam autem rationem honestatis percipit: quare in ipsis nulla deliberatio atque consilium locum habet: sed necessarius impulsus, siue determinatio potentiæ ad id prosequendum, quod delectabile vel naturæ commodum apparet: & refugiendum id, quod molestum vel incommodum apparet. Vide S. Damasc. lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 22. & S. Th. q. 13. cit. a. 2.

3 Postquam verò intellectus facta consultatione, conclusit; siue practicè iudicauit aliquid agendum esse, tanquã magis conueniens ad propositum finem, in potestate siue arbitrio voluntatis est, idipsum velle & acceptare, adeóque intellectui per electionem consentire, imò etiam contrarium velle: si tamen priùs voluntas intellectum applicet ad oppositas rationes ponderandum &, secundũ eas contrarium illud iudicandum. Quamdiu autem intellectus vnum ex propositis melius, aptiúsque ad finem intentum iudicat: arbitror impossibile esse, vt rationalis voluntas oppositum eius eligat: esset enim talis electio sine rationis iudicio, quod fieri nequit.

Altera est definitio, non absimilis priori: Libera actio dicitur, *quæ positis omnibus ad agendum requisitis, ita fit, vt posit non fieri, vel eius oppositum fieri*, siue: *Liberum arbitrium est, intellectualis substantiæ potestas, positis omnibus ad agendum requisitis, agendi & non agendi, vel oppositum agendi.*

Duplex enim libertas est voluntatis: *Vna secundùm exercitium*, quę dici solet *libertas contradictionis*: & est potestas siue indifferentia ad agendum, & non agendum. Qualem libertatem homo in hac vita circa omnia obiecta habet: quandoquidem nullum obiectum est, cuius prosecutio adeo necessaria videri debet ad obtinendam felicitatẽ (quæ est meta siue finis omnis humanæ appetitionis) vt omissio actus circa idem obiectum, non etiam aliquam rationem boni habere possit. Nam ipsam quoque beatitudinem tum in communi, tum in re particulari constitutam, nec libet, nec expedit omni tempore expetere. De hac vita loquor: nam in altera beati continuò & necessariò amant Deum: quia nulla ratio se offerre potest cur Deus clarè visus, & voluntati tanquam summum bonum indesinenter propositus, non ametur. 4

Altera est libertas, quæ dici solet *specificationis*, siue *contrarietatis*: & est potestas siue indifferentia tùm hanc, tum contrariam actionem circa idem obiectum exercendi: v. g. circa fidei diuinæ propositionem, assensum ac dissensum: circa Deum; amorem & odium. Cuiusmodi libertatem homo in hac vita circa omnia bona particularia habet: non item circa bonum & malum siue felicitatem ac miseriam in communi, sicuti docet S. Th. 1. 2. q. 10. a. 2. Prior pars probatur: Quia nullum est particulare obiectum, quod intellectui in hac vita adeo bonum appareat, vt non etiam in eo reperire possit aliquam rationem malitię siue inconuenientiæ, comparatione ipsius appetentis hoc loco, tempore, &c. Siquidem ipsum quoque Deum optimum homo apprehendere potest, tanquam punitorem sui: eáque ratione ipsum odisse: neque vllum obiectum adeò vndequaque malum apparet, vt non etiam in eo reperire possit aliquam rationem bonitatis siue conuenientiæ. Nam omne malum fundatum est in aliquo ente, quod suapte natura bonum est, vt alicui conueniens videri possit. Quin & ipsa priuatio siue carentia boni particularis, v. g. mors propria vel aliena, ob certam causam, puta quia à maiore malo liberat, quia inimicum hominem tollit: bona & appetenda iudicari potest, non quidem per se, sed per accidens. Posterior pars probatur. Adæquatum siue totale obiectum voluntatis volentis est bonum: *Nemo enim ad malum intendens operatur*, teste S. Dionysio capite 4. de diuinibus nominibus. Et *nemo sponte est miser.* Adęquatum verò obiectum voluntatis nolentis est malum. Atqui in bono siue felicitate vniuersim abstractéue considerata, non reperitur aliqua ratio mali: neque in malo siue miseria vniuersim abstractéue considerata, reperitur aliqua ratio boni. Ergo voluntas odisse non potest felicitatem: neque amare miseriam in communi.

Libero contradictoriè opponitur *non liberum*: contrariè *necessarium.* Sed aduerte, sicut duplex est necessitas: vna legis præcipientis, siue prohibentis, quæ non est simpliciter dicta necessitas: sed ex hypothesi, si culpæ reatum ac pœnam declinare velis. Altera est necessitas naturæ, & propriè dicta: sic homo sumpto v. g. cibo non potest non nutriri: si oculi aperiantur, non potest non videre pro- 5

propositum obiectum. Ita duplex etiam libertas est; vna ab obligatione siue necessitate legis: qua ratione libera opera dicuntur, quæ sub præceptum non cadunt, vt Cælibatus, Religionis professio: de quibus hîc non agimus. Altera est libertas à necessitate naturæ: qua ratione libera opera dicuntur ea omnia, quæ non naturæ impetu, sed ex deliberatione rationis, & electione voluntatis fiunt: alióque nomine appellantur *actiones morales*: quia pertinent ad mores, quibus laudem vel vituperationem meremur: prœmio vel pœna digni sumus: Atque de his ex instituto agimus.

6 Nunc aliquę doctrinę subijciendæ sunt. Prima: Sola voluntas formaliter est libera à necessitate naturæ, iuxta illud Apost. 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem suæ voluntatis.* Et Eccles. c. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata & præcepta: si volueris mandata seruare, conseruabunt te, &c. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Intellectus autem est radix, seu scaturigo libertatis, quando voluntati obiectum proponit cum variarum rationum oppositione, & quadam indifferentia, vt suprà explicatum. Intellectus autem ipse formaliter non est liber à necessitate: quin potiùs necessariò immutatur, ac determinatur ab obiecto apprehenso. Idque tum quoad exercitium; (quia sicuti potentia visiua, positis omnibus ad videndum requisitis, non potest cohibere visionem; ita & intellectus, positis omnibus requisitis ad apprehendendum, vel iudicandum, non potest non apprehendere, aut non iudicare) tum etiã quoad specificationem actus. Nam imprimis intellectus apprehensiuus tales res apprehendit, quales ipsi à sensibus proponuntur: intellectus autem iudicatiuus ita propositionibus assentitur certò, aut opinatiuè; vel dissentit; vel denique nec assentit, nec dissentit, sed dubius manet; sicuti ipsi illarum veritas, aut falsitas per argumenta proponitur, vel non proponitur. Quamuis in ijs, quæ per se ipsi euidentia non sunt, pendeat à liberæ voluntatis pondere ac motione vt infrà dicam in 4. coroll.

7 Altera doctrina: Illæ solum hominis actiones propriè humanæ, siue hominis propriæ dicuntur, quæ propter finem ex deliberatione rationis fiunt, seu quarum homo per liberam electionem dominus est, vti docet S. Thom. 1. 2. q. 1. a. 1. & 3. p. q. 18. a. 4. Aliæ verò operationes, quas homo ex naturæ necessitate exercet; non propriè humanæ, sed naturales appellantur; & earundem comparatione homo agens naturale, non morale dicitur, puta cùm dormit, nutritur, crescit; vel proposito sibi obiecto, videt, cogitat; aut sine præcedente deliberatione, expuit, cutem fricat.

8 Tertia doctrina: Actus propriè humani seu liberi diuiduntur in elicitos, ac imperatos. Actus eliciti dicuntur, qui à libera voluntate immediatè eliciuntur: quorum alij versantur circa finem; & sunt tres, secundùm S. Th. 1. 2. q. 8. videlicet Simplex voluntas seu complacentia boni, intentio seu propositum boni acquirendi, & fruitio seu gaudium in bono acquisito. Alij verò versantur circa media; videlicet consensus, electio, & vsus: Vbi nota, eundem actum voluntatis esse consensum & electionem: sed dicitur *electio* in ordine ad medium, quod voluntas præ alijs, quæ in consultatione intellectus fuerunt, eligit: & *consensus*, in ordine ad intellectum, quatenus voluntas id ipsum vult, quod intellectus agendum iudicat: quamuis, si vnum tantùm medium ab intellectu propositum sit ad finis consecutionem, tunc illius approbatio consensus est, sed electio dici non potest. Vsus verò est actus, quo volũtas applicat alias potentias ad executionem medij ab ipsa acceptati. Etenim cùm opus, quod intellectus, conformiter ad propositum finem, agendum iudicauit, & voluntas acceptauit, executioni mandandum est, tunc volũtas, reliquarum sibi subiectarum potentiarum domina ac motrix, aliam operationem elicit, per quam executrix potentia, siue ea interior sit, vt intellectus, memoria: siue exterior, vt oculus, manus, pes, &c. ad operandum applicetur: qui voluntatis actus applicans & mouens aliam potentiam ad operandum, dicitur *vsus actiuus*. Vide S. Th. q. 9. a. 1. & q. 16. a. 1. Quare etiam intelligitur quinam dicantur actus à voluntate imperati: sunt enim actus aliarum potentiarum, videlicet intellectus, appetitus sẽsitiui, & externorum membrorum, quæ voluntatis motionem suscipere solent. Adde: Ipsam etiam voluntatem quodammodo sibi ipsi in actibus suis imperare posse: quà ratione dicunt Theologi, quòd vna virtus, v. g. charitas, vel pœnitentia imperet actus aliarum virtutum: quando voluntas ex motiuo vnius virtutis, elicit actum alterius virtutis, v. g. ex amore Dei pauperis miseretur.

Corollarium I. Intellectus per se, & secluso actu voluntatis, non est capax peccati, aut meriti. Nam ad peccandum (sicuti & ad merendum) requiritur libertas à necessitate naturę: atqui intellectus per se, & secluso actu voluntatis mouentis, non est liber à necessitate naturæ. Ergo in actus intellectus, secluso actu voluntatis, non cadit ratio peccati. Et quod dico de actibus intellectus, dicendum etiam est de actibus appetitus sensitiui: eos liberos non esse: ideoque peccata esse non posse, nisi fiant ex liberæ voluntatis motione. 9

Corollarium II. Primus actus intellectus, seu prima cogitatio in quouis negotio non est propriè humana ac moralis, sed naturalis. Nam libertas, seu moralitas non est sine actu voluntatis: sed primus actus intellectus, seu prima cogitatio in quouis negotio est sine omni actu voluntatis: cùm enim voluntas non possit ferri in incognitũ & consequẽter omnem actum voluntatis necessariò præcedat actus intellectus; ne in infinitum abeamus, necesse est fateri, aliquem esse actum intellectus, qui volitus non sit, ideóque nec liber aut moralis, sed planè naturalis, peccati & meriti incapax. Ad eiusmodi autem primam cogitationem homo à Deo immediatè potest moueri; ordinariè tamen vel per sensus exteriores excitatur; quia visui, auditui, &c. aliquid subitò occurrit: vel sine exteriorum sensuum actuali operatione, imaginatio naturaliter concitatur, & species intellectui proponit: interdum verò ab Angelo bono: vel malo species imaginatiuæ commouentur. Vide S. August. lib. 3. de lib. arbitrio c. 25. S. Th. 1. p. q. 27. a. 4. Vasq. 1. 2. disp. 3. 8. c. 3. 10

Corollarium III. Actus intellectus, & actus voluntatis sunt inter se partim priores, partim posteriores. Primus enim omnium est apprehensio finis, seu actus intellectus proponentis obiectum voluntati, vt bonum hominis sequitur amor, & intentio voluntatis exinde mouetur intellectus ad inquirẽdum media, & consultandum de ijs, ac denique iudicandum, quodnam conuenientius sit ad obtinendum finem: succedit his liber consensus, seu electio voluntatis amplectentis medium: post consensum in tempore executionis faciendæ, intellectus practicè iudicat medium à voluntate approbatum, membris exterioribus exequendum esse, qui actus imperium dici solet, procedens elicitiuè ab intellectu, ex electione voluntatis; cùm sit intimatio quædam, facta inferiori membro de executione volũtatis. Denique cum hoc ipso practicè practico iudicio, seu imperio intellectus consentiens voluntas, re ipsa mouet & applicat potentiam ad executionem: quę applicatio vsus appellatur, siue passiuè accipiatur. 11

Corollarium IV. Licet intellectus in actibus suis per 12
se ipsum liber non sit; tamẽn multùm pendet à libera motione voluntatis: tum quia voluntas intellectum applicat ad hoc vel aliud obiectum, has vel alias oppositas rationes seu argumenta consideranda: tùm etiam propter sympathiam, quę est inter voluntatem & intellectum, vt ad quod obiectum affectus voluntatis inclinatur illud ipsum etiam melius magisque appetendum intellectui appareat.

CAP. III.

Quotuplex sit voluntarium seu liberum.

SVMMARIVM.

1 *Voluntarium substantiæ intellectualis vel est necessarium, vel liberum. Voluntarium liberum diuiditur primò in elicitum & imperatum.*

2 *Secundò diuiditur in id, quod est à voluntate propria: & quod est voluntarium voluntate aliena.*

3 *Tertiò diuiditur in voluntarium expressum, ac tacitum.*

Qui tacet consentire videtur: si agitur de eius commodo: secus si de incommodo.

Tacens consentire censetur, si consentire nolens contradicere deberet.

Scientia & patientia Prælati consensum iudicat.

4 *Quartò diuiditur in voluntarium actu, & voluntarium virtute.*

Dormiens vel phreneticus valide baptizatur, si ante Baptismum desiderauit. non item validè baptizat.

5 *Quintò diuiditur in id, quod directè ac per se voluntarium est, & quod indirectè siue in alio.*

Si homo voluntariè exercet actionem, ex qua prouidet secuturum effectum, etsi eum directè non intendat: tamen indirectè voluntarius censetur.

Homicidium in ebrietate commissum non est peccatum secundùm se: sed interdum antecedentis peccati effectus.

6 *Qui ex inueterata consuetudine, quasi necessario impetu naturæ, blasphemias v.g. effundit: licet tunc non peccet, peccauit tamen antè, cùm animaduertit sibi per frequentes blasphemias consuetudinem ingenerari: quam proinde amouere tenetur, quatenus potest: alioquin materiales illæ blasphemiæ imputantur.*

7 *Si quis secuturum effectum impedire non velit, quem potest ac debet impedire, indirectè voluntarius ei censetur.*

8 *Talis qui consultò prætermittit, contra eam virtutem peccat, ex cuius præcepto impedire obligatus est.*

1 IMPRIMIS notandum; Voluntarium tripliciter accipi; Primò latissimè, vt idem sit quod spontaneum, & omnibus substantijs cognoscentibus, etiam brutis animantibus competat, iuxta ea, quæ docet S. Thom. q. 6. a. 2. Vasq. disp. 23. c. 2. Secundò, magis propriè & vsitatiùs, pro eo quod à voluntate seu intellectualis substantiæ appetitu est: Cuius voluntarij duo sunt modi: vel enim est voluntarium necessarium, vel liberum. Primo modo beati in cœlo volũtariè, sed necessariò amant Deũ: infantes, item ebrij & amẽtes volũtate sua necessariò ferũtur in obiectum sub ratione alicuius boni propositum: imò etiam in alijs hominibus voluntas necessariò appetit obiectum quod intellectus non indifferenter; sed cum determinatione seu vni sola ratione boni ostensum proponit, vt infrà dicam. Posteriore verò modo, seu liberè voluntarium dicitur, quod est ex deliberatione rationis. eáque est tertia & strictissima acceptio voluntarij, valde vsitata apud Patres, & scriptores Theologos. Ita enim S. Augustinus, lib. de vera relig. c. 14. *Vsque adeo peccatum voluntarium est malum, vt nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium.* Et in lib. de duabus animabus, cap. 11. *Si liberum non sit, non est voluntas*: quo sensu etiam nos deinceps vocem *voluntatis* ac *voluntarii* accipiemus, videlicet pro libero.

Igitur voluntarium ita acceptum diuiditur primò, Quòd aliud est voluntarium formaliter & elicitiuè; videlicet actus ipsius voluntatis cum rationis deliberatione eliciti; aliud verò est voluntarium imperatum; videl. actus intellectus & aliarum potentiarum, quæ voluntatis motioni parent.

2 Secundò diuiditur in id, quod voluntarium est voluntate propria; & quod voluntarium voluntate aliena. Hoc posteriore modo voluntas patris censetur voluntas filij impuberis: voluntas tutoris censetur voluntas pupilli: Prælati voluntas, Religiosi; voluntas primi parentis Adami, posterorum.

Tertiò, Diuiditur voluntarium in expressum ac tacitũ.
Expressum dicitur, quod verborum, aut alijs signis ex instituto significatur: Tacitum verò, quod sine verbis, &c. 3
facto aliquo aut omissione facti; vnde, consideratis circumstantijs, consensus voluntatis meritò colligi possit. Ad hoc spectat iuris reg. 43. in 6. *Qui tacet consentire videtur.* Quæ tamen regula vniuersim vera non est: quia taciturnitas secundùm se neque consensum, neque dissensum significat: nisi alijs adminiculis seu coniecturis adiuuetur, sicuti optimè declarantur in reg. 44. in 6. *Qui tacet non fatetur: sed nec vtique negare videtur* siquidem taciturnitas medium quid est inter asseuerationem ac negationem. Ideo Gl. in reg. 44. Abb. c. nonne. num. 1. de præsumpt. Syl. ver. consensus, q. 1. & 3. Ioseph Mascardus vol. 1. de probat. conclus. 417. Sanchez lib. 1. de matrim. disput. 5. num. 5. & disp. 6. num. 11. ex varijs circunstantijs coniecturas tradere conantur, quibus tacentis consensus, vel dissensus cognosci aut præsumi possit, secundùm prudentis viri arbitrium. Prima: Tacens consentire censetur, si agatur de eius fauore, aut commodo: non item si agatur de eius incommodo seu præiudicio. Corollarium. Si, aliquo tibi promittente, donante, &c. taceas, nec contradicas: censeris acceptare. Item si aliquis pro te præsente, nec contradicente fide iubeat: censeris mandare & ratũ habere, iuxta l. si remunerandi, §. si passus, ff. mandati, vbi rubrica Bartoli: *Qui patitur aliquid fieri, quod ad sui commodum spectat, mandare censetur.* Contrà verò, si quis rẽ sibi ab altero donari: vel puellam ad matrimonium contrahendam obligare cupiat: illa verò taceat, non censetur hoc ipso consensum præbere: quia agitur de eius obligatione, nisi consensum facto aliquo vel positiuo nutu significet: vt si post rogationem, vel tractatum sponsaliorum, annulum à spondente, vel manum ipsius accipiat: censetur ipso facto consentire, & sponsionem illius acceptare, sicuti notant Syl. & Rosella ver. sponsalia, Abb. cit. c. nonne, n. 1. §. fallit hoc. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 22. Ægid. Coninck 2. 2. tom. 2. disp. 21. dub. 3. num. 28.

Secunda: Tacens consentire videtur: si consentire nolens negare vel contradicere deberet: non item si respondere, aut contradicere non teneatur. Corollarium. Reus à Iudice legitimè iussus ad ea, quæ obijciuntur respondere si taceat, fateri præsumitur, c. si post, de confess. in 6. Itẽ, sedens in concilio, capitulum, si iniquæ constitutionis, electioni non reclamet: vbi vtiliter potest: consentire iudicatur, sicuti docent Innocent. c. 1. de his quæ fiunt à maiore parte capituli, Abb. ibid. num. 3. & in c. 2. num. 9. de Simon. Quod verum est in ordine ad incurrendum peccatum & pœnam, vti ait Innoc. cit. c. 1. Non item quod attinet ad valorem electionis: quia in re graui & communitati præiudicante taciturnitas non debet haberi pro consensu, teste Abb. c. in causis, c. Cumana, de elect. Syl. ver. electio, 2. q. 12.

Tertia: Principis vel Prælati scientia & patientia consensus æstimatur, si contradicendo, absque scandalo, alteriúsve mali periculo impedire possit: non item si facilè impedire non possit. Exemplum habes in Prælato dispensandi facultate prædito, si sciat subditum suspensum vel irregularem confessiones audire, neque prohibeat: censebitur interdum hoc ipso dispensare velle; qua de re Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 35. num. 20. Suar. lib. 6. de legib. c. 10. num. 19. & 22. vbi monent, vt subditus rectè in hoc casu operetur, v.g. confessiones audiat, necessarium esse, vt ex iusta causa rationabiliter præsumat, Prælatum non tantùm scire quod agitur, sed etiam actu velle, seu contentum esse vt id agatur. Est enim generalis regula, quòd *vbi requiritur licentia ad valorem ipsius actus, sufficit tacita & præsumpta de ratihabitione præsenti: non autem futura.* At verò vbi licentia non requiritur ad valorem actus, sed tantum ad debitum ordinem, tunc sufficit probabilis spes & præsumptio ratihabitionis futuræ. Vide Sanchez cit.

cit. disp. 35. & quæ dicam hoc libro, tr. 4. c. 22. num. 8.

His adde, quod Canonistæ docent in c. nonne, de præsumpt. si quis ex duobus sibi obiectis vnum negat, alterum tacitè fateri: sin vnum fateatur, alterum tacitè negare. Idque in cit. c. probatur auctoritate Gregor. I. hom. 18. super Euang. *Duo Christo illata fuerunt* (Ioan. 8. & quòd Dæmonium haberet, & quòd Samaritanus esset) *vnum negauit, alterum tacendo consensit.* Verùm cùm hæc vera tantùm sint secundùm præsumptionem, ideo diligenter considerandæ sunt circumstantiæ, quæ tales esse possunt vt huic præsumptioni nullus locus sit.

4 Quartò diuiditur in voluntarium actu; & voluntarium virtute. de quo S. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. Vt actio virtute voluntaria dicatur, debet intio imperata fuisse ab interno actu liberæ voluntatis, eiusque imperij & motionis vi hucusque durare: quemadmodum videre est in eo, qui proposito orandi, aut sacrificandi, domo egreditur, os ad loquendum aperit; atque in his exteriorum membrorum imperatis actionibus, virtute primi propositi, contraria voluntate non reuocati, hactenus persistit. Necesse tamen est, operantem in ea animi dispositione permanere, secundùm quam operatio eius sub arbitrij potestatem cadere possit. Nam si sacerdos v. g. domo egressus sacramenti conferendi causa, postea in somnum, ebrietatem, vel amentiam incidat; & in ea dispositione verborum solemnem formulam proferat; non erit talis operatio virtute voluntaria: cùm moralis non sit, id est, non subiecta humanæ rationis potestati; sed omnino naturalis ac necessaria. De actione loquor; non de passione siue susceptione. Est enim discrimen in proposito casu, quòd in ministrante sacramentum requiritur voluntas siue propositum perseuerans saltem virtute, videlicet in exercitio siue vsu membrorum, tanquam effectu eius morali, sed in suscipiente sacramentum, etiamsi adultus sit, non requiritur voluntas siue propositum reipsa permanens actu vel virtute, siue in effectu morali? sufficit enim, si antecesserit, & contrario actu nunquam reuocata sit: tunc enim secundùm benignam interpretationem permanere censetur. Quare dormiens, v. g. vel phreneticus validè baptizatur, si antè Baptismum desiderauit: non item validè baptizat, vt supra dictum est.

5 Quintò, diuiditur in id, quod directè ac per se voluntarium est; & quod indirectè, siue in alio. Ita S. Thom. 1. 2. quæst. 77. a. 7. Voluntarium indirectum duobus potissimùm modis accidit: Primò, si homo voluntariè exerceat actionem, ex qua scit vel suspicatur consecuturum aliquem effectum; etsi eum per se ac directè non intendat, indirectè tamen ipsi voluntarius efficitur. Exemplum: si sciens te in ebrietate rixari, verberare solitum, nihilominus te inebries; percussio vel homicidium in ebrietate commissum, indirectè voluntarium censetur. Item, si tali cibo, tali corporis situ scias te pollui solitum; pollutio inde orta indirectè voluntaria iudicatur.

Circa hanc doctrinam tria aduertenda sunt: I. vt effectus ex operatione, tanquam causâ, secutus, voluntarius censeatur, necesse est, operantem aduertisse ad periculum seu probabilitatem secuturi effectus: nam si nullam de effectu cogitationem suscepit, neque in se ipso, neque in sua causa voluntarius censebitur; quippe nullo modo præuisus; sed ex naturali inaduertentia proueniens, sicuti docet Vasq. disput. 127. c. 3. & 4. Sanchez lib. 1. moral. c. 1. 6. num. 42. II. Non rarò accidit, vt effectus inordinatus ex libera actione naturaliter ac necessariò secuturus, si præuisus fuerat, voluntarius operanti censeatur; sed ad culpam ei non imputetur; quamuis imputaretur, si eiusmodi effectum voluntas directè intenderet. Exemplum est: Si intelligas ex actione honesta, quam exercere vtile aut necessarium est; delectationem carnalem in appetitu, aut pollutionem in somnis secuturam, ea tibi ad peccatum non imputatur; sed nihilominus indirectè voluntaria est: quia qui causam vult, è qua effectum naturaliter ac necessariò secuturum non ignorat, is indirectè & per accidens vult etiam effectum; quantumuis per se non intendat. III. Cùm homicidium v. g. in ebrietate, pollutio in somnis, nullo modo sit actio voluntaria & moralis in se; sed solùm in sua causa liberè volita, ex qua postea effectus ille naturaliter ac necessariò prouenit, neque ampliùs sub arbitrij potestatem cadit; consequens est, homicidium in ebrietate, pollutionem in sumno, &c. nunquam esse peccatum secundùm se; sed interdum antecedentis peccati effectum. Volo dicere, hominem non eo tempore peccare, quo ebrius occidit; cùm in ea animi dispositione moralis peccati incapax fuerit: sed priùs peccasse, etiam contra iustitiam, cùm præuiso periculo secuturi homicidij, nihilominus se inebriauit. Eademque ratio est, si quis voluntaria actione sua causam præbeat peccato omissionis; v. g. festo die summo manè se inebriet, vel somno committat, cum periculo negligendi Missam; omissio hæc erit quidem effectus peccati antecedentis; sed in se nullam malitiam, ne participatam quidem, habebit; cùm non sit moralis, sub arbitrij potestatem cadens: in quo differt talis effectus, ita naturaliter ex causa, voluntariè posita, eueniens, ab actione, quam suprà in 4. diuis. dixi virtute voluntarium; quod hæc, dum agitur, sub potestatem arbitrij cadere possit, ideoque moralitatis, seu peccati ac meriti aliquo modo capax sit: non item actio, quæ in somnis, ebrietate, aut quacunque alia ratione naturaliter ac necessariò euenit. Atque hæc est doctrina Halensis p. 2. quæst. 113. membr. 5. & 7. Henrici de. Gandauo in Quodlibeto 3. quæst. 26. Hadriani in quæst. 3. Vlteriùs videndum est, de sacrament. Eucharist. ad 7. Azor tom. 1. lib. 1. c. 7. Vasq. disput. 73. c. 9. num. 47. & disput. 94. c. 2. & 3. Suarez tom. 2. de relig. lib. 3. de iuram. c. 7. etsi aliter Valent. tom. 2. disput. 6. quæst. 1. p. 4. §. tertiò quæri solet, Becanus cap. 3. quæst. 6. conclus. 2. Angles in flor. 2. dist. 37. quæst. 2. diffic. 5. & 6. quibus fauet S. Thom. quæst. 79. a. 3. ad 3. Quamuis fortasse inter Doctores solùm sit quæstio de modo loquendi.

Hinc colligunt Suarez & Vasquez ll. cc. per se loquendo, satis esse, si in confessione dicas, te tegulam v. g. è tecto proiecisse, perspecto manifesto, vel probabili periculo hominis occidendi; neque opus esse explicare vtrum mors secuta sit nec ne: quandoquidem tunc solùm peccâsti, cùm causam mortis præbuisti; non item cùm in potestate tua ampliùs non est, tametsi maximè velis, effectum impedire; ideóque in se, & coram Deo neque maius, neque minus peccatum est, siue effectus sequatur siue non. Quæ doctrina vera est, eíque in praxi locus esse potest, si aliquis post datam causam homicidij v. g. sed ante eius euentum rite confessus est, se mortis causam præbuisse, quòd postea non teneatur iterum confiteri Sacerdoti homicidium euenisse, cùm effectus iste in voluntatis arbitrio non erat, sicuti bene docet Azor to. 1. lib. 1. c. 7. ad fin. Fateor tamen plerumque necessarium esse, vt Sacerdoti explicetur an effectus peccati, puta homicidium secutum sit: partim vt intelligi possit, quàm probabile fuerit periculum cui se operans exposuit: partim propter contractam obligationem compensandi damni, ecclesiasticæ censuræ, aut irregularitatis, &c.

Porrò quæ dicta sunt de voluntario indirecto, similiter locum etiam habent in voluntario directo & expresso: Puta, si quis tegulam è tecto proijciat directa intentione hominis occidendi; aut venenum homini ex proposito propinet; tunc solùm peccat interno & externo peccato, cùm causam mortis præbet; non item peccat, cùm mors re ipsa sequitur, independenter iam ab arbitrij potestate: quod eo etiam signo colligitur, quia fieri potest, vt eo tempore de peccato pœnituerit, & in Dei

gratia constitutus sit: impossibile autem est hominem peccare mortaliter in gratia constitutum: quamuis nihil obstet, talem hominem excommunicationem tunc incurrere propter peccatum antecedens, cuius effectus postea sequitur, sicuti notauit Vasq. disp. 73. c. 9. prope fin. Idque verum est, esto ante secutum effectum, v. g. Presbytericidij hominem pœnituerit peccati: licet enim mors postea secuta non imputetur ampliùs ad peccatum; est tamen effectus peccati, per quem pœna iuris consummatur, sicuti notat Sanch. lib. 1. moral. c. 16. n. 17. & lib. 9. de matr. disp. 45. n. 30.

6 Ex dictis etiam colligitur, eum qui ex inueterata consuetudine, velut quodam necessario impetu, rem malam agit, v. g. materiales blasphemias vel periuria effundit, tunc non peccare, nec propriè blasphemare, peierare: quia nullum peccatum sine rationis deliberatione committitur; sed antea aggrauatè, & quasi dupliciter peccasse, cùm blasphemias vel periuria deliberatè frequentans, simul etiam animaduertit prauam consuetudinem sibi ingenerari; quæ causa futura sit sequentium iuramentorum, blasphemiarum saltem materialium. Ita docet Scot. in 3. d. 39. q. vn. a. 1. q. 3. Anton. p. 2. t. 10. c. 7. §. 1. Sanch. lib 3. moral. c. 5. n. 28. Suar. to. 1. de relig. lib. 1. de irreligios. cap. 6. n. 2. & to. 2. de relig. lib. 3. de iurament. c. 7. n. 3. Quamobrem talis in Confessione non tantùm dicere debet, se circiter trigesies deliberatè blasphemasse sed dicere etiam debet, se ita continuò frequentasse blasphemias, vt consuetudinem blasphemandi sibi quasi naturalem induxerit.

Præterea homo ille, qui voluntariè sibi blasphemandi, aut peierandi consuetudinem induxit, sub peccato mortali obligatus est operam dare, vt eam deponat. Probatur, Qui causam praui futuri euentus, aut nocumenti à se voluntariè positam, cùm possit tollere, intermittit, is continuò peccat peccato omissionis, ideóque in statu peccati versatur; sicuti qui ignem excitauit, ex quo incendium oriturum prouidet, nisi extinguat. Sed mala consuetudo blasphemandi, peierandi, vel ad quodlibet dictum, nihil aut parùm examinando, num verum, an falsum sit, iurando; collocat hominem in maximo probabili periculo falsorum iuramentorum, aut blasphemiarum, saltem materialium: quæ licet propriè periuria aut blasphemiæ non sint, vt suo loco dicam; sunt tamen graues deformitates aduersus Religionis virtutem. Ergo continuò peccat homo mortali omissionis peccato, adeóque versatur in statu peccati: perinde ac concubinarius, si concubinam non eijciat, vel rei alienæ detentor, nisi restituat. Qua de re vide Suarez cit. lib. 3. c. 6.

Quapropter plerumque etiam non sufficit talem hominem de præteritis periurijs aut blasphemijs dolere, & concipere propositum imposterum abstinendi, sicuti docuisse videtur Sairus lib. 5. clauis regiæ, c. 5. n. 10. Valent. to. 3. disp. 6. q. 7. p. 3. Nisi id propositum efficax sit, extendens se ad propinquas occasiones, siue pericula tollenda, si fieri possit sine magno incommodo. Igitur Confessarius hominem quandoque compellere poterit ad lusum & potationes fugiendas, quibus blasphemandi vel peierandi consuetudinem retinet, aut confirmat: non item ad deserendam mercaturam, officium aurigandi: qua de re Suar. cit. lib. 3. c. 8. n. 7. Sanchez cit. c. 5. n. 16. Posteaquam verò pœnitens prauam consuetudinem efficaci proposito retractauit, tum consequentia falsa iuramenta & verba blasphemiæ ex eadem consuetudine quasi naturali & necessario impetu prouenientia, non imputabuntur ad peccatum: cùm neque sint voluntaria in se, sicut suppono; neque in sua causa, puta consuetudine, quippe quæ ab ipso per propositum retractata, non ampliùs voluntaria censeri debet.

7 Secundò, accidit voluntarium indirectè, si homo effectum aliquem actione sua impedire vel tollere posset, ac deberet; sed scienter intermittit: tunc effectus illi moraliter & interpretatiuè voluntarius est, atque ad culpam imputatur. Ita docet S. Th. q. 6. a. 5. Vbi nota primò; Homini in tali casu agere intermittenti, effectum imputari tanquam causæ morali, non physicæ; quia mera actionis intermissio, per quam effectus permittitur, in ipsum effectum realiter non influit, vt per se patet.

Nota secundò; Hæc duo, posse impedire effectum, & non impedire velle, minimè sufficere, vt idcirco effectus indirectè voluntarius censeatur; aut alicui tanquam causæ morali imputetur. Nam alioquin absurdum sequeretur, quòd omnia Angelorum, hominúmque peccata Deo voluntaria essent: cùm is haud dubiè omnia impedire possit, & consultò impedire nolit. Sed insuper requiritur ad voluntarium indirectum & imputatiuum, vt aliquis etiam debeat seu obligatus sit impedire effectum, quem potest & non vult impedire.

Tertiò nota; in hoc casu inspiciendum esse, ex cuiusnam virtutis præcepto homo teneatur effectum impedire: nam contra eandem & non aliam virtutem peccare censendus est, si impedire deliberatè intermittat. Exempli causa, si imminente periculo naufragij, præter nautam alij quoque adsint, qui nauem liberare possent, & sine iusta ratione scienter negligant: solus nauta, cui ratione officij sui incumbit nauem liberare, contra iustitiam peccabit, atque ad damni restitutionem obligabitur: alij autem solùm contra charitatem peccabunt, vnde restituendi obligatio non oritur. Alia verò ratio est in casu, de quo S. Ambrosius loquitur apud Gratianum c. pasce, d. 86. & S. Th. 2. 2. q. 32. a. 5. *Pasce fame morientem, si non pauisti, occidisti.* Probabiliter enim dicitur, talem non solùm aduersus charitatem, sed etiam iustitiam delinquere: ideóque homicidium ipsi tanquam causæ morali imputari, quia famelicus in extrema necessitate ius habet ad panem petendum: quem etiam, saltem virtualiter, petit à diuite: consequenter hic iniuriam illi infert, si neget. Quare discrimen est inter eos, qui sine obligatione iustitiæ nauem perire sinunt: & hunc diuitem, qui ratione rei possessæ, ad quam pauper in extrema necessitate constitutus ius aliquod habet, subuenire ex iustitiæ lege obligatus est.

Præterea si Titius solo malo exemplo alterum moueat ad furandum, seu damnum iniustum tertiæ personæ inferendum, tale damnum Titio indirectè voluntarium censetur: quia illud impedire poterat, & debebat, abstinendo ab illa actione, ex qua animaduertit, alterum peruersa sua voluntate occasionem furandi accepturum: tamen ad restitutionem damni non obligatur; cùm non peccauerit aduersus iustitiam, sed solùm aduersus charitatem, peccato scandali, vt dicam lib. 2. tract. 3. cap. vlt. n. 6. obseruan. 3.

Obijciet aliquis contra dicta: qui malum aliquod vel peccatum impedire potest, & consultò intermittit, eo ipso vult permittere: ergo ipsi est voluntarium, quamuis impedire obligatus non sit. Resp. Tantùm sequi, quòd permissio sit illi voluntaria: non autem quod effectus permissus: cùm fieri interim possit, vt ab eo secundùm se abhorreat: consequenter non potest illi voluntarius censeri: nisi habeat obligationem impediendi: vt proinde, si non impediat, cùm deberet impedire, moraliter ipsi vt voluntarius imputetur: quę moralis imputatio locum non habet, vbi non est obligatio impediendi. Aliud verò dicendum de effectu, qui ex libera actione physicè & necessariò prouenit: quem licet operans non intendat, sed solùm permittat, voluntarius tamen aliquo modo censetur: quia qui vult causam, is saltem consequenter, indirectè, & per accidens vult etiam effectum necessariò secuturum, vt suprà dixi hoc cap. circa 5. diuis.

Ad extremum circa voluntarium indirectum obseruari

uari debet, minus propriè ac perfectè voluntarium esse; consequenter si circa obiectum malum versetur, minùs esse culpabile, quàm si formaliter, directè ac per se volitum esset, teste S. Thom. q. 76. a. 4. Quare minùs peccat leuiúsque puniendus est, qui in ebrietate hominem occidit, quàm si prudens, suique compos. Et minùs peccat nauta, qui nauem naufragio eripere negligit, quàm si adhibita opera eam submergat.

CAP. IV.

De ignorantia, an & quomodo voluntarium tollat?

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia diuiditur primò, quòd alia est priuationis: alia praua dispositionis.*

2 *Secundò, Est alia ignorantia iuris, & alia ignorantia facti.*

3 *Tertiò diuiditur in eam, quæ est causa operis: & in eam, quæ est tantùm concomitans.*

4 *Quartò diuiditur, quòd alia est ignorantia antecedens, quæ & inuoluntaria, seu inuincibilis dicitur: & alia consequens, quæ & voluntaria ac vincibilis ignorantia appellatur.*

5 *Vincibilis ignorantia subdiuitur in affectatam & non affectatam. Et hæc vel est crassa, supina; vel leuis, seu non crassa.*

6 *Ignorantia inuincibilis, siue iuris sit, siue facti, omnino à culpa excusat.*

Vt operatio moraliter mala sit, necesse est, operantem actu aliquo modo aduertere ad illius malitiam, vel periculum malitiæ.

7 *Si operans indistinctè iudicauit esse peccatum, quod re ipsa nullum, aut veniale tantùm est, non est præsumendus mortaliter peccasse, nisi venerit illi in mentem dubitare, vel suspicari de malitia mortali.*

8 *Etiam concomitans ignorantia, si inuincibilis sit, à culpa excusat.*

Deus non imputat peccata, quæ aliquis faceret, si hoc vel illud in mentem ei veniret.

9 *Ignorantia vincibilis non excusat opus à culpa: facit tamen esse leuiorem, quàm si scienter patratum fuisset.*

10 *Ignorantia vincibilis earum rerum, quarum cognitio per se in præcepto, est peccatum speciale: non item, si cognitio rerum per accidens tantùm requiritur.*

11 *Ignorantia, & cognoscendi voluntaria omissio vnum peccatum faciunt in genere moris.*

IGnorantia quædam puræ negationis est, in subiecto ad sciendum non apto; vel simpliciter, vt in lapide: vel pro eo tempore, statu, &c. videlicet in infante aut amente, cuiusmodi S. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. non propriè ignorantiam, sed *nescientiam* appellandam esse censet.

1 Ignorantia autem propriè dicta diuiditur primò, quòd alia sit ignorantia priuationis, quæ est carentia scientiæ in subiecto apto ad sciendum, pro eo tempore, statu, &c. veluti si homo adultus & rationis compos nesciat ea, quę scire potest. Alia verò ignorantia prauæ dispositionis, quæ est positiua deceptio, & contrarius veritati error, existens v. g. in Iudæis, hæreticis, aliisque errantibus. Vide Henricum à Gandauo quodlib. 12. q. 25.

2 Secundò diuiditur in ignorantiam iuris, & ignorantiam facti, apud Iureconsult. tit. ff. de iuris & facti ignorant. Ignorantia iuris dicitur, si quis ignorat, quod lege vel consuetudine vim legis obtinente constitutum: nesciat v. g. carnium comestionem die Veneris Ecclesiastica lege prohibitam esse. Ignorãtia facti est, si quis ignorat rem particularem, ex qua actio moralis veluti obiecto dependet, conuenienter Arist. 3. Eth. c. 1. Vt si quis nesciat carnem esse quam comedit, vel non cogitet esse diem Veneris. Nam obliuio, & inconsideratio nomine ignorãtiæ etiam comprehenduntur.

3 Tertiò, diuiditur ignorantia in eam, quæ est causa operis: quia si abesset, opus non fieret: & in eam, quæ non est causa operis, sed concomitans. Exemplum: si amicum tuum occidisti, ratus esse feram; ex ignorantia (tanquam causa) occidisti: qui, si absuisset, id est, nisi ignorasses, minimè occidisses. Idque eo signo ostendit Arist. l. c. Quia facti te pœnitet, postquam ignorantia remota fuit. Si autem inimicum, quem maximè à te occisum cupiebas, pro fera occidisti, non tam ob ignorantiam, sed magis cum ignorantia, siue (vt Arist. ait) ignoranter occidisti: quia tametsi non ignorasses, nihilominus occidisses: quare nec pœnitet te facti, postquam cognouisti; sed potiùs gaudes.

4 Quartò, diuiditur ignorantia in antecedentem & consequentem secundùm S. Th. 1. 2. q. 6. a. 8. Antecedens ignorantia dicitur, quæ nec directè, nec indirectè voluntaria est, nam ideò antecedens appellatur, quia omnem voluntatis actum antecedit, ideóque prorsus inculpata est: aliàs dici solet ignorantia iusta, probabilis, inuincibilis, quia morali diligentia superari ac tolli non potest; vel quòd nunquam in mentem venerit dubitare, aut cogitare de opposito; vel etsi in mentem venit, tamen adhibita diligente inquisitione, ignorantia depelli, & veritatis cognitio acquiri non potuit. Consequens ignorantia dicitur, quæ aliquo modo voluntaria est, ideóque consequitur voluntatem directam, vel indirectam; quam ob rem culpabilis est, si versatur circa rem cognitu necessariam: alias vocari solet ignorantia iniusta, improbabilis, vincibilis; quia superari ac tolli, & opposita scientia acquiri potuisset, ac debuisset.

5 Porrò vincibilis ignorantia subdiuiditur in affectatam, & nõ affectatã: quæ inter se differunt, quòd illa directè voluntaria sit; hæc indirectè, sicut notauit S. Th. q. 76. a. 3. Ioan. Gerson. p. 2. tr. de natura & qualit. conscientiæ, §. est præterea, ad finem: & videri potest Alph. à Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 14. Igitur affectata ignorantia est, cùm quis data opera vult ignorare, & non inquirere veritatem; siue ob discendi tædium ac pigritiam; siue vt legis obligatione ignorata, vel excusationem aliquam mereatur, vel liberiùs peccare possit. Estque hæc ignorantia interdum concomitans, & non causa operis; quando ignorans ita animo comparatus est, vt etsi sciret se lege obligatum, non tamen pareret: interdum verò est causa operis, si illâ sublatâ, faceret quod lex iubet.

Ignorantia verò non affectata, siue indirectè tantùm volita, alia est crassa, lata supina: ad quam tollendam nulla vel modica cura adhibetur: qualis ignorantia earum rerum plerumque esse solet, quæ communiter ab eiusdem conditionis ac status hominibus cognoscuntur. Alia non crassa, non supina ignorantia, quæ non tam facilè superari potuit, vel ad quam vincendam diligentia adhibita est, licet non sufficiens.

Arbitratur autem Suarez de censuris disp. 4. s. 10. n. 10. Omnem ignorantiam mortalem esse etiam crassam. Cui repugnat Sanchez lib. 1. moral. cap. 16. n. 7. etiam non crassam ignorantiam interdum sufficere ad mortale peccatum. Sed videtur esse quæstio de nomine. Videbis tamen Doctores communiter loqui ad mentem Suarezij; vt omnis ignorantia, quæ mortalis est, dicatur crassa, lata: quæ autem venialis ignorantia, dicatur non crassa, & leuis. Hoc fateor, inter ignorantias crassas latitudinem quandam esse: alia nimirum valde crassa, & prorsus supina; alia minùs crassa: quæ tamen omnes mortales esse possunt.

Assertio I. Ignorantia inuincibilis tam iuris, quàm facti omnino à culpa excusat. Ita S. August. lib. 3. de lib. arbitr. c. 18. & lib. de duabus animab. c. 10. & 11. S. Th. q. 76. a. 3. S. Bonau. in 2. d. 22. a. 2. q. 3. Richar. ibid. a. 2. q. 3. Castro cit. c. 14. in propositionibus. Nam vbi non est voluntarium, ibi nulla est culpa: sed ignorantia facti reddit actum simpliciter non voluntarium; quippe non aduertente animo ad id quod agitur: legis autem siue iuris ignorantia reddit actum non voluntarium quà malus siue prohibitus est; quippe non aduertente animo ad legis prohibitionem, operisve malitiam: v. g. in posito exemplo, si nescio esse diem Veneris, tunc actus lege prohibitus (videlicet comestio carnium in die Veneris) 6

absolutè mihi voluntarius non est: sin verò nescio legem prohibentem positam esse, tunc licet mihi comestio carnium in die Veneris re ipsa voluntaria sit; non tamen secundùm formalem rationem mali, seu peccati, quam accipit ex positiuæ legis prohibitione. Ita notauit Suarez de censuris disp. 4. s. 8. n. 18. Sanchez lib. 1. moral. c. 16. n. 9. & 21. Vasq. disp. 107. c. 3. & disp. 123. c. 2. Qui rectè monent, vt opus malum, & aliqua lege prohibitum homini ad culpam imputetur, necesse esse, vt operans actu aduertat, vel aduerterit ad eius malitiam, vel periculum malitiæ. Si enim nunquam in mentem veniat cogitare, aut suspicari de operis malitia, vel dubitare de eius honestate, tum homo non operatur malum deliberatè: cùm fieri non possit, vt voluntas in malum peccati consentiat, nisi intellectus illud cognoscat. Dicet aliquis: qui non cogitat de malitia operis prohibiti, deberet tamen cogitare: igitur operatio eius temeritati & imprudentiæ imputatur. Respondeo, Quòd omissio siue negligentia considerationis non imputatur ad peccatum, nisi voluntaria sit: non autem voluntaria est, nisi in mentem veniat cogitare de obligatione examinandi. qua examinatione prætermissa, si homo nihilominus operetur, fatemur vltro illum peccaturum esse.

7 Adde, si intellectus per inuincibilem errorem, iudicet esse tantùm veniale, quod alioquin mortale est: voluntatem consentientem non peccaturam plùs quàm venialiter. Si tamen intellectus simpliciter & indistinctè iudicat peccatum esse, quod reipsa mortale est: voluntas illud acceptando mortaliter peccabit, teste Vasq. disp. 107. c. 3. in fine. Sanch. lib. 1. mor. c. 1. n. 9.

Sed quid, si intellectus simpliciter & indistinctè iudicet peccatum esse, quod à parte rei vel nullum, vel veniale tantùm est; peccabiturne mortaliter, an venialiter? Nau. in prælud. 9. man. n. 9. putat venialiter tantùm peccari: cuius doctrinam examinat Lopez p. 1. instruct. cap. 3. §. At hæc doctrina. Sed Vasq. disp. 59. c. 3. n. 10. Azor to. 1. lib. 2. c. 8. q. 6. Sairus lib. 1. clauis reg. c. 4. n. 17. sentire videntur, mortale peccatum committi. Nam cùm voluntas consentit in peccatum genericè, & cum indifferentia propositum, committit se periculo peccandi mortaliter: quandoquidem peccatum æquè potest esse mortale ac veniale. Quorum sententiam saltem tunc veram arbitror, si intellectus dubitet, sitne peccatum mortale, an veniale; adeóque aduertat ad periculum peccandi mortaliter. Sin autem de peccato mortali, eiusque periculo nihil omnino cogitauit, non condemnarem hominem peccati mortalis; sed præsumerem ex qualitate obiecti, virtualiter iudicasse esse peccatum tantùm veniale: quia præsumendum est, hominem apprehendentem obiectum vt peccaminosum; ita saltem virtualiter & implicitè de eo iudicare, sicut illud re ipsa se habet; vel saltem non nimis ab eius qualitate aberrare: licet distinctè non satis cognoscere videatur: alioquin hominibus simplicibus & indoctis scrupulorum materiam ministrabimus.

8 Assertio II. Etiam concomitans ignorantia, si inuincibilis sit, à culpa excusat. Ita docet Corduba lib. 2. q. 19. Suar. de cens. disp. 4. s. 8. Vasq. disp. 125. c. 2. Sanch. lib. 1. c. 16. n. 13. Azor lib. 1. c. 14. q. 4. contra Caiet. 1. 2. q. 76. a. 3. Couar. c. alma, p. 1. §. 10. n. 15. ver. decimo, Sairum in claui reg. lib. 2. c. 9. n. 35. Probatur eadem ratione, qua præcedens assertio vniuersim probata fuit: Vbi non est scientia eius quod agitur, ibi non est voluntarium: vbi autem voluntarium non est, ibi nulla culpa est: ergo qui inuincibiliter ignorat hominem (inimicum) esse, quem occidit, is non vult ea actione homicidium committere: quare nec peccat homicidij peccato.

Neque obstat, quòd homo ita affectus sit, vt si animum aduerteret, homicidium vellet, & approbaret. Deus enim non imputat homini peccata, quæ faceret, si hoc vel illud in mentem ei veniret: sed diuinæ gratiæ adscribendum est, quòd id animo non incidat, sicut ex S. August. docet Suar. to. 2. de relig. lib. 3. de iuram. cap. 7. n. 6. Sanch. lib. 3. moral. cap. 5. vbi rectè refutant Caiet. 2. 2. q. 98. a. 3. Nau. cap. 12. man. n. 6. Lopez 1. instruct. cap. 42. Tolet. lib 4. c. 13. arbitrantes, periuria indeliberata ex consuetudine prouenientia esse peccata mortalia, si consuetus, licet deliberaret, animumque aduerteret, nihilominus peieraret.

Duo tamen peculiaria habet ignorantia inuincibilis concomitans: Vnum, quòd opus non facit inuoluntarium, etsi faciat non esse voluntarium, sicut ex Arist. 3. Eth. c. 1. notauit S. Tho. q. 76. a. 3. Ioan. Gerson p. 2. operum, tr. de natura & qualit. conscientiæ, §. est præterea. Qui nesciens v. g. inimicum suum esse, quem occidit; sed etsi sciret, nihilominus occideret; is nihil agit contra voluntatis inclinationem actualem, aut virtualem; ergo non agit inuitus, siue inuoluntarius. Alterum, Quòd ignorantia concomitans prauum animi affectum, interdum per accidens operi coniunctum, neque tollit, neque auget, neque minuit. Ita intelligendus videtur S. Th. cit. a. 3. cùm ait, *ignorantiam concomitantem non excusare à peccato.* Et a. 4. eam *peccatum nec minuere, nec augere*: intellige, quod per accidens operi ignorato coniunctum est. Probatur & explicatur: Cum ignorantia concomitante consistere potest prauus actualis affectus, v. g. *Vtinam hæc fera* (existimata) *esset inimicus meus. Gaudeo, quam existimaueram feram, fuisse inimicum.* Ad quem affectum ignorantia per accidens se habet, vt proinde eius prauitatem neque tollat, neque minuat, neque augeat. Quod optimè tradidit P. Sotus tr. de ratione medendi peccatis, lect. 2. §. tertia demum, *Ignorantia concomitans nec accusat, nec excusat: cùm nec voluntaria sit, nec inuoluntaria. Itaque occisio inimici dum putatur occidi fera, non fuit tunc peccatum: quia non est voluntaria: erit tamen peccatum, quando opus placuerit.* Idem sentit Durandus in 2. d. 22. q. 4.

Assertio III. Ignorantia vincibilis (siue sit causa operis, siue concomitans) non excusat opus à culpa; facit tamen culpam leuiorem, quàm si scienter patratum esset. Ita cum S. Tho. q. 76. a. 4. D D. communiter. 9
Nam obiectum malum eatenus culpæ imputatur, quatenus est voluntarium. Ignorantia autem vincibilis voluntarium non tollit quidem; minuit tamen, sicuti dixi suprà eod. tr. c. 3. in fine. Ergo etiam culpam non tollit ex toto, sed ex parte. Excipitur tamen à S. Th. ignorantia affectata, de qua Dauid ps. 35. *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Hæc enim, interdum profecta ex magna voluntatis inclinatione ad malè agendum, peccatum potius auget, quàm minuit. Quod tunc accidit, si aliquis cognitionem præcepti & obligationis ideo respuat, vt ablato eo quasi rationis fræno, siue conscientiæ remorsu, liberiùs peccet. Qua ratione impij dixerunt apud S. Iob. c. 21. *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus,* sicut ibid. notauit S. Greg. lib. 25. moral. c. 11. & docent Corduba lib. 2. q. 20. Nau. c. sciendum, n. 4. d. 2. de pœnit. Sanch. lib. 1. c. 17. n. 5. moral. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 14.

Restat quæstio; Vtrũ vincibilis ignorantia sit peccatum per se, ac speciale? Resp. cum Vasq. disp. 126. c. 3. & d. 119. c. 2. & 3. Ignorantia atque sciendi negligentia earum rerum, quarum cognitio per se siue ratione sui præcipitur; est speciale peccatum, oppositum ei virtuti, quæ in talium rerum cognitione versatur. Videl. negligentia in cognoscendis fidei mysterijs, ad credendum necessarijs, est peccatum fidei oppositum. Ignorantia autem, atque cognoscendi negligentia earum rerum, quarum cognitio non per se præcipitur, sed per accidens, videl. in ordine ad opus, quod præcipitur vel prohibetur, non est speciale peccatum: sed accipit speciem suam à legis transgressione, cuius causam, vel periculum præbet, iuxta ea, quæ superiore cap. dicta sunt: v. g. vincibilis ignorantia vtrum ieiunij dies sit, quo carnem comedis, pertinet ad pecca- 10

peccatum intemperantiæ; vincibilis ignorantia vtrum Sacerdos sit, quem percutis, ad peccatum sacrilegij. Neque tunc refert ad formalem peccati malitiam, vtrum re vera dies ille ieiunij sit; vel vtrum Sacerdos, qui percutitur: sufficit, si suborto dubio, & non discusso, commisisti te periculo taliter peccandi.

11 Denique hoc moneo; negligentiam cognoscendi: ipsamque vincibilem & culpatam ignorantiam, non constituere duo peccata: sed vnicum: ad eum modum, sicut actus internus, & actus externus vnum peccatum in genere moris constituunt, vt infrà dicam, & docet Valent. t.2.disp.6.q.6.p.2. Sanch.lib.1.moral.c.17.n.13. Ratio est, quia ignorantia, cùm in intellectu existat, non est peccatum, nisi quatenus volita: non autem volita est, nisi quia eam aliquis posset, ac deberet tollere, & negligit. Qua de re S. Bonau.in 2.d.22.a.2.q.2.ad 4. Castro lib.2. de lege pœnali, c.14.

CAP. V.

De Concupiscentia, vtrum voluntarium tollat, aut minuat?

SVMMARIVM.

1 *Passio concupiscentiæ alia est antecedens voluntatem, alia consequens.*

2 *Passio consequens non minuit voluntarium: sed potiùs signum est vehementis voluntarij.*

3 *Passio antecedens non facit quidem actum inuoluntarium: minuit tamen eius voluntarium seu libertatem: imò interdum penitus tollit.*

NOmine concupiscentiæ intelligimus passionem appetitus sensitiui, prosequentis bonum delectabile: cuiusmodi sunt amor, desiderium, spes, gaudium siue voluptas, ira, vti videre licet apud S. Th. 1.2. q. 77. & videri potest Vasq.1.2.disp.28.c.1.

1 Talis passio concupiscentiæ diuiditur à S.T.a.6.in antecedentem, ac consequentem. Antecedens passio est, quæ naturaliter exurgens, omnem voluntatis deliberationem præuenit: ac proinde secundùm se nec peccati, nec meriti capax est. Passio consequens est, quæ voluntatis arbitrio excitatur, vt ad promptiorem seu expeditionem operationem inseruiat. Sunt enim animi passiones, amor, spes, ira, audacia, oblectatio veluti cotes, quibus humanæ operationes concitatæ, cùm ad bonum, tum ad malum vigent magis ac feruent, sicuti contra Stoicos docent Peripatetici, & explicat Medin.1.2.q.6.a.7.

2 Assertio I. Passio concupiscentiæ consequens non minuit, sed potiùs auget voluntarium: consequenter & moralem malitiam, vel bonitatem actionis: siue magis propriè loquendo, *signum est magnitudinis peccati* ait S. Th. cit. a. 6. *quia demonstrat intentionem voluntatis ad actum peccati: quo sensu verum est, quòd quantò quis maiore libidine, vel concupiscentia peccat, tantò magis peccet.* Puta, si aliquis in se excitet magnum desiderium vini, vt intemperantiùs bibere possit. Et similis est ratio, si passio excitetur ad exercendam operationem virtutis: puta, si in te excites magnum misericordiæ affectum, quo impellaris ad succurrendum pauperi.

3 Assertio II. Passio concupiscentiæ antecedens non facit quidem actum, ad quem impellit, inuoluntarium; minuit tamen eius voluntarium, seu libertatem; consequenter etiam virtutis meritum, aut culpæ reatum; imò interdum omnino tollit. Ita S. Th. cit. q. 77. a. 6. & 7. Assertio tres partes habet: Prima probatur: Inuoluntarium est, quod agitur cum tristitia siue auersione appetitus: quod verò fit ex amore, cupiditate, voluptate, id non agitur tristitia, siue auersione appetitus: quin potiùs eiusmodi passiones superant, & absorbent auersionem ac mærorem, qui alioquin cum opere arduo coniunctus esse solet. Sic enim milites v. g. spe victoriæ, vel amore vindictæ; & amatores ex turpi libidine quæque molestissima iucunde perferunt, sicut notauit Vasq.1.2.disp.28. c.4. Ergo passio concupiscentiæ non efficit actum inuoluntarium.

Altera pars probatur: Voluntarium humanum siue liberum oritur ex intellectu, proponente obiectum cum indifferentia: sed passio concupiscentiæ facit, vt intellectus magis æstimet, ac nimis ponderet rationes siue motiua occurrentia pro ea parte, ad quam sensitiuus appetitus inclinat: idque ob naturalem sympathiam siue consensionem, quæ est inter potentias sensitiuas inferiores, & potentias rationales superiores. Hinc dici solet, *Quemuis iudicare de rebus sicut affectus est.* Et, *hominem amori, desiderio, iræ, similibúsque affectibus obnoxium, minùs idoneum esse ad consultandum, iudicandum.* Ergo passio minuit voluntarium humanum, per consequens etiam peccatum, aut virtutis meritum. Confirmatur ex communi hominum persuasione; minùs liberè egisse, ac proinde venia aliqua dignum esse, qui aliorum precibus, blanditijs, aut vehemente libidine ac tentatione victus, in malum consensit.

Tertia pars probatur: Libertas voluntatis descendit ex potestate intellectus, proponentis obiectum cum indifferentia: sed in vehementissima passione, v.g. iræ, tristitiæ fieri potest, intellectum adeò perturbatum esse, vt obiectum non proponat cum omnibus circunstantijs, neque rationibus in vtramque partem indifferenter ostensis; sed cum determinatione ad id quò passio inclinat; exhibitis solùm rationibus, quæ in eam partem tendunt: hoc casu voluntas non agit liberè, sed naturaliter ac necessariò; adeóque non peccat. Confirmatur: Amentes, & ebrij ideò liberè non agunt, quia sensus internos perturbatos habent, quæ perturbatio per accidens redundat in intellectum, quippe in hac vita dependentem ab internis sensibus. Sed in vehementissima passione iræ, tristitiæ sensus interni valde perturbari possunt: quæ perturbatio similiter in intellectum redundat. Ergo, &c.

CAP. VI.

De coactione & metu, vtrum inuoluntarium efficiant.

SVMMARIVM.

1 *Vis, coactio, & inuoluntarium inter se differunt.*

2 *Metu fieri dicitur, quod quis mali declinandi causa facit, alioquin non facturus.*

3 *Metus alius est, qui ab intrinseco proficisci dicitur, alius qui ab extrinseco.*

4 *Metus item alius est cadens in virum constantem, alius verò leuis, vanus.*

5 *Metus grauis mali, puta mortis intentata, sufficit ad infirmandum actum; esto aliquis agendo peccet: vt si matrimonium tali metu adactus contrahat & consummet.*

6 *Vis & coactio propriè dicta, si membris exterioribus inferatur, tollit omne voluntarium.*

7 *Quod metu fit, est simpliciter voluntarium, & inuoluntarium secundùm quid, ideoque mixtum ex voluntario & inuoluntario.*

8 *Contractus, qui fiunt ob metum ab extrinseco iniustè illatum ordinariè validi sunt, licet rescindi debeant.*

9 *Metus gehennæ, si sit causa finalis obseruationis legum, malus & seruilis est: bonus autem, si sit causa solùm impulsiua.*

HÆc tria inter se differunt; vis, coactio, inuitum siue inuoluntarium. Nam inuoluntarium ex parte latiùs patet, quàm coactum. Quia ad coactum duo requiruntur; & vt motio ab axtrinseco agente proueniat, & vt contra appetitus inclinationem actualem, vel virtualem fiat. Ad inuoluntarium verò sufficit hoc posterius: neque necesse est, vt motio ab extrinseco profici- 1

ſcatur: quare quod propter ignorantiam ſit, inuoluntarium eſt; ſed non coactum: motus item primò primi, qui repugnante voluntate in membris oriuntur, inuoluntarij ſunt; ſed non coacti. Ex parte verò latiùs patet coactū, quàm inuoluntarium: nam inuoluntarium, (ſi propriè loquendum ſit) dicitur tantùm de agentibus per voluntatem; coactum verò etiam brutis competit: quamuis ſi inuoluntarium latè accipiatur, vt idem ſit quod inuitum, tunc omne coactum etiam inuoluntarium dici debet.

Deinde violentum, ſi propriè accipiatur, latiùs patet quàm coactum. Etſi enim omne coactum ſit etiam violentum; non tamen vice verſa. Quia coactum de ſolis animalibus dicitur; violentum de rebus etiam inanimatis: v. g. lapis contra naturalem inclinationem ſurſum proiectus, violentiam patitur; ſed non coactionem. Animalia verò, ipſéque homo aduerſus voluntatis inclinationem tam violentiam, quàm coactionem pati poteſt; non quidem ſecūdùm actus voluntatis elicitos, amorem, inquam, deſiderium, odium, &c. (Nam eo ipſo quòd à voluntate tanquam intrinſeco principio procedunt, non inferuntur ab extrinſeco contra voluntatem) ſed violentia & coactio locum habet in actibus imperatis exteriorum membrorum, quæ voluntatis imperium ſuſcipere ſolent. Cùm enim eiuſmodi membra ab extrinſeco mouentur contra voluntatis inclinationem, tunc homo violentiam & coactionem patitur. Veluti ſi tibi oculi per vim aperiantur ad videndum turpia; ſi genua curuentur coram idolo: ſi puellæ ſtuprum inferatur non tantùm non conſentienti, ſed etiam reſiſtenti, quatenus poteſt ac debet, erit hæc propriè dicta vis & coactio. Quam doctrinam habes apud S. Th. 1. 2. q. 6. a. 4. & 5. ſumptam ex Ariſtot. 3. Eth. c. 1. & videri poteſt Durandus in 4. d. 29. q. 1.

3 Metus definitur ex Vlpiano in l. 1. ff. de eo quod metus cauſa, *Inſtantis, vel futuri periculi causâ, mentis trepidatio*: & metu fieri id dicitur, quod aliquis mali declinandi cauſa facit, alioquin non facturus.

Diuiditur primò: Metus alius eſt, qui ab intrinſeco proficiſci dicitur: cùm ad auertendum malum, ſeu ex cauſis naturalibus, ſeu ex quocunque alio infortunio exortum, vltro aliquis medium eligit, quod alioquin nollet: vt ſi metu naufragij pecunias abijcias, caſtitatis votum edas. Item, ſi quis ſupplicio afficiendus, matrimonium puellæ ſpondeat, vt mortem euadat; vel pecuniam offerat, vt iudicem ſibi conciliet. Alius verò metus eſt, qui ab extrinſeca perſona directè incutitur ad extorquendum alicuius rei conſenſum. Quod dupliciter fieri poteſt: Vel iuſtè; ſi exempli cauſa aliquis, qui ſponſalia contraxit, ab Eccleſiaſtico magiſtratu adigatur ad matrimonium ineundum, intentata excommunicationis pœna: Vel iniuſtè; ſi exempli cauſa maritus deprehendens adulterum cum vxore, mortem minetur, niſi pecunias det, filiam ſuam vxorem ducat; erit hic metus iniuſtè incuſſus; cùm ius occidendi ille non habeat. Quapropter accepta pecunia reſtitutioni obnoxia erit; & matrimonium eo metu extortum ipſo iure irritum, teſte Sanch. lib. 4. de matrim. diſp. 9. num. 9. Etenim de tali metu, qui directè atque iniuſtè incutitur, intelligenda ſunt iura ciuilia & canonica, De eo quod metus cauſa; De iis quæ vi. cùm aiunt promiſſiones & contractus graui metu infirmari, aut infirmandos eſſe. Qua de re mox dicam.

4 Secundò diuiditur metus, præſertim qui ab extrinſeco iniuſtè incuſſus eſt: Quod alius eſt *cadens in virum conſtantem*, qui etiam dici ſolet metus *grauis*: *probabilis*, *iuſtus*: de eo ſermo eſt in l. 6. ff. Quòd metus cauſa, & c. conſultationi, c. veniens, 2. de ſponſalib. c. cùm dilectus, De his quæ vi, c. vlt. de appellationib. Alius verò metus eſt *cadens in virum inconſtantem*, qui etiam metus leuis, vanus, iniuſtus dici ſolet: In cit. l. 6. appellatur *vani hominis metus*.

Notandum verò eſt, quòd metus cadens in virum conſtantem aliter explicari debet in ordine ad euitandam culpam: aliter verò in ordine ad euitandam obligationem ex promiſſione, aut contractu. Nam vt metus factum alioquin illicitum, cuius cauſa exiſtit, à culpa excuſet neceſſe eſt, vt ſit *maioris mali quàm ſit illud, quod metus cauſa ſuſcipitur*, iuxta definitionem S. Thom. in 4. d. 29. q. vn. a 2. quam tenet Sotus ibid. Syl. ver. metus, q. 1. Couar. 4. decret. p. 1. c. 4. §. 1. nu. 16. & p. 2. c. 3. §. 4. num. 6. Secundùm quam acceptionem, metus etiam grauiſſimi mali, v. g. tormentorum & mortis, non cenſetur iuſtus, ſi ob eum aliquis in peccatum quamuis minimum conſentiat. Nam *qualibet mala potiùs tolerare vir fortis debet, quàm in peccatum conſentire*: cùm peccatum etiam minimum omnibus alijs malis maius ſit, teſte S. Aug. lib. 1. de ciuit. c. 18. & refertur in c. itane, 32. q. 5. Quare idem S. Aug. neque pro tuenda vita propria, vel aliena mentiri fas eſſe, teſtatur ſuper Pſal. 5. & refertur in c. ne quis, 22 q. 2.

Vt verò metus infirmet promiſſiones & contractus, qui eius cauſa inſtituuntur, alioquin non inſtituendi: ſufficit, ſi ſit grauis mali metus, atque vim & iniuriam atrocem contineat, vt humanam voluntatem plerumque concutiat & inclinet in rem, à qua alioquin abhorret, arg. c. cùm locum. de ſponſal. & ita docent Nau. cap. 22. num. 51. Pet. de Ledeſma q. 47. de matrim. a. 3. diffic. 5. Henriq. lib. 11. de matrimon. c. 9. num. 3. Sanch. lib. 4. de matrim. diſp. 2. Ægid. Coninck 3. p. t. 2. diſp. 20. dub. 2. Quare ſi quis ex metu graui, v. g. iniuſtæ mortis ſuſtinendæ, matrimonium contrahat, imò etiam conſummet, irritum cenſeri debet: dummodo præſens, & nondum depoſitus metus ſit cauſa conſenſus in matrimonium & copulam: conſequenter mortaliter peccat, qui ob talem metum in copulam; quippe hoc caſu fornicariam conſentit, niſi ignorantia excuſetur. Quæ eſt communior DD. ſententia Nau. & Pet. de Ledeſma ll. cc. Philiar. to. 1. p. 2. lib. 2. c. 8. Sanchez lib. 4. diſput. 18. num. 15. Henriq. lib. 11. c. 9. num. 7. Coninck cit. diſput. 28. dub. 4. num. 42. Valent. to. 4. de matrim. q 3. p. 2. Suar. lib. 3. de legibus c. 30. num. 13. contra Palud. in 4. d. 29. quæſt. 1. a. 4. concluſ. 3. Couar. in epit. p. 1. c. 4 §. 1. num. 16. 5

Porrò, licet à iure & Doctoribus atrocia quædam mala numerentur, quorum metus iuſtus ac probabilis cenſeri debeat: videl. mortis, mutilationis, corporis cruciatus, ſeruitutis, exilij, captiuitatis, diuturni carceris, grauis infamiæ, ſtupri, iniuſtæ excommunicationis, amiſſionis omnium bonorum, aut magnæ partis: ſi talia vel propriæ perſonæ, vel alteri ſibi valde coniunctæ, puta vxori, liberis, parentibus, &c. inferenda ſint, vti videre eſt apud Syl. ver. metus, q. 1. Couar. in epit. p. 2. c. 3. §. 4. Sanch. lib. 4. diſp. 4. & 5. Azor to. 1. lib. 1. cap. 10. Coninck l. c. Iudicis tamen arbitrio definiendum eſt, vtrum in particulari alia mala ſint, quorum metus grauis cenſendus ſit: diligenter conſideratis circumſtantijs, & imprimis perſonæ qualitate, vid. ſexu, ætate, &c. ſicuti monet Gl. in c. cùm locum, de ſponſal. verbo metus, & in c. cùm dilectus, ver. metum mortis, De his quæ vi. Nau. lib. 1. conſil. 10. num. 3. eod. tit. in 2. edit. & in man. c. 22. num. 51. §. ſextum. Sanch. lib. 4. diſp. 3. Rebel. p. 2. de oblig. iuſt. lib. 2. de matrim. q. 11. ſ. 1.

Aſſertio I. Vis & coactio propriè ac ſimpliciter dicta, ſi membris exterioribus inferatur, tollit omne voluntarium, omnémque culpam. Eſt communis, quam Gratianus confirmat cauſa 32. q. 5. teſtimonijs Patrum aſſerentium, violentia ſtupri animum nequaquam maculari. Quod enim fit voluntate repugnante, in id certum eſt voluntatem non conſentire: conſequenter nec peccare. 6

Aſſertio II. Vis & coactio impropriè dicta & ſecundùm quid, inferens metum alicuius mali, ob quem actio fit, quæ alioquin non fieret, non tollit voluntarium ſimpliciter: facit tamen inuoluntarium ſecundùm quid: adeóque efficit, vt actio ſit veluti mixta ex voluntario & inuolun- 7

inuoluntario. Ita S. Tho. q. 6. a. 6. ex Arist. 3. Ethic. cap. 1. Prior pars probatur: Voluntarium est quod consultò fit ab agente cognoscente singula, circa quæ est actio: qui autem metu mortis v. g. pecunias latroni dat; vel metu naufragij merces in mare abijcit, is, consideratis omnibus ac singulis, consultò eligit, tanquam hîc & nunc bonum sibi, pecunias dare, vel merces abijcere. Ergo voluntaria ei est datio, & voluntarius iactus, simpliciter loquendo.

Posterior pars probatur: Inuoluntarium est, quod fit cum auersione voluntatis actuali aut habituali: ab eo autem, quod quis metus causâ agit, alioquin non acturus, abhorret voluntas, quatenus illud secundùm se, & præcisis circumstantijs spectatur. Experientia enim constat, eũ, qui naufragij metu merces proijcit, vel mortis metu latroni pecuniam dat; dolere interim atque auersari mercium, vel pecuniæ iacturam, si eam præcisè consideret.

Corollarium. Quod metu fit magis voluntarium est, quàm inuoluntarium. Est enim voluntarium simpliciter & absolutè; inuoluntarium verò conditionatè; si videl. metus mali adiacentis, siue tales obiecti circumstantiæ abessent. Quæ planè est mens Iureconsulti in l. si mulier, ff. de eo quod metus causa; *Si metu coactus adii hæreditatem, puto me heredem effici: quia quamuis, si liberum esset, noluissem: tamen coactus volui.* Quare Gl. in reg. 4. ff. de regulis ait, *Quod coacta voluntas, tamen voluntas est.* Ideóque quod dicitur in illa regula, *velle non creditur, qui obsequitur obsequio parentis vel domini*; intelligendum ait ad hoc, vt pœna delinquenti minuatur, sicuti etiam notauit Sanchez lib. 4. disp. 6. q. 1. ad 1. Nam metus minuit ex parte voluntarium; consequenter etiam culpam ac pœnam, sicuti habetur in c. sacris, n. 1. de ijs quæ vi, &c. vbi id annotauit Abb. n. 1.

8 Neque in hac re distinguere opus est; vtrum metus ab intrinseco proficiscatur; an ab extrinseco, & per vim iniquam: nam nullus metus voluntarium simpliciter tollit. Eò tamen differunt; quia fit causa metus ab intrinseco, vel sine iniuria, omni iure validum ac firmum est, v. g. metu naufragij votum conceptum, eleemosyna pauperi promissa, aut data. Quod verò causa metus ab extrinseco iniustè incussi promittitur, aut datur, id aliqui existimant ipso iure, seu ipso facto nullius roboris & obligationis esse. Ego verò puto, promissionem aut contractum mero iure validum esse (cùm ei consensus contrahentium non desit) quamuis secundùm æquitatem rescindi debeat, arbitrio metum passi, vt dicam l. 3. tr. 4. de iustit. c. 6. num. 2. & docet Nau. in man. prælud. 6. nu. 5. cum Gl. recepta in cap. Abbas, de his quæ vi, &c. Idque probatur tum ex Instit. de except. princip. *Si metu coactus, aut dolo inductus, &c. stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, iure ciuili te obligatum esse*: inspecto iuris ciuilis rigore, ait Gl. ibi: ex qua tamen obligatione non oritur actio efficax, quoad executionem, quia secundùm æquitatem elidi potest exceptione, *Quod metus causa*, aut, *doli mali*. Quare & in l. vlt. Cod. de his quæ vi, ita legimus: *Venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam extortæ sunt, præcipimus infirmari.* Et c. 2. De ijs quæ vi metúsve causa, *Quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari.* Aliqui tamen sunt contractus, vt matrimonium & sponsalia; qui ob grauem & iniustum metum ipso iure Ecclesiastico irriti sunt, vt suo loco dicam.

9 Ad extremum, circa speciem metus ab intrinseco prouenientis, quæri potest: vtrum is peccet, qui metu pœnæ æternæ legem Dei seruat? Resp. ex Vasq. 1. 2. disp. 27. c. 2. num. 9. Vel inuoluntarium mixtum, siue displicentia operis præcepti secundùm se, habet vim propositi efficacis, quo aliquis secum statuit opus præceptum non facturum esse, nisi periculum pœnæ æternæ vrgeret: talis metus seruilis malus est. Vel inuoluntarium siue displicentia operis præcepti habet vim simplicis tantùm affectionis, qua aliquis abhorret ab opere, tanquam difficili ac molesto; eiusmodi tamen affectionem, carnísve tentationem superat, quam alioquin fortasse non superaret, nisi metus gehennæ esset: & tunc nihil peccati subest, sed quandoque maioris meriti occasio. Breuiùs dicere potes cum Ioan. Gersone p. 2. operum in regulis moral. §. diligi potest Deus: Metum gehennæ malum esse, si sit propriæ ac principaliter finalis causa obseruationis legum: siquidem hoc casu homo reatum pœnæ timet super omne malum; consequenter suam impunitatem ac proprium cõmodum amat super omne bonum: quod diuinæ charitati repugnat. At verò bonum & honestum esse timorem gehennæ, si sit causa tantùm impulsiua, seu finalis secundaria: Talis enim timor prouenire videtur ex habitu Spei Theologicæ: quãdoquidem eiusdem virtutis est bonum suum prosequi, & oppositum eius refugere. Simili ratione si homo nolit seruire Deo, nisi dona & beneficia accipiat, talis eius affectio mala est: quia seipsum & propriam commoditatem plùs quàm Deum diligit. Sin verò homo considerans, quòd Deus cultores ac seruos suos varijs beneficijs remunerat, exinde moueatur ad præcepta eius obseruanda, bonum & honestum actum Spei exercet: qui etiam à Charitatis virtute imperari potest; quandoquidem Deo gratum est, ipsique ea re placemus, si bona tum naturalia, tum supernaturalia ab ipso, vt auctore omnis boni, speremus, & petamus. Videri potest Suarez de virtut. Theolog. tract. 2. dis. 1. s. 4. Nauar. c. inter verba, 11. q. 3. conclus. 5. numero 23. & 34.

CAP. II.

Vtrum actus morales speciem & essentiam suam accipiant ab obiecto?

SVMMARIVM.

1 *Morale per se primò conuenit actibus humanis ex deliberatione rationis procedentibus.*

2 *Diuiditur in bonum morale, seu honestum: & malum morale, seu inhonestum.*

Bonum honestum dicitur, quod substantia rationali libera per se decens est: inhonestum verò, quod eandem dedecet.

3 *Actus morales bonitatis, vel malitiæ speciem accipiunt à reali obiecto suo: consequenter bonitas, vel malitia in obiecto reperitur fundamentaliter, in actione formaliter.*

4 *Actus alij per se & præcisè ex obiecto mali sunt, alij verò propter legis positiuæ prohibitionem.*

5 *Actus morales alij internè consummantur, alij verò in externam operationem transeunt.*

Externa moralis operatio obiectiuè quidem prior est actu interno: sed vt exercita ab actu interno posterior: tanquam participans bonitatem, vel malitiam ab interno actu.

6 *Actus internus & actus externus in genere moris non faciunt numerum.*

7 *Actus internus voluntatis efficax, si opere non completur, quia deest operandi facultas: habet quidem omnem substantialem bonitatem vel malitiam: sed non accidentalem: quando quidem externa executione materialiter perficitur.*

NOtandũ est primò: Morale (pro vt opponitur natu-
rali) dicitur illud, quod ordinem habet ad substantiã 1
rationalem liberã. Per se primò ac formaliter conuenit actibus humanis internis, ex rationis deliberatione prodeũtibus; secundùm analogiã verò tribuitur tum actibus externis, qui rationis ac voluntatis imperio subduntur; tum alijs etiam rebus. Nam & scientia moralis dicitur, quæ de moribus disserit; virtus moralis, quæ mores hominis moderatur: ad eum modum, quo sanitas primò, ac formaliter dicitur bona animalis constitutio: secundùm analogiam verò & denominationem extrinsecam alijs rebus, v. g. cibo, vrinæ tribuitur.

Notandum est secundò: Morale per se, diuiditur in 2
bonũ morale: quod aliàs honestum dicitur: & *malũ morale*, quod aliàs inhonestum ac prauum vocatur. Bonum morale siue honestum est, quod substantiæ rationali per se consentaneum, ac decens est: adeóque moralis bonitas consistit in ratione siue ordine conuenientiæ cum sub-

stantia rationali libera. Malum verò morale siue inhonestum est, quod per se repugnat ac dedecet rationalem liberam substantiam: ideóque moralis malitia formaliter consistit in ratione repugnantię cum rationali libera substantia. Etenim bonum idem est, quod alicui conueniens: & malum, quod inconueniens. Quare sicuti bonum naturale dicimus, quod conuenit substantiæ naturali, quatenus talis est: v.g. corporis bonum est sanitas: animæ scientia, virtus: ignis, calor: aquæ, frigus: mala verò naturalia, quæ eisdem contraria sunt: ita etiam bonum morale seu honestum appellatur, quod conuenit substantiæ morali, id est, arbitrij libertate prędite, quatenus talis est: malum verò morale quod eandem dedecet. Vide S. Th. q. 18. a. 4. & 5.

Etsi verò moralem bonitatem ac malitiam plerumque explicemus cum ordine ad dictamen rationis, quando dicere solemus: honestum esse, quod recta ratio siue conscientia agendum dictat: similiter moraliter malum seu inhonestum esse, cui recta ratio siue conscientia repugnat, tamē hæc explicatio à posteriore, nobisque notiore signo petita est, sicuti notauit Suarez in Metaph. disp. 10. s. 2. nu. 12. Nam ideo recta ratio iudicat amare Deum, misereri pauperis honestum esse, quia id re ipsa bonum honestum est: tale autem est, quatenus rationalem liberam naturam condecet. Similiter, ideo recta ratio iudicat mentiri, blasphemare inhonestum esse; quia re ipsa tale est: tale autem est, quatenus rationalem liberam naturam dedecet.

3 Assertio. Actus morales bonitatis vel malitiæ speciem atque essentiam accipiunt ab obiecto suo. Si enim obiectum bonum ac decens sit, certa quadam habitudine conformitatis ad substantiam rationalem liberam, etiam actio circa tale obiectum bona & honesta erit, certa specie virtutis. Contrà, si obiectum indecens sit, certa quadam ratione difformitatis ad substantiam rationalem liberam, etiam actio circa tale obiectum mala & inhonesta erit, in certa specie vitij, iuxta illud Oseæ cap. 9. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Ita docet S. Th. q. 18. a. 2. 4. & 8. Exemplum, Amare Deum ideo bonum ac honestum est, secundùm speciem virtutis charitatis Theologicæ: quia Deus optimus peculiari quadam ratione humanæ voluntati congruit: & opus eleemosynæ ideò bonum est, sub specie virtutis misericordiæ; quia miseria proximi, quatenus subleuabilis, peculiari ratione hominem decet. Furtum verò ideo opus malum est sub peccato iniustitiæ; quia rationalem substantiam peculiari modo dedecet, rem alienam à domino inuito auferre.

Corollarium I. Bonitas vel malitia moralis, quam obiectum actioni tribuit, est in ipso obiecto fundamentaliter atque causaliter; in actione verò formaliter: ad eum modum proportionalem, sicut veritas & falsitas formaliter sunt in actu intellectus; quippe intrinsecè repræsentante rem; ex qua tanquam obiecto species ac differentiæ sub genere cognitionis, veri ac falsi accipiuntur. Nam ideo cognitio vera est, quia res cognita ita se habet, sicut cognitio significat: & ideo cognitio falsa est, quia res cognita aliter se habet, quàm cognitio significat.

4 Pro pleniore autem intellectu tria obseruanda sunt: I. Discrimen est inter actus malos, qui per se & natura sua mali sunt, vt fornicari, Deum, ac proximum odisse; & qui mali sunt ex prohibitione legis, vt festo die laborare, Missam non audire. Qui enim prioris generis sunt, speciem malitiæ accipiunt ab obiecto secundùm se: at verò qui posterioris generis actus aut omissiones actuum malæ sunt, malitiam suam non habent ab obiecto præcisè, & secundùm se: sed cum ordine ad legem pręcipientem, aut prohibentem, vti magis patebit tract. sequent. capite & 2.

5 II. Discrimen etiam est inter actus morales, qui internè consummantur, vt charitas Dei, hęresis; & qui in exteriorem actionem prodeunt; vt eleemosynam dare, furari. Nam actus prioris generis vnicum obiectum habēt à quo suam speciem accipiunt: actus verò posterioris generis feruntur in obiectum, interueniente aliqua actione externa; quæ proinde proximum & immediatum veluti obiectum est interni actus siue propositi: quare suprà dixi, obiectum misericordiæ esse miseriam proximi *subleuabilem*; obiectum iniustitiæ furti, esse rem alienam inuito domino *contractabilem*.

III. Actus externus liberæ voluntatis, v.g. eleemosynæ datio, rei alienæ acceptio, duobus modis considerari potest: Primò, vt obiectum, circa quod actus internus, videlicet voluntas dandi aut furandi, proximè versatur: Secundò, vt executio & effectus eiusdem actus interni. Priore consideratione habet actus externus bonitatem aut malitiam non formalem, sed fundamentalem: quia formalis bonitas aut malitia actus internæ voluntatis desumitur ab actu externo, tanquam proximo obiecto suo. Posteriore verò consideratione, habet actus externus formalem bonitatem & malitiam; quamuis non vt intrinsecè ipsi inhærentem; sed tributam duntaxat per extrinsecam denominationem liberæ voluntatis, à qua imperatur. Quia, vt initio huius c. dixi, Actus humani interni per se primò ac formaliter boni sunt ac mali in genere moris, externi autem secundùm analogiam seu attributionem extrinsecam. Videri potest Gabr. in 3. d. 23. q. 1. a. 1.

Corollarium II. Malitia fundamentalis actus exterioris prior est malitiâ actus interioris: sed malitia formalis eiusdem actus exterioris, posterior est malitiâ actus interioris: non quasi sint duæ malitiæ formales; sed vnica, quæ est in actu interno tanquam forma intrinsecè denominans, seu inhærens; in externo autem vt denominans extrinsecè. Et similia dici possunt de bonitate actus, v.g. dandi eleemosynam.

Corollarium III. Actus internus & actus externus in genere moris non faciunt numerum: Vnicum, v.g. est peccatum furti, cuius formale atque essentiale est furandi propositum atque voluntas; materiale est externa actio. Quare sufficit in Confessione explicare actum externum, v.g. te furatum esse mille: quo ipso etiam indicatur internum propositum siue voluntas, à qua malitia siue ratio peccati in actum externum, tanquam forma in subiectū, deriuatur. Non autem sufficit ei, qui actum internum, siue propositum peccandi opere externo compleuit, solum internum actum explicare. Etsi enim is omnem formalē atque essentialem seu bonitatem seu malitiam in se ipso contineat; tamen per actum externum materialiter perficitur, ac velut extenditur: vt proinde actus internus sine externo quodammodo imperfectus existat, quippe proximum finem suum non assecutus. Vide Durand. 2. d. 42. q. 1. S. Bonau. ibid. a. 1. q. 1. & 2. Nau. in c. magna, d. 1. de pœnit. n. 11. & seqq. Medinam 1. 2. q. 18. a. 2. Becanum tr. 2. c. 5. q. 7. 6

Corollarium IV. Etsi actus internus efficax voluntatis bene vel malè agendi, opere non completus, quia deerat opportunitas vel facultas perficiendi, alioquin certissimò perficiendus; æqualem bonitatem vel malitiam essentialē habet; & perinde laudem vel vituperationem, præmium vel pœnam essentialem coram Deo meretur, ac si opere completus esset; (*Nam voluntas pro facto reputatur, vbi factum excludit necessitas*, ait S. Bern. Epist. 77. ad Hugonē de sancto Victore) quia tamen internus actus externo perficitur & consumatur, ideo eius bonitas vel malitia extensiuè ac materialiter augetur: qua de re Gabr. in 2. d. 42. q. vn. Nau. in cit. c. magna. d. 18. & c. si cui. §. item, n. 2. ead. d. 1. Quæ ipsa causa est, cur, v. g. Martyrium in voluntatis proposito efficaci, parem quidem apud Deum laudem gloriamque essentialem mereatur, ac si re ipsa consummaretur: non tamen accidentalis gloriæ laureolam, Martyribus propriam, consequatur. Qua de re S. Th. in 4. d. 49. q. 5. a. 1. & 4. S. Bonau. in 2. d. 40. a. 2. q. 1. & d. 42. a. q. 2. Rich. ead. q. 40. a. 1. q. 3. & 4. 7

CAP.

CAP. VIII.

De humanarum actionum circumstantijs in communi.

SVMMARIVM.

1 *Circumstantiæ sunt particulares humanarum actionum in genere moris accidentales conditiones.*
Earum duo sunt genera: quædam accidentaliter tantùm aggrauantes, vel minuentes: quædam verò nouam speciem afferentes.

2 *Circumstantiæ afferentes nouam speciem subdiuiduntur. quòd quædam actioni retinenti propriam speciem ex obiecto, alteram adiungunt: quædam speciem actionis mutant, siue ad aliam transferunt.*

3 *Omnis actio moralis ac libera in indiuiduo vel bona, vel mala est, & nulla indifferens.*

1 CIrcumstantias vocat S.Th.q.7.a.1. particulares humanarum actionum in genere moris conditiones, siue accidentales affectiones. Earum duo sunt genera, auctore eod. S.Th.q.18.a.11. Quædam enim actionis bonitatem vel malitiam intra eandem speciē augent vel minuūt: quamobrem dici solent aggrauantes, vel minuentes: Huius generis est, v.g. actionis vehementia vel remissio; mora longa, aut breuis. Melior enim est dolor de peccatis intensus, quàm remissus; qui horam durat, quàm qui horę quadrantem. Aliæ verò circumstantiæ peculiarem bonitatis vel malitiæ speciem actioni adferunt, ob specialem quam agerunt habitudinem conformitatis vel difformitatis ad rationalem naturam. Vt si quis in loco sacro furetur vel coniugij opus exerceat.

2 Porrò alterum hoc circumstantiarum genus, nouam speciem afferentium, siue, vt alij loquuntur actionem ad nouam speciem transferentium, subdiuidi debet. Nam aliæ sunt, quę nouam bonitatis vel malitiæ speciem adferunt actioni, retinenti propriam speciem, quam habet essentialem ex obiecto: veluti, si eleemosynam des, Deo satisfaciendi causâ pro peccatis tuis, erit hæc actio in duplici specie virtutis, videl. misericordiæ, ac pœnitentię. Item, si fureris in loco sacro, spectabit hæc actio & ad speciem peccati iniustitiæ, & sacrilegij. Aliæ verò circumstantiæ sunt, quæ mutant speciem actionis moralis, propriam ipsius bonitatem destruendo, & ad speciem malitiæ transferendo: v.g. si eleemosynam pauperi des, vanæ gloriæ causâ; mutatur opus virtutis misericordiæ in opus vitiosum inanis gloriæ. Item, si coniugi in loco sacro debitum reddas, mutatur opus iustitię in sacrilegium. Vide Med. q.18.a.3.

Obijcies: Circumstantia, cùm sit quoddam accidens, supponit actionem in propria specie persistentem, non destructam. Nam accidens est quod abest & adest sine subiecti euersione. Resp. ex doctrina, quam indicat S.Th. 1. 2. q.18.a.9. in corp. & a. 10. ad 1. & 2. & tradit Alex. Alensis in p.4.q.77.memb.3.a.2.§.2. Nau.c. consideret.n.3.d.5. de pœnitentia: Actio moralis dupliciter considerari potest: vel secundùm absolutam & specificam rationem, quam ex obiecto habet, præcisis circumstantijs: vel secundùm rationem indiuidualem, quam re ipsa habet, spectatis omnibus circumstantijs, tanquam indiuiduantibus conditionibus. Dico igitur: Licet locus sacer, v.g. sit propriæ dicta circumstantia actus coniugalis, quatenus is spectatur secundùm obiectum præcisè specificans: non tamen est propriè circumstantia, sed transit in rationem obiecti, tribuentis actioni internæ (consequenter etiam externæ) primam & vnicam essentialem speciem malitię: quatenus actio spectatur secundùm rationem indiuidualem, quā non ex obiecto præcisè, sed etiam annexis circumstantijs accipit. Eodemque recidit responsio Medinæ q.18. a.6. in fine. Quod dici solet, circumstantiam, v.g. loci sacri, mutare actum de bono in malum, non ita intelligendum esse, quasi actus antè bonus fuerit & in specie virtutis: per circumstantiam verò transmutatus in speciem vitij: sed quod esset bonus & in specie virtutis, nisi prauâ illâ circumstantiâ inficeretur.

Ad extremum notanda est doctrina S. Aug. l.2. de peccatorum meritis & remiss. c.18. quam sequitur S. Th. 1. 2. 3
q.18.a.9. Rich. in 2.d.40.a.2.q.3. Dur. q.1. Capreol. q.1. a.1. conclus.2. Albert. Magnus a.4. contra Alensem 3. p. q.35.mem.3. Scot. in 2.d.41.q.vnic. Gabr.q.1.a.2. Vasq. 1. 2. dis.52. Omnes actiones humanas, quæ secundùm speciem ex obiecto præcisè considerato, indifferentes sunt, per circumstantias, pręsertim finem, moraliter bonas, vel malas existere: ac proinde nullam esse actionem moralem ac liberam, quæ in indiuiduo indifferens sit. Probatur. Omnis actio ex obiecto indifferens, v. g. festucam humo leuare, si humano modo ac deliberatè fiat, ob finem aliquē necessariò fit: quæ relatio ad finē, si recta atque rationi conformis, puta si festucam tollas; vt cubiculi mundities, corporis atque animæ munditiem tibi conciliet: bona & honesta est talis actio. Sin autem relatio ad finem rationi conformis non sit: vel quia ad finem malum refertur, vel quia ad nullum finem bonum refertur: sed festucam, v.g. humo tollis, solum vt imaginationi, vel libertatis exercendæ appetitui satisfacias: tunc non minùs otiosam ac vanam (quippe fine debito destitutam) actionem exerces, quàm si otiosum verbum proferas, id est tale, *quod & ratione iustæ necessitatis, & intentione pię vtilitatis caret*, sicut post Origen homil.1.in Psalm.38. Basil. in reg. breuioribus, interrog. 23. Hieronym. in c. Matt. 12. definit S. Grego. 7. moral. c.25. & 3. p. pastoralis, admonit. 15. & homil. 6. in Euang. Vel vt S. Bernard. sermon. de triplici custodia ait, *Otiosum verbum est, quod nullam rationabilem causam habet.* Verbum autem otiosum peccatum esse, significat Dominus apud S. Matth. c.12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in nouissimo die.* Ergo similiter peccatum est, aliam quamuis otiosam, nullóque rationabili fine cohonestatam actionem exercere.

Pro solutione argumentorum contrarię sententiæ, quæ proponit Vasq. l.c. duo aduertenda sunt: I. Cùm dicitur, quasdam actiones, secundùm speciem ab obiecto, indifferentes esse: negatiuè explicari debet, vt sensus sit: Ex obiecto, secundùm se ac præcisè spectato, nec bonitatem nec malitiam moralem habere: sed solùm ex circumstantijs, pręsertim fine: quomodo etiam Dialectici dicere solent, Naturam humanam pręcisè spectatam, indifferentem seu communem esse; quia secundùm se non est determinata: sed per indiuiduantes conditiones. Ita notat Durandus in 2. d.40. quęst.1. II. Ad hominis officium spectat corpus suum, eiusque commoda referre ad virtutis studium, animæ salutem, Deique honorem: quod vbi homo præstiterit, quæ deinde agit corporis causa, (v. g. cùm frigoris pellendi causa manus confricat) moraliter bona & honesta censentur: si vel actu vel virtute ad dictum finem honestum referantur: cùm corporis conseruatio sit fundamentum exercitij virtutum. Ita respondet S.Th. q.18. a.9. ad 3.

Cæterùm tract. seq. in fine cap. 5. dicturus sum, hominem sæpe multas actiones exercere, solùm ex motiuo tēporali alicuius commoditatis, vel vtilitatis: nihil omnino aduertentem, aut cogitantem de alio superiore fine honestatis: ad quem naturalem vel temporalem actionem referre debeat. Tunc autem accidit, vt actio moraliter nec bona nec mala sit: quia non fit secundùm deliberationem rationis superioris, attendentis ad honestatem, vel inhonestatem: sine qua deliberatione moralis bonitas vel malitia non consistit.

CAP. IX.

De circumſtantijs in particulari.

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantiæ humanarum actionum ſeptem numerantur.*
2 *Peccata tantò grauiora ſunt, quantò ſanctior aut ſublimior perſona, quæ peccat, ſi cum plena deliberatione agat.*
Grauior eſt iniuria, quæ fit homini innocenti, ſancto.
3 *Peccata externa in loco ſacro commiſſa continent peccatum irreligioſitatis, plerumque veniale: tunc autem mortale, ſi actus valde turpis ſit, vel ab Eccleſia ſpecialiter prohibitus ob reuerentiam loci ſacri; vt fornicatio, furtum.*
4 *Finis extrinſecus, licet reſpectu operantis principale obiectum ſit: eſt tamen accidentalis circumſtantia operis, quod ob eum finem exercetur: puta, ſi quis furetur cauſa fornicandi: vel ieiunet causâ ſatisfaciendi pro peccatis ſuis.*
5 *Septem potiſſimum modis contingit, vt actio ex operãtis arbitratu ad finem extrinſecum referatur.*
6 *Quotieſcunque intentio praua, etiam electio praua eſt.*
7 *Quotieſcunque electio praua, etiam intentio praua eſt.*
8 *Qui prauum medium eligit ob prauum finem duo peccata committit: veruntamen actus impudicos, qui ordinariè coniuncti eſſe ſolent, non eſt neceſſe in Confeſſione explicare explicatu principali actu fornicationis.*
9 *Peccata commiſſa in die feſto non continent ſpeciem irreligioſitatis, niſi fiant ex directa intentione inhonorandi ſacrum tempus.*

1 SEptem circumſtantias numerat S. Tho. q.7.a.3. ex Cicerone in Rhetoricis: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Circumſtantia *Quis*, ſignificat conditionem ſiue qualitatem perſonæ operantis: & actui malo ſæpe nouam malitiæ ſpeciem confert: veluti ſi coniugatus fornicetur, non ſolùm contra temperantiam, ſed etiam contra iuſtitiam peccat: ſi verò perſona voto caſtitatis obſtricta, etiã contra virtutem religionis peccato ſacrilegij; ſi perſona publica v.g. Prælatus, Parochus ſubditis indigentibus opẽ ferre negligat, non ſolùm contra miſericordiam; ſed etiam iuſtitiam delinquit.

2 Interdũ verò circũſtantia hæc intra eandẽ ſpeciẽ operis malitiã auget: quò pertinet perſonæ ſanctitas, ſublimitas. Nam grauius, cæteris paribus, eſt peccatum hominis fidelis, quàm infidelis: Deo accepti, quàm non accepti: docti, quàm indocti: Epiſc. Religioſi, Clerici, quàm ſecularis, aut laici: eius qui ſingularibus beneficijs à Deo donatus eſt, quã alterius. Quare S. Greg. ait hom.9. in Euang. *Cùm, augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.* Et Iſidorus l. 2. de ſummo bono, c.19. *Tantò maius cognoſcitur peccatum eſſe, quantò maior, qui peccat, habetur.* Hinc Sapiens c.6. dixit; *Potentes potenter tormenta patientur.* Vide S. Tho. 1.2. q.73. a. vlt. Vbi rectè admonet, id intelligendũ eſſe de peccatis, quæ cum deliberatione perfecta committuntur; non item de peccatis ex fragilitate, aut ſubreptione: hæc enim in viris ſanctis (qui deſiderium ac media peccatorum vitandorum adhibent) minùs deliberata, adeóque leuiora eſſe ſolent. Vide eundem in 2.2. q.186. a.10. Nau. in c. conſideret. §. ingratus, d.5. de pœnit. Grauior quoque eſt relapſus in peccatum mortale, quò ſæpiùs eius remiſſionem homo à Deo conſecutus fuerat, cõuenienter S. Petro Epiſt.2. c.2. Eſt enim hæc circumſtantia ingratitudinis intra eandem ſpeciem peccatum aggrauãs, non nouam malitiam conferens; niſi quis formali & expreſſa intentione vilipendendi beneficium, vel benefactorem delinquat, ſicuti explicat S. Thom. 3. p. q. 88. art.3.

Eadem circumſtantia perſonæ interdum actui bono abijcit nouam ſpeciem: ſiue virtutis iuſtitiæ: veluti ſi Parochus ex officio populum erudiat, ſacramenta adminiſtret; ſiue virtutis religionis, ſi voto obſtrictus ieiunium, vel continentiam ſeruet. Interdum intra eandem ſpeciem actionis bonitatem auget: vt ſi vir doctrinâ excellens alijs ſe ob humilitatem poſtponat, vel ſubijciat: ſi pauper eleemoſynam det, &c.

Circumſtantia *Quid*, aliàs *circa quid*, ſignificat conditionem aut qualitatem materiæ ſiue obiecti, circa quod actio verſatur. Sępe actui malo confert nouam malitiæ ſpeciem; vt in genere iniuſtitiæ, ſi accedas ad vxorem alienam: vel in genere impietatis contra parentes, alioſque conſanguineos, affines, vt videre eſt in inceſtu, parricidio, fratricidio; vel in genere ſacrilegij, vt in furto rei ſacræ, fornicatione cum perſona religioſa; percuſſione Clerici. Interdum intra eandem ſpeciem actionis malitiã auget: vt ſi iniuriam inferas homini innocenti, ſancto, iuxta illud. Zac. 2. *Qui vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei:* & proſequitur S. Thomam cit. quæſt. 73. art. 9. Eadem circumſtantia interdum actui bono nouam ſpeciem addit vt ſi pauperi ſacerdoti eleemoſynam largiaris, erit is actus in duplici ſpecie virtutis, nempe miſericordiæ & religionis: dummodo vtriuſque virtutis honeſtatem animo intendas. Interdum verò intra eandem ſpeciem actionis bonitatem auget: vt ſi viduis, pupillis, peregrinis; &c. humanitatis, ac liberalitatis officia præſtas. 3

Circumſtantia *Vbi* rarò intra eandem ſpeciem notabiliter peccatum aggrauat: niſi fortè in materia iniuſtitiæ, ſi coram pluribus alicuius famæ detrahas: vel contumeliã inferas: ſæpiùs verò nouam malitiæ ſpeciem adfert; vt videre eſt in furto, fornicatione admiſſa in loco ſacro. Qua tamen in re dubitari ſolet, vtrum id ex iure naturali & diuino; an ſolùm eccleſiaſtica prohibitione proueniat; Placet mihi ſententia Medinæ Cod. de confeſſ. tr. 2. q.9. Suar. to. 1. de relig. lib. 3. de reuerentia debita locis ſacris, c. 7. Peccata externa ex natura ſua inferre aliquam irreuerentiam locis, quæ ab Eccleſia ad ſacros tantùm vſus deſtinata ſunt; & quidem tantò maiorem, quantò magis, ſecundùm prudentis viri iudicium, actus malus ſanctitati loci repugnare videtur: ita tamen, vt (ſecluſa Eccleſiaſtica prohibitione, qualis interuenit, v. g. in furto ſacrilego) rarò ſit cenſenda irreuerentia & culpa mortalis contra religionis virtutem, peccatum in loco ſacro committere, etiam externum v.g. detractionis, turpiloquij: præterquam ſi actus valde fœdus ac turpis ſit: exempli cauſa impudicos tactus in partibus verendis exercere, quãuis ſine pollutione: eiuſmodi non videtur poſſe excuſari à ſacrilegio mortali, contra ius naturale: ideóque in tali caſu circumſtantia loci ſacri in ſacra Confeſſione explicãda eſt, ſicuti docet etiam Rodriq. t.1. ſum. c. 270. concl. 1. Licet contrarium ſentiant Caiet. t.1. opuſ. tr. 31. reſp. 12. dub.2. Nau. c. conſideret, n.20. d.5. de pœn. Sanch. l.9. diſp. 15. vbi aiunt, Peccata in templo admiſſa non habere circũſtantiam ſacrilegij in Confeſſione neceſſariò explicandam, niſi directè repugnent vſibus illis, ad quos locus ſanctificatus eſt. Denique interdum peccatum in loco publico, vel in præſentia aliorum commiſſum, peculiarem ſcandali rationem continet.

Circumſtantia *Quibus auxiliis*, partim ſignificat propriè dicta inſtrumenta, quorum adminiculo homo ad peccãdum vtitur. Vt ſi armorum genere ad lædendum vel cruciandum exquiſito, aut ſpeciali lege prohibito alterum aggrediatur. Partim ſignificat alios homines, iuſſu vel conſilio ad criminis ſocietatem ſolicitatos: vnde peculiaris ſpecies malitiæ contrahitur vel ſcandali, vel eius peccati ad quod ſocius pellicitur: de qua re ſuo loco. Videri poteſt Suarez t.4. diſp.22. ſ.4. Azor t.1. l. 2. c. 4. circumſt. 4.

Sequitur circumſtantia *propter quid*, ſiue finis, quam circumſtantiarum præcipuam eſſe, teſtatur S. Th. q.7. art.4. Nam finis eſt præcipuum motiuum voluntatis; quamobrem dixit Ariſt. 5. Eth. c.2. conſentiente S. Th. q. 18. a. 6. Eum qui furatus adulterandi cauſa, magis adulterum quàm furem eſſe. Nam id magis tale eſt, propter quod vnumquodque tale eſt, ait Ariſt. 1. poſter. c.2. Furtum autem huic homini voluntarium eſt propter adulterium: ergo adulterium magis voluntarium. Cæterùm idem finis, 4

licet

licet in operantis intentione principale obiectum sit, ideóque actui interno speciem malitiæ conferens; est tamen accidens siue circumstantia ipsius peccati furti, quòd propriam substantialem malitiam ab obiecto suo, videl. rei alien. contrectatione, accipiens, ad adulterium accidentaliter, quippe operantis arbitratu, non suapte natura refertur.

Vbi notandum, quòd duplex est finis actionis: Vnus ipsiusmet operis, qui finis obiecto intrinsecus ac veluti imbibitus est; ideóque operi seu actioni moralem speciem siue essentiam tribuit: veluti si pauperi eleemosynam des corporalis miseriæ subleuandæ causa; finis iste actioni propriam speciem confert, vt sit opus virtutis corporalis misericordiæ. Alter est finis operantis, qui & extrinsecus dicitur; quem nimirum operans suo arbitratu præstitit: veluti, si eleemosynam des causa vanam gloriam captandi; vel pro peccatis satisfaciendi. Atque hunc posteriorem finem dico esse, accidentalem circumstantiam, afferentem actui (qui ex obiecto suo, finéve intrinseco bonus vel malus est) nouam bonitatis vel malitiæ speciem. Vide Medin. q. 18. a. 4. ad 4. & a. 11. reg. 3.

5 Porrò septem potissimùm modis contingere potest, vt actio ex operantis arbitratu, ad finem extrinsecum, tanquam circumstantiam moraliter afficientem, referatur. Vel enim actus ex obiecto bonus, refertur ad finem extrinsecum bonum: vt dare eleemosynam, gratia satisfaciendi pro peccatis. Vel actus ex obiecto bonus, refertur ad finem malum: vt dare eleemosynam ob vanam gloriã. Vel actus ex obiecto bonus, refertur ad finem indifferentem; vt si ieiunes solùm gratia parcendi sumptibus. Vel actus ex obiecto indifferens refertur ad finem bonum: vt iter facere religionis causa. Vel actus ex obiecto indifferens refertur ad finem malum: vt ambulare ad fornicandum. Vel actus ex obiecto malus, refertur ad finem bonum: v. g. furari vt eleemosynam dare possis. Vel actus ex obiecto malus, refertur ad finem malum; vt furari fornicandi causa.

Primo casu, circumstantia finis boni nouam bonitatis speciem addit actioni ex obiecto bonę. Quare duarum virtutum, pœnitentiæ scil. ac misericordiæ, opus exercet, qui eleemosynam dat, vt Deo pro peccatis satisfaciat: quarum illa actio à Theologis dicitur imperata; hæc imperans, vt suprà dixi cap. 2. n. 8. & videri potest libellus, qui inscribitur praxis bonarum intentionum, §. 2. Ad hoc tamen, vt actus tam ex obiecto, quàm ex fine extrinseco bonus, in duplici specie virtutis ac honestatis existat; requiritur, vt voluntas etiam ipsam bonitatem seu honestatem proximi obiecti per se eligat: Quod fieri solet, quãdo ea etiam secundùm se conducens est ad bonitatem seu honestatem finis, principaliter intenti, sicut in suprà posito exemplo videre est, & notauit Becanus 1. 2. tr. 1. c. 4. q. 3. concl. 2. q. 1.

6 Secundo casu, circumstantia finis mali omnino destruit & efficit actum, qui ex obiecto bonus esset, simpliciter malum. Quare non tam habet rationem circumstantiæ, quàm obiecti, tribuentis actui morali primam & vnicam malitiæ speciem: v. g. si eleemosynam des ob vanam gloriam, non actum virtutis misericordiæ; sed vitiosum actum vanæ gloriæ exerces. Hinc dici solet: *Quotiescunque intentio praua est, etiam electio praua est: siue, prauitas intentionis deprauat etiam electionem.* Qua de re S. Gregor. lib. 28. moral. c. 6. S. Tho. q. 18. a. 6. ad 2. & q. 19. a. 2. ad 2. S. Bonau. in 2. d. 40. a. 1. q. 1. Gab. q. vn. a. 2. Azor to. 1. l. 2. c. 5. q. 6.

Tertio casu, totus actus ex obiecto indifferens est; quippe cùm finis, in quo actus in moralibus dependet, indifferens sit, vti notauit Sanch. l. 4. moral. c. 7. n. 25.

Quarto casu, circumstantia finis boni tribuit actui ex obiecto indifferenti primam & vnicam essentialem bonitatis speciem; ideóque in genere moris non circumstantiæ proprietatem; sed obiecti rationem habet. Quare peregrinatio, v. g. religionis causa, opus est virtutis religionis. Vide S. Greg cit. c. 6. non longè à fine, vbi explicat locum Matt. 6. *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit.* Medinam 1. 2. q. 19. in fine a. 3. Vasq. d. 53. c. 2. n. 9. Becanum 1. 2. tr. 1. c. 4. q. 3.

Quinto casu, circumstantia finis mali confert actui ex obiecto indifferenti primam & vnicam essentialem speciem malitiæ; ideóque in genere moris amittit proprietatem circumstantiæ, & solius obiecti rationem acquirit. Hinc ambulatio fornicandi causa opus intemperantiæ est. Vide S. Th. q. 18. a. 5. ad 4. Ioan. Gerson. p. 2. operum, vbi de intentione & fine actionis.

Sexto casu, circumstantia finis boni nihil confert actui ex obiecto malo; sed relinquit simpliciter & vndequaque malũ: v. g. qui furatur vt det eleemosynam, is actum sub genere iniustitiæ malum: non item sub genere misericordiæ bonũ exercet. Nam species quædam furti est, ex alieno liberalem esse: quare Eccles. c. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Et S. Aug. in Enchir. c. 22. exinde ostendit, mentiri vt alicui prosis, esse peccatum; sicuti & furari à diuite, vt pauperi possis dare. Item docet l. contra mendacium, c. 7. vbi etiam generatim ait; *Ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Et Apostolus ipse reijcit illam sententiam, ad Rom. 3. *Faciamus mala, vt eueniant bona.* Hinc dici solet: *Quotiescunque electio praua, etiam intentio praua est*: Siue *Prauitas electionis deprauat quoque intentionem.* Ratio peti debet ex discrimine inter bonum ac malum morale; quia. vt S. Dion. ait c. 4. de diuinis nominibus, *Bonum ex integra causa est: malum ex quouis defectu.* Sensus est: Vt actio moraliter bona existat, necesse est tũ objectum, tum finem, & cæteras circumstantias bona esse, & rationi consentanea: v. g. vt corporis refectio opus virtutis temperantiæ sit, necesse est & mediocrem cibi, potúsve sumptionem existere, ac debito fine, loco, tempore modo fieri. Quòd si eorum vnum solum deficiat, v. g. si comedas medio foro, aut in templo: vel vt alacrior fias ad iniuriam: etsi alia omnia adhibeas, quæ secundùm rationis præscriptum refectioni moderatæ necessaria sunt, non erit opus bonum virtutis, sed vitiosum ac malum. Ita S. Th. q. 18. a. 1. 3. & 11. videri etiam potest Durand. n. 2. d. 38. q. 1. n. 8. 7

Septimo casu, circumstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam: eamque vel specie distinctam, si finis ille prauus ordinem repugnantiæ cum recta ratione specifice diuersum habeat: vt videre est in furto fornicationis causa: vel solo numero distinctam, si prauitas finis eiusdem rationis sit cum prauo medio, sicut videre est in furante instrumenta, quibus vti possit ad furandas pecunias: hic enim duo peccata contra iustitiam solo numero distincta committit. Excipe, nisi media eiusdem speciei malitiam continentia, cum malo fine per se ac ordinariè coniuncta esse soleant: tunc vnà cum fine eandem numero malitiam contrahunt. Exemplum habes in impudicis actibus, qui per se ad fornicationem referuntur: eãque ordinariè præcedunt, tanquam dispositiones, inchoationes; vt proinde explicato in Confessione actu principali fornicationis, necesse nõ sit explicare antecedentes actus accessorios, qui fuerint veluti viæ, ac media, teste Suar. 3. p. t. 4. disp. 22. s. 5. n. 26. Imò Nauar. c. 6. man. n. 17. & in c. consideret, n. 48. d. 5. de pœnit. idem censet de impudicis actibus fornicationem consequentibus. Nam licet hęc secundùm se mortalia peccata sint, numero distincta ab antecedente fornicatione; quippe ad quam referri ampliùs non possunt, tanquam media & viæ; (sicut rectè lo. cit. Suarez notauit). moraliter tamen illi cohærent, tanquã accessoria, vt facilè intelligi soleant: profectò difficilè, & vix decenter explicari, aut à Confessario inquiri possint. 8

Sequitur circumstantia *quomodo*, quæ modum actionis significat, & interdum actui malo nouam malitiæ speciem confert; vt videre est in rapina siue furto violento:

item in stupro violento; homicidio cum sæuitia, aut sæueritate: vt si in cadauer hominis à te occisi sæuias, in frusta seces. de quo S. Th. 2. 2. q. 159. a. 2. denique in omni peccato, facto ex formali legis contemptu, siue directa non obediendi intentione, de quo tract. seq. Interdum verò intra eandem speciem operis malitiam auget, vel minuit. Huc pertinet, vtrum peccatum commissum sit ex scientia ac mera malitia; an ex passione; an ex culpabili ignorantia: num voluntate plenè determinata; an verò ex metu, suasione, precibus.

9 Circumstantia *Quando*, si sumatur pro temporis mora, qua actio durat, eius bonitatem vel malitiam accidentaliter auget. Alioquin verò temporis circumstantia, vt quòd Dominico, vel festo die eleemosynam dederis, ebrius fueris, vel fornicatus; non reddit actionem moraliter meliorem, deterioremúe; multo minùs nouam speciem addit, per se loquendo, iuxta probabiliorem sententiam Syl. ver. confessio, 1. q. 10. Caiet. to. 1. opusc. tract. 18. q. 3. Nau. in man. c. 6. n. 11. & in c. consideret, n. 22. d. 5. de pœnit. Suar. to. 4. disp. 22. s. 4. n. 21. contra Adrianum in 4. de confess. q. 4. §. Venio nunc. S. Anton. 3. p. tit. 17. c. 17. §. 5. Medin. Cod. de confess. tract. 2. q. 9. Lessium lib. 2. cap. 45. dub. 4. Nisi actio fiat cum directa intentione honorandi vel inhonorandi sacrum tempus. Siquidem hoc discrimen est inter locum sacrum, & tempus sacrum; quòd locus, tanquam res permanens, consecrationis moralisúe sanctitatis capax sit: cui proinde exterioris ac sensibilis praui operis exercitium secundùm rectam rationem repugnat: tempus autem, res transiens, non ita secundùm se capax est consecrationis, moralisúe sanctitatis: sed dicitur sanctum per accidens, ratione sanctarum operationum, quæ in eo fieri solent, ac debent.

CAP. X.

Quænam peccatorum circumstantiæ in confessione necessariò explicandæ sint?

SVMMARIVM.

1 *Circumstantiæ omnes mortales, quæ speciem mutant, vel nouam speciem adferunt, in confessione explicari debent.*

2 *Circumstantias, quæ intra eandem speciem, peccati grauitatem notabiliter augent, explicandas non esse, est communior DD. sententia.*

Excipienda tamen hinc est circumstantia quid, seu circa quid, si attingat quantitatem, ac veluti integritatem obiecti substantialis: v. g. quòd decem millia furatus sis; quod incestum in primo consanguinitatis gradu commiseris; quòd totam domus familiam, tanto hominum numero constantem, occidere proposueris.

4 *Circumstantia relapsus non est necessariò explicanda.*

Neque circumstantia duplicis præcepti; si v. g. violasti ieiunium vigiliæ cadentis in quatuor tempora.

Neque circumstantia violati duplicis voti castitatis; puta si religiosus idemque sacerdos fornicatus sit, debet dicere se Religiosum esse: sed non est necesse explicare circumstantiam sacri ordinis.

5 *Circumstantias peccati minuentes eas tantùm explicare debent, quæ peccati malitiam vel omnino tollunt, vel ex mortali faciunt veniale.*

1 Consentiunt Doctores, circumstantias omnes mortales, quæ speciem peccati mutant, vel nouam speciem adferunt, in confessione explicandas esse: v. g. quòd calicem sacrum furatus sis; cum persona sacra fornicatus: idque expresse definit Trident. Concil. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Cùm enim ad integritatem confessionis pertineat omnem mortalem malitiam explicare; sequitur etiam circumstantias quę propriam in se malitiam, siue speciem peccati mortalem continent, Sacerdoti explicandas esse.

2 De circumstantiis verò, quæ intra eandem speciem, peccati mortalis grauitatē notabiliter augent, dissentiunt Doctores, vtrum non solùm ex consilio, sed etiam ex præcepti necessitate explicandæ sint? Communior sententia negat, S. Th. in 4. d. 16. q. 3. a. 2. q. 5. Durandus q. 4. Palud. q. 3. a. 3. S. Bonau. d. 17. p. 3. a. 2. q. 3. Richar. ibid. a. 3. q. 5. S. Anton. p. 3. tit. 14. c. 19. §. 7. & tit. 17. c. 17. §. 5. Adrian. in 4. q. 4. de confess. a. 2. Syl. ver. cōfessio, 1. q. 9. Nau. cap. 6. man. n. 6. &c. consideret, n. 6. d. 5 de pœnit. Couar. in 4. decr. p. 1. cap. 1. n. 18. Med. C. de confess. tr. 2. q. 7. Philiarchus to. 1. lib. 2. cap. 22. Valent. q. 11. p. 1. Quibus fauere videtur Trident. Concil. cit. cap. 5. vbi enumerare instituens ea omnia, quæ ad integritatem confessionis requiruntur, opus esse inquit, circumstantias confiteri quæ speciem peccati mutant: vnde contrarius sensus colligi posse videtur, circumstantias, quæ peccati speciem non mutant, sed eandem tantùm aggrauant, necessariò confitendas non esse. Accedit ratio: Cùm enim difficilè sit discernere, quænam peccatorum mortalium circumstantiæ intra eandem speciem, multùm, & quæ parùm aggrauent; non modicam difficultatem, scrupulorumque materiam tam Confessario, quàm pœnitenti ingerimus, si dicamus, circumstantias multùm aggrauantes ad sacræ Confessionis integritatem pertinere, sicuti notauit Nau. ll. cc.

Contraria tamen sententia affirmans, circumstantias multùm grauantes explicandas esse, est Barthol. Medinæ in instruct. Confessar. lib. 1. c. 9. §. 1. Soti in 4. d. 18. q. 2. a. 4. Lopez p. 1. cap. 29. Cani relect. de pœnit. p. 5. Henriq. lib. 5. cap. 7. n. 6. Suar. to. 4. disp. 22. sect. 3. Fundamentum est; Peccata eo modo Sacerdoti per Confessionem explicanda sunt, vt is de illorum qualitate, ac grauitate iudicare, conuenientemque cùm pœnam, tum medicinam præscribere possit, sicuti significatur in Concil. Trident. cit. cap. 5. & in Concilio Vvormaciensi tempore Adriani II. & Ludouici Imper. II. can. 25. & in Concilio Trullano habito post VI. œcumenicum, can. vlt. Id autem fieri non potest, nisi notabiliter aggrauantes peccatorum circumstantiæ exprimantur.

3 Circa hanc difficilem quæstionem dicendum mihi videtur primò, cum Henriq. lib. 5. cap. 7. n. 6. Ex circumstantijs intra eandem peccati speciem notabiliter aggrauantibus, necessariò in Confessione explicanda est circumstantia *Quid*, siue *circa quid*, si attingat quantitatem, ac veluti integritatem substantialis obiecti. Declaratur exemplis: I. In quantitate furti: neque enim satis est confiteri notabilem pecuniæ summam te furatum esse; siue mortale peccatum furti commisisse: sed necesse est definitè dicere, quantum furatus sis: num aureos mille, an centies mille sicuti bene docet P. Sotus de Confess. lect. 9. Valentia to. 2. disp. 6. q. 18. p. 2. licet contradicat Lucas Pinellus lib. 2. de pœnit. cap. 3. dub. 3. II. Qui malignum propositum habet plures homines, siue totam familiam domus supposito v. g. igne occidendi, is vnum numero peccatum committere videtur, teste Suar. disp. 22. s. 5. n. 34. Nau. cap. 6. n. 18. repugnante Azorio lib. 2. cap. 4. q. 2. §. Secunda circumstantia: tenetur tamen multitudinem hominum, quam occidere proposuit, in Confessione explicare. III. Si hominem graui vulnere affecisti, vel etiam mutilasti: si viro Principi, vel homini magnæ auctoritatis coram pluribus contumeliam intulisti: vt iniuria non leuis, sed atrox censeatur: Item si ab homine paupere pecuniam furatus es: arbitror tales circumstantias in Confessione exprimendas esse: quia pertingunt ad notabilem grauitatem obiecti formalis, quod est iniustum damnum proximi. IV. Explicandum est in Confessione, vtrum ieiuniū violâris carnes comedendo: an sæpiùs in die comedendo alios cibos: qui vtraque abstinentia ab Ecclesia pręcipitur: & prior illi obseruari potest, non obseruata posteriore, vt sit tunc quasi semiieiunium: Ita docet Henriq. lib. 5. c. 5. n. 6. lit. l. Suar. cit. disp. 22. s. 3. n. 12. V. In peccato incestus necessariò explicanda est circumstantia personæ, sitne in primo, secundo, an tertio gradu consanguinitatis: tametsi diuersitas eiusmodi circum-

circumstantiarum non adferat diuersitatem peccati specificam, sicuti testatur Caiet. 2. 2. q. 154. a. 9. Suar. tom. 4. disp. 22. sess. 3. num. 12. contra Nau. cap. 7. n. 4.&c.16.n.3. Ratio horum est. Quia circumstantia pertinens ad integritatem siue extensionem malitię substantialis est explicanda: cùm alioquin non tota substantia peccati mortalis explicaretur: Sed gradus primus consanguinitatis, quantitas duorum millium furto oblatorum multitudo hominum occidendorum, & cætera, quæ suprà dixi, pertinent ad integritatem siue extensionem substantialis malitiæ horum peccatorum: Siquidem formalis ac specifica malitia incestus consistit in irreuerentia & impietate erga sanguine vel affinitate iunctos, iuxta illud Leuit.18. *Mater tua est, non reuelabis turpitudinem eius.* Maior autem reuerentia debetur matri, v.g. quàm consobrinæ: ergò formaliter siue substantialiter maius peccatum est incestus cum matre, quàm cum consobrina. Item formalis & substantialis malitia furti consistit in iniusto damno, &c. maius autem damnum per iniuriam infertur, si mille fureris, quàm si decem: item si ab homine paupere, quàm si à diuite. Confirmatur tradita doctrina ex S. Thom. cit. q.7.a.4. vbi ait, post circumstantiam finis, eam quæ est *Quid*, seu *circa quid*, esse alijs principaliorem, quia *attingit ipsam substantiam actus.*

4 Dicendum est II. De reliquis aggrauantibus circumstantijs valde probabilis, & tuta est sententia, eas omitti posse: quamuis tunc certum non sit, vtrum notabiliter aggrauantes sint, quippe alijs Doctoribus id affirmantibus, alijs negantibus. Declaratur exemplis. I. Qui frequenter à Deo alicuius peccati remissionem consecutus, denuo lapsus est, non tenetur hanc relapsus circumstantiam confiteri, vti docet S. Th. in 4.d.22.q.1.a. 4. S. Bon. ibid.a.1.q.2. Adrianus in 4. de confess. vbi de remiss. peccatorum.q.vlt. Canus relect.5.de pœnit. contra Alensem p. 4.q.77.mem.5.a.4. Valent.to.4. de sacram.pœnit.q. 5. p. 2. Henriq.l.5.c.8. n.1. quibus praxis Confessariorum ferme repugnat. Cęterùm etsi circumstantia relapsus aggrauet, ob maiorem erga Deum ingratitudinem, vti colligitur ex S.Th.3.p.q.88. a.3.& 4. non tamen certum est, vtrũ notabiliter aggrauet: id enim negat Suar.l.c. Videri etiam possunt S.Thomas, & S.Bonau.cit.d.22. vbi disputant contra eos, qui arbitrati sunt, ideo relapsum, imò etiam antecedentia dimissa peccata in confessione iteratò explicanda esse, quia eorum reatus redeat: quod falsum est.

II. Qui in vigilia Apostoli incidente in quadragesimam vel quatuor tempora, binam Ecclesiastici ieiunij legem violat: aut qui festo die, in Dominicam incidente, Missam negligit, is vnicam malitiam, (quamuis grauiorem) committit: quia vtraque lex sub eadem ratione seu motiuo Temperantiæ vel Religionis lata fuit. Quare communior est sententia, hanc circumstantiam duplicis violati præcepti in Confessione explicandam non esse. Eam tenet Henriq. lib. 5.c.5.n.6. lit. f. Vasq. disp.98.cap.3. nu. 8. Azor.t.1.lib.4.c.2. q. 6. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. n.6. contra Nau. cap.11.n.4.& lib. 5. cons. 15. de Cler. excom. minist. edit.2. Lopez p.1. instruct. c. 29. §. tertiò dico.

III. Si Religionem professus, idemque Sacerdos castitatis publicum votum violet, non duo sacrilegij peccata sed vnum (tametsi grauius) committit: eò quòd duplicis voti obligatio ex eodem motiuo Religionis erga Deum concepta fuerit, sicuti notauit Azor cit.q.6. Quare satisfacit, si in Confessione dicat, se Religionem professum esse, tacita circumstantia sacerdotij: secundùm communiorem sentent. Lopez l. 1.instruct.cap.29. (qui tamen negat illam circumstantiam esse multùm agrauantem) Hẽriq. lib.5.c.5.n.6. in comment. lit. g. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 27. q.vlt.n.22. Medinæ in instruct. Confess. li. 1. cap.14. §. 18. contra Ægidium Coninck 2. 2. t. 2. disp. 20. dub.13.n.131. Non arbitror tamen talem satisfacturum si confiteatur se Sacerdotem esse, vel Diaconum, tacita circumstantia professionis. Cùm enim professio in Religione, propter Ecclesiæ constitutiones, sit solemnis & irreuocabilis traditio, ac veluti mors spiritualis, per quam ipsum etiam matrimonium ratum dissoluitur; apparet grauiorem obligationem erga Deum in se continere: qualem qui violat, is peccatum sacrilegij & infidelitatis erga Deũ quasi substantialiter maius, (vtpote spirituale quoddam adulterium) committit; quàm si aliud castitatis votum violaret, sicuti bene notauit Henriq. lo.cit. Barthol. Medina cit.§.18. etsi aliter Lopez, & Sanchez qui tamen n.28. fatetur esse probabile, si Professus fornicetur, circumstantiam professionis explicandum esse: licet Sacerdos fornicans satisfaciat, si dicat se contra votum castitatis fornicatum, tacito sacro ordine. Quia *Monachi fornicatio multò grauior videtur*, inquit Sanchez, quàm Sacerdotis: siquidem Sacerdotis fornicatio extrinsecè tantùm aggrauatur, propter sanctitatem & sublimitatem personæ: at verò fornicatio Religiosi intrinsecè aggrauatur in ratione prętuaricationis voti castitatis, quod in Religioso maius & arctius esse constat, quàm in Sacerdote. Quin imò arbitror contra Sanchez n.34. quòd neque Religiosus Societatis Iesu, simplicia vota habens, in tali casu satisfaceret, si tantùm fateretur se voto castitatis obstrictum: cùm per illa vota fiat vera traditio: ideóque arctiorem obligationem contineant, quàm alia simplicia vota extra Religionem.

Denique quod attinet ad circumstantias minuentes; consentiunt DD. apud S. Bonau. in 4. d.17.p.3. a. 2. q. 3. Nau.c. 6.man.n.5. illas solùm necessariò in Confessione explicandas esse, quæ peccati malitiam vel omnino tollũt, vel ex mortali faciunt veniale; v. g. si ignoranter quod malum est egisti: si ob tui defensionem hominem occidisti. Supposito enim, quòd tale homicidium Sacerdoti confiteri velis, nisi circumstantiam adijcias, grauiter illum decipies, existimantem te mortaliter peccasse occidendo, &c. 5

TRACTATVS TERTIVS. DE PECCATIS IN COMMVNI.

CAP. I.

QVID SI PECCATVM.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum aliud habituale dicitur: & aliud actuale.*
2 *Peccatum definitur: Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.*
3 *Peccatum commißionis aliud non est, quàm actus humanus malus.*
Malus autem actus est, quia non est conformis suæ regulæ, quæ est lex Dei æterna, homini per lumen rationis manifesta.
4 *Affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus.*
Peccatum omißionis in eo consistit, quòd homo non operans est, cùm secundùm legis præscriptum operari deberet.
5 *Quædam prohibita sunt, quia mala: quædam verò mala sunt, quia prohibita.*



1 SVppono, peccatum aliud esse actuale, & aliud habituale. Habituale dicitur, quod post actuale, per modum habitualis defectus, permanet, donec deleatur, & mũdetur. Verùm de eo nobis sermo non est; sed solùm de actuali.

2 S. Ioan. Ep. 1. c. 3. ait, quòd peccatum sit ἀνομία, id est, transgressio siue præuaricatio legis diuinæ. Et S. Ambr. in l. de Paradiso c. 8. *Quid est enim peccatum, nisi præuaricatio legis diuinæ, & cælestium inobedientia præceptorum*: S. August. verò lib. 22. contra Faustum, c. 27. eúmque sequutus S. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 6. ita definiunt actuale peccatum; *Dictum, factum, vel concupitum, contra legem Dei æternam.*

3 Circa hanc definitionem tria aduertenda sunt: Primum ex S. Th. in corp. cit. a. 6. Peccatum commissionis aliud non est, quàm actus humanus malus: est autem actus humanus, quia voluntarius, & liber: malus verò est, quia caret debita commensuratione. Porrò omnis commensuratio cuiusque rei spectatur per comparationem ad suam regulam, à qua si res discedat, erit incommensurata. Regula autem humanæ voluntatis propinqua est ratio hominis; remota verò, sed principalis, Dei mens ac voluntas, quæ est lex æterna homini per naturale lumen rationis manifesta, teste Apost. ad Rom. 2. *Opus legis scriptum in cordibus*, &c. Atque ideo S. August. in definitione peccati primò posuit, quod pertinet ad substantiam humani actus; & est quasi materiale in peccato commissionis, *dictum, factũ vel concupitum*: Secundo, quod pertinet ad rationem mali, & defectus; atque est quasi formale in peccato, *contra legem Dei æternam.* Etenim malitia peccati formaliter non est aliquid reale & positiuum; (quia alioquin Deus esset causa peccati, seu malitiæ moralis) sed est priuatio, seu defectus honestatis, quam homo operans seruare deberet ex legis præscripto; vt rectè dictum sit à Dauide psal. 4. *Vt quid diligitis vanitatem* (impij) *& quæritis mendacium?* Vide P. Sotum de instruct. sacr. p. 2. de peccatorum discr. lect. 6.

4 Alterũ ex eo q. 5. S. Th. resp. ad. 1. nihil obstat huic definitioni, quòd videatur cõprehendere sola peccata cõmissionis & nõ omissionis: qualia sunt si omittas dicere, facere, &c. quę oportebat. Nã *affirmatio & negatio reducuntur ad idem genus*, sicut constat etiam ex l. si mora, iun. Gl. ver. *facto*, ff. soluto matr. Quare per *dictum* in definitione S. Aug. intellige etiam, *non dictum*, per *factum* etiam *non factum*. Et sicuti paulò ante dixi de peccato commissionis, esse actũ liberè volitum & malum; ita de peccato omissionis dicendum est, esse omissionem actus liberam & malam: atque hanc malitiam formaliter consistere in dicta priuatione actus seu operationis, quam homo ex legis prescripto exercere deberet. Breuiter dici potest, Peccatum omissionis in eo consistere, quòd homo non operans sit, cùm secundum legis præceptum operari deberet, peccatum autem commissionis in eo, quòd homo operans sit, non sicuti ex legis prescripto operari deberet.

Tertium; Nihil obstat; sed magis fauet huic definitioni, quod DD. aiunt cum Gl. in c. ex parte. 1. de offic. de leg. *Quædam esse prohibita, quia mala sunt: quædam verò mala esse, quia prohibita sunt.* Nam ex hoc dicto habetur, quòd omne peccatum sit contra legem, seu præceptum: quámuis cum discrimine. Quædam enim per se & suapte natura mala, & inhonesta sunt, atque idcirco præceptis diuinis, & interdum etiam humanis prohibita, vt periurium, blasphemia. Quædam verò per se mala, ac inhonesta non sũt: sed talia fiunt per positiuę legis prohibitionem, vt festo die laborare: quamuis autem talis lex ab humano Magistratu posita sit, tamen eius transgressio etiam diuinæ æternæ legi consequenter repugnat. *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, ad Rom. 13. siquidem Deus iubet, & ratio naturalis dictat legitimis superioribus, seu Potestatibus humanis obediendum esse: cùm talis potestas à Deo sit. Vide S. Th. l. c. ad 4. Nauar. prælud. 7. man. n. 12. Victoriam relect. de potestate ciuili, n. 15. 5

CAP. II.

De specifica vnitate ac distinctione peccatorum.

SVMMARIVM.

1 *Vnitas & diuersitas peccatorum, quatenùs præceptis positiuis repugnant, optimè desumitur penes vnitatem & diuersitatem formalem præceptorum.*
2 *Vnitas & diuersitas specifica peccatorum, quæ & quatenus naturali lege aduersantur, proximè ac formaliter sumitur ex rectitudine virtutis oppositæ: remotè ac fundamentaliter ex obiecto.*
3 *Plures sunt peccatorum, quàm virtutum species: sine, vni virtuti plura peccata opponi solent.*
4 *Inter peccata specie diuersa, quod eui grauius sit, ex obiecto præcipuè cognoscendum.*
Maiori virtuti maius vitium opponitur.

1 ASsertio I. Vnitas & diuersitas specifica peccatorum, quatenus præceptis positiuis repugnant, optimè desumitur penes vnitatem aut diuersitatem specificam præcepto-

ceptorum. Ita ex communi Vasq. disp. 98 cap.2. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 15. num. 5. Porrò specifica vnitas & diuersitas præceptorum non debet attendi penes præcipientes: fieri enim potest, vt tam Dei, quàm humani Magistratus præcepto eadem res sub eadem ratione præcipiatur: aut prohibeatur: in quo casu transgressio horum præceptorum materialiter tantùm diuersorum, est vnum peccatum: non tantùm specie, sed etiam numero: v. g. furari, quod humana lege tanquam iniustum, prohibetur sub eadem ratione, qua etiam naturali & diuino iure: Sed considerari debet vnitas aut diuersitas præceptorum formaliter: penes motiua honestatis; ita, vt si præcepta posita sint ex motiuo diuersarum virtutum, vel saltem diuersarum rectitudinum eiusdem virtutis, tunc etiam transgressio seu peccatum in diuersa specie existat. Sic v. g. iniusta percussio clerici, quæ lege Ecclesiastica sub excommunicationis pœna prohibetur, non tantùm est peccatum contra iustitiam; sed etiam contra virtutem religionis, cuius intuitu lex illa Ecclesiastica posita est. Eadémque ratio est de furto, quod fit in loco sacro; & speciali motiuo religionis ab Ecclesia interdictum est. Sin verò ponamus, blasphemias in Deum in aliqua diœcesi prohibitas esse sub excommunicationis pœna; transgressor præcepti vnum simplex peccatum committit contra religionis virtutem: quando quidem illud non alia ratione seu motiuo ab Ecclesia prohibitum est, quàm iure naturali ac diuino antè prohibitum erat. Præterea, fornicatio in loco sacro duplicem malitiam mortalem habet; vnam contra castitatem ex naturali & diuino iure; alterã contra virtutẽ religionis: quia seminis voluntaria & illicita effusio seuerissimè ab Ecclesia prohibetur, ne in loco sacro fiat; adeo vt per eam pollui censeatur, si factum innotescat. de qua re vide Sanch. lib. 9. disp. 15. quæst. 1. Sin verò actus coniugalis extra necessitatis casum in Ecclesia exerceatur, vnicam culpam mortalem habebit, contra religionis virtutem. Ratio autem huius doctrinæ est; Quia legis latrix potestas hanc vim habet, vt id, quod iusta de causa præcipit, aut prohibet, materiam necessariam seu obligatoriam constituat sub ea virtute, cuius intuitu lex lata est.

2 Assertio II. Vnitas & diuersitas specifica peccatorum, quæ & quatenus naturali legi aduersantur, proximè ac formaliter desumitur ex rectitudine seu honestate virtutis, cui opponuntur; remotè autem & fundamentaliter ex obiecto. Hæc est mens S. Thom. 1. p. q. 48. a. 1. & 1. 2. q. 72. a. 1. Assertio quoad posteriorem partem declarata fuit tract. præced. cap. 7. Prior autem pars probatur. Nam priuatio accipit speciem à forma, cui opponitur: peccatum autem seu malum morale formaliter est priuatio boni honesti, seu virtutis, teste S. Dionys. c. 4. de diu. nominibus, S. Aug. in enchirid. c. 11. & seqq. ergo peccatum suam speciem accipit penes bonum honestum virtutis, cui opponitur. Videri potest Duran. in 4. d. 16. q. 3.

Corollarium I. Illa peccata specificè diuersa sunt, quæ vel diuersis virtutibus aduersantur, vt furtum & blasphemia; vel quæ eidem virtuti, sed diuersa ratione difformitatis repugnant, vt periurium & præuaricatio voti; item odisse Deum, & Deum non amare, cùm oportet: quorum illud est peccatum commissionis, hoc omissionis; atque haud dubiè specie differunt; cùm diuersis modis contra virtutem charitatis erga Deum tendant, sicuti etiam indicat S. Thom. 2. 2. q. 79. a. 2. ad 3. Quamuis interdum omissio & commissio ad eandem speciem pertinere possunt, vt rapere alienum, & non restituere, quod voluit S. Th. 1. 2. q. 72. a. 6. & dicam lib. 3. tract. 2. de iustit. c. 2. n. 2.

3 Corollarium II. Plures sunt species peccatorum, quàm virtutum; siue, vt alijs verbis dicam, vni virtuti plures peccatorum species opponuntur; v. g. liberalitati auaritia, & prodigalitas. Ratio est, Quia bonum ex integra causa est: malum ex quolibet defectu: v. g. vt actus, quo voluntas in Deum vel proximum fertur, charitatis existat, debet esse ex omni parte bonus: vt proinde bonitas mortalis aliud non sit, quàm perfectio, & integritas honestatis. Contra hanc autem honestatis perfectionem, seu virtutis integritatem varij repugnantes defectus committi possunt; v. g. Deum vel proximum odiendo, huic inuidendo.

Assertio III. Inter peccata specie diuersa, quæ quibus grauiora sint, ex obiecto etiam præcipuè cognoscendum est, vti docet S. Thom. q. 73. a. 4. Quare peccata, quæ in Deum directè tendunt, vt Dei odium, blasphemia, &c. omnium deterrima sunt. Inter peccata contra proximum, grauius est homicidium detractione, & furto: quia maius est bonum vitæ, quàm bona hominis externa. Addit verò idem S. Thom. cit. a. 4. Cùm virtus & vitium circa idem obiectum versentur; (nam contraria circa idem sunt) consequens esse, quòd maiori virtuti maius vitium opponatur: quamobrem odium Dei grauissimum peccatorum est: & detractionis peccatum grauius quàm ebrietatis: nam illud iustitiæ opponitur, hoc temperantiæ: maior autem & dignior est iustitiæ, quàm temperantiæ virtus. Interim tamen negari non potest, quin peccata, quæ sub genere intemperantiæ maxima sunt, vt sodomia, &c. grauiora sint peccatis, quæ sub genere iniustitiæ ex minoribus sunt, vt furtum, &c. Vide, si placet, Maiorem in 4. d. 15. quæst. 24. concl. 5. 4

Porrò, contra secundam assertionem obijcitur primò: Vnius formæ est vna priuatio opposita: ergo etiam vni virtuti vnum peccatum priuatiuè opponitur. Respondeo: Antecedens non esse verum in moralibus, quorum essentia consistit in conformitate & difformitate cum substantia rationali: conformitas enim quamuis vna sit, tamen oppositæ difformitates ac discessus plures esse possunt: sic v. g. secundùm artem conformiter agendi non tot modi sunt, quot agendi difformiter, atque errandi: vt viator sæpe vnicam viam habet ad propositam metam perueniendi: plures verò excedendi, seu errandi.

Obijcitur secundò: Si peccatum formaliter consistit in priuatione boni honesti, non rectè dictum videtur super. tractat. cap. 7. Quòd malitia moralis siue peccatum formaliter sit indecentia, seu repugnantia cum natura rationali libera. Respondeo, hæc duo rectè cohærere: Cùm enim decentia, seu honestas virtutis formaliter non sit aliud, quàm congruentia cum rationali libera substantia; sequitur, quòd eius priuatio, id est, indecentia, inhonestas, quæ est malitia moralis, aliud non sit, quàm repugnantia cum rationali libera substantia, vt ibi dictum fuit.

Obijcitur tertiò: S. Ambros. & alij super. cap. allegati, definierunt peccatum esse transgressionem legis. Ergo hæc potiùs est formalis ratio peccatorum; & non quam hìc assignamus, quòd consistat in priuatione boni honesti, seu repugnantia cum rationali libera sustantia. Respondeo; Has duas designationes inter se non pugnare. Verissimum enim est, quòd omne peccatum sit transgressio legis, seu præcepti, vt sup. cap. explicaui. Imò addi potest, specificam peccatorum, etiam eorum, quæ naturali iuri aduersantur, diuersitatem desumi posse ex diuersitate specifica præceptorum, sicuti docet Vasq. disp. 98. c. 2. Verùm hæc ratio definiendi ac distinguendi est potiùs à posteriore, quòd attinet ad peccata contra legem naturalem: nam sicuti hæc non ideo peccata sunt, quia lege prohibentur; ita etiam non ideo specie differunt, quia diuersis legibus seu præceptis prohibentur: sed potiùs ideò vetantur, & quidem præceptis specie diuersis, quia diuersam inhonestatem, indecentiam, seu repugnantiam cum rationali libera substantia gerunt. Maluit autem S. Aug. definire peccatum secundùm aliquid nobis notius, quatenus est offensa contra Deum; quia talis consideratio quàm maximè etiam ad Theologum spectat, ait S. Thom. q. 71. a. 6. ad 5. Et hanc esse com-

munem Theologorum doctrinam, testatur Vasq. 1. 2. disp. 98. c. 3

CAP. III.

De numerica distinctione peccatorum.

SVMMARIVM.

1 *Peccata non ideo præcisè multiplicantur, quia sunt contra plura præcepta.*
2 *Si numerica distinctio obiecti materialis tantùm sit, non facit plura numero peccata.*
3 *Peccata, quæ animo perficiuntur, vt hæresis, odium Dei vel proximi, sola interruptione ac repetitione multiplicantur.*
Sæpe tamen impossibile est, horum internorum peccatorum numerum in Confessione explicare: quare sufficit moram temporis dicere, quo in tali peccato perstitisti.
4 *Peccata, quæ externo opere perficiuntur, non censentur multiplicari per repetitionem propositi circa idem obiectum, quamdiu efficacitas propositi in libero aliquo affectu perdurat.*
5 *Qui eodem commotionis impetu alterum sæpius percussit, vel repetita contumelia affecit, semel tantum peccasse censetur: secus, si per interualla ad verberandum, vel conuitiandum accessit: aut si in eadem contentione diuersæ rationis contumelias irrogauit.*

1 ASSERTIO I. Peccata non ideo præcisè multiplicantur numero, quia sunt contra plura præcepta. Fieri enim potest, vt sub eadem formali ratione de eodem obiecto posita sunt, vt videre est in præceptis ieiunij incidentis in eundem diem quatuor temporum, & Vigiliæ Apostolorum, aut Quadragesimæ, sicut dixi super. tract. cap. vlt. Sin verò præcepta diuersis rationibus aut motiuis de eodem materiali obiecto posita sint, tunc eorum transgressiones erunt diuersæ specie, consequenter etiam numero.

2 Assertio II. Numerica distinctio obiecti, si tantùm materialis sit, vt si vnico actu plures homines occidere intendas; non facit plura numero peccata, sicuti dixi cit. cap. vlt. Secus, si obiecti multiplicatio sit formalis, siue in ordine ad actum; quia voluntas quasi pluribus actibus in obiectum tendit: vt si proponas hodie furaturum decem, & cras viginti; vel proponas nunc furari claues, vt postea fureris pecunias. Cùm enim actus internus essentialem ordinem gerat ad actum externum; ideo si externus siue obiectiuus vnitatem non habet, etiam actus internus virtualiter in genere moris multiplicatus censetur. Exinde etiam colligitur; si peccata externi operis circa materias paruas, v. g. parua furta maneant plura venialia, & non transeant in mortale, tunc etiam propositum circa talia peccata frequentanda, per se loquendo, non fore mortale; sed veniale virtute multiplex. Cuius regulæ ratio est; quia propositum internum peccandi accipit malitiam ab opere externo, tanquam proximo obiecto suo: ergo si actus externi repetiti circa materias paruas manent plura venialia, etiam propositum illorum erit veniale, virtualiter multiplex. Quando autem hoc ipsum accidat, vt transgressiones repetitæ circa materias paruas transeant in mortale, vel non, dicam infrà hoc tract. cap. 5. n. 6. & seqq.

3 Assertio III. Peccata, quæ animo perficiuntur, vt hæresis, Dei ac proximi odium, &c. sola interruptione ac repetitione multiplicantur; vt proinde fieri possit eundem homine mille peccata odij, internæ infidelitatis, vno die committere. Quæ est communis sententia apud Nauar. c. 6. num. 16. Azor. tom. 1. lib. 4. c. 4. q. 4. Suar. p. 3. t. 4. dis. 22. s. 5. qui tamen rectè aduertit num. 17. plerumque impossibile esse, internorum horum peccatorum numerum inire; ideóque satis esse in Confessione moram temporis explicare; v. g. integro anno in inimicitia perstiti; & sæpe, cùm inimici memoria occurrit, actus odij exercui, ferme in singulos dies, vel singulas hebdomadas. Similiter & meretrix confiteri potest, se duos vel tres annos in statu meretricio perstitisse, & quibusuis generis viris, etiam coniugatis, sacratis, religiosis corporis sui copiam fecisse.

Assertio IV. Peccata, quæ in externa operatione perficiuntur, vt homicidium, furtum, fornicatio, &c. non censentur multiplicari per repetitionē propositi circa idem obiectum, quamdiu efficacitas primi propositi in libero aliquo affectu perdurat. Ita Caiet. to. 1. tr. 31. qui est 17. respon. resp. 15. Nau. cit. num. 16. & in c. consideret, n. 48. d. 1. de pœnit. Azor quæst. 6. Suar. l. c. n. 20. Exempli causa, qui animo furandi domo egreditur, vnum numero peccatum internum committit, etsi in via malum furandi propositum, quod moraliter nunquam interruptum est, actualiter aliquoties repetat: Sin verò somno oppressus, in ea iam dispositione sit, vt externa actio vel omissio non subdatur voluntatis libertati: & post somnum pristini propositi memor illud approbet, seu renouet; nouum quidem peccatum committit, sicuti docent Nau. cit. c. 6. num. 18. in fine Vasq. 1. 2. disp. 75. c. 3. & in moral. de restit. c. 5. § 1. dub. 3. contra P. Nauar. lib. 4 c. 4. num. 16. plerumque tamen necesse non est, eiusmodi internorum peccatorum numerum in Confessione edicere; cùm id moraliter impossibile sit: sed sufficit temporis moram exprimere; v. g. integro mense perstiti in proposito, & quæsiui occasionem furandi, fornicandi. Inde enim prudens Confessarius facilè iudicium formare poterit de peccatoris statu. 4

Idem porrò Nau. c. 6. man. num. 18. & Azor quæst. 5. ita resoluunt: Qui eodem commotionis impetu, eadémque pugna, vel contentione, alterum sæpiùs percussit, vel contumelia repetita affecit, semel tantùm peccasse censetur, saltem in ordine ad sacramentalem Confessionem. Sin verò per interualla ad verberandum, vel conuitiandum aggressus est; aut in eadem pugna, vel contentione diuersæ rationis contumelias irrogauit, v. g. compellando furem, latronem, adulterum; tria peccata commisisse cēsetur. Ratio discriminis est, quòd in priore casu verbera, aut contumeliæ maiorem ordinem moralis vnitatis habeant, quàm in posteriore. 5

CAP. IV.

De diuisionibus peccati accidentalibus.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum aliud est commissionis, & aliud omissionis.*
2 *Si actio cum impletione præcepti incompossibilis, causa omissionis culpabilis existat, tunc ipsa etiam actio peccaminosa redditur.*
3 *Si actio, alioquin incompossibilis, tantum concomitanter & per accidens se habeat ad omissionem culpabilem, ab ea non inficitur.*
4 *Sed etsi actio sit causa omissionis culpabilis, ideoque peccatum: non tamen est distinctum ab omissionis peccato.*
Excipitur, si ad talem actionem, v. g. venationem, cuius causa Missam festo die negligis, tam inordinatum affectum geris, vt propter eam, quamuis Dei legem transgredi paratus sis.
5 *Peccatum aliud est specialiter contra Deum, aliud contra ipsum peccantem, aliud contra proximum.*
6 *Peccata alia spiritualia, & alia carnalia dicuntur.*
7. *Peccatum aliud est cordis, aliud oris, & aliud operis.*

DE essentiali & specifica peccatorum diuersitate dixi cap. 2. Deinceps verò afferam diuisiones peccatorum secundùm differentias accidentales; quippe desumptas ab accidentalibus peccatorum conditionibus.

Prima est: Peccatum aliud est commissionis, vt furtum, vsus armorum prohibitorum. Aliud verò est peccatum omissionis; vt parentes non honorare, Missam die festo non audire. 1

Peccatum commissionis opponitur præcepto negatiuo, quod pertinet ad declinandum à malo: v. g. ne Deum oderis, ne in parentes contumeliosus sis, ne furtum facias. Cuiusmodi præceptorum negatiuorum (præsertim si sint iuris naturalis) ea conditio est, vt omni tempore obligēt: quam-

quamobrem Deum odisse, parentes contumelia afficere, furtum facere nunquam licitum est. Peccatum verò omissionis opponitur præcepto affirmatiuo, quod pertinet ad faciendū bonum: v. g. Deum ama, parētes cole, pauperis miserere. Quorum præceptorum affirmatiuorum ea conditio est, vt non omni tempore obligent: sed certis temporibus, seu concurrentibus certis circumstantijs: non enim semper Deum actualiter amare, parentes honorare, aut omnibus pauperibus largiri possumus, vel debemus. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. & q. 79. a. 3. ad 3. Abb. c. nouit, n. 39. de iudic.

2 Dubitari solet hoc loco: Vtrum actio coniuncta omissioni culpabili sit peccatum, & quale? v. g. si dum Missam die festo audire debes, ores, studeas, aues capias; vtrū tales actiones à neglectu seu omissione Missæ inficiantur, & culpabiles fiant. Respondeo ex communiore doctrina Azor lib. 4. c. 3. q. 5. Angles in 2. d. 37. q. 2. diffic. 4. Medin. 6 1. 2. q. 71. a. 5. Becani tract. 2. c. 3. q. 3. & Dico I. Quando actio incompossibilis cum impletione præcepti, est causa omissionis culpabilis; tunc inficitur, & fit opus malum, propter circūstantiam mali effectus. Duobus autem modis actio incompossibilis potest esse causa omissionis culpabilis: Primò formaliter tantùm & priuatiuè; Si enim velis Missam omittere v. g. ex contemptu, vel orandi tædio, solum illud propositum non sufficit ad exequendum peccatum: sed necessariò debes opus aliquod (latè sumpto nomine operis) deligere, quod sit incompossibile cum auditione Missæ: v. g. interim domi manendo, vel foras spatiando: tunc dico, hanc mansionem, vel ambulationem esse peccatum: quia causa est peccati quippe per se impediens præceptam Missæ auditionem. Secundò fieri potest, vt actio incompossibiliter iuncta cum obseruatione præcepti, sit etiam causa omissionis in genere finali: v. g. si quis Missam negligat, vt domi studere, vel cum socio officium canonicum orare possit; talis oratio, licet ex obiecto bona sit, per quam etiam Ecclesiæ præcepto satisfit, tamen per circumstantiam mali effectus, videlicet culpabilis omissionis, inficitur, vt absolutè mala actio existat.

3 Dico II. Si actio, alioquin incompossibilis cum obseruatione præcepti, non sit causa omissionis culpabilis: sed omnino concomitanter atque per accidens se habeat, tunc non inficitur ab omissione, sed manet actio bona vel indifferens, qualis secundùm se est. Exemplum: Si Missam die festo negligere decreuisti, atque idcirco domi manere elegisti: interim verò, ne tempus otiosè transigas, ægrum inuisis, vtilia legis; erit illud opus virtutis misericordiæ: hoc studiositatis. Item si Missam negligere proposuisti, atque idcirco foras spatiari decreuisti; postea verò socium piscantem casu reperias, cui te adiungis: piscatio hæc non sit actus malus, sed manet indifferens: cùm non sit causa operis; quia etsi non piscareris, nihilominus foris maneres, Missamque negligeres. Est tamen hæc assertio contra Capreol. 2. d. 35. q. vn. solut. argum. contra 2. conclus. Valentiam tom. 2. disp. 6. quæst. 1. p. 4. & alios.

4 Dico III. Licet actio si causa omissionis culpabilis, iuxta primum dicendum; ideóque peccaminosa; non tamen est peccatum distinctum ab ipso omissionis peccato. Ratio est: Si Missam negligis, vt domi studeas, vel aues capias: studium istud, vel aucupium non est peccatum secundùm se absolutè: sed relatè, quatenus causa est peccati omissionis. Tota igitur malitia per se primò consistit in voluntaria omissione Missæ, & hinc redundat in actionem, quæ eius causa existit. Quemadmodum si quis hominem occisurus bene comedat, hastam præparet, domo excurrat: actiones istæ secundùm se indifferentes, malitiam non habent nisi homicidij, cuius causa existunt. Quamobrem satis est in Confessione ipsum homicidium, aut propositum homicidij: ita & Missæ culpabilem neglectum explicare: nec opus est causam adiungere, v. g. ideo Missam neglectam, vt poetam legeres, aues caperes. Excipe, nisi quis tam inordinatum gerat affectum erga venationem, v. g. vt ob eam paratus sit quamlibet legem Dei transgredi, eiúsque gratia & amicitia priuari: talis in venatione vltimum finem suum constituit, quod charitati erga Deum repugnat: quare hunc affectum mortaliter malum, & suopte pondere in mortalia peccata inducentem, tenetur homo in Confessione aperire, sicuti docet Suar. 3. p. t. 4. disp. 22. s. 4. num. 11. Sanchez lib. 1. moral. cap. 5. num. 15. Angles in 2. d. 37. q. 2. diffic. 4. Quia explicato peccato omissionis, v. g. Missam vel partem Missæ neglectam fuisse: non explicatur tota malitia causæ, videlicet prauæ affectionis, quæ ad plura peccata mortalia suopte pondere inclinat. Eadémque ratione docet S. Thom. 1. 2. quæst. 88. a. 5. iuncto Caiet. ibid. peccatum, quod alioquin veniale est, v. g. otiosam confabulationem, mortale fieri; si in eo finis vltimus constituatur. Et Sanch. l. c. num. 4. inquit, affectum mortaliter peccandi, non determinata specie peccati; aduersari charitati erga Deum.

Deinde, si quis concepto proposito negligendi præceptum, postea etiam ad eiusdem præcepti executionem, in longum temporis spatium impotentem se reddat, nouum peccatum admittere videtur: si v. g. in sacris constitutus matrimonium contrahat, vel in diuturna nauigatione breuiarium abijciat, sicut notat Medina 1. 2. q. 71. a. 5. §. ad primum & secundum.

Altera diuisio: Peccatum aliud peculiari ratione contra Deum committitur, videl. quod Fidei, Spei, Charitati Dei, Religioni aduersatur: vt hæresis, desperatio, Dei odium, blasphemia, periurium, sacrilegium, &c. Aliud verò contra ipsum peccantem; videl. quod temperantiæ vel fortitudini aduersatur: vt ebrietas, luxuria, timiditas, &c. Aliud contra proximum: videl. quod Iustitiæ vel Charitati erga proximum repugnat: vt furtum, homicidium, odium, inuidia, &c. Ratio diuisionis est: Quia aliæ virtutes Deum pro obiecto habent: vt Fides, Spes, Charitas, Religio: aliæ verò proximum; vt Iustitia, Misericordia, &c. aliæ solùm ordinant hominem in seipso: vt Temperantia & fortitudo. Vide S. Thom. 1. 2. q. 72. a. 4. 5

Tertia diuisio: Peccata alia sunt spiritualia, & alia carnalia, sicuti docet S. Thom. 1. 2. quæst. 72. a. 2. Et sumitur ex Apostolo 2. ad Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus.* S. quoque Gregorius lib. 31. moral. c. 31. docet, ex septem vitijs capitalibus quinque spiritualia esse: *Inanem gloriam, inuidiam, iram, tristitiam*, (siue acediam) *& auaritiam.* Duo verò carnalia: *ventris ingluuiem, & luxuriam.* Dicuntur autem illa peccata spiritualia, quia consistunt in concupiscentia vel inordinata delectatione spirituali, seu animali, ortā ex sola apprehensione rationis: hæc autem peccata carnalia, quia consistunt in concupiscentia & inordinata delectatione carnali. Nam gula, inquit S. Thom. cit. a. 2. perficitur in delectatione ciborum: luxuria in delectatione Venereorum. Vide eundem q. 31. a. 3. 6

Quarta diuisio: Peccatum aliud est cordis, aliud oris, & aliud operis, sicuti docet Cyrillus Hierosolym. catech. mystagog. 5. & S. Hieronym. super Ezechiel. c. 43. cùm ait: *Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere peccamus.* Quæ diuisio duobus modis intelligi potest, sicuti notauit Medina 1. 2. quæst. 72. a. 7. Azor tom. 1. lib. 4. c. 4. quæst. 1. Primò, vt sit tanquam generis in species peccatorum completas, sensúsque sit: Quædam peccata cordis cogitatione, vel affectione consummantur, vt hæresis, odium Dei, inuidia, &c. quædam oris sermone complentur, vt detractio, contumelia erga hominem, &c. quædam opere perficiuntur, vt furtum, homicidium, &c. 7

Secundò, accipi potest diuisio tanquam in gradus peccatorum, vt sensus sit: Aliqua peccata inchoari cordis

cogitatione & affectione: incrementum verò capere oris sermone: denique perfici ac consummari opere, iuxta mentem S. Th. q. 72. a. 7. Exemplum dat Medina l. c. Si quis fornicationem meditatur ac proponit, postea verbis mulierem prouocat; denique opus perficit: hoc casu mortale peccatum committitur concupiscendo: sed nouũ peccatum non admittitur alloquendo; commissum verò magis perficitur: nec denique aliud peccatum admittitur fornicando; sed iam admissum consummatur. Id verò hoc loco aduertendum est; Etiam ea peccata, quæ interno animo perficiuntur, vt hæresis, apostasia, blasphemia &c. interno peccandi proposito inchoari posse: vt si quis hodie proponat, ad Hæreticos, vel Turcas crastino die deficere, aut Diabolo se deuouere, causâ consequendi temporales commoditates, is nondum consummatè peccauit, neque hæreticus aut apostata adhuc est; cùm solùm deficiendi propositum habeat, vti dicam iterum lib. 2. tract. 1. c. 41. ante n. 2.

CAP. V.

De peccato mortali & veniali.

SVMMARIVM.

1 *Diuisio maximè celebris est peccati in mortale, ac veniale.*

2 *Etsi peccata venialia sint contra legem Dei; non tamen sunt contra finem legis; quæ est charitas & amicitia cum Deo. Vel dici potest: Venialia non esse contra legem Dei præcipuam, & quæ simpliciter necessaria sit ad salutem.*

3 *Peccati mortalis ac venialis differentiæ accidentales sunt. Peccatum mortale & veniale quasi infinitè distant: quare ex venialibus, quantumcunque multiplicatis, nunquam efficitur mortale.*

4 *Peccata venialia sunt vel ex genere suo, vel ex materiæ leuitate, vel ex imperfectione actus.*

5 *Cùm aliquid per se malum non est, sed indifferens, excessus in eius appetitione, vsúue est tantùm peccatum veniale.*

6 *In peccatis quibusdam aduersus Deum, qualia sunt odium, infidelitas, periurium assertorium: non reperitur veniale ob materiæ paruitatem.*

Si plurium transgressionum paruæ materiæ neque secundùm se, neque secundum effectum moraliter coalescant, nunquam efficitur mortale peccatum: Sin verò coalescant, tunc vltimæ transgressionis, v. g. vltimi furti materia, licet secundùm se parua sit, tamen propter connexionem tum antecedentibus, grandis reputatur, & sufficiens obiectum peccati mortalis.

8 *Qui vouit, se quotidie recitaturum Pater & Aue, ita vt oratio cuiusque diei annua sit: etsi toto anno intermittat, peccat multoties venialiter: sed nunquam mortaliter.*

9 *In voto reali, puta quotidie dandi paruam eleemosynam pauperibus, censetur vouens se obligare, si vno aut pluribus diebus intermittat, postea compensaturum: quare in talis voti obligatione mortaliter peccari potest.*

10 *Si quis violet partem præcepti, ea non omnino absolutè, sed etiam cum comparatione ad totum cuius pars est, prudentis viri iudicio spectanda est: vt intelligatur, sitne sufficiens obiectum peccati mortalis.*

11 *Motus appetitus sensitiui circa malum, interdum ante omnem deliberationem rationis excitentur, ideóque dicuntur primò primi, & omni culpa vacant.*

12 *Motus appetitus sensitiui, qui dicuntur secundò primi, sequuntur deliberationem rationis imperfectam, ideóque culpam venialem continent.*

13 *Vt consensus voluntatis moraliter bonus vel malus sit, debet esse rationis superioris, seu mentis, attendentis rationibus æternis.*

1 HÆc est quinta maximè celebris, diuisio peccati in mortale ac veniale. Mortale peccatum est, quod ob grauitatem sui, gratiam & amicitiam cum Deo soluit, pœnámque æternam meretur. Ex quo apparet ratio nuncupationis: dicitur enim mortale, quia spiritualis vitæ principium, videlicet gratiam sanctificantem tollit, mortémque animæ adfert. Nam *homo per malitiam occidit animam*, ait Sapiens cap. 16. & Apost. ad Roman. 6. *Stipendium peccati mors*. Roman. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini*. Quæ autem talia sint, partim ex Scripturę testimonijs colligitur: v. g. ad Gal. 5. *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Eph. 5. *Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Dei*: partim verò ex præstantia aut necessitate virtutis oppositæ: vel, quod eodem redit, ex obiecto, circa quod peccata versantur; æstimari debet. Mortalia enim ex obiecto, siue ex genere sunt, quæ in Dei iniuriam directè tendunt; vel cum proximi iniuria; damno: vel ipsius operantis graui incommodo, contra naturæ ordinem, iuncta sunt: videlicet peccata cōtra Theologicas virtutes, contra Religionem, Iustitiam, proximi Charitatem; denique quæ ad luxuriam pertinent, sicuti docet Sanchez 1. moral. c. 1. num. 4. Verùm quæ ex genere siue obiecto mortalia sunt, per accidens fieri venialia possunt, vt postea dicam.

Veniale peccatum est, quod ob leuitatem, gratiam & amicitiam cum Deo non tollit, quamuis feruorem charitatis minuat: neque æternam, sed temporalem pœnam meretur. Et idcirco veniale nuncupatur, quia saluo principio (nimirum gratiâ) languorem & infirmitatem facilè curabilem animæ infert, veniámque facilè consequitur. De his loquitur Sapiens, Prouerb. 24. *Septies in die cadit iustus* Iacob. c. 3. *In multis offendimus omnes*. Vide S. Thom. 1. 2. q. 72. a. 5.

Corollarium I. Licet omnia peccata, etiam venialia, sint contra legem Dei, sicuti constat ex definitione peccati, cap. 1. tradita; non tamen omnia peccata absolutè sunt contra finem legis, quæ est charitas & amicitia cum Deo; sed sola mortalia. Addi etiam potest, quòd venialia non sint contra legem Dei præcipuam, seu quæ simpliciter necessaria sit ad salutem. Vide auctorem Compendii Theologię apud Gersonem. p. 2. operum vbi de veniali peccato. Vasq. disp. 143. c. 3. & 4. Becan. tr. 2. c. 2. q. 7. P. Sotum de peccatorum discrimine, c. 10. 2

Corollarium II. Licet diuisio peccati in mortale ac veniale, per se loquendo, sit secundùm differentias accidentales, vt patet in furto magnæ, & furto paruæ quantitatis, quæ essentialiter non differunt, sicuti bene docent Richard. in 4. d. 16. a. 2. quæst. 2. Valent. tom. 2. disput. 6. quæst. 18. p. 2. contra Nau. c. 9. prælud. man. num. 6. tamen dubium non est, quin peccatum quà mortale est, à veniali essentialiter differat. Sicuti etiam animal accidentaliter diuiditur in bipes & quadrupes: sed bipes formaliter, vt bipes est, à quadrupede essentialiter discrepat. Etenim peccatum mortale auertit hominem ab vltimo fine & infinito bono: peccatum autem veniale continet deordinationem circa ea, quæ sunt ad finem illum; ideóque peccatum mortale, & veniale quasi infinitè distant, sicuti edocet S. Th. 1. 2. q. 72. a. 5. ad 1. & q. 87. a. 5. ad 1. Quæ etiam causa est, cur ex venialibus quantumuis multiplicatis nunquam fieri possit mortale; quia ex finitis nunquam efficitur infinitum, ait Nau. in c. tres sunt, num. 5. d. 1. de pœnit. 3

Peccatum veniale triplex est: Vnum ex natura & genere suo: Alterum ex materiæ leuitate: Tertium ex imperfectione actus. Qua de re agit P. Sotus de peccat. discret. lect. 7. Azor t. 1. lib. 4. c. 9. quæst. 7. Sanch. lib. 1. moral. cap. 1. 4

Quòd attinet AD PRIMVM; Veniale ex genere dicitur, quod per se & absolutè spectatum secundùm proprium obiectum, non habet grauem cum recta ratione, & lege Dei repugnantiam; vtpote nec in Dei iniuriam directè tendens; neque cum proximi iniuria, damno; aut ipsius operantis graui incommodo, contra naturæ ordinem, coniunctum: v. g. cogitatio vana, verbum otiosum, mendacium iocosum. Huc spectat omnis excessus & defectus in passionibus animi secundùm se indifferentibus: qua de re generalem regulam tradit Less. lib. 4. c. dub. 14. num. 110. *Cum aliquid per se malum non est, sed indifferens, tunc excessus eius in appetitione, vsúve peccatum est duntaxat veniale, per se loquendo, & secluso graui nocumento, aliáve malitia extrinseca*: tales sunt excessus in cibo, potu, coniugij vsu, ira, timorę, tristitia, appetitu 5

pecuniæ

pecuniæ, honoris, laudis, excellentiæ. Nam in his mediocritatem attingere difficile est. Quòd autem ebrietas peccatum mortale sit, dicam l.3.ſ.4.n.4.

6 Ad alterum quod attinet peccatum, quod ex genere suo mortale est, vt furtum, detractio, &c. veniale efficitur, si materia siue obiectum exiguum sit, v. g. furtum vnius crucigeri. Nam vbi est parua materia, non nisi parua culpa oriri potest. Sed aduerte, quædam peccata esse, quorum obiectum etsi materialiter paruum videatur, formaliter tamen graue est; quia integra ratio ac veluti tota quantitas deformitatis in eo reperitur: sicuti videre est in peccatis quæ directè contra Deum committuntur, videl. Dei odio, infidelitate, &c. Quicquid enim in Deo oderis, infinitam eius bonitatem odio habes: & quacumque ab eo reuelatam propositionem negâris, infinitam eius veracitatem negas. Idem accidit in periurio assertorio, in quo non sine grandi irreuerentia, etiam ad rei minimæ confirmationem, falsus testis Deus adducitur, sicuti dicam lib.4. tr.3.cap. 14.n.2. Vide Sanch. lib.1. moral. cap. 4.num.1.

7 Dubitatur hîc primò: Vtrum transgressiones repetitæ circa materias paruas efficiant denique peccatum mortale? Respondeo & Dico I. Si plurium transgressionum materiæ paruæ, neque secundùm se ipsas, neque secundùm effectum ab ipsis productum moraliter coalescunt, sed diuisæ manent: tunc omnes ac singulæ transgressiones veniales sunt, quæ nunquam mortale peccatum efficere possunt, iuxta doctrinam S. Tho.1.2.q.88.a. 4. Exempla sunt: Si quis quotidie in quadragesima bolum panis extra statuta tempora comedat: si opifex omnibus diebus festis horæ quadrantem operi seruili insistat, secluso scandalo, contemptu. Si Clericus quotidie aliqua verba in officio recitando per negligentiam omittat. Ita docet Vasquez disp. 146.c.2.num.3. Sanch. cit. cap.4. numero 9. & seqq. Suar.t.2.de Relig. li.5.de voto.c.5.numero 9.& seqq.

Dico II. Si plurium transgressionum paruæ materiæ ob aliquem ordinem inter se moraliter vniantur, & coalescant, siue secundùm se ipsas, siue secundùm effectum ab ipsis productum, tunc denique completur malitia mortalis in vltima transgressione, cuius materia siue obiectũ, licet præcisè spectatum, paruum sit: tamen propter ordinem & moralem connexionem cum antecedentibus, grãde reputatur. Exempla sunt: Si ab eodem repetitis vicibus modicam quantitatem fureris, neque restituas; denique eo peruenies, vt non modicam rem alienam iniustè detineas; & magnum damnum proximo inferas. Qua de re dicam in materia de furto l.3.tr.3.de iust.c.1.n.5.

Similis ratio est: si interruptis vicibus plures Psalmos in eodem officio canonico omittas: si operi seruili eodẽ die festo sæpiùs, quamuis per modica tempora, insistas: aut eodem die ieiunij sæpiùs modicum quid extra statuta tẽpora comedas; denique fieri potest, vt mortaliter pecces. Præterea, licet in comedendo temperantiæ limites excedere, cum modico corporis detrimento, veniale dũtaxat peccatum sit; si tamen frequentiùs, eodem, aut diuersis diebus comedendo, valetudinem denique grauiter te lędere animaduertas, mortaliter peccabis, ratione notabilis effectus siue damni, ex peccato gulæ prouenientis. Vide Vasq.l.c.num. 6. Sanchez num. 11. Suarez numero 8.& 9.

8 Porrò, ex tradita hactenus doctrina DD. citati resoluunt cum Soto l.7.de iust.q.2.a.1. col.1. contra Val. t. 3. dis. 6.q. 6.p.4.q.2. Eman.Rod. t.2.sum.c. 99. n.1. Siquis vouit, quot diebus Sabbathinis daturum se eleemosynam paruam in honorem B.Virginis; vel vouit quotidie recitaturum orationem Dominicam: ita vt quælibet oratio, vel eleemosyna cuiusque diei onus sit, eâque finita extinguatur obligatio: tũc etsi toto anno votum violet, nunquã mortaliter, sed semper venialiter peccaturũ. Imò addit Suar.n.16. Sanch.n.15. ideq; videtur sensisse Sotus cit. lo. propositum tale votum longo tempore violandi non esse mortale; sicut nec mortale peccatum, si proponas omnibus ac singulis diebus festis modicum laborare; vel diebus ieiunij modicum comedere: vel quotiescumque occasio se offeret, venialiter mentiri, proximo detrahere. Quod verum est per se loquendo: per accidens tamen, ratione adiuncti periculi labendi in peccatum mortale, timendum est, ne eiusmodi propositum mortali peccato nõ vacet, sicuti notauit Suar.cit.c.5.in fine, Sanch. l. 1.mor. c.5.n.4.& tradidit S.Bon.in 4.d.16.p.2.a.3.q.1.S.Th. 1.2. q.88. a.4.ad 1. explicans dictum S.Aug.hom.vlt. ex 50.c. 3.& tr.12. super Ioan. *Minuta plura peccata occidunt*: dispositiuè intelligendum esse ait, quia ex neglectu multorum venialium facilis sit lapsus in mortale, de quo videri potest P.Sotus de peccatorum discr.lect.7. Ceterùm, si vouentis intentio fuit, dies voto suo definire non ad obligationem finiendam: sed vt insequentibus diebus quàprimùm præstetur, quod suis diebus omissum erat: tunc extra controuersiam esse debet, mortaliter peccari quando longo tempore materiâ obligationis auctâ, votum intermittitur ac violatur: vel ita violandi propositum concipitur.

Sed quæres. Vtrum in dubio vouens censendus sit obligare se voluisse ad supplendũ diebus posterioribus, quod prioribus, neglexerit; ideóq. mortaliter peccare, si lõgo tẽpore sine iusta causa intermittat, vel intermittendi propositum concipiat. Respondeo. Si, vt ponimus, vouens dubius sit qualem intentionem habuerit, neque de ea ex circumstantijs coniectura capi possit, non displicet doctrina Dominici Soti cit.a.1. Realia vota plerumq; ita concipi, vt mens sit ea supplendi si vno die prætermittantur: v.g. si vouisti te singulis diebus crucigerum pauperibus largiturũ, videris te obligare voluisse ad supplendum, si aliquibus diebus omisisti: Personalia autẽ vota ferme non concipi cũ tali onere: vt si quis voueat singulis diebus rosariũ recitaturũ, vel singulis septimanis ieiunaturũ: frequentiùs esse solet vouentis intentio, vt oratio, ieiunium cuiusq; diei aut hebdomadæ onus sit: quia alioquin obligatio homini nimis difficilis accumularetur. Quamuis neque in hac re vniuersalis regula dari potest: cùm non rarò vouentes quotidianam orationem, si quod vno die prætermiserunt altero compẽsent, voto suo vtcunq; satisfecisse se arbitrẽtur. 9

Dubitatur secundò: Vtrum quantitas materiæ, quę sufficiat ad mortale peccatum absolutè spectanda sit; an verò comparatione totius. Nam tres aurei, v.g. si absolutè spectentur, magna quantitas sunt: si autem cõparatione totius alicuius summæ, v.g. trium millium, exiguæ partis proportionem habent. Ponamus igitur, aliquem vouisse in piã causã se erogaturum ter mille aureos; & omnes soluisse præter tres, quos non soluere proponat; vtrũ mortaliter peccare censendus sit? Nau. de orat.c.10.a. 43. Azor t.1.l.10. c.7. q.3.cũ S.Ant.aiunt, partem notabilẽ alicuius totius censendã esse tertiã: ex quo inferunt, eum mortaliter peccare, qui in recitatione paruæ horæ canonicæ totũ principiũ cũ vno psalmo prætermittit. Addit verò Azor, negari non posse, partem etiam minorem tertia notabilẽ censendam esse, si totum valde magnũ sit: v.g. dies festus cõtinet viginti quatuor horas, & pars quarta sex horas habet; nemo autẽ à peccato mortali excusat eũ, qui die festo sex horis seruili operi insistit. Sed miror Azotiũ nõ attendisse eadẽ ratione, si totũ nõ valde magnũ sit, sæpe tertiã eius partẽ non censeri, vt mortalis peccati capax obiectum sit: Exempli causa, si quis partem tertiam rosarij, vel vnius argentei floreni voto promissi, exoluere neglexerit, non statim mortalis peccati damnari poterit: Eadẽ ratio est de tertia parte vnius horæ ex minoribus; præterquã quòd horæ singulæ non tam alicuius totius, quàm partis officij canonici rationẽ habeãt, sicut notauit Sua.t.2.de rel.4.de horis can c.25.n.16. Quare respõdeo ad q. cum Suar.ib.& Sãchez lib.1.c.4. n.17. Et si regula vna generalis assignari nõ possit, tamen magnum & paruum non omnino absolutè, 10

ſed etiam cum comparatione ad totum, cuius pars eſt, prudentis viri morali iudicio, æſtimandum eſſe; vt intelligatur, ſítne ſufficiens mortalis peccati materia. Quemadmodum enim orbis terræ abſolutè quidem magnus eſt, comparatione tamen totius mundi valde exiguus, & vix æſtimandus: ita etiam in alijs rebus, quod abſolutè magnũ eſt, comparatione totius, à quo multoties ſuperatur, paruum quandoque cenſetur, & moraliter non valde æſtimabile. Quam ſententiam Suarez tradit to. 1. de relig. l. 2. de feſtis, c. 31. n. 2. vbi diſputans, quantum tempus operis ſeruilis in die feſto conſtituat peccatum mortale, ita loquitur; *Alii dicunt, ſi attingat horam integram, iam eſſe materiam grauem: ſed nimia eſt & rigoroſa reſtrictio, quia reſpectu totius diei, pars vigeſima quarta non apparet nimia.* Quare ad propoſitum caſum probabiliter reſponderi poteſt; Talem voti præuaricationem non eſſe mortalem; cùm non cenſeatur notabilis: quia qui totum votum reale exoluit, præter partem eius milleſimam, is ferme expleuiſſe exiſtimatur: quemadmodum etiam homo, cui liberaliter promiſiſti donaturum ter mille, ſi omnes ſoluas præter tres, non cenſetur valde ægrè laturus, aut vt magnam iniuriam æſtimaturus: Ita & Deus; cùm non ſit ſeuerior exactor liberalis promiſſi, quàm homo.

Obijcies. Exinde ſecuturum eſſe, vt neque is mortaliter delinquat, qui furatus ter mille aureos, aliquos ex ipſis retinet, reliquos reſtituit. Reſp. negando conſeq. Diſcrimen enim eſt, quòd iſte rem alienam aufert; hic verò ſuam non dat, cùm dare deberet, & quidem promiſſariò non admodum inuito; ſi tota ferme gratuita promiſſio expleta fuit. Quæ eſt probabilis & benigna deciſio: quia in rigore contrarium dici poteſt; eo quòd vouens, ſeu promittens, poſt factam & acceptatam promiſſionem, totius rei promiſſæ ex iuſtitia debitor factus ſit.

11 Ad tertium quòd attinet peccatum, quod & ex genere ſuo, & obiecti grauitate mortale eſſet, ſæpenumero veniale fit ob imperfectionem actus. Pro qua re aduertẽdum: Motus appetitus ſenſitiui, ipſiúſque voluntatis alij ſunt, qui plenam & perfectam rationis deliberationem ſequuntur, ideóque ab obiecto, quod mortaliter malum eſt, etiam mortalem malitiam accipere ſolent. Alij verò sũt, qui ante omnem rationis deliberationem, naturaliter excitantur: quare vocati ſolent motus *primò primi*, id eſt, maximè primi. Iniecta enim animo cogitatione obiecti mali, ſiue à malo Dæmone per ſuggeſtionem; ſiue ab extrinſeco per viſum, auditum, &c. ſiue ex naturali diſpoſitione ac infirmitate, exinde interdum naturaliter & neceſſario appetitus, ipſáque voluntas in propoſitum obiectũ mouetur; vt in hominis poteſtate non ſit eiuſmodi ſubitos motus cohibere, vel prorſus impedire: quamobrem omni culpa carent, teſte S. Aug. l. 3. de lib. arbit. cap. 25. & lib. 1. de ciuit. cap. 25. conuenienter Apoſt. ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*: Et infra: *Non quod volo bonum, id ago: ſed quod nolo malum, id facio*: quem locum explicat S. Hier. epiſt. ad Euſtoch. de cuſtodia virginitatis, relatus in c. ſi Paulus, 34. q. 5. Nau. in c. ſuper tribus, d. 1. de pœn. n. 4.

Obijcies. Etſi homo cogitatione mali obiecti exorta, appetitum omnino cohibere non poſſit: poteſt tamen impedire, ne talis cogitatio in animo oriatur, occupando ſe alijs cogitationibus bonis & honeſtis: ergo tunc motus in obiectum malum indirectè voluntarius exiſtit, adeóque peccatum: quando homo negligit amouere eius cauſam, quæ eſt eiuſdem obiecti cogitatio, ſicuti ratiocinatur P. Sotus de peccat. diſcrimine. cap. 8. Reſp. cum Vaſq, diſp. 106. c. 5. Azor li. 4. c. 5. q. 2. Cogitationem primam in quouis negato voluntariam non eſſe, ſed naturalem, vt dixi præced. tract. cap. 2. n. Tali autem orta cogitatione, v. g. circa obiectum ſecundùm ſe inhoneſtum, ſed apprehenſum duntaxat ſub ratione vtilis, vel delectantis; appetitus ipſaque hominis voluntas naturaliter commouetur conſequenter peccatum nullum continet. Loquimur autem de motu ſeu appetitione mali, quam ratio aduertens, ſi poſſit, impedire & repellere debet. Infra verò dicam, tametſi homo cogitationem, ex qua prauus appetitus ſenſitiuus exurgit, tollere poſſit, abſtinendo, v. g. ab audiendis confeſſionibus, à lectione, ſcriptione, conſideratione peccatorum, v. g. carnalium, tamen ad id non obligari, ſi abſit periculum conſenſus.

Alij denique motus ſunt ſecundò primi, qui licet antecedant perfectam rationis deliberationem; ſequuntur tamen conſiderationem ac deliberationem imperfectam; adeóque fiunt cum conſenſu ſemiplenè deliberato, qualis conſenſus eſſe ſolet in ſemiebrijs, ſemidormientibus: ſimilíque modo in ſobrijs ac vigilantibus: ſed animum paſſione iræ, timoris, &c. perturbatum, vel alienis cogitationibus adeo implicatum habentibus, vt ad id, quod agunt, vel ſaltem ad actionis malitiam, eiuſue periculum plene non aduertant, adeóque non niſi imperfectè ac leuiter delinquant, ſicuti docent Nau. prælud. 9. man. n. 10. & cit. c. ſuper tribus, Medina 1. 2. q. 74. a. 6. Caiet. ver. delectatio, poſt princip. Vaſq. diſp. 107. cap. 3. & 4. Atque ita intelligendus S. Th. 1. 2. q. 74. a. 3. ad 3. *Motum ſenſualitatis; qui præuenit rationem* (perfectam) *eſſe peccatum veniale.* 12

Enimuerò ſupra monui tr. 2. c. 3. Hominẽ numquã peccare, niſi actualiter aduertat ad moralem malitiam operis aut omiſſionis. Quare ſi die ab Eccleſia interdicto appoſitis carnibus, comeſtio tibi vtilis ac cõmoda videatur, fieri poteſt vt deliberatè comedas, & nihil pecces; ſi de Eccleſiæ prohibitione, & conſequenter de operis malitia nihil cogites: imò fieri poteſt, vt tunc opus virtutis temperantiæ exerceas, ſi moderatè comedas. Idémque, quamuis rariùs, etiam in ijs locum habere poteſt, quę per ſe mala ſunt, vt animas in vehemente paſſione iræ, vel triſtitiæ adeo abſorbeatur cogitatione cõmoditatis vel vtilitatis, vt vel nihil omnino, vel valde tenuiter attendat ad operis malitiam ſeu inhoneſtatem: quo caſu vel nullum, vel dũtaxat imperfectum ac veniale peccatum erit; quod arbitror interdum euenire ijs, qui nimia triſtitia abſorpti ſibi ipſis necem inferunt. Ratio huius rei peti debet ex doctrina, quam tradit S. Aug. l. 12. de Trinit. c. 12. & l. 2. de Gen. contra Manich. c. 14. S. Th. 1. 2. q. 74. a. 7. Vt conſenſus voluntatis moraliter bonus vel malus ſit, debet eſſe rationis ſuperioris; (quæ à S. Aug. viro comparatur) & non tantùm inferioris, quæ mulieri aſſimilatur. Ratio inferior dicitur, quæ humanis ac temporalibus tantùm motiuis commoditatis, ac delectationis attendit, v. g. commodum atque vtile eſſe comedere, inimicum è medio tollere. Ratio ſuperior eſt, quæ rationibus æternis honeſtatis, vel inhoneſtatis ſecundùm Dei legem attendit: v. g. quòd carnium comeſtio die interdicto, vel hominis occiſio illicita ſit, ſeu legi repugnans; quòd moderatè ſuo loco, tempore comedere honeſtum ſit. Dico igitur, voluntatis conſenſum nunquam moraliter honeſtari, niſi moueatur, & eliciatur ſecundùm rationes æternas & nunquam inhoneſtari, ſiue ad culpam imputari, niſi eliciatur præter, aut contra antecedentẽ conſideratione̅ rationum æternarum; dum videl. voluntas magis patitur ſe moueri rationibus delectabilis, aut vtilis, quàm honeſti. Quæ doctrina ab eodem S. Th. 1. 2. q. 15. a. 4. ita probatur: Finalis ſententia pertinet ad ſupremum iudicem: ſed ratio ſuperior, attendens rationibus æternis diuinæ legis, ſupremus in homine iudex eſt: Ad hanc enim, puta mentem, pertinet iudicare de rationibus humanis ac temporalibus, ab inferiore parte propoſitis. Cùm igitur conſenſus deliberatus, ob quem homo culpandus ſit, debeat eſſe ſententia vltima: (ſi enim aliud ſuperius examen in homine ſupereſſet, excuſare ſe poſſet & dicere, cauſã non eſſe omnino diſcuſſam, neq; iudiciũ finitũ) ſequitur hinc, quòd cõſẽſus in peccatũ debeat eſſe rationis ſuperioris. 13

Neque obſtat, quòd Caiet. 1. 2. q. 74. a. 3. & 4. P. Sotus. 2. 2. in-

2. inſtit. ſacerdot. de diſcrim. peccatorum, cap. 8. & alij apud Vaſq. diſp.106.c.2.& 3. exiſtimant, ſecundùm S.Au. guſt. l.5.contra Iulian. Pelagian.c.3. fatendum eſſe, quòd motus appetitus inclinati in malum, peccatum ſit (veniale) licet omnem rationis deliberationem præueniat Nam hæc doctrina alieniſſima eſt à mente S. Auguſtini, quippe qui tum ibi, tum aliàs ſæpe ſecutus Apoſtolum ad Roman.7. concupiſcentiam vocat peccatum, non quòd propriè & in ſe peccatum ſit; ſed quia à peccato primorum parentũ orta eſt; & quia in peccatum trahit, illúdq; facit, ſi reginam Mentem ſuperet, ſicuti clare explicat l.1. de nupt. & concupiſc.cap.23. & ſubiungit: *Vocatur peccatum, quia peccato facta eſt*, concupiſcentia, *cùm iam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicuti vocatur lingua locutio, quam facit lingua: & manus vocatur ſcriptura, quam facit manus. Itémque ſic vocatur peccatum, quia peccatum ſi vincit, facit; ſicut vocatur frigus pigrum, non quòd à pigris fiat: ſed quod pigros facit.* Eadem habet lib.1.contra 2. epiſt.Pelag.c.13. lib.1.retract.c.15.& lib.6. contra Iulian. Pelag.c. 9.& 10. vbi ait, deſideria carnis *appellari peccatum, non eo modo quo facit reum: ſed quòd ſit reatu primi hominis factum, & quòd rebellando, nos trahere nititur ad reatum.* Et paulò poſt: *Quãtùm ad nos attinet, ſine peccato ſemper eſſemus, donec ſanaretur hoc malum, ſi ei nunquam conſentiremus ad malum. Sed in quibus ab ipſo rebellante, etſi non lethaliter, ſed venialiter tamen vincimur: in his contrahimus vnde quotidie dicamus, dimitte nobis debita noſtra.* Vide eundem de verbis Apoſt. ſerm.5. & 6. Henricum de Gandauo quodlibet 6. quæſtione 32.

CAP. VI.

De delectatione moroſa.

SVMMARIVM.

1 *Duplex eſt voluntatis affectus: vnus efficax, qui dicitur propoſitum: alter ſimplex complacentia, ſine exequendi voluntate.*

2 *Aliud eſt delectari de re cogitata, aliud verò delectari de ipſa ſuſcepta cogitatione: hæc enim per ſe mala non eſt: licet circa rem ſecundùm ſe malam, v. g. fornicationem occupetur.*

3 *Aliud eſt delectari de opere malo: & aliud delectari de modo operandi malè.*

4 *Omnis delectatio directè voluntaria de opere ſecundùm ſe malo, ſimiliter mala eſt.*

5 *Delectatio voluntaria circa malum, moroſa vocari ſolet: non quòd moram temporis requirat: ſed quia, poſt rationis animaduerſionem, voluntas in ea acceptanda perſiſtit: quod inſtante fieri poteſt.*

5 *Si quis ſine cauſa, aut neceſſitate actionem exercet, ex qua intelligit delectationem carnis naturaliter orituram: tamen ſine directa intentione, & ſine periculo conſentiendi, is peccat tantùm venialiter: Sin verò cauſam iuſtam habet talem actionem exercendi, nihil peccat, permittendo carnis motionem exinde oriri.*

7 *Si homo turpis obiecti cogitationem, & hinc ortam ſenſitiuam delectationem repellere intermittat: quòd placeat illi res cogitata, & hinc ortus motus in parte ſenſitiua: committit peccatum mortale delectationis moroſæ. Sin verò ideo expellere negligat, quia confidat de conſtantia partis ſuperioris, non inclinatæ ad conſenſum, probabile eſt non peccare mortaliter.*

8 *Vt tamen dicta ſententia etiam practicè probabilis ſit, requiritur vt voluntas omittens carnalem delectationem, animum ad alia conuertendo, depellere. interim formalis diſplicentiæ actum exerceat.*

9 *Oblectari ijs abſolutè & ſecundùm ſe, quæ ideo tantùm mala: quia lege poſitiua aut voluntario voto prohibita, non eſt mortale peccatum delectationis moroſæ.*

10 *Non eſt mortale peccatum opus prohibitum deſiderare, vel in eo delectari, ſub conditione ſi prohibitum non eſſet: modo appoſita conditio auferat operis malitiam.*

11 *Sin appoſita conditio operis malitiam non aufert, mortale peccatum eſt, opus ex ſe mortale ſub eiuſmodi conditione deſiderare, aut eo voluntariè oblectari: v.g. Niſi infamiam timerem vellem adulterari.*

12 *Coniunx mortaliter non peccat, ſi de maritali copula coniuge abſente cogitans, in re cogitata delectetur.*

13 *Vidua mortaliter peccat, ſi voluntariè conſentiat in motum delectationis ſenſitiuæ, quæ ex recordatione præteritæ copulæ maritali exurgit.*

14 *Coniunx probabiliter excuſatur à peccato mortali, ſi voluntariè delectetur in commotione ſenſitiua, orta ex imaginatione coniugis abſentis.*

15 *Qui ſimpliciter ac præcisè ſe oblectat cogitatione mulieris, etſi illa conſanguinea ſit, vel Deo ſacrata: committit vnum ſimplex peccatum mortale contra temperantiam: ſecus, ſi deſideret vel proponat cum tali fornicari: quare tunc circumſtantiam perſonæ in Confeſſione explicare debet.*

NOtandum primò. Duplex eſt voluntatis affectus: 1
Vnus efficax, qui dicitur voluntas, propoſitum, intentio exequendi quod cogitatum eſt: Alter inefficax, quę eſt ſimplex complacentia, amor, ſiue delectatio in obiecto cogitato, ſine exequendi voluntate. Hîc loquemur de ſimplici delectatione.

Notandum ſecundò. Aliud eſt delectari de re cogitata, 2
v.g. fornicatione; ita vt formalis ratio delectandi ex ipſa re ſit; cogitatio verò ſit tantùm conditio proponens & applicans rem cogitatam. Aliud verò eſt delectari de cogitatione, v.g. fornicationis, ita vt formalis ratio delectandi ſit ex ipſa cogitatione, tanquam obiecto pulchro & iucundo. Nos hîc loquimur de delectatione, quæ capitur ex re ipſa. Cùm enim cogitatio rei malæ per ſe mala non ſit, ſed interdum bona; veluti, ſi de rebus turpibus cogites docendi, vel admonendi cauſa: interdum autem venialiter mala, vt ſi ex curioſitate de eiſdem cogites: ſequitur, delectationem quoque de eiuſmodi cogitatione tanquam obiecto per ſe malam non eſſe; ſed interdum bonã, interdum venialiter malam. Ita docet S.Th. 1.2.q.74.a.8. & amplectitur S.Ant. p.2.tit.5.c.1.§.5.Caiet.ver.delectatio moroſa, P.Sotus de peccat. diſcrimine, c.9.ad finem, Dur.in 2.d.24.q.6. Adr.in 4. de Euch.in q. Quia dictum eſt quòd ſomnus. Vaſq.diſp.15.c.5.n.25. Lopez p.1. inſtru. cap.2.§.Tandem animaduerſione. San.l.1.mor. c.2. n.3.

Notandum tertiò. Aliud eſt delectari de opere malo, & aliud delectari de modo operandi malè. Si enim tibi in otio varia cogitanti, aut legenti, vel comœdiam ſpectanti, repræſententur mirabiles modi furandi, alienam ſponſam rapiendi; fieri ſolet, vt abſque peccato placeat tibi nõ furtum, raptus ſecundùm ſe; ſed furandi, vel rapiendi modus arte, ingenio excogitatus, ſicuti notat Caiet.l. ca. Azor. lib.4.c.6.q.1.qui alio etiam exemplo rem declarat: ſi v.g. videas hominem ex equo ridiculè cadentem lædi, ſine peccato rides, & te oblectas, non ob illati vulneris damnum, ſed ob cadendi & lædendi modum. Nos hîc loquimur duntaxat de oblectatione, quæ ex opere malo capitur.

Aſſertio I. Omnis delectatio directè & expreſſa volun- 4
taria, de opere ſecundùm ſe malo, ſimiliter mala eſt: ita, vt ſi opus exiſtat peccatum veniale, v.g. officioſum mendacium, immoderata comeſtio, etiam delectatio de eo venialiter mala ſit: Si autem opus mortale peccatum exiſtat, v.g. fornicatio, ebrietas, homicidium etiam delectatio de eo mortaliter mala ſit. Quæ eſt Sententia S.Th.q.74.a.8. ad 5.Caiet.ibi & in ſum. ver.delectatio, Ioan.Gerſon. p. 2. operum, in compend. Theol. vbi de conſenſu in delectationem, Nau.c.11. man.n.13.Syl.ver.delectatio, q.1. Med. q.74.a.6.docum. 1.Azor l.4. c.6.q.1.Leſſ.l.4. de iuſt. c.3. dub.15.Sanch.l. 1. moral. c.2. n.9.Probatur: Nam delectatio eſt quædam inclinatio appetitus in obiectum cognitum: Abhorret autem à recta ratione, appetitum rationalem inclinatum eſſe in obiectum turpe ſiue inhoneſtum. Ergo.&c. Confirmatur: Deliberatè delectari de opere fornicationis, omnium ſententia, eſt peccatum mortale: ergo etiam delectari de alio quouis opere quod ſecundùm ſe mortaliter malum eſt. Neque enim ratio diſcriminis afferri poteſt, ſicuti notauit Armil.ver.cogitatio, n.4. Quamuis aliter diſcurrat Vaſ.diſ.111. c.3.& 4.

Locutus sum autem de delectatione voluntaria, quæ à DD. morosa dicitur, non quòd moram temporis requirat; sed quia post plenam rationis animaduersionem, voluntas in ea acceptanda, siue consentiendo persistat, quod temporis instante fieri potest sicut notauit S.Th.1.2.q.74. a.6.ad 3.S. Ant.p. 2.t.5.c.1.§.5. Syl.l.c.dicto 4.Nau.c. 11. man. n.13. Excludo igitur delectationem non voluntariã, seu non liberam: Cùm enim subita apprehensione obiecti turpis ante rationis animaduersionem excitata, appetitus naturaliter commouetur; talis motus est primò primus, & omni culpa carens. Sed etsi ratio aduertat motum sensitiuum oblectationis ex apprehensione mali obiecti concitatum; tamen facultas sensitiua, (phantasia inquam, & inde consequens appetitus) non est rationi subiecta despoticè: sicuti seruus domino; (quomodo rationi paret facultas loco motiua, v.g. manus, pes) sed politicè, sicut ciuis consuli, cui etiam nonnumquam repugnat, teste Arist. 1.polit.c.3 & 3. Eth.c.vlt. Experimur namque, non sicuti manus aduertente ratione, ac prohibente voluntate exercere se nunquam potest; ita etiam phantasiam, & appetitum sensitiuum: sed apprehensiones, & cogitationes identidem repulsas, velut muscas recurrere, inferioris appetitionis motus, repugnante rationali voluntate, excitari, sicuti in seipso expertus deplorat Apost.ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis*, &c. Hinc itaque existit, quòd sæpe, etiam post rationis animaduersionem, perseueret motus delectationis de obiecto prauo, sine vllo voluntatis libero consensu, & absque culpa, sicuti notauit Caiet.ver. delectatio, §. circa morosas, San.l.1.cap. 1.nu. 19. Hadr.de Euchar.q.4. vbi ait, *Quamdiu ratio resistit, etsi superare non possit, nulla culpa est, sed materia exercendæ virtutis, & res magni meriti.*

6 Deinde locutus sum hactenus tantùm de voluntario expresso ac directo, quod consistit in positiuo voluntatis consensu libere acceptantis delectationem ex cogitatione mali obiecti ortam. Delectatio autem indirectè voluntaria duobus modis contingit: Primò, Si homo voluntaria actione, v.g. aspectu, locutione, lectione causam præbet delectationi carnis, sciens aut probabiliter suspicans eam naturaliter inde orituram. Tunc distinguendum est: Vel enim talis actio exercetur ob causam aliquam secundùm se honestam, eamque vtilem, vel necessariam, v. g. discendi, docendi, exhortandi gratia: tunc nulla culpa erit, sicuti ex communi docet Nau. in c. cogitationis, d 1. de pœnit. Vel est actio vana, inutilis, v.g. aspectus, collocutio, lectio curiosa, sine directa intentione capiendi delectationem, & sine periculo consentiendi in delectationẽ, aut praui operis executionem, tunc erit culpa venialis, sicuti docet Vasq. disp.108. cap 3. Corduba libro 1. quæst. 23. dub.9. Sanchez lib.9. de matr.disp. 49.n.39. & 45.

Secundò id accidit, si homo seu à Diabolo iniectam, seu naturaliter exurgentem obiecti mali cogitationem, &
7 hinc ortam delectationem sensitiuam plenè aduertens, eãdẽ repellere, ad alia animũ conuertendo, &c. negligat. Quod quidem si fiat, quia placeat res cogitata, & hinc ortus motus delectationis, erit positiuus voluntatis consensus in delectationem, siue morosa delectatio. Si autem ideo negligat, quia confisus de constantia voluntatis, cõtemnat delectationem partis inferioris naturaliter exortam, veluti passionem non voluntariam, & tentationem insufficientem ad inclinandam voluntatem; tunc multorum est DD. sententia, esse hoc peccatum duntaxat veniale. Ita enim docet S.Th. de verit.q. 15.a. 4.ad 10.Hadr. cit.q.4. Caiet. l. c. Angelus & Armilla ver. cogitatio. Na. in man.c.11.n.12. Angles 2.d.37.q.5. diffic.4.concl.2. pag. 265. Lopez.p.1. instr.c.2.§. quinto modo, Tolet. l. 5.c. 14. §. aduerte autem, Graffis p. 1 l.2.c.78. n. 3. Corduba cit. q.23.dub.10. ad 7. Sanch.l.1.moral.c. 2. n. 13. Fundamentum huius sententiæ est; Quia licet inferior mali obiecti appetitus inordinatio ac deformitas quædam sit; non tamẽ magna & grauis, quando præter voluntatem ex naturæ infirmitate oritur: quare eam sine rationabili causa permittere, cùm impediri possit, est sanè peccatum aliquod, sed non magnum ac graue, per se loquendo, & cessante periculo liberi consensus in delectationis motum. Quam doctrinam latè examinat Medina q.74.a.6. reijciunt verò D. Ant. p.2. tit.5.c.1.§. 5. Azor l.4.c.6.q.5. Less. l. 4. c. 3. dub. 15.n.117. Valent.t.2. disp. 6. q.4 p.3. Vasq.disp.108. cap.2. Becanus 1. 2.tr.2.c. 5.q. 5. Fundamentum est: Quia consensus voluntatis indirectus & interpretatiuus æquiualet consensui directo & expresso: iste autem est consẽsus indirectus & interpretatiuus, quando, exorta delectatione sensitiua circa obiectum mortaliter malum, voluntas post plenam rationis animaduersionem, potest ac debet malam appetitionem excutere, & tamen intermittit: ergo tunc delectatio sensitiua censetur voluntaria & morosa; ideóq; mortaliter mala, perinde ac si directo voluntatis consensu approbata esset.

Vtraque sententia probabilis est: neque assentior Vasq. dicenti priorem improbabilem. Resp.enim ad fundamẽtum posterioris, consensum directum & consensum interpretatiuum non æquiualere in grauitate culpæ, maximè si loquamur de peccatis internæ appetitionis. Nam permissio voluntatis eatenus ad culpam imputatur, quatenus est alicuius mali seu incommodi, quod impediri potest ac debet: quare si malum seu incommodum graue non sit, eius voluntaria permissio non potest ad culpam grauem imputari. Quòd autem inordinata commotio appetitus sensitiui, si naturaliter oriatur, graue malum censendum non sit, vel inde colligi potest, quia ob causã aliquam honestam, etiam non valde grauem, permitti potest, non auertendo animum à cogitatione vel actione vtili, cum qua homo scit carnis appetitionem coniunctam esse, modò absit periculum consensus Confirmatur ex cõmuni DD. sententia, quam suprà tradidi n.6. Actione aliqua vana causa præbere motui delectationis sensitiuæ, esse tantùm peccatum veniale, eò quòd talis commotio, supposito hominis originali lapsu & naturæ infirmitate, non censeatur graue malum. Ergo eadem ratione peccatum duntaxat, veniale est, motum delectationis sensitiuæ naturaliter exortum sine iusta causa permittere, seu nõ tollere applicatione animi ad alia cogitanda, agenda. Quia vtrumque est voluntarium indirectum & interpretatiuũ: imò voluntario in causa affectus magis adscribendus videtur; cũ ad eum agẽs voluntariũ etiam physicè concurrat.

Veruntamen, vt hæc sententia etiam practicè probabilis sit, requiritur, vt voluntas omittens carnalem delectationem depellere, animum ad alia conuertendo, interim exerceat actum formalis displicentiæ. Nam esto talis 8
actus displicentiæ inefficax sit ad depellendum appetitum sensitiuum, est tamen efficax ad tollendum voluntatis cõsensum; quippe cui actus displicentiæ formaliter & directè opponitur. Alioquin verò, si homo aduertens motũ appetitus sensitiui in malũ, actũ displicentiæ in voluntate non eliciat, exponitur manifesto periculo volũtariæ approbationis seu consensus. Etsi enim simpliciter possibile sit voluntatem proposito sibi obiecto suspendere omnem actũ, vt illud nec approbet, nec improbet, sed negatiuè se habeat: tamẽ id, præsertim in obiecto vehemẽter alliciente est valde difficile, & moraliter ferme impossibile: vt proinde homo proximo & probabili periculo cõsensus se exponat. Nã *mus in pera, ignis in sinu, serpens in gremio male suos remunerãt hospites*, c. etsi Iudæos, de Iudæis, & causa 13. q.1. post c. Ecclesias. Igitur concludo, & dico: Si homo orta delectatione sensitiua circa obiectum mortaliter malum, post plenã rationis animaduersionẽ, non eliciat actũ displicentiæ seu improbationis, talem delectationem censeri morosam & mortalem, quæ in Confessione necessariò explicanda sit: Sin verò delectatio displiceat homini; ita vt simplici affectu cupiat eã abesse; licet non efficaciter, quia animũ ad alia cogitanda, agenda negligit conuertere, cùm facilè possit, & speret etiã tali modo se commotionẽ sensiti-

ſitiuam depulſurum eſſe; tunc valde probabile eſt, tantùm venialiter peccari: quamuis conſultum, & omnibus conſcientiæ ſecuritatem amantibus conſuetum ſit ſe accuſare ſi in prauis cogitationibus tali etiam modo expellendis fuerint negligentes. Lege Nau. cit. c. 11. n. 14.

Aſſertio II. Oblectari ijs abſolutè & ſecundùm ſe, quæ ideo tantùm mala ſunt, quia vel lege poſitiua, vel voluntario voto prohibita, non eſt mortale peccatum delectationis moroſæ. Ita Adrianus quodlib. 10 a. 2. Gabr. in 4. d. 15. q. 15. a. 3. dub. 3. Corduba lib. 2. q. 30 dub. 1. Sanch. l. 1. c. 2. n. 10. Ratio peti debet ex diſcrimine, quod eſt inter voluntatem efficacem, & ſimplicem affectionem delectationémve; quòd illa tendit in obiectum cũ omnibus ſuis adiunctis, ſiue circumſtantijs: ſimplex autem affectio, quia ſequitur ſimplicem obiecti cogitationem apprehenſionémve, cuius proprium eſt pręſcindere, ſiue vnum ſi ne altero ei adiuncto cogitare; tendere poteſt in obiectũ præciſum à reliquis adiunctis ſiue circumſtantijs. Hinc igitur fit, quòd, ſi ſubſtantia obiecti ſecundùm ſe mala nõ ſit, ſed tantùm propter extrinſecam ſiue adiunctam poſitiuæ legis prohibitionem; tam apprehenſiuus intellectus, quàm inde conſequens motus appetitionis ac delectationis ferri poſſit in ſubſtantiam obiecti ſecundùm ſe, abſque omni culpa. Exemplum: Si cognita Eccleſię prohibitione habeas voluntatem, ſeu propoſitum comedendi carnes die Veneris habes quoque voluntatem præuaricandi legem, ideóque peccas. Sin autem cognita lege Eccleſiaſtica, eadem die cogites atque oblectes te carnium eſu abſolutè & præciſè, non præuaricaris ieiunij legem: quia lex prohibens carnium eſum, non prohibet etiam cogitationem & animi oblectationem de carnium eſu. Confirmatur: Sæpe quis ſine culpa triſtatur de ieiunij præcepto, vel edito voto, quod tamen obſeruare proponit: Et pœnitenti ſæpe diſplicet pœnitentia à Confeſſario iniuncta, quam tamen perficere vult: Ergo ſimiliter ſine culpa poteſt aliquis oblectari in opere lege poſitiua prohibito, retinens interim efficax propoſitum opus non faciendi. Cæterùm delectari de opere, v. g. carnium eſu, quatenus legitimo præcepto repugnat, ſemper eſt peccatum; cùm pro obiecto habeat formalem inobedientiam, iuri naturali repugnantem.

Corollarium. Iactare ſe ſiue gloriari de opere, quod & quatenus ſecundùm ſe malum eſt, v. g. de mendacio, fornicatione, homicidio ſecundùm ſe; ſemper eſt peccatum mortale, vel veniale, iuxta operis qualitatem. Continet enim in ſe complacentiam, & comprobationem peccati Quare id reprehenditur pſal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* At verò iactare ſe vel gloriari in opere, quod & quatenus ſecundùm ſe malum non eſt; non continet peccatum eiuſmodi approbationis: v. g. ſi glorieris de corporis viribus, quia proximo die Veneris quatuor pondo carnis auide comediſti, vel inimicum vno pugno proſtrauiſti. Vide hac de re Sanc. l. 1. moral. cap. 3.

10 Reſtãt aliquæ quæſtiones: Prima vtrũ ſit mortale peccatũ, ex re aliqua prohibita deſideriũ vel delectationẽ capere ſub cõditione, ſi prohibita nõ eſſet? Reſ. & dico I. Si appoſita cõditio verè aufert malitiã operis, nõ eſt mortale peccatũ illud ſub tali cõditione deſiderare, vel in eo delectari. Idq; accidere ſolet tũ in ijs, quæ ſolo iure poſitiuo prohibita sũt; v. g. *Vellẽ comedere carnes, niſi dies Veneris eſſet*: ſiue *Vellẽ bũcaſẽ non ſubiacere Eccleſiaſt. interdicto, quo carnes comedere poſſẽ*: tũ in i s, quæ iure naturali prohibita: ſed nõ ita quin per oppoſitã circũſtantiã cohoneſtari poſſint: v. g. *Vtinã iudex eſſẽ, vt malefactorẽ iſtũ occidere poſſẽ: Si à Deo mihi poteſtas daretur prædari vellẽ* &c. Ita docet Adr. quodl. 10. a. 2. con. 1. Ca. ver. cogitationũ peccata, Azor l. 4. c. 6. q. 10. San l. 1. mor. c. 2. n. 23. Vaſ diſ. 116. c. 2. Quapropter neque peccatũ mortale eſt, per ſe loquẽdo ſi cõiugatus cupiat vxorẽ ducere ſub cõditione, ſi à ſua liber eſſet: vel Religioſus ſi à profeſſione liber eſſet: quod aliud nõ eſt, quàm optare nõ eſſe religioſũ, quò poſſit vxorẽ ducere & cõiugio vti. Atq; ita etam docet Na in c. ſi cui, d. 1. de pœn. n. 1. *Sunt tamen hæ fatuæ, & Diabolicæ tentationes*, *inquit* Caiet. *quæ ad peccatum ducere ſolent.*

11 Dico II. Si appoſita cõditio malitiã operis verè non aufert, mortale peccatũ eſt, opus ex ſe mortale ſub tali cõditione deſiderare, vel in eo delectari. Ita Cai San. ll. cc. exẽpla sũt: *Si volare poſſẽ occiderẽ hũc hominẽ: Niſi infamiã timerẽ vellẽ adulterari: Niſi ſacerdos eſſẽ, vellẽ fornicari*, quo tamen caſu aufertur malitia ſacrilegij, manente malitia ſimplicis fornicationis.

Cæterũ, quod Cai. Arm. ver. cogitatio, Sa ver. peccatũ, n. 2. Vaſ. diſ. 116. c. 2. talẽ quoq; actũ mortali peccato liberãt: *vellẽ fornicari, niſi peccatũ eſſet: niſi Deus prohibuiſſet: vellem vlciſci, ſi licitũ* eſſet: diſtinctione indiget. Si enim voluntas deliberatè feratur ſub tali cõditione in obiectũ per ſe & ſuapte natura malũ, cõmittitur culpa mortalis, ſicuti rectè docẽt Adr. Azor San ll. cc. Tũ quia talis cõditio impoſſibilis nõ aufert malitiã obiecti intrinſecè & ſubſtãtialiter malẽ: ergo volũtas deſiderãdo fertur in malũ. Tũ quia deſideriũ iſtud nõ eſt, quã optare, vt ordo & lex naturæ immutetur: quod peius eſt quã, v. g fornicari velle. Si autẽ alia dicentis intentio non ſit, quã oſtendere voluntatis ſuæ, vel appetitus ſenſitiui malã propenſionẽ, quæ in conſenſũ circa tale obiectũ traheret, niſi Dei lex arceret: tũc nihil peccatur, ſed propenſio in malũ recordatione diuinæ legis reprimitur: Et ſimile eſt, ſi Religioſus, v. g. dicat, *Niſi religioſus eſſẽ, hunc percuterẽ*: ſignificans ſe animi cõmotionẽ ſuperaturũ non eſſe, niſi religioſus eſſet. Peccat autẽ, ſi imaginando ſecularem ſe eſſe, oblectetur cogitata percuſſione hominis vindictæ cauſa, ſicuti bene explicat Sanch. cit. c. 2. n. 25. Similia dixi tract. ſuperiore c. 6 num. 9.

12 Quęſtio Secunda. An ſit mortale peccatũ moroſæ delectationis: ſi cõiunx abſente coniuge oblectet ſe cogitatione copulę maritalis? Eadéque quęſtio proponi ſolet de vidua, oblectãte ſe recordatione copulę pręteritæ: Itẽ de ſpõſo deſiderãte, vel oblectante ſe in copula futura. Reſ. & dico I. Coniunx mortaliter nõ peccat, ſi de maritali copula, abſẽte coniuge, cogitans rẽ cogitatã volũtate approbet, ſiue de ea gaudeat. Ita docet D. Ant. p. 2. ti. 5. c. 1. §. 6. Pal. in 4. d. 9. q. 4. a. 1. Cai. ver. delectatio moroſa §. 3. eſt, Med. q. 74. a. 8. Vaſ. diſ. 113. c. 2. Sanc. l. 9. de matr. diſ. 44. Etſi contrariũ ſenſiſſe videatur Syl. ver. delectatio, q. 2. Na. c. 16. nu. 10. Azor t. 1. l. 4. c. 6. q. 8. Probatur: Mortalis malitia delectationis moroſæ ſumẽda eſt ex malitia obiecti ſiue rei cogitatæ: copula autẽ maritalis malitiã non habet: ergo de ea cũ voluntatis approbatione & gaudio cogitare, nõ eſt mortale peccatum moroſæ delectationis. Eſt tamen peccatum veniale, inquit Caiet. Cum nec neceſſitas, nec pietas talem mentis occupationem ſuadeat.

Cæterũ tametſi, per ſe loquendo, idem quod de coniuge dictum fuit, de vidua quoque dici poſſet: nimirum mortaliter non peccare, ſi oborta cogitatione copulæ carnalis cum marito defuncto, eam voluntate approbet: ſicuti videre eſt apud Vaſ. diſ. 114. c. 2. Philiar. t. 1. de offic. ſacerdotis, p. 2. l. 4. c. 18. Similiter de ſponſo, ſi oborta cogitatione copulę coniugalis futuræ, eam vel deſideret, vel ſimplici voluntatis affectione approbet, qua de re Cai. t. 1. opuſc. tr. 14. dub. 2. San. l. 9. de matr. diſp. 47. n. 1. Quod idẽ San. l. 1. moral. c. 2. n. 33. & Philiar. l. c. extendunt ad omnem voluntatis affectionem, etiam ſimplicis complacentiæ cõceptæ ex cogitatione concubitus cũ muliere, ſi vxor eſſet. Nã cõplacentia voluntatis: inquiunt, cuius obiectũ apprehenſũ bonũ eſt, non eſt mortale peccatum; concubitus autem cum muliere apprehẽſa ſub cõditione & ſtatu coniugij, nõ eſt malũ, ſed bonum obiectum: ergo etiam ſimplex voluntatis complacentia (& non ſolùm deſiderium, ſicut Cai. exiſtimat dub. 1.) de tali obiecto apprehenſio à mortali peccato excuſatur. Quamuis, inquam, hæc ſpeculatiuè vera eſſe ponamus, tamen in praxi vix locũ habẽt: ſed ferme pręſumẽdũ eſt, cũ eiuſmodi volũtarijs oblectationib' mortale peccatũ concurrere: non ſolùm propter periculũ eli-

ciendi consensus in fornicationem absolutè: sed multò etiam magis propter motum carnalem & sensitiuum, qui naturaliter ex cogitatione coortus, si voluntate acceptetur, mortali peccato in innuptis non caret, vti notauit Nau. l. c & mox dicam.

Dico igitur II. Mortaliter peccat vidua, si voluntariè consentiat in motum delectationis sensitiuæ, qui ex recordatione copulæ maritalis naturaliter oritur. Quæ est omnium Doctorum sentent. nominatim Caiet. cit. dub. 2. Nau. c. 16. man. n. 9. & 10. & in cit c. si cui, n. 2. Syl. ver. delectatio, q. 1. Sanch cit. disp 47. conclus. vlt. Sa ver luxuria. num. 12. Idémque sentiendum de sponso si in sensitiuam
14 delectationem, vel carnis commotionem ex cogitatione futuri actus coniugalis exortam, liberatè consentiat. Qua de re Sanch l. c. concl.

Porrò licet Nau. c. 16. n. 10. Philiarch. l. c. Azor. cit. c. 6. q. 8. existiment, etiam coniugatum mortaliter peccare, si voluntariè delectetur commotione sensitiua ac venerea, orta ex coniugis absentis apprehensione: eò quòd talis commotio tunc ordinari non possit ad actum coniugalem seu potius ordinetur ad pollutionem. Opposita tamen sententia Caietan. ver. delectatio, Sanch. l. 9. de matrim. disp. 44. num. 3. Vasq. disp. 113. cap. 2. n. 4. probabilitate non caret. Cùm enim matrimonium à mortali peccato excuset tactus impudicos inter coniuges non copulandi, sed solius voluptatis gratia institutos, iuxta communiorem sententiam apud eundem Sanchez l. c. n. 11. & seqq. consequens est, similiter etiam sensitiuam commotionem ex absentis mariti cogitatione ortam, & voluntariè acceptam à culpa mortali excusari. Ratio est, quia hæc omnia in coniugibus, per se loquendo, tendunt ad opus coniugale: per accidens autem est, quod ob absentiam, vel simile impedimentum, opus non exerceatur. Suppono autem in his
15 casibus abesse probabile pollutionis periculum: alioquin certum est peccaturum coniugem, si animaduertat ex apprehensione illa pollutionem prouenturam esse.

Quæstio tertia. Vtrum delectatio morosa speciem peccati accipiat à circumstantia personæ circa quam; ita vt qui se oblectat cogitatione copulæ cum moniali v. g. internum etiam sacrilegium committat, ac circumstantiam personæ necessariò in Confessione explicare debeat? Resp. cum Vasq. disp. 11. cap. 2. Azor cit. cap. 6. q. 3. Sanch. lib. 1. moral. cap. 2. num. 11. Qui simpliciter ac præcisè oblectat se cognitione concubitus cum muliere, quatenus v. g. pulchra est, & Venereæ delectationis obiectum; non item quatenus est coniugata, Deo sacrata vel consanguinea, is vnum simplex mortale peccatum internæ delectationis morosæ, contra virtutem temperantię, committit. Alia verò ratio est, si desideret vel proponat fornicari cum ea, quam monialem, consanguineam vel alienam vxorem esse non ignorat. Ratio discriminis est; quia, vt supra dixi, propositum fertur in obiectum cum omnibus circumstantijs consideratum: simplex autem complacentia, cùm sequatur simplicem & pręcisiuam intellectus operationem, potest ferri in vnum, ita vt non simul feratur in alterum ei adiunctum. Præterea, si quis voluntariè oblectet se tactu vel amplexu mulieris coniugatæ, aut consanguineæ, quamuis sine proposito fornicandi, debet circumstantiam personæ in sacra Confessione explicare, sicuti ex communi docet Sanch. de matrim. l. 9. disp. 46. num. 18. Cùm enim tactus libidinosi suapte natura referantur ad copulam, ideo ex ea speciem malitiæ accipiunt, sicuti dicam lib. 3. sect. 4. num. 13.

CAP. VII.

De peccatis ex ignorantia: ex infirmitate: & ex certa malitia.

SVMMARIVM.

1 *Peccata alia sunt ex ignorantia; alia ex natura infirmitate: & alia ex malitia.*
2 *Peccare ex contemptu est, ideo legem aut præceptum violare, quòd nolis ei esse subiectus.*
3 *Contemptus continet peccatum specialis inobedientiæ: quare qui legem aut præceptum ita transgreditur, debet circumstantiam contemptus in Confessione explicare.*
Si Carthusianus ex contemptu regulæ carnes comedat, triplicis speciei peccatum committit.
4 *Omnis inobedientia ex formali contemptu, est peccatum mortale.*
5 *Etiam ea quæ solùm in consilio sunt, vt Sacramentum extremæ Vnctionis, aquæ benedictæ aspersionem, &c. ex formali contemptu negligere, est peccatum mortale.*
6 *Contemptus materialis, siue ipsius operis: puta si quis regulam aut præceptum transgreditur, quia parui momenti æstimat, est tantùm venialis culpa.*
7 *Frequens relapsus, seu consuetudo peccandi propriè non continet contemptum: sed solùm interpretatiuè, secundùm præsumptionem fori externi.*

HÆc est alia peccati diuisio, sumpta ex S. Aug. l. 83. qq. q. 26. S. Th. q. 76. & seqq. Quod aliud est peccatum commissum ex ignorantia: intellige eam quæ est causa operis, vincibilis; sed non affectata. At verò ignorantia affectata, seu directè volita, quæ voluntarium non minuit, potiùs peccatum malitiæ quàm ignorantiæ constituere censetur: quia *nescire ignorantia est, nolle autem scire superbia*, ait S. Greg. l. 25. moral. c. 11. & videri potest S. Bern. ep. 77 ad Hugonem Victorinum. Aliud verò est peccatum ex naturæ infirmitate, siue passione animi, quæ si abesset peccatum non fieret; vt si hominem ex vehemente passione iræ occidas. Meritò autem passio à recta ratione exorbitans, naturę infirmitas & ægritudo appellatur: quandoquidem homini, quà homo id est, anima rationali seu mente præditus est, aduersatur. Quare dixit S. Th q. 71. a. 2. ex S Aug. l. 3. de l. arb. c. 13. Vitium esse contra hominis naturam; virtutem secundùm naturam. Loquimur autem de passione antecedente & voluntarium minuente: non autem consequente: cùm enim homo vltrò in se excitat passionem seu concupiscentiam, vt eò feruentiùs peccare possit, talis passio non minuit libertatem voluntatis, & malitiam peccati: cùm ipsa non sit prima radix peccati: sed sola voluntas excitans passionem: quare id censetur peccatum ex malitia. Idque tertium membrū diuisionis est peccatum inquam ex certa malitia; cùm quis neque ignorantia vel errore inductus, neque propter passioni inclinationem, sed ob solam voluntatis peruersionem, temporale commodum bono honesto hîc & nūc deliberatè præferentis, peccat, sicuti docet S. Th. q. 78. a. 1. Azor l. 4. c. 2 q. 8.

Inter hæc tria peccatorum genera grauissimum est, quod fit ex malitia: quia est cum plena libertate. Etenim libertas duobus modis in homine minui, vel tolli potest; vel ex parte intellectus, & id facit ignorantia: vel ex parte appetitus sensitiui, & id facit passio: si ergo tam ignorantia quàm passio absit, dicitur peccatum ex mera voluntatis malitia, quod nullam omnino excusationem meretur. Inter alia verò duo genera, peccatum ex passione grauius est peccato ex ignorantia: quia hoc magis directè minuit voluntarium seu liberum: cùm impediat radicem eius: ideóque etiam difficiliùs vincitur. Vide S. Bonau. in 4. d. 22. a. 2. q. 3. Nau. in c. sciendum n. 5. d. 2. de pœnit. & Petr. Sotum p. 2. instit. sacerd. de ratione medendi peccatis, lect. 3.

Porrò his tribus peccatorum membris addi solet 2
quartum, quod est peccatum ex contemptu. Peccare ex contemptu est ideo legē vel præceptum transgredi quòd nolis esse subiectus legi, ex affectu indignationis erga legē vel legis latricem potestatem, quasi vilis & abiecta esset: Et eadem ratio est de præcepto. Ita hanc rem explicat S. Th. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. Syl. ver. contemptus, Caiet. eod. Nau. c. 23. man n. 42. Vasq. disp. 158 c. 4. n. 34. Val. t. 2. disp 7. q. 5. p. 6 casu 1. San. l. 1. moral. c. 5. n. 8. Suar. tr. de le. l. 3. c. 28.

Corollarium I. Qui legem vel præceptum Superioris ex contēptu violat, dupliciter peccat: & quia pręceptū siue legem, v. g. ieiunij transgreditur: & quia præceptum pote-

potestatemve præcipientem vilipendit. Estque hoc posterius grauius peccatum, & causa prioris, sicuti notarunt Caiet. & Valent. ll. cc. Sanch. num. 9. Suar. num. 25. Quapropter in sacra Confessione explicanda est circumstantia contemptus; tanquam propriam peccati speciem continens: cùm tamen explicandum non sit, si ex alia causa, v. g. passione iræ, amoris ad peccandum motus sis; nisi talis circumstanstia peccatum adeo minuat; vt ex mortali veniale fiat.

Corollarium II. Peccatum ex contemptu continet in se tumorem superbiæ, vel saltem indè originem trahit: quando homo indignum & alienum à se arbitratur Superioris præcepto vel legi subiectum esse. Ita indicat S. Bern. lib. de præcept. & dispens. c. 12. *Vbique & culpabilis negligentia, & contemptus damnabilis est: Differunt autem, quòd neglectus quidem languor inertiæ est, contemptus verò superbiæ tumor.*

3 Corollarium III. Peccatum ex contemptu propriè in se continet speciale peccatum inobedientiæ, quæ dici solet formalis & directa inobedientia, sicuti docet S. Thom. 2. 2. q. 105. a. 1. & sequitur Nau. c. 23. num. 32. Vasq. num. 37. Sanch. num. 9. Est enim notandum ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 2. ad 1. quam explicat Vasq. 1. 2. disp. 98. c. 3. Sicut obedientia omniũ virtutum, quarum actus in præcepto sunt, generalis conditio est; sed specialis virtus efficitur, cùm aliquis opus præceptum exequitur formali intentione ac motiuo obediendi: Ita etiam inobedientia omnium quidem peccatorum generalis conditio est; (quia omne peccatum ἀνομία est, siue transgressio legis vel præcepti, adeóque materialis inobedientia) fit autem peccatum speciale, si formali ac directa intentione legem vel præceptum violes, quia non vis ei esse subiectus; ob affectum superbiæ, vel abiectam æstimationem, contemptúmque præcepti, aut Superioris præcipientis.

4 Corollarium IV. Si Carthusianus ex contemptu regulæ suæ carnes comedat, triplicis speciei peccatum committere videtur: vnum contra virtutum specialis obedientiæ; alterum contra virtutem temperantiæ, cuius intuitu statuta est abstinentia; tertium contra virtutem religionis, quia violat votum suum, quod in professione præstitit obediendi secundùm regulam, vti docet Vasq. 162. c. 3. num. 6. Sanchez lib. 4. moral. c. 11. num. 15. iuncto lib. 6. c. 1. num. 6. Contrà verò, si Carthusianus v. g. abstinentiam in regula præscriptam obseruet, triplicis virtutis actus exercere potest: I. Si id agat ex motiuo virtutis obedientiæ, vt satisfaciat voluntati Fundatoris & Prælatorum. II. Si id agat ex motiuo virtutis religionis, vt satisfaciat voto suo, quod secundùm regulam edidit. III. Si id agat ex motiuo virtutis temperantiæ.

Corollarium V. Omnis inobedientia, seu transgressio præcepti (etiam circa rem minimam) ex formali contemptu, est peccatum mortale. Quod clarè docet S. Bernar. lo. cit. *Contemptus in omni specie mandatorum pari pondere grauis, & communiter damnabilis est:* & consentit Syl. q. 2. Less. lib. 2. c. 46. num. 45. Suarez lo. cit. num. 24. Sanchez lib. 1. moral. cap. 5. num. 11. Ratio est, quia tam paruum quam magnum præceptum à legitima potestate descendit, quam vilipendere intolerabilis quædam superbia, atque in Deum redundans veluti blasphemia est, conuenienter verbis Christi apud S. Lucam cap. 10. *Qui vos audit me audit: & qui vos spernit me spernit.* Et Apost. ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Cuius rationem antè dederat: *Non est enim potestas nisi à Deo.* Et Salomon Prouerb. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Quibus consentit dictum S. Bern. *Siue Deus, siue homo, Vicarius Dei, mandatum quodcunque tradiderit, pari profectò obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum; vbi tamen Deo contraria non præcepit homo.*

Adde I. Etiam ea, quæ non in precepto, sed solùm in consilio sunt, v. g. Religionis statum, extremæ vnctionis Sacramentum, aquæ benedictæ aspersionem, & his similia ex formali contemptu, aut vilipensione negligere crimen mortale esse, teste Caiet. ver. contemptus, Nau. c. 23. num. 41. cum Glos. in c. quis autem, d. 10. vbi ait; *Aliud est contemnere, aliud non parere:* nam consilio sine culpa non paretur; sed non sine culpa contemnitur. Eandem doctrinam Glos. q. 3. accommodat ad Superioris admonitionem. 5

Adde II. ex S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 1. Etsi regulæ siue ordinationes Ordinis Prædicatorum (eadémque est ratio de regulis Societatis IESV) non obligent sub culpa; sed tantùm ad sustinendam pœnam, si imponatur; nihilominus earum transgressionem contemptu formali esse peccatum mortale.

Loquimur enim de formali contemptu legis, præcepti, regulæ, consilij, qui redundat in eorum auctorem Prælatum, legis latorem, cuius auctoritas & potestas eo ipso vilipenditur, quòd eius præceptum, ordinatio, statutum vilipenditur. Alius autem est contemptus rei præceptę, ipsiúsue operis, qui dici solet materialis: cùm quis legem, regulam, aut præceptum ideo transgreditur, quia videtur esse exigui momenti: Tunc autem non legislatoris, aut Prælati auctoritas; sed legis, vel præcepti materia vilipenditur, ac proinde venialem culpam non excedit, sicuti notarunt Less. Sanch. ll. cc. Suar. n. 21. & ita intelligendus Caiet. ver. contemptus, §. aduerte hîc. 6

Simili ratione distinguere possumus contemptum Legislatoris, aut Prælati, quòd alius sit formalis, per quem ipsa potestas secundùm se vilipenditur, alius verò materialis, per quem contemnitur Prælatus, quà talis homo est, defectibus prudentiæ, eruditionis, &c. obnoxius: vel erga quem indignationem geris, & ideo eius præceptum implere non vis; tunc fieri potest, vt ob materiæ leuitatem, solùm venialiter pecces: sed plerumque periculosè, sicut notauit Less. n. 45. Suar. n. 24. Quare bonum consilium est, erga Superiores suos bene affectum esse. Vide Caiet. l. c. Alph. de Castro lib. 1. de lege pœnali, c. 5. docum. 6. in conclusionibus.

Denique in externo foro est quidam contemptus interpretatiuus. Si enim aliquis frequenter, siue ex consuetudine in aliquo genere delinquat, præsertim post admonitionem, punitionémue, præsumitur legem, vel Magistratum contemnere, sicuti notauit Syl. q. 1. Nau. c. 23. num. 42. Reipsa tamen relapsus, vel peccandi consuetudo non includit contemptum: quamuis ad eum disponat, atque inducat, iuxta illud Prouerb. 18. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit,* & docet S. Thom. cit. q. 186. a. 9. ad 3. Castro cit. docum. 6. 7

TRACTATVS QVARTVS.

DE HVMANIS LEGIBVS.

CAP. I.

QVID SIT LEX.

SVMMARIVM.

1 *Lex dicta videtur, quòd sit lecta viuendi regula.*
2 *Lex est recta agendorum ratio, à publica potestate communitati denunciata, cum voluntate eam perpetuò obligandi.*
3 *Ad constitutionem legis tria concurrunt: Iudicium practicum de agendo; voluntas obligandi, imperij denuntiatio.*
4 *Lex debet esse honesta, iusta, possibilis, vtilis, pro communi vtilitate lata, denique constans ac perpetua.*
5 *Lex differt à priuilegio; item à præcepto seu mandato.*



EGEM à ligando dictam esse arbitratur S. Thom. 1. 2. quæst. 90. a. 1. quòd ad sui obseruationem subditos liget, iuxta illud Hierem. 2. *Confregisti iugum meum, rupisti vincula mea.* Isidorus verò lib. 5. Etymol. cap. 3. à legendo deriuat: quòd lex scribi & publicè proponi soleat, vt ab omnibus legatur.

1 Rectiùs fortasse Cicero lib. 1. de Legibus à delectu deducit, quasi lex sit lecta viuendi regula & norma. Quam deriuationem secutus fuit auctor quęstion. noui testamenti quæst. 15. apud S. August. tom. 4. vbi ait: *Lex à legendo dicta est, vt de multis quid eligas, scias.*

Duplex est lex; naturalis, & positiua. Lex naturalis aliud non est, quàm recta hominis conscientia; quam tract. 1. cap. 2. dixi esse participationem quandam legis æternæ in creatura rationali, & docet S. Thom. 1. 2. quęst. 91. a. 2. ad 1. Positiua lex est, quæ ex rerum natura necessariò non prouenit, sed magistratus libera positione, aut determinatione. Diuiditur in diuinam legem, ac humanam. Leges diuinæ positiuæ aliæ iam nullæ sunt, nisi circa fidem, sacramenta, & sacrificium, de quibus omnibus proprijs locis agendum. Quare ex instituto ferme tantùm dicimus hîc de legibus humanis, tum Ecclesiasticis, tum ciuilibus.

2 Lex definiri potest ex S. Thom. 1. 2. quæst. 90. præsertim a. 4. *Recta agendorum ratio, à publica potestate communitati denuntiata, cum voluntate eam perpetuò obligandi.*

3 Hinc collige, ad constitutionem legis (positiuæ, quippe cui magis propriè tradita definitio competit) tria necessariò concurrere. I. est iudicium siue conclusio practica rerum à Communitate agendarum, in Principe vel Magistratu residens. Rectè tamen monet Molina tract. 5. de iustit. disput. 46. conclusiones practicas de rebus agendis Iureconsultorum, seu Consiliariorum prudentia fabricatas accedente Principis voluntate, & auctoritate vim legum sortiti: *Omnia enim nostra facimus*, inquit Iustinianus in l. 1. Cod. de iure vet. enucl. *quibus auctoritatem nostram impertimus.* II. est Principis vel Magistratus voluntas Communitati aliquid præcipiendi, vel prohibendi. Tametsi enim subditi sciant Superiorem iudicare consultum fore, vt aliquid ab ipsis agatur, idémque optare; si tamen ille voluntatem non habeat eos obligandi, non oritur lex seu præceptum, sicuti notauit Castro lib. 1. de lege pœn. c. 1. in fine, Gabr. in 3. d. 37. quæst. vnic. III. & præcipuum est, actus externus intellectualis prudentiæ, qui dicitur imperium: & est oratio, per quam voluntas Superioris obligare volentis subditis denunciatur: *Facite hoc: volo vt fiat.* Ita S. Thom. quæst. 17. a. 1. & quæst. 90. a. 1. & 4. ex Aristot. 10. Eth. cap. vltim. cùm ait: *Lex vim habet cogentem, quæ quidem est sermo ab aliqua prudentia siue mente profectus.* Et in epist. ad Alexandrum ante libros Rhetoricæ: *Lex est oratio, quædam, quæ communis ciuitatis consensu definita, iubet quo pacto vnumquodque agendum sit.*

Confirmatur I. Nam ob primum eorum, quæ ad legis constitutionem necessaria esse dixi, leges Dei in sacra Scriptura appellantur *iudicia* Dei, Psalm. 18. & 118. ob secundum, *voluntates* Dei Psalm. 32. & 142. ob tertium, *sermones & eloquia* Dei, Psalm. 11. & 118.

Confirmatur II. In principum quoque constitutionibus ferme hæ voces ingeminentur: *Decernimus, volumus, præcipimus*: Porrò ex his rectè colligit Ludouic. Miranda in manuali Prelat. tom. 1. quæst. 26. a. 4. Syl. ver. obedientia, quæst. 1. cum S. Thom de verit. quęst. 23. a. vltim. Quòd Regulares, ratione voti obedientiæ, non teneantur exequi ea, quæ sciunt Prælatos velle, nisi accedat externum præceptum, quo ipsis Prælati voluntas & obligandi intentio intimetur. Quamuis consultum sit, & ad laudem atque excellentiam regularis obedientiæ spectet, quodcunque signum iustæ voluntatis Prælati instar præcepti habere, suámque voluntatem conformare.

Legis conditiones siue proprietates Isidorus nobis tradit lib. 1. Etymol. c. 21. relatus in d. 4. c. 2. I. Lex debet esse honesta: quæ conditio respicit materiam legis, secundùm dictum eiusdem Isidori lib. 5. c. 3. & refertur c. consuetudo, d. 1. *Lex erit, quod ratione constiterit, religioni conueniat, disciplinæ congruat.* Et consentit S. Aug. lib. de vera religione cap. 31. *Conditor legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam legem, &c. vt secundùm eius immutabiles regulas, quid sit pro tempore vitandum, iubendúmque discernat.* Et lib. 19. de ciuit. c. 21. *Non enim iura dicenda sunt, vel putanda iniqua hominum constituta; cùm illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitia fonte manauerit.* Vide S. Thom. q. 96. a. 4. vbi ait, *tales leges non obligare in conscientia*: imò neque seruari posse, si legi superioris Dei repugnent: *Nam obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, Act. 5. Quemadmodum etiam Proconsuli non obtemperatur contra mandatum Imperatoris, sicut argumentatur S. Aug. de verbis Domini, serm. 6. c. 8.

II. Lex debet esse *iusta*. Hæc conditio respicit formam, 4
legis, quæ seruata æqualitate proportionis, subditis secundùm eorum vires & facultates, proposita esse debet, sicuti explicat S. Thom. cit. a. 4. Syl. ver. lex, quæst. 5. Carbo lib. 6. de legibus; disput. 10. Suar. lib. 1. de legibus, cap. 9. num. 14. Quare si lege taxetur pretium frumenti, ita vt vna pars ciuitatis taxationem seruare debeat, altera non debeat; iniqua est lex: nisi causa aliqua eiusmodi discrimen postulet. Qua de re Vasq. disput.

155. c. 1.

155. cap. 1. Item, ſi lege lata ſubditis imponatur tributum, quod æquè pauperes ac diuites pendere debeant, v. g. ſinguli 10. aureos, iniuſta eſt lex. Similiterque, ſi aliquibus immunitas à ſoluendis tributis à Principe conce-datur, ea conditione, vt alij ſubditi plùs grauari debeant, iniuſta eſt diſpoſitio, vti annotauit Abb. in c. 2. de immunit. Eccleſ. num. 16. Vide Alph. de Caſtro cit. cap. 1. non longè poſt princip. & c. 5. docum. 2.

III. Lex debet eſſe *poßibilis*, *ſecundùm naturam, patriæ conſuetudinem, loco temporique conueniens*. Talis non eſſet lex quadrageſimalis ieiunij in ſolo pane & aqua; vel quæ ciuibus omnia conuiuia prohiberet, ait Vaſq. l. c. Verùm de hac conditione plura infra.

IV. Lex debet eſſe *neceſſaria vel vtilis*. Nam alioquin, tanquam ſine ratione lata ſuperuacanea cenſebitur.

V. *Nullo priuato commodo, ſed pro communi ciuium vtilitate conſcripta.* Quæ conditio duas in ſe partes continere videtur: I. Quòd legem oporteat ad communitatem latā eſſe. Nam lex eſt *commune præceptum; communis Reipubl. ſponſio*. l. 1. ff. de legib. Et l. 2. ff. eod. *Lex eſt communis ſponſis ciuitatis, ad cuius præſcriptum omnes, qui in ea Repub. ſunt, vitam inſtituere debent.* Et l. 8. *Iura non in ſingulas*
5 *perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* In quo differt à *priuilegio*, quæ eſt *lex priuata* ſiue *perſonalis*, ſicuti dicitur in l. 1. ff. de Conſtit. Princ. & notauit Gl. in c. 2. d. 4. conſentiente Cicer. lib. 3. de legib. *Maiores noſtri in perſonas priuatas leges ferri noluerunt: id eſt enim priuilegium.* Quanquam, ſi priuilegium alicui perſonarum generi conceſſum, conſideretur ratione aliorum, qui immunitatem perſonis priuilegiatis ſeruare tenentur, eatenus legis rationem habere cenſetur, vti Suarez notauit lib. 1. c. 14. n. 8. II. Quòd legem oporteat in commune, ſiue Reipubl. commodum cedere, ſicuti notauit Gl. in cit. l. 1. ff. de legib. S. Thom. q. 90. a. 2. Et docet Ariſt. lib. 1. Rhet. c. 4. vbi ait, *Salutem ciuitatis in legibus poſitam eſſe.* Neque obſtat, quòd obijcit Caſtro lib. 1. de lege pœn. c. 1. Iuſtas eſſe leges tributorum, cùm tamen non ad communem ciuium, ſed ſolius Principis vtilitatem referantur. Rectè enim ipſemet reſpondet; Tributa ita ad Principem ſpectare, vt ſimul etiam in Reip. commodum redundent: quandoquidem eo fine ac pacto Principi penduntur, vt is Remp. tueatur ac gubernet. Simili ratione plures aliæ leges ſunt, quæ proximè commodum certi generis perſonarum, puta pupillorum, militum ſpectant, remotè tamen ad Reipublicæ ſalutem redundare debent, ſicuti notauit Suarez lib. 1. c. 7. num. 6.

Hinc verò oritur VI. legis conditio. Quòd eius obligatio conſtans & perpetua ſit: quia ad communitatem fertur Reipublicæ cauſâ. In quo differt à præcepto ſiue mandato, tenente ad perſonas ſingulares, cum quibus plerumque extinguitur; imò etiam per mortem mandantis ſiue præcipientis. Qua de re Syl. ver. mandatum, q. 3. Vaſq. diſput. 151. c. 3. Suar. lib. 1. de legib. cap. 10. num. 9. Lex autem perpetuò manet ob continuam ſucceſſionem communitatis: neque extinguitur, niſi vel à legislatore eiúſve ſucceſſore reuocetur, vel conſuetudine abrogetur; vel ob rerum mutationem inutilis fiat, & Reip. incommoda, de quibus infrà.

Sunt autem dictæ conditiones adeò neceſſariæ, vt, ſi aliqua earum deſit, lex non ſit. Quemadmodum de vna eius præcipua conditione S. Auguſt. dixit lib. 1. de lib. arbit. c. 5. *Mihi lex eſſe non videtur, quæ iuſta non fuerit.* Porrò aliam legis conditionem adfert Iſidorus l. c. quæ tamē non ita, ſicut reliquæ, ad legis eſſentiā pertinet; vt ſit *manifeſta, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat.*

De Promulgatione Legis.

SVMMARIVM.

1 *Lex publicè in curia Principis promulgata, quatenus eſt ſua parte, ſtatim habet eſſentialem vim obligandi omnes ſubditos licet ſecundùm actum non aſtringat inuincibiliter ignorantes.*

2 *Ad ſubſtantiam legis non requiritur ſcriptura: ſed ſufficit eam voce vel alio ſigno denuntiatam eſſe.*

3 *Si legislator tempus adiiciat, ex quo lex ſua obligare debeat: incipit eius obligatio ſecundùm voluntatem ita ſtatuentis.*

4 *Si legislator nullum tempus adiiciat; diſcrimen eſt inter legem Imperatoriam & Pontificiam: illa enim antè obligandi vim non acquirit, quàm elapſo tempore bimeſtri, poſt factam promulgationem in ſingulis prouinciis: Pontificia autem ſimul ac in curia Romana promulgata eſt, in toto orbe Chriſtiano obligandi vim habet, quatenus eſt ex parte legis.*

5 *Cur diœceſanos abſentes lex Romæ promulgata non ſtatim obliget; id non prouenit ex defectu legis: ſed alicuius conditionis accidentalis, puta quia eam ignorant.*

6 *Elapſis duobus menſibus, poſt promulgationem legum Cæſarearum factam in metropoli prouinciæ, ignorantia probabilis non præſumitur, ſed ab allegante probari debet.*

7 *Lex etiam Eccleſiaſtica, ſi ſit irritans alicuius actus iure naturali & diuino alioquin ſubſiſtentis, plerumque cenſeri non debet effectum ſortiri, priuſquam in diœceſi promulgata ſit.*

CONSTAT ex præcedenti cap. & docet S. Thom. quæſt. 90. a. 4. ad legis eſſentiam requiri, vt promulgata ſiue Communitati denuntiata ſit. Cùm enim lex ſit communis viuendi regula, dux, index; publicari debet, vt omnes ſecundùm eam ſuas actiones inſtituere poſſint; ſicuti indicatur in l. 9. C. de legibus: *Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent.*

Verùm neceſſe non eſt, legem omnibus ac ſingulis è Communitate denuntiari, vel innoteſcere; ſed cùm primùm publicè, v. g. in curiā, propoſita fuit, vt ab vna Communitatis parte ad alios eiuſdem Communitatis notitia legis deferri poſſit; cenſetur lex, quatenus eſt ex ſua parte, conſecuta eſſentialem vim obligandi omnes. 1
Quamquam quoad actum ſecundum, id eſt, vt reipſa aliquem obligatione præcepti cōſtringat, requiritur eam inuincibiliter non ignorari. Qua de re S. Thom. cit. a. 4. ad 2. Nau. lib. 1. conſil. 1. de conſtit. q. 4. & in man. cap. 23. n. 44. & 45. Mol. tr. 5. diſp. 70. Sotus lib. 1. de iuſt. q. 1. a. 4. Rodriq. lib. 1. regul. 99. q. 6. a. 4. Vaſq. 1. 2. diſp. 56. cap. 2. Et ſumitur ex c. 1. de conceſ. præben. in 6. ibi, *quòd lex ſeu conſtitutio, & mandatum nullos aſtringunt*, (actu ſecundo) *niſi poſtquam ad notitiam peruenerint eorundem; aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent.* Etenim ſicut ignis habet quidem naturalem poteſtatem vrendi omnes; ſed neminem vrit, niſi quem propinquum comprehenderit; ita etiam lex promulgatione acquirit velut eſſentialem omnes obligandi poteſtatem; ſed actu ipſo obligat illos tantùm ſub peccato vel pœna, qui eius notitiam acceperunt, vel accipere culpa ſua neglexerunt. paulò aliter circa hanc rem diſcurrit Suarez lib. 3. de legib. c. 17. num. 3. & ſeqq.

Quæſtio Prima. Vtrum lex in ſcripto promulgari debeat? Reſp. ex c. inſtitutionis, 25. q. 2. Scripturam ad legis ſubſtantiam non requiri; ſed voce etiam, aliòve ſigno Communitati denuntiari poſſe. In qua ſententia Ariſtoteles fuit, ita inquiens lib. 10. Ethic. c. 9. *Scriptæne ſint leges, an non ſcriptæ, nihil referre videtur.* Neque obſtat, quod Iſidor. ait lib. 5. Etymol. c. 3. *Lex eſt conſtitutio ſcripta.* Et lib. 1. c. 10. *Inter legem & morem hoc intereſt, quòd lex ſcripta ſit, mos vetuſtate probata conſuetudo.* Et Iuſtinianus in Inſtit. de iure naturali, gentium & ciuili. *Ius aliud eſt ſcriptum, aliud non ſcriptum: ſcriptum ius eſt lex, &c. Non ſcriptum ius eſt, quod vſus comprobauit.* Non enim hæc ideo dicuntur, quòd ad legis ſubſtantiam ſcriptura requiratur; ſed quòd lex plerumque in ſcriptum redigatur, vt perpetuatā memoriā, inuiolata perſeueret. 2

Quæſtio ſecunda. Vtrum lex ſtatim ac ſcripto vel voce publicata eſt, obliget ſubditos, qui inculpatè ignorantes non ſunt? Et vtrum ſatis ſit eam in Principis curia publicari; an verò in ſingulis etiam prouinciis promulgari debeat? Reſpond. & dico I. Si legiſlator tempus adijciat, 3

ex quo legem suam obligare velit; v. g. statim ac in curia, in metropoli, in singulis ciuitatibus, parochijs promulgata est; vel elapso vno, alteróve mense post promulgationem: (quo pacto Concilium Trident. sess. 24. c. 1. reform. matrim. voluit, vt post. 30. dies à publicato decreto in quauis parochia, matrimonia clandestina irrita essent) tum lex vim obligandi sortitur secundùm voluntatem legislatoris, sicuti docent Abb. c. 2. de constit. n. 7. Nau. cit. q. 4. Mol. cit. disp. 70. n. 4. Azor. t. 1. lib. 5. c. 3. q. 2.

4 Dico II. Si legislator nullum tempus adijciat, distinguere oportet inter legem Imperatoriam; & Pontificiam, vel generalis Concilij. Nam illa ex ipsius Imperatoris voluntate (quam rubrica Authenticæ 66. collat. 5. tit. 16. *Vt factæ nouæ constitutiones*, &c. indicat, & communis vsus, Doctorúmque consensus confirmat) obligandi vim non anteacquirit, quàm elapso bimestri spatio post publicationem in singulis prouincijs; vt omnis imparitas, confusio, & querimonia populorum latè diffusorum euitetur. Ad quam procul dubio constitutionem respexit Pius IV. in sua Bulla super declaratione temporis ad obseruanda decreta Oecumenici Trident. Concil. verbis illis; *Quia tamen iure etiam communi Cæsareo sancitum est, vt constitutiones nouæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* Vide Doctores apud Suar. lib. 3. de leg. c. 16. n. 10. à quibus discessit Vasq. disp. 156. cap. 2.

Cæterùm Imperatoria illa constitutio locum non habet in statutis inferiorum Principum vel ciuitatum, quippe quorum iurisdictio angustior est, sicut notauit Abb. cit. n. 7. Armilla. ver. lex, n. 11. San. 8. Azor cit. q. 2. Neque locum habet in legibus Principum ac Regum Romano imperio non subiectorum; quibus Authentica illa nihil præscribere potest, sicut notauit Vasq. l. c. n. 10. Suarez n. 14. Quare inspiciendum est, quid vel propria lege, vel consuetudine singulorum Regnorum, Ducatuum, municipalium ciuitatum, &c. in hac re receptum sit.

Lex autem Pontificia, simul ac in Romana curia promulgata est, omnem in toto Christiano orbe obligandi vim acquirit, quatenus est ex sua parte. Quæ est communior DD. sententia Syl. ver. lex q. 6. Azorij, Suarez, Vasq. ll. cc. Gregorij de Valentia to. 2. disp. 7. q. 5. p. 5. §. Controuersia autem. Rodriq. lib. 1. canon. qq. q. 6. a. 4. contra Abb. c. 2. de constit. n. 7. Armillam cit. n. 11. Nau. c. 23. n. 44. man. Sotum lib. 1. de iust. q. 1. a. 4. Molin. to. 2. disp. 395. arbitrantes, eandem rationem esse Pontificiæ legis, quæ est Imperatoriæ; quia vbi canonico iure nihil dispositum reperitur, secundùm ciuiles leges procedi debeat, iuxta c. 1. de noui operis nuntiatione, &c. si in adiutorium, d. 10. Sed communior sententia probatur: Quia lex ad sui valorē suapte natura plus nō postulat, quā vt semel v. g. in curia principis publicetur, vnde deinde in aliorum subditorū notitiam deuenire potest: Neque etiam Ecclesiastica aliqua constitutio extat, quæ maiorem publicationem, aut temporis aliquod interuallum, post primam in curia promulgationem, requirat: Ciuilis autem illa authentica nullum modum aut formam Pontificijs vel Ecclesiasticis legibus præscribere potuit. Quare hanc sententiam stylus etiam Curiæ confirmat, teste Nauar. conf. 1. de constitut. n. 19. edit. 2. Allegati autem suprà canones tantùm loquuntur de causis iudicialibus, quæ in foro Ecclesiastico secundùm Imperatorias leges deciduntur, vbi canonico iure nihil constitutum reperitur.

5 Hinc discrimen nascitur inter vtramque legem: quòd licet Imperatoria intra duorum mensium spatium post promulgationem à maiore Prouincialium parte recipiatur, & in vsum deducatur, nullam tamen re ipsa obligationem adfert: sed à quouis subdito sine culpa intra illud tempus negligi potest. Lex autem Pontificia simul ac Romæ publicata est, omnem obligandi vim habet: cur autem Diœcesanos non statim omnes obliget, non prouenit ex defectu legis aut promulgationis: sed ex defectu alicuius accidentalis conditionis, v. g. quia eam ignorant. Quare nihil contra communem sententiam censendus est dixisse Caiet. 1. 2. q. 90. a. 4. *Si Romæ noua lex promulgatur & nec curia ipsa procurat, vt promulgatio ad Ecclesias Cathedrales deueniat: neque Prælati qui ibi sunt, insinuant suis Ecclesijs: accusari nec apud Deum, nec apud homines possunt absentes nescij.* Ex quibus verbis non rectè Medina eod. a. 4. Nau. cit. q. 1. n. 18. colligunt, Caietani sententiam fuisse, leges Pontificias vim obligandi priùs non habere, quàm in diœcesibus promulgatæ fuerint.

Porrò, quanto tempore, post legis in curia promulgationem, ignorantia præsumenda sit, vt eam alleganti in externo foro onus probandi imponi non debeat; ex locorum distantia alijsque circunstantijs iudex arbitrabitur, sicuti docent Abb. in cit. c. 2. n. 8. de constit. Lælius Zecchus lib. 1. de legib. c. 14. Medina cit. a. 4. concl. 5. Circa leges autem Imperiales, duobus elapsis mensibus post earum in prouinciæ metropoli promulgationem, ignorantiam eleganti onus probandi incumbit, sicuti ex communi notat Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 4. Vide etiam Molin. tr. 5. disp. 71. 6

Dico III. Lex non tantùm ciuilis, sed etiam Pontificia, quæ infirmat contractus alioquin iure naturali subsistentes; vel aufert iurisdictionem, v. g. in ordine ad sacramentum Pœnitentiæ, benigna interpretatione censeri debet non ante effectum suum sortiri, quàm in diœcesibus promulgata sit. Ita docet Sotus lib. 1. de iust. q. 1. a. 4. Molin. t. 2. disp. 395. Suarez lib. 5. c. 33. n. 8. contra Vasq. disp. 156. c. 3. n. 17. Exemplum habes in Concilio Trident. sess. 23. c. 15. de reform. vbi requirit approbationem Episcopi ad exponendos Sacerdotes. Et in Bulla Pij V. infirmantis contractus censuales apud Molin. l. c. quamuis ea Bulla apud nos recepta non sit. Ratio est, quòd alioquin eiusmodi leges in multorum detrimentum cessuræ essent, qui inuincibili earum ignorantia laborantes tales contractus celebrarent, vel à Sacerdotibus non approbatis sacramentalem absolutionem postularent, sicut antea consueuerant. Siquidem hoc proprium est legum irritantium actum, non in odium agentium, sed ob defectum solemnitatis: quòd postquam eiusmodi leges vim obligandi consecutæ sunt, effectum irritationis consequantur etiam erga ignorantes, sicuti docent DD. in c. 2. de Constit. Nau. lib. 5. consil. 21. n. 5 de Priuil. edit. 2. Sanchez lib. 3. disp. 17. & lib. 9. disp. 32. n. 2. Exempli causa: Si quis ob inuincibilem ignorantiam clandestinum matrimonium contrahat: vel cum consanguinea, aut affine sua, à culpa quidē excusatur: sed cōtractus non subsistit. 7

Porrò Suarez cit. cap. 33. n. 7. rectè excipit Pontificias leges, quæ sunt circa eas res vel actiones, in quibus Papa liberam disponendi vel dispensandi facultatem habet, vti sunt beneficia Ecclesiastica, professio Religionis, &c. Tales enim constitutiones, quamuis irritantes sint, statim post promulgationem in curia, vim suam vbique sortiri videntur.

CAP. III.

De acceptatione legis.

SVMMARIVM.

1 *Lex substantiam suam promulgatione accipit, neque intrinsecè pendet à populi acceptatione; quamuis per eam accidentaliter perficitur.*

2 *Episcopis, præsertim Metropolitanis, ex officio incumbit nouas Pontificias constitutiones in diœcesibus promulgare, atque in vsum deducere: saltem postquam ex curia Romana authenticè ipsis transmissæ fuerunt.*

3 *Diœcesanus nec de peccato damnari, nec puniri potest, si legem Pontificiam in diœcesi non promulgatam, neque vsu receptam, ipse quoque non seruet.*

4 *Si Lex*

4 *Si lex legitimè promulgata à maiore populi parte sub rationabilis causæ prætextu non recipiatur, currit contra eam præscriptio, quæ saltem decem annorum spatio absoluitur.*

Lex temporis diuturnitate non recepta nullam obligationem habet.

5 *In legum obseruatione quilibet conformari debet illi Communitati, cuius ipse proxima pars est.*

6 *In dubio num lex recepta sit, pro ipsa præsumendum est.*

7 *Si noua constitutio prouinciæ non conueniat, legislatori supplicari potest: atque interim dum responsum expectatur, eius executio differri.*

1 NOn paucorum sententia est, vim & substantiam legis à populi acceptatione dependere. Ita enim docent Canonistæ in c. de treuga & pace, Iulianus Iureconsul. in l.32. ff. de ll. ibi; *Cùm ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ sunt.* Item Nau. c. 23.n.41.& cons.1.de constit.q.5. edit.2. Driedo lib.1. de libert. Christiana c.9. consid. 2. Armilla ver. lex. n.11. Maior in 4.d.14.q.4.contra 2.conclus. Azor t.1.lib.5.cap. 4. Rodriq.to.1. reg qq q.6.a.6. Fundamentum huius sententiæ est, quòd ea tacita conditione leges ad populum ferri censeantur, si ab ipso acceptatæ fuerint, alioquin vim nullam obligandi habituræ. Altera est opposita, & absolutè ac per se loquendo, vera aliorum Theologorum sententia: leges Principis vel Magistratus absoluti minimè dependere à populi acceptatione & consensu: sed mox, vt legitimè promulgatæ sunt, obligari populum ad acceptationem. Ita docet Io. Med.c.de restit.q.36. ad 5. Gregorius de Valentia t.2.disp.7.q.5.q.4. Barthol. Med.1.2. q.9.ar.3.ad finem, Castro l.1.de lege pœn. c.1. Vasq. disp. 156. c.5. Mol.t.1.tr.2.disp.23.Suar.de legib.lib. 3. cap. 19. n.4. Ratio est: Quia postquam populus omnem suam potestatem in vnum Regem, vel paucos Optimates absolutè contulit, possunt hi, & nisi aliud significent, censendi sunt etiam velle, iustis suis legibus obligare subditos ad recipiendum & parendum: cùm alioquin vltima & suprema potestas gubernandi non penes Regem, vel Optimates, sed penes populum foret; ideóque non esset forma Reip. monarchicæ, vel aristocraticæ: sed potiùs democraticæ. Quòd verò attinet ad legem Pontificiam, ea multò minùs à populi acceptatione dependet: quandoquidem S. Pontifex supremam in Ecclesia potestatem non à populo per electionem: sed immediatè à Christo accipit, ex vi primæ institutionis ac promissionis S. Petro factæ, Matt.16. Ioan.21.

Conclusio verò nostra sit ista: Licet lex cùm Pontificia, tum Imperatoria, substantiam suam, & intrinsecam vim subditos obligandi promulgatione acquirat; accidentaliter tamen perficitur, & confirmatur per populi acceptationem & vsum. Hęc procul dubio fuit mens Gratiani dist.4. *Leges instituuntur cùm promulgatur: firmantur, cùm moribus vtentium comprobantur.* Ecce quod ait, leges promulgatione institui, ac condi; firmari verò, perfectionémque acquirere, (vt nimirum omnes ac singulos è Communitate, totámque posteritatem constringant) posteaquam à maiore, vel potiore siue digniore populi parte acceptatæ, & vsu comprobatæ fuerint.

2 Pro cuius rei pleniore intellectu, quędam aduerte ad praxim vtilia Primum. Episcopis, præsertim Metropolitanis, ex officio incumbit, nouas Pontificias Constitutiones in diœcesibus promulgare, atque in vsum deducere; saltem postquam ex Romana curia authenticè ipsis trãsmissæ fuerunt, cum mandato expresso vel tacito, vt eas publicari, & obseruari curent: qua de re vide Nau.cons.1. de const.q.8.edit.2. Idémq; dicendum de lege Imperatoria vel Regia, postquam prouincialibus. Ducibus, vel Gubernatoribus transmissa fuit.

3 Secundum: Si lex in curia Principis publicata, in distãtibus prouincijs non promulgetur, constat ex suprà dictis, subditos prouinciales non obligari, si sit Imperatoria: Etsi verò de lege Pontificia, spectata eius natura, contrarium sentiendum sit; tamen quòd attinet ad praxim, arbitror peccati damnandos non esse, neque puniẽdos singulos è Communitate, si legem Pontificiam in sua diœcesi neque promulgatam, neque vsu receptam, ipsi quoque non obseruent. Primò, quia contraria non paucorum DD. (quos præced.cap.n.4.§.lex autem) allegaui sententia, Quòd non minùs ad Pontificiam, quàm Imperatoriam legẽ opus sit promulgatio in prouincijs; probabilis ipsis videri potest, cui proinde se conformare liceat. Deinde, quia præsumendum non est, mentem legislatoris esse, vt lex, præsertim in diœcesi non promulgata, à diœcesano vno, altero, vel paucis obseruetur, si maior Communitatis pars non recepit, neque breui tempore receptura vel obseruatura existimatur: Siquidem legem, cùm sit commune mandatum, communiter obseruari oportet, sicut notauit Nau.consil.1.q.5.de const. Med.1.2.q.90.a.3.in fine.

Tertium. Si lex in prouincijs vel diœcesibus promulgata sit, sed à maiore populi parte non recipiatur & obseruetur: refert vtrum legislator populi repugnantiam sciat & conniueat: an verò ignoret: an denique sciat, & ad legis obseruationem per executores compellat. Primo casu censetur legem reuocare, tanquam subditis difficilem & incommodam, sicuti docet Abb.in c. quia circa, n.8.de cõsang.& affinit. Nau.cit. cons.1.q.5. Secundo casu, legis obligatio durat, donec legitimę præscriptionis tempus decurratur. Arbitror tamen, si tu legem promulgatam recipere paratus sis, & data occasione etiam obserues; sed alij plerique è Communitate non recipiant, neque recepturi existimentur: per epikeian excusatum te fore à legis obligatione, etiam ante expletũ tempus pręscriptionis: Quòd ratio & æquitas permittere non videatur, vt tu solus, vel cum alijs paucis legem communiter non receptam longo tempore obseruare debeas: præsertim cum te tunc conformare possis sententiæ Nauarri, & aliorum DD. princip. huius cap. citatorum. Tertio casu, si legislator promulgatæ obseruationem compellat, trans gressorésque puniat, tunc singuli eam obseruare tenentur, si iusta sit, etiamsi maior Communitatis pars resistat. Quia ratio naturalis postulat, vt in schismate vel dissensione, quodlibet membrum sui capitis potiùs, quàm reliquorum membrorum ductum atque imperium sequatur.

Quartum. Si lex seu Pontificia, seu Imperatoria legitimè promulgata, à maiore populi parte, prætextu rationabilis causæ, non recipiatur, currit contra eam præscriptio, legislatore ignorante, quæ saltem 10. annorum spatio absoluitur. Ita Nau. in consil.1.de constit.q.5. Azor l.5.c.4. q.4. Suar.l.4.c.16.de legib.n.11. Cùm enim lex iam recepta & vsu confirmata per contrariam consuetudinẽ abrogari possit, iuxta c. vlt.de consuetudine, multò magis ab initio per non vsum ei derogari poterit. Quare mirandum etiam non est, plus temporis (videlicet 40. annorum spatium) requiri ad abolendam via pręscriptionis legem Ecclesiasticam receptam, quàm non receptam; quia illa plus, quàm hæc roboris & firmitatis obtinet. Sed etsi fortasse primi, quibus lex data fuit, præsertim Metropolitani, Episcopi, &c. peccârint, eam non recipiendo, & in vsum deducendo: horum tamen successores, si Pontificiã v.g. constitutionem pòst longam temporis moram nunquam in diœcesi receptam vel obseruatam videant, per non vsum titulo præscriptionis sublatam credere possunt sicuti loco cit. notauit Suar. & Ioan. Maior in 4. d.15.q.5. Ex quo inferre licet, eas (v.g. Trident. Concil.) constitutiones, quę hactenus in diœcesibus receptæ aut in praxin deductæ non sunt, vim obligandi non habere: vt neque Doctores ex Cathedra quæstiones decidere, multò minùs Iudices in foro externo, vel interno causas definire debeant, secundùm leges non receptas, ait Nau.cit.cons. 1.q.7.& 8. & docet Salas de leg.disp.13.s.3 in fine. Quamuis optimum consilium sit, vt Episcopi saluberrima illa reformationum decreta, quæ hactenus in suis diœcesibus recepta non sunt, vltrò in obseruationem deducere conentur. 4

Quintum. In legum obſeruatione oportet quemlibet conformari cum ea Communitate, cuius ipſe proxima pars eſt, ſicuti docet Azor cit. cap. 4. q. 3. & indicat Syl. ver. lex, q. 6. in fine, Nau. q. 3. §. Sexto. Quare ſi lex in alijs regnis, prouincijs, vel diœceſibus recepta ſit, in tua recepta non ſit, eius obligatione non aſtringeris. Adde fieri poſſe, vt lex ſecundùm vnam ſui partem, vel ſecundùm vnum genus hominum in vſu poſita ſit; ſecundùm alterum non ſit: v. g. vt ſoli clerici, & non laici; vel ſoli regulares: non autem ſeculares legem ſeruent. Quo caſu iuris regula 37. in 6. locum habebit, *vtile per inutile non vitiatur.* Exemplum habemus in ieiunio Feriæ VI. & Sabbathi, quod olim in Eccleſia occidentali plenè & integrè ſeruatum videtur; nunc verò abolitum eſt quoad vnam partem; & remanſit quoad alteram partem, videl. abſtinentiam à carnibus.

6 Porrò in dubio non lex recepta ſit nec ne, pro ipſa præſumendum eſt: vt qui eam in fauorem ſuæ cauſæ allegat, intentionem fundatam habeat, onúſque probandi in aduerſarium reijciat, qui legem receptam negat, ſicut notauit Rodriq. t. 1. q. 6. reg. qq. a. 11. Ratio verò eſt, quam ſuprà tradidi tr. 1. c. 5. §. 4. n. 1. Quia *factum in dubio præſumitur, ſi de iure faciendum erat.*

7 Vltimum. Si Metropolitanus, aut Communitas arbitretur, nouam conſtitutionem prouinciæ moribus commodiſue non conuenire, poterit Papæ, Regi, &c. allatis rationibus ſuplicare; atque interim, dum reſponſum expectatur; legis executionem ſuſpendere. Si verò Princeps, cognitis rationibus, in ſententia perſiſtat, obedientia præſtanda erit: niſi liquidò conſtet legem iniquam eſſe. Qua de re lege Caſtrum lib. 1. de lege pœn. c. 1. Mol. tr. 5. diſp. 69. Suar. lib. 4. c. 16. n. 7. contra Rodriq. cit. q. 6. a. 8. Vaſq. cit. cap. 5. in fine. Nicol. Garcian tr. de beneficijs, p. 11. c. 3. n. 272. qui negant, per eiuſmodi ſupplicationem, interim dum reſponſum datur, ſuſpendi legis obligationem. Verumtamen eſt, eiuſmodi ſupplicationes & decretorum dilationes longè frequentiùs accidere poſſe in ſpecialibus Principum decretis ac reſcriptis, iuxta c. ſi quando, de reſcriptis: quippe in quibus, circa particularia negotia verſantibus, faciliùs error ob malam informationem irrepit, quàm in generalibus conſtitutionibus, quæ, poſt diuturnam cum viris prudentibus conſultationem ex certa ſcientia procedunt: Quamuis nihilominus aliquando accidere poſſit, vt lex generatim vtilis, certe tamen prouinciæ ob ſpeciales rationes nimis difficilis, aut ab eorum moribus abhorrens videatur.

CAP. IV.

De materia legis humanæ.

SVMMARIVM.

1 *Lege humana, etiam ciuili, præcipi poſſunt non tantùm opera iuſtitiæ; ſed etiam aliarum moralium virtutum, ijſque contraria prohiberi.*

2 *Non omnes virtutum actiones præcipi poſſunt; neque omnia peccata, etiam externa, ab humano magiſtratu prohiberi: ſed quædam interdum permitti debent, vt grauiora vitentur.*

3 *Quædam præcepta ſecundùm ſubſtantiam ſunt iuris naturalis, aut diuini; ſecundùm determinationem verò iuris humani.*

4 *Legiſlator, iuxta legitimam ſuam intentionem ſeu motiuum, efficere poteſt, vt opus aliquod ſit medium ſiue materia alicuius virtutis conueniens, aut neceſſaria.*

5 *Lege, aut præcepto humano per ſe præcipi aut prohiberi non poſſunt actus merè interni.*

Crimen quod eſt per accidens occultum, Eccleſiaſtica lege puniri poteſt.

6 *Qui opus præceptum, quatenus ex obiecto bonum eſt, implet, quamuis mala intentione is legem humanam non violat.*

Intentio ac finis præcepti non cadit ſub præceptum.

7 *Qui opus præceptum ſecundùm ſubſtantiam præſtat, etſi tunc nolit præceptum implere, reuera tamen ſatisfacit.*

Obligatus voto recitandi roſarij, ſi recitet animo tunc non ſatisfaciendi, tenetur iterum recitare: Sin autem immemor voti ſui roſarium dicat, re vera liberatur.

8 *Actus interni ab humana poteſtate præcipi vel prohiberi poſſunt concomitanter, quatenus requiruntur ad moralem ſubſtantiam actuum externorum.*

9 *Si ebrius, dormiens, aut mentis impos dicat horas canonicas, non ſatisfacit præcepto: ſed debet iterum recitare, ſi ad mentem redeat: eadémque ratio eſt, ſi ſimpliciter inuitus, ſeu coactus Miſſæ ſacrificio in feſto die interſit.*

10 *Si aliquis in ſomno, mentis impotentia, vel per vim adactus decimas Parocho ſoluat, materialiter & in effectu ſatisfactum eſt legi: vt non opus ſit alias decimas dare.*

11 *Qui opus ſub cenſura Eccleſiaſtica prohibitum omnino inuitus intermittit, pœnam tamen legis aut præcepti euitat: qui autem opus ſub cenſura præceptum coactus facit, tunc pœnam contrahit, ſi, ſpectata Eccleſiæ intentione, ad eius executionem actio voluntaria intrinſecè requiritur.*

12 *Qui ob metum opus præceptum exequitur, ſatisfacit: v. g. puer, qui à pædagogo verberum metu adactus Miſſam attentè audit.*

Licet talis expreſſam intentionem habeat non audiendi ſi pædagogus abeſſet, nihilominus implet opus præceptum, vt aliam miſſam audire non teneatur: peccat tamen ſecundùm affectum internum peccato commiſſionis.

13 *Cùm lex Eccleſiaſtica præcipit opus aliquod pium, v. g. vocalem orationem, ſacramentalem Confeſſionem, conſequenter etiam præcipit actum internæ mentis, quem opus illud eſſentialiter includit.*

Non poteſt Prælatus, niſi regularis ſit, ſubditum ſub peccato obligare ad habendam certam intentionem in opere.

14 *In ijs, quæ pertinent ad naturam corporis conſeruandam & propagandam, homo ſui iuris eſſe debet, ac ſoli Deo ſubiectus.*

ASſertio I. Lege humana, etiam ciuili, præcipi poſſunt non ſolùm iuſtitiæ; ſed etiam aliarum virtutum opera aliqua; ijſque contraria prohiberi. Ita S. Th. q. 96. a. 3. ex Ariſtot. 5. Eth. c. 1. *Ipſæ autem leges*, inquit, *de omnibus dictant, conſectantes communem vtilitatem*; adde & felicitatem, quæ in honeſta ciuium vita, communíque virtutum ſtudio præcipuè conſiſtit. Quare idem Ariſtot. 2. Eth. c. 1. & Vlpianus in l. 1. ff. de iuſt. & iure dixit, Legiſlatori propoſitum eſſe homines *bonos efficere.* 1

Dixi autem aliquas (non omnes) actiones virtutum humana lege imperari poſſe. Quædam enim nimis arduæ ac difficiles ſunt, vt in conſilio eſſe debeant, non in præcepto: v. g. Euangelica paupertas, caſtitas, &c. ſed neque omnia peccata, etiam externa, ab humano Magiſtratu prohiberi poſſunt; ſed multa permitti debent, vt grauiora euitentur. Qui lex humana ponitur multitudini ſiue communitati, in qua maior pars eſt hominum virtute non perfectorum. Quare ferme non niſi peccata grauiora legibus prohiberi ſolent, à quibus moraliter poſſibile eſt maiorem partem multitudinis abſtinere, præſertim quæ alijs noxia ſunt, & humanæ ſocietati incommodant. Ita S. Th. a. 2. & Richar. in 3. d. 37. a. 3. q. 3. 2

Aliqua huic aſſertioni adiungo: Primũ. Interdum etiã peccata grauia à publico Magiſtratu permitti poſsũt, ſi neceſſarium videatur ad maius Reip. malum impediendum: qua ratione in quibuſdam ciuitatibus publicæ meretrices tolerantur, ſicuti annotauit S. Aug. lib. 2. de ordine, c. 4. Item publicæ detractiones & infamationes, vt ciues earum timore in officio contineantur, de qua re Io. Faber §. in ſumma. Inſtit. de iniur. Item Iudæorum vſuræ, de quibus Nau. lib. 5. conſil. 33. de vſur. edit. 2.

Secundum. Lege humana præcipi aut prohiberi poſſunt etiam ea, quæ alioquin ſub naturale, aut diuinum præceptum cadunt: v. g. fidem Catholicam profiteri, alienum reſtituere, à furto, latrocinio, blaſphemijs abſtinere: Quia nihil prohibet, aliquem pluribus titulis ſeu cauſis obligari ad idem præſtandum, vel omittendum.

Tertium. Quod lege naturali aut diuina præceptum eſt abſolutè & ſecundùm ſubſtantiam, interdum humana lege determinatur ad certum tempus, modum: v. g. lege Euangelica præcipitur ſacramentum Pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ: lege autem Eccleſiaſtica determinatur, vt illud ſemel in anno: iſtud quouis Paſchali tempore ſuſcipiatur. Itẽ beneficiati eccleſiaſtici naturali ac diuino 3

iure

iure obligantur ad orandum pro fidelibus: Ecclesia verò prescribit certam orandi formam, tempus: de quibus suo loco.

4 Quartum. Cùm legislatrix potestas præsit humanis actibus subditorum: eósque dirigat ad felicitatem publicam, sicuti suprà dixi; inde fit, vt & actiones, quæ ex obiecto bonæ sunt, atque conueniens alicuius virtutis medium ac materia, constituere possit eiusdem virtutis materiam necessariam; sicuti videre est in Ecclesiasticis præceptis ieiunij, Missæ, &c. Insuper actiones, quæ ex obiecto indifferentes sunt, constituere lex potest medium ac materiam alicuius virtutis tùm conuenientem, tum necessariam: v.g. vt publicæ preces Paschali tempore stãdo perficiantur: Itémque actiones ex obiecto indifferentes prohibere potest, tanquam minùs conuenientes alicui virtuti, v.g. ne festo die mercatura exerceatur, ob reuerentiam & cultum Religionis. Ex quo efficitur, vt qui ieiunium præceptum non seruat, contra temperantiam delinquat, cuius intuitu ac fine lex Ecclesiastica lata fuit: qui verò preces stans non persoluit, aut mercaturam tali die exercet, contra religionis virtutem peccet, cuius intentione ac motiuo Ecclesiasticæ illæ leges positæ fuerunt, sicuti docet Caiet. 1. 2. q. 96. a. 4. in fine. Sotus lib. 1. de iust. q. 6. a. 4. Azor to. 1. lib. 5. c. 5. q. 2. Suar. t. 1. de relig. tr. 2. l. 3. de reuerentia debita rebus sacris, c. 4. & tr. 3. l. 4. de Simon. c. 7.

5 Assertio II. Nulla lex, vel præceptum humanum extendere se potest ad actus merè internos per se præcipiendos. Hæc est communior DD. sententia S. T. 1. 2. q. 91. a. 4. & q. 100. a. 9. & 2. 2. q. 104. a. 5. Ioan. Gerson p. 2. operum in regulis moral. §. solus Deus. Caiet. tract. de potest. Papæ & Concil. cap. 19. Castro. lib. 2. de iusta hæret. punit. c. 18. Nau. c. 13. man. n. 38. & cap. 17. n. 58. & c. cogitationis, d. 1. de pœnit. Vasq. disp. 60. c. 2. Couar. reg. peccatum. p. 2. princip. n. 7. Ludouici Mirandæ in man. Prælatorum t. 1. q. 29. art. 2. Suar. de censuris disp. 4. s. 2. & lib. 4. de le. cap. 12. Salas disp. 11. s. 1. contra Gl. in c. cogitationis, d. 1. de pœnit. Adrian. quodl. 8. a. 1. lit. h. & 1. Albertum Pighiũ lib. 6. de Eccles. Hierarchia cap. 16. Iulium Clarum lib. 5. sentent. §. vlt. q. 91. Med. C. de orat. q. 15. Rosellam ver. absolutio, 1. n. 28. quibus fauet Less. l. 2. c. 37. dub. 11. n. 66. Probatur I. ex iure canonico: Nam ob hanc causam dicitur c. 1. 15. q. 6. *Quòd non possit humano iudicari examine, quem Dominus suo reseruauit iudicio.* Et in c. sicut, de Simonia, *Ecclesiam non iudicare de occultis*, &c. tua nos eod. tit. Innoc. III. ait, *Nobis datum est de manifestis solummodo iudicare*: & l. 18. ff. de pœnis, quæ allegatur apud Gratianum d. 1. de pœnit. *Cogitationes pœnam nemo patitur*; vbi Glossa rectè monet, verum id esse, si stetur intra fines cogitationis; non item, si exequendi propositum externo signo, siue conatu manifestetur, quamuis sine successu. Nam solùm etiam conatum in criminibus prohiberi, ac puniri posse, saltem pœna extraordinaria seu arbitraria, iuxta criminis & facti qualitatem, docent Glossa & DD. communiter in l. quisquis, C. ad l. Iuliam Maiestatis, Na. si quis non dicam, de pœnit. d. 1. n. 4. Probatur secundò rationibus: quarum primam indicat S. Th. q. 100. in corp. a. 9. ac bene explicat Nau. in cit. c. cogitationis. Quia frustra ferme & inefficaciter lex ad Communitatem fertur, si legislator cognoscere non possit, vtrum obseruetur; neque ad eius obseruationem compellere: Quare *leges ferre, & secundùm leges iudicare ad eãdem potestatem pertinet*: eundémque ordinariè oportet esse legislatorem & Iudicẽ legúmque vindicem; Atqui de actibus internis, suapte natura latentibus, humanus legislator iudicare non potest: Nam *secretorum solus Deus cognitor & iudex est*, c. erubescant, d. 32. & constat ex. 1. Regum 16. *Homines vident ea quę patent. Deus autem intuetur cor.* Secunda ratio ex eodem sancto Thoma 2. 2. quæstione 104. articulo 5. Vasquez loco suprà cit. Suarez libro 3. de legib. cap. 13. & l. 4. c. 12. numero 7. Cùm omnis humana potestas siue iurisdictio in hominum societate fundetur; hæc autem materialis atque sensibilis; sit (nam subordinatio & gubernatio secundùm operationes internas Angelicæ immaterialis societatis propria est) conueniens videtur, vt humana potestas siue iurisdictio solùm se extendat ad actiones humanas, quatenus in exteriorem materiam trãseunt, & signo aliquo produntur. Quod etiam Seneca notauit libro 3. de beneficijs: *Errat, si quis putet, seruitutem in totum hominem descendere: pars enim melior excepta est: corpora obnoxia sunt & adscripta dominis, mens sui iuris est.* Et ideo, inquit S. Thomam cit. art. 5. *in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed soli Deo: tenetur autem homo homini obedire, in his quæ exteriùs per corpus agenda sunt.* Tametsi quandoque huiusmodi æternæ actiones occultæ manent per accidens, quia à nemine videntur, ac testibus destituuntur. Sic enim Ecclesia vniuersali lege prohibet, & lata excommunicatione punit, v.g. quamuis hæresim externo signo licet occultè proditam, vti notauit Nau. c. 27. man. n. 56. & in cit. capite cogitationis, n. 7. & in rubrica de iudicijs, n. 76. vbi ait, Occultum esse duplex; vnum per se occultum, quod suapte natura non est probabile: quales sunt omnes interiores hominis actus, quorum cognitor solus Deus est: alterum est occultum per accidens, quod exteriùs expressum est, vt suapte natura deprehendi possit, licet à nemine deprehendatur. 6

Corollarium I. Qui præstat opus præceptum, quatenus ex obiecto siue secundùm speciem bonum est, legem humanam non violat, etsi finem siue intentionem legislatoris non intendat, nec assequatur; sed re ipsa & in indiuiduo opus malum, v.g. ob prauam circumstantiam finis exerceat. Ita docet S. Thomas quæst. 100. artic 9. ibid. Caiet. Medina, & alij. Exemplum; Ecclesia præcipit ieiunium, id est, vnicam in die refectionem absque carnibus: Finis autem huius præcepti est, vt gula frænetur & caro spiritui subiiciatur. Si iam aliquis ieiunet vanæ gloriæ causa, aut gulam piscibus & mero oblectet, adeóque intentioni legis repugnet, is Ecclesiasticum ieiunij præceptum non violat; quamuis contra legem naturalem ac diuinam peccet, saltem venialiter. Ratio est, quia *intentio, ac finis præcepti non cadit sub præceptum*: imò nec cadere potest: cùm modus agendi ex virtute & proposito honestatis omnino intrinsecus & non apparens sit. Duo autem hîc obiter aduerte: I. Legislator humanus præcipiẽdo rem aliquam efficere quidem potest, vt qui legem transgreditur, contra eam virtutem peccet, cuius intuitu lex lata est: non ita verò efficere potest vt qui legem obseruat, actum talis virtutis exerceat: cùm hoc pendeat ex speciali interna intentione operantis. II. Interdum accidit, vt Ecclesiasticus legislator (præsertim censuram statuens) aliquid prohibeat, adiuncta conditione actus interni; quomodo excommunicantur in Clem. 1. §. verùm, de hęret. qui ex odio, gratia, vel auaritia omittunt contra aliquem procedere in causa fidei: talis enim conditio solùm restringit pœnam seu censuram iuris, vt in conscientia aliter non incurratur propter opus prohibitum, nisi ex tali affectu procedat, sicuti notauit Suarez l. 3. de leg. capite 29. numero 10. & libro 4. c. 13. num. 3. & 2 o. & de censuris disp. 4. s. 2.

Corollarium II. Qui opus præceptum secundùm substantiam pięstat, etsi non habeat voluntatem implendi præceptum, imò contrariam habeat, re vera tamen satisfacit. Ita docet Suarez libro 2. de relig. libro 4. de horis, cap. 26. & 3. p. tom. 3. disp. 88. s. 3. Less. lib. 2. capite 7. dubium 10. Valent. to. 3. disp. 6. q. 10. in fine. Sanchez libro 1. moral. cap. 13. num. 9. & 12. contra Nauar. de orat. c. 16. n. 73. Azor. t. 1. lib. 7. c. 2. q. 6. Medinam C. de orat. qu. 16. qui posteriorem partem huius corollarij negant. Exemplum: Si aliquis die festo Missam decenter audiat, non recordatus esse diem festum, is satisfacit ex

communi sententia: Sed etsi Missam aliquis festo die sciẽter, atque attentè audiat, habeat verò expressam intentionem tunc non satisfaciendi Ecclesiæ præcepto, sed aliã postea Missam audiendi, is re vera satisfacit, vt non teneatur aliam audire; quamuis id non pauci negent. Eadémque ratio est de horis canonicis: quod scrupulosis notandum est, qui cùm videntur sibi inter orandum dum distracti, officium vel partem officij recitant, cum proposito postea repetendi: qui tamen repetere non tenentur, quando distractio eorum inuoluntaria fuit. Ratio est, quia lex tantùm præcipit voluntariam operis executionem: non autem quasi reflexam implendi præcepti intentionem: imò eam præcipere non potest, cùm omnino intrinseca & occulta sit. Quare cùm opus quod præcipitur impleas; etsi per ignorantiam, vel errorem te non implere existimes, aut etiam nolis implere; non potes tamen efficere quo minùs impleas: Siquidem protestatio contraria facta vim nullam habet. Id tamen fatendum est, si quis in tali falsa persuasione maneat, quasi præcepto non satisfecerit, peccaturum esse, nisi vel errorem deponat, vel aliam Missam audiat, horas canonicas repetat, &c.

Obijcitur: Qui obligatus est voto recitandi rosarij, si recitet animo tunc non implendi votum, debet denuo recitare, ad satisfaciendum voto: Item obstrictus debito pecuniario, si dum pecuniam soluit, creditori significet, nolle se debito exolui, sed gratis donare, debet iterum soluere: Ergo idem dicendum videtur de obseruatione legum. Ad hæc respondeo; Discrimen esse inter debitum seu obligationem ex voto, aut promissione; & inter debitum seu obligationem ex lege aut præcepto Superioris: Nam obligatio voti, & cuiuscunque promissionis prouenit ex voluntate vouentis, promittentis, qui sicut ab initio arbitratu suo debitorem se constituere potuit, sic etiam in eo debito siue obligatione arbitratu suo perseuerare potest: Debitum autem siue obligatio ex lege vel præcepto prouenit ex voluntate legislatoris vel præcipiẽtis; ideóque extendi non potest vltra eius intentionem aut voluntatem: quamobrem cùm legislator hoc solum præceperit, vt opus humano modo impleatur, eo opere præstito, extinguetur obligatio.

Cæterùm, si quis immemor, rosarium se Deo vouisse, illud oret, voto soluitur: sicuti & is, qui homini promisit rem donaturum, si postea donet immemor promissionis suæ, obligatione liberatur. Alia ratio est, si ex titulo oneroso debitor sis, v.g. ex empto, permutato: & immemor huius debiti tantundem liberaliter dones, non videris obligatione solutus, sicuti docet Lud. Lopez lib. 2. de contract. c. vlt. §. superest nunc, Sanch. cit. c. 13. num. 11. Siquidem hæc duo inter se pugnant; gratis dare, & ex tali debito dare. Quo etiam genere argumentationis, licet alio proposito, vsus est Apost. ad Rom. 11. *Si autem gratia* (loquitur de gratia primę iustificationis, interprete Trident. sess. 6. c. 8.) *iam non ex operibus* (siue ex operum merito) *alioquin gratia iam non est gratia*; sed debiti retributio.

Assertio III. Actus interni ab humana potestate pręcipi vel prohiberi possunt concomitanter, quatenus requiruntur ad moralem substantiam actuum externorum. Ita docet Medina cit. q. 100. a. 9. §. ad vltimum argumẽtum. Sotus lib. 10. de iust. q. 5. a. 5. Miranda suprà cit. a. 2. Syl. ver. obedientia, q. 1. Suar. l. 3. de legib. c. 13. num. 2. & seqq. Ratio est: Cùm homines, qui sunt membra Reipu. partim interno animo, partim externo ac materiali corpore constent: fit, vt & interiores hominis actiones non aliter sub Reipub. gubernationem cadere possint, nisi quatenus ad externas actiones diriguntur, eásque aliquo modo informant: & ipsę actiones externę ac materiales non aliter pręcipi aut prohiberi possint, quàm vti ab internis proficiscuntur, & ijs secundùm esse morale informantur, ac constituuntur.

Corollarium I. Si ebrius, dormiens, aut mentis impos horas canonicas recitet: vel Missam festo die audiat, non satisfacit præcepto: quare debet postea, vbi ad mentem redijt, iterum recitare, aliam Missam audire. Ita Sotus libro 2. de iust. quęstione 3. art. 9. Medina cit. art. 9. Sanchez numero 2. Suarez libro 4. de horis canonicis, capite 26. & alij. Rationem afferunt, quia leges & præcepta homini imponuntur, vt ea humano modo impleat, non brutorum more: quare sicuti opus præceptum violari non potest, nisi per actum vel omissionem humanam, ac liberam; ita neque impleri. Eandémque aiunt esse rationem de simpliciter inuito seu coacto: vt si aliquis vi retentus Missæ, vel concioni intersit, quòd legem aut superioris pręceptum non impleat, sicuti etiam docet Azor t. 1. li. 7. c. 2. q. 6. Quia coactio tollit voluntarium ac liberum, sine quo lex aut præceptum nec impleri, nec violari potest.

Hæc doctrina vniuersim vera est, si loquamur de formali impletione legis aut pręcepti, ad quam omnino requiritur voluntarium; sicuti & ad formalem transgressionem. Sin verò loquamur de materiali executione legis aut præcepti, per illam sæpe satisfieri solet absque actione propriè humana seu libera: vt si dormiens ex sola imaginatione decimas ad horreum Parochi sui deferat, vel adactus ad altare primitias ponat, materialiter, & in effectu satisfactum est legi decimarum, aut primitiarum, vt alias decimas vel primitias dare necesse non sit. Etenim sicuti homo sine culpa legem materialiter violare potest, v.g. rem alienam ob inculpatam ignorantiam auferendo; ita etiam sine laude legem materialiter implere potest; vt in exemplis propositis; item in ieiunio cernere est, si quis à carnis esu, vel altera refectione abstineat, quia ad eam accedere per vim prohibetur. Veruntamen quædam præcepta versantur circa actiones, quæ in sui executione intrinsecè includunt voluntarium seu liberum: vt mirum non sit à dormiente, ebrio, coacto præstari non posse, neque legi satisfieri: & huc spectant exempla suprà posita de auditione Missæ, canonicarum horarum prece; quippe quæ voluntariam animi attentionem necessariò requirere videntur. 10

11 Ex his facile est resoluere quæstionem: Si præceptum sub excommunicatione, aliáve iuris pœna impositum sit, an qui omnino inuitus seu coactus implet, eam euitet? Respondeo & dico I. Si opus, quod ab Ecclesia ita præcipitur, in executione reali, spectata intentione legislatoris, non requirit concursum actionis voluntariæ, qui illud coactus exequitur, euitat pœnam ac censuram; vt si decimarum solutio sub excommunicationis pœna præcipiatur, & aliquis vi adactus soluat. Ita Sanch. lib. 1. moral. cap. 13. num. 6. Dico II. Si opus ab Ecclesia præceptũ, spectata eius intentione, in executione intrinsecè requirit concursum actionis voluntariæ, vti accidit, v. g. in Missæ auditione, tunc qui simpliciter inuitus seu coactus Missæ interest, videtur pœnam statutam incurrere. Ita Sanchez loco cit. Salas disput. 9. sect. 2. num. 34. contra Sotum cit. art. 9. Dico III. Qui opus qualecunque sub censura prohibitum omnino inuitus intermittit, pœnam statutam non incurrit. Vt si in diœcesi sub excommunicatione prohibitum sit carnes comedere in quadragesima, & & Titius per violentiam ab amicis arceatur, ne eas comedat. Ita docet Sotus loco citato Suarez citato capite 26. num. 6. contra Medinam cit. quæst. 100. a. 9. Ratio harum responsionum est: Nam leges pœnales intelliguntur secundùm effectum realem & consummatum: qui autem omnino inuitus atque reluctans cõtinetur in loco vbi sacrificatur, is re ipsa & in effectu non exequitur opus præceptum auditionis Missæ: sed legem omnimode violat. Qui verò coactus decimas Parocho suo soluit; & qui inuitus continetur, quo minùs die interdicto carnes comedat, alioquin comesturus; hi licet secundùm internum affectum transgrediantur Ecclesiasticam legem, aut pręceptum; non tamen secundùm effectum externum, seu

ſeu conſummationem: ergò cenſuram legis aut præcepti non incurrunt.

Locuti autem ſumus de ſimpliciter inuito, ſeu coacto.

12 At verò qui metu, quamuis graui, adactus opus quod in præcepto eſt, ſequitur, is ſatisfacere, imò etiam formaliter implere cenſendus eſt; quia metus non tollit voluntarium ac liberum ſimpliciter; ſed tantùm ſecundũ quid. Ita Sotus cit. lib. 2. quæſt. 3. a. 9. Sanchez cit. c. 13. nume. 7. Azor tom. 1. lib. 10. c. 12. quæſt. 9. Suarez p. 3. tom. 3. diſp. 88. ſect. 3. Salas cit. ſect. 2. §. De eo verò, contra S. Anto. p. 1. tit. 9. c. 10. §. 2. Exemplum eſt, ſi puer à pædagogo metũ pœnæ commotus Miſſam die feſto attentè audiat. Sed quid dicendum eſt, ſi metus verberum ſit puero cauſa principalis audiendi Miſſam die feſto, ita vt expreſſam intentionem habeat non audiendi, ſi pædagogus abeſſet: Et ſimilis ratio eſt, ſi oblectatio piſcium ſit cauſa principalis ieiunandi, ita vt ſi tam boni piſces non haberentur, nollet quis ieiunium ſeruare. Reſpondeo, Talem nihilominus implere totum opus, quod ab Eccleſia præcipitur; vt proinde puer, v. g. Miſſam aliam audire non teneatur, ſi priorem attentè audiuit: Nihilominus interno affectu peccat, peccato cõmiſſionis, aduerſus eãdẽ Eccleſiaſticã legem; & contra religionis, vel temperantiæ virtutem, cuius intuitu lex lata fuit. Probatur & explicatur: Quia lex Eccleſiæ directè tantùm præcipit attentam Miſſæ auditionem, quam ſi puer adhibuit, opus totum ab Eccleſia præceptum impleuit. Verùm eadem lex, dum præcipit Miſſam audiri, indirectè & per conſequentiam efficit, vt propoſitum tum abſolutum, tum conditionatum; imò etiam ſimplex affectus non audiendi Miſſam, ſi non auferat obiecti malitiam, prohibitus, & prauus ſit. Qui autem tale propoſitum habet, *Si abeſſet pædagogus vellem negligere Miſſam*: *Niſi tam bonos piſces haberem, vellem die prohibito carnes comedere*, is interno affectu verſatur circa obiectum prauum ac lege prohibitum; neque aufert malitiã obiecti: ergo committit peccatum internum aduerſus Eccleſiaſticam legem, & contra religionis aut temperantiæ virtutem. Qua ſimili ratione etiam is peccat, quem poſtea ſine iuſta cauſa pœnitet, quòd Miſſam feſto die audierit. Hæc eſt doctrina Suar. lib. 5. de leg. c. 13. n. 9. & lib. 4. c. 13. num. 1. & ſumitur ex cap. nulli, diſt. ij *Nulli fas eſt vel velle, vel poſſe transgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta.*

Corollarium II. Cùm lex Eccleſiaſtica præcipit ora-

13 tionem externam, conſequenter etiam præcipit internã animi attentionem, ſeu in Deum eleuationem: Item cũ præcipit ſacramentalem Confeſſionem, præcipit quoque animi contritionem, attritionémve: quandoquidem neque eſſentia orationis ſine animi attentione; neque eſſentia ſacramenti Pœnitentiæ ſine interno animi dolore conſiſtere poteſt. Item cùm Superior Sacerdoti præcipit vt ſacrificet, ſacramẽta miniſtret; conſequenter etiam præcipit, vt habeat internam intentionem ſacrificandi, baptizandi, à peccatis abſoluendi. Ita docent Caiet. in ſum. ver. hora, §. ad tertium. Gerſon loco ſuprà cit. Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 5. a. 5. ante 7. concluſ. Suar. tom. 2. de relig. libro 4. de horis, cap. 16. & lib. 3. capite 13. de legibus. num. 10. Leſſius lib. 2. de iuſt. c. 37. dub. 11. num. 67. Azor tom. 1. lib. 10. c. 8. quæſt. 7. & c. 12. quæſt. 9. Sanch. lib. 1. moral. c. 13. numero 3. Quis enim neget, quin lege vel præcepto Eccleſiaſtico, vtpote animarum ſalutem ſpectante, præcipi poſſit; vt Eccleſiæ miniſtri verè & non ſimulatoriè orent, ſacramenta miniſtrent; item fidelibus omnibus, vt ſacramenta verè & non per actionem ſuſcipiant? Qui autem ſine interna attentione orant, ſine vllo animi dolore peccata confitentur, &c. ij non verè ſed ſimulatè orant: nec verè, ſed fictè Pœnitentiæ ſacramentum poſtulant: ergò non ſatisfaciunt Eccleſiæ præcepto. Vide quæ dicam libro 4. tractatus 1. capite 5. numero 10.

Non poterit tamen facilè Legiſlator, aut Prælatus ſub peccato obligare ſubditos ad habendam intentionem, aliámue internam diſpoſitionem accidentalem, ſeu non pertinentem ad ſubſtantiam moralem operis præcepti: v. g. vt ieiunia & orationes fiant in ſtatu gratiæ; vel vt orationes, & ſacrificia Deo offerantur ad particularem aliquã intentionem, ſicuti notauit Suarez lib. 4. de legib. c. 13. n. 16. & diſput. 6. de cenſ. ſect. 3. num. 20. Prælatis tamen regularibus paulò maior poteſtas in ſuos competit, ratione voti religioſi obediendi Prælato in omnibus, quæ ſecundùm regulam vel Ordinis conſuetudinem præcipiuntur. Qua de re Suarez lib. 4. de legib. c. 12. in fine, vbi monet, diſcrimen eſſe inter obligationem Regularium ex voto obedientiæ; & obligationem aliorum ex lege ciuili vel Eccleſiaſtica: Nam *lex fundatur in iuriſdictione, quæ ſolùm data eſt, quantùm expedit ad bonum* Communitatis: *præceptum autem Prælati regularis fundatur in voluntate vouentis, & pacto ſeu promiſſione eius: quæ quia principaliter fit Deo, de actu etiam merè interno fieri poteſt. Item, materia voti latiùs patet quàm legis: nam votum maximè eſt de conſilijs, de quibus non eſt lex.* Hæc ille.

Aſſertio IV. In his, quæ ad naturam corporis conſer- 14
uandam & propagandam ſpectant, homo ſui iuris eſſe debet, & alteri homini non ſubiectus, ſed ſoli Deo. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 105. art. 5. in corp. *Quia omnes homines natura ſunt pares, in his quæ pertinent ad corporis conſeruationem, & prolis generationem. Vnde non tenentur nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire in matrimonio contrahẽdo, vel virginitate ſeruanda, aut aliquo eiuſmodi: ſed in his quæ pertinent ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo Superiori obedire, ſecundùm rationem ſuperioritatis: ſicut miles duci exercitus in his quæ pertinent ad bellum; ſeruus domino in his, quæ pertinent ad opera ſeruilia: filius patri in his quæ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam.*

CAP. V.

De iuriſdictione.

SVMMARIVM.

1 *Iuriſdictio eſt facultas alicuius habentis publicam autoritatem & eminentiam ſuper alios, ad eorum regimen & gubernationem.*

2 *Iuriſdictio alia eſt ordinaria, & alia delegata.*

3 *Item alia eſt iuriſdictio contentioſa, & alia voluntaria.*

4 *Voluntaria iuriſdictio (ita dicta, quia non niſi volentibus fit) extra proprium territorium erga ſubditos exerceri poteſt: non autèm contentioſa.*

5 *Parochus in aliena parochia ſuorum ſubditorum nuptias benedicere non debet. neque Epiſcopus in aliena diœceſi ordines, aut ſacramentum Confirmationis conferre: ſed in Pontificalibus extra diœceſin ſacrificare non prohibetur.*

6 *Diuiditur item iuriſdictio, quod alia ſit Eccleſiaſtica, & alia ciuilis.*

7 *Iuriſdictio tum Eccleſiaſtica, tum ciuilis diuiditur in imperium ac ſimplicem iuriſdictionem.*

8 *Imperium aliud eſt merum, aliud mixtum.*

9 *Imperii tum meri, tum mixti plures gradus diſtingui ſolent.*

10 *In generali meri aut mixti imperij conceſſione à Principe alicui facta, non cenſentur ea comprehenſa, quæ primi gradus, adeóq; propria ſupremæ poteſtatis eſſe ſolent.*

11 *Generalibus Sedis Apoſtolicæ legatis, item Epiſcopis & Prælatis ſimilem Epiſcopali iuriſdictionem habentibus, competunt ea omnia, quæ ſunt meri aut mixti imperii Eccleſiaſtici, dempto primo gradu.*

HActenus de ijs ferme egimus, quæ ad legis eſſentiã ſpectant. Nunc ordo poſtulare videtur, vt de Legiſlatore agamus. Sed quia legis ferendæ poteſtas ſpecies quædam iuriſdictionis eſt: ideo priùs vniuerſim de iuriſdictione quædam dicemus.

Iuriſdictio à iure dicendo, ſiue ſententia ſecundùm æquitatem, iuríſque regulas ferenda, tanquam præcipuo publicæ poteſtatis officio, dicta fuit.

Definitur apud Molin. tract. 5. de iuſt. diſp. 2. *Facultas* 1

alicuius, habentis publicam auctoritatem, & eminentiam super alios, ad eorum regimen & gubernationem. Quare omnis ille actus iurisdictionis est, quem Superior ex publico munere ac potestate in subditos exercet: cuiusmodi sunt leges condere, in ijs dispensare, præcipere, iudicare, punire, ministros publicos creare, pupilis tutores dare, Minores atque ecclesias lęsas in integrum restituere; item sacramenta ministrare, &c. Est autem iurisdictio interdum libera & expedita; interdum verò impedita per censuram, v. g. excommunicationis, suspensionis ab officio; quò minùs iurisdictionis facultas in actum secundum, siue exercitium validè, aut licitè prodire possit.

2 Iurisdictio diuiditur primò in ordinariam & delegatam. Ordinarius Iudex est, qui ex proprio munere seu officio iurisdictionem exercet. Delegatus Iudex est, qui non ex officio, sed ex commissione sibi facta iurisdictionem exercet.

3 Diuiditur secundò in contentiosam & voluntariam. Ad illam pertinet leges condere, præcipere, punire, causas siue controuersias cùm ciuiles, tum criminales definire: quamobrem proprium tribunal postulat, quod contentiosum dicitur, à partium contentione. Voluntaria verò iurisdictio versatur circa alia publicæ potestatis exercitia: qualia sunt legitimare, dispensare, beneficium conferre Sacramenta ministrare, matrimonio assistere, quamuis hi actus non nisi latè loquendo à iurisdictione prouenire dicatur; sicuti docet Sanch. lib. 8. disp. 21. de matrim.

4 Differunt I. Quòd illa etiam in inuitos exerceri possit; hæc non nisi in volentes, vnde etiam nomen accepta. II. Quòd illa à Iudice extra proprium territorium exerceri non possit, sine expresso vel tacito consensu Iudicis proprij, ipsarúmque partium ligantium: *cùm extra territoriũ ius dicenti impunè non pareatur*, c. 2. de Constit. in 6. Volũtaria autem iurisdictio extra proprium territorium validè & plerumque licitè exercetur, dispensando, v. g. cum subditis in eorum votis, iuramentis: assistendo eorum matrimonijs; absoluendo à censuris, peccatis. Ratio est: Cùm voluntaria iurisdictio nullum ordinatium iuris processum, neque iudicem pro tribunali sedentem requirat: ideo nulla iniuria Iudici infertur, in cuius diœcesi eiusmodi actus exercentur, sicuti docent Doctores in l. 2. ff. de offic. Proconsulis, & in c. nouit, de officio legati, Syl. ver. confessor, 1. qu. 14. Cou. 3. resol. c. 20. num. 8. Sanch. lib. 3. de matrimon. disp. 19. num. 7. Suar. 3. p. t. 4. disp. 25. sect. 1. Quanquam ad vitandum scandalum & confusionem, voluntariæ iurisdictionis actus non publicè, quasi alienam iurisdictionem inuadendo, sed ferme tantùm priuatim exercere oportet, sicuti notauit Sanc. l. c.

5 Hinc colligitur, quòd Parochus in aliena parochia suorum subditorum nuptias benedicere non debet: Neque Episcopo permissum est sine Ordinarij licentia Episcopales actus exercere, cuiusmodi sunt ordines, vel sacramẽtum Confirmationis conferre, quod etiam erga proprios subditos in aliena diœcesi concessum non est, sicuti colligitur ex Trident. sess. 6. c. 5. de reform. adiuncta Cardin. declaratione, & docet Henriq. l. 3. c. 6. n. 6. in com. lit. a. b. Couar. cit. c. 20. n. 9.

Permissum tamen est Episcopo (nisi consuetudo repugnet) in aliena diœcesi, absque proprij licentia, sacrificare in Pontificalibus, arg. Clem. vlt. de priuileg. vbi id obseruat Glossa, & consentiunt Couarruuias loc. cit. n. 9. Abb. in c. vlt. num. 4. de translat. Episc. Sanch. l. c. num. 18. Licet Archiepiscopus in aliena diœcesi pallio vti non possit: quia *strictior est vsus pallii, quàm Pontificalium*, ait Glossa cit.

6 Diuiditur tertiò iurisdictio in Ecclesiasticam & ciuilem. Illa ad causas Ecclesiasticas, (id est, quæ spiritualem animarum gubernationem attinent) se extendit; hæc ad politicas, quæ temporalem Reip. gubernationem proximè spectant. Ecclesiastica subdiuiditur in eam, quæ in foro externo exercetur: & in eam quæ foro interno sacramenti Pœnitentiæ.

Iurisdictio fori externi cùm Ecclesiastica, tùm ciuilis diuiditur à Bartolo in l. 1. & l. imperium, ff. de iurisdictione omnium Iudicum, Abb. in c. quòd sedes, de officio ordinarij, in imperiũ & simplicẽ iurisdictionẽ. Imperiũ dicitur iurisdictio, quæ nobili Iudicis officio exercetur. Vbi iudicis nomine intelligere oportet quamcunque publicã potestatem, siue omnem personam, cui iurisdictio suprà definita competit. Nobile autem Iudicis officium vocatur, quod per se stat, non deseruiens, aut alligatum actioni. Etenim Iudex motu proprio siue ex officio, non adactus à partibus, procedere potest ad crimina punienda, beneficia, priuilegia conferenda, &c. iuxta c. qualiter, 2. de accusat. 7

Simplex iurisdictio dicitur, quæ exercetur Iudicis officio mercenario. Mercenarium Iudicis officium vocamus, quod deseruit actioni merè ciuili. Ciuilis actio est, per quam pars litigans intendit consequi ius proprium, siue quod sua interest; Legistæ *interesse* vocant. Igitur simplicis iurisdictionis officium ideo mercenarium, & actioni deseruiens appellatur, quòd Iudex motu proprio siue ex officio procedere non possit ad causas & lites ciuiles: sed solùm ad instantiam actoris: quare partibus actione desistentibus, vel transactione compositis, Iudex cessare cogitur: Illis autem instantibus, & iudicium postulantibus, debet sententiam ferre; neque potest partes ad compositionem compellere; nisi in raro casu, si lis nimis diuturna & intricata sit, vt expediri facilè non possit, sicut annotauit Abb. in capite cùm pridem, numero 6. de pactis.

Imperium diuiditur apud eundem Barth. & Abb. ll. cc. in merum, & mixtum. Merum imperium est iurisdictio, quæ exercetur Iudicis officio nobili, publicam vtilitatem respiciente: Eius actus sunt leges cõdere, malefactores punire, &c. Mixtum imperium est, quod exercetur Iudicis officio nobili, priuatam vtilitatem respiciente: Eius actus sũt dispensare, priuilegiũ dare, ætatis veniã tribuere, tutores statuere, in integrũ restituere, contra malefactorẽ procedere ad alterius instantiam, Iudicis officiũ implorantis. 8

Merum imperium quibusdam veluti gradibus distingui solet: Primus gradus *maximi imperii est*: quò pertinet potestas bellum inferendi, vniuersales leges condendi, in eisque dispensandi. vniuersalia Concilia vel Comitia cogendi, cognoscendi de causis & litibus absque remedio appellationis: Item potestas monetam cudendi, tributa imperandi, vectigalia imponendi, &c. quæ *Regalia* dici solent, quia propria Regis, siue Principis, ac supremæ potestatis existunt; licet quædam eorum inferioribus Ducibus in feudum ab Imperatore concedi soleant. Alter gradus *maioris imperii est*: quò pertinet potestas facinorosis hominibus mortis, mutilationis, vel perpetui carceris supplicium decernendi. Et vulgò quidem iste gradus nomen meri imperij absolutè sibi vendicat, ex l. cit. imperium, vbi dicitur: *Merum imperium est habere gladii potestatem in facinorosos homines*. Huc etiam spectat potestas maximæ capitis diminutionis inferẽdæ, quæ veluti mors quædam ciuilis æstimabatur: quippe per quam pœnam non solùm ius ciuitatis, sed etiam libertatis amittebatur, iuxta tit. Institut. de cap. diminut. nunc verò apud Christianos in vsu esse desijt. Secundùm ius Canonicum ad hunc gradum pertinet potestas Clericum degradandi, & laicæ potestati tradendi; Item excommunicandi, non ad instantiam partis læsæ, sed motu proprio: Qua de re Molina tract. 5. de iustit. disp. 6. Tertius gradus *imperii magni est*: quò pertinet potestas igni & aquã interdicendi, (quæ etiam pœna hodie in vsu esse desijt) in insulam deportandi. dicitúrque hęc media, siue minor capitis diminutio, per quam ius ciuitatis amittitur; sed libertas retinetur, sicut videre est tit. Institut. de capitis diminutione. Quartus gradus est *parui imperii*: quò pertinet potestas relegandi, torturæ subijciendi: in corpore acriter, sed citra mortem, vel mutilationem, v. g. flagellis puniendi; 9

niendi: cuiusmodi pœnam etiam in Ecclesiastico foro locum habere, testantur Abb. & Molina ll. cc. Quintus gradus est *imperij minoris*: quò pertinet modica coercitio in corpore. Sextus gradus est *imperii minimi*; quò pertinet exigua mulcta pecuniaria. Qui duo postremi gradus cuilibet Magistratui, tàm ciuili, quàm Ecclesiastico competunt, cùm alioquin iurisdictio imperij quasi inutilis esset, nisi vim cogentem haberet per coercitionem, vel mulctam, saltem modicam. Adde, ex l. 1. ff. de officio eius, cui mandata est iurisdictio: hos duos gradus, qui iure Magistratus competunt (id est, cuius, quia Magistratum aliquem gerit) etiam alteri delegare permissum esse.

Imperium mixtum pari ferme modo in suos gradus distingui posset. Est enim vnus gradus maximi imperii, Principi reseruatus; v.g. illegitimum, vel communi iure infamem integro statui, vel famæ restituere: Reo condonare veniam delicti, si nulla pars læsa adsit, quæ suam suorúmve iniuriam prosequatur: reuocare sententiam, quæ transiuit in rem iudicatam, &c. Et sic deinceps ad alios gradus, qui inferioribus etiam potestatibus competunt, descendi potest.

10 Sed quia non opus est ea hîc prosequi, duo tantùm annotare libet. Primum: in generali meri aut mixti imperij concessione à Principe alicui facta, non censentur ea cõprehensa, quę primi gradus, adeóque propria supremæ potestatis esse solent, nisi speciatim exprimantur, iuxta regulam 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quę quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Vide hac de re Couar. in pract. qq. c. 4.

11 Alterum: Non tantùm generalibus Sedis Apostolicæ Legatis, sed etiam Episcopis, alijsque Prælatis, similem Episcopali iurisdictionem obtinentibus: quin etiam Regularium supremis Prouincialibus, vel Generalibus ab Episcoporum iurisdictione exemptis ordinario iure competunt ea omnia, quæ sunt meri vel mixti imperij Ecclesiastici, dempto primo gradu, sicuti colligitur ex cap. 1. de offic. ordinar. & videri potest Molina tractat. 5. disp. 6. & 7.

CAP. VI.

De lege, ac legislatore Ecclesiastico vniuersali.

SVMMARIVM.

1 *Lex & legis latrix potestas alia est Ecclesiastica, alia ciuilis: differunt inter se tum ratione originis: tunc ratione finis.*

2 *Ciuilis potestas subordinata esse debet Ecclesiastica potestati, ratione finis.*

Potestas Ecclesiasticorum Præsulum ad aliorum regnorum iura, & causas ciuiles directa & ordinaria via se non extendit.

1 DVplex est lex, & legislatrix potestas; Ecclesiastica & & Ciuilis. Differunt inter se tum ratione originis: quia Ecclesiastica potestas proximè ac immediatè à Deo instituta est: ciuilis verò ab hominibus immediatè prouenit, vt infrà dicam, atque ex communi docet Couar. c. 1. pract. qq. n. 6. Sotus. l. 4. de iust. q. 4. a. 1. concl. 2. Tol. super c. 13. Epist. ad Roman. Nau. c. nouit, de iudicijs, notab. 3. n. 82. tum ratione obiecti ac finis: quia Ecclesiastica per se ac directè versatur circa res spirituales ad salutem animarum, & vitam æternam ordinatas, sicut constat ex verbis Christi Matt. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* & Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Et ex Apostolo Paulo c. 2. Actor. *Posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Quare, cùm Christus sanguinem suum fuderit, vt acquireret ac fundaret Ecclesiam sanctam, & ad vitam æternam ordinatam; idcirco etiam Episcopos siue Pastores ei constituit, qui ad eundem æterne vitæ finem Ecclesiam dirigerent ac gubernarent. Ciuilis verò potestas se ac directè temporalem tantùm commoditatem ac pacem spectat, sicut colligitur ex Apo. 1. ad Timoth. 2. vbi orare iubet *pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, & quietam & tranquillam vitam agamus.* Quare benè Hosius Episcopus apud S. Athanasium in ep. ad solitariam vitam agentes, ita Constantium Imperatorem allocutus est; *Tibi Deus imperium commisit: nobis quæ sunt Ecclesiæ, concredit: & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationis diuinę: ita & tu caue, ne quæ sunt Ecclesiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.* Et pulchrè S. Ignatius in Epistol. 6. ad Philadelphenses: *Principes obediant Cæsari: milites Principibus: Presbyteri, Diaconi, & reliquus clerus vnà cum populo vniuerso, militibus, Principibus, atque Cęsare, ipsi Episcopo pareant.*

Corollarium. Sicut corpus animæ naturalia supernaturalibus, temporalia æternis, veluti media fini subordinata sunt: ita ciuilis potestas Ecclesiasticæ potestas Ecclesiasticę potestati subordinata esse debet. Qua similitudine vtitur S. Nazianzen. orat. 17. S. Chrysostom. homil. 4. & 5. in Esa. & lib. 3. de Sacerdot. & clarè Innocentius III. ca. solitæ, de maior. & obed. ait: *Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima prę fertur corpori.* Ex quo infert Bonifacius Papa VIII. extrauagant. vnam sanctam, eodem tit. *Oportet gladium esse sub gladio, & temporalem autoritatem spirituali subicit potestati: cùm dicat* Apostolus, *Non est potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: non autè ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium ad suprema.* Vide etiam Gelasium Papam epistol. 10. ad Anastasium in cap. duo sunt; d. 96. & Symmachum Papam in Apologia aduersus eundem Anastasium. & in Synodo Romana 3. cuius verba referuntur cap. bene quidem, ead. d. Nicol. 1. in Epistol. ad Michaelem Imperatorem, Innocent. III. in c. nouit, de Iudiciis, ibidem Naua notab. 3. & 6. 2

Cæterùm, cùm hæ duæ potestates, ciuilis & Ecclesiastica, proprijs officijs ac dignitatibus discretæ sint: & vtraque in suo genere perfecta, & per se sufficiens esse debeat; sequitur, quòd potestas Ecclesiasticorum Præsulum, etiã summi Pontificis, ad alienorum regnorum iura & causas ciuiles directa & ordinaria via se non extendat, sicuti docet Nicolaus I. in epist. ad Michaelem Imperat. quæ incipit *Proposueramus quidem*, prope finem, & Alexander III. c. si duobus, §. denique de appellat. vbi habetur, quòd à ciuili Iudice ad Sedem Apostolicam, extra temporalem Papæ iurisdictionem, appellari non potest: præterquam in pefectum Iudicis secularis, si is iustitiam administrare nolit tunc denique etiam in causis temporalibus inter Christianos Ecclesiasticus Iudex adiri posset, sicuti colligitur ex c. licet, 1. de foro compet. & tradit Abb. cit. c. si duobus, num. 5. Henricus de Gandauo in quodlibeto 6. qu. 23. Præterea si ciuiles leges hominum peccata foueant, & animarum saluti repugnent, ad Ecclesiasticam potestatem pertinet prohibere: quandoquidem Pontifices *etiam pro ipsis Regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem*, ait Gelasius Papa ep. ad Imper. Anastasium, quæ incipit, *Famuli vestrę pietatis*, & refertur in capite duo sunt, dist. 69. Et in cap. 11. d. 96. Ioan. Papa VIII. *Si Imperator Catholicus est, filius est, non præsul Ecclesiæ: quòd ad religionem competit, discere ei conuenit, non docere.*

§. I.

De summo pontifice.

SVMMARIVM.

3 *Romanus Pontifex est totius Christiani populi pastor, omnium*

Ecclesiarum caput, & episcopus Episcoporum.
4 *S. Petrus etiam ipsis reliquis Apostolis à Christo præpositus fuit.*
5 *Potestas S. Petro collata super Ecclesiam Christi, non fuit tantũ perfectè vniuersalis: sed etiam ordinaria, siue perpetuò in successoribus duratura.*
6 *Suprema iurisdictio Papæ non confertur à Cardinalibus per electionem, sed à Christo prouenit vi promissionis factæ Sancto Petro.*
7 *Summus Pontifex ab Ecclesia iudicari non potest, nisi in causa hæresis.*
8 *Sedes Romana per antonomasiam Apostolica appellatur.*

3 INter Ecclesiasticos legislatores primum ac præcipuum locum tenet Romanus Pontifex tanquam totius populi Christiani Pastor, omniúmque Ecclesiarum Caput, sicuti passim omnia Concilia & Patres profitentur, certáque fide tenendum est. Et sumitur ex voluntate atque in-
2 stitutione Christi Domini, qui apud S. Matth. c. 16. specialem promissionem fecerat S. Petro: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Nam sicuti fundamento totum reliquum ædificium imponitur, sic S. Petro tanquam Capiti tota Ecclesiæ gubernatio à Christo committenda erat. *Et tibi dabo claues regni cælorum*: quo clauium nomine spiritualem iurisdictionem ac potestatem significari, constat ex cap. 22. Isa. Apocal. 3. *Et quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in coelis.* Quibus verbis vniuersalis plenitudo potestatis significatur, quam S. Petrus eiúsque successores, Christi in cœlis regnantis visibiles Vicarij, habituri erant. Hanc verò promissionem S. Petro factam postea Christus impleuit cap. 21. Ioan. vbi ipsum publicè interrogans: *Simon Ioannis diligis me plus his?* haud dubiè significans plus eum
3 quàm Apostolos cæteros accepturum: mox subiungit, *Pasce agnos meos*: & iterum, *Pasce agnos meos*: Tertiò, *Pasce oues meas.* Vbi primò notandum est verbum *pascere*, quod regendi atque imperandi potestatem significat, iuxta illud Domini Dei ad regem Cyrum Isaiæ cap. 44. *Pastor meus es.* Et ad Dauidem 2. Regum 5. *Tu pasces populum meum Israel.*

Secundò notandum est vocabulum *oues meas*, quod omnes fideles ad Christi ouile, pertinẽtes, adeóque ipsos quoque reliquos Apostolos, Episcopos, Reges ac Principes Christianos, S. Petro, eiúsque successori, tanquam Pastori & Capiti suo, subiectos esse significat, sicut egregiè annotauit Bonifacius VIII. in extrauagant. vnam sanctã, de maiorit. & obed. *Ecclesiæ vnius, & vnicæ vnum corpus vnum caput, &c. dicente Domino ipsi Petro, Pasce oues meas: meas quidem, & generaliter non singulariter has vel illas: per quod commisisse intelligitur vniuersas.* Similia habet S. Bern. lib. 2. de Consider. ad Eugenium: *Non modo ouium, sed & pastorum, tu vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini: Cui enim non dico Episcoporum: sed etiam Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oues? Si me amas Petre, Pasce oues meas. Quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas, inquit; Cui non planum, non designasse aliquas, sed adsignasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil.*

4 Neque mysterio vacare aliqui arbitrantur, quòd Christus agnos suos Petro geminatim commendauit pascendos, ad significandum geminum populum, & qui ex Iudeis, & qui ex gentibus crediturus erat. Denique verò subiũxit, *Pasce oues meas*; quia etiã agnorũ matres, idest, reliquorum fidelium genitores, puta Apostolos, omnésque Episcopos eius curæ & gubernationi committebat, adeóque Episcoporum Episcopum S. Petrum constituebat. Etenim licet Apostoli omnes, ac singuli à Christo ipso vniuersalem iurisdictionem super fideles acceperint, sicuti patet apud S. Matt. c. 18. *Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo*, Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Matt. vlt. *Euntes docete omnes gentes*: Tamen vt Ecclesiæ vnitas sub vno capite & pastore conseruaretur vnum etiam reliquis Apostolis Christus præposuit Petrũ. Quod S. Hier. annotauit lib. 1. in Iouinianum, *Licet super omnes Apostolos ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto, schismatis tolleretur occasio.* Et Leo I. Epist. 84. ad Anastas. Episc. *Inter Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis: & cùm omnium par eßet electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret.* Vide eundem in Natali Apostolorum Petri & Pauli, & serm. 3. suæ assumpt. & ep. 59. ad Episc. Viennenses, S. Cypr. in l. de vnit. Ecclesiæ, & l. 4. epist. 2. & 8. S. Chrys. ho. 55. in S. Matt. S. Greg. l. 4. Ep. 32. ad Mauritium Aug. Gratianum d. 21. c. in nouo, & seq. Caiet. de auctor. Papæ & Concil. cap. 3. Suar. lib. 3. defens. Cathol. cap. 10. Ioan. Turrecrematam lib. 2. sum. de Ecclesia.

Tertiò notandum est, quòd Petro collata potestas super Ecclesiam Christi non fuerit tantùm perfectè vniuersa- 5
lis; sed etiam ordinaria, & perpetuò duratura. Id enim significant verba illa, *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Sicuti enim visibilis Ecclesia Christi perpetuò duratura est; ita & eius fundamentum, atque pastor: quod cùm in persona S. Petri fieri non possit, in eius successoribus fieri debet, sicuti benè expressit Leo 1. ser. 2. de assumptione sui ad Episcopatum: *Sicuti permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Christus instituit.* Et Innoc. IV. in c. 1. de homic. in 6. *Iesus Christus, ne gregem sui pretio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem, absque pastore desereret, ipsius curam B. Petro Apostolo commisit*: quod non solum pro tempore primitiuæ Ecclesiæ, sed etiam deinceps locum ac robur suum habet.

Ex quo colligitur, Papalem potestatem ac iurisdictio- 6
nem non conferri à clero Romano, vel Cardinalibus per electionem: quomodo enim conferant talem potestatem, qua ipsimet carent? Quandoquidem *nemo potest plus iuris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.* Reg. 79. in 9. Tantùm igitur illi designant personam: cui ex vi promissionis, institutionísque à Christo factæ Petro, eiúsque successoribus suprema iurisdictio confertur: vt rectè Inno. III. dixerit in c. nouit, de iudicijs, *Potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo.*

Quamobrem etiam illud obseruatum semper fuit, vt sũ- 7
mus Pontifex à nemine iudicari, aut deponi posset, *neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque à Regibus, neque à populo Iudex iudicabitur*, c. vlt. Concil. Rom. sub Syluestro I. Similia habet Ennodius Diaconus in Concil. Romano sub Symancho Papa, & plura videri possunt apud Simancam de Cathol. inst. tit. 12. n. 1. Cùm enim potestatem suam nõ ab Ecclesia, sed à Christo acceperit; consequens est, vt eadem excidere non possit, nisi Christo permittente, vel auferente. Quod accidit I. Si in hæresin notoriam labatur, saltem postquam ab Ecclesia declarata est, sicuti docet Suar. lib. 3. defens. fidei Cathol. c. 18. & l. 4. de leg. c. 7. II. Si Papa Episcopatum resignet, Ecclesia resignationem acceptante. III. Si exteriùs se gerat vt hæreticum, ideóque Ecclesia alium eligat: qua ratione submoto Liberio Pontifice, Felicem II. substituisse existimat Bellarm. lib. 4. de Pontif. c. 9. IV. Tempore schismatis, si Ecclesia cognoscere non possit, quis verus Pontifex sit, potest alium eligere, sicuti docet Suar. lib. 3. defens. Cathol. cap. 18. & indicat. Bellarm. de Concil. libro 2. capite 19. ad 3. argum.

Atque hanc causam esse arbitror eius, quod passim legimus; Romanorum Pontificum fidei & morum decreta, B. Petri autoritate sanciri: quia eadem & Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, & infallibilis autoritas, quæ à Christo B. Petro data est, in successoribus permanet. Ita enim legimus in Concil. Calcedon. Act. 2. *Petrus, per Leonem locutus est.* Et Act. 3. in epistol. Patrum ad Leonem I. *Vocis B. Petri omnibus constitutus interpres, eius fidei beatifi-*

beatificationem super omnes inducens. Petrus Chrysologus in epist. ad Euthychetem, quæ habetur t. 2. Concil. ante Conc. Chalced. *B. Petrus, qui in propria sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Et in Conc. VI. generali Act. VIII. Domitius Episcopus dixit: *Suggestiones directas à Patre nostro Agathone, sanctissimo Archiepiscopo Apostolicæ & principalis Sedis antiquæ Romæ, &c. tanquam à Spiritu sancto dictatas, per os sancti & beatissimi Principis Apostolorum Petri, prædico.* Similia habet Gelasius epist. ad Episcopos Dardaniæ, Agatho Papa in c. 2. d. 19. *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius diuini Petri voce firmatæ.*

8 Deinde obiter hîc notandum est, Sedem Romanorum Pontificum per antonomasiam passim in Concilijs, & antiquorum scriptis *Apostolicam* appellari: non tantùm quia in ea Principi Apostolorum Petro succeditur; sed etiam quia cum simili auctoritate Apostolicæ & vniuersalis gubernationis, succeditur, quod nulli alteri Episcoporum concessum est: ij enim Apostolis successerunt in Episcopatu Ecclesiæ particularis; sed non in Apostolatu seu vniuersali iurisdictione erga fideles omnes. Quamobrem Patres VI. Concilij generalis Act. 18. Agathonem Papam vocant, *summum Apostolorum verticem.* Patres IV. Concilij generalis, quod est Chalcedonense, Actione 1. Leonem Papam vocant *Apostolicam sanctitatem.* In Ephesino Concil. generali, Act. 1. Cælestinus Papa *vir Apostolicus*; & in subscriptione, *Papa Apostolicus* appellatur.

Nota autem hoc loco, quòd Romani Pontifices abhorrere soliti sunt à nomine Oecumenici, seu Episcopi vniuersalis; partim propter Constantinopolitanos Patriarchas, qui hoc nomen superbè sibi arrogare ausi sunt, vti videre est in epist. Pelagij II. ad vniuersos Episcopos, quæ incipit *Manifestò.* Greg. I. lib. 4. indict. 13. epist. 38. ad Ioannem Constantinopolitanum: tum quia nomen illud ambiguum sensum habere potest; quasi verò qui se vniuersalem seu vniuersum Episcopum appellat, solus Episcopus esse velit, vti apertè significat Pelagius in cit. epist. & Greg. 1. lib. 4. indict. 13. epist. 32. ad Mauritium Imperat. & lib. 7. epist. 30. ad Eulogium Episcopum: *Si enim vniuersalem me Papam vestra Sanctitas dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur vniuersum. Sed absit hoc.* At verò titulus, quo Romani Pontifices insigniri voluerunt, est *vniuersalis*, seu *vniuersæ Ecclesiæ Episcopus*, aut *Pastor.* Ita enim ipsemet Gregor. in cit. epist. ad Mauritium: *S. Petro cura totius Ecclesiæ & principatus committitur, & tamen vniuersalis Apostolus non vocatur.* Et epist. ad Abbatem Gairaldum to. 2. edit. Lugdun. fol. 269. col. 1. *Hæc sedes Romana speculationem suam toti orbi indicit, & nouas constitutiones omnibus mittit.* Quare licet Chalcedonense Concil. Leoni Papæ vniuersalis Episcopi titulum detulerit; ipse tamen Leo non ita se appellare solitus est, sed *vniuersalis Ecclesiæ Episcopum*, vti videre est epist. 52. ad Martianum Imperat. Et in Concil. Chalcedonensi Paschasius Episcopus subscripsit, *vice beatissimi & Apostolici, vniuersalis Ecclesiæ Papæ vrbis Romæ Leonis, sanctæ Synodo præsidens.*

§. II.

De generalibus concilijs.

SVMMARIVM.

9 *Concilia generalia dicuntur, quæ summi Pontificis auctoritate congregrata sunt, vniuersi orbis Christiani Episcopis conuenientibus. Ea potestatem habent vniuersales leges in Ecclesia condendi, & fidei controuersias decidendi.*
Papa Concilio generali extra Vrbem in propria persona interesse nunquam solet: quamobrem necesse est, vt quæ in Concilio acta sunt ad Romanum Pontificem transmittantur, approbationis & confirmationis causa.
10 *Soli Episcopi in Concilijs sententiam decisiuam dicunt, iure proprio ac ordinario: sed ex priuilegio, aut consuetudine etiam alijs Ecclesiasticis, non item Laicis personis competere solet.*

Concilia item Oecumenica potestatem habent vniuersales Ecclesiasticas leges siue canones qui totam Ecclesiam obligent, condendi; sicuti & fidei controuersias decidendi. Etenim in Concilijs non nouæ definitiones seu articuli fidei conduntur, sed quæ antea in Ecclesia Christi recepta erant, declarantur, confirmantur, vti testatur Vincent. Lirinensis cap. 32. aduersus hæreses. Oecumenica seu generalia Concilia dicuntur, quæ summi Pontificis autoritate congregata sunt, vniuersi Christiani orbis Episcopis conuenientibus. Vbi duo declaranda & ostendenda sunt: I. Concilium generale censeri non posse, nisi cum consensu & autoritate Episcopi Romani congregatum sit, quam partem commodiùs tractabo lib. 2. tr. 1. c. 7. n. 5. Quod verò ad alteram partem attinet, non ita accipi debet, quasi necesse sit omnes Episcopos Concilio Generali interesse; sed quòd omnes interesse possint, ac nemo excludendus sit. Consuetum autem ferme erat, vt si in Oriente Concilia celebrarentur, pauci admodum ex Occidente, nomine aliorum missi, eò accederent: & vice versa, si in Occidente generale Concilium celebraretur, vt pauci ex Oriente aduentarent. Interdum verò accidit, vt seorsim in Oriente conuenirent Episcopi: quæ verò in Oriente decreta erant, in Occidente à Summo Pontifice postea examinari & approbari debuerunt: cuius rei exemplũ habes. Cõcilio Constantinopolitano contra Macedoniũ, apud Theodoretum lib. 5. c. 10. hist. Gregor. 1. lib. 6. indict. 15. epist. 195. ad Eulogium, vbi monet, canones eius Concilij ab Occidentalibus, ipsáque imprimis sede Apostolica receptos non esse, sed solùm quod in fide contra Macedonium statutum erat. Præterea cùm Sum. Pontifex generalibus Concilijs, si extra vrbem habeantur, in propria persona interesse nunquam soleat, teste Leone 1. epist. 13. & 17. ad Theodosium Imper. ideo non sufficit Occidentales Episcopos, aut legatos ex Vrbe Concilijs interesse, nisi etiam postea decreta Romam transmissa, à Romano Pontifice, tanquam Ecclesiæ totius capite, approbentur & confirmentur, vti docet Caiet. in opusc. de auctor. Papæ & Concilij, c. 6. Nau. consil 1. de Constit. q. 1. n. 4. Suar. lib. 4. de legibus, c. 6. & constat ex traditione: nam Episcopi seu Patres Conciliorum œcumenicorum gesta ad Romanum Pontificem transcribere, confirmationémque petere consueuerunt, vti videre licet in epist. Synodica Conc. 1. Nicæni ad Syluestr. Papam, *Quidquid constituimus in Concilio Nicæno, precamur vestri oris consortio confirmetur.* Et in Ephesino Concil. to. 1. c. 29. Chalcedonensi Concil. in epist. Synodica ad Leonem I. quæ est post act. 16. Etenim, nisi fateamur, Conciliorum auctoritatem à summi Pontificis consensu & approbatione dependere, causa reddi non potest, cur quædam Concilia interdum maioris numeri Episcoporum, & Archiepiscoporum reprobata; quædam verò licet non reprobata, tamen non vt generalia & infallibilem auctoritatem habentia, recepta sint; quædam denique etiam interdum minoris numeri Episcoporum, ex diuersis prouinciis iussu Romani Pontificis congregatorum, decretis eiusdem Pontificis auctoritas & approbatio demum accessit. Ex quo bene colligit Gelasius Papa in epist. 13. ad Dardaniæ Episcopos, to. 2. Concil. *Vniuscuiusque Synodi constitutum, quod vniuersalis Ecclesiæ probauit assensus, non aliquam magis exequi Sedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Synodum sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit.* Quamobrem etiam hodie Tridentini Concilij canones, pro horum temporum disciplina Ecclesiastica salubriter constituti, diligenter obseruari solent ac debent; excepta tamen plenitudine potestatis Papalis, si causa recedendi videatur. Alioquin verò si causa nulla adsit recedendi, aut dispensandi, etiam Summum Pontificem secundùm vim directiuam Eccle-

lis, quasi Rex in regno: Episcopi verò assumuntur in partem solicitudinis, quasi Iudices singulis ciuitatibus præpositi.

4 Id imprimis vetustissima traditio cōfirmat. Tres enim tantùm in primitiua Ecclesia habebantur Sedes Patriarchales, quæ à S. Petro, tanquam summo Ecclesiæ capite, & communi omnium Patre fundatæ; & institutæ erant; Romana, Alexandrina, Antiochena. Quod egregiè magnus Gregorius obseruauit lib. 6. indictione 15. Ep. 37. ad Eulog. Episc. Alexandr. *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in autoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est: Ipse enim sublimauit Sedem, in qua & quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit sedem* (Alexandrinam) *in quam Euangelistam discipulum misit: Ipse firmauit Sedem* (Antiochenam) *in qua septem annis, quamuis discessurus, sedit.*

Quam ob rem Romani Pontifices Græcis constanter se semper opposuerunt, volentibus Sedem Constantinopolitanam, propter Imperatoriæ sedis dignitatem, inter Patriarchales alteram post Romam recensere, sicuti constat ex epist. 53. Leonis Papæ ad Anatolium. Ep. 54. ad Martianum Augustum Ep. 55. ad Pulcheriam Augustam. Item Gelasij I. epist 4. ad Faustum Magistrum, & epist. 13. ad Episc. Dardaniæ. Donec Iustinianus Imperator post annum Christi 500. non secundùm canones (vt ipse ait Constitut. Nouel. 131. c. 2.) sed propria potentia fretus, Constantinopolitanam Ecclesiam inter Patriarchales secundo loco numerari præcepit: Cui deinde Græcorum, Orientaliúmque Imperatorum voluntati Romani Pontifices cesserunt, vt tum Constantinopolitana, tum etiam Hierosolymitana Ecclesię Patriarchalibus annumerarentur, sicuti manifestum est ex can. 21. Concil. VIII. Oecumen. & cap. 5. Concil. 4. Lateranensis sub Innoc. III. Vide c. antiqua de Priuil. & Seuerinum Binium in notis Conc. Nic. can. 7. §. Quia consuetudo. Bellarm. lib. 1. de Pontif. cap. 24.

Porrò, cùm sedium Patriarchalium institutio atque diuisio à S. Petro manauerit, cum subiectione erga ipsum, eiúsque successores Summos Pontifices; Patriarchalibus autem sedibus reliquæ inferiores Ecclesiæ subordinatæ fuerint, sicuti constat ex can. 6. Nicæni Concilij; apparet hinc recta Ecclesiastici regiminis à Summo capite per reliquas partes diffusio & subordinatio. Quò respexisse videtur Damasus Papa, cùm in Epist. Synodali ad Episcopos Africæ, & Innoc. 1. epist. 2. ad Victricium dixerunt; *Per Apostolum Petrum & Apostolatus, & Episcopatus in Christo cæpisse exordium.* Et idem Innoc. Epist. 26. ad Concil. Mileuitanum, *Quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris auctorem, referre debere (veluti nunc retulit vestra dilectio) quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse.* Hinc egregiè etiam S. Irenæus scripsit lib. 3. contra hæreses, c. 3. *Ad hanc enim Ecclesiam,* (Romanam) *propter potentiorem eius principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndique fideles.*

5 Profectò perpetua Ecclesię praxis atque traditio declarat, ad Romanum Pontificem pertinere electos Episcopos confirmare, eosdem exigentibus causis deponere; eorum iurisdictionem cùm locorum spatijs, tum causarum qualitate definire; ab ipsorum iurisdictione aliquos eximere; subiectorum verò appellationem admittere. Quæ omnia arguunt, iurisdictionem non à Christo diuino iure, sed proximè à Papa humano iure ipsis competere. Lege S. Bern. epist. 131. ad Mediolanenses, & Nauar. cōment. de Spolijs clericorum, §. 3. qui ex tradita doctrina resoluit: Si Summus Pontifex sine iusta causa ab Episcopis, aliisque beneficiatis beneficia auferat, licet peccet: tamen beneficia vacare, & ab altero impetrari ac retineri posse, sine restituendi obligatione.

Obijci verò potest primò, Dictum illud Anacleti Papæ epist. 2. decret. *Episcopos in Apostolorum locum successisse.* Quod & Florentinum Conc. in instruct. Armenorum. & Tridentinum sess. 23. c. 4. asserit. Ergò sicuti Apostoli, ita & Episcopi à Christo iurisdictionem accipiunt. Respondeo, Dictum illud non posse intelligi secundùm proprietatem: Neque enim Episcopi nunc sunt Apostoli: alioquin fateri deberemus, eorum iurisdictionem toto terrarum orbe se extendere; habere etiam eos potestatem Ecclesias fundandi, & alia Apostolica munera obeundi. Sed intelligi debet primò, secundùm similitudinem ac proportionem: quòd sicuti primi sub Christo in terris viuenti fuerunt Apostoli duodecim, deinde septuaginta duo discipuli: ita nunc primi sub Romano Papa sint Episcopi: postea Presbyteri ac Diaconi. Secundò, succedunt Episcopi Apostolis ratione Episcopalis Ordinis: quanquam non solis Apostolis, sed etiam Timotheo, Tito, aliísque primis Ecclesiarum Episcopis, qui Apostoli non fuerunt. Tertiò, Aliqui Episcopi, v. g. Hierosolymitanus, Ephesinus successerunt Apostolis Ioanni, Iacobo in particularibus Ecclesijs, ad quas illi primitus ordinati fuerunt: non item in Apostolatu & iurisdictione vniuersali, quo pacto soli Petro ex Christi institutione succeditur. Quod egregiè indicauit Leo Papa 1. epist. 87. ad Viennenses; *Muneri huius* (Euangelicæ prædicationis) *sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolo omnium summo principaliter collocaret: vt ab ipso quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet.* refertur in c. ita Dominus, d. 19.

Obijci potest secundò, Quòd ordinatio Episcoporum, secundùm antiquos canones, non à Romano Pontifice; sed ad testimonium, populi electionem Cleri: à Prouinciæ Episcopis, cùm autoritate Metropolitani siue Primatis, fieri debebat, sicut constat ex c. 6. Nicæni Concilij, Arelat. 2. c. 6. Carthag. 2. c. 12. Carthag. 4. c. 1. ex ep. Synodali Romani Concilij sub Siricio Papa, c. 1, & Concil. Tauritanensi sub eodem Siricio, cap. 1. & pluribus, quæ congerit Gratianus d. 63. Respondet Suar. cap. 4. n. 25. consensisse Romanos Pontifices, vt in Asia, aliisque remotioribus regionibus, à Comprouincialibus, ipsóque præsertim Primate, singularum Ecclesiarum Episcopi crearentur. Addere non possumus cum Baronio tom. 6. An. Christi 482. nihilominus morem antiquissimū fuisse, vt ad Romanum Pontificem referretur, quinam etiam in Orientalibus regionis Episcopi, præsertim Patriarchæ, canonicè electi essent: cuius rei luculentus testis est Simplicius Papa in epist. 14. ad Acacium, & epist. 17. ad eundem: *Alexandrinæ Sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem quondam & Coepiscopum nostrum obijsse Timotheum; inque eius vicem, consona fidelium voluntate, Ioannem, cui ad Sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum: & nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quòd Catholicus in defuncti ministerium successisset Antistes, Apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem. Cùm ecce secundùm consuetudinem mihi talia disponenti, tranquillissimi Principis* (Zenonis) *scripta sunt reddita, quibus memoratum tanquam periurij reū, sacerdotio perhiberet indignum, illicò retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam.* Vide plura de Episcoporum confirmatione apud Gregor. I. in c. quantò, d. 63. ex lib. 2. indict. 11. epist. 30. *Quantò Apostolica Sedes, Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesiis; tantò inter multiplices curas & illa nos valde solicitat: vbi ad cōsecrandū Antistitem nostrum expectatur arbitrium.* Et infrà: *Tunc eum* (Constantium à Clero Mediolanensi electum) *à proprijs Episcopis, sicut antiquitatis mos exigit, cum nostræ autoritatis assensu, solatiante & auxiliante Domino facias consecrari: quatenus huiusmodi seruata consuetudine, & Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, & à se concessa aliis sua iura non minuat.* Vide etiam c. Salonitanæ, eod. d. & ca. pastoralis, 7. q. 1.

Ex

Ex his omnibus colligo, dictum Canonist. *Quòd potest Papa in tota Ecclesia, id etiam potest Episcopus in sua diœcesi*, intelligendum esse I. cum dependentia & subordinatione ad Papam, tanquam Superiorem, iuxta cap. qui se scit, & seqq. 2. q. 6. II. De communi & ordinaria gubernatione, exclusis causis maioribus, & ad primum gradum meri imperij pertinentibus, quæ summæ Sedi in signum specialis priuilegij reseruata sunt, iuxta c. 1. & 2. de translat. Episcopi, c. translationem, de offic. Legati, c. maiores, de Baptismo, c. quamuis, 3. quæst. 6. & testantur Damasus Papa in epist. 4. Zosimus in epist. 5. ad Episc. Galliæ, & Ægyptij Episcopi in epist. ad Felicem II. Huc pertinet v. g. dispensatio in impedimentis matrimonij: dispositio vel translatio Episcopi: diœcesium diuisio, mutatio. III. Vt nihil contra vniuersales Ecclesiæ leges vel consuetudines Episcopus decernat: quamuis secularibus Ducibus sæpe concessum sit contra legem Imperatoriam statuere, cuius discriminis rationem videre potes apud Abb. c. vlt. de consuet. num. 9. Anton. de Butrio in c. 1. num. 3. de translat. Episc. IV. Episcopi, atque alij Papâ inferiores non possunt statuere, aut priuilegia dare cum præiudicio aut diminutione iuris aliorum: Quia *solius supremi principis est*, per plenitudinem potestatis, postulante causa publica, *vni auferre, & alteri dare*, ait Glos. in ca. constitutus, ver. à quocunque, de relig. domibus. Et Abb. in c. vestra, not. 1. de locato, ait, Quòd Episcopus non possit facere statutum in præiudicium iuris inferiorum Ecclesiarum, causa maxima non vrgente: Nam tali casu cùm consentire, boni publici causa, teneantur, etiam ipsis nolentibus procedi poterit. Plura de potestate Episcopi vide apud Syl. ver. Episcopus, §. 7. & 10. Henriq. lib. 10. capite vlt.

6 Tertiò obijci potest, Quòd in Concilio Carthag. VI. cui etiam S. Augustinus interfuit, Romano Pontifici ius appellationis ex Africa suscipiendæ in dubium reuocatū, aut omnino negatum fuisse videtur, Respondeo, Quòd Episcopi Africani Romani Pontificis supremam, & vniuersalem super alias Ecclesias iurisdictionem agnouerint, constat primò ex epist. Synodica trium Conciliorum Africanæ prouinciæ, sub Stephano Carthaginensi Archiepiscopo, scripta ad Damasum Papam, vbi Illum *summum omnium Præsulum Pontificem, Apostolico culmine sublimatum*, appellant. *Notum vestræ facimus beatitudini, quòd quidam fratres in confinio nostro positi, quosdam fratres nostros, venerabiles videlicet Episcopos, vobis inconsultis, à proprio deiiciunt gradu, vel deiicere moliuntur: cùm vestræ Sedi Episcoporum iudicia & summorum finem Ecclesiasticorū negotiorum, in honorem Beatissimi Petri, Patrum decreta omnium cunctam reseruauere sententiam.* Et paulò post: *Antiquis enim regulis sancitum est, vt quidquid horum, quamuis in longinquo positis ageretur prouinciis: non priùs tractandum, vel accipiendum sit, nisi ad notitiam almæ Sedis vestræ fuisset deductum, vt eius autoritate, iuxta quod fuisset pronunciatum firmaretur.* Secundò, Ex causa Pelagij & Cœlestij hæreticorum, liberum hominis arbitrium nimis extollentium, quam Episcopi Africani non nisi Sedis Apostolicæ autoritate diiudicandam ac damnandam censuerunt, vti constat ex S. Aug. l. 2. aduersus Pelagium, cap. 7. epist. 106. ad Bonifacium Pap. epist. 2. de verbis Apostoli in fine, *De hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: error vtinam aliquando finiatur.* Item ex epist. Synodica Carthaginensi ad Innocent. I. quæ est apud August. 90. & Synodica Mileuitana, quæ est apud August. 92. Vbi rogant Innocentium Papam, vt in *Magnis periculis infirmorum membrorum pastoralem diligentiam adhibere dignetur.* Tertiò, Ex commonitorio prolato à Legatis Sedis Apostolicæ in eadem 6. Synodo Carthaginensi, vbi præter causam appellationis, alia puncta continebantur: puta *Ne ad comitatum* Cæsaris *Episcopi importunè nauigent*: quod ante etiam ab Innocēt. I. scriptum & mandatum erat Africanis: idque illi acceptarunt & obtemperarunt, vt non Episcopus, sed duo Clerici ad aulam Imperatoriam mitterentur, in Concil. Africano sub Stilicone & Arsenio Consulibus. Et iterum in Concil. Africano sub Zosimo Papa statutum fuit, *vt pergentes Episcopi ad comitatum, causam suam vel Carthaginensi, vel Romano Pontifici insinuare procurent.* Item *de Vrbano Episcopo excommunicando, Vel etiam Romam vocando, nisi ea, quæ videbantur corrigenda, corrigeret*: ad quod Patres Africani rescripserunt in epistola ad Bonifacium: *Coepiscopus noster Vrbanus, quod in eo corrigendum visum est, correxit.*

Quod verò ad appellationem attinet, eam absolutè non negârunt Africani Patres Sedi Apostolicæ; sed tantùm modum procedendi, & exequendi, missis à latere Presbyteris cum militari manu, ex quo multa incommoda sequebantur, sicuti conqueritur S. Aug. epist. 162. ad Cœlestium, scribens in causa Antonij Episcopi à Concilio Africano Romam appellantis: *Subueni hominibus opem tuam in Christi misericordia multò auidiùs, quàm ille* Antonius, *poscentibus, à cuius inquietudine liberari desiderant. Iudicia quippe illis, & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executuros Apostolicæ Sedis sententiam, siue ipse, siue rumores creberrimi minantur.* Similia indicant vniuersi Episcopi Africani in epistol. Synodica ad Bonif. Pap. & in altera epist. ad Cœlest. Pap. vbi deprecantur, ne Episcopos in Africa excommunicatos, Romanus Pontifex faciliùs, præpropere, indebitè recipere, & communioni restituere velit. Interim verò, propter incommoda quæ consequi solent, si iudicium in causa Episcopi Romam aduocetur; si propterea quòd multæ personæ tanquam testes necessariò adesse debeant, quæ tamen ob sexus ætatis infirmitatem, aliáque impedimenta Romam nauigare non possint) putarunt consultius fore, vt iudicia vbi cœpta fuerunt, ibi etiam finiantur. quod etiam S. Cyprianus ob eadem incommoda fieri optabat, scribens ad Cornelium Papam in causa Fortunati & Felicissimi, *vt vniuscuiusque causa illic audiatur vbi est crimen admissum*: quia ita statutum legimus in Concil. Nicæno, can. 5. Sed hunc canonem bene explicârunt Fabianus Papa in epist. 3. *Peregrina iudicia, salua in omnibus Apostolica auctoritate, generali sanctione prohibemus, quia indignum est ab exteris vt iudicetur, qui prouinciales, & à se electos debet habere iudices: nisi fuerit appellatum*, videlicet ad Sedem Apostolicam. Et Stephanus Papa epist. 2. *Vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur: sed omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à Comprouincialibus terminetur, nisi ad Apostolicam Sedem fuerit appellatum.* Quamuis autem de appellatione Episcoporum ad Sedem Rom. in XX. qui nunc extant, capitulis Niceni Concilij nihil expresse reperiatur; tamen constat, multò plures canones, qui temporum iniurijs perierunt, editos fuisse, vti apparet ex scriptis ab Eusebio lib. 3. de vita Constantini, Ambros. lib. 10. epistol. 82. S. Hieron. præfat. in Iudith, S. Athanas. Apol. 2. de fuga sua, Concil. Carthag. 3. cap. 48. Arelaten. 2. c. 24. S. August. epist. 110. vbi ait, *Adhuc in corpore posito B. memoriæ Patre Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, & sedi cum illo. quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat*: id verò decretum in Niceno, quod hodie extat, Concilio non reperitur. Etenim Concilij Niceni magnum codicem fuisse, ab Orientalibus se intellexisse, testatur Isidorus præfat. in collect. canonum. Atque illum ipsum canonem in magna Nicæno Synodo concorditer roboratum esse à Patribus, ne quisquam Episcoporum absque Rom. Pontificis autoritate damnaretur, testantur Episcopi Ægyptij in epist. ad Felicem II. Eiusdémque canonis meminit Theodor. lib. 2. c. 4. *Ille* Iulius Papa *Ecclesiæ canonem secutus, eos* Eusebianos Athanasij accusatores & damnatores: *iussit Romam venire: & diuinum Athanasium, quò pro se in iudicio ipse respondet, vocauit.* Et Sozomenus lib. 3.

c. 7. Quod idem Iulius, *cùm propter Sedis dignitatem cura ad eum pertineret*, Athanasio Alexandrino, Paulo Constantinopolitano, Marcello Ancyrano *suas Ecclesias restituit*. Similis fuit causa S. Chrysost. ab Innoc. I. defensi, de qua re videri potest epist. Honorij Imper. ad Arcadium, post epist. 31. Innoc. t. 1. Concil. Binij. Et Theodoreti ad Leonem I. appellantis, vti apparet ex epist. Theodoreti ad eund. *Ego Apostolica vestræ Sedis expecto sententiã: & supplico, & obsecro vestram sanctitatem, vt mihi opem ferat iustum vestrum & rectum appellanti iudicium, & iubeat ad vos occurrere, & ostendere meam doctrinam, vestigia Apostolica sequentem.* Sed esto, in Nicæna Synodo nullũ de hac re canonem editum fuisse; extat tamen Canon 4. & 5. Concilij Sardicensis œcumenici de appellatione Episcoporum ad Sedem Romanam permittenda. Et valde credibile est, hunc ipsum canonem Sardicensem Romanos legatos ex suo commonitorio in Concil. VI. Carthag. recitasse: quòd autem Nicænum appellârint, mirum videri non debet: cùm concilium illud, ad eundem finem refutandæ hæresis Arianæ institutum, cum Nicæno veluti vnum in Ecclesijs habitum fuerit.

Non rectè autem Patres Africani inferunt in epist. ad Cœlestinum: Si in Concilio generali decretum fuit expedire, vt Clerici inferiores Episcopo, ipsique laici querelas suas & appellationes deferant ad Metropolitanum, vel Concilium Prouinciale, (sicuti re vera ita statutum legimus in can. 14. Concil. Sardicensis: idque non immeritò, vt debita in Ecclesia Christi subordinatio seruaretur) non rectè, inquam, hinc inferunt, etiam expedire vt causæ Episcoporum apud Metropolitanum decidantur. Quandoquidem Episcopi condemnatio ex grauioribus causis est, quæ semper Sedi Apostolicæ reseruatæ sunt, vti bene notauit Steph. Pap. in cit. epist. 2. & testantur Ægyptij in ci. epist. *Canonibus iubentibus*, inquiunt, *absque Romano nos de maioribus causis nihil debere decernere Pontifice.* Cæterum tametsi aliquando ita visum fuit Patribus, vt causę quædam, v. g. minorum clericorum, extra prouinciam ordinariè non pertrahantur; nihil tamen ea re Sedis Apostolicæ supremæ iurisdictioni derogatum fuisse constat. Quẽadmodum nec Imperiali potestati supremæ quidquam derogatum censetur. quòd Duces v. g. Imperij priuilegium habent, vt in causis criminalib. ab eorum sententiis nulla appellatio recipi possit. Quandoquidem expedit in hoc appellandi genere modum constitui, ne quibuslibet perditis hominibus iudiciorum processum effugere liceat.

Non possum autem hoc loco prætermittere insignem calumniam, qua Patres Africanos, de hac ipsa re disputans Iacob. Hailprunner, Prædicans Lutheranus, affecit tom. 1. refutat. Papatus Catholici, c. 1. fol. 51. col. 2. Quòd dicti Patres in Synodica sua epistola ad Bonifacium Papam, antecessorem eius Zosimum malo encomio, & titulo non beatæ memoriæ *Vnseeliger Sedachtnuß*; prosequi sit: quod signum esse debeat, erga Sedem Apostolicam benè affectos non fuisse. Verba Concilij sunt hæc: *Quoniam Domino placuit, vt de his quæ nobiscum egerunt sancti fratres nostri, Coepiscopus Faustinus, & compresbyteri Philippus & Asellus, non beatæ memoriæ Episcopo Zosimo, à quo ad nos mandata & litteras attulerunt: sed tuæ venerationi, quæ in locũ eius successit, humilitas nostra rescriberet: ea breuiter insinuare debemus, quæ vtrorumque concordia terminata sunt.* Quæso te, attende, quantopere Pseudoeuangelici isti ministri Romani Pontificis concepto odio, se suósque deludi ac dementari patiantur. Si aliquis Doctor Catholicus tale crimen falsi publicaret, quantæ apud Aduersarios querimoniæ in omnibus pulpitis personarent? nunc verò quando ipsi falsationibus se defendunt, nemo miratur: quia quæ rara sunt mirari solemus, non quæ frequentia.

§. III.

De iurisdictione metropolitani & Archiepiscopi.

SVMMARIVM.

7 *Metropolitanus est ordinarius Superior Coepiscoporum prouinciæ: tamen in causis criminalibus, quæ depositionem merentur, contra aliquem eorum procedere non debet, sine Sedis Apostolicæ autoritate.*

8 *Metropolitanus in subditos Coepiscoporum nullam ordinariè iurisdictionem obtinet, nisi ad ipsum ab Episcopo suo appellãrint.*

Metropolitanus, antequam pallium à Sede Apostolica accepit, quæ sunt ordinis Episcopalis, exercere ipsemet non debet.

QVod ad Metropolitanum attinet, (qui & Archiepiscopus dicitur, postquam à Sede Apostolica pallium accepit, cap. nisi de autoritate & vsu pallij) is ordinarius Superior est Suffraganeorum; siue Coepiscoporũ prouinciæ, vt ijs præcipere, eosdémque negligentes ad officium compellere possit, sicut colligitur ex cap. sollicitudinem, de appellat. c. 1. 2. & seqq. causa 9. q. 3. c. cognouimus, 10. quæst. 3. & docet Glossa in c. pastoralis, ibid. Abb. num. 1. de officio Ordin. In causis tamen criminalibus maioribus ac depositionem merentibus, re cum prouincialibus Episcopis cognita, ad sententiam definitiuam aduersus Episcopum procedi non potest, sine Sedis Apostolicæ autoritate, sicuti constat ex cap. 2. de translat. Ep. & cap. 5. & seqq. 3. quæst. 6. & tradit Abb. in cit. c. 2. Imò Nauar. libro 2. consil. 2. de foro compet. edit. 2. obseruat, iure nouo non solùm condemnationem contra Episcopum; sed etiam cognitionem ac processum in criminibus, quæ dispositionem vel priuationem merentur, soli Papæ reseruatum esse, & inferioribus interdictum, arg. c. inquisitores, de hæret. in 6. iunct. Gl. ver. Apostolicæ. Quod & Trident. Concilium clarè exprimit sess. 24. c. 5. de reform. vbi in fine adijcit: *Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm prouinciali cognoscantur & terminentur, vel à deputatis per Concilium prouinciale.* 7

Cæterùm in Coepiscoporum subditos Archiepiscopus iurisdictionem non obtinet, sicut constat ex cap. nullus Primas, c. conquestus. 9. quæst. 3. & cap. 1. de offic. Legati, c. duo simul, de officio Ordinarij. Quare ait Abb. in c. cùm ad quorundam, num. 4. de excess. Prælatorum, quòd Archiepiscopus seu Metropolitanus nihil possit in diœcesi Suffraganeorum, nisi in casibus iure expressis. Casus autem hi sunt: Primus, si ab Episcopo ad ipsum appellatum sit, iuxta cit. c. conquestus, iuncta Gl. & capite peruenit, 11. q. 1. & cit. c. duo simul, & c. 1. de offic. Legati. Non tamen ob solam negligentiam Episcopi, nulla interposita à partibus appellatione, ad Episcopum deuoluitur iurisdictio, secundùm Abb. in cit. c. duo simul, & ca. pastoralis, de offic. Ordin. & in c. nullus, num. 2. de iure patron. vbi rectè ait; Si Episcopus requisitus in aliqua re consensum sine rationabili causa denegat, posse adiri Archiepiscopum; non vt ipse consensum suppleat, sed vt Episcopum compellat ad consentiendum. 8

Secundò, dum prouinciam visitat (quod liberè facere potest communi iure, etsi nulla Episcopi negligentia intercedat: sed cum limitatione Trident. Concil. sess. 24. c. 3. de reform.) Prouincialium confessiones audire potest, iuxta c. vlt. de cens. in 6. Iubere item crucem ante se ferri, & populo benedicere, etiam in locis prouinciæ alioquin exemptis, iuxta Clement. Archiepiscopo, de Priuileg. Tertiò, Indulgentias intra suam prouinciam concedere, iuxta limitationem Concilij Lateranensis, Archiepiscopo absolutè permissum est in c. nostro, de pœnit.

8 Porrò,

Porrò, si Archiepiscopus Prouincialia statuta condere
8 velit, Episcoporum Synodum eius rei causa cogere debet, in eáque præsidere tanquam Decanus in Capitulo; sicut constat ex c. nullus Primas, & aliis 9 q. 3. Quod verò in Prouinciali Synodo decretum fuerit, reuocare, immutare, in eóve dispensare nequit: cùm sit inferior Synodo, siue Concilio Episcoporum, à quibus & iudicari potest, sicuti resoluit Nau.lib.1. cons.6. de maior. & obed.edit.2. Sanch.lib.8. de matrim. disp.17. n.36. Suar. l.6.de leg.c.15.

Illud ad extremum monere volo: Metropolitanus, quamprimùm confirmatus est, eá, quæ ad administrationem & ordinariam iurisdictionem pertinent, expedire potest, iuxta c.transmissam, & c.Suffraganeis, vbi id notat Gl.in casu, not. 2. de elect. At verò quæ ordinis Episcopalis sunt, exercere priùs non debet: neque Concilium cogere, donec à Sede Apostolica pallium acceperit: quippe quo plenitudo officii Episcopalis significatur, c. nisi, de auctor.& vsu pallij, iuncto c.quod sicut, §. præterea, de elect.& videri potest Nicol.I. resp.92. ad Bulgaros. Verùm alteri v.g. Suffraganeo suo ordinandi facultatem cõcedere posse videtur: cùm talis demandatio iurisdictionis actus sit: quicquid contradicat Gl.in cit.§. præterea. Porro pallium, quasi singulare priuilegium, personę conceditur; vt eo in certis festis diebus (de quibus Gl.in c.ad honorem, de auctor.& vsu pallij) ipsemet vtatur in Ecclesijs suæ prouinciæ, iuxta cit.c.ad honorem; neque alteri Archiepiscopo commodari possit, sed cum eo mortuus sepeliri debeat, c.ad hoc, eod.tit.

§. IV.

De iurisdictione & potestate Capituli.

SVMMARIVM.

9 *Episcopus sine consilio Capituli statuere non debet, quod alicuius momenti sit.*
Episcopus & Canonici faciunt vnum corpus.
Si consilium alicuius de iure requirendum sit, non idcirco etiam consensus requiritur.
10 *Capitulum sine consensus Episcopi statuere potest in rebus exiguis, & ad ipsum propriè spectantibus.*
11 *Capitulum, ipsique Decanus communi iure nullam iurisdictionem habet in singulos Canonicos, & Ecclesiæ suæ Ministros: sed ipse Episcopus est Ordinarius Iudex, & Pastor totius diœcesis.*
12 *Sede Episcopali vacante, Capitulum exercet omnem iurisdictionem tam voluntariam, quàm contentiosam.*
13 *Beneficia, quæ patronata non sunt: Capitulum sede vacante conferre non potest.*
14 *Capitulũ non succedit in iurisdictione Episcopo delegata: quia censetur electa industria personæ.*
15 *Bona immobilia Ecclesiæ Cathedralis, & mobilia pretiosa, si seruando seruari possunt, vacante sede Episcopali, absque autoritate Romani Pontificis alienari non possunt: quamuis Episcopus, vel similis Prælatus postea electus & confirmatus alienationem ita factam approbare queat.*
16 *Intra annum à die vacationis Capitulum, iure nouo Concilii Tridentini, ordinandi licentiam, vel dimissorias communi iure dare non potest.*
17 *Capitulum sede vacante non potest fructus & commoda Episcopatus distrahere.*

9 SI Episcopum cum Capitulo conferamus, neque ille communi iure, & seclusa contraria consuetudine, sine Capituli consilio statuere aliquid debet, saltem quod maioris momenti sit, iuxta c. nouit, c. quanto, de his quæ fiunt à Prælatis, vbi id docent Canonistæ, nominatim Abb. in c. edoceri, n. 6. & seqq. de rescript. & c. 2. de Instit. num. 3. Efficiunt enim Episcopus & Canonici vnum corpus, cuius ille caput est, hi membra. Si tamen Capitulum sine iusta causa consensum neget, firmum nihilominus erit, quod Episcopus statuerit: cùm non tam consensus, quàm consilium Capituli iura requirant, sicuti notauit Abb. cit. c. nouit, num. 4. c. quanto, n. 4. & in cit. c. cum consuetudinis, n. 5. de Consuet. arg. c. cum olim, de arbitr. vbi Glos. ver. siue discordet, annotauit; Si consilium alicuius de iure requirendum sit, non idcirco etiam consensum exigi. Vide, si placet, Ioachim. Mynsing. cent. 6.obser.46. Sanch.l.5.moral.c.4.n.64.

Excipiuntur tamen causæ, quæ ad Capitulum quoque attinent, vel in eius damnum cedere possunt; in his enim etiam consensus Capituli tanquam collegarum, seu consortium in tali causa exigitur, teste eod. Abb. in cit. c. nouit, & cit. c. cùm consuetudinis, de consuet. Suar. l. 4. c. 5. num. 1.

Multò minùs Capitulum, Episcopo viuente & iurisdictionem tenente, quicquam statuere & iurisdictionem 10
tenente, quicquam statuere vel nouare potest, absque eius voluntate & approbatione; iuxta cit. c. cùm consuetudinis, & ex communi tradit Abb. in c. cùm omnes, n.3. de Constit. Si tamen Episcopus, aliúsque Rector Ecclesiæ seu Prælatus malè administret, Capitulum vel Conuentus potest agere contra illum, & res malè alienatas reuocare, qua de re Abb. in c.edoceri. de rescript. Deinde Capitulum sine Prælati consensu statuere potest in causis exiguis, & ad ipsum propriè spectantibus; puta qua ratione Capitulum congregandum sit, distributiones vel reditus diuidendi, arg. cit. c. cùm omnes, & docet Innoc. c.cùm consuetudinis, Abb.ibid.n.4. & in c.1. n.14. de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & in c.vlt. eod.tit. vbi admonet, ad eiusmodi statuta sufficere consensum maioris partis, etiamsi statuatur de reditib. spectantibus ad singulos, iure tamen Collegij siue Capituli: dummodo in hoc casu ratio necessitatis vel magnæ vtilitatis vrgeat: Nã alioquin quod omnes tangit, ab omnib. approbari debet, reg. 29. in 6. Idq; etiam in Eccles. Collegiatis locũ habet, sicuti monet Tir. tr. de iudicijs in rebus exiguis, n.40. Abb. in cit. c. cùm consuetudinis, & in c.cùm omnes. n. 4. vbi respondet. Ecclesiam inferiorem posse statuere sine Episcopo in rebus exiguis; non in grauibus cùm Episcopus sit generalis sponsus Ecclesiarum suæ diœcesis.

Hinc collige I. In statutis diœcesalibus condendis plùs autoritatis Episcopum habere, quàm Capitulum. Nam ille propriè est legislator; licet Capitulares adhibendi sint tanquam Consiliarij, vel consortes; nisi consuetudine aliud receptum sit.

Collige II. Quòd Capitulũ, ipséque Decanus communi iure nullam iurisdictionem in ciuilibus, aut criminali- 11
bus causis obtineat in singulos Canonicos, & Ecclesiæ ministros; sed interdũ consuetudine, aut præscriptione comparatã, sicuti notat Ab. c.2. de his, quæ fiunt à maiore parte Capituli, n.3. & c.cùm contingat, de foro cõpet. nu. 12. Ioan. Selua de benef. p.3. q.11. n. 13. Staphileus de gratijs expectat. n.14. De modo & forma impetrãdi. Ratio autem huius est: Quia cùm Episcopus ordinarius Iudex & Pastor sit totius diœcesis, procedere potest, spectato communi iure, cõtra omnes clericos, quamuis inferiori Prælato non excepto subiecti sint, sicuti notat Ab. in c.conquerente, n.2. §. septimò, de foro cõpet. & in c. pastoralis, n.6. & 7. eod. ti.

Cæterùm, sede vacante, Capitulum exercet omnem iu- 12
risdictionem Episcopalem tam voluntariam quàm contentiosam, iuxta c.his quæ, & c.cùm olim, de maior. & ob. c. vn. eod. in 6 c. si Episc. de suppl. negl. Prælat. in 6. iunct. Gl. ver. spiritualiũ, & docet Na. l.1. con. 44. de tẽ. or. edit. 2. Sua. t. 5. dis. 50. s. 6. n. 6. Mol. tr. 5. dis. 12. Garcias de benef. p. 5. c. 7. n. 2. Quamobrem solet interdum Capitulum, sede vacante, communi consensu condere statuta pro Ecclesię reformatione, quas *recapitulationes* vocant, & vim legis obtinent, si sacris canonibus non repugnent.

Porrò exceptiones aliquæ sunt: I. quòd beneficia, quę 13
patronata non sunt, Capitulum, sede vacante, conferre non potest, iuxta c. 2. Ne sede vacante, & c. vn. eod. in 6. c. 1. de Instit. in 6. Potest tamen Capitulum beneficia concedere

in commendam ad sex menses; & si interim Episcopus non eligatur & confirmetur, tempus prorogare, teste Rebuffo in praxi beneficiorum, p. 1. tit. de reuolut. n. 77. Petr. Tolos. l. 17. c. 15. n. 37. Syntag. Præterea, si libera collatio beneficiorum ad Episcopum & Capitulum communiter pertinet, possunt ea sede vacante à Capitulo conferri, iuxta c. vn. Ne sede vacante, in 6.

II. Quòd Capitulum vacante sede non succedit in
14 iurisdictione Episcopo delegata: quia censetur electa industria personæ, sicuti ex communi docet Abb. c. cùm olim, dub. 5. de maior. & obed. Garc. p. 5. c. 7. n. 42. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 2. n. 10. vbi aiunt, idem dicendum, si delegatio à iure seu canone fiat Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicæ, ratione dignitatis suæ, quæ non transit ad capitulum: & in c. verùm, n. 9. de foro compet. & cap. at si clerici, §. de adult. n. 7. generalem regulam tradit idem Panor. Quòd Capitulum sede vacante succedit in iurisdictione, quæ competit Episcopo iure communi & ordinario; non item in ea, quæ speciali iure, & in c. his quæ, num. 3. de maior. Quotiescunque potestas Prælato competit ratione Prælaturæ, eo mortuo transit ad Capitulum, ijs exceptis, quæ sede vacante expediri non possunt.

15 III. Bona immobilia Ecclesiæ Cathedralis; item mobilia, quæ seruanda seruari possunt, sine sedis Apostolicæ autoritate, alienari nequeunt, iuxta c. hæc huius. 12. q. 2. & tradunt Abb. & DD. alij in c. 1. Ne sede vacante, arg. c. vlt. de suppl. negl. Prelat. Nam Ecclesia tunc defensore suo carere censetur, sicuti constat ex c. 1. & vlt. Ne sede vacante. Quapropter neque causa iudicialis agitari, neque præscriptio contra Ecclesiam, vacante sede, procedere solet, sicuti docet Abb. in c. 1. n. 4. de præscript. Molin. tr. 2. disp. 78. & tr. 5. disp. 11. de iust. Eritque postea in arbitrio electi confirmatique Episcopi positum, contractus & alienationes à Capitulo, extra necessitatis casum, & sine Papæ autoritate institutas, vel infirmare; vel si in Ecclesiæ suæ vtilitatem cedere videantur, confirmare, sicuti colligitur ex c. si qua de rebus, 12. q. 2. & ex communi docet Abb. cit. c. 1. Ne sede vacante, & in c. edoceri, n. 12. de rescriptis, vbi generaliter ait; Quòd Prælatus alienationem à Capitulo sine sua autoritate, ideóque illegitimè factam, postea ratam habere possit, si Ecclesiæ vtilem intelligat; sicuti & vice versa, Capitulum alienationem à Prælato sine suo consensu factam, postea approbare & ratificare, sicuti docet idem Abb. in c. 1. n. 6. de his, quæ fiunt à Prælato, &c. Potest tamen Capitulum, vacante sede, alienationes ab inferiore Ecclesia faciendas confirmare, teste Abb. c. cùm olim. dub. 3. de maior.

16 IV. Infra annum à die vacationis, Capitulum ordinandi licentiam, aut dimissorias literas dare non potest: præterquam ei, qui ecclesiastici beneficij recepti, aut recipiendi occasione arctatus est: Et Capitulum, si contraueniat, Ecclesiastico subiacet interdicto, vbi Trident. constitutio sess. 7. c. 10. de reform. recepta est: Iure autem antiquo Capitulum vacante sede concedere poterat ordinandi licentiam, c. cùm nullus, de temp. ordin. in 6.

17 Denique ad Capitulum non pertinet, vacante sede, merè voluntarias gratias, siue donationes sine debito necessitatis conferre, aut fructus & commoda Episcopatus distrahere, sicut notat Gl. recepta in c. 1. de instit.

§. V.

De iurisdictione vicarij generalis.

SVMMARIVM.

18 Generalis Vicarius Episcopi ex eodem, cuius vicem gerit, tribunali iurisdictionem ordinariam exercet in diœcesanos.
A generali Vicario ad Episcopum appellari non potest: quia appellatio est ad Iudicem diuersum.
19 Mortuo, vel deposito Episcopo, iurisdictio Vicarij generalis expirat.
Per Episcopi autem excommunicationem, suspenditur etiam iurisdictio Vicarij.
20 Officium Viceprioris, Vicequardiani: quin & quorundam Vicariorum forensium, mortuo vel deposito principali, non expirat.

Generalis Vicarius Episcopi, alteriúsve Prælati Episcopalem iurisdictionem habentis, ex iuris disposi- 18
tione constituendus est in subsidium Episcopi: quare nisi ab Episcopo constituatur, ad Archiepiscopum pertinet prouidere, sicuti colligitur ex c. cùm simus, 9. q. 3. & docet Abb. in c. quoniam, num. 3. de offic. Ordinarij. Est autem talis Vicarius iudex Ordinarius subditorum Diœcesis; sed ex eodem, cuius vicem gerit, tribunali iurisdictionem exercens, sicuti constat ex c. Romana, de appell. in 6. & c. 2. de consuetud. in 6.

Hinc infertur primò, Quòd Diœcesanorum omnium confessiones audire, eorúmque matrimonijs validè assistere, atque eiusmodi facultates etiam alijs Sacerdotibus delegare possit, vti docet Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 29. item in foro externo contentiosas causas cognoscere, præcipere, iudicare, atque etiam excõmunicare, teste Suar. de censuris disp. 20. sect. Sanchez l. c. est enim Ordinarius, & parochorum Superior, Episcopi personam repræsentans, c. 2. de Consuet. in 6. Quare parum mihi hodie eius officium differre videtur ab officio Archidiaconi, qui sub Episcopo constitutus tanquã manus & oculus eius, totius clericuram gerere debet, vt ei etiam Archipresbyteri siue Presbyterorum Decani subesse cogantur, sicut constat ex l. 1. decret. de offic. Archidiaconi.

Infertur secundò, Quòd nulla consuetudine obtineri possit, vt à generali Vicario ad Episcopum appelletur, cit. c. 2. iunct. Glossa ver. Officiali. Quia *appellatio esse non potest ab eodem ad eũdẽ*, ait Gl. in cit. c. Roman. Alia verò ratio est de Vicarijs non generalibus, & ab Episcopo delegatam iurisdictionem obtinentibus in certa parte diœcesis: qui in Clem. 2. de rescriptis, iunct. Gloss. *foranei*, & *Decani rurales* appellantur: ab his enim ad Ordinarium appellari potest, sicuti notauit Sanchez libro capite numero 9. Nicolaus Garcia parte 5. de benefic. capite 8. numero 26.

Tertiò infertur, Quòd mortuó vel deposito Episcopo 19
Generalis Vicarij iurisdictio statim expirat, licet causa cœpta sit, sicuti docet Couar. in pract. quæst. cap. 4. num. 4. Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 30. Molina tract. 2. disp. 10. n. 2. cum Gl. communiter recepta in Cle. vlt. de Procurator ver. cõtestatã. In eóque differt à delegato, cuius potestas ob mortem delegantis non expirat, quoad negotia cœpta c. gratum, de offic. delegati. Ratio est: Quia, vt suprà dixi, Vicarii Generalis idem est cum Episcopo tribunal; delegati autem diuersum, & inferius.

Quartò sequitur, Post mortem Episcopi, Vicarium generalem denuo confirmandum esse à Capitulo, vt deinceps iurisdictionem exercere possit, sicuti ex communi docet Sanchez cit. disp. 30. num. 2. Differt. autem extinctio iurisdictionis Vicarij, quæ fit per mortem, ab ea, quæ per reuocationẽ facultatis, seu mandati; quòd reuocatio posterior non habeat effectum, nisi fuerit ipsi Vicario legitimè intimata, nomine ipsius Episcopi: Expiratio autẽ iurisdictionis, quæ fit per mortem, aut depositionem Episcopi, ipso iure nititur, ideóque etiam ignorante Vicario: nisi publicus error seu ignorantia comitetur, iuxta l. Barbarius, ff. de offic. Prætor. & ita docet Sanch. cit. disp. 30. Nicol. Garcias p. 5. de benef. c. 8 n. 176.

Quintò, per Episcopi excommunicationem, aut suspensionem suspenditur etiam, non omnino amittitur, iurisdictio Generalis Vicarii, sicuti docent Autores citati, arg. c. 1. de offic. Vicarii in 6. Quare retinet quidem hoc casu officium suum Vicarius; sed ea, quæ iurisdictionis sunt exercere non potest, tametsi causa cœpta fuerit, sicuti ex

ex communi docet Sanchez eadem disp. num. 6. in quo iterum differt à delegato, cuius iurisdictio non cessat ob excommunicationem delegantis, si causa integra non sit. Qua de re vide Abbas in cap. licet vndique, numero 8. de officio delegati, Auilam de censur. p. 2. cap. 6. disput. 6. dub. 4.

Porrò iurisdictio Vicarij generalis communi iure non extendit se ad meras & voluntarias gratias, cuiusmodi sunt collatio beneficiorũ, dispensatio in irregularitatibus ex occulto delicto, denuntiationibus matrimonij, &c. sicuti pluribus allegatis, docet Garc. p. 5. c. 8. n. 46. Verùm tametsi iura decernant, quantum iurisdictionis generali Vicario competat: non tamen prohibentur Episcopi suis Vicarijs tam in foro interno, quàm externo; contentioso ac voluntario, maiorem iurisdictionem tribuere, quàm iure ordinario ipsis competere debeat; sicuti & praxis declarat, ac docet Garcias l. c. n. 62. Sanchez lib. 3. dis. 7. quæst. 3.

20 Notandum verò est ex Nau. comment. 3. de Regul. c. nullam, 18. q. 2. n. 22. §. ad prius, Molina to. 5. disp. 10. nu. 14. Sa ver. Religio, n. 69. Præter propriè dictos Episcoporum, Prælatorum, aliorúmque Præsidum, ac Rectorum Vicarios, qui ab illis constituuntur, vt ipsorum loco iurisdictionem exerceant, ab eisdémque omnino pendent, & plerumque pro arbitrio deponuntur, sicuti notant DD. in l. solent, §. sicuti, ff. de offic. Proconsulis Ab. in Clem. 2. n. 7. de rescript. Rodr. t. 3. Reg. qq. q. 77. a. 2. alios esse minùs propriè dictos Vicarios, qui in subsidiũ Principalis Prælati, Abbatis, Prioris, Rectoris, ex Ordinis constitutione, vel consuetudine, constituuntur, vt proprium atque ordinarium munus exerceant, & appellari solent, v. g. Suppriores, Vicerectores, Vicequardiani: quorum iurisdictio & officium, mortuo, vel deposito principali, non expirat: Quin & Vicarij foranei, seu rurales ita quibusdam locis ab Episcopis constitui solent, vt eorum dignitas, seu beneficium perpetuum sit, & quasi ordinariam iurisdictionem obtineant; ideóque priuari seu deponi non possint, nisi propter delictum graue ac depositione dignum, sicuti notauit Hoieda de incompatib. benef. p. 2. cap. 10. num. 18. & Petr. Gregor. Tholos. lib. 15. Syntag. capite 37. numero 5.

§. VI.

De iurisdictione Legati Apostoli.

SVMMARIVM.

21 *Legatus Apostolicæ Sedis est Ordinarius iudex & quasi Præses prouinciæ, ad quam destinatus est.*

22 *Triplex est legatus sedis Apostolicæ, Vnus à latere, qui à die discessus ab Vrbe, vsque ad diem reditus, absoluere potest omnes percussores clericorum.*

Alius est legatus non à latere, qui solos Prouinciales, dum in Prouincia moratur, à censura canonis absoluit. Alius denique Legatus natus dicitur, cui ratione particularis Ecclesiæ tale munus competit.

23 *Delegatus Papæ in causa sibi commissa maior est alijs Ordinarijs locorum.*

Dum delegatus Papæ visitat, non potest Ordinarius loci id munus obire.

21 Legatus Sedis Apostolicæ Romanæ in prouincia, ad quam destinatus est, ordinarius Iudex & quasi Præses est: sicuti olim Proconsul apud Romanos, quamobrem etiam delegandi potestate præditus est: ipsiúsque potestas morte Papæ legantis non expirat, sicuti habetur in cap. 2. de Offic. Legati in 6. Quin imò Legatus aliquantò maiorem in prouincia, quàm ipse Episcopus, aut Archiepiscopus potestatem habet: quippe cùm ordinarius etiam eorum Iudex sit, teste Abb. c. 1. n. 2. de Offic. Legati, Molina t. 1. tr. 2. disp. 9. num. 5. Causæ tamen Episcoporum grauiores, & quæ depositionem merentur, Summo Pontifici specialiter reseruantur, sicut notat Gl. in cap. si quis autem, d. 94. Præterea subditorum causas Legatus suscipere & cognoscere non debet, post Trident. Concilij constit. sess. 24. c. 20. de reform. Nisi vel per appellationẽ ad ipsum deuoluantur: vel Episcopus eas intra biennium à die motæ litis, definire neg igat.

Triplex est Legatus, vti monet Gl. in c. 1. de offic. Legati, in 6. Abb. in c. ex communicatis, extra, eod. ti. Syl. ver. delegatus q. 11, Vnus à Latere Summi Pontificis, siue R. E. Cardinalis: cui æquiparandus est ille, qui etsi à Latere, siue Cardinalis non sit; cùm potestate tamen Legati à latere missus est. Eius propria quædam priuilegia sunt: I. Quòd à die discessus ab Vrbe, vsque ad diem reditus sui, absoluere possit percussores Clericorum, tam eos, qui de prouincia sunt, quàm qui aliunde accedunt, arg. cit. c. ex cõmunicatis, vbi Gl. & Abb. num. 2. II. Quòd beneficia Ecclesiastica prouinciæ ad quam mittitur conferre possit: quod alijs Legatis siue Nuntijs concessum non est, vt dicam in materia de beneficijs. III. Quòd etiam in exemptos prouinciæ iurisdictionem exercere possit, sicuti colligitur ex c. 1. de ver. signif. in 6. & ex c. si Abbatem, de elem. in 6. in quo dicitur, quòd Legatus à latere Episcoporum, & Abbatum exemptorum electionem confirmare possit; & his in Episcopos electis deferendi monasteriũ suum licentiam dare: quod alijs Legatis communi iure non conuenit. Qua de re Abb. in cit. c. 1. de offic. Legati. Syl. ver. delegatus, q. 13. Mol. tr. 5. disp. 9. Cæterùm, quæ ad primum gradum imperij pertinent, siue quæ Papæ specialiter reseruata esse solent, vti est Episcoporum translatio, diœcesium vnio vel diuisio, dispensationes in matrimonij impedimentis, &c. ea neque Legatis à latere iure communi competunt, sicut constat ex cap. nisi, & cap. quod translationem, de offic. Legati: quare si eiusmodi potestatem sibi à Summo Pontifice specialiter concessam asserant, eius rei fidem per litteras authenticas facere debebunt, vti notat Molina tr. 5. dis. 6. n. 4. Abb. in cit. c. quod translationem, n. vlt. 22

Alij à sede Apostolica ad prouinciam destinati, cum ordinario officio legati, non à latere: solos Prouinciales à censura canonis absoluere possunt, & solùm dum in prouincia morantur, sicuti habetur in suprà cit. c. excommunicatis, vbi videri potest Abb. n. 4. Eò etiam iurisdictione inferiores sunt, quòd, si Legatus à latere in prouinciam superueniat, eorum interim officium & iurisdictio suspensa sit, iuxta c. volentes, de offic. Legati, vbi Gl. ver. de latere nostro.

Deinde ijdem Nuntij Apostolici, & quiuis alij delegati Papæ, in causa illa particulari ipsis commissa maiores sunt, & superiores omnibus Ordinarijs, infra Papam: cùm repræsentent personam Papæ. Quare in ea causa Ordinarij præcipere possunt, & censuris cohibere, si causam delegationis impedire velint, arg. c. sane, de offic. Iudic. delegati, & notat Host. ib. Ab. in c. significasti, n. 5. eod. tit. Enimverò, sicuti Episcop. seu per ipsũ, seu per aliũ à se delegatum causas diœcesanorum cognoscere, loca & personas sibi subditas visitare potest, locorum Parochis etiam in requisitis, ita similiter & Papa, seu per se, seu per aliũ à se delegatum, causas Christianorum cognoscere, loca & personas omnium diœcesium visitare potest, Episcopis antè nõ requisitis: Neque enim potestas superioris dependere debet ab inferiore. Addendũ his est, quòd dũ delegat* Papæ suo munere visitandi, v. g. Monasteria fungitur, non possint Episcopi alijve ordinarij visitationẽ instituere: quia per delegationem censetur ablata iurisdictio Ordinario, vt non possit procedere in causa alteri commissa, sicuti ex cõmuni docet Emman. Rod. t. 2 reg. qq. q. 22. a 8. §. Supradicta. Nisi appareat delegatum contra ordinem iuris ac cõmissionis suæ procedere: tunc enim ipsi resisti potest per modum defensionis: sicut & cuiuis alteri priuato. 23

Denique sunt aliqui legati nati, quibus ratione particularium suarum Ecclesiarum, nomen, munus ac

dignitas Apostolicorum Legatorum perpetuò competit, de quibus mentio fit in capite 1. de offic. Legati, in 6. iun. Gloss.

§. VII.

De iurisdictione cardinalium Ecclesiæ Romanæ.

SVMMARIVM.

24 *Cardinales E. R. quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesia sui tituli.*
25 *Cardinales sede vacante non exercent iurisdictionem in Ecclesiam vniuersalem.*
26 *Cardinales ex Papæ commissione emergentia dubia circa morum reformationem, atque iudiciarias lites decidunt.*

27 Romanæ Ecclesiæ Cardinales ordinariam & quasi Episcopalem iurisdictionem obtinent in Ecclesia sui tituli sicuti constat ex cap. querelam, de elect. c. his quæ, de maior. & obed. vbi id notat Abb. num. 1. Ex præscripta item consuetudine ordinariam iurisdictionem exercent in suos familiares: vt proinde hi de licentia Cardinalis sui cuicunque Confessario exposito confiteri possint, sicuti docet Caiet. ver. absolutio, c. 2. in fine, Henriq. l. 10. c. 27. n. 3. lit. y.

28 Verùm in Ecclesiam vniuersalem iurisdictionem nullam habent Cardinales; etiam vacante sede Papali, sicuti habetur in Clement. ne Romani, de elect. & cap. vbi periculum, de elect. in 6. vbi præcipitur, vt Cardinales, mortuo Summo Pontifice, post decem dies exactos, quàm primùm omni conatu & solicitudine Ecclesię pastorem eligant: & se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi vrgens necessitas incidat, ob quam Ecclesiam ab imminenti grandi periculo defendere necesse sit.

Ex Papę verò cõmissione, emergentibus dubijs circa morum reformationem, & in iudicialibus litibus Concilia, & Pontificia iura interpretantur R. E. Cardinales. Sed vtrum eorum interpretationes siue declarationes vim legis, an solùm sententiæ doctrinalis, vel iudicialis obtineant, pendet quæstio ex mente Summi Pontificis, potestatem ipsis tribuentis. Interim præsumendum non est habere vim legis; præsertim cùm authenticè non promulgentur. Qua de re Sanch. l. 8. de matrim. disp. 2. n. 10. Rodriq. to. 1. qq. regul. q. 11. a. 2.

§. VIII.

De potestate religionum, & Prælatorum regularium.

SVMMARIVM.

27 *In quauis Religione approbata est potestas condendi statuta perpetua, quæ Ordini ac regulæ conformia sunt.*
28 *Prælati Ordinum aliqui exempti sunt à iurisdictione Episcoporum: alii non exempti, qui tamen & ipsi Iudices ordinarij suorum Regularium sunt, saltem in causis pertinentibus ad regularem disciplinam.*
29 *In causis criminalibus, præsertim maioribus & dispositionem merentibus, Regularium non exemptorum iudex ordinarius est Episcopus: qua tamen in re consuetudo locorum attendenda est.*
30 *Ecclesias vnitas Monasterii Regularium exemptorum, si populum habeant in spiritualibus Episcopo subiectum, idem Episcopus visitare potest: non item alias Ecclesias, quæ propriè Regulares spectant.*

29 IN Religionibus à Sede Apostolica approbatis est potestas condendi statuta perpetua, quæ Ordini ac regulæ conformia sunt, sicut docet S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. & q. 186. a. 9. vel quæ ad Ordinis ac regulæ conseruationem, aut reformationem temporis progressu necessaria videntur; etiamsi in regula, quam Regulares promiserunt, expressè non comprehendantur. Est autem talis potestas statuta condendi vel penes supremum Ordinis Prælatum: vel penes Congregationem, vel Capitulum generale, aut Prouinciale, secundùm cuiusque Ordinis regulam, vel consuetudinem. Qua de re Innoc. III. c. in singulis, de statu Monach. Suar. l. 4. de leg. c. 6. n. 21.

Prælati Ordinum alij exempti sunt à iurisdictione Episcoporum: v. g. Prælati Mendicantium, qui proinde summo Pontifici immediatè subiecti, quasi Episcopalem in suos Regulares iurisdictionem habent. Alij sunt Prælati non exempti, qui nihilominus ordinarij Iudices suorum Regularium existunt, saltem in causis pertinentibus ad regularia statuta & disciplinam, arg. c. quantò, de offic. Ordinarij, vbi id notat Abb. n. 5. S. Tho. in 2. d. 44. q. 2. a 3. Nauar. in commentar. 2. de Regul. n. 63. quamobrem illos punire, incarcerare, excommunicare possunt, iuxta c. cum in Ecclesijs, de maior. & obed. & docet Abb. in c. cùm ab Ecclesiarum, n. 10. de offic. Ordin. & cap. cum contingat, n. 21. de foro competente. Gl. & Innocent. in cit. c. quanto, Couar. c. alma p. 1. §. 12. n. 3. Et intellige id priuatiuè, vt Episcopus in tali causa se immiscere non debeat, nisi ob negligentiam Prælati regularis; vel si Regularis à Prælato suo multùm distet, sicuti notat Abb. in cit. c. cùm contingat. n. 14. 30

Sed vtrum in causis criminalibus, puta furti, adulterij, homicidij, &c. Regulares non exempti à Prælato sui Ordinis, ab Episcopo iudicare debeant; non ita constat. Veritati autem consonum est, quod docet Nau. cit. loco, & & lib. 2. de foro compet. consil. 6. edit. 2. Gl. in cit. c. quantò, ver. si Prælati; De iure communi, cognitionem iudicialem eiusmodi criminum ad solum Episcopum pertinere: & consentire videtur Trid. sess. 24. cap. 20. de reform. vbi ait, causas criminales Episcopi tantùm cognitioni & examini relinquendas. De *iure communi*, inquam: Nam de consuetudine testatur idem Nau. se nullum vidisse Monasterium, in quo non Abbas de criminibus suorum Regularium cognoscat, & puniat; etiam in forma iudicij, ait Abbas repetit. c. si quis contra, num. 50. de foro compet. & in c. cùm contingat, num. 33. eod. tit. Exceptis ijs, quæ depositione digna sunt, præsertim notoria & scandalosa: horum enim cognitio Episcopo reseruata esse solet, vti notauit idem Abb. in c. licet, num. 2. de offic. Ordin. & c. cùm contingat, cit. num. 21. de foro compet. Anton. Corneus de absolut. iuram. promissorij, p. 2. q. 4. num. 9. De alijs verò, vt dixi, criminibus iudicare Prælatis Ordinum permissum est, *non priuatiuè sed cumulatiuè*, ait Nau. ll. cc. & consil. 2. de foro cõpet. in 1. edit. id est, vt læsus etiam ius habeat, Regularē, si velit, coram Episcopo accusandi. Quin & Episcopus, proprio motu, inquirere non prohibetur; præsertim si Pręlatus Ordinis negligat, sicuti constat ex cit. c. quantò, vbi Abb. & in c. vlt. num. 1. de statu Monach ait, Quòd *correctio Monachorum primo loco ad Abbatem spectat: defectum verò Abbatis ad Episcopum.* Tamen in his consuetudo attendēda est, quæ iurisdictionē dat & aufert, iuxta c. duo simul, de offic. Ordin. & c. cùm contingat, iun. Gl. ver. consuetudo, & notauit altera Gl. in cit. quantò, ver. si Pręfati Prælati. Profectò constat, Episcopis in Germania maiorem potestatem competere in Monasteria Ordinum non mendicantium, quàm in Italia, Hispania, &c. vbi ferme ab omni Episcoporum iurisdictione exempta sunt. 31

Restat quæstio. Vtrum Episcopus in sua diœcesi visitare possit Ecclesiam, quæ subest Regularibus exemptis? Respon. & Dico I. Ecclesias vnitas Monasterijs, quę populum habent in spiritualibus Episcopo subiectum, idem Episcopus visitare potest, sicut constat ex Trident. sess. 7. c. 7. de reform. & sess. 25. c. 11. de reform. & docet Felicianus Comensis in manuali visitatorum lib. 1. tit. 11. §. item beneficia curata. Ratio est: Quia tales vniones fieri solēt saluo 32

saluo tamen iure Episcopali.

Dico II. Alias Ecclesias, quæ propriè regulares, seu Regularium exemptorum sunt, non potest visitare Episcopus, vt latè ostendit Emanuel Rodriq. t.1. regul. qq. q. 36. art. 3. & Felicianus l. c. tit. 12. Nam visitare est actus iurisdictionis, Superiori competens sicut constat ex cap. 1. de cens. in 6. Ordinarius autem non habet iurisdictioné in exemptos; neque in eorum loca: Sunt enim hæc inter se connexa, & accessorium sequitur Principale. Neque obstat, quòd Ecclesia sit posita in diœcesi Episcopi; nam locus exemptus censetur veluti extra diœcesim. Accedit, quòd si loquamur de Religiosis exemptis, qui in congregationes redacti, Generales Ordinum habent; ab his, eorúmque delegatis ipsorum Ecclesiæ visitari solent ac debent, iuxta Trid. sess. 25. cap. 1. 8. & 20. de Regular. vt proinde ab Episcopis visitari non possint. Siquidem Generalis Ordinis exempti habet in suos Regulares, & loca siue Ecclesias Regularium, iurisdictionem similem Episcopali: iurisdictio autem Ecclesiastica indiuidua est, vt non possit duobus simul competere (Episcopo videl. & Generali) quando vnus alteri subordinatus non est. Quapropter idem Trid. sess. 7. c. 8. de reform. generatim præcipit, vt locorum Ordinarij Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, singulis annis visitent: atqui eiusmodi locorum & Ecclesiarum Ordinum exemptorum Prælati. Nisi dicere malis, Tridentinum ibi loqui de Ecclesijs secularibus, quibus priuilegium obtendebatur, quòd visitari non deberent; visitandos nihilominus esse ab ordinario loci, nihil obstante tali priuilegio. Vide Rodriquez l. c.

CAP. VIII.

De lege, & legislatiua potestate ciuili, siue politica.

SVMMARIVM.

1 *Legum ferendarum potestas hominum naturæ conuenit: Deúmque autorem habet.*

2 *Triplex est forma Reipub. Democratia, Aristocratia, Monarchia.*

3 *Leges ferre possunt imprimis Respublicæ liberæ, deinde cuiusque Reipublicæ supremum caput, Imperator, Rex, & qui ab istis potestatem acceperunt.*

4 *Licet ordinariè nobilitas & dignitas vxoris in maritum non redundet: secus tamen est, si dignitas vxoris maxima sit, puta regnum, vel ducatum possidentis.*

5 *Rex non potest, in præiudicium regni, iurisdictionem, aliáue bona eius alienare.*

6 *Communitates in Republica approbatæ, v. g. Mechanicorum statuta intra limites suos condere possunt: quæ tamen à proprietate publicarum legum nonnihil deficiunt, sicuti & statuta domestica à Patrefam. posita.*

1 CVm homo inter omnia animalia maximè infirmus nascatur, pluribus cùm corporis tum animi sibi debitis ornamentis destitutus; ideo suapte natura sociale animal est: ipsa, inquam, natura & ratio naturalis eum adigit ad vitę societatem, & Respublicas constituendas, sicuti prosequitur Aristot. toto lib. 1. Polit. Auctor l. de amicitia apud S. August. in to. 4. S. Chrys. hom. 34. in Ep. 1. ad Corinth. Porrò eadem quoque ratio naturalis dictat, hominum Societatem siue Rempublicam diu consistere nō posse, nisi publica potestate gubernetur: Nam *Vbi non est gubernator, populus corruet*, ait Sapiens Prouerb. 11. & Arist. 1. Polit. c. 2. *Sicuti perfectione suscepta optimum omniũ animalium est homo: ita si alienus fiat à lege, à iudiciis, pessimum omnium animalium est homo.* Ex quo sequitur, potestatem gubernatricem ac legislatricem in quauis Rep. nō solùm valde conuenientem ac necessariam esse, sed etiam Deum primum autorem habere, teste eod. Salomone Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt.* Et Apost. ad Rom. 13. *Non est potestas nisi à Deo.* Nam qui dat formam, dat etiam ea, quæ necessariò formam consequuntur: Sed, vt dixi, potestas gubernatiua est veluti necessaria proprietas naturæ humanæ, naturali dictamine in vnum coeuntis: Ergo Deus, qui est autor humanæ naturæ, est quoque autor gubernatiuæ siue legislatiuæ inter homines potestatis. Vide Ciceronem in li. de amicitia, Victor. relect. de potestate ciuili, Rodriq. to. 1. regul. qq. q. 17. a. 1. Suar. lib. 3. de leg. c. 1. & seqq. Mol. t. 1. tr. 2. de iust. disp. 27.

Potestas legislatiua, si penes populum communiter maneat, dicitur ea forma Reipub. *Democratia*, quasi multitudinis regimen; eiúsque iura siue leges, *Plebiscita.* Verùm quia, crescente multitudine, plebs siue populus difficilè conuenire cœpit, legis sanciendæ, vel controuersiæ definiendæ causa, sicuti obseruauit Pomponius in l. 2. ff. de orig. iuris, & Iustinianus Instit. de naturali, gentium, & ciuili, §. constat autem: ideo plebs suam potestatem iurisdictionémque, quam communiter possidebat, in paucos prudentes, siue Optimates reiecit: quæ forma Reipub. *Aristocratia* dicitur, quasi Optimorum regimen: eiúsque iura siue leges *Senatusconsulta*, & *Prætoria edicta* appellantur. Sæpe etiam populus omne suum imperium ac potestatem in vnum aliquem Regem, siue Imperatorem contulit: quę Reipub. forma *Monarchia* appellatur; eiúsque iura siue leges, *Principum constitutiones* dicuntur, sicuti constat ex libr. 1. ff. de constit. Principum. 2

Quapropter ciuilem legem condere potest in primis quæuis Respublica libera, & superiorem non agnoscens, v. g. Respub. Veneta, Genuensis, Heluetiorum; siue aristocraticè, siue populariter gubernetur. Ita docent omnes, & colligitur ex l. omnes populi, ff. de iustit. & iure. 3

Secundò cuiusque monarchicæ Reipub. supremum caput, Imperator, Rex, &c. sicut colligitur ex cit. l. 1. ff. de constit. Princip. & docet S. Aug. tr. 6. in Ioan. cap. 1. quod refertur cap. 1. d. 8. Sunt autem duo hîc obseruanda: Primum, Regna & Prouincias, quæ Romano Imperatori subiecta non sunt, Cæsareis legibus minimè adstringi, sicut obseruauit Honorius III. c. super specula, de Priuilegijs. Quare falsa, & iam pridem reiecta est sententia Bartoli in l. hostes, ff. de Captiuis, *Imperatorem esse totius mũdi dominum.* A quo enim tale dominium in aliena regna, etiam Christianorum, accepisset? Cùm Summus Pontifex, à quo dignitas & nomen Imperatorium in Occidente à Græcis ad Francos, & Germanos translatum est) non possit pro arbitrio mutare regna; aut subijcere quæ antè libera erãt, ait Suarez l. 3. c. 7. Quibusdam tamen terris, legis Cæsareæ, vbi propria iura deficiunt, vltro approbatæ & receptæ sunt, ob earum sapientiam & æquitatem. Qua de re vide Suar. eod lib. 3. cap. 8. Vasq. disp. 153. cap. 2. Alterum. Vtrum Reges & supremi Principes propria ac libera voluntate; an solùm in comitijs regni, & cum consilio procerum, leges ferre possint; id pendet ferme ex prima institutione regni, quàm amplam vel restrictam potestatem populus in Regem contulerit: hos enim limites ille transgredi non potest. Qua de re Molina t. 1. de iust. tr. 2. disp. 23.

Tertiò, Romani Imperij Duces, Marchiones, & Comites quidam; item Imperiales ciuitates prouincialia vel municipalia statuta condere possunt per potestatem ipsis ab imperatore communicatam: imò verò Duces Imperij, Marchiones, &c. in quibusdam rebus etiam contra commune ius Cæsarum statuere solent. Qua in re quid cuique permissum sit, & Imperatoris priuilegia, & legitimè præscripta consuetudo spectanda erunt. Vide Abb. cap. quod clericis, num. 45. de foro Compet. Syl. ver. lex, quęst. 4. Rebel. parte 1. de obl.

iust. lib. 1. quæst. 6. sect. 1. Porrò, vtrùm aliorum regnorũ sub Rege constituti Duces, gubernatores ciuitates, &c. leges condere possint, ex ordinationibus regni, singulorum priuilegijs, & longa consuetudine cognoscendum erit.

4 Dubitatur autem primò de Regina, ad quam iure hæreditario ius regni deuolutum, postea quam matrimonio collocata est; vtrum iurisdictio vel administratio regni, legúmque ferendarum potestas competat ipsi fœminæ, an marito eius? Qua in re dicendum est primò; Mulierem iurisdictionis etiam regiæ, capacem esse; puta per hęreditariam successionem, sicuti colligitur ex c. dilecti, de arbitris, & ib. notat Abb. Vide etiam Petrum Tholosanum l. 45. Syntag. c. 4.

Secundò dicendum: Quamuis ordinariè dignitas & nobilitas mariti in vxorem redundet: at non vice versa maritus ignobilis ex vxoris nobilitate nobilitetur, sicuti fusè ostendit Andræas Tiraquel. de nobilit. cap. 18. Cùm enim vir & mulier, ob indiuiduam coniunctionem, sint veluti vna caro: vir autem caput mulieris existat, secundũ Apostol. ad Ephes. cap. 5. conueniens est, vt mulier viri, tanquam dignioris, statum & conditionem sequatur. Quod & in liberis obseruatur, vt à patre potiùs, quàm à matre iura nobilitatis trahant, sicuti docet idem Tiraquel. num. 20. ex leg. mulieres. Cod. de dignitat. lib. 12. Nihilominus id peculiare esse volunt Bald. in cap. significauit, de rescript. Tiraquel. num. 39. & hos secuti Vasq. disp. 153. cap. 3. Suarez lib. 3. de legib cap 9. num. 14. Vt maxima dignitas vxoris, videl. regnum vel ducatum hæreditario iure possidentis, in maritum alioquin inferiore gradu positum, v. g. militem quodammodo deriuetur, & Regis vel Ducis nomen ipse quoque, vxoris participatione, sortiri possit.

5 Dicendum tertiò: In hoc ipso tamen casu regni seu ducatus administrationem penes Reginam, vel Ducissam manere, neque ad maritum deuolui: nisi & fœmina, & ipsum regnum vel prouincia sponte consentiant. Ita docent Doctores citati. Cuius ratio est, Quia regnum & regia iurisdictio alienari non potest; neque in dotem dari: sed ex primæua sui origine, vel per electionem, vel hæreditariam successionem obuenire debet: & omnino nihil circa regnum vel successionis modum absque Reipubl. consensu mutari, neque bona coronæ regni, quæ alicuius momenti sunt, cum Reipubl. præiudicio alienari posse, ex communi docet Maior in 4. d. 15. quęst. 10. Abb. in cap. intellecto, de iureiur. Mol. t. 1. de iust. tr. 2. dis. 25. Ratio est: Quia bona regni sunt potiùs dignitatis, quàm propria Regis; quæ causa est, quòd mortuo Rege non diuiditur regnum, vel comitatus inter filios defuncti, ait Abb. ibid. num. 1.

Quapropter, si Regina priuato alicui, v. g. militi in matrimonium iungatur, ad maritum quidem pertinebit priuata siue domestica gubernatio erga familiam, liberorũ educationem, ipsiúsque vxoris custodiam. Contrà verò ipsa vxor, quatenus Regina est, superior erit marito suo, quòd attinet ad publicam siue politicam gubernationem: cuius proinde legibus ipsemet quoque maritus parere debebit. Qua de re Suarez libro tertio capite 9. numero 15.

6 Dubitatur secundò; Vtrum communitates in Repub. approbatæ, v. g. Mechanicorum, *die Zunfften*, item Magistrorum in academia; statuta, eísque annexas pœnas ponere possint, tamen intra limites facultatis suæ? Suarez lib. 4 de legibus, cap 6. num. 13. negat tales esse propriè leges seu statuta. Nam legem condere actus iurisdictionis est, pertinens ad totam multitudinem; vel personam publicam, quæ totius multitudinis curam gerit, ait S. Th. 1. 2. q. 90. a. 3. Atqui communitas, v. g. sartorum, sutorum non facit talem publicam multitudinem, in qua potestas iurisdictionis residead ad præcipiendum, ac puniendum singulos. Nihilominus, ait Suarez, ex vi pacti mutui, aut præstiti iuramenti, membra eiusmodi communitatis obligari posse ad seruandas iustas ordinationes, & ad pœnas quasi conuentionales. Sed alij Doctores communiter affirmant, Abbas in cap. quæ in Ecclesiarum, num. 7. de Constit. Syl. ver. lex, quæst. 4. Ioan. Faber tit. Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili, §. sed quod Principi; Quòd communitates approbatę statuta condere possint, argumento l. vlt. Cod. de iurisdict. omnium iudiciũ, & leg. 2. §. vlt. Cod. de constituta pecunia. Ad rationem in contrarium respondent; Maiorem veram esse, si sermo sit de iure ferendi leges ordinario ac proprio, non item de iure commissionis, aut approbationis. Communitates autem illæ non iure ordinario ac proprio, sed ipsis à publica potestate commisso aut approbato statuta inter suos ferunt, cùm dependentia à publico Magistratu. Addo, quòd sicuti Communitates illæ imperfectæ sunt ita & gubernatio, ac qualis iurisdictio imperfecta, multúmque dependens est: consequenter etiam statuta eorum à proprietate legum non parùm deficiunt: vt proinde quæstio hæc de nomine potiùs esse videatur, quàm de re.

Simili ferme ratione decidi debet: Vtrum Paterfamilias domesticis suis statuta ponere possit? Respondetur enim, Quòd familia domus non est perfecta communitas: quare nec Paterfamilias, seu qui domui præest, iurisdictionem in suos habere censetur; sed modum quendam iurisdictionis, seu potiùs gubernationis, secundùm limites ipsi à publica potestate definitos, vt explicabo li. 5. tract. vlt. p. 3. cap. 2. num. 7. Ex quo sequitur, quòd & leges eius seu statuta à proprietate publicarũ legum valde deficiunt: nihilominus vim aliquam obligandi habent nõ tantùm sub pœna, saltem leui: sed etiam sub culpa, si statutum ferens id intendat. Enimuerò quòd parentes, præceptores, & qui simili potestate gaudent intra limites facultatis suæ, ijs quos subiectos sibi habent, iusta præcipere possint, etiam sub peccato mortali, si materia huius obligationis capax est, ex communi docet Syl. ver filij, quæst. 22. Nau. cap. 14. num. 12. & cap. 23. num. 36. & colligitur ex Exod. c. 20. Apost. ad Ephes. 6. Et quidem frequentiùs existimandum est, pręcepta parentum sub culpa obligare, quàm statuta domestica, quæ plerumque tantùm sub pœna obligare censentur.

§. Vnicus.

De lege Ciuili.

SVMMARIVM.

7 *Leges naturales immutabiles sunt: positiuæ autem arbitrariæ ideóque variæ apud varias gentes.*
Discrimen est inter ius naturale, ac ius gentium.
8 *Si lex canonica contraria sit legi ciuili circa materiam Ecclesiasticam: ciuilis sublata censetur: sin verò circa aliam materiam, vtraque in suo foro seruanda est.*
9 *Mira est conspiratio inter ius ciuile & canonicum.*

De ciuili lege subijciendum est, latiùs eam ab Aristotele accipi lib. 5. Ethic. cap. 7. quàm à Iureconsultis tit. ff. de iustitia & iure. Nam Aristoteles ius siue legem ciuilem diuidit in naturalem, & positiuam siue arbitrariam; quia vt Caius Iureconsult. ait in l. 9. ff. eod. tit. *Omnes populi, qui legibus & moribus vtuntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtuntur.* Legem naturalem definit Aristot *quæ vbique* (id est, apud omnes gentes) *eandem vim habet; non quia ita visum fuit, vel non fuit.* Quamobrem immutabilis est, per se loquendo: per accidens autem mutari potest; ob mutationem obiecti: v. g. suum cuique repetenti restituendum esse naturalis iuris est; cuius tamen obligatio cessat, si furiosus depositum ensem repetat. Qua de re lege Suarez l. 2. de leg. cap. 13. Lex, siue ius positiuum & arbitrarium ab eodem 7

eodem difinitur, *quod ab initio* (id est antequam lata sit lex) *nihil refert, sic an aliter fiat: cùm verò positum fuerit, refert, v. g. capram Ioui immolare, & non duas oues.* Ex quo fit, vt eiusmodi leges positiuæ variæ sint apud varias gentes: item, vt pro temporum varietate in eadem Repub. variari soleant: quia sicuti Principis, vel populi arbitratu positæ fuerunt; ita etiam tolli, vel abrogari possunt, cùm ita visum fuerit.

Iureconsulti autem magis propriè & strictè ciuilem legem vsurpant, quando ita loquitur Caius cit. l. 9. *Quod quisque populus ipse sibi ius constituit, idipsum proprium ciuitatis est: vocatúrque ius ciuile, quasi ius proprium ipsius ciuitatis.* Et Vlpianus l. 6. eod. tit. *Ius ciuile est, quod neque in totum à naturali vel gentium* (iure) *recedit, nec per omnia ei seruit. Itaque cùm aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi,* (omnium gentium) *ius proprium, id est, ciuile efficitur.*

Obseruare etiam licet, paulò aliter Iureconsultos ius naturale, & ius gentium accepisse, quàm Theologi nostri solent. Nam illi ius naturale vocant, *quod natura omnia animalia docuit: vt maris atque fœminæ coniunctio, liberorum procreatio, educatio*, l. 1. ff. de iust. & iure. Dixerunt igitur ius naturale, instinctum siue propensionem naturæ sentientis, quæ homini cum brutis animantibus communis est. Theologi autem ius naturale vocant, quod hominis menti, Deo auctore, naturaliter inditum est, secundùm Apost. ad Rom. 2. *Cùm enim gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis* (Decalogi) *sunt, faciunt: eiusmodi legem* (scriptam) *non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia eorum.* Ex quibus Apostoli verbis colligi videtur, legem naturalem aliud non esse, quàm hominis conscientiam ipso naturali lumine recta præcipientem, & praua prohibentem. de qua tr. 1. dictum fuit.

Ius gentium Iureconsultus appellat, *quo gentes humanæ vtuntur: veluti erga Deum Religio? vt parentibus & patriæ pareamus; vt vim atque iniuriam propulsemus. Manumissiones quoque iuris gentium sunt*, l. 1. & seqq. ff. de iust. & iure. Ex quibus verbis intelligitur, eos sub gentium iure cõprehendisse partim id, quod ab Aristot. 5. Ethic. cap. 7. Cicer. lib. 2. de inuent. nostrisque Theologis ius naturale nuncupatur. & Decalogi præcepta cõplectitur; partim id, de quo sermo est in cap. 9. d. 1. *Ius gentiũ est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, seruitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita. Hoc inde ius gentium appellatur, quia eo iure omnes ferè gentes vtuntur.* Supposita enim humana societate, ratio naturalis suadet, quàm maximè hæc esse hominum vitæ consentanea, vt pleræque gentes ad ea per legem positiuam stabilienda, & populo præcipienda, ipso rationis ductu, impellerentur. Vide S. Thom. 1. 2. q. 95. a. 4. in corp. & ad 1. Suar. lib. 2. c. 18. Io. Salas disp. 2. de legib. sect. 3.

Ex parte tamen assentior Vasquezio disp. 157. cap. 3. Quædam à Iureconsultis, & Isidoro sub gentium iure comprehendi, non quatenus significat legem aliquid præcipientem, aut vetantem; sed potestatem, siue facultatem quippiam agendi, quod more seu consuetudine omnium, vel pene omnium gentium permissum esse solet, tanquam salutare hominibus in communi societate viuentibus: cuiusmodi sunt v. g. agrorum diuisionem instituere, vim vi repellere, iniurias hostium vlcisci, ac bello prosequi, eos captos sub capientium potestate seruare, &c. Quapropter à quibusdam appellari solent iura non præceptiua, sed permissiua; iura non necessitatis, sed vtilitatis.

Restat Quæstio. Ciuilibúsne potiùs, an canonicis legibus standum sit? Respondeo ex doctrina Abb. in c. clerici, num. 2. de iudicijs. Vel iure canonico aliquid contrarium statutum est legibus ciuilibus, vel non: Si primum, vel contraria decreta versantur circa materiam Ecclesiasticam; tunc correcta & sublata censeri debet lex ciuilis: v. g. ea quæ prohibet mulieri, ne intra annum viduitatis nubat. Vel versantur circa materiam non Ecclesiasticam; tunc vtraque seruari debent in proprio foro. Sin verò iure canonico nihil diuersum à ciuili lege statutum reperitur, tunc ea in vtroque foro tam Ecclesiastico, quàm ciuili seruari debet, iuxta c. 1. de noui operis nunciatione.

Miram profectò inter ius ciuile & canonicum consensionem esse, & multa summorum Pontificum decreta ex ciuilibus legibus pene ad verbum desumpta, norunt omnes, qui in iuridico studio vel parùm versati sunt. Vt proinde nemo se Canonistam, vel Casistam profiteri possit, nisi ciuilium legum aliqualem cognitionem habeat; non tantùm ob eam dixi causam; sed etiam quia leges ciuiles, si iustæ & sacris canonibus repugnantes non sunt, in conscientia obligant, secundùm communem DD. sententiam. Quamobrem licet in c. non magnopere, & in c. super specula, Ne Clerici vel Monachi, &c. seuerè prohibitum sit Religiosis, ne ex claustris suis exeant ad audiendũ leges, vel physicam seu medicinam & chirurgiam, sub pœna excõmunicationis ipso facto incurrendæ; nisi intra duos menses ad claustrum redeant: non tamen ijs prohibitum, sed laudabile, intra claustrum leges ciuiles inspicere, & eorum intellectum addiscere, quatenus id necessarium videtur ad sacros canones rite intelligendos, ac docendos, & occurrentes conscientiæ casus dissoluendos, sicuti annotauit Abb. in c. vlt. Ne Clerici vel Monachi, in fine Nau. c. 1. §. caueat, num. 9. d. 6. de pœnit.

CAP. IX.

Vtrum legislator propria lege obligetur?

SVMMARIVM.

1. *Legislator alius est absolutus: alius verò dependens.*
2. *Princeps suis legibus non obligatur vi coactiua.*
3. *Obligatur tamen Princeps legibus suis, vi directiua: quæ obligatio radicaliter ex naturali iure: proximè autem ex ipsa positiua lege descendit.*

QVæstio hæc intelligi debet de Legislatore singulari & absoluto, id est, qui solus Communitati legem ferre potest: qualis est Papa, Imperator, Rex, Episcopi, Duces imperij, &c. quamuis horum aliqui inferendis legibus certarum personarum consilium adhibere debent; vt Rex Arragoniæ, & Rex Poloniæ procerum regni in comitijs. De eo verò Legislatore, qui solus legem condere non potest, sed cum alijs, inter quos ipse primas tenet: vt Dux Venetus inter Senatores: Metropolitanus inter Coepiscopos: Prælatus in Capitulo: dubium nullum est, quin communibus legibus in Synedrio latis astringatur: Multò verò magis si tota communitas legem ferat, singuli eorum obligabuntur, argum. c. cùm omnes, de constitut. 1

Secundò, intelligi debet quæstio de ijs legibus, quarum obseruatio & vsus æquè Principem decet, ac subditos: cuiusmodi est v. g. lex, quæ taxat pretium frumenti: quæ præcipit Ecclesiasticum ieiunium, abstinentiam, Confessionem annuam. Aliæ verò leges sunt, quæ ad subditos propriè feruntur: & in Principem, siue caput Reipub. non ita cadunt: Exempli causa, Ne quis in ciuitate arma ferat: Ne aliquis vestibus holosericis induatur. Neque enim in his & similibus eadem ratio Principis est, quę subditorum: sed decet quandóque caput Reipublicæ quippiam pręcipuum habere: neque eandem cum reliquis membris conditionem subire: quando nec paterfamilias quibusuis legibus, seu potiùs pręceptis, quę familiæ ab ipso imposita sunt, adstringitur. Qua de re vide Sotum lib. 1. de iust. quæst. 6. a. 7.

Tertiò consentiunt Doctores, cum S. Thom. quæst. 96. a. 5. ad 3. Principem proprijs legibus non obligari vi coactiua: hoc est, etiam si legem non obseruet, puniri tamen non posse humana potestate. Quia pœna imponi debet per iudicis sententiam, etiam inuito: Princeps autem superiorem, vel iudicem nullum habet, à quo cogi, vel puniri possit: A seipso autem nemo propriè cogitur, ait S. Thom. l. c. Neque quisquam in proprio facto iudex est.

Igitur quæstio solùm est de vi directiua; Nempe vtrum Princeps legislator, non minùs quàm subditi, in conscientia & sub peccato obligatus sit ad seruandam legem, quæ communiter lata est? v. g. Vtrum Papa mortaliter peccaturus sit, si nulla iusta causa impeditus, Paschali tempore S. Eucharistiam non sumat: quod intellige, per se loquendo, & ratione ipsius Ecclesiasticæ legis; etiam cessante omni scandalo, quippe quod extrinsecum & per accidens est. Circa quam quæstionem pauci Doctores in negatiuam partem descendunt, Abbas in c. magnæ, de voto, Azor tom. 1. lib. 3. c. 11. quæst. 1. Salas disput. 14. sect. 2. num. 18. Probatur primò: Quia hæc videtur fuisse mens Iureconsultorum, Vlpiani in l. 31. ff. de legibus: *Princeps legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non est, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ ipsi habent.* Et Pauli in l. 23. ff. de legatis, 3. *Ex imperfecto testamento legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare inuerecundum est: decet enim tantæ Maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur.* Consentit Imper. Alexander in l. 3. Cod. de testamentis; Antonius item & Seuerus, qui, (vt dicitur in Institut. Quibus modis testamenta infirmentur) *sæpissimè rescripserunt: licet legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.* Eò quod rationi valde consentaneum, & bono Principi imprimis decens sit, vt vltro ac sponte se legibus subijciat, perindéque eas obseruet, ac si necessitate adstringatur. Quo sensu dictum videtur à Theodosio & Valentiniano Impp. in leg. 4. Cod. de legibus, interprete Gloss. ibid. *Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* & paulò post: *Reuera maius imperio est, submittere legibus Principatum.* Item illud Isidori in cap. iustum, d. 9. *Iustum est Principem legibus obtemperare suis: Tunc enim iura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reuerentiam præbet.*

Probatur secundò; Si enim Papæ, v. g. ante legem Ecclesiasticam, à se latam de obseruantia alicuius ieiunij, carnes comedere tali die licitum fuerat; posteaquam verò legem tulit, illicitum esse incipit, per se loquendo, & ex vi legis; sequitur quòd idem homo seipsum per legem vel præceptum obligare possit; idémque sibi ipsi obedire teneatur. Consequens autem est falsum, teste Iureconsulto in l. penultima. ff. de receptis, qui arbitrium, &c. *Nemo imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest*: vbi Gloss. adijcit, *ideo verbum in imperatiuo non habet primam personam.* Ratio est: Quia lex & præceptum superioris est erga inferiorem siue subditum, iuxta cap. cùm inferior, de maior. & obed. Nemo autem se ipso inferior, sibique subditus esse potest. Ob eandémque rationem dicitur in cap. innotuit, de electione, quòd *par in parem non habet imperium*: ergo neque idem in se ipsum. Cui doctrinæ adstipulatur S. Thom. 1. 2. quæst. 93. in corp. art. 5. *Lex hominis non se extendit nisi ad creaturas rationales, quæ homini subijciuntur. Cuius ratio est, quia lex est directiua actuũ, qui conueniunt subiectis gubernationi alicuius: vnde nullus propriè loquendo suis actibus legem imponit.*

3 Contraria nihilominus sententia communis est, à qua non facilè recedendum. Eam docet S. Thom. quæst. 96. a. 5. ad 3. Caiet. Medina ibid. Victoria de potestate ciuili, num. 21. Syl. ver. lex, quæst. 14. Sotus 1. de iust. quæst. 6. a. 7. Couarr. c. alma. p. 1. §. 1. num. 5. Vasq. disput. 167. cap. 3. Suar. lib. 3. cap. 35. de legib. eandémque tradidit S. Ambros. lib. 5. Epist. 32. ad Valentinianum Imp. *Quod cùm præscripsisti alijs, præscripsisti etiam tibi: leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* Probari autem solet aliquibus argumentis, quæ non omnino conuincere videntur: Primum ducitur ex verbis Christi apud S. Matth. cap. 23. reprehendentis Pharisæos; *Dicunt enim, & non faciunt: Alligant enim onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.* Verùm Christus duntaxat loquitur de traditionibus, & varijs Pharisæorum interpretationibus, ac commentis, ad legem Moysis adiectis, quibus populum grauabant, & tamen nulla in re subleuabant.

Secundum sumitur ex Apost. ad Rom. c. 2. *Inexcusabilis es, ô homo, omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quæ iudicas.* Verùm S. Paul. ibi loquitur de peccatis contra legem naturæ, quæ dum Iudæi in Gentilib. damnabant, & eadem tamen ipsimet perpetrabant, simili pœna dignos se ostendebant. *Tribulatio* enim ait ver. 9. *& angustia in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primum, & Græci, &c. Non enim est acceptio personarum apud Deum.* Et clariùs ver. 21. *Qui ergo alium doces, te ipsum non doces; qui prædicas non furandum, furaris.*

Tertium ex edicto Prætoris lib. 2. tit. 2. ff. Quod quisque Magistratus noui iuris in aliquẽ statuerit, vel si alius apud Magistratum aliquid noui iuris obtinuerit, ipsemet quoque, aduersario postulãte, eodẽ iure vti debet. Quod *edictum*, ait Vlpianus, *summam habet æquitatem. Quis enim aspernabitur, idem ius sibi dici, quod ipse alijs dixit, vel dici effecit?* Verùm nullus hîc prorsus sermo est de iusta lege Principis, boni publici causâ ad communitatem lata; sed de nouo aliquo grauamine, quod vel Magistratus proprij commodi causâ in aliquem decreuit; vel alius à Magistratu decerni postulauit, & impetrauit. Exemplum affert Glossa: Si Magistratus Bononiensis (cùm fortè debitis oneratus esset) statutum fecisset, vt debitores suis creditoribus ante quinquennium soluere non tenerentur, tum etiam qui Magistratui aliquid debet, eodem contra ipsum iure vti poterit, vt antè soluere non cogatur. Simili ratione in c. cùm omnes, de constit. reprehendit Papa Innoc. III. Canonicos Trecenses, quòd contra Ecclesiæ suæ consuetudinem, constitutum fecissent, vt ipsi quidem tam in absentia, quàm præsentia reditus perciperent; qui autem post illam constitutionem Canonici instituti fuerint, reditus non in absentia, sed solùm dum resident, percipere possent; mandátque Archiepiscopo Senonensi, & Episcopo Trecensi, vt iuniores Canonicos antiquioribus in redituum perceptione coæquent: Quia *quod quisque iuris in alterum statuit, eodem ipse vti debeat; & sapientis Catonis dicat autoritas: patere legem, quam tu ipse tuleris.*

Quare, vt proprium huius sententiæ fundamentũ aperiatur; sciendum est; Principem siue Magistratum leges ferre tanquam ministrum Dei per potestatem ab ipso deriuatam, sicut expressè testatur Apost. Paulus ad Rom. 13. & S. Petrus Epist. 1. c. 2. Quæ ipsa causa est, cur leges Principũ, etiam secularium, in conscientia obligent; sed aliter subditos, & aliter ipsum Legislatorem, sicuti notauit Caiet. cit. q. 96. a. 5. Nam subditi ideo peccant legem iustam transgrediendo, quia Deus præcipit Superiorib. obediendum esse. Ipsemet verò Superior siue Legislator ideo peccat legẽ communẽ non obseruãdo, quia Deus per lumen naturæ nobis inditũ, testantibus pleriq; sapiẽtibus, præcipit, ac iubet, legem Principi seruandã esse, quam ipsemet Communitati tulit: *Nam turpis est omnis pars suo vniuerso non congruens*, ait S. August. lib. 3. Confess. c. 8. & refertur in c. quæ contra, d. 8. Multo magis pars præcipua, siue caput Reipub, cum reliquis partibus congruere debet: quòd id planè necessarium esse videatur, vt inferiores legem sponte, lubenter, ac facilè obseruent, si eius autorem proprio exemplo præire conspiciant. Porrò, quamuis obligatio legis humanæ radicaliter, vt dixi, descen-

deſcendat ex voluntate Dei, & dictamine rationis naturalis: proximè tamen & immediatè prouenit ab ipſa lege, quæ iuſtè ac legitimè lata, conſtituit materiam ſuam in certa ſpecie virtutis, tanquam neceſſarium eius medium: vt proinde tam Papa, v. g. quàm reliqui fideles contra temperantiæ virtutem peccent, ſi Eccleſiaſticum ieiunium violent. Fateor tamen, quòd legis obligatio minùs directè in Legiſlatorem quàm in ſubditos cadat, vti colligitur ex ijs, quæ dicam infrà cap. 13. n. 6. Quare faciliùs etiam à mortali peccato excuſari poterit Legiſlator, ſi legem propriam violet, ſcandalo ceſſante, vti docet Sotus lib. 10. de iuſt. q. vlt. a. vlt. Sanchez lib. 6. moral. c. 6. n. 19.

Ad 1. argum. contrariæ ſententiæ communis eſt reſponſio Syl. cit. q. 14. Vaſq. cit. c. 3. num. 22. Suar. lib. 3. c. 35. num. 15. cum. S. Thom. cit. a 5. ad 3. Principem proprijs legibus ſolutum eſſe, quòd attinet ad vim cogentem & pœnam; non item quòd attinet ad vim dirigentem: ſic enim ſe legibus obligatum vltrò fatetur. Deinde reſponderi poſſet, quoſdam Iureconſultos, ac Imperatores eam ſententiam non omnino improbabilem, & quæ adhuc hodie à quibuſdam defenditur, ſecutos fuiſſe; Principi legem propriam ſeruandam eſſe ex quadam rationis honeſtate, ac decentia; non propriè dictæ obligationis neceſſitate.

Ad 2. reſpondetur; Legem per ſe primò ad ſubditos ferri; eóſque obligare; ſecundariò autem, & ex quadam conſecutione ipſum quoque Legiſlatorem conſtringere: Non quòd ipſemet ſibi obedire, aut ſubiectus eſſe debeat, ſed potiùs legi, quæ poſteaquam legitimè lata & ſtabilita eſt, in Repub. dominatur, teſte Ariſtot. 3. polit. c. 7. circa finem; & obligationis neceſſitatem ipſi etiã Principi adfert, ob rationem ſuprà datam.

CAP. X.

Vtrum infantes & amentes legibus obligentur.

SVMMARIVM.

1 *Infantes, dum ad rationis vſum non peruenerunt, nullis legibus obligantur.*

Perpetuò amentes infantes infantibus æquiparantur.

2 *Qui verè infantes, aut amentes ſunt, propter exceſſus puniri propriè non poſſunt.*

3 *Pueris ante vſum rationis, & perpetuò amentibus, fas eſt diebus interdictis carnes ad comedendum præbere.*

Sed ebriis præbere non licet: Idémque ſentiendum de amentibus ad tempus: niſi quòd his, tanquam grauiſſimo morbo laborantibus, carnes dari poſſint, tanquam cibi magis conuenientes.

4 *Pueri, cùm primùm rationis vſum conſecuti ſunt, communibus legibus obligantur.*

5 *Pueri, poſt ſeptennium ætatis, ſi doli capaces ſunt, Eccleſiaſticam cenſuram incurrere poſſunt.*

Probabile tamen eſt cenſura non ligari, ſi infantiæ propinqui ſint.

6 *Pœnis grauiſſimis excommunicationis, prohibitionis ſepulturæ, interdicti Eccleſiæ, &c. plerumque non cenſentur comprehenſi delinquentes impuberes.*

7 *Impubes, qui poſt ſeptennium doli capax voluntarium homicidium committit, irregularis efficitur.*

Non item infans ante ſeptennium exactum, licet doli capax ſit, vt mortaliter peccare poſſit.

1 ASſertio I. Infantes, nondum aſſecuti vſum rationis, nullis legibus obligantur. Eſt communis & certa doctrina, quam tradit Palud. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. Sotus lib. 2. de iuſt. q. 3. a. 9. Sanch. lib. 1. moral. cap. 12. Azor tom. 1. lib. 5. c. 11. quæſt. 4. Eadémque eſt ratio de perpetuò amentibus, qui infantibus æquiparantur, vti notauit Sanch. num. 16. Cùm enim lex ſit præceptum rationale, eius vinculi ſiue obligationis capaces non ſunt, qui ratione carent: quare his leges poſitæ non cenſentur.

Corollarium I. Qui verè infantes aut amentes ſunt, 2
propter exceſſus puniri propriè non poſſunt: cùm pœna omnis culpam ſupponat. Loquor de pœna propriè dicta. Alioquin enim amentes, ſi alios v. g. verberent, vel abſurda loquantur, caſtigari poſſunt, ac debent, vt eo modo ſæpiùs perterriti, perinde ac beſtiæ, à talibus nocumentis arceantur, ſicuti notauit Mol. tract. 3. de iuſt. diſp. 38. num. 3. qui addit num. ſeq. Si crimen commiſſum fuerat dum delinquens ſanæ mentis erat, ſed poſtea in amentiam incidit, procedi poſſe contra eum ad pœnam pecuniariam; non item ad pœnam mortis vel mutilationis, dum in ſtatu amentiæ verſatur; tametſi ſententia condemnatoria antea contra ipſum lata fuerit.

Corollarium II. Pueris ante vſum rationis, & perpe- 3
tuò amentibus fas eſt diebus interdictis carnes ad comedendum præbere. Ita docet de infantibus Caiet. 2. 2. q. 147. a. 8. dub. 1. Azor tom. 1. lib. 7. c. 28. quæſt. 3. Sa ver. ieiunium in fine. Sanchez l. c. num. 9. contra Palud. cit. a. 2. De amentibus idem docet Sanch. num. 16. Angles in floribus p. 2. quæſt. 6. de ieiun. diffic. 6. in fine. Cùm enim leges Eccleſiaſticæ talibus perſonis poſitæ non ſint, cauſa exiſtere poſſunt, vt id faciant, quod nulli legi aduerſatur. Quare idem eadem ratione dicendum arbitror de operibus ſeruilibus, quæ feſtis diebus ab Eccleſia interdicuntur, non infantibus, & perpetuò amentibus; ſed ijs qui rationis vſum conſecuti, eiuſmodi præceptum modo humano & vtiliter exequi poſſunt: ideóque nihil obſtat, quò minùs ijs ſeruilia onera die feſto imponantur; modò id fiat ſine ope aliorum, qui lege Eccleſiaſtica obligati ſunt. Errabit verò aliquis, ſi ex hac doctrina inferat, licitum eſſe perpetuò amentes ad iram concitare, vt blaſphement, alios verberent, &c. Quia talia, quæ ſuapte natura deformitatem habent, tribuuntur principali libero agenti, qui amentis opera veluti inſtrumento vtitur.

Porrò in ebrijs tradita doctrina locum non habet. Hi enim Eccleſiaſticis legibus ſubiecti ſunt; etſi per accidens excuſentur pro eo tempore, ſtatu. Quare licet ipſi non peccent in ebrietate carnes comedendo; peccant tamen qui ad comedendum alliciunt, vel impellunt, ſicuti notauit Sanchez cit. num. 16. in fine. Idémque dicendum eſſet de amentibus ad tempus: verùm, cùm amentiæ morbus grauiſſimus ſit, poterunt carnes illis præberi tanquam cibi magis vtiles ac neceſſarij ad morbi curationem, vt Sanchez notauit.

Aſſertio II. Pueri, cùm primum rationis vſum adepti 4
ſunt,) quod ferme circa ſeptennium accidit) non ſolùm naturalibus & diuinis; ſed etiam Eccleſiaſticis, aliíſque humanis legibus obligantur, ſi earum materia puerili ætati conſentanea ſit. Declaratur: Nam pueri, cùm rationis vſum adipiſcuntur, legalis vinculi, ac præcepti capaces fiunt: ergo cùm lex generale mandatum ſit, quod à tota communitate obſeruari debet, etiam pueros comprehendet. Exemplum habemus in Confeſſione annua, auditione Miſſæ, abſtinentia à carnibus. Quædam verò leges ſunt, vt ieiunij, Communionis annuæ; quæ non ita puerili ætati congruunt, de quibus ſuo loco.

Aſſertio III. Pueri, poſt ſeptennium, ſi doli capaces ſunt, quandoque etiam Eccleſiaſticam cenſuram incurrunt. Probatur ex c. vltim. de ſentent. excommun. in quo ſupponitur, pueros, ante pubertatem, ob Clerici percuſſionem canonis excommunicationem incurrere poſſe: idque de omnibus pueris exacti ſeptennij ætatem & rationis vſum conſecutis intelligendum eſſe teſtatur Henriq lib. 8. c. 42. in fine comment. Nauar. c. 27. man. num. 76. Sanchez l. c. num. 8. licet Sa ver. cenſura, num. 2. probabiliter dicat, cenſuram nunquam incurri ante annum ætatis decimum, cùm impubes pubertati proximus eſſe incipit. Quemadmodum etiam in ciuili foro pueri non puniuntur ob delicta, quæ in ætate proxima infantiæ commiſerunt, ſicuti conſtat ex §. pupillus, In-

stit. de inut. stipul. & §. penult. Instit. de obligat. ex delicto, & l. pupillum, ff. de regul. iur. Ex quibus iuribus habetur, quòd puer pubertati proximus ex furto, homicidio, & omni delicto teneatur; excepto tamen adulterio, quod in impuberem non cadit, vti notauit Gl. in cit. l. pupillum. Et quod dixi teneri, intellige ad pœnam luendam; quamuis mitiorem, iuxta reg. 108. ff. *Ferè in omnibus pœnalibus iudicijs & ætati, & imprudentiæ succurritur.* At verò ad damni restitutionem pueri ex delicto per dolum commisso integrè obligantur, appareat eam rationis discretionem essecutos esse, vt doli capaces sint, iuxta l. impuberem, ff. de furtis. Quare quod dicitur in §. summa, Instit. de obligationibus, quæ ex delicto, tum demum ex furto obligari impuberem si pubertati proximus sit: id intellige secundùm præsumptionem, quasi antè non plenè intelligat se deliquisse: sin verò constet, quòd doli capacitas ætatem suppleat, haud dubiè tenebitur.

Porrò in cit. c. vlt. Pontifex concedit Ordinario, vt absolutionis beneficium talibus impertiatur, etiam pubertatem iam adeptis, qui ante pubertatem canonis sententiam incurrerunt: *quòd propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.* Idque etiam in ciuili foro obseruari solet, vt impubes ob delictum puniatur quidem (si doli capax & pubertati proximus sit) sed mitiùs, teste Claro in pract. crim. q. 60. num. 2. Molin. tr. 3. de iust. disp. 36.

6 Interim plerumque verum est, quod docet Sotus in 4. d. 18. quæst. 1. art. 3. prope finem, Vasq. de sacram. pœnit q. 90. a. 2. dub. 4. Cùm in sacris canonibus pœnæ grauissimæ excommunicationis, prohibitionis sepulturæ, ingressus in Ecclesiam decernuntur; non censeri comprehensos pueros, arg. c. 1. de delictis puerorum, vbi Pont. ait; Quòd peccata in pueris, non ita vt in maioribus natu, punienda videntur. Et Vgolinus obseruat tab. 1. de censur. c. 17. §. 3. num. 5. impuberes neque ab homine excommunicari solere: quòd eiusmodi ætas non censeatur sufficiens ad ordinem iudiciarium intelligendum, argum. c. vlt. de iudic. in 6. Vide Suar. disp. 5. de cens. sect. 1. num. 19.

7 Præterea irregularitatem incurrit impubes, qui septennij ætatem consecutus, & doli capax voluntarium homicidium committit, sicuti colligitur ex Clemen. si furiosus, de homic. & docet Syl. ver. homicidium, 3. q. 2. dicto 3. Sanch. cit. c. 12. num. 8. Auila p. 7. de censuris, disp. 6. s. 1. dub. 13. Dixi autem qui *septennij ætatem consecutus,* contra Abb. in c. 1. de delictis puerorum, Couar. p. 3. Clem. n. 5. §. de infante, Eman. Rodriq. p. 1. summæ. de irregul. cap. 176. concl. 1. arbitrantes, etiam ante septennium irregularitatem incurri, si malitia ætatem suppleat, vt puer mortaliter peccare possit. Sed contrarium videtur verum, quod docet Henriq. lib. 14. c. 3. num. 4. lit. Z. Auila l. c. conclus. 1. Nam in Clementina expressè excipitur infans: quod cùm sit beneficium siue fauor legis absque præiudicio tertij, latè interpretari debet: vt omnem comprehendat infantem, id est, hominem, qui necdum septennij ætatem exegit, licet rationis vsum consecutus sit: propterea quòd non solus rationis defectus, sed etiam ipsa ætatis teneritudo & imperfectio ad eiusmodi exceptionis beneficium infantibus tribuendum, legislatorem impellere potuerit. Accedit, quòd irregularitas non incurratur, nisi iure expresso: quòd autem infans, si doli capax homicidium committat, irregularis fiat, nullo iure expressum est.

CAP. XI.

Vtrum ciues, vel Diœcesani obligentur legibus territorij proprij, dum absentes sunt?

SVMMARIVM.

1 *Leges territorij non obligant ciues absentes, seu peregrinantes. Præceptum & sententia proximè in personas tendit: lex verò locum seu territorium afficit.*

2 *Prælati Regularium, cùm iurisdictionem in suos habeant non ratione territorij, sed ratione obligationis personalis: illos tum præceptis, tum statutis vbique terrarum obligare possunt.*

3 *Statutum obligare potest subditos absentes, si principaliter latum sit in causa pertinente ad ipsum territorium statuentis.*

4 *Peregrini, dum per regnum Castellæ transeunt, possunt incolarum more intestinis animalium vesci in die sabbathi.*

5 *Locus intra diœcesin exemptus æquiparatur loco sito extra diœcesin.*

6 *Incola ciuitatis, in qua dies festus celebratur, si manè egressurus & peruenturus sit ad oppidum, vbi non celebratur, debet tamen priùs Missam audire.*

7 *Discessurus ex loco, vbi ieiunium non seruatur, potest ibidem vesci, etiam carnibus; etsi eodem die peruenturus sit ad proprium territorium, vbi lex ieiunij obligat: Et potest domi sterum comedere: quamuis à carnibus abstinere teneatur. Qui noctu peruenit ad locum, vbi non ieiunatur, potest ibi carnibus vesci, etsi in proprio territorio, vnde illo die exierat, lex ieiunij obliget: Quare antequam talis manè exiuit, poterat prandere: sed non carnes comedere. Verùm in his videtur esse habenda ratio temporis potioris, secundùm quod ex loco in locum proficiscens, commoraturus est.*

8 *Qui ex Episcopatu, in quo vetus Calendarium obseruatur, quadragesima tempore venit ad aliam diœcesin, quando ieiunium fermè absolutum est: non tenetur ampliùs, quàm illi quibuscum viuit, ieiunium prorogare.*

9 *Operarij ex locis Catholicis egredi non possunt ad loca hæreticorum, in quibus ob diuersitatem Calendarij festa non seruantur.*

10 *Si sponsi sine justa causa, adeòque in fraudem legis, egrediantur ad contrahendum matrimonium sine Parocho & testibus, in loco vbi Tridentina constitutio recepta non est: peccant quidem, sed matrimonium validum esse videtur.*

QVæstio hæc locum habet, si leges proprij territorij non obligent in alieno territorio, in quo peregrinus pro tempore versatur. Nam si leges vtroque loco vigeant, certum est peregrinum ijs obligari: quòd nulla tunc causa adsit ipsum excusans, sicut notauit Suarez tom. 1. de relig. lib. 2. de festis, cap. 14. num. 15. Sanchez lib. 1. moral. c. 12. num. 20. qui tamen rectè excipit cum Lessio lib. 4. de iust. c. 2. dub. 7. num. 52. Nisi quis legem vtrique loco communem, v. g. quadragesimalis ieiunij, alicuius festi, aut Vigiliæ in vno territorio suo, vel alieno expleuisset; & postea ad aliud territorium perueniat, in quo ob Calendarij diuersitatem, quadragesima nondum peracta, Vigilia vel festum nec dum celebratum est, hic non tenetur iterum ieiunare aut festum obseruare: quando quidem præcepto, quod semel tantùm obligat, iam satisfecit.

Assertio. Leges territorij non obligant ciues absentes, seu peregrinantes. Hæc est communior Doctorum sententia, Abbatis in cap. à nobis, 1. num. 11. de sentent. excommunicat. Nauar. c. 23. num. 120. Syl. ver. excommunication. 2. num. 7. Couar. c. alma. p. 1. §. 10. num. 3. Lopes p. 1. instruct. c. 52. §. nec peccant, Lessij l. c. dub. 8. Rebell. p. 2. lib. 2. quæst. 7. sect. 3. Suar. cit. lib. 2. c. 13. & lib. 3. de legib. c. 32. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. contra Palud. in 4. q. 15. quæst. 4. a. 3. S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 2. §. 2. Sumitur ex c. 2. de Constitut. in 6. vbi dicitur, *Statuto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur; subditi eius, furtum extra diœcesin committentes, minimè ligari noscuntur.* Ratio est, quia statutum, siue lex, cùm stabilem ac perpetuam obligationem habere debeat, immediatè afficere censetur locum seu territorium legislatoris, atque hinc in subditos ibi existentes transire: ad eum modum proportionalem, sicuti infrà de locali priuilegio dicturus sum. Quapropter, cùm legislator extra proprium territorium iurisdictionem extendere non possit; sequitur, quòd eius legibus siue statutis subditi extra territorium existentes, 1

non

non comprehendantur argum. l. vltim. ff. de iurisdictione omnium iudicum, allegatæ in cit. c. 2. *Extra territorium ius dicenti impunè non paretur, idémque est, si supra iurisdictionem suam velit ius dicere.* In eóque differt lex à sententia & præcepto: quia hæc proximè in personas subditas tendunt, earúmque ossibus cohærent, quocunque terrarum discesserint, sicuti docet Vgolinus de censur. tab. 1. c. 9. §. 4. Suarez tom. 5. de censur. disput. 5. sect. 5. num. 14.

2 Corollarium. prælati Ordinum regularium, quibus iurisdictio in suos competit, non ratione territorij, sed per se, ratione, personalis obligationis ex obedientiæ voto, eos tum præceptis ac sententijs, tum statutis, vbicunque terrarum existentes obligare possunt: quin etiam eosdem in alieno territorio citare, excommunicare, fugitiuos propria autoritate capere. Ita docet Syluest. verb. excommunicat. 2. numer. 15. rationem afferens, *quia totus mundus est eis* (Prælatis regularibus) *pro territorio.*

3 Porrò assertio suprà posita imprimis limitari debet. Nisi statutum præcipuè respiciat rem in territorio sitam: vel ipsius territorij commodum: tunc obligare etiam potest subditos absentes, sicuti constat ex c. ex tuæ, de Clericis non residentibus, & docet Abb. c. postulasti, num. 9. de foro compet. Syl. l. cit. num. 8. casu tertio, Couarruu. cit. num. 3. Nauar. c. 27. num. 6. Auila de censur. p. 3. c. 3. disput. 2. dub. 2. Suar. disput. 5. sect. 4. num. 8. Sairus lib. 1. thesauri, c. 6. num. 41. Veluti, si statutum sit, vt omnes Clerici certo anni tempore veniant ad Synodum: vel Canonici ad Capitulum: *Qui enim alicubi non facit, quod facere deberet, videtur facere aduersus ea, quæ non facit*, argum. regul. 163. ff. Sic etiam valet statutum: iusta de causa prohibens incolis, ne adeant prouinciam peste infectam: ne extra proprium territorium mercaturam exerceant.

4 Præterea assertio extendi debet primò: Vt locum habeat non tantùm in legibus alicuius territorij proprijs, sed etiam communibus: si eæ in loco, vbi aliquis peregrinatur vel hospitatur, non vigeant, sicuti docet Suar. lib. 2. de festis, c. 14. in fine, Sanchez lib. 1. moral. c. 12. num. 28. Est enim tunc quasi priuilegium locale, quo omnes frui possunt, qui in eo loco versantur. Exemplum habes: Si in aliqua diœcesi contra communem Ecclesiæ legem non ieiunetur in Vigilia alicuius Apostoli: vel quatuor primis diebus Quadragesimæ, (qualis consuetudo Mediolani est) poterit peregrinus se conformare, teste Lessio cit. c. 2. dub. 8. num. 59. & consentit S. August. epist. 118. ad Ianuar. & refertur. in c. illa, de 12. Similiter peregrinos, dum v. g. per regionem Castellæ transeunt, posse incolarum more diebus Sabbathinis extima & intestina animalium comedere: etsi id communi Ecclesiastica lege prohibitum sit, docet Nau. c. 23. n. 120. Less. n. 55. Sanch. l. 3. de matrim. disp. 18. n. 19. Couar. 4. resol. c. 20. n. 8. Itémque Hispanos, apud quos ius commune Tridentini Concilij viget, posse in alia regione vbi id receptum non est, inire matrimonium sine Parocho & testibus, docet Petrus de Ledesma de matrim. q. 45. a. 5. dub. vlt. Rebell. p. 2. lib. 2. de matrim. q. 7. s. 3. num. 15. Sanch. cit. disp. 18. num. 7. & cit. cap. 12. num. 28.

Secundò extendi debet assertio; Vt locum etiam habeat, si in duabus eiusdem ciuitatis Parochijs non eadem lex siue consuetudo vigeat: Tunc enim Parochianus ex sua parochia, in qua ieiunium v. g. aut festum obseruatur, conferens se in alteram parochiam, vbi id non seruatur, ibi ieiunare, vel operibus seruilibus abstinere non cogitur, sicuti docet Suarez cit. cap. 13. num. 6. Less. cit. num. 55. Sanchez cit. c. 12. num. 24.

5 Tertiò extenditur: Vt statutum diœcesanum non tantùm cesset obligare subditos commorantes extra diœcesin: sed etiam intra diœcesin in loco exempto. Quia locus exemptus, in ordine ad iurisdictionem Episcopi, à quo exemptus est, æquiparatur loco sito extra diœcesin, sicuti ex communi docet Syl. ver. excommun. 2. num. 12. Armilla eod. ver. num. 30. Auila p. 2. cap. 3. disput. 2. dub. 5. argum. c. cùm Episcopus, de offic. ordin. in 6. & c. 1. de priuil. in 6. iunct. Glos. ver. nunquid ergo. Quare si Episcopus statutum ferat, sub excommunicationis pœna, aliáve censurâ, ne quis Clericorum aleis ludat: non eâ ligantur Clerici ludentes in loco exempto, teste Syl. ibid. Idem Suares docet tom. 5. disput. 5. sect. 4. num. 6. sed excipit Monasteria Regularium exempta: intra quæ, si Episcoporum subditi Episcopalia statuta violent, absque dubio eorum censuram incurrere arbitratur. Sed hanc exceptionem apud alios non legi: Contrarium verò docet Henriquez lib. 13. cap. 26. §. 2. & indicat. Syl. num. 13. quando proposita quæstione: Si Episcopus generale statutum ferat sub excommunicationis pœna, ne aliquis virorum ingrediatur monasteria monialium: vtrum hanc censuram incurrat, qui ingreditur monasterium exemptum? Respondet non incurrere: Si tamen Episcopus in vtilitatem subditorum, adeóque ex causa pertinente ad Ecclesiam, cui Clerici subijciuntur, expressè prohibeat, ne quis monasterium exemptum ingrediatur, valere ait statutum eóque ligari subditos: non minùs, quàm si ciuilis Magistratus statutum condat in ciuitatis commodum, ne quis ciuium in alienam terram ingrediatur, iuxta doctrinam Abb. in c. postulasti, num. 10. de foro compet. Couar. supra cit. n. 3.

Præterea, pro eadem illa assertione quædam obseruanda sunt: Primum, Communior est DD. sententia, Nau. cap. 13. num. 5. Lopez p. 1. c. 52. Sa ver. festum, num. 8. Suar. lib. 2. de festis, cap. 15. n. 9. Incolam ciuitatis, in qua festus dies est, si manè egressurus & peruenturus sit ad oppidum, in quo festum non celebratur, ideóque ibi opera seruilia exercere licitè possit; tamen obligatum esse ad Missam audiendam, antequam egrediatur. Ratio est, quia præceptum affirmatiuum audiendæ Missæ tenetur aliquis quam primum implere, si postea impleturus non sit; sicuti qui præuidet, se postea ab audienda Missa impeditum iri, statim audire debet, si possit. Oppositum tamen docet Sanchez lib. 3. de matrim. 18. num. 21. & lib. 1. moral. c. 12. n. 31. & valde probabile iudicat Less. cit. dubio. 8. n. 56. Talem incolam non obligari ad Missam manè audiendam, si ante meridiem peruenturus sit ad locum, vbi festum non celebratur. Quia in proprio oppido poterat Missæ auditionem differre vsque ad horam diei quartam vel quintam, quo tempore, vt supponimus, in altero oppido existens à præcepto Missæ audiendæ liber est. Ad rationem contrariæ sententiæ respondet Sanchez, aliam rationem esse, si quis præuideat, se ab executione præcepti (quo obligatus manet) ob aliquam causam postea impeditum & excusatum iri; aliam verò, si quis præuideat se præcepti obligatione penitus exoluendum fore. Si enim debitor sit mille aureorum, præfixa ipsi mora vnius anni ad soluendum; qui intelligat, se post primum anni mensem soluere deinceps nunquam posse, quia v. g. in longinquas terras discessurus & non reuersurus est, is tenetur anticipare, & primo statim mense soluere: Si autem debitor iste intelligeret, se postea intra præfixum anni spatium debito omnino liberatum iri non teneretur statim primo mense soluere. Sed defendendo communem, magisque tutam sententiam, respondeo hanc esse mentem Ecclesiasticorum Legislatorum: quam consuetudo & fidelium persuasio interpretatur, quòd incolæ die festo Missam audire teneantur, si per tale temporis spatium in oppido existant, vt commodè audire possint: quare ad id etiam ab Episcopis & Parochis iure optimò compelluntur. 6

Alterùm. Manè discessurus ex loco vbi ieiunium non seruatur, potest (secundùm doctrinam Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 22. & lib. 1 moral. c. 12. n. 33. Less. 7

lib. 4. cap. 2. dub. 8. n. 57.) ibidem vesci etiam carnibus; etsi eo die peruenturus sit in proprium territorium, vbi ieiunium seruatur: & potest domi iterum comedere; quamuis à carnibus abstinere teneatur. Iterum; Qui noctu peruenit ad locum vbi non ieiunatur, potest ibidem carnibus vesci; etsi in proprio territorio, vnde illo die exierat, lex ieiunij obliget: Quamobrem antequam manè exeat ex proprio territorio, in quo ieiunatur, si certus sit se eo die peruenturum ad locum, vbi ieiunium non seruatur, poterit ibi ientare, vel prandere; sed non carnes comedere. Ratio discriminis est: Quia præceptum siue obligatio carnibus abstinendi diuidua est; adeò vt, tametsi vna diei parte, iusta, vel iniusta de causa, abstinentiam non serues, nihilominus alia diei parte seruare debes, vbi præceptum obligat. Quemadmodum etiam videre est in obseruatione festi abstinendo ab operibus seruilibus: Si enim in oppido tuo festum celebratur, laborare non potes, dum ibi moraris, cùm primùm verò egressus es ad locum, vbi eius diei festum non celebratur, seruilibus operibus insistere potes. At verò præceptum & obligatio ieiunij indiuidua est, vt qui bis in die reficitur iusta vel iniusta de causa, is ieiunij lege soluatur, propterea quòd formam Ecclesiastici ieiunij tali modo seruare non possit. Cùm igitur incola ille (de quo suprà dictum fuit) ex suo oppido abiturus, præuideat noctu sibi licitum fore carnibus vesci, & quidem non semel tantùm, sed iteratò, non tenebitur manè ad ieiunium seruandum: cùm tali modo seruare non possit. Hæc omnia Sanchez & Less. ll. cc. non omnino improbabiliter. Ego verò existimo in hoc casu habendam esse rationem temporis potioris, vt secundùm illud incola, existens in loco suo vbi ieiunatur, vel in alio vbi non ieiunatur, & ipse obligatus, vel liberatus censeatur: quandoquidem in moralibus receptũ est, vt quod maius ac potius est, trahat ad se id quod minus est. Exẽpli causa; Si manè hora prima diei egressurus es ex oppido, vbi ieiuniũ non seruatur, & altera vel tertia hora peruenturus ad oppidum tuum, vbi ieiunium seruatur; puto, malè te fecisse, si circa auroram ientaculum sumpsisti, præsertim cum carnibus. Alia verò ratio est, si post meridiem egressurus es; potes enim ibi & ientaculum sumere, & prandere; consequenter ieiunio solutus es: quamuis à carnibus in tuo oppido noctu nihilominus abstinere debeas. Similiter si in proprio tuo territorio, vbi lex ieiunij obligat, maiore diei parte commoraturus es, non arbitror tibi licitum esse ientaculum sumere, aut repetita refectione ieiunium violare, propterea solùm, quòd noctu peruenturus sis ad locum vbi non ieiunatur; quia potior ratio habenda est principalis, quàm secundarij. Secùs autem est, si manè ex oppido egressus vbi ieiunium seruatur, statim peruenies ad locum vbi eo die non ieiunatur; tunc potes ientaculum manè accipere; sed sine carnibus.

Tertium, Ex eo quòd calendarium nouum, iussu Gre-
8 gorij XIII. editum, in quibusdam Catholicorum diœcesibus adhuc hodie receptum non est, fieri posse videtur, vt aliquis iustam proficiscendi causam habens, communibus etiam Ecclesiasticis legibus festorum, ieiuniorum &c. liberetur, sicuti docet Sanchez lib. 1. moral. cap. 12. num. 30. Less. lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 59. Exempli causa; Si aliquis ex Vallesia, vbi antiquum calendarium retinetur, circa Bacchanalia proficiscatur Constantiam, fieri potest, vt ieiunio quadragesimæ maiore ex parte ibi transacto, non nisi duas v. g. hebdomadas ieiunare teneatur. Itémque fieri potest, vt aliquis ex Vallesia profectus, antequam obseruatio ieiunij, aut festi alicuius secundùm vetus calendarium incidit, Constantiam perueniat, posteaquam festum illud, vel ieiunium transactum est. Sed contra id esse videtur, quòd lex communis Ecclesiastica, quæ in omnibus particularibus Ecclesijs obseruatur (cuiusmodi imprimis est quadragesimale ieiunium) videatur afficere personas hoc ipso, quòd sint mẽbra Ecclesiæ vniuersalis: quare Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 8. num. 59. quæstionem hanc vtrinque disputat; ac denique concludit, in praxi præferendam esse sententiam, quæ ait, saltem quadragesimale ieiunium complendum esse in loco, vbi propter diuersitatem Calendarij iam expletum est; Existimo tamen, sententiam Sanchez probabilem esse ac tutam: cùm non videatur esse mens Ecclesiæ) aliquem obligare ad ieiunandum in loco, vbi fideles alij non ieiunant: siquidem id commodè plerumque fieri non potest, & valde expedit, Ecclesiæ cuiusque morem vniformiter à fidelibus obseruari.

Loquor autem solùm de Ecclesijs ac diœcesibus Catholicorum. Nam alia ratio est, si peregrinus Catholicus in terras hæreticorum veniat: Huic enim arbitror ieiunia, & festa obseruanda esse secundùm Calendarium nouum, atque suæ diœcesis, Romanæque Ecclesiæ consuetudinem, si commodè ita seruare possit. Ratio est, quòd in contemptum Ecclesiæ Catholicæ cedere videatur, atque scandali occasionem præbeat, si peregrinus Catholicus, posthabito propriæ Ecclesiæ legitimo more, in obseruationibus Ecclesiasticis se conformet illegitimæ consuetudini, ab hæreticis pertinaciter retentæ ac defensæ, sicuti bene notat Rebel. lib. 1. de præludijs iustitiæ, quæst. 5. num. 14. Incolas tamen Catholicos, qui in hæreticorum terris v. g. Vlmæ, aut Colmariæ versantur, arbitror posse ex quadam æquitate, & præsumpto consensu Catholicorum Præsulum, ad communem pacem seruandam, festa & ieiunia celebrare secundùm calendarium vetus: quibus deinde etiam peregrini Catholici, dum inter eos morantur, se conformare poterunt.

Corollarium. Mechanici & operarij ex locis Catho- 9
licis egredi non possunt diebus festis ad laborandum in locis vicinis hæreticorum, vbi ob diuersitatem calendarij festa non seruantur: nisi Episcopus hac in re expressè vel tacitè cum ipsis dispenset; dummodo causa dispensandi adsit, & scandalum cesset.

Secundò, dixi necesse esse, vt aliquis iustam causam proficiscendi abeat in locum, vbi lex non obseruatur, sicuti docet Sairus in claui regia lib. 7. cap. 3. num. 12. Petrus de Ledesma de matrim. quæst. 45. a 5. dub. vlt. Rebel. p. 2. lib. 2. de matrim. quæst. 7. s. 3. qui agentes de matrimonio aiunt, illud inualidum fore, si sponsi in fraudem Trident. Concilij, requirentis Parochum, & testes, adeant hæreticorum, vel etiam Catholicorum loca, in quibus Tridentinum Concilium non est receptum. Contrariam sententiam tuetur Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 18. num. 29. & lib. 1. moral. cap. 12. num. 35. Suarez lib. 2. de festis, cap. 13. num. 6. Nam *nullus videtur dolo facere qui iure suo vtitur*, reg. 55. ff. Incola autem non cogitur consistere in suo territorio; sed habet ius egrediendi: postquam autem egressus est in locum, vbi lex non obligat, absoluitur eius vinculo. Sed responderi potest, leges Ecclesiasticas, quæ in diœcesibus ad subditorum spiritualem vtilitatem promulgantur, talem conditionem annexam habere, quam fidelium persuasio & Ordinariorum praxis ostendit, vt subditis, sine iusta causa, earum obligationem subterfugere non sit licitum: quamobrem tales puniri solent, qui festis diebus ex suo oppido ob eam solùm causam discedunt, ne festa obseruare cogantur. Sicut etiam communis est Doctorum sententia apud Sanch. lib. 1. moral. cap. 15. illos qui festo, aut ieiunij die absque causa iusta iter instituunt, non liberari aut excusari à præcepto ieiunandi, vel Missam audiendi, quamuis excusarentur, si iustam proficiscendi causam haberent.

Quòd tamen ad matrimonium attinet, probabile est 10
subditos egredientes ad celebrandum in loco alieno, vbi Trident. Constitutio recepta non est; tametsi fortasse peccent, nihilominus valide contrahere absque Parocho & testibus, vti Sanchez docet cit. num. 29. Est enim hoc speciale in matrimonio, quòd sit ex numero contractuũ, quibus id proprium est, vt regulari debeant secundùm leges

leges ac consuetudines locorum vbi celebrantur, sicuti DD. docent in cap. vlt. de foro compet. & notat in hoc casu Ioan. Chapeauille de modo ministrandi sacramenta tempore pestis, cap. vlt. quæst. 16.

Cap. XII.

Vtrum aduenæ & peregrini teneantur legibus locorum, in quibus pro tempore versantur; quamuis in proprio ipsorum territorio non obligent?

SVMMARIVM.

1 *Aduenæ, si causa inhabitandi ad tempus longum venerint, vel quasi domicilium figant in oppido alieno, omnibus eius legibus obligantur.*

2 *Princeps nō obligatur statutis municipalibus ciuitatis aut prouinciæ ad quā aduenit, quamuis longo tempore moraturi, sicuti nec Legatus in prouinciæ diœcesalibus legibus astringitur.*

3 *Aduenæ & peregrini, licet in loco diu moraturum non sint obligantur tamen legibus communibus, quæ in ipsorum patria speciali priuilegio vel consuetudine non obseruantur.*

4 *Aduenæ, dum in aliena terra hospitantur, non obligantur legibus & consuetudinibus eius loci proprij.*

5 *Contractus, & testamenta interpretationem & valorem accipiunt secundùm leges loci, in quo fiunt.*

6 *Sacerdos græcus transiens per Ecclesiam latinam potest in azymo consecrare, vel in fermentato, sicuti maluerit.*

7 *Probabile est quòd neque vagabundi obligantur legibus & consuetudinibus proprijs locorum, in quibus hospitantur.*

Nemo sortitur forum, nisi ratione domicilij, aut habitationis vel ratione delicti, vel ratione contractus, vel ratione rei seu possessionis sitæ in territorio: vel denique interdum ratione originis.

1 VAriæ sunt de hac quæstione DD. sententiæ, sicuti videre est apud Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 18. quæ. 1. Suar. lib. 2. de festis, cap. 14. Nostra sit assertio prima. Aduenæ qui non solùm transeunt, neque tantùm hospitandi gratia adsunt; sed animo inhabitandi ad tempus lōgum, ideóque quasi domicilium figunt in alieno oppido, omnibus eius legibus & consuetudinibus obligantur. Est communis sententia Palud. in 4. d. 15. quæst. 4. a. 3. S. Anton. par. 2. tit. 6. cap. 2. §. 2. Syl. ver. ieiunium, q. 2. dicto 2. Rosellæ eod. num. 16. Medinæ 1. 2. q. 96. a. 5 Suar. l. c. n. 5. & lib. 3. de legibus, cap. 33. num. 3. Sanchez l. c. num. 9. contra Glossam in c. quæ contra, d. 8. ver. aut peregrini. Ratio est; Quia tales eius loci forum sortiuntur, id est, iurisdictioni subijciuntur tum Ecclesiasticæ, tum ciuili, sicuti dicam l. 5. de sacram. Pœn. c. 10. n. 3. Ergo etiam astringuntur legibus.

Quæres. Quanto tempore in oppido manendi propositum requiratur, vt aliquis non hospes, sed loci habitator censeatur? Sanchez cit. num. 9. cum Syl. ver. domicilium, num. 2. arbitratur, opus esse vt maiore anni parte inhabitare velit. Sed magis placet doctrina Nauar. tract. de Iubileo, notabili 32. ver. incolę, numero 43. non tantùm eos, qui tempore, quod prudentis viri arbitrio magnum secundùm se videri potest, videl. ampliùs medium annum in oppido moraturi sunt, (v.g. scholares in academijs) incolas censeri & iurisdictioni subiectos; sed etiam eos, qui licet aliquantò breuiore tempore, certo permanēdi proposito, alicuius negotij vel negotiationis causa in eo loco domicilium, officinam, vel tabernam fixerunt, aut saltem conduxerunt, arg. l. hæres absens, §. proinde. ff. de iudicijs.

2 Porrò à tradita assertione Tiraquellus de vtroque retract. libro 1. Glossa 1. §. 3. numero 38. Suarez libro 3. de legibus cap. 35. num. 14. & alij, excipiunt legislatorem Principem, qui non obligatur statutis municipalibus locorum, vel Prouinciarum, dum in ijs etiam longiore tempore moratur. Ratio est: Quia eiusmodi leges ab inferiore potestate latæ sunt, vt vim nullam habeant erga superiorem Principem. Quam ob causam etiam Canonistæ dicunt, Legatum in prouincia non obligari legibus Episcopi diœcesalibus. Neque refert, etsi municipales illæ leges à Principe confirmatæ sint: censetur enim eas tantùm approbare pro determinato loco, eiúsque subditis; non pro tota Republ. cuius ipse caput est: nisi in eodem loco fixam sedem habeat.

Assertio II. Aduenæ & peregrini, licet in loco moraturi non sint, sed tantùm hospitaturi, vel transituri, obligantur tamen communibus legib. & consuetudinib. quæ in ipsorum patria non obseruantur. Hæc videtur esse communis sententia, quam expressè docet Med. 1. 2. q. 96. ar. 5. §. dubitatur præterea, Henriquez libro 7. c. 13. n. 8. Suar. citato capite 14. numero 27. Exemplum, Ciuis Mediolanensis profectus ad limina Apostolorum, peccat si Romæ primis quatuor diebus quadragesimæ carnes comedat; etsi in patria sua id ipsi licitum sit. Item Castellanus peccat, si, dum per alienas regiones peregrinatur, diebus sabbathi extremitates, vel intestina pecudum comedat, sicuti etiam docet Nauar. cap. 23. numero 120. Nam leges istæ Ecclesiasticæ omnes Christianos obligant, nisi speciali priuilegio aut iure eximantur: Specialis autem illa consuetudo Mediolani v.g. vescendi carnibus primis quadragesimæ diebus, est veluti priuilegium locale: quo proinde ciues Mediolanenses frui non possunt, dum absentes sunt. Cúmque tales consuetudines à iure communi exorbitent; non debent facilè extendi: sed potiùs tanquam odiosæ restringi. Quamuis contrarium non omnino improbabiliter doceat Sanchez citato quæstione 1. numero 7. quia ciues, inquit, dum absentes sunt, sed mox in patriam redituri, per fictionem iuris pro præsentibus habentur.

Assertio III. Aduenæ & peregrini, dum in aliena terra non inhabitandi, sed tantùm hospitandi causa adsunt, 4
non obligantur legibus & consuetudinibus eius loci proprijs, ac specialibus; v. g. peregrinus veniens Augustam die S. Vdalrici, qui eo loco festus est, non tenetur (per se loquendo, & scandalo cessante) Missam audire, & à seruilibus operibus abstinere, licet totum diem ibi mansurus sit. Hæc assertio est ad mentem Gloss. in cap. illa d. 12. ver. veneris, Palud. Antonini, Syluestri, Rosel. Bartol. Medinę ll. cc. Ioannis Medinæ Cod. de ieiunio quęstione 10. Quando necesse est ieiunare. Angles in florib. de ieiunio, quæst. 4. post princ. diffic. 2. Azor. 1. libro 5. cap. 11. quęst. 3. §. Est tamen aduertendum, Sanchez cit. disputat. 18. n. 6. & libro 1. moral. cap. 12. num. 8. Ægid. ConinK 3. p. tom. 1. quæst. 74. art. 4. dubium 2. Sairi in claui regia libro 3. cap. 4. numero 15. Auilæ parte 2. de censur. cap. 3. disputatione 2. dubium 3. concl. 3. §. circa corollarium. Ratio est: Quia ad obligandum aliquem legibus requiritur iurisdictio: sed peregrini ob breuem hospitij moram non subiiciuntur iurisdictioni, seu non acquirunt forum, sicuti constat ex lib. hæres autem, suprà citata. Ergo non obligantur eius loci legibus.

Contrariam sententiam defendunt Nau. c. 13. n. 5. & ca. 23. n. 120. Couar. var. resol. c. 20. n. 8. Abbas in c. consiliū, de obseruat. ieiunij, Rodriq. t. 1. Sum. c. 122. concl. 1. Philiarch. t. 1. de off. Sacer. p. 2. l. 3. c. 23. notando tertio, Less. lib. 4. c. 2. dub. 7. n. 50. Sa ver. ieiunium, n. 1. Salas disp. 14. de legib. sess. 4. n. 41. §. alia opinio, Suarez lib. 2. de festis, c. 14. & lib. 3. de legib. cap. 33. Plerique tamen monent, doctrinam suam intelligendam non esse de solo transitu; sed si hospes ad breue tempus, saltem vnius diei mansurus sit, legibus loci proprijs obligari: idque probant primò autoritate S. Ambr. apud S. Augustinum in Ep. 118. ad Ianuarium, & refertur in c. illa, d. 20. *Cum Romam venio, Sabbathum ieiuno: cum Mediolani sum, non ieiuno: sic & tu, ad*

quamcumque Ecclesiam veneris, eius morem serua: si cuiquā non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Similia habet S. August. Ep. 119. & lib. 2. confess. c. 8. & refertur d. 8. cap. quæ contra, item in libro 3. de doctrina Christiana. ca. 12. & refertur c. quisquis, d. 41. vbi Glossa ait ver. viuit *nota, quod quilibet conformabit se socijs suis in cibis, & in moribus*: & altera Gl. in cit. c. illa, hinc versum ortum esse inquit.

Si fueris Romæ, Romano viuito more:
Et si sis alibi: viuito sicut ibi.

Probant II. Nam gentium iure, ac Christiani populi, maximè Prelatorum consensu introductum, vsúque firmatum esse videtur, ad pacem cuiusque territorij tuendam, vt Magistratus suis legibus etiā aduenas & peregrinos constringere, & eorum transgressiones punire possit.

III. Leges cuiusque territorij locales sunt, quæ immediatè locum afficiunt, & inde transeunt in personas ibi existentes: ergo etiam afficiunt peregrinos, dum ibi manent.

IV. Qui sentit commodū, sentire debet & onus, iuxta reg. 55. in 6. Peregrinus autē, dum absens est, quamuis modico tempore, soluitur legibus & consuetudinibus patriæ: ergo æquum est eundem legibus & consuetudinibus alienæ terræ ligari.

V. Certum est, peregrinos obligari quibusdā legibus, & consuetudinibus ciuitatum, aut locorū, in quibus hospitātur, vel transeūt: cuiusmodi sunt, v. g. Ne quis noctu arma ferat: Ne triticum efferat: Ne viator ampliùs triduum in oppido commoretur. Item in contractibus cuiusque loci leges & consuetudines seruandæ sunt etiam à peregrinis, sicut constat ex l. 6. ff. de euictionibus, &c. vlt. de foro compet. in quo dicitur, quemuis forum sortiri ratione cōtractus, docentque DD. communiter apud Sanchez cit. disp. 18. n. 10.

Exinde inferunt Syl. ver. contractus, q. 8. Molina to. 2. tr. 2. disp. 260. in princ. contractum absolutè initum, interpretandum esse secundùm consuetudinem & statuta loci, in quo institutus fuit. Secundò infert Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 123. Nicol. Euer. lib. 2. cons. 28. num. 76. cum Bartolo in l. 1. C. d. sum Trinit. & communi DD. sententia; Testamentum conditum, etiam à peregrino, in loco vbi minor iuris solemnitas requiritur, validum pronuntiandum esse quo ad omnia bona, etsi sita sint in locis, quibus maior testamenti solemnitas exigitur. Et Vasq. in moral. de testament. §. 2. dub. 1. cum Antonio Gomez ait: Quòd condens testamentum teneatur obseruare solemnitates loci, in quo tunc versatur: si statutum absolutè & vniuersim talem testandi formam requirat, & non solùm à subditis seu incolis. Quamuis his contrarium sentiat Adr. Fachinæus lib. 5. controuer. Iuris, cap. 90. & 91. Excipiendus verò hinc est contractus dotis, qui celebrādus est secundùm leges loci, vbi vir domicilium habet, sicuti constat ex leg. exigere, ff. de iudicijs. Denique ex his apparet ratio constitut. Innoc. IV. in cap. volentes, de priuil. in 6. confirmatæ in Trident. sess. 7. cap. 7. de reform. Quòd Ordinarius contra exemptos procedere possit ratione delicti, vel contractus extra loca exempta factorum, vel ratione rei extra illa sitę. Quamuis rectè notat Nau. comment. 2. de regul. num. 63. raro hodie huic constitutioni locum esse in ordine ad Religiosos exemptos, propter specialia eorum priuilegia.

Ad I. respondeo: Vel Ambrosium & Augustinum consilium afferre, non præceptum, vel obligationem eos præcepti agnoscere ob periculum scandali: non enim omnes, qui vident hominem non seruantem ieiunia, sciunt peregrinum esse: hoc verò scandalum sæpe vitari potest: vel eos loqui de peregrinis, qui non mox abituri sunt: sed habitandi gratia accesserunt: vel denique loqui de legibus communibus, non proprijs alicuius loci.

Ad II. Resp. Totum id quòd assumitur negari posse: Non enim iure gentium, & populorum consensu introductum censeri debet, quod à multis Doctoribus non agnoscitur: quorum proinde sententiam quisque sequi potest. Neque refert si dicas, quosdam Episcopos & Prælatos punire solitos peregrinum non obseruantem festa vel ieiunia suæ diœcesis propria: Vel enim id faciunt, quia sequuntur sententiam probabilem; imò quæ à Suarezio & alijs tanquam certa asseritur: vel quia peregrini re vera interdum in ea re delinquunt ratione scandali; ideóque forum sortiuntur, seu iurisdictioni subijciuntur ratione delicti ibi commissi, iuxta capite 1. de Raptor. iun. Glos.

Ad III. resp. leges locales esse, id est, locum afficere, indéque transire in habitantes, qui iurisdictioni eius loci subiecti sunt, non autem in alienigenas ac peregrinos.

Ad IV. Regulam illam locum habere, cùm onus ex propria institutione annexum est commodo, sicuti videre est in Ecclesiasticis beneficijs, institutione hæredis, &c. Non item, cùm onus & commodum connexa non sunt, sed disparata, sicuti in proposito euenit. Nam, exempli causa, ipsemet Suarez fatebitur, si Vallesianus circa quinquagesimam veteris calendarij Romam veniat, vbi quadragesima maiore sui parte peracta sit, posse illum se incolis accommodare, & in Paschate carnibus vesci: Contrà verò, si Romanus, expleto ferme quadragesimalis ieiunij tempore, in Vallesiam veniat, vbi quadragesima paulò ante cæpta sit, non tenetur se incolis conformare, cessante scandalo; sed potest in Paschate secundùm nouum calendarium carnes comedere: Ergo locum non habet regula, Qui sentit commodum, sentire debet & onus.

Ad V. resp. A tertia nostra assertione excipiendas esse eas leges, quæ specialiter ferantur ob bonum & vtilitatem talis Reipubl. vel ob pacificam communicationē cū incolis. Eiusmodi enim leges peregrini quoque seruare tenentur, sicuti ex Legistarum doctrina bene admonet Sanc. cit. dis. 18. n. 14. Quò etiam pertinent leges contractuū, de quibus obiectio facta est. Porrò allegatum cap. vlt. prorsus confirmat nostram sententiam: dicitur enim ibi, quemuis sortiri forum vel ratione domicilij; vel ratione contractus: Vnde à contrario sensu inferre licet, si peregrinus neque domicilium, habitionémue fixit: neque in loco deliquit: neque ibi contraxit: non sortiri forū, adeóque legibus & iurisdictioni subiectum non esse.

Corrollarium ex Suar. p. 3. t. 3. disp. 44. sect. 3. Sanc. cit. disp. 18. n. 20. Sacerdos græcus, transiens per Ecclesiā latinā, huic se conformare potest, & in azymo consecrare; vel, si mālit, propriȩ Ecclesiæ morem retinere. Similiter Sacerdos latinus, transiens per Ecclesiam græcam, vel illi se conformare, & in fermentato sacrificare potest, vel Romanæ Ecclesiæ morem seruare. Ratio est, quia peregrinus legibus & consuetudinibus suæ patriæ proprijs liberatur, dum absens est: verùm noque adstringitur alienis eorum locorum, per quæ tantùm transit, aut in quibus hospitatur. Cæterùm, si inter Latinos existat Ecclesia græca vt Romæ; tunc latinus Sacerdos in ea consecraturus, Romanæ Ecclesiæ ritus obseruare cogitur; quia Grȩcis, veluti priuilegium personale concessum est, vt in fermentato ibi sacrificare liceat. 6

Restat Quęstio de vagis, id est, qui nullibi fixū domiciliū habent, vtrū obligentur legibus & consuetudinibus locorū, per quæ transeunt, vel in quibus hospitantur? Affirmāt Sotus in 4. d. 18. q. 4. a. 2. §. Est hìc tamen aduertendum, Sanc. l. 1. moral. c. 12. n. 23. Suar. ci. c. 14. n. 19. Probant ex eo, quia vagabundi à loci Magistratu capi, atque puniri possunt, ob delicta etiam alibi commissa, sicut testatur Iulius Clarus l. 5. sent. in practica criminali, q. 39. n. 7. San. l. 3. de matr. disp. 25. n. 5. Ex quo colligi videtur, eos in quouis loco pręsentiæ suę sortiri forū: atq; iurisdictioni ac legibus 7

gibus subiici tùm secularibus, tùm Ecclesiasticis.

Nihilominus Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 7. numero 49. arbitratur, eandem esse rationem vagorum, quę peregrinorum: vt nón obligentur legibus proprijs locorum, in quibus hospitantur, vel transeunt: quia generalis doctrina ex cap. vlt. de foro compet. neminem sortiri forum, nisi vel ratione domicilij, siue habitationis; vel ratione delicti; vel ratione contractus: adde tu, vel ratione rei fide possessionis sitæ in territorio: vel denique interdum ratione originis siue patriæ; de quibus Gl. in cit. l. hæres, ad finem. Vagi autem nullo horum modorum subiecti sunt, vt ponimus: Ergo non sortiuntur forum. Hęc Lessij sententia mihi placet: quare respondeo ad fundamentum prioris sententiæ, per consuetudinem introductum esse, vt etiam vagabundi, cùm proprium iudicem non habeant, puniri possint, vbicunque reperiuntur: ne eorum crimina omnino impunita maneant. Ex quo tamen non sequitur, eos simpliciter & in omnibus sortiri forum siue iurisdictionem loci, in quo existunt.

CAP. XIII.

An, & qua ratione clerici, ciuilibus legibus obligentur.

SVMMARIVM.

1 *Clerici obligantur communibus secularium Principum legibus, quæ ad Reipubl. bonam gubernationem pertinent, neque sacris canonibus, aut clericorum statui repugnant.*

2 *Ecclesia reprobat ea secularium statuta, quibus de rebus, vel personis Ecclesiasticis directè decernitur, præcipiendo vetando, licet Ecclesiæ fauorem seu patrocinium continere videantur.*

3 *Neque de bonis patrimonialibus Clericorum speciatim aliquid ciuili lege præcipiente, vel prohibente statui potest: secus est, si dispositio ciuilis præceptiua non sit: sed permissiua, & priuilegiatiua.*

4 *Clerici delinquentes aduersus ciuilem legem, pœnam merentur ab Ecclesiastico Magistratu inferendam: siue eandem quæ ciuili lege decreta est, siue aliam arbitrariam.*

5 *Leges ciuiles prohibentes, aut infirmantes contractum, obligant Clericos, si pœnales non sint: secus verò, si pœnales.*

6 *Clerici ciuilibus legibus nunquam videntur obligari directè & ex virtute ipsarum legum: sed solùm indirectè.*

7 *Si in aliqua causa canones nihil decernant, tunc secundùm leges proprias regni in foro Ecclesiastico iudicari debet: nisi alia sit Consistoris consuetudo.*

1 COmmunis est Doctorum assertio; Quòd Clerici secundùm vim directiuam obligentur communibus secularium Principum legibus, quæ ad Reipubl. bonam gubernationem ac quietem pertinent; neque sacris canonibus, vel Clericorum statui repugnant: cuiusmodi sunt leges, quibus taxatur pretium frumenti, prohibetur aliquod genus armorum, præscribitur modus ædificandi, testandi, contrahendi. Sic docent Canonistæ in c. Ecclesia, de constitut. & c. 1. de noui operis nuntiatione, legistę in l. cunctos populos, c. de Sum. Trinit. Summistæ ver. lex, Angelus n. 5. Syl. q. 15. San. 11. Victoria relect. 1. de potest. Eccles. q. vlt. prop. 4. Sotus libro 1. de iust. q. 6. a. 7. Barth. Medina 1. 2. q. 96. a. 5. dub. vlt. Nau. c. 23. n. 88. Bellar. lib. 1. de clericis, c. 28. Vasq. 1. 2. disp. 176. cap. 4. Suarez lib. 3. de leg. cap. 34. & lib. 4. defens. fidei c. 16. Ioan. Salas disp. 14. s. 8. licet contrarium respondisse videatur Nau. lib. 1. consil. 3. de constit. n. 4. §. tertiò, edit. Sumitur ex c. 1. c. quoniam, cap. de capitulis, d. 10. c. cùm ad verum, d. 96. & c. 1. de noui operis nunciat. Ratio est: Quia Clerici in communi vitæ societate degentes, sunt etiam ciues, ac membra Reipubl. Ergo naturali ratione æquum est, eos etiam præstare quæ ad communem Reipubl. gubernationem necessaria sunt. *Turpis enim omnis pars est suo vniuerso non congruens*, ait S. Aug. 3. confess. c. 8. Confirmatur: Qui sentit commodum, idem & onus sentire debet, iuxta reg. 55. in 6. Clerici autem communibus Reipub. commodis ac priuilegijs fruuntur: Ergo par est eos etiam communem cum alijs obligationem suscipere, quæ ipsorum statui, libertati, ac canonicis priuilegijs non repugnat.

2 Verùm aliqua verba, in communi illa Doctorũ assertione posita, explicari debent: Primò enim dixi; Clericos obligari *communibus legibus*, id est, quæ ad totam Communitatem feruntur, boni publici causa: Enimvero Ecclesia non recipit, sed reprobat eas secularium Principũ leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, aut personis speciatim decernunt præcipiendo, vetando; tametsi Ecclesiæ fauorem aut patrocinium continere videantur, sicuti habetur expressè in c. 1. d. 96. & c. Ecclesia, de Constitut. Ratio est: Quia eiusmodi legibus prætenditur directe laicorum Principum iurisdictio super Ecclesiastica: (siquidem leges ferre iurisdictionis actus est) talis autem vsurpatio potestatis immunitati Ecclesiasticæ repugnat: quare maius Ecclesiasticæ repugnat: quare maius Ecclesiæ præiudicium infertur, quàm commodum afferri possit, sicuti notauit Angelus ver. lex, n. 5. Suar. cit. c. 34. n. 13. & cit. capite 16. numero 7. & traditur apertè in cit. c. Ecclesia. Ex quo rectè colligit Abb. ibi n. 10. & in c. præsentia, numero 28. de probat. Leges Imperatorias, quales extant v. g. in tit. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, & Auth. eod. tit. nisi canonico iure receptæ & approbatæ sint, nullius roboris esse; tanquam profectas à non habente potestatem.

3 Deinde colligit idem Abb. in cit. c. Ecclesia, n. 21. dictam doctrinam similiter locum habere in bonis Clericorum patrimonialibus seu proprijs: idque clarè probat Suarez cit. c. 16. n. 12. in hanc sententiam: Non potest lex ciuilis aliquid disponere de bonis Clericorum, nisi obligando Clericos ad eiusdem legis obseruationem: quia bona adhærent personæ, ideóque lex disponens circa bona à personis obseruari debet: At verò lex ciuilis non potest speciatim obligare personas Clericorum: Ergo nec de illorum bonis speciatim aliquid disponere, siue præcipere. Vel ita: Lex non fertur sine iurisdictione: nemo autem habet iurisdictionem, siue potestatem disponendi de bonis alicuius, nisi etiam super personam iurisdictione præditus sit: quare cùm laicis potestatibus in personas Ecclesiasticas iurisdictio nulla competat: sequitur neque iurisdictionem & facultatem de illorum bonis disponendi cõpetere posse. Sed limitari id debet: I. Nisi bona seu Clericorum proprio merè reali onere Principi seculari obligata fuerint, antequam ad Ecclesiasticos transirent, sicuti notaui Abb. cit. c. Ecclesia, n. 23. *Nam res transit cum onere suo*, c. ex litteris, de pignoribus. Item, si cum tali pacto, vel conditione Ecclesijs, aut Ecclesiasticis personis data sint, vt tamen secularium iurisdictioni, vel exactioni alicui subsint, arg. capite verùm, de condit. appositis, & dicam de hac re fusiùs in libro 4. tract. 9. cap. 6 numero 2. II. limitari debet: Si dispositio ciuilis de bonis, vel etiam personis Clericorum non sit pręceptiua; sed solùm permissiua & priuilegiatiua: vt si statuto caueatur, Clericos primogenitos admittendos esse ad feuda, maioratus; valebit statutum, teste eod. Abb. numero. 26. Cuius rei ratio est, Quia dare priuilegium non est signum superioritatis; cùm etiam non subdito dari possit.

Secundò generatim dixi in assertione; Clericos obligari legibus *secularium Principũ*, in quorũ videlicet regnis vel prouinciis degunt. Enimuerò, licet summorũ Pontificũ supra citati canones fermè tantùm loquantur de legibus Romanorum Imperatorum; eędem tamen rationes cogunt nos affirmare, etiam aliorum regnorum leges communes ac iustas à Clericis obseruandas esse. quod & consuetudo confirmat, scientibus & approbantibus Ecclesiasticis Pręlatis, introducta.

Tertiò dictum fuit; Clericos obligari *secundùm vim directiuam*; non coactiuam. Neque enim incurrũt pœnam 4

legibus ciuilibus decretam, neque à ciuili Magistratu puniri possunt: sed querela delata ad proprium Ecclesiasticum Iudicem, ab eo Clerici, contra ciuilem legem delinquentes, pœna condigna affici debent, siue eadem quæ ciuili lege in laicos constituta est, siue alia arbitraria mitiore, sicuti bene docet Couar. in pract. qq. c. 33. Rodriq. tom 1. regul. q. 66 a. 2. reg. 8. & 9. Vasquez cit. disp. 176. c. 4. Suarez cit. cap. 34. numero 18. & cit. cap. 16. numero 20.

Corollarium. Leges ciuiles, quæ infirmant contractum testamentum; vel reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum, in pœnam commissi criminis ab ipsis, vel maioribus earum: non comprehendunt Clericos, sicuti ex communi notauit Nauar. consil 43. de constitut. numero 5. edit. 2. Suarez citat. cap. 16. num. 21. Ratio est manifesta: Quia talis lex pœnalis est, & vim coactiuam continet, quæ ad personas Ecclesiasticas se extendere non potest. Alia verò ratio est, si bona fuerint antè commissa, seu realiter aliquo modo obligata fisco ob crimen, quàm persona Ecclesiastica fieret, sicuti dicam lib. 4. tract. 9. c. 5. numero 2. Et verò leges infirmantes, quæ pœnales nō sunt, sed certam formam siue solennitatem contrahendi, testandi præscribunt, vt aliter actus irritus sit, comprehēdunt etiam Clericos, ex generali iuris canonici consensu & approbatione; nisi in illo speciatim aliquid contrarium statutum esse reperiatur, sicuti notauit Suarez cit. c. 16. num. 24.

Denique ex dictis facilè est respondere ad quæstionem illam, Vtrum obligatio Clericorum ad seruandas leges ciuiles, quæ sunt communes ciuium, & sacris canonibus ac statui Ecclesiastico non repugnant, directè proueniat ex potestate legislatrice ciuili; an solùm indirectè? Directam esse obligationem contendunt Victoria, Sotus, Medina, Salas, & alij plures: Quia neque alienum est à ratione naturali, neque iuri diuino aut sacris canonibus repugnat, si summi Pontifices, aliique Ecclesiastici Prælati permittant & consentiant, vt Clerici in temporalibus, vnà cum alijs ciuibus, secularem Magistratum, aut Dominum agnoscant: eiúsque legibus, secundùm vim directiuam, & quatenus eorum priuilegijs ac statui nihil aduersantur, subiecti sint.

6 Nihilominus contraria sententia longè expeditior ac probabilior est Azorij tom. 1. lib. 5. cap. 12. quæst. 3. Vasq. cit. c. 4. Suar. cit. c. 34. numero 12. & cit. c. 16. numero 14. Bellarmini in Apolog. contra Regem Angliæ, Adami Tanner in disp. de legib. & priuileg. assert. 45. Clericos ciuilibus legibus non obligari directè, seu præcisè ex virtute ipsarum legum, aut potestatis legislatricis ciuilis: quippe à qua omni iure prorsus exempti sunt, iuxta Lateran. Concil. sub Leone X. sess. 9. in Bulla, quæ incipit, *supernæ dispositionis*: *Cum à iure tam diuino, quàm humano laicis nulla potestas in* Ecclesiasticas *personas attributa sit.* Et Innoc. III. in c. Ecclesia, de constitut. *Quòd laicis super Ecclesiasticis personis & Ecclesiis nulla sit attributa facultas imperandi.* Sed obligari Clericos ciuilibus legibus solùm indirectè: quia id naturalis æquitas postulare videtur, vti initio dixi: cùm alioquin communis pax inter ciues difficilè seruari posset: quę ratio mouit summos Pontifices, aliósque Ecclesiasticos Pręlatos, vt eiusmodi iustas Principum leges approbarent, & Clericis omnibus obseruandas præciperent: imò verò etiam vellent secundum eas in foro Ecclesiastico iudicari, vbi canones deficerent, sicuti constat ex c. innotuit, de arbitris, & c. 1. de noui operis nuntiatione: *Sicut leges nn dedignantur sacros canones imitari: ita & sacrorum statuta canonum. Principum constitutionibus adiuuantur.* vbi id etiam Glossa annotat ver. *adiuuantur.*

CAP. XIV.

De effectu legis, ac præcepti humani, quæ quæ est obligatio.

SVMMARIVM.

1 *Legislator tum ciuilis, tum Ecclesiasticus obligare potest subditos in conscientia, siue sub peccato.*

2 *Vt lex sub peccato mortali obliget, requiritur & intentio legislatoris: & materiæ grauitas seu capacitas.*

Legislator circa materiam alioquin grauem, potest imponere obligationem leuem, siue sub culpa tantùm veniali.

3 *Interdum materia: quæ secūdum se leuis, relata ad communitatem & publicam pacem grauis est, atque capax obligationis sub culpa mortali.*

4 *Ex verbis, quibus legislator vsus est, colligi debet, qualem obligandi intentionem habuerit.*

Inspicienda etiam consuetudo & proborum hominum persuasio, quæ est optima legum interpres.

5 *Leges positiuæ ordinariè non obligant cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut bonorum magnæ iactura.*

6 *Interdum etiam humana potestas præcipere, vel prohibere aliquid potest cum periculo mortis, &c. si videlicet ex obseruatione legis, aut præcepti maius Reipubl. commodum speratur: vel ex neglectu maius incommodum timetur, quàm æstimari debeat priuatum periculum mortis, &c.*

7 *Si legis positiuæ transgressio cēsura est in contemptum legislatricis potestatis: aut Fidei, ac Religionis Christianę detrimētum, tunc ipsa etiam naturæ lex obligat ad obseruationem: quamuis cum vitæ dispendio.*

8 *Censura Ecclesiastica non obligat cum grauissimo periculo.*

9 *Sacrificare sine sacris vestibus licitum est ad grauissimum periculum mortis, &c. vitandum: modo id non cedat in contēptum Religionis.*

10 *Matrimonium cum impedimento dirimente licitè contrahitur ob metum grauem: sed non licitè consummatur.*

11 *Lex Carthusianorum de carnium abstinentia semper obligat: excepto casu, si nullo alio cibo, præter carnes, suppetente, lex naturalis dictet, vitam præsenti alimento seruandam esse.*

12 *Lex non extendit se ad præterita: sed ad futura.*

ASsertio I. Legislator tum ciuilis, tum Ecclesiasticus obligare potest subditos sub culpa mortali, si ita velit, & materię grauitas permittat: etiam in rebus, quę alioquin iure naturali aut diuino præceptæ, vel prohibitæ non sunt. Est recepta sententia S. Thomas. 1. 2. quæstione 96. articulo 4. quam explicat Victoria relect. de potest. ciuili, numero 15. Alphon. à Castro libro primo de lege pœnali, capite 4. Valentia tom. 2. disputatione 7. parte 6. contra Gersonem de vita spirituali animæ, libro 4. parte. 3. operum. Ratio est: Quia legitimus Magistratus vtitur potestate à Deo tradita, tanquam minister Dei: ergo non minùs ipsi iusta præcipienti obediri debet, quàm si Deus per se ipsum præcipiat, iuxta illud Sapient. 6. *Audite Reges, &c. quoniam data est à Domino potestas vobis*. Et 1. Regum 8. *Non te abiecerunt* (ait Dominus ad Samuelem) *sed me.* Quam etiam rationem Apostolus indicauit scribens ad Romam 13. v. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autem sunt* (potestates siue dominia gubernationis) *à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt* (ordinationi ac voluntati diuinæ) *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et ver. 4. & 5. *Dei enim minister est* (qui gladium portat) *vindex in iram ei, qui malè agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram: sed etiam propter conscientiam*: id est, non solùm timore pœnæ humanę, sed etiam peccati euitandi causa. Et sanctus Petrus Epist. 1. capite 2. *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ* (supple quæ in auctoritate constituta est) *siue Regi, &c. quia sic est voluntas Dei.* 1

Ex his etiam intelligitur dictum S. Thom. quæst. 96. a. 4. Leges hominum iustas habere vim obligandi in foro con-

conſcientiæ, à lege æterna, à qua deriuantur, iuxta ea, quę ſuprà dixit tractat. de peccatis, cap. 1. Neque tamen hinc inferas, leges ab humano magiſtratu latas, non eſſe appellandas humanas; ſed potiùs diuinas, quippe à Deo principaliter profectas, ac dependentes: Rectè enim reſpondet Suarez lib. 3. de legib. c. 21. num. 7. *Effectum, qui proximè eſt à cauſa ſecunda, ita vt à cauſa prima non procederet, niſi per illam, ſimpliciter attribui cauſæ ſecundæ*: quo modo v. g. effectus generationis humanæ ſimpliciter tribuitur cauſæ ſecundæ, à qua proximè procedit, ac determinatur.

2 Dixi autem in aſſertione; *Si legiſlator velit, & materia permittat*: Duo enim neceſſaria ſunt, vt lex humana ſub culpa mortali obliget, ſicuti bene docet Ioan. Medina C. de ieiunio, quæſt. 7. § ſupereſt tamen. Primum eſt; Materia grauis, & tantæ obligationis capax: quare, etſi maximè vellit legiſlator ſuæ legi, circa leuem materiam verſanti, grauem obligationem adiungere, non poteſt id efficere, ſicuti omnes DD. fatentur. Alterum eſt: Intentio legiſlatoris tanquam cauſa effectrix: Quare ſi legiſlator ſuæ legi, quamuis circa grauem materiam verſanti, non niſi obligationem leuem, videlicet ſub veniali tantũ culpa imponere velit, non plùs obligabit. Quia *actus agentium non operantur vltra eorum intentionem*, arg. l. non omnis ff. ſi certum petatur, & c. vlt. de præb. & docet Caſtro lib. 1. de lege pœnali, c. 5. docum. 4. Nau. c. 23. num. 49. Suar. lib. 3. de legib. c. 27. n. 6. Salas diſp. 10. ſect. 7. etſi contrarium teneat Barthol. Medina q. 96. a. 4. regula prima, Vaſq. diſp. 158. c. 4. n. 32. Bellarm. lib. 3. de membris Eccleſiæ, c. 11. ad 7. arbitrantes non eſſe in poteſtate legiſlatoris obligare ſub culpa leui, ſi materia, quæ pręcipitur, grauis ſit. ſententia probabilis etiam eſt. Et quæ hîc dixi de lege, eadem intelligi debent de pręce pto Superioris; in eius poteſtate eſſe, an ſub culpa, eáque leui, an graui (ſi materia permittat) obligare velit.

Porrò circa materiam vlteriùs obſeruandum: Quòd Alph. à Caſtro cit. c. 5. docum. 2. reprehendit eos Regularium Prælatos, qui rem leuem, puta ſilentium, tardum acceſſum ad chorum, vnius lactuco ſine licentia comeſtionem præcipiunt, vel prohibent ſub excommunicationis pœna, vel alio modo grauem obligationem ſignificãte; & aiunt DD. eiuſmodi leges ſiue præcepta, ſi quando imponantur, comminatoria tantùm cenſenda eſſe. Enimuerò, tametſi lex ſiue Superioris præceptum primùm de re leui ſit; fieri tamen poteſt, vt grauis obligatio oriatur, quando poſt Iudicis, vel Prælati admonitionem, preſertim repetitam contumacia ac veluti contemptus acceſſerit. Cuius rei exemplum habemus in c. ſi quis, de vita & honeſt. Clericorum, in quo Clericus excommunicari iubetur, qui comam nutriuerit: haud dubiè præcedente monitione & accedente contumacia. Quamuis de hac re non ſit eadem DD. ſententia, vt videre licet apud Sanch. l. 6. mor. c. 4. n. 49. & ſeqq.

3 Præterea, ne quis circa materiæ qualitatem fallatur, oportet eam ſpectare non nudè; ſed cum omnibus circũſtantijs, potiſſimum in fine, ſicuti optimè præter alios notauit Medina q. 96. a. 4. ad 2. obiect. Valent. t. 2. diſp. 7. q. 5. p. 6. q. 3. Salas diſp. 10. ſ. 6. Suar. t. 5. de cenſ. diſp. 4. ſ. 6. n. 11. Nam interdum accidit, vt quod præcipitur, vel prohibetur, ſecundùm ſe quidem leue ſit: relatum verò ad Communitatis pacem, diſciplinam, bonam famam ſeruandam, ſcandala cauenda, graue ſit, tantæque obligationis capax. Ex quo capite ab iniuria vindicabis Ducum belli conſuetudinem, milites ob furta exigua; ſed ob militarem diſciplinam grauiter prohibita, mortis ſupplicio afficientium: Item multorum Magiſtratuum ſeueriſſimè eos punientium, qui arma prohibita in ciuitatibus deferunt: ferarum venationem in ſyluis inſtituunt, quod non aduertit Nauar. c. 23. man. n. 58. & ſeqq. Et ſimile quiddam dici poteſt de diuino præcepto, quod Adamo & Euæ impoſitum fuit; atque ex obiecto, nudè ac materialiter ſpectato, exiguum videri poterat, grauiſſimam tamen obligationem attulit ob circumſtantiam finis; cuius gratia Deus præceptum illud, ſub mortis comminatione impoſuerat: videl. in ſignum ac recognitionem obedientiæ Deo rerum omnium autori debitæ, & quaſi in tributum humanæ ſubiectionis erga diuinam maieſtatem, ſicuti notauit Suar. l. 3. de leg. c. 25. n. 5.

Circa intentionem verò Legiſlatoris notat Nau. c. 23. num. 50. Alphonſus de Caſtro cit. loco docum. 4. Sanch. lib. 6. moral. c. 4. num. 32. Vaſq. diſp. 158. c. 3. conſideranda eſſe verba legiſlatoris. 4 Hæc enim *monemus, hortamur*. conſilium magis, ſiue directionis, vel diſpoſitionis formam; quàm præceptum ſignificant: At verò *Præcipimus, mandamus, prohibemus, teneantur, Nemo poſſit*, & his æquiualentia præceptum continere videntur, ſub culpa mortali obligans, ſi materiæ grauitas ſubſit, arg. Clement. exiui, de verbor. ſignif. Quòd ſi expreſſiùs in canonica conſtitutione dicatur, *Præcipimus in virtute S. Obedientiæ: ſub comminatione extremi iudicij, Gehennæ*, Multò minùs de obligationis grauitate dubitari debet. Denique verba communia, ſiue ambigua; conſiliúmne tantùm, aut ſimplicem viuendi regulam, ordinationem; an verò præceptum contineant, hæc cenſentur: *Caueant, oportet, volumus ordinam⁹, ſtatuim⁹, hoc faciãt.* In cuiuſmodi ambiguitate ſpectãda eſt materia legis, adiectio pœnæ, aliæque circũſtantiæ, precipuè finis: Imprimis etiã inſpicienda conſuetudo, ac proborum hominum communis perſuaſio, quæ eſt optima legum interpres, iuxta reg. 45. in 6. quæ ſumpta eſt ex l. in obſcuris, ff. de reg. iuris, *Inſpicimus in obſcuris, quod veriſimilius eſt, aut quod plerumque fieri conſueuit.* Quare 5 cùm prudentes ac probi omnes obligationem legis de ieiunio, vel abſtinentia Eccleſiaſtica, de audienda Miſſa, grauem & ſub mortali culpa agnoſcant, non poteſt id ab aliquo ſine temeritate in dubiũ reuocari. Vide etiam de hac materia Abb. in c. Clerici, n. 1. de vita & honeſt. Clericorum, Syl. ver. præceptum, quæſt. 2. Medinam Cod. de ieiunio ſuprà cit. q. 7. Mich. Salon. 2. 2. qu. 77. a. 1. contr. 8. Gutierez lib. 1. can. qq. c. 7. num. 21. Azor. t. 1. lib. 5. cap. 6. quæſt. 5.

Aſſertio II. Lex humana ordinariè non obligat cum periculo mortis, mutilationis, grauis infamiæ, aut bonorum magnæ iacturæ. Eſt communis DD. ſententia contra Caiet. 1. 2. qu. 96. a. 4. & ſumitur ex c. conſilium, de obſeruatione ieiunij, ibi; *cum non ſubiaceat legi neceſſitas.* & reg. 6. in 6. *Nemo poteſt ad impoſsibile obligari*: quod autẽ valde difficile eſt, moraliter impoſſibile cenſetur. Quare Iſidorus cap. 1. huius tract. allegatus, ait, legem humanã oportere eſſe poſſibilem, ſecundùm hominum naturam; ac conſuetudinem. Quare neque alia cenſeri debet mens legiſlatoris, quàm vt legis ſuæ obligatió in tali caſu ceſſet: cùm alioquin lex iniuſta, & intolerabilis eſſet, ſéque ipſam euerteret.

Atque hîc diſcrimen obſerua inter legiſlatorem Deum humanę vitæ autorem, ipſúmque Chriſtum, & inter Legiſlatorem humanum; quòd iſte legum ferendarum poteſtatem limitatam habet, quam vltrà extendere non poteſt: Deus autem ipſéque Chriſtus poteſtatem abſolutam & illimitatam, iuxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.* Quare abſolutè nos ad legum ſuarum obſeruationem, cùm quouis periculo, adſtringere poteſt: quamuis ordinariè non tanta ſeueritate diuinæ leges poſitæ ſint; ne in veteri quidem teſtamento; de ſabbatho, abſtinentia à ſanguine, carne ſuilla, &c. teſte S. Th. 1. 2. q. 100. a. 8. Soto lib. 1. de iuſt. quæſt. 6. a. 4. Victor. relect. de temper. num. 6. & 10. Vaſq. 1. 2. diſp. 161. c. 2. Suar. lib. 3. de legib. c. 30. aſſert. 3. Leſſ. lib. 4. c. 3. dub. 2. num. 10. & colligitur ex lib. 1. Machabæorum, cap. 2. v. 38. 1. Reg. c. 21. Multóque minùs in nouo teſtamento de ſuſcipiendis ſacramentis, per ſe loquendo: Nam per accidens aliter euenire poteſt, vel ratione ſcandali: vel proprij ſpiritualis detrimenti vitandi, ſi in ſpeciali caſu ſuſceptio

ſacramenti ad ſalutem alicui neceſſaria eſſe videatur. Qua de re Suar. in 3.p.t.3.diſ. 31.ſ.

6 Dixi autem in aſſertione, *ordinariè*. Nam quotieſcumque ex legis, aut præcepti humani obſeruatione maius Reipub. commodum ſperatur; aut ex illius neglectu maius incommodum timetur, quàm æſtimari debeat priuatum periculum vitæ, famæ, bonorum amittendorum; tunc lex, aut præceptum etiam cum tanto periculo obligare poteſt, ſicuti notauit Carbo lib. 7. de leg. diſp. 6. poſſit. 2. Sotus ſuprà cit. quæſt. 6. a. 4. & in 4. d. 22. quæſt. 1. a. 4. Medina 1.2. quæſt. 96. a. 4. §. ſequitur grauiſſimum dubium, Vaſq. cit. c. 2. Sic enim belli dux militi præcipit, vt ſtationem ſeruet cum vitę diſcrimine; & ſummus Pontifex Sacerdoti, vt cum ſimili periculo Chriſti fidem paganis prædicet. Deinde, ſi legis poſitiuæ tranſgreſſio ceſſura
7 videatur in contemptum legiſlatricis poteſtatis: aut Fidei, ac Religionis Chriſtianę detrimentum; tunc ipſa etiam naturæ lex obligat ad obſeruationem, quamuis cũ propriæ vitæ diſpendio, ſicuti notarunt Sotus cit. q. 6. a. 4. Medina l.c. Vaſq. in fine diſp. 161. Suarez de cenſur. diſp. 6. ſect. 3. & cit. cap. 30. num. 7. Ægid. Coninck 3. p. t. 2. diſp. 13. dub. 12. in fine. Cuius rei exemplum habes in Eleazaro 2. Machab. 6 Et in eandem ſententiam S. Aug. dixit libro de bono coniugij cap. 16. *Satius eſt fame mori, quàm idolothytis veſci*: puta cum ſcandalo, vel Religionis contemptu, ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth. 10.

8 Corollarium I. Eccleſiaſtica cenſura ligatus non tenetur cum periculo vitæ, infamiæ, alteriúſve grauis iacturæ, abſtinere à communione fidelium, ſeu in ſacris, ſeu politicis negotiis, ſicuti docent Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 4. Sanch. l. 1. moral. c. 12. num. 8. Vaſq. diſp. 161. c. 4. Auila p. 2. de cenſur. c. 6. diſp. 11. concl. 4. & 5. Suar. lib. 3. de leg. cap. 30. num. 16. Alijs quoque, ob ſimile periculum, permiſſum eſt cum excommunicato vitando communicare; ſecluſo contemptu Eccleſiaſticæ poteſtatis. Qua de re fuſiùs tract. ſequenti p. 2. c. 2. & ſeqq.

9 Corollarium II. Si Tyrannus, morte intentata, cogat Sacerdotem ſine ſacris veſtibus, altari lapideo, aliiſque Eccleſiaſtico iure requiſitis ſacrificare; inſpiciendum eſt, vtrum id tendat in Religionis, vel tremendi Sacrificij contemptum, néc ne. Nam primo caſu mors appetenda potiùs eſt, ſicuti rectè docuit Caiet. cit. a. 4. Altero verò caſu ſacrificari ita poteſt; teſte Medina eadem q. 96. art. 4. §. ſequitur grauiſſimum dubium, concluſ. 3. Ægid. cit. diſp. 13. dub. 12. n. 103. Suar. diſ. 6. de cenſur. ſect. 3. n. 4. Vaſq. c. 3.

10 Corollarium III. Mortis, alióve graui metu adactus matrimonium licitè contrahit cum conſanguinea; tacita intentione, quantùm in me eſt, ſi nihil aliud impediat. Nõ tamen licitè conſummat ante impetratam à Papa diſpenſationem: quia eſſet copula fornicaria, & inceſtus. Ita docent Sanch. lib 7. diſp. 5. de matrim. num. 4. Suar. cit. c. 30. num. 13 Vaſq. cit. diſp. 161. c. 3. & videntur idem ſentire Sotus & Medina ll. ſuprà citatis, contra Caiet. 1.2. q. 96. a. 4. Nauar. c. 27. num. 141. in fine, qui priorem partem huius corollarij negant.

1 Corollarium IV. Lex Carthuſianorum de carnium perpetua abſtinentia, non comprehendit eum caſum, cũ nullo alio cibo ſuppetente, lex naturalis dictat vitam alimento ſeruandam: quare in tali caſu mortifere peccabit Carthuſianus, ſi abſtineat, ſicuti benè probat Ioannes maior in 4. d. 38. quęſt. 24. Vaſq. diſput. 162. cap. 4. licet contrarium doceat Leſſius lib. 4. c. 3. dub. 2. num. 12. Quãdiu verò alij cibi ſuppetunt, laudabilis eiuſdem Ordinis conſuetudo ita regulã interpretatur, vt fas ipſis non ſit, cuiuſcunque ægritudinis occaſione, carnibus veſci. Quia ſi alij cibi haberi poſſint, carnium eſus non eſt medium abſolutè neceſſarium ad vitam ſeruandam: diutiùs autem vitam prorogare delicatiore viuendi modo nemo tenetur, ſi id à vitę inſtituto alienum ſit, maiúſque & publicum bonum, virtutis, ac regularis obſeruantiæ impediat, vel imminuat: tunc ſanè paruam longioris vitę iacturam perpeti ſeu permittere à ratione naturali alienum non eſt, ſed temperantiæ ac fortitudinis opus, Deo naturæ au ori gentium, ad quod proinde Carthuſiani iuxta regulam ſuam ſe obligare poſſunt. Vide etiam Ioannem Gerſonẽ, p. 2. operum, tract. de abſtinentia Carthuſienſium, Victoriam rel. de temperant. n. 8. & ſeqq.

Aſſertio III. Obligatio legis non ſe extendit ad actus 12
præteritos, ſed ſolùm ad futuros. Hæc eſt certa aſſertio, quod attinet ad effectum legis, qui eſt obligatio ſub culpa. Nam cauſa prior eſt effectu ſuo: & ad præteritum non datur potentia conſequenter lex ſuperueniens non poteſt regulam, vel obligationem imponere actibus factis, ſed ſolùm faciendis, ſicut bene explicat Suar. l. 3. c. 14. num. 8. Quod verò attinet ad alios effectus legis; cuiuſmodi ſunt declarare, pœnam delicto ſtatuere, formam actui præſcribere, & aliter factum infirmare, &c. nihil obſtat, legem ad præterita etiam extendi, ſicuti DD. docent in c. vlt. de conſtit. Nam lex quatenus ſolùm declaratoria eſt; v.g. matrimonium tali modo contractum pro inualido habẽdum eſſe: etiam ad præterita ſe extendit, ſicuti docent Canoniſtæ, pręſertim Abb. num. 11. cit. c. vlt. Suar. cit. ca. 14. num. 2. Quatenus verò lex nouam pœnam delictis ſtatuit, ordinariè intelligenda eſt de peccatis committendis, attamen nihil obſtat, ſi legiſlator velit, & mentem ſuam exprimat, vt noua pœna decernatur etiam ijs, qui antè contra naturalem, aut poſitiuam legem deliquerunt. Similitérque dicendum de lege præſcribente formã actui, aut infirmante actum, niſi taliter fiat: *non ad præterita, ſed ad futura tantùm* ordinariè *extendi*: *Cùm leges & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi: niſi nominatim in eis de præteritis caueatur*, cit. c. vlt. de Conſtit.

CAP. XV.

De lege pœnali.

SVMMARIVM.

1 Lex vel eſt abſolutè obligatoria ſine adiectione pœna: vel eſt merè pœnalis ſine obligatione ſub culpa: vel denique eſt mixta, qua tum ſub culpa, cum ſub pœna obligat.

2 Culpa interdum ſtrictè accipitur pro defectu coram Deo culpabili, interdum verò latè, pro quocunque defectu moris, ſaltem politicè culpabili.

Ex grauitate adiecta pœna mortis, mutilationis, exilij, &c. coniectura ſumitur de mente legiſlatoris ſub mortali culpa obligantis.

3 Leges pœnales non ita interpretandæ ſunt, quaſi earum tranſgreſſores in conſcientia obligentur ad pœnam per ſe ipſos ſoluendam, ſeu actiuè exequendam.

4 Qui commiſit crimen læſa maieſtatis, hæreſis, &c. ante Iudicis ſententiam licitè ac validè bona ſua alienat, ea tamen conditione, vt ſi deinde ſententia feratur, quamuis poſt mortem criminoſi omnia bona, à die commiſſi criminis alienata, fiſcus reuocare poſſit.

Debet tamen fiſcus emptori pretium reſtituere, ſi extet: vel quatenus criminoſus, cui fiſcus ſuccedit, ditior exinde factus eſt.

5 Leges pœnales interdum ipſo facto, & ante Iudicis ſententiam efficiunt criminoſum inhabilem ad acquirendum, vtendum, ſicuti videre eſt in Eccleſiaſticis cenſuris, irregularitate, canonicis impedimentis matrimonij, &c.

6 Non facile tamen reperietur lex tanta ſeueritate obligans, vt criminoſus ante iudicis ſententiam teneatur poſitiuam pœnalem actionem exercere, abdicando ſe dominio ac titulo acquiſito.

Etſi lex pœnalis ipſo facto decernat priuationem rei ſuæ: non tamen criminoſus ad executionem obligatur ante ſententiam Iudicis.

7 Reus tenetur per ſe ipſum exequi pœnam honeſtam, & non nimis acerbam, poſtquam per Iudicis ſententiam ad id condemnatus eſt.

Iudex interdum condemnat Reum ad agendum, videlicet in mitioribus pœnis, & mulctam ſoluat, vt in carcerem eat. Interdum

dum verò ad patiendum, videlicet pœnas grauiores mortis, mutilationis, verberationis publicæ & infamiæ.

8 *Damnatus vt venenum ebibat, parere non tenetur; imò nec posse videtur.*

9 *Damnatus ad mortem mediâ perferendam, non tenetur cibum clam sibi subministratum recusare: quamuis possit, ob iustitiæ amorem.*

10 *Ante iudicis sententiam semper licitum est reo fugere: nisi promiserit vel iurârit se permansurum.*

Etiam post latam sententiam de pœna grauissima mortis, mutilationis, &c. sustinenda, Reus fugere potest: Quin & in eum finem vincula & compedes rumpere.

11 *Reus mortis etsi fugere possit, non tenetur: quin & Iudici se ipsum sistere, ad iustam pœnam patiendum, non prohibetur.*

1 LEx alia est absolutè obligatoria, sine adiectione pœnæ: quæ proinde, si à iure definita non sit, Iudicis arbitratu transgressori imponi debet. Alia verò est pœnalis lex aliquid præcipiens, vel prohibens, certa pœna constituta. Et hæc iterum duplex: Vna merè pœnalis; altera mixta, sicuti docet Henricus quodlib. 3. q. 22. Angel. ver. inobedientia, Castro lib. 1. de lege pœnali c. 8. & 9. Salon 2. 2. q. 77. a. 1. contr. 7. Philiarchus t. 1. p. 2. lib. 3. c. 2. concl. 1. Suar. 1. lib. 5. de leg. c. 4. num. 2.

Lex purè pœnalis est, cùm Legislator ad culpam obligare non intendit; sed ad solam pœnam. Nam sæpe ad animarum pericula cauenda, expedit in communitate conscientias non obligari sub culpa; & nihilominus quasdam constitutiones fieri boni publici causa, cum obligatione ad pœnā qua ratione quarundā Religionum leges positæ sunt, iuxta Clement. exiui, de verb. signif. Etsi verò, si rectè attendimus, eiusmodi cōstitutiones seu ordinationes non sint propriè leges, in ordine ad id, quod ordinatur: nam omnis lex iusta est Superioris præceptum, consequenter obligans in conscientia, sicuti bene aduertit Syl. ver. inobedientia, in fine. Sanchez lib. 6. moral. c. 4. n. 12. habent tamen similitudinem cum legibus propriè dictis: quia modo simili feruntur propter bonum publicum, à Superiore autoritatem habente; circa actiones subditorum, ad quas iurisdictio se extendit: imò in eo etiam similes sunt, quia saltem remotè continent aliquam obligationem in conscientia, videlicet ad pœnam acceptandam, si sententia ac præcepto Superioris, subdito legem pœnalem transgredienti imponatur. Quare obseruarunt Sotus lib. 1. de iust. q. 6. a. 5. in fine. Castro lib. 8. de legib. c. 5. Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. de voto, c. 4. num. 14. eiusmodi leges pœnales sub conditione ac veluti disiunctione latas censeri, *Nemo ciuium in nemore ligna cadat; aut si ceciderit, paratus esto pœnam soluere. Nemo Regularium tali tempore loquatur; alioquin pœnam luere paratus esto*: dummodo ea per præceptum inferatur, vti dicam latiùs lib. 4. tr. 5. c. 9. q. 1. dicto 3.

Obijcies. Nemo puniri debet qui non peccauit: Nam pœna definitur à Iureconsulto in l. 131. de verb. signif. *peccati vltio, & noxæ vindicta*. Et S. August. in lib. 1. retract. c. 9. dixit; *Omnis pœna si iusta est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.* Ergo repugnat dari leges merè pœnales, seu obligantes ad pœnam, non præcedente culpa. Respondeo cum Soto, Carbone, Sanchez, ll. cc. Suarez cit. c. 4. Pœna interdum propriè & strictè accipitur quatenus est correlatiuum peccati, seu culpæ propriè dictæ, cui secundùm proportionem pœna respondere debet, iuxta illud Deuteron. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus*: & notauit Gerson de vita spirituali, lect. 1. ante primum corollarium, Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 3. Interdum verò recipitur latè pro quocunque incommodo, quod alicui iustè infligitur, quamuis nulla præcedente eius culpa, siue peccato, sicuti notauit Gl. in c. 2. de Constitut. & adstipulatur reg. 23. in 6. *Sine culpa, nisi causa subsit, nemo est puniendus.*

2 Similiter distinguere possumus nomen culpæ, quod interdum strictè ac propriè accipitur pro defectu coram Deo culpabili; interdum verò latè pro quouis defectu moris; seu Theologicè & coram Deo; seu saltem politicè, coram hominibus culpabili. Quâ ratione certum est, Magistratum ciuibus; Prælatum regularibus: patrem famil. domesticis suis, ob defectus & culpas ciuiles, regulares, domesticas; quamuis coram Deo innoxijs, pœnam irrogare posse, communis disciplinæ gratia.

Lex pœnalis mixta est, quæ tam sub culpa, quàm sub pœna obligat. Quod autem Nau. c. 23. n. 55. & 66. existimat, rariores esse eiusmodi leges, præsertim ciuiles: eò quòd legislator suæ legi pœnam adijciens, ea contentus esse censeri debeat, neque sub culpa obligare velle, nisi aliud exprimat: id communiter à reliquis DD. reijcitur. Nam pœna legi adiecta culpam non destruit: sed magis supponit, ac requirit. Profectò n. non tantùm in legib. Ecclesiasticis, censuram excommunicationis, suspensionis, &c. continentibus: sed etiam in ciuilibus, sæpe ex annexa grauitate pœnæ: puta mortis, mutilationis, exilij, magnæ amissionis bonorum, &c. certa coniectura capi potest, de mente legislatoris sub graui seu mortali culpa obligare volentis, modò materia seu obiectum legis tantæ obligationis capax sit. Ita notauit Sotus lib. 4. de iust. q. 6. a. 5. Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. vlt. Sanchez lib. 6. moral. c. 4. num. 64. Exemplum habes in decretis Principum, sub pœna exilij aut corporali ferarum venationem prohibentium. qua de re Medina C. de restit. q. 12. Quòd si simplex pecuniaria mulcta legi adiuncta sit, partim ex materia, & fine, alijsque circumstantijs; partim ex verbis legis de mente legislatoris coniectura capienda est: Sic v. g. ex materia & fine legis de tributis Principi præstandis, concludit Suarez lib. 5. c. 14. num. 12. eam præceptiuam censeri, atque ob transgressionem præcepti, pœnam adiectam esse. Contrà verò ex materia, fine, ipsaque verborum formula colligi potest, tales leges merè pœnales esse; *Si quis deprehensus fuerit frumentum ex prouincia euehere, in tali publico loco venari, ligna cædere, &c. hanc pœnam pecuniariam soluat.*

His positis, est assertio I. Leges pœnales non ita interpretandæ sunt, quasi earum transgressores in conscientia obligentur ad pœnam per se ipsos soluendam, seu actiuè exequendam. Hæc est communior DD. sententia Caiet. 2. 2. q. 61. a. 3. & in sum. ver. pœna, Soti lib. 2. q. 6. a. 6. de iust. Syl. ver. pœna, q. 25. Nau. c. 23. n. 66. & lib. 3. consil. 8. de donat. edit. 2. Cordubæ lib. 1. quæstionarij, q. 36. Gouar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 12. Azor. to. 1. lib. 5. c. 7. q. 1. Sanch lib. 2. moral. c. 22. n. 7. Less. lib. 2. c. 29. n. 63. contra Abb. in c. dilecti, de arbitris. Castrum lib. 2. de lege pœnali, c. 8. & 9. Nam legem humanam oportet esse hominum moribus ac naturæ congruam: Est autem valde alienum à natura & moribus hominum, quod idem cogatur esse reus, ac iudex, vel iustitiæ executor: non raro occulti sui criminis proditor & accusator. Quapropter aduertit Medina 1. 2. q. 96. a. 4. Eiusmodi leges pœnales, quatenus præceptum continent, ad subditos dirigi, vt eas obseruent; quatenus verò pœnam siue mulctam adiungunt, præcipuè ad Iudices referri, vt eam transgressoribus imperent, exigant: quamuis etiam secundariò ad subditos, vt iustæ executioni obtemperent, sicut suprà dixi. 3

Corollarium: Pœna confiscationis bonorum, quæ ipso iure incurritur, v. g. ob crimen hæresis, iuxta c. cùm secundùm leges, de hæret. in 6. ob crimen læsæ Maiest. iuxta l. 5. & vlt. C. ad l. Iuliam maiestatis; non eo sensu intelligi debet, quasi criminosus à lege condemnatus, bonorum suorum dominio, aut possessione, ante Iudicis sententiam priuatus sit; vt ea retinere aut validè alienare nequeat, sed fisco deferre debeat sui ipsius accusator, iudex, aut vindex. Sed sensus est, à die commissi criminis, ante omnem Iudicis sententiam, bona criminosi reali obligatione; veluti vinculo, adstringi fisco: vt ad quemcunque possessorem quocunque titulo seu contractus, seu hæreditatis, aut legati perueniant: tali onere obligata maneant, quòd post Iudicis sententiam condemnato- 4

riam, vel declaratoriam criminis, rescisso contractu, testamento, &c. vindicari ac fisco applicari possint: vnà cum fructibus extantibus, vel quatenus possessor inde ditior factus est. Quæ est communior sententia Caiet. Soti, Couar. Azorij, Cordubæ, Sanchez, Lessij ll. cc. Victor. relect. de Indis, n. 8. Medinæ C. de eleemosyna, q. 4. in princ. Syl. ver. hæresis, 1. q. 6. & 8. Nau. c. 28. man. n. 66. Iacobi Simancæ de Cathol. instit. tit. 9. n. 17. Antonij Gomez 3. resol. c. vlt. Vasq. disp. 170. c. 3. Bannes 2. 2. q. 12. a. 2. Suar. lib. 5. de leg. c. 5. n. 9. Mol. tr. 2. disp. 95. contra Abb. in c. 1. de constit. & in c. dilecti, de arbitris, Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 10. & 11. Quamobrem licet in his grauissimis criminibus sententia feratur etiam in defunctum, iuxta l. vlt. C. ad l. Iuliam Maiestatis, &c. 2. de præscript. in 6. iunct. Gl. ver. hæretici, Abb. in c. vlt. de hæret. in fine, Couar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 7. tamen iuris fictione retrò trahitur ad diem commissi criminis, fitque executio confiscationis perinde ac si tunc sententia lata fuisset. Illud verò hîc moneo, quòd fiscus bonæ fidei possessori, v. g. emptori, in quem post commissum crimen à defuncto res alienata fuerat, pretium restituere teneatur, si extet; vel quatenus inde defunctus, cui fiscus succedit, ditior factus fuit, sicuti ex communi docent Simanca de Cathol. instit. tit. 9. n. 29. & seqq. Gomez 3. resol. c. 2. n. 2. Vasq. disp. 172. c. 2. n. 7. Sanch. cit. c. 22. n. 68. Vide etiam Nau. lib. 3. consil. 8. num. 3. de donat. vbi resoluit; Tametsi aliquis sciens pœnam confiscationis ipso iure ob admissum crimen, incursam esse, donationem à criminoso accipiat, non esse obligatum ad bona fisco reddenda, nisi à Iudice repetantur. Vide Vasq. disp. 171. c. 3.

5 Assertio II. Leges pœnales, præsertim ecclesiasticæ, interdum ipso facto siue criminis commissione, ante omnem Iudicis sententiam, efficiunt criminosum inhabilem ad acquirendum, vel acquisito vtendum; ita vt abstinere in conscientia obligatus sit. Quæ est communis DD. sententia Caiet. 2. 2. quæst. 62. a. 3. Sa ver. pœna, num. 1. Suar. lib. 5. de legib. cap. 8. Nau. c. 23. man. num. 67. Rodriq. t. 1. regul. qq. q. 6. a. 16. Castro lib. 2. de lege pœn. cap. 5. Molinæ to. 1. tr. 2. disp. 96. Exemplum habemus I. In censuris Ecclesiasticis, quæ dicuntur latæ sententiæ. II. In irregularitate ob crimen. III. In canonicis impedimentis matrimonij ex crimine contractis. IV. In inhabilitate ad suffragium seu actiuum, seu passiuum, quę interdum ipso facto incurritur, sicuti videre est apud Suar. lib. 5. de leg. cap. 9. Quamuis Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6. a. 6. ad 4. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 30. n. 2. Mol. cit. disp. 96. negent, inhabilitatem ad ferendum suffragium ipso facto impositam ob crimen, incurri ante Iudicis sententiam. V. In inhabilitate acquirendi reditus beneficij, ob neglectum officium canonicum, iuxta verba Concilij Lateranensis sub Leone X. *Beneficiorum suorum fructus non faciat suos.* Et iterum, *tanquam iniustè perceptos erogare teneatur*: Vel ob intermissam residentiam, iuxta Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. *Eum pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facere: nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuto, illos sibi detinere posse.* Talis etiam pœna videri potest, quæ in Trident. Conc. sess. 24. c. 12. de reform. prouisis de beneficio curato, vel canonicatu, aut dignitate Ecclesiæ Cathedralis decernitur; vt nisi intra duos menses, post diem possessionis adeptæ, fidei professionem edant, *fructus suos non faciant*: atque ita docet Azor tom. 2. lib. 7. c. 2. q. 1. Quamuis Thom. Sanchez lib. 2. moral. cap. 6. num. 11. existimet, opus esse Iudicis sententia, & condemnatione, vt beneficiatus ita perceptos fructus restituere cogatur. VI. In inhabilitate acquirendi dominium bonorum incertorum, quæ ex furto, rapina, vsura possidentur, & proprijs dominis restitui non possunt. ea enim pauperibus erogari debent ante omnem Iudicis sententiam: iuxta c. cùm tu, de vsuris.

6 Cæterùm, etsi dubium esse non debeat, quin supremus Princeps, ex plenitudine potestatis, subditos ob crimen graue aut perniciosum, ipsa lege lata, absolutè spoliare possit dominio, vel iure iam acquisito; ita, vt ante Iudicis sententiam, teneatur reus positiuam pœnalem actionem exercere, abdicando se dominio, ac titulo acquisito, sicuti fusè ostendit Suar. cit. lib. 5. cap. 5. & seqq. non tamen satis constat, tales leges seu Imperatorias, seu etiam Pontificias hactenus tanta seueritate latas, etiam vsu receptas esse. Esto enim interdum exprimatur, v. g. vt pœna priuationis, vacationis officij, aut beneficij ipso iure ac facto incurratur; plerumque tamen benignior interpretatio adhiberi potest, criminosum non statim excidere dominio, siue iure retinendi officium, aut beneficium; modò illud per se, vel per alium administret: sed latam postea à Iudice sententiam idem operari, ob iuris dispositionem, ac si tempore commissi criminis lata fuisset, sicuti suprà dixi de pœna confiscationis bonorum. Atque ita docet Caiet. l. c. Couar. 4. decret. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 8. Nau. in comment. de datis & promissis, not. 31. num. 44. Auila p. 1. de censur. dub. 7. Sanch. lib. 2. moral. c. 26. Less. c. 35. dub. 26. in princip. Sa. ver. pœna, n. 1. Suar. t. 1. de Relig. tr. 3. lib. 4. de Simon. c. 43. n. 13. vbi regulam generalem & communiter receptam tradit: *Quando aliquis per pœnam priuatur re sua, non obligatur ad executionem ante sententiam.* Et licet addatur verbum, *ipso iure* vel *ipso facto*, accommodatur tamen pœna secundùm capacitatem eius.

Assertio III. Reus debet per se ipsum exequi pœnam honestam, & non nimis acerbam, posteaquam per Iudicis sententiam ad id condemnatus est. Ita docet. S. Tho. iuncto Caiet. 2. 2. quæst. 62. a. 3. idem Caiet. q. 69. a. 3. & 4. Nau. comment. 4. de Regul. num. 63. Driedo lib. 2. de liber. Christ. cap. 6. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 3. Suar. lib. 5. de leg. cap. 10. num. 15. Salas disp. 15. s. 7. Nam quisque subditus Superiori suo, iusta & moraliter possibilia præcipienti obedire debet. Exemplum habes primò; Si condemnatus sis in carcerem, vel in exilium: debes eò te conferre, ibique manere. Secundò: Damnatus ad mulctam pecuniariam, debet eam soluere: quamuis expectare possit, donec exigatur, teste Nau. cap. 23. num. 66. Salas num. 82. Nisi Iudex expressè iubeat, vt reus, sine alia admonitione pecuniam per se adferat. Idémque obseruari solet in pœna conuentionali, vt licet vna contrahentium pars eius obligationem contraxerit; non tamen soluere cogatur, priusquam altera postularit: nisi aliter conuentum sit: Qua de re Couar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. num. 14. Nauar. num. 68. Suar. lib. 5. cap. 6. num. 7. Vasq. disput. 173. c. 1. num. 3. qui etiam Iudicis sententiam siue coactionem requirit: sed hoc non placet. Quod enim aliquis ex libera conuentione debet, id in conscientia soluere cogitur, etiamsi iudex non iubeat. Tertiò; Reus per sententiam Ecclesiastici Iudicis obligari potest v. g. ad abstinentiam, sui ipsius flagellationem moderatam, & non infamem, qualis consuetudo viget in quibusdam Religionibus, & officio sanctæ inquisitionis, sicuti docent Sotus lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. ante resp. ad argument. Suarez lib. 5. cap. 10. num. 17. Vasq. disput. 173. cap. 3. 7

Assertio IV. Reus, postquam per Iudicis sententiam condemnatus est ad pœnam mortis, mutilationis, flagellationis publicæ & infamis, debet indirectè & per accidens cooperari, quatenus id conueniens aut necessarium est ad publicæ iustitiæ pœnam perferendam, ne legitimæ potestati resistere videatur. Ita DD. citati. Quare ad furcam damnatus scalas conscendere; ad gladium damnatus iugulum præbere debet. Dixi *indirectè & per accidens*: Nam directè in se ipsum pœnam tam acerbam aut ignominiosam exequi non tenetur: vt v. g. se ipsum publico foro flagellet: cùm id nimis à natura hominis alienum sit, adeóque præceptum moraliter impossibile. Quapropter obseruat S. Thom. 2. 2. quæst. 95. art ad 2.

Ioan.

Ioan. Driedo cit. a. 6. Castro lib. 2. de lege pœn. cap. 3. Sotus lib. 5. quæst. 6. art. 4. in fine, Reum à iudice interdum condemnari ad agendum: nempe in mitioribus pœnis, vt pecuniam soluat, in carcerem eat: interdum verò condemnari ad patiendum, videlicet pœnas grauiores, mortis, mutilationis, captiuitatis perpetuæ, &c.

8 Sed dubitant primò: An damnatus ad venenum bibendum, parere possit? Affirmat Victor. relect. de homic. num. 30. Arrag. 2. 2. quæst. 69. a. 4. Sa ver. iudicialis actus, in reo, num. 12. Corduba lib. 1. quæst. 36. Sed rectiùs alij negant, Caiet. cit. quæst. 69. a. 4. ad 7. quæst. Couar. 1. resol. c. 14. n. 8. in fine. Sotus lib. 5. quæst 6. a. 4. Salon cit. quæst. 96. a. 4. Sairus lib. 7. cap. 9. num. 26. Nam directa & positiua suiipsius occisio neque iustè imperari, neque iustè executioni mandari potest. Qui autem venenum sciens epotat, non minùs directè ac positiuè ad sui occisionem concurrit, quàm si liquidum & feruens plumbum ebibat, aut ense se confodiat: Ergo, &c. Veruntamen cùm hæc res inter Doctores controuersa sit; conformare se poterit reus probabili sententiæ Iudicis, ita præcipientis: non tamen ad id obligatur; cùm sit præceptum inhumanum, & facilè aliud supplicium decerni possit.

9 Dubitant secundò: Vtrum damnatus ad mortem inedia perferendam, possit, aut etiam debeat recusare cibum, clanculum sibi, contra Iudicis voluntatem, subministratum? Resp. & dico I. Posse recusare: quia actiuè non cōcurrit ad mortem suam; sed iustitiæ amore eam fortiter perfert ac patitur, sicuti docent Sotus, Sairus ll. cc. Maior in 4. d. 15. quæst. 2. 2. Tolet. lib. 5. c. 6. P. Nau. lib. 2. de rest. c. 3. num. 72. contra Caiet. Arrag. Castro locis suprà cit. Couar. num. 10. Vasq. disp. 174. c. 4.

Dico II. posse etiam acceptare & comedere, sicuti docent Henricus à Gandauo in quodlibeto 9. q. 26. S. Thomas cit. a. 4. Salon ibid. Sotus loco suprà cit. Sa l. c. n. 11. contra Driedon. lib. 2. de libertate Christ. c. 6. dub. 1. Quia nimis difficile est mortem oppetere, si se aliquis facilè liberare possit.

10 Dubitant tertiò; Vtrum licitum sit reo capto fuga sibi consulere? Resp. & dico 1. Ante Iudicis sententiam, semper licitum est Reo fugere; nisi promiserit, vel iurarit se permansurum. Est communis doctrina Couar. 1. resol. cap. 2. num. 11. & seqq. Nauar. comment. 4. de regul. n. 63. ad 4. Arrag. 2. 2. q. 69. a. 4. contr. 2. concl. 1. Dried. cit. cap. 6. Less. lib. 2. c. 31. dub. 5. Vasq. disp. 174. c. 2. Quia ante latam sententiam nullum Reo præceptum manendi impositum est; ideóque carcer in hoc casu non se habet per modum pœnæ: sed solùm per modum custodiæ: quare si negligenter custodiatur, custodum hæc culpa est: reus autem iure ac libertate sua vtitur.

Dico II. Etiam post latam sententiam mortis vel mutilationis Reus fugere potest, proprij grauissimi periculi declinandi causa. Ita Henricus l. c. S. Thom. quæst. 96. a. 4. ad 2. ibid. Caiet. Arrag. Driedo, Tolet. Couar. ll. suprà cit. Syluest. ver. fugere. Atque in eum finem vincula & carceres perfringere, sicuti docent. Caiet. & Driedo ll. cc. Nau. c. 17. num. 102. Sotus lib. 5. quæst. 6. a. 4. Sa num. 9. Less. l. c. num. 36. contra Henricum Gandauensem cit. q. 26. Maiorem in 4. d. 15. q. 22. Couar. l. c. num. 14. Cui enim concessus est finis, huic etiam media ad finem necessaria concessa sunt.

Neque desunt, qui hanc fugiendi licentiam ad perpetuos carceres, ad triremes, ad seruitutem extendunt: Salon l. c. concl. 4. Suar. lib. 5. de legibus cap. 10. num. 16. Less. num. 39. Quia nimis etiam dura, & à naturali inclinatione aliena videtur esse obligatio persistendi in perpetua, aut durissima captiuitate, seruitute; si facilè se Reus liberare possit. Rectè tamen id limitat Suarez, nisi quis iuramenti aut voti religione; vel speciali promissione ad permanendum obligatus sit: qua ratione concludit, Regularem iustè ob crimen damnatum ad carcerem perpetuum fugere nō posse; quia ratione voti obedientiæ tenetur Prælato obedire in omnibus, quæ sunt secundùm, regulam, & accessoria ad regulam. Quod etiam respondit Nau. cit. comment. 4. de regul. num. 64. qui tamen ibi vniuersim negat, Reo post latam sententiam licitum esse ex captiuitate fugere: quæ sententia probabilis est, eámque etiam tenent Sotus lib. 5. quæst. 6. a. 4. Vasq. disput. 174. c. 1. in fine, & videri potest Sanchez lib. 6. moral. c. 8. num. 12.

Dico III. Quibus casibus Reo fugere, eiúsque rei causa compedes vel carceres effringere permissum est; alijs quoque ad id consilium, vel instrumenta illi subministrare licet; non tamen ad violandum custodiam principaliter cooperari. Ita Caiet. cit. art. 4. ad quæst. 5. Ibid. Salon contr. 3. Driedo cit. cap. 6. Sa num. 6. Less. dub. 6. Vasq. disp. 174. c. 3. contra Sotum lib. 5. q. 6. a. 4. Ratio prioris est: Quia ordinariè alteri opem ferre licet ad id, quod ab ipso rectè fieri potest: Interdum verò obstat lex specialis id prohibens; item specialis obligatio, ratione officij, impedit Iudicem, Custodem, aliósque iustitiæ ministros, quo minùs Reum in hac re adiuuare possint. Ratio posterioris est: Quia publicam custodiam effringere, ac violare, res per se grauis est, ac proinde soli Reo, ratione grauissimæ necessitatis suæ declinandæ, concessa; non item alijs, si id agant vt causæ principales: sin verò, spectatis circumstantijs, aliquis agat vt instrumentum alterius; v. g. famulus intra custodiam, iussu heri captiui, muros perforans; puto consequenter dicendum, in conscientia non esse illicitum. Quia quod aliquis per se ipsum, idem etiam per alium, tanquam instrumentum suum, efficere potest.

Neque obstat, quòd fuga illa in detrimentum Custodis cessura sit: hoc enim Reus permittere potest, quandò iure suo vtitur, reg. ff. 55. *Nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur.* Nec obstat secundò, quòd Iureconsultus in l. 1. ff. de effractoribus dixit; *supplicium sumendum de ijs, qui è carcere, foribus effractis, vel conspiratione facta, erumpunt.* Nam resp. I. Eum secutum fuisse sententiam non improbabilem, quæ etiam est Henrici, Couar. ll. cc. Simancæ de Cathol. instit. tit. 16. n. 28. & fauet Syl. ver. fugere & ver. accusatio, n. 12. peccare Reos, cùm è carcere erumpunt. Resp. II. Rei fugam carceríſue effractionem, grauem præsumptionem, ac veluti confessionem criminis præbere, ob quam iure puniri posse videatur; prætetquam quòd Reipub. intersit, tales quamuis minùs noxios, aliquantò grauius puniri, vt publica custodia inuiolata sit.

11 Cæterùm; etsi Reo ad grauissimam pœnam damnato, secūdùm probabilem sententiam, fugere licitum sit; certum tamen est, posse etiam non fugere, sed amore iustitiæ Iudicis se sententiæ conformare. Qua de re vide Ang. & Sylu. v. fugere, Caiet. cit. a. 4. q. 6. Sot. cit. q. 6. a. 4. Couar. cit. c. 2. n. 9. Vasq. cit. disp. 174. cap. 4. Quin imò mortem commeritus vltro se Iudici sistere, & occasionem iustitiæ exercendæ afferre non prohibetur, vti rectè docet P. Nauar. lib. 2 cap. 3. num. 75. Less. lib. 2. c. 9. dub. 6. num. 28. Nam sicuti alius Iudici suadere potest, vt publica auctoritate Rex iustam mortem decernat; ita & reus idem suadere, seu petere non prohibetur.

CAP. XVI.

De lege prohibente, vel infirmante pacta, contractus testamenta, &c.

SVMMARIVM.

Legislator supremus potestatem habet, ex iusta causa, personas aliquas ad contrahendum, testandum inhabiles reddere: item

contractus: vel testamento certam formam præscribere, quæ ad eorum substantiam pertinere debeat.

2 *Interdum lex contractui nec resistit, nec assistit: vti videre est in pacto nudo, ex quo ciuili iure actio non conceditur.*

3 *Interdum lex contractum prohibet, sed non infirmat, nec à Iudice infirmandum decernit.*

Si lex Ecclesiastica simpliciter aliquid prohibeat nulla facta mentione infirmandi, non censetur infirmare: secus est dicendum de lege imperiali.

4 *Interdum lex contractum aliúmue actum, licet per ipsam non infirmet, tamen à Iudice infirmandum decernit.*

5 *Interdum lex contractum, testamentum &c. ipso facto, & ante omnem aliam sententiam irritum reddit: consequenter Iudici iubet, vt per sententiam ita declaret.*

Talis infirmatio contractus, alteriúsue actus, suapte natura subsistentis, plerumque intelligitur tantùm ciuiliter: vt interim maneat obligatio naturalis, per se sufficiens ad transferendum dominium, aliósque effectus.

6 *Interdum lex plenissimè infirmat actum, v. g. matrimonium clandestinum: vt nullus inde effectus aut obligatio, ne in conscientiæ quidam foro, oriatur.*

7 *Si legislator, cùm actum instituit, vel eius exercendi potestatem primitus confert, formam vel conditionem apponat, cum qua exerceri debeat, censetur forma substantialis.*

Sin verò legislator formam aliquam procedendi præcipiat obseruari ab ijs, qui iam antè actus secundùm substantiam exercendi potestatem habuerunt, forma accidentalis censeri debet.

8 *Sed etsi legislator exprimat, vt tali forma non obseruata, actus inutilis sit; plerumque tamen id intelligitur, vt requiratur Iudicis sententia, cassantis actum.*

9 *Si actus aliquis (puta electio, alienatio rei ad Ecclesiam pertinentis) sine fraude, & iniuria vlla celebratus est, prætermissa iuris solemnitate, in conscientia tutus est electus, rei Ecclesiasticæ emptor, &c. donec Iudicis rescindentis auctoritas accedat.*

1 NOtandum est I. Nullum oportere esse dubium, quin supremus Legislator, cùm Ecclesiasticus, tum secularis ob iustam causam ad bonum publicum pertinentem, possit personas quasdam ad contrahendum inhabiles reddere, quæ, seclusa tali constitutione, adeóque naturali iure præcisè spectato, habiles essent: sicuti euenit in impedimentis matrimonij, contractu pupilli, &c. Potest etiam Legislator contractibus & testamentis certam formam & solemnitatem præscribere; quæ adeo ad eorum substantiam pertineat, vt absque ea contractus, & testamentum omni robore careant; etsi iure naturali præcisè spectato, firma ac valida forent: sicuti videre est in matrimonio clandestino. Denique potest Legislator contractum aliquem, iure alioquin naturali subsistentem, iusta de causa penitus prohibere; vel etiam, si ita velit, cassare, & infirmare: sicuti videre est in contractu censuali ex parte emptoris redimibili, qui licet à quibusdam Doctoribus tanquam immunis ab vsura defendatur; tamen vtroque iure prohibitus & cassatus est; de quibus proprijs locis plura dicentur.

2 Notandum est II. Quinque ferme modis accidere posse, vt lex humana contractum vel quemuis alium actum improbet: Primò. Si lex contractum nec prohibeat, nec infirmet, eíve resistat; sed solùm non assistat, atque in foro externo nullam actionem tribuat, ob litium multitudinem declinandam: qua ratione pacto nudo leges nec assistunt, nec resistunt, sicut notauit Abb. c. quia plerique, de immunit. Eccles.

3 Secundò. Si lex prohibeat contractū, sed non infirmet, neque à Iudice infirmandū decernat. *Nam multa fieri prohibentur, quæ, si fuerint facta, obtinent firmitatē*, ait Papa Innoc. III. cap. ad Apostolicam, de Regul. Dicitúrque tunc cōtractus validus: sed non licitus, qua ratione Clericis negotiatio prohibita est: & matrimoniū tempore interdicto, vel ante publicas denuntiationes; item post votum continentiæ, aut contra fidem priorum sponsaliorum celebratum, illicitum est; sed validum. Qua de re Gl. in reg. 64. in 6.

Quærunt autem Doctores, si lex simpliciter prohibeat, nulla facta mentione infirmandi, vtrum nihilominus infirmare seu irritare censeatur? Communior & probabilior est sententia negans apud Suar. lib. 5. de legib. cap. 25. & 29. Glos. margin. in l. pacta C. de pactis. Nam actum prohibere, eúmque infirmare diuersa sunt; & inter se separabilia: ergo vnum ex altero colligi non debet, præsertim in materia odiosa, (qualis hæc est) non extendenda vltra proprietatem verborum. Et accommodari huc potest iuris regula 30. in 6. ex Vlp. ff. de reg. iuris. *Semper in obscuris, quod minimum est sequimur.*

Sed obijcitur. I. expressa constitutio Theodosij Imper. in leg. non dubium, Cod. de leg. *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.* Et paulò est: *Quæ lege fieri prohibentur, post si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habentur: licet legislator fieri prohibuerit tantùm; nec specialiter dixerit inutile esse debere, quod factum est*, Consentit. leg. iubemus 2. Cod. de sacro sanctis Eccles. §. sanè, eandémque Theodosij legem citat. Gregor. I. lib. 7. indict. 2. Ep. 7. & refertur causa 13. quæst. 2. cap. 13. *Imperiali constitutione apertè sancitum est, vt quæ contra leges fiunt, non solùm inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* II. Obijcitur similis constitutio Antonini Imper. quæ refertur leg. 6. C. pactis, *Pacta, quæ contra leges, constitutionésque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris est.* III. Obijcitur regul. 64. in 6. *Quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.*

Ad I. Resp. obiectionem illam conuincere, ita obseruandum esse in legibus Imperialibus simpliciter prohibentibus, ob specialem illam Theodosij constitutionem: quam tamen Gregor. Papa ad canonicas sanctiones, aut aliorum regnorum leges non transtulit; sed solùm epistola illa explicauit, qualem vim Imperiales constitutiones habere debeant, sicuti notauit Suar. lib. 5. de legib. cap. 29. num. 4.

Ad II. Non desunt, qui existiment idem ab Antonino, quod postea à Theodosio Imper. de Imperialibus legibus decretum fuisse: sed placet magis explicatio Glossæ in cap. vlt. de pactis, Antoninum Imper. loquutum fuisse de pactis siue promissionibus aliquid agendi contra leges, vel bonos mores, seu ciuiles, seu naturales. Quod clarè indicat Greg. IX. in cit. cap. vlt. *Nam etiam secundùm legitimas sanctiones pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis, de iure, vel de facto nullam obligationem inducit.* Veluti, si quis promittat testamentum non reuocaturum, hominem necaturum, &c.

Ad III. Resp. Quòd regula illa nimis generalis sit, sit, multásque intelligentias & limitationes admittat, sicuti videre est in Gl. adiuncta, & apud Suarez cit. cap. 29. num. 5. Qui rectè aduertit, dictam regulam Iudici præscribi: cuius proinde officium est inspicere, contra quale ius, & qua ratione contra illud actum sit: vt intelligat, validúmne, an inualidum pronuntiare debeat.

Tertiò accidere potest, vt lex actum vel contractum aliquem per seipsam non infirmet, sed per sententiam Iudicis infirmandum decernat. Idque ordinariè ita censendum erit, si lex vtatur verbis ad Iudicem propriè spectantibus: *rescindatur, infirmetur, annulletur*: neque aliud adiungat, ex quo maior vis legis intelligi possit. Puto autem in corpore iuris ciuilis raras reperiri huiusmodi leges: sed plerásque esse sententiæ latæ, non tantùm ferendæ, propter suprà cit. Constitutionem Theodosij. 4

Quartò igitur accidere solet, vt lex contractum, testamentum, aliúmue actum ipso facto, & ante omnē Iudicis sententiam irritum reddat: consequenter verò iubeat Iudici, vt talem etiam per sententiam declaret. Neque tunc ad propositum nostrum refert, vtrum actus ille etiam prohibitus sit, ideóque in pœnam criminis rescissus: an non prohibitus, ideóque non ob culpam, sed ob aliam causam infirmatus, seu irritatus. 5

Huiusmodi leges illæ censeri debent: quæ vel expressè decernunt, contractum ipso iure, ipso facto, ante omnem Iudicis

Iudicis ſententiam, &c. irritum eſſe: vel aliud quipiam adiungunt, ex quo non minùs id intelligi poſſit: v. g. nullam ex eo obligationem naſci: nullam actionem competere, ſed datum reſtituendum eſſe: dominium non transferri, &c.

Eſt autem diligenter hîc aduertendum, legem contractui, &c. duobus modis reſiſtere, eúmque infirmare poſſe: nimirum vel tantùm ciuiliter: vel etiam naturaliter. Tunc lex contractum ipſo facto infirmare dicitur ciuiliter tantùm, ſi relicta eius obligatione naturali, neque impedita dominij translatione, actionem tamen in externo foro non tribuit: imò per Iudicis ſententiam contractum, iuris quadam fictione, adeò infirmandum iubet, (omni eius effectu, fructu, quem contrahens inde perceperat, reſciſſo) ac ſi ab initio nullus, ſiue infectus fuiſſet: ad eum modum quo ſuprà de bonorum confiſcatione dictum fuit. Atque hoc ſenſu arbitror cit. l. Non dubium à Theodoſio latam fuiſſe, ſicut etiam notauit ibi Gl. margin. ver. pro infectis, & Suarez lib. 5. cap. 28. Exempla verò ſpecialia multa afferri poſſunt. Sic enim ludus alearum infirmatur: ſic contractus cum pupillo celebratus: ſic teſtamentum minùs ſolemne: ſic vltima voluntas mulieris ſecundas nuptias ſortitæ, & bona ex primo matrimonio obuenientia, non eiuſdem matrimonij liberis ſuis, ſed alijs relinquentis, iuxta l. 3. Cod. de ſecundis nuptijs. Sic alienatio prædij dotalis, etiam conſentiente vxore à marito facta, Inſtitut. Quibus modis alienare licet. Sic pœna ſponſalibus adiecta, teſte Sanch. lib. 1. de matrim. diſp. 31. Sic donatio vltra 500. ſolidos facta ſine inſinuatione apud Iudicem: ſic contractus graui metu initus, &c. per iudicem caſſari debent, modo explicato. De quibus omnibus proprijs locis.

Alter verò, íſque in ordine noſtro quintus, atque pleniſſimus infirmandi modus eſt: ſi lex ſeu ciuilis, ſeu Eccleſiaſtica contractum, vel quemuis alium actum, ipſo facto & ante omnem Iudicis ſententiam, tam ciuiliter quàm naturaliter irritum reddat: vt nullus inde effectus, vel obligatio, ne in conſcientiæ quidem foro, oriatur. Sic leges canonicæ infirmant matrimonium clandeſtinum: vel initum ex metu graui: vel cum impedimento dirimente. Item profeſſionem in Religione factam ante XVI. ætatis annum completum; vel ante exactum annum probationis, per Trid. Conſtitut. ſeſſ. 25. c. 15. de regul. Lex ciuilis verò pari modo infirmat v. g. contractum pupilli cum tutore celebratum, vt neque naturalis obligatio inde oriatur, iuxta Gloſ. communiter receptam in l. 1. Cod. de inutil. ſtipulat. & colligitur ex l. pupillus, ff. de auctor. tutorum, & docet Sanchez lib. 6. de matrim. diſput. 38. num. 25. Molin. tr. 2. diſput. 224.

Quæri ſolet hîc: Quibus indicijs aut regulis cognoſci
7 debeat, vtrum forma ſeu conditio, quam lex præſcribit, ſubſtantialis ſit; ita, vt niſi illa obſeruetur actus irritus exiſtat: an verò tantùm accidentalis? Mihi placet doctrina Suarezij lib. 5. c. 31. num. 8. Si Legiſlator, cùm actum inſtituit, vel eius exercendi poteſtatem primitus confert, conditionem vel formam apponat, cum qua exerceri debeat: cenſetur forma ſubſtantialis. Exempla habemus: I. in formis Sacramentorum, ex Chriſti Domini inſtitutione, requiſitis. II. In formis ſacramentalium, puta benedictionum, conſecrationum, ex Eccleſiæ inſtitutione requiſitis, de qua re idem Suar. cap. 32. num. 6. III. In iuriſdictione alicui ſub certa forma vel procedendi modo delegata: nam tunc forma non datur Iudici, poteſtatem iam habenti; ſed ipſi iuriſdictioni veluti limitatio adiungitur, quam ſi commiſſarius ſeu delegatus prætermittat, excedit limites commiſſæ poteſtatis, nihilque efficit: qua de re videri poteſt Gl. in Clem. 1. ver. inhibemus, de iure patronatus, Nau. c. 27. num. 37. Suar. cap. 31. num. 9. Quare, ſi Papa tibi committat, vt hominem poſt trinam monitionem excommunices, cenſebitur forma & conditio ſubſtantialis: Quamuis in Iudice ordinariam poteſtatem habente accidentalis tantùm ſit, cuius prætermiſſio excommunicationem illicitam, non inualidam reddit, arg. ducto per ſenſum contrarium ex cap. Romana, de ſent. excomm. in 6. iun. Gloſ. ver. iniuſtas, & docet Couar. in cap. alma, p. 2. §. 9. num. 7. & 8. Auila p. 2. c. 5. diſput. 1. dub. 9.

Sin verò legiſlator formam aliquam vel modum præcipiat obſeruari ab ijs, qui iam antea actus, ſecundùm ſubſtantiam, exercendi poteſtatem habuerunt, forma accidentalis tantùm cenſeri debet: Niſi exprimat, velle ſe, vt tali modo ſeu forma non obſeruatâ, actus inutilis ſit, pro infecto habeatur, vel aliquid ſimile adijciat, ex quo eius mens cognoſci poſſit. 8

Hoc ipſo tamen caſu dubitari poteſt, Vtrum id intelligendum ſit etiam in conſcientiæ foro, & ante omnem Iudicis ſententiam; an, poſteaquam Iudex contractum, aliúmue actum, vnà cum effectu eius, penitus iuxta legem caſſauit? Reſpondendú videtur; Si neque ex materia legis, neque ex verbis, quibus legiſlator vſus fuit, ſatis appareat, mentẽ eius fuiſſe, actum etiã in conſcientiæ foro irritum reddere, adeóque perſeuerante dubio, poſteriorem, tanquam benigniorem legis ſenſum, præferendum eſſe. Atque ex hoc principio faciliùs defenditur doctrina Abb. cap. quia plerique num. 31. de immunit. Eccleſ. Innoc. ibidem, Sylueſt. ver. alienatio, quæſt. 13. Nauar. de ſpol. cleric. §. 2. num. 6. Rodriq. tom. 1. regul. quæſt. 27. art. 10. Sa ver. contractus (puta electio, alienatio rei ad Eccleſiam, ad minorem pertinentis) ſine cuiuſquam fraude, iniuria, celebratus ſit, prætermiſſæ iuris ſolemnitate; in conſcientia tutum eſſe, qui electus eſt; vel qui rem, Eccleſiæ, minoris emit, donec iudicis reſcindentis auctoritas accedat. 9

CAP. XVII.

De lege Cæſarea, infirmante vltimas defunctorum voluntates non ſolemnes.

SVMMARIVM.

1 *Ciuilium Legiſlatorum, vltimas minùs ſolemnes voluntates caſſantium, intentio fuiſſe videtur, illis reſiſtere ciuiliter tantùm, relicta interim obligatione naturali, quamuis inefficaci, quippe quæ per exceptionem ciuilis conſtitutionis elidi poßit.*

2 *Iudex in externo foro hæreditatem adiudicari debet hæredi ab inteſtato, eúmque liberum pronunciare à ſoluendis legatis ex teſtamento minùs ſolemni: licet certum ſit, aliam fuiſſe teſtatoris voluntatem.*

3 *Neque in conſcientiæ foro hæres ab inteſtato ſoluere tenetur legata ex teſtamento imperfecto: ijs ſemper exceptis, quæ ad pias cauſas ſunt.*

4 *Si hæres in teſtamento non ſolemni inſtitutus, vel legatarius rem ſibi relictam ſine vi, fraude nactus eſt, ius retinendi habet, donec ciuili condictione indebiti ab ipſo repetatur.*

5 *Si hæredis fidei defunctus commiſerat, vt aliquam rem alteri tradat, abſque alia ſolemnitate, obligationem contrahit.*

6 *Idem homo vnius teſtamenti tanquam minùs ſolemnis caſſationem petere: & poſtea ex alio minùs ſolemni hæreditatem, vel legatum capere non prohibetur, ſi nihil contra ipſum opponatur.*

7 *Hæres inſtitutus in teſtamento minùs ſolemni, non poteſt occulta compoſitione vti: ſi hæreditas in externo foro hæredi ab inteſtato adiudicata eſt.*

8 *Forum externum, ſi iuſtum eſt, non repugnat foro conſcientiæ.*

QVæ ſuper. cap. ſummatim dicta ſunt, pleraque longiorem, propriámque diſcuſſionem requirunt, alibi faciendam: hoc autem loco animus eſt, traditæ doctrinæ praxim in vltimis voluntatibus, velut in paradigmate, oſtendere. Quæſtio celebris eſt; Si certò conſtet, hæredem vel legatarium à defuncto inſtitutum fuiſſe in teſtamento minùs ſolemni, id eſt, deſtituto ea forma ſiue

solemnitate, quam ciuilia iura requirunt; vtrum nihilominus hæreditatem, vel legatum accipere, aut petere possit: & vtrum hæres ab intestato illi dare, vel relinquere debeat?

Prima sententia est Abb. cit. cap. quia plerique, num. 43. & in repetit. cap. cùm esses, num. 8. & 15. de testament. Med. in fine quæst. 33. de restitut. Leges ciuiles cassantes testamenta minùs solemnia, fundari in præsumptione cōmissæ fraudis: quare si constet, eam fuisse testatoris voluntatem, nullámque interuenisse fraudem, tunc hæreditatem siue legatum omni iure tam ciuili, quàm naturali debitum esse; ob generalem regulam, *Leges in præsumptione fundatas vim suam amittere, si de contraria veritate constet.*

Altera sententia est Molinæ tom. 1. tr. 2. disput. 81. Canisij in regulam 13. in 6. & aliorum: Ciuilium legislatorum mentem non fuisse, testamentis minùs solemnibus resistere: sed solùm non assistere, siue in externo foro actionem denegare, ad eum modum, quo super. c. d. promissione simplici, seu pacto nudo dictum fuit. Quare dicendum est, ait Molina, hæredem ab intestato, qui sibi persuadet, vel meritò persuadere debet, voluntatem testatoris fuisse illam, quæ in testamento minùs solemni explicatur; mortaliter peccare, si vel petat sibi adiudicari hæreditatem alteri relictam, vel non soluat legata alijs relicta, probátque ex l. vlt. Cod. de Fideicom.

Tertia sententia est Couar. in cap. cùm esses, num. 7. de testament. Vasq. in moral. tr. de testament. cap. 3. num. 4. Salas disp. 16. sect. vlt. num. 52. Ciuilium legislatorum mentem fuisse, ad euitandas fraudes, quæ sæpe in vltimis voluntatibus contingere solent, penitus auferre ab hominibus potestatem testandi, præter formam siue solemnitatem ciuilibus legibus præscriptam: vt proinde testamenta, vel codicilli non solemnes, omni iure, etiam naturali, pro infectis haberi debeant; ex quibus nemo relictam sibi hæreditatem, legatumúe, seu in externo, seu in conscientiæ foro exigere, vel accipere possit, illis exceptis, quæ ad pias causas pertinent, quippe quibus lex ciuilis nihil præiudicij afferre potest.

Quarta sententia est Soti lib. 4. de iust. quæst. 5. art.
1 3. Bannes 2. 2. præambulo ad quæst. 62. Sa ver. contractus num. 1. ver. hæreditas, num. 32. ver. testamentum, num. 3. Victor. apud Molin. l. c. & aliorum apud Couar. l. c. num. 10. Ciuilium Legislatorum mentem fuisse, testamentis aliísque vltimis voluntatibus minùs solemnibus resistere tantùm ciuiliter, tollendo actionem obligationémque ciuilem, relicta tamen obligatione naturali, licet aliquantulum inefficaci; quippe quæ exceptione ciuilis constitutionis elidi potest.

2 Hanc ego quartam sententiam probabilem, & in praxi expeditam ac tutam esse iudico; & secundùm eam tria assero: I. Si controuersia hæc ad forum ciuile deferatur, Iudex debet hæreditatem adiudicare hæredi ab intestato; cúmque liberum pronuntiare à soluendis legatis ex testamento imperfecto: etiamsi constet contrariam fuisse testatoris voluntatem. Est contra 1. & 2. sententiam; sed probatur. Iudex non de legibus, sed secundùm leges iudicare debet, iuxta cap. 3. d. 4. ex August. cap. 31. de vera relig. Imperfectum autem testamentum secundùm leges nullum est, §. ex eo Instit. Quibus modis testam. infirmetur, & C. de testam. *Ex imperfecto testamento voluntatem tenere defuncti nolumus*, & l. hac consultissima, C. cod. *non subscriptum à testibus, & non signatum testamentum pro infecto haberi conuenit.* Ergo iudex ita iudicare debet.

3 Dico II. neque in conscientiæ foro hæres ab intestato tenetur relinquere hæreditatem; vel soluere legata ex testamento minùs solemni, ijs exceptis, quæ ad pias causas sunt. Est itidem contra 1. & 2. sententiam; sed præter alios traditur à Suarezio lib. 3. de legibus, c. 32. num. 7. & sequitur ex priore assertione. Nam Iudicis sententia, vt iusta sit, non debet repugnare iuri naturali: repugnaret autem iuri naturali ea Iudicis sententia, per quam hæres in conscientia legata v. g. soluere efficaciter obligatus, ita vt nulla exceptione se tueri posset, à solutione liber pronuntiaretur: Ergo hæres non est in conscientia obligatus. Quare esto hæc generalis regula: *Qui in foro externo iustæ & receptæ legis beneficio se tueri potest, quo minus soluat: is neque in conscientiæ foro de ea re conuentus, soluere ex iustitia obligatus est.*

Dico III. Si hæres in testamento minùs solemni institutus; vel legatarius rem sibi relictam absque vi, fraude nactus fuit; ius retinendi habet, donec ciuili condictione indebiti (id est, tanquam ciuiliter non debitum) ab ipso repetatur. Est contra tertiam sententiam; sed præter alios traditur à Soto, Sa ll. cc. Nauar. lib. 3. consil. 1. de testam. edit. 2. & videri potest Syl. ver. hæreditas, 3. quæst. 7. Ratio autem est, quia manet obligatio naturalis, quæ per se sufficiens est ad dominium transferendum. Cui doctrinæ consentit Gl. in l. cùm quis, C. de iuris & fact. ignorantia, & Legistæ Instit. de actionib. §. de constituta, cùm aiunt, legatum ex testamento imperfecto, cùm naturaliter debitum sit, per constituti simplicem promissionem firmari, vt actionem pariat, etiam in ciuili foro. 4

Ad 1. sentent. fundamentū respondeo; Legem, quæ ex generali præsumptione fraudis interdum interuenientis tanquam causa impulsiua, aliquid decernit, non cessare, etsi in casu particulari omnis suspicio fraudis absit: sed eam tantùm legem in præsumptione fundatam esse, & cognita veritate cessare, quæ statuit ac iubet Iudici, vt secundùm fraudis præsumptionem à iure factam, in quouis particulari casu sententiam ferat, vt infrà iterum dicam. Lex autem Cæsarea infirmans testamentum minùs solemne prioris, non posterioris generis est.

Ad 2. sentent. fundamentum Resp. Lege illa vltim. 5
Cod. de fideicom. hoc specialiter constitutum esse, si hæres fateatur suæ fidei commissum à defuncto, vt hæreditatem vel legatum alteri restituat, ciuili quoque iure ad id cogendum esse: Eadémque ratio est, si id per duos testes probari possit, sicuti notauit Sa ver. testamentum, num. 14.

Ad 3. demum sententiæ fundamentum patet responsio ex dictis: Leges Cæsareas testamentis minùs solemnibus resistere ciuiliter tantùm, & non naturaliter.

Corollarium I. Idem homo modò vnius testamenti, 6
tanquam minùs solemnis, cassationem petere potest; vt ipsemet ab intestato succedat: Aliàs verò, si ipse institutus sit, vel ei quippiam relictum in testamento minùs solemni, hæreditatem vel legatum capere & retinere potest, si nihil contra eum excipiatur. Hæc enim duo, licet ex diuersis, tamen non oppositis principiis oriuntur. Nam prius illud testamentum oppugnauit, & cassari fecit, ob beneficium legis ciuilis, quæ talia testamenta à iudice infirmanda esse decreuit. Ex altero autem minùs solemni testamento hæreditatem, aut legatum cœpit, secutus voluntatem defuncti, secundùm iuris naturalis æquitatem, si hæres non opposuit beneficium legis rescindentis; quippe quod ijs tantùm prodesse debet, qui eo vtuntur. Confirmatur à simili; Si minor XXV. annis absque tutoris auctoritate contraxit, potest excipere, & opponere beneficium legis ciuilis, quo minùs contractum seruare teneatur: Porrò, si idem homo temporis progressu, cùm ætate maior factus est, similiter contractum ineat cum minore, non prohibetur ab ipso petere & accipere solutionem, si is nulla se exceptione legis defendat. Ratio horum est: Quia leges ciuiles infirmantes contractum pupilli, vel minùs solemne testamentum, non omnino auferunt obligationem naturalem; quamuis reddant minùs efficacem, dum beneficium exceptionis tribuunt: Sin verò pars vna nihil excipiat, aut opponat, altera iure naturali vti non prohibetur: quæ doctrina pleniùs intelligetur lib. 3. tractat. 4. c. 9. num. 5.

Corol-

7 Corollarium II. Non arbitror probabilem sententiam, quam defendere videtur Molina tom. 1. tract. 2. disput. 81. §. quòd si hæc fuit: Hæredem in minùs solemni testamento institutum: legatarios item ac fideicommissarios in eo nominatos: posse occultam compensationem accipere, si hæreditas in exteriore foro hæredi ab intestato adiudicetur. Si enim iusta fuit Iudicis sententia hæreditatem hæredi ab intestato adiudicantis, sequitur quòd hæres ab intestato ius habeat eam accipiendi, possidendique. Si autem hæres ab intestato hæreditatem iustè possidet, sequitur, quòd hæres minùs soleniter institutus, ac legatarius iniuriam illi inferant, siue iure acquisito spolient, quando hæreditatem, aut partem hæreditatis illi clam auferunt. Quòd autem Iudex iustè iudicet, infirmando testamentū non solemne, suprà probatum est. Et confirmatur: Quia iudex in quæstione inter Doctores controuersa debet consuetudinem seu stylum curiæ sequi: cùm consuetudo sit optima legum interpres; imò verò stylus curiæ ius faciat: Est autem communis praxis tribunalium, saltem in Imperio, vt testamenta non solemnia cassentur, & hæreditas adiudicetur hæredi ab intestato: ergo id iustè fit, consequenter hæredi ius acquiri. Interim fateor, si stylus alicuius curiæ esset, vt hæreditas conferretur secundùm voluntatem defuncti, etiam ex testamento non solemni: tunc, cessante scandalo, posse institutum hæredē, vel legatarium clanculum accipere, quod sibi defuncti voluntate relictum esse, indubitatè persuasum habet: esto, in externo foro id probari non possit. Quia quando in externo foro alicui causa abiudicatur solùm propter defectū probationis, tunc pars litigans, si veritatē perspectā habeat, non tenetur se in conscientia conformare sententiæ, nisi propter scandalum vitandum. Alioquin verò, si causa aperta sit, nullàque probatione indigens: tunc Iudicis sententia, si iusta sit, iuri naturali ac conscientiæ repugnare non potest, vt per se patet. Quamobrem hanc regulam dare possumus, Quòd *forum externum, si iustum est, non repugnat foro interno conscientiæ, nisi propter defectum probationis, adeòque per accidens ob ignorantiam.* Id etiam tradidit Sanchez libro 1. moral. cap. 10. num. 13. & lib. 7. c. 25. numero 8.

CAP. XVIII.

De interpretatione Legum.

SVMMARIVM.

Legis interpretatio alia est necessaria: alia doctrinalis tantum. Illa vel est generalis, siue erga omnes subditos, cuiusmodi interpretatio ad Legislatorem siue Principem pertinet: vel est particularis, quæ ad inferiorem iudicem spectat.

2 *In dubio præsumptio esse debet pro lege communi: quod verò à communi iure deficit, aut exorbitat strictè interpretandum.*

Correctio legum, quantùm fieri potest, vitari debet.

Exceptio à regula firmat regulam in alijs.

3 *Leges pœnales, & aliæ, quæcunque odiosæ sunt, strictam interpretationem postulant.*

Verba legis pœnalis intelligenda sunt cum effectu.

4 *In legum interpretatione potiùs adhærendum est menti, quàm verbis legislatoris.*

5 *In dubio verba legis, alteriúsve dispositionis accipi debent secundùm communem acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda est.*

6 *Propria verborum interpretatio eligenda potiùs est, quàm impropria: nisi ad hanc recurrere necessitas cogat.*

7 *Lex generaliter, vel indefinitè loquens omnia significata propria comprehendere censetur.*

Enunciatio indefinita in communi locatione æquiualet vniuersali.

8 *In materia fauorabili ac nemini præiudicante, nisi quid obstet, vltra communem & vsitatam verbi acceptionem interpretatio fieri potest.*

9 *Interdum lex vltra verborum significationem, ob rationis identitatem, extenditur ad alios casus & personas: si præsumi possit, Legislatoris mentem fuisse eos etiam comprehendere.*

Talis extensio ob similitudinem rationis fieri non debet in legibus odiosis: nisi necessitas cogat, ad seruandam iustitiam legis.

10 *Statutum de vno correlatorum: censetur etiam statutum de altero.*

Quando duo in iure æquiparantur, quod de vno constituitur, de altero etiam constitutum censetur.

11 *Lex interpretans non minùs obligat, quàm interpretata.*

Si Iudex casum controuersum in iure decisum non habeat, à similibus argumentum ducere, & ita ius dicere debet.

NOtandum est primò: Lex alia est communis, alia limitans, alia exorbitans, alia corrigens. Iterum alia lex est fauorabilis, alia odiosa & interdum pœnalis. 1

Lex communis dicitur, quę vti verbis, ita & sensu vniuersa complectitur, & vniuersorum respectu. Lex limitans, per quam à communi lege exceptio fit, vt in certo casu locum non habeat. Exorbitans, quæ à communi lege, ob fauorem causæ, vel personæ, aliquos eximit: dicitúrque ius speciale ac priuilegium. Differunt igitur lex limitans, & exorbitans: quòd illa à communi iure certum casum excipiat comparatione omnium, hæc verò certum duntaxat personarum genus à lege communi simpliciter eximat.

Correctoria autem lex dicitur, per quam ius commune, vel in totum, vel ex parte simpliciter aboletur. Nam lex noua veteri derogat, si simul stare non possint.

Lex fauorabilis vocatur, quæ in personæ, vel Communitatis fauorem lata est: Lex odiosa, quæ in detrimentum personæ, vel personarum generis lata est. Lex pœnalis, quę pœnam transgressori decernit. Etsi autem omnis lex pœnalis odiosa sit: saltem formaliter, quà talis: (nam sæpe lex pœnalis quatenus vergit in vtilitatem animæ, in fauorem Ecclesiæ, vel boni publici, inter fauorabiles numerari potest, teste Syl. ver. lex, quæst. 19.) Non autem vice versa, omnis lex odiosa etiam pœnalis est. Præterea, an lex fauorabilis sit nécne, æstimari debet ex principali intentione legislatoris, vtrum ea fuerit, vt alicui gratiam & fauorem præstaret, licet secundariò in alicuius damnum cederet. Nam *ex primario fine consideranda est dispositio.*

Notandum secundò: Interpretatio est Verbi, vel sentētiæ obscuræ per aliud declaratio, teste Carbone lib. 11. de leg. disp. 1. Legis autem interpretatio alia necessaria est; alia non necessaria: illa iterum vel generalis, vel particularis est. Generalis ac necessaria interpretatio legis ad ipsum Legislatorem, eiúsve successorem pertinet: habet enim & ipsa legis vim: Quare *eiusdem est legem authenticè interpretari, cuius & condere,* sicuti constat ex l. 9. & seq. C. de leg. c. per venerabilem, Qui filij sint legitimi, &c. inter alia, de sent. excom. ibi, *vt vnde ius prodijt, etiam interpretatio procedat.* Quamobrem in l. 1. ff. de constit. Principum, inter modos ferendi leges numeratur, quod Princeps *cognoscens decreuit,* videl. *dando definitiuam sententiā,* ait. Gl. Et in l. vlt. de leg. *Si Imperator partibus sententiā dixerit omnes omnino Iudices sciant, hanc esse legē non solùm illi causæ, per quam producta est, sed & omnibus similibus.* Particularis & necessaria legis interpretatio ad iudicē etiā inferiorē spectat. Nā Iudex est iuris interpres in causa dubia: Nisi ardua sit, vt eā ad Principē remittere necesse sit. Dicitur autē hæc iudicialis interpretatio *necessaria*: quia iuxta eā Iudex sententiā fert, cui parere oportet tanquā vim habenti particularis legitimi pręcepti. Interpretatio non necessaria, sed doctrinalis siue scholastica propria DD. est, quæ coniecturam adfert, non necessitatem: nisi omnium DD. consensus.

His consentit doctrina Abbatis in c. 1. n. 18. de post. Prælat. vbi ponit quatuor species interpretationis. Vna est à Principe, & hæc necessaria ac generalis. Altera à consuetudine habente vim legis, quæ itidem necessaria &

generalis est comparatione eorum, apud quos consuetudo viget. Tertia à iudice, necessaria quidem; sed particularis id est, tantùm in ordine ad partes, nam alij non tenentur interpretationem sequi. Quarta est doctrinalis, non necessaria. Vide etiam Suarez lib.6. capite 1. de legibus.

2 His ita positis, variæ regulæ ex Doctoribus subijciendæ sunt: Primo. In dubio fauor & præsumptio esse debet pro lege communi: neque sine necessitate ab ea recedendum est. Quod verò à communi iure deficit, vel exorbitat, strictæ interpretationis esse oportet: neque producendum ad consequentias, iuxta l.14.ff.de leg. & l.1. ff. de Constit. Princip. & reg.28.in 6. iunct. Gl. Correctio quoque legum non facilè præsumenda est, sicuti indicatur in c.Ecclesia, 2.de elect.& in l. præceptum, c. de appellat. *Quicquid in posteriore lege specialiter non fuerit expressum, id veterum legum, constitutionúmque regulis relictum esse, intelligendum est.* Quapropter si constitutio Principis posterior prioribus contraria iisque derogare videatur: videndum est, vtrum per casuum diuisionem, aliámve interpretationem conciliari possint. Nam *iura iuribus concordare debent, eorúmque correctio, quatenus fieri potest, vitanda*, c. cùm expediat, de elect. in 6. Lex limitatoria verò, si certum casum à communi lege excipiat, confirmat potiùs

3 eandem in reliquis, iuxta dictum Gl. in l. 5. ff. de legibus *exceptio à regula firmat regulam in alijs.* Lex quoque pœnalis, & omnis alia odiosa in dubio strictè interpretanda est, nec facilè extendenda vltra casum, vel personas expressas, sicut constat ex l. 42. ff de pœnis: *Interpretatione legum pœnæ molliendæ potiùs, quàm exasperandæ.* Consentit reg. 49. in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Et reg. 15. in 6. *Odia restringi & fauores conuenit ampliari.* Vide Nau. in c. interpretatione, d.1. de pœnit.

Ea propter *verba legis pœnalis intelligi debent cum effectu*, teste Gl. in c. hæc autem verba, d. 1. de pœnit v. g. si censura canonica, vel irregularitas homicidæ decreta sit, eam non incurret, qui occidendi proposito facinus aggressus est: nisi etiam effectus mortis sequatur: Item, qui actum, v.g. contractum inualidè celebrat, non videtur incurrere pœnam decretam contrahenti: nisi verba legis prohibentis aliud expressè significent: qua de re videri potest cit. Gl. c. hæc autem verba, ibi. Nau. & in c. interpretatione, ead. d.1.

Secundo: In legem interpretatione potiùs sequenda est mens Legislatoris, quàm verba, iuxta l. 17. ff. de legibus *Scire leges non est earum verba tenere: sed vim ac potestatem*, Et l. scire, §. aliud, ff. de excusat. *Sed etsi maximè verba legis hunc habeant intellectum: tamen mens legislatoris aliud vult.* Ratio est: quia mens & voluntas legislatoris est veluti spiritus & anima legis, vnde omnis vis obligandi per verba, tanquam instrumentalia signa, prouenit. Hinc Papa Cœlestinus in c. humanæ aures, 22. quæst. 5. *Non debet aliquis verba considerare*, (nudè & simpliciter) *sed intentionem ac voluntatem: quia non debet intentio verbis deseruire: sed verba intentioni.* Idem habetur in c. in his, de verb. signif. Vlpian. quoque in l.30. ff. de legibus ait: *Fraus legi fit, vbi quod fieri noluit, fieri autem* (expressè) *non vetuit, id fit: & quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας*, (id est, verbis expressum à mentis conceptu) *hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit.* Consentit l. non dubium, C. de legibus. *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.* Porrò mens & voluntas legislatoris partim ex materia legis: partim ex circumstantijs præcipuè verò fine, causa, siue ratione legis ferendæ intelligi poterit. *Quò pertinet iuris regula 68. ff. Quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quæ rei gerendæ aptior est:* Et illud S. Hilarij lib. 4. de Trinit. quod refertur in c. intelligentia, de verborum significatione. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed sermo est rei subiectus*, siue inseruiens. Sic Apostolus 1. Cor. 9. in illo Deuteron dicto. *Non alligabis os boui trituranti.* considerato fine ac proposito Legislatoris: *Nunquid de bobus cura est Deo?* spreta proprietate literæ, intelligentiam, ac veluti spiritum legis antetulit. Finis autem ac intentio Legislatoris plerumque in prooemio præponitur: in Principum verò rescriptis ex postulatione cognoscitur: nam interrogationi responsio consentit. Adde quod dicitur in libro 24. ff. de leg. *Inciuile esse nisi tota lege perspecta, vna eius particula proposita, iudicare, vel respondere.* Sed *textus ipse sermonis à præcedentibus & consequentibus consulendus est, vt videamus, cuinam sententiæ ex pluribus quæ se ostendant ferat suffragium*, ait S. August. libro 3. de doctrina Christiana, c.2. Vide Nau. lib. 5. cons. 6. numero 9. de hæret. edit. 2. Syl. ver. lex, quæstione 16. & 17. Azor tom. 1. libro 5. capite 16. quæstione 9. Rebel. in Prælud. iust. quæst. 6.

Tertiò: In dubio, si aliud nil obstet, verba legis, alteriúsve dispositionis intelligenda sunt secundùm communem vsum, & acceptionem, quæ etiam proprietati præferenda est, sicuti docent Legistæ in cit. lib. non dubium, Bartolus in l. Labeo, ff. de suppel. legata, Canonistæ in prooemio decret. vbi Abb. Panorm. & in c. inter corporalia, num. 17. de translat. Episc. Alph. à Castro l.1. de lege pœnali, c.7. docum. 1. Suar. l.6. de leg. c.1. n. 9. Sa verb. interpretatio, n. 15. 5

Deinde verò propria verborum significatio anteponenda est impropriæ, iuxta l. non aliter, ff. de legatis 3. & tradit Nau. in Gl. c. hæc inter verba, d.1. de pœnit. num. 10. Et verba ad improprios sensus trahi non debent, nisi ratio vel necessitas cogat. Qua de re Abb. in c. ad audientiam, num. 2. de decim. Quatuor autem potissimùm causæ sũt, quæ vel à communi & vsitatâ, vel à propria verborum acceptione recedere cogunt: I. est, quam supra dixi, si de mente Legislatoris aliunde certior coniectura accipi possit, argum. cit. l. 69. de legat. 3. *Non aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est, aliud sensisse testatorem.* II. Si significatio verbi vsitata, vel propria absurditatem contineat: Nam, vt dicitur in l. 18. ff. de legibus, *Benigniùs leges interpretandæ sunt, quo voluntas earum conseruetur.* Et in l. seq. *In ambigua voce legis ea potiùs accipienda est significatio, quæ vitio caret: præsertim cùm etiã voluntas legis ex hoc colligi possit.* Vid. Syl. quæst. 20. III. Si lex secundùm propriam verborum acceptionem repugnaret, ac derogaret antiquioribus iuribus, trahenda potiùs est ad significationem impropriam, sicuti docet Abb. c. causam quæ, num. 1. de rescript. Gutierez, lib. 3. pract. qq. q. 15. num. 34. Sanch. lib. de matrim. disp. 17. num. 6. Quia correctio iurium inuehenda non est, nisi necessitas cogat, arg. l. præcipimus, in fine, C. de appellat. Hanc tamen doctrinam bene explicat Suarez lib. 6. c. 27. num. 11. tunc veram esse, si significatio impropria sit etiam in communi, vel saltem iuridica vsurpatione: cuius exemplum, habes in c. cùm olim, iunct. Gl. vlt. Abb. n. vlt. de sent. & rei iudic. Alioquin verò à propria & communi significatione verbi recedendum non videtur; nisi ex legis abrogatione aliud absurdum seu incomodum sequatur. IV. Si recepta consuetudo aliter legem interpretetur, ea interpretatio præferenda erit, iuxta l. 23. ff. de leg. *Minime sunt mutanda, quæ interpretationem certam semper habuerunt*, & l. 37. ff. eod. *Si de interpretatione legis quæratur, inprimis inspiciendum est, quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit. Optima est enim legum interpres consuetudo:* cõsentit c. cùm dilectus, de cõsuetudine. Eadémque fermè, quæ diximus, in testamenti dubij interpretatione locum habere debent vti videre licet apud Clarum lib. 3. recept. q. 76. vbi ait, imprimis considerandum, quænam fuerit mens & voluntas testatoris, deinde mos regionis, in qua versatus est, præterea qualitas personarũ, charitas & necessitudo. Itẽ ex præcedẽtibus & cõsequẽtibus verbis coniiciendum, quid testator senserit: & si vna parte testamenti reperiatur verbũ ambiguum, interpretandum est eo sensu, quo clarè positũ repe-

reperitur in altera testamẽti parte. Denique in dubio præsumi debet mentem testatoris conformem fuisse dispositioni iuris, præsertim particularis loci, cuius iurisdictioni testator subiectus erat.

Quartò, lex generaliter, vel indefinitè loquens omnia significata propria comprehendere censetur. Nam *verba generalia generaliter accipienda sunt*, aiunt DD. in l. 1. ff. de legatis præstandis, & in l. prospexit, qui & à quibus manumissi. Et, *vbi ius non distinguit nec nos distinguere debemus*, ait Bart. in l. depretio, ff. de Publ. &c. Quare rectè notat Suarez libro 6. c. 2. num 3. Enunciationem legis indefinitã, ob sui indifferentiam, & communem loquendi modum, æquiualere vniuersali: quod non tantùm de affirmatiua, sed multò magis de lege negatiua ac prohibente accipiendum est: quandoquidem *negatio quicquid post se reperit, tollit, eiusque oppositum adstruit*: quamobrem à Dialecticis *malignantis naturæ* esse dicitur.

8 Cæterum, cùm duplex sit significatio propria; vna naturalis siue communis; altera ciuilis, & quasi propria artis iuridicæ: v.g. vocabulum *mors* apud Iureconsultos non tantùm naturalem, sed etiam ciuilem mortem significare solet: & nomen *filij* interdum etiam adoptiuum: nomen *legitimi*, etiam legitimatum quandoque comprehendit: hęc distinctio obseruari debet: quòd in materia fauorabili, ac nemini præiudicante amplior interpretatio fieri possit, si aliud nihil obstet: adeo, vt lex fauorabilis, aut Principis priuilegium de filij absolutè statuens, comprehendat etiam nepotes; item filios adoptiuos, ac legitimatos qua de re vide Suarez cit. cap. 2. In alijs verò legibus, quæ specialiter fauorabiles non sunt, ordinariè verba vltra communem & vsitatam acceptionem ad ciuilem extendi non debent, teste eodem Suar. num. 3. Exempli causa. Statutum de filijs comprehendit quidem etiam filias: quia vox filiorum communi etiam & vulgari vsurpatione pro vtroque sexu accipitur; non tamen comprehendit nepotes, neque filios adoptatos. Cæterùm, si lex odiosa sit, vel iuris antiqui correctoria, aut exorbitans: & verba secundùm communem loquendi proprietatem, tàm amplam, quàm restrictam acceptionem patiantur; v. g. nomen filiorum, quod interdum masculinum sexum duntaxat, interdum vtrumque comprehendit; tunc stricta interpretatio præferenda erit. Nisi identitas rationis persuadeat, eandem de omnibus fuisse Legislatoris voluntatem, vt mox dicam.

9 Quintò. Vltra omnem verborum significationem quandóque lex per interpretationem extendenda est ad eos etiam casus personas, &c. quos ob identitatẽ rationis adæquatæ credibile est legislatorem etiam comprehendere voluisse. Quæ est communis Doctorum sententia, consentiens ijs, quæ suprà dicta sunt num. 2. Dixi autem imprimis, Ad talem extensionem faciendam necesse esse, vt ratio, quæ Legislatorem mouit ad id quod in lege sua expressit, statuendum, adæquatè siue per omnia etiam locum habeat in alijs casibus per verba non expressis: nam si aliqua ratio disparitatis assignari possit, cur Legislator vnum casum, vel personarum genus sua lege comprehendere voluerit, atque idcirco etiam verbis expresserit: non autem alios casus vel personas: tunc interpretatio merè extensiua fieret non tantùm vltra verborum proprietatem sed etiam probabiliter vltra mentem Legislatoris, per verba expressam, ac limitatam. Id autem nunquam permissum est: eò quod mens ac voluntas Legislatoris sit veluti anima legis, per verba, tanquam sensibilem materiam, indicata: à quibus proinde sine necessitate recedendum non est. iuxta l. non aliter, ff. de legatis, 3. & libro 1. §. si is qui ff. de exercitoria actione, ibi, *in re dubia melius est verbis edictis seruire.* Et accommodari huc potest, quod dixit Innocent. III. capite 2. de translationis. Episcopi *Si* (canon) *idem fieri voluisset, poterat expressisse*: Et quod Glossa ibidem ait ver. non inueniunt: *Intelliguntur concessa, quæ expreßè non sunt prohibita.* Vide Suarezium libro 6. capite Tiraquel. in libro si vnquam, ver. libertis, Cod. de reuocat. donat. Rodriquez tom. 1. regul. quæstione 67. articulo 1. & 2. Accedit magno argumento esse debere, quia legislator vnum specialiter expressit, alia excludere voluisse. Quare modus ille argumẽtandi in moralibus valde frequens & efficax esse solet, qui dicitur *à speciali*, vel *ad sensum legis contrarium*. Quod enim de vno specificè affirmatur, de contrario siue opposito negari videtur: & quod de vno negatur, de contrario affirmari, sicuti docent Doctores in capite nonne, de præsumpt. & Glossa vltima capite de multa, de præbend. Sa ver. interpretatione n. 13.

Deinde dixi, *credibile sit Legislatorem alios quoque casus &c. comprehendere voluisse.* Tali enim pręsumptione non existente, neque ob eandem, vel parem, neque ob maiorem rationem extensio legis à priuato homine fieri potest. Quia, vt suprà dixi, in dubio recedendum non est à verborum proprietate; quippe quæ internæ Legislatoris voluntatis interpres est. Licet autem eadem, par, vel maior ratio legislatorem meritò mouere potuisset ad idem, de alijs quoque casibus aut personis statuendum; potuit tamen etiam eum non mouisse, sed pro sua libertate non de omnibus, sed de vno aut quibusdam duntaxat statuere voluisse: atque hanc eius fuisse mentem in dubio præsumi debet, quam ipsa verborum proprietas exprimit. Exẽpla habes: I. Si opus aliquod sub canonica censura v.g. excommunicationis prohibitum sit; adiecta causa, quæ pariter, vel magis etiam locum habet in alio delicti genere; non tamen inde sequitur, in alio illo genere delinquentes eandem censuram incurrere. II. Si Papa vni v. g. Mendicantium Ordini quippiam prohibuit, addita causa, quæ ęquè eum mouere potuisset, ad idem etiam alijs Mendicantium, Ordinibus prohibendum: non ideo tamen talis extensiua interpretatio facienda est, teste Rodriquez citato, articulo secundo, conclus. 2. argumen. capite non solùm, iuncto c. sequent. de Regul. in 6. vbi id notat. Gloss. ver. prorogamus. III. Habemus casum in c. 1. de tempor. ordination. vbi pręceptum Italiæ Episcopis imponitur de non ordinandis Clericis Vltramontanis, absque dimissorijs suorum Episcoporum. Vbi Glossa resoluit eam constitutionem (intellige ante Tridentinum cõcilium) extendendam non esse ad Episcopos Germaniæ, quasi & ipsis Italos peregrinos suo arbitrio ordinare permissum non sit. Nam potuit esse ratio, quæ sæpe nos latet, cur legislator vnum genus causarum, personarum, &c. non item aliud simile sua lege comprehendere voluerit, sicuti expendit Suar. in cit. c. 3. n. 11. idque indicat Iulianus l. 20. ff. de leg. *Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest.* 11

Cæterùm, si ob identitatem rationis, præsertim expressæ in lege, considerata materia eius, coniectura fieri possit de mente Legislatoris, voluisse eum etiam illa cõprehendere, quæ eiusdem generis siue similia sunt: ac certam illam personarum, aut casuum qualitatem vel exempli causa, vel occasione ob, ata, &c. designasse, tunc interpretatio ad casus similes non expressos non tam videri debet extensiua, quàm comprehensiua, sicuti notat Abbas in c. super quæstionum n. 7. de officio Iudicis delegati, & in c. quia in insulis, de Regul. Syluest. ver. lex, q. 18. Suar. cit. c. 3. n. 9. 17. 22. Rodriquez cit. art. 2. antè primam conclusionem. Atque hæc quidem coniectura siue præsumptio faciliùs fieri potest, si lex fauorabilis sit, vel saltem non odiosa. At verò in lege pœnali, correctoria exorbitante, alijsque odiosis interpretatio vltra verborum proprietatem ob rationis identitatem fieri non debet, nisi necessitas cogat: vt quia alioquin iniquitas, iurium contradictio, aliúdve absurdum secuturum est, sicut ex communi docet Suarez cit. l. 6. cap. 4. num. 3. & sequentibus. Alphonsus de Castro libro 1. de lege pœnali, capite 7. docum. 5.

10 Nunc exempla aliqua afferamus, in quibus ob iden-

titatem rationis extensio fieri debet ad casus, vel personas non expressas: sed secundùm probabilem aut necessariam præsumptionem mente legislatoris comprehensas.

I. In correlatiuis, in quibus statutum de vno, censetur etiam de altero statutum. Vt si pœna aliqua canonica, vel ciuilis vxoricidio decreta sit, eā etiam vxor incurret, si maritum occiderit. Item si lex disponat, vt maritus succedat, vel non succedat in bonis vxoris; idem quoque interpretandum de vxore, vt succedat, vel non succedat in bonis defuncti mariti, teste Rebell. lib. 1. de prælud. q. 6. sect. 4. n. 22.

II. In iis, quæ secundùm iuris regulam æquiparantur, seu parificantur: Nam constitutum de vno, quatenus æquiparatum est, censebitur etiam de altero constitutum sicuti notant Doctores in l. si quis seruo, Cod. de furtis, Glos. & Canonistæ in c. si postquam, de elect. in 6. Abb. c. de multa, num. 18. de præbend. Syl. ver. pœna, quæst. 4. Rodriquez cit. a. 2. post 1. conclus. Suar. cit. cap. 4. num. 9. Sic v. g. excommunicationem canonis, latam contra Clericatorum percussores, incurrit etiam mandans, iuxta c. mulieres, §. illi verò, de sentent. excommunicat. ob iuris æquiparationem, Cùm quis per alium facit, perinde esse ac si ipsemet faciat. Extenditur item ad eum, qui Clerici percussionem, suo, quamuis nescientis, nomine factam, postea ratam habet, sicuti definitur in cap. penultimo de sentent. excommunicat. in 6. Eiúsque ratio datur, quia ratihabitio æquiparatur mandato, iuxta iuris regul. 10. in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato non est dubium comparari.* Item si alicui concessum sit in quadragesima comedere oua, potest is etiam lacticiniis vesci: quia vtraque ob eandem causam prohibita sunt, quòd sementinam carnis originem trahant, teste Sanc. l. 8. disp. 1. in fine.

III. In ijs, quæ inter se subordinata sunt, tanquam perfectum & imperfectum, vel tanquam totum & pars. Huc spectant iuris regulæ; *Cui licet quod est plus, licet vtraque quod est minus*, regul. 53. in 6. & regul. 80. eod. *In toto partem non est dubium contineri.* Quare cui testamentum facere concessum est, multò magis codicillum: est enim codicillus testamentum imperfectum. Contrà: cui codicillum facere prohibitum est, multò magis testamentum, Præterea, cui tempore quadragesimæ esus carnium permissus est, ouorum quoque & lacticiniorum permissus esse censebitur: nam *concesso principali, conceduntur etiam accessoria.*

11 Ad extremum notandum est, nos hactenus locutos fuisse de interpretatione priuata, & secundùm obligationem legis in cônscientiæ foro. Longè autem alia ratio est de interpretatione legis authentica, & iudiciali: nam vtraque maiore facilitate, & libertate fieri potest. Quia licet Princeps interpretando legem anteriorem, eius sensum non assequatur? tamen auctoritas interpretantis defectum supplet: siquidem lex interpretans non minùs obligat, quàm interpretata. Iudex verò quilibet à publica potestate, ipsóque Principe in mandatis habet, vt quàm fieri potest, conformiter legibus sententiam proferat. Quapropter, si lex suppetat, per quam controuersia exprimitur, ac deciditur, secundùm illam iudicare tenetur: Sin lex talis non suppetat, à similibus ad similia procedere debebit, iuxta l. 12. ff. de legibus. *Non possunt omnes articuli sigillatim aut legibus aut senatusconsultis comprehendi: sed cùm in aliqua causa sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, & ita ius dicere debet.* Consentit lex seq. iunct. Gloss.

CAP. XIX.

De restrictione legis secundùm æquum & bonum.

SVMMARIVM.

1 *Æquum & bonum opponitur iuri stricto, verborum proprietati tenaciter adhærenti.*

2 *Æquum & bonum, siue epikeia est emendatio iusti legitimi: dictat enim aliquam casum à lege propter æquitatem excipiendum esse qui alioquin verbis vniuersalibus legis comprehenderetur.*

In legibus obligantibus potiùs, quàm infirmantibus epikeiæ locus est.

3 *Si manifestum sit, casum aliquem, ob speciales circumstantias, à lege generali excipi oportere, interpretatio talis à quouis fieri potest.*

Si concurrant duo præcepta, quæ simul seruari non possunt, posthaberi debet minus.

4 *In dubio, vtrum lex in particulari casu per epikeian cesset, Princeps consuli debet.*

5 *Qui excusatur ab eo, quod in præcepto accidentale est, debet tamen obseruare principale, si possit.*

6 *Si præceptum sit de re indiuidua, qui excusatur à parte eius substantiali, excusatur à toto: nisi pars præcepti, quæ seruari non potest, exigua sit.*

7 *Si præceptum sit de re diuidua, qui excusatur ab vna eius parte, debet tamen seruare alteram.*

ÆQuum & bonum opponitur iuri stricto, verborum proprietati tenaciter adhærenti: de quo sermo C. 1
de iudicijs, l. 8. *Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ & æquitatis, quàm stricti iuris rationem.* Et reg. 90. ff. *In omnibus, maximè tamen in iure, æquitas spectanda est.* Hinc illud enatum; *Summum ius, summa iniuria.* Vide Ioan. Fabrum in cit. reg. 90, & Gl. receptam in c. tale pactum, §. vlt. ff. de pactis, vbi regulam tradit: *Id iure seruandum, licet statutum non sit, quod verisimile est statuendum fuisse, si quæsitum fuisset.* Duplex est restrictio secundùm æquum & bonum: I. Per quam iudicatur, lege, voluntate testatoris, &c. quamuis generalibus verbis posita, certum genus rerum, personarum omnino non comprehendi: quia materia legis, alteriúsue dispositionis: vel ratio eius adæquata & intrinseca ad illud se minimè extendit. Exemplū habes primò in l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patronatus; vbi, cùm prohibitum esset patrono, iuramento libertos adigere, ne matrimonium contrahant, subiicit Iureconsult. *Quāuis nulla persona lege excipiatur*, (si verba spectemus) *tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt: Itaque si castratum libertum iuramento quis adegerit, dicendum est non punire patronum hac lege.* Cū enim is ad matrimonium inhabilis sit, statim apparet non cadere sub materiam legis. Secundò in l. cùm pater, §. dulcissimis, ff. de legat. 2. vbi cùm mater filium hæredem instituisset, hæc verba adiunxit: *Dulcissimis fratribus meis, auunculis autem tuis, quæcunque mihi supersunt in Phamphilia, Lycia, vel vbicunque de maternis bonis, concedi volo: ne quam cum his controuersiam habeas;* explicat Iureconsultus atq; restringit, non esse intelligendum de omnibus bonis maternis, quasi etiam ea legata sint, quę diuisionis iure matri propria facta erant: sed tantùm, quæ ipsi cum fratribus communia fuerant; *cùm discordiis propinquorum sed dandis prospexerit, quas materia communionis solet excitare.* Adde interdum aliunde coniecturam capi posse, contrà verba generalia, ex mente Legislatoris, alteriúsue disponētis restrictionē faciendam esse: quo pertinet iuris regula 81. in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verisimiliter concessurus.* Videri potest. Suar. l. 6. c. 5. prope finem.

Altera restrictio secundū ęquū & bonū dicitur epikeia, 2
quę definiri solet: Benigna interpretatio casū aliquē particularē, ob suas circūstantias, lege vniuersaliter lata non esse cōprehensū. De ea Arist. 5. Eth. c. 10. ita loquitur: Æquū & bonū, siue epikeia est *emēdatio iusti legitimi: nā lex quidē vniuersalis est; ferri autē non potest, vt de quibusdā vniuersaliter rectè dicatur. Sed lex id accipit, quod fit plerūq; nō ignorās quādoq; deficere. Et est nihilominus lex recta: defectus autē non est in lege, nec in legislatore: sed in ipsa rei natura. Continuò enim rerū carū, quæ sub actione cadunt, materia talis est. Cùm igitur lex quidem vniuersaliter loquitur, in his autem præterea*

ter vniuersale quippiã accidit: tum rectè sese habet, vt ea parte, qua Legislator omisit, atque peccauit, absolutè locutus, emendetur defectus: Quod & ipse Legislator si adesset, hoc modo dixisset. Sensus est: Cùm ob rerum particularium multiplicem varietatem, ex materiæ mutabilitate ortam, omnes euentus lege generali comprehendi non possint: ideo necesse est leges constitui in his, quæ vt plurimum accidunt, non quæ vno aliquo casu euenire possunt, sicuti Iureconsulti monent in l. 3. & seqq. ff. de legib. Quare æquitatis ratio interdum dictat, concurrente aliqua circumstãtia, contra verba legis agendum esse; quamuis non contra mentem Legislatoris: quippe Legislator, si interrogatus fuisset, vtrum ad hunc quoque euentum legis suæ obligationem extendi vellet, vtique negasset: vel nunc quoque, si adesset, idem diceret. Consentit S. Thom. 1. 2. quæst. 96. a. 6. & 2. 2. quæst. 120. a. 1. Caiet. ibid. definiẽs, quòd epiKeia siue æquitas sit, *directio legis, vbi deficit propter vniuersale.* Nauar. in rubr. de iudicijs, n. 71. Sot. libro 1. de iust. quæst. 6. ar 8. Vasq. disp. 176. cap. 3. Suar. lib. 6. de legib. cap. 6. & seqq. Exempli causa: Si lege ciuili cautum sit, ne ciuitatis portæ aperiantur: aperiri tamen possunt ac debent, eo casu quo ciues, hostium impetum fugientes, ad ciuitatem se recipere cupiunt. Et lex Ecclesiastici ieiunij, omnibus Christianis adultis vniuersaliter posita, non obligat, neque obligare potest eos, qui mortis aut grauis infirmitatis periculum incurrerent, si ieiunarent. Interdùm verò, etsi potuisset Legislator, si omni sua potestate vti voluisset, etiam particularem casum cõprehendere: nonnunquam tamen benigniùs interpretari licet, noluisse cõprehendere. Qua de re Suarez c. 7. n. 11.

Porrò epiKeia maximè locum habet in legibus obligantibus; non ita in infirmantibus; nisi de voluntate legislatoris aliquo signo constet. Sic enim v. g. testamentum non valet factum coram testibus tribus, vel quatuor, etsi in aliquo casu, lege aut voluntate Principis non excepto, plures haberi non potuerunt: nec valet matrimonium sine Paracho ac testibus celebratum pestis tempore, etsi ij interesse non potuerint, sicuti docet Chapeauille de modo ministrandi sacramenta tẽpore pestis, cap. 6. quæst. 26. Quia eiusmodi leges præscribunt formam substantialem: sine substantia autem actus subsistere non potest. Deinde ad vitandas fraudes interest Reipubl. ita obseruari, posthabito particulari incommodo per accidens aliquando interueniente. Vide Suar. lib. 5. de legib. cap. 23. num. 2. Ægid. ConincK t. 2. disput. 30. dub. 2. concl. 2. vbi rectè ait: Quamuis Ecclesia sua prohibitione efficere non possit, vt omnino ignorantes, aut iusto metu coacti contra eam agentes peccent: posse tamẽ efficere, vt quod ab ijs agitur, sine effectu atq; irritũ sit.

3 Quæritur autem primò. Ad quem pertineat legem secundùm epikeian interpretari? Resp. & dico I. Si manifestum sit, particularem casum generali legis sententiâ non comprehendi: sed æquitatis ratione excipi debere: interpretationem hanc à quouis etiam priuato, secundùm prudentiæ legem, fieri posse. Ita S. Thom. 2. 2. quæ. 174. art. 3. Caiet. ibid. aliíque communiter. Erit autem id manifestum primò: Si lex seruari non possit, nisi violando aliã grauiorem legem, puta naturalem, aut diuinam: de quo regula traditur, *Si concurrant duo præcepta, quæ simul seruari non possint, post haberi debet, quod minus est.* Secundò: si legis obseruatio à maiore bono altioris virtutis impediat: sic v. g. Missa festo die omitti potest, vt proximo ęgrotanti subuenias. Tertiò, si obseruatio legis, v. g. de ieiunio, in aliquo casu nimis difficilis sit: vt certò constet Legislatorem non potuisse, vel saltem noluisse tanta seueritate obligare: quò pertinent ea, quæ suprà dicta sunt c. 14

4 Dico II. Si dubium sit, vtrum lex in casu particulari per epikeian cesset, ad Principem recurrendum erit, iuxta l. 1. C. de leg. vbi Imper. ait. *Inter æquitatẽ, iusque interpositam interpretatione, nobis solis, & oportet, & licet inspicere.* Vide Medin. c. de ieiunio q. 9. §. quæret hîc quispiam, & quæ dixi suprà tr. 1. c. 7. assert. 3.

Quæritur secundò. Vtrum ob iustam causam excusatus à parte præcepti, excusetur quoque ab altera parte? Respõdeo ex doctrina San. l. 1. mor. c. 19. & dico I. Qui excusatur ab eo, quod in præcepto accidentale est, debet tamen seruare principale, si possit. Ratio est, quia *principale non trahitur ab accessorio.* Exemplum habes in eo, qui ob profectionem, negotium vel infirmitatem, in die ieiunij cogitur prandium anticipare, debet is deinde nihilominus ieiunium seruare, si possit. Quia determinatio temporis, secundùm consuetudinem, qua hodie vtimur, prandendi circa meridiem, vel hora ante meridiem, videtur esse tantùm accidentale, vel saltem secundarium requisitum ad ieiunij formam, vt suo loco dicam. Aliud exemplum habes in eo, qui die festo ad vnicam eius loci Missam accessit, cùm iam præfatio cæpta est, debetis quod reliquum est Missæ, audire: nam quę à consecratione vsque ad Sacerdotis communionem peraguntur, propriè & substantialiter ad Missæ sacrificium pertinent: reliqua verò quasi accidentariè annexa sunt, sicuti docet Suar. p. 3. dis. 88. s. 2. Si autẽ circa præfationem v. g. discedere debeas, & quod principale Sacrificij est negligere: non peccabis, etsi totam Missam intermittas: quia destructo principali, destruitur etiam accessorium. 5

6 Dico II. Si præceptum sit de re indiuidua: qui excusatur à parte eius substantiali, excusatur à toto. Eam autem voco rem indiuiduam, in cuius parte substantia præcepti seruari non potest: consequenter si vnam partem substantialem præcepti auferas totum corruit. Exemplum habes in eo, qui præuidet se debere in die ieiunij, post meridiem, binam refectionem capere, is etiam mane ientaculum accipere non prohibetur. Deinde, qui vouit se rosarium, vel vesperas oraturũ, & non potest orare totum, excusatur etiam à parte. Sed limitanda est assertio: Nisi pars præcepti, quæ seruari non potest, exigua sit: vt qui reliquum obseruat, censeatur moraliter implere præceptum, quoad substantiam. Tunc autem exigua & non notabilis videri debet in præceptis sub culpa mortali obligãtibus: si partẽ illã culpatè omittendo, & reliquum seruando mortaliter aliquis peccaturus non sit. Exemplum habes in eo, qui ieiunij legem perferre nõ potest, nisi manè vnicum panis frustum vel offam comedat; is de cætero, si certus sit se ieiunare posse, tenebitur: nã frustillũ panis v. g comedere, exiguam ieiunij violationem esse, inde colligo; quòd qui sine causa ita violat, & de cetero ieiunat, mortalis peccati damnari non posse videatur. Simile est, si qui breuiarium suum amisit, in matutinis alicuius feriæ omnes psalmos memoriter sciat: sed tres lectiones cum responsorijs nesciat: obligatur ad psalmos recitãdos: quia tunc pars, quæ omittitur, notabilis non est. Aliud verò dicendum de matutinis nouem lectionũ: quarum omissio notabilis censetur: quare qui eam partem recitare nequit, à toto excusatus esse videtur.

Dico III. Si præceptũ sit de re diuidua, qui excusatur ab vna ei⁹ parte, debet tamẽ seruare alterã: quippe in qua pręcepti substãtia cõsistere potest: v. g. Sacerdos, qui ob aliquã causã impeditur à recitandis matutinis, tenetur nihilominus recitare horas paruas, & vesperas, si possit. Itẽ qui ob corporis labores, aut infirmitatẽ, vna refectione in die ieiunij cõtentus esse non potest, debet tamen à carnibus abstinere, si possit: quia hæ duæ partes cõstitutiuæ ieiunij inter se diuiduæ sunt. Multóque magis qui ob aliquã causã maiore quadragesimæ tempore à ieiunij lege excusatus est, tenetur nihilominus ijs diebus ieiunare, quibus ratio excusationis manifestò cessat. Nã præceptũ quadragesimę, itẽ canonici officij habet partes inter se diuiduas, in quibus singulis ratio Ecclesiastici ieiunij, abstinentię, vel orationis canonicę seruari potest. Quare habet hîc locũ iuris reg. 37. in 6. *Vtile nõ debet per inutile vitiari:* quã regulã intelligẽdã monent DD. *si vtile ab inutili separari possit.* Nã alioquin, 7

vitiato vno, vitiabitur totum. Dixi autem *Si manifeſto ceſſet*: Nam ſi certus aliquis ſit adeſſe impedimentum excuſans à maiore parte canonici; aut quadrageſimalis ieiunij; dubitet verò, quoties in hebdomade ieiunare; aut quantam officii partem ſine corporis læſione perſoluere poſſit; tunc epikeia dictabit, quòd pars certa trahat ad ſe partem minorem incertam; hominémque omnino exſolluat obligatione legis; cùm alioquin propter dubium, ſcrupulorum & anxietatis materiam oriri perfacile eſſet, ſicuti notauit Rodriq. in ſum.p.1.c.145.Suar.t.2.de relig lib.4.de horis canon.c.27.n.28.

CAP. XX.

De excuſatione ob Ignorantiam.

SVMMARIVM.

1 *Probabilis ignorantia legis excuſat non ſolùm à culpa: ſed etiã à pœna.*

2 *Ignorantia craſſa, ſeu ſupina non excuſat à pœna legis etiam graui, cùm neque à mortali peccato excuſet.*

Si tamen pœna decreta ſit ſcienter, aut temere peccantibus, non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia, niſi affectata ſit.

3 *Ignorantia vincibilis non excuſat à pœna ordinaria graui; quare Iudex in tali caſu vel veniam delicti dare, vel aliam mitiorem pœnam imponere debet.*

4 *Qui poſt diligentem inquiſitionem ſpeculatiuè dubitat, vtrum lex vel præceptum impoſitum ſit, necne: interim obligatione immunis eſt.*

5 *Si conſtet de lege lata: dubium verò ſit, vtrum abrogata, vel obligatio eius ceſſet, tutior pars eligenda eſt.*

6 *Qui præuaricatur legem, quam latam eſſe non ignorat, licet ignoret annexam pœnam: nihilominus efficitur reus pœnæ.*

Cenſuram nemo incurrit ob delictum, cui ignorat annexam eſſe: niſi ignorantia craſſa ſit.

7 *Ignorantia facti excuſat, non iuris.*

ASſertio I. Probabilis ignorantia legis excuſat non ſolùm à culpa; ſed etiam à Pœna Prior aſſertionis pars oſtenſa fuit ſuprà tr.2. cap. 4. Poſterior verò ſequitur ex priore, iuxta c.1. de conſt t. *Rem, quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit.* Nam pœna decernitur ob culpam: ergo ceſſante culpa, tanquam cauſa; ceſſare etiam debet effectus, ſiue reatus pœnæ, arg. c. cùm ceſſante, de appellat.

2 Duo addenda ſunt: Primum, Legis ignorantia craſſa, aut ſupina, ſicuti non excuſat à mortali peccato; ita neque à pœna legis, licet ea grauis ſit. Sumitur ex cap. 2. de conſtit. in 6. & l.1. ff. de legibus: & docet Syl. ver. ignorantia, quæſtione 5. Excipe, niſi pœna decreta ſit ſcienter ac temere peccantibus: hac enim voce non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia, ſicuti ex communi docent Sylueſt. ver. ignorantia, num. 18. Nau. c. 27. numero 141. Auila p.2. cap.5. diſp.5. dub. 9. Suarez libro 5. de legib. cap. 12. num. 14. Præterquam ſi ignorantia affectata ſit: hæc enim ſcientiæ æquipollet, nullámque peccantibus excuſationem affert, ſicut colligitur ex c. eos, qui iun. Gloſſ. ver. affectata, de tempor. ordinat. in 6.

3 Alterum. Legis ignorantia vincibilis, ſed leuis ſicuti culpæ grauitatem minuit, & venialem efficit; ita etiam æquum eſt, vt pœnam minuat, ſicuti docet Sotus libro 5. de iuſt. q. 1. a. 9. ad finem, Suarez l. c. n. 19. Quare ſi legis transgreſſori certa pœna decreta eſt: in tali caſu Iudex vel veniam delicti dare, vel mitiorem arbitrariam imponere debet.

4 Aſſertio II. Qui poſt diligentem inquiſitionem ſpeculatiuè dubitat, vtrum lex, aut præceptum diuinum, vel humanum impoſitum ſit, nécne: interim obligatione immunis eſt: v.g. Si quis in Syluis conſtitutus dubitet, vtrũ lex Eccleſiaſtica extet de alicuius diei ieiunio, & neminem habeat, ex quo intelligere poſſit, is ieiunare non eſt obligatus. Ita docet Suar. t.5. diſputatione 40. ſeſſione 5. numero 15. Sa ver. dubium, numero 2. Henriquez libro 8. cap. 45. numero 3. in comment. littera p. Sanchez libro 2. de matrimonio diſputatione 41. numero 36. & libro 1. moral. capite 10. numero 32. Ratio eſt: Nulla lex aliquem ad ſui obſeruationem obligat, ſi ſufficienter ipſi propoſita & cognita non eſt; atque per ipſum non ſtat, quo minùs cognoſcatur: Nam tali caſu adeſt inuincibilis ignorantia iuris, quæ omnium ſententia à peccato excuſat. At, quando aliquis poſt diligentem inquiſitionem, de lege aut præcepto dubius manet, tunc legem ſiue præceptum ſufficienter ſibi propoſitum & cognitum non habet: ideóque inculpatè ignorat: Ergo licet abſtractè & ſpeculatiuè dubius hæreat de lege ſiue præcepto: in particulari tamen ac practicè certus eſt, ſe eo non obligari. Confirmatur: In dubio melior videri debet conditio poſſidentis: quamdiu autem inuincibiliter ignoras, vtrum lex lata ſit, manes in naturali poſſeſſione libertatis tuæ: Ergo in dubio non es aſtringendus legis neceſſitate. Atque his conſentiunt ea, quæ tr. 1. capite 5. numero 7. dicta ſunt: Si quæſtio adeóque dubium ſit inter Doctores, vtrum aliqua hominis actio, v. g. contractus licitus ſit, nécne, alijs affirmantibus, alijs verò negantibus; poſſe me talem actionem exercere, quamdiu ſpeculatiuè certus non ſum; ſed dubius de eius prohibitione, aut malitia.

Aſſertio III. Si conſtet de lege lata: dubium autem ſit, 5
vtrum abrogata, vel ob circumſtantias eius obligatio ceſſet, tunc tutior pars eligenda eſt, & ſecundùm legem operandum. Ita S. Thom. 1.2. quæſtione 96. art. 6. ad 2. & 2.2. q. 120. art. 1. ad 3. Caiet. citat. art. 6. & Medina ibidem propoſ. 3. Ioan. Medina. Cod. de Ieiun. quæſtione de his qui ieiunare tenentur, vbi docent: ſi aliquis dubitet, vtrum obligatione ieiunij ob aliquam cauſam liberatus ſit, ſuperioris iudicio acquieſcendum: ſi autem ſuperiorem adire nolit, vel non poſſit, legem ſeruandam. Ratio eſt: Cùm enim ſemel conſtet legem poſitam fuiſſe, præſumptio ac veluti poſſeſſio ſtat pro lege: vt ſi quis contra eam excipere velit, probandæ exceptionis neceſſitas ipſi incumbat. Similiter ſe res habet in obligationibus ex contractu, vel delicto: Si enim certus ſim, debitorem me fuiſſe, dubitem verò de cauſa excuſante à ſolutione, nihilominus ſoluere cogor, teſte Sanch. cit. c. 10. num. 340.

Arbitror tamen, ſi quis re diligenter conſideratâ, non omnino ambigat: ſed probabilius arbitretur, quamuis non ſine formidine oppoſiti ſe ob aliquam cauſam à legis obſeruatione excuſatum, adeóque mentem legiſlatoris non fuiſſe, talem cauſam particularem comprehendere; tum locum fore epiKeiæ, vt practicè iudicare poſſit, ſe legis obligatione tali caſu abſolutum eſſe, ſicut docet S. Anton. p. 1. t. 3. cap. 10. §. 10. §. pro cuius enodatione, Gutier. l. 1. canon. qq. c. 31. num. 41. Medina l. c. prop. 4. Corduba in quæſtionar. lib. 3 q. 13. Propterea, quòd in moralibus, vbi certitudo haberi non poteſt, ſufficit ſequi iudicium probabile.

Aſſertio IV. Qui legem latam non ignorat, quamuis 6
ignoret annexam pœnam: ſi illam præuaricetur non culpæ ſolùm, ſed etiam pœnæ reus efficitur. Ita ex communi docet Molina tr. 5. de iuſt. diſputatione 71. numero 9. Sanc. l. 9. de matrim. diſ. 32. q. 4. n. 11. Suar. l. c. n. 11. contra Nau. c. 23. n. 47. Excipe primò cenſuram Eccleſiaſticam, quam nemo incurrit ob delictum, cui ignorat annexam eiuſmodi pœnam; niſi ignorantia craſſa ſit. Qua de re dicam tr. ſeq. p. 1. cap. 5. num. 7. Excipe ſecundò: Niſi pœna ſit admodum grauis, & pluſquam delictum abſolutè ſpectatum mereatur. Exemplum habes: Si peregrinis tranſeat per regionem, in qua ſub pœna grauiſſima prohibita eſt venatio ferarum: non videtur afficiendus tanta pœna, ſi legem violet: ſciens quidem venationem prohibitam eſſe, ſed inculpatè ignorans grauitatem pœnæ: cùm in ſua regione

regione, & spectata ipsa natura rei, non ita grauiter venatores puniri soleant.

7 Porrò contra primam nostram assertionem obijci potest iuris regula 13. in 6. *Ignorantia facti excusat, non iuris.* Cuius ratio affertur in l. 2. ff. de iuris & facti ignorantia: Quia ius finitum est, quod comprehendi potest: facta autem varia, & infinita, quæ proinde etiam prudentissimos fallant. Respondetur autem, Id accipiendum esse secundùm forum externum, vbi ignorantia iuris communis ac publici ferme non præsumitur; sed ab allegante probari debet, *propria scientia instructum se non fuisse, neque Iureconsulti consilium secutum fuisse*, iuxta l. regula, §. sed iuris, ff. de iuris & facti ignorantia: cuiusmodi probatio admodum rara & difficilis esse solet. Cessat verò præsumptio, probandíque obligatio, si de veritate constet. Deinde excipi debent nonnullæ personæ; imprimis miles, iuxta l. 1. Cod. de iuris & facti ignorantia; quippe de quo facilè præsumitur probabilis ignorantia iuris: arma enim magis, quàm iura scire milites legislator existimat, l. vlt. Cod. de iure deliber. Deinde minor xxv. annis, cui ob iudicij imbecillitatem venia datur, iuxta cit. l. regula, & l. quamuis in lucro, C. eod.

Facti autem *ignorantia* (puta alieni) *præsumitur, vbi scientia non probabitur*, reg. 47. in 6. Nisi vel publicum, siue notorium factum sit, iuxta cit. l. regula, & cap. 1. de postul. Prælatorum: vel eius scientia ex officio alicui incumbat, argument. cap. innotuit, de elect. & cap. quamuis, de reg. iuris vbi S. Gregorius ait: *Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit.* Quã doctrinam reperies apud Abb. in cap. ab excommunicato, num. 18. de rescript. &c. innotuit, n. 9. de elect.

Debet præterea dicta regula ita intelligi, quòd ignorantia etiam iuris excusat in damnis, & suum petenti nihil nocet: non autem excusat in commodis, & acquirere volentem nihil adiuuat. Facti autem ignorantia, nisi crassa & supina sit, tam in commodis, quàm damnis excusat. Ita habetur in l. 7. & seqq. ff. de iuris & facti ignorantia. Idque etiam in conscientiæ foro locum habere, monet Abbas in c. quia plerique n. 17. de immunitate ecclesiæ. Exemplum huius rei nobis proponitur in l. 10. Cod. de iuris & facti ignorantia: *Cùm quis ius ignorans indebitam* (ciuiliter, debitam autem naturaliter) *pecuniam soluerit, cessat repetitio.* Veluti, si hæres per iuris ignorantiam legata soluit ex testamento imperfecto: vel non detracta Falcidia: ordinariè dignus non censetur, cui iuris beneficium prodesse debeat, sicuti constat ex l. regula, §. si quis ius, ff. de iuris & facti ignorantia, & l. error, Cod. ad l. Falcidiam: Quicunque autem ex facti ignorantia (non supina) indebitum ciuiliter soluit: quia ignorauit v. g. testamentum imperfectum esse, solutum repetere potest, sicuti constat ex cit. l. 10. & tit. ff. & Cod. de condict. indebiti. Cæterùm si aliquis ob ignorantiam siue iuris, siue facti, soluisset, quod suum erat, nullóque iure alteri debitum, illud haud dubiè, tanquam indebitè solutum, condicere poterit: nam *locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura*, reg. 48. in 6. Quam doctrinam leges in Gl. cap. vlt. de solut. ver. indebitam, Abb. ibid. num. 11.

CAP. XXI.

De mutatione derogatione, abrogatione Legis.

SVMMARIVM.

1 *Lex perpetuò durat, quamdiu legitima auctoritate non tollitur.*
2 *Posterior Principis constitutio derogat priori, quatenus ei contraria est.*
3 *Cessante vniuersim totali causa legis, per se ipsam cessat lex.*
4 *Lex in præsumptione fundata, cessat obligare, si de contraria veritate constet.*
5 *Præsumptio cedit veritati.*

DVplici ex capite lex mutari, vel tolli potest: Primò ex parte efficientis. Licet enim lex in conseruatione non pendeat ab autore suo: sed eo etiam extincto perseueret, sicuti cap. 1. dictum fuit: nihilominus autor legis, eiúsque successor, vel superior legi derogare, eámve abrogare potest. Quare, quod dicitur legem esse perpetuam, intelligi debet, donec legitima autoritate tollatur: *nam res omnis per quascunque causas nascitur, per easdem dissoluitur*, c. 1. de regul. iuris. Porrò legi derogatur, cùm pars eius detrahitur: abrogatur verò, cùm prorsus tollitur, iuxta l. derogatur, ff. de verb. signif. Illud verò hîc obseruandum ex doctrina Bartoli in l. omnes populi, ff. de iustitia & iure. Abb. in c. cùm accessissent, n. 2. de constit. Si statutum concernens fauorem aliorum, aut publicum, à Superiore confirmatum sit, non posse deinde ab inferioribus, qui illud statuerunt, infringi, aut mutari; quia Superior illud confirmando, fecit quasi proprium. Sin verò statutum à Superiore confirmatum est in gratiam & fauorem ipsorum statuentium, tunc possunt hi recedere; illíque perinde atque alteri gratiæ seu priuilegio renuntiare, argum. c. per illorum, de præbendis. Secundò cessat lex ob mutationem obiecti seu causæ, propter quam lata est: Eáque mutatio vel fieri potest in casu particulari, propter epikeiã, de qua suprà: vel in vniuersali; idque vel totaliter, vel partialiter, sicut postea explicabo.

Assertio I. Posterior Principis constitutio derogat, vel abrogat priorem, quatenus ei contraria est; licet verbis expressis nulla eius mentio fiat. Ita habetur in c. 1. de Constit. in 6. Excipiuntur tamen decreta Concilij generalis, quibus posteriore contraria lege, aut priuilegio derogatum non censetur: nisi clausula derogatoria expressè adijciatur, sicut colligitur ex c. ex parte, cap. vlt. de capellis Monachorum, & docet Felinus in c. nonnulli, de rescript. Nau. c. 27. num. 265. Couar. in epit. p. 2. cap. 8. §. 9. num. 7. Sanchez lib. 3. de matrimon. disp. 26. n. 6. 2

Assertio II. Cessante vniuersim totali causa legis, per se ipsam cessat lex omnisque eius obligatio. Ita ex communi, Castro libr. 1 de lege pœnali, cap. 5. docum. 3. Medina q. 90. art. 2. ad 4. Syluest. ver. lex. q. 9. §. octauo, Suares lib. 6. de legib. capite 9. num. 5. Sumitur ex c. cùm cessante, de appellat. vbi dicitur *cessante causa cessat effectus.* Et confirmatur ampliùs: Quia sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit; ita etiam postea desinit, desinente ratione eius: quandoquidem tunc eius obseruatio inutilis atque superuacanea esse incipit. Hac ratione Apostolus ad Hebr. 7. ait; *Reprobatio fit præcedentis mandati* (legis Mosaicæ) *propter infirmitatem eius & inutilitatem. Quia* vt idem Apost. ad Rom. 10. ait; *Finis legis, Christus.* Et ad Galat. 3. *Propter transgreßiones posita est, donec venerit semen.* Et infrà eod. cap. Lex *pædagogus noster fuit*; ad Christum venturum nos dirigens. *At vbi venit fides* (Christi) *iam non sumus sub pædagogo.* Item in Ecclesia primitiua Apostoli Actor. 15. lege constituat, gentibus præceperunt, vt abstinerent se ab immolatis simulachrorum, sanguine, & suffocato, ob eam causam, vt cùm Israelitis ad Christum conuersis, qui ex antiquissima consuetudine maximè ab his abhorrebant, faciliùs in Christo, lapide angulari, tanquam duo parietes vniri possent, sicuti docet S. Aug. lib. 32. contra Faustum, cap. 13. Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros, cap. 90. S. Thom. 1. 2. quæst. 103. art. 4. ad 3. vbi addit: *procedente autem tempore, cessante causa, cessat effectus*, siue obligatio legis illius Apostolicæ: idémque docet Victor. de temper. num. 2. §. ad aliud, Sur. lib. 9. de legib. c. 10. n. 13. Turrianus in constitut. Apostol. pag. 230. 3

Dixi autem in assertione, Cessante causa *totali*: Nam si partialis tantùm causa siue finis legis cesset, fieri potest vt perseueret altera causa, siue finis legis, qui sufficiens sit ad conseruandam eius obligationem, sicuti bene annotauit Abb. in cap. cùm cessante, num. 2. de appellat. & in c. vlt. de immunit. Ecclesiæ. num. 8. exempli causa: Lex tri-

buti ciuibus indicta, cùm hostes ciuitatem oppugnarunt, non penitus cessat, etsi hostes adesse desinant, dum periculum ab hostibus, vel aliæ iustæ causæ exigendi tributi permanent. Qua de re Io. Medina q. 13. de restit. P. Nau. lib. 3 de restitut. c. 1. n. 258. Suarez lib. 5. de legib. cap. 15. num. 6.

Secundò dixi, Cessante causa *vniuersim*: Nam cessante causa legis in particulari homine, non ideo eius obligatio desinit: Veluti, si Princeps lege lata ciuibus interdixi armorum vsum, ad vitandos clamores, ac rixas; fas non erit ciui, qui ob senectutem, vel morum simplicitatem, à pugna alienissimus est, arma prohibita gestare: quia interest boni publici, vt leges communes ab omnibus communiter obseruentur, quamdiu non occurrit aliquod impedimentum contrarium, quod per epikeian excuset, vt rectè notauit Suarez lib. 6. cap. 7. num. 6. Quare breuiter dici potest, ad excusationem à lege non satis esse, si ratio legis cesset in particulari *negatiuè*: cùm debeat etiam cessare *contrariè*; videl. propter impedimentum, vel moralem impossibilitatem seruandæ legis.

Assertio III. Si lex plures in se partes continet, quarum vna ab altera separari potest; tunc cessante ratione vnius tantum partis, perseuerat lex secundùm alteram partem. Quæ est communis doctrina tradita à Nauar. c. si quando, except. 11. num. 10. de rescrip. Suares lib. 6. c. 9. in fine. Ratio est: *Quia vtile per inutile non debet vitiari*. reg. 37. in 6.

4 Assertio IV. Lex in præsumptione fundata, cessat obligare, si de contraria veritate constet. *Cedit* enim *præsumptio veritati*, argument. cap. super hoc, de renuntiatione: & docet Abb. in cap. quia plerique, num. 18. de immunit. Eccles. Couar. cap. cùm esses, num. 9. de testament. Nauar. cap. ita quorundam, de Iudæis, notab. 10. num. 29. Porrò ea lex in præsumptione fundari dicitur, cuius formale motiuum, & intrinseca obiecti conditio est præsumptio alicuius rei: siue per quam Iudici præcipitur, vt in omnibus occurrentibus casibus, ex tali præsumptione, quam ipsamet lex facit, talem sententiam ferat. Exemplum habemus in cap. veniens, 2. cap. is qui fidem, de sponsalibus, vbi dicitur, quòd sponsalia de futuro, secuta copula, in matrimonium transijsse censeantur: ob iuris præsumptionem, sponsos non animo fornicario, sed coniugali coniunctos fuisse. Quo tamen nihil obstante, si sponsus sciat, falsam esse hanc iuris præsumptionem, animúmque sibi non fuisse in matrimonium cõsentire; ideóque aliam postea vxorem duxerit, priore sponsa quamuis per iniuriam spreta, hoc casu non prius falsa præsumptione nixum; sed posterius matrimonium constabit. Quod adhuc hodie obseruari debet ijs locis, quibus Tridentina Constitutio sess. 24. c. 1. de reform. matrimon. Parochi ac testium præsentiam ad valorem matrimonij requirens, recepta non est. Vide Couar. p. 1. epit. decret. cap. 4. §. 1.

Aliud exemplum affert Nauarrus cit. loco. Licet in cit. cap. ita quorundam, excommunicentur ij Christiani, qui Sarracenis: & in Bulla Cœnæ Domini, qui alijs etiam Christi nominis inimicis deferunt arma, ferrum quibus Christianos impugnant: & verò præsumptio iuris esse soleat, talia ipsis subministrari cum nocumento Christianis inferendo: si tamen certò constet ministranti, Sarracenum vel Turcam non ad bellicos vsus, sed v. g. ad ædes priuatas fabricandas petere: contra legem Ecclesiasticam non peccat, ideóque nec excommunicationem incurrit.

CAP. XXII.

De dispensatione in lege.

SVMMARIVM.

1 *Dispensatio est relaxatio legis, publica auctoritate facta.*
2 *Dispensandi potestas alia est ordinaria, & alia delegata.*
3 *Papa in omni Ecclesiastico iura tum vniuersali; tum particulari dispensare potest.*
4 *Episcopus in lege vniuersali Ecclesiæ iure ordinario dispensare nequit.*
Facultas dispensandi, quæ specialiter conceditur.
Episcopis ratione dignitatis suæ, transit in ordinariam.
5 *Super votis ac iuramentis, Episcopi iure ordinario cum subditis suis dispensant: non item Parochi.*
6. *Delegata dispensandi potestas alia est à iure: & alia ab homine. Quæ ab homine est, vel datur per modum puræ commissionis, seu mandati, vel per modum gratiæ. Et hæc, si absolutè collata fuit, non expirat morte concedentis.*
7 *Dispensatio interdum expressè fit per verba: interdum tacitè per factum, quo dispensandi voluntas significatur.*
8 *Ratihabitio de præterito non sufficit ad valorem dispensationis vel collatæ iurisdictionis.*
9 *Error communis cum titulo præsumptio ius facit, iurisdictionemque tribuit: etsi impedimentum occultum subsit, ex positiuo iure proueniens.*
10 *Dispensatio iusta est, quæ cum causa cognitione fit: & hæc interdum debita: interdum permissa ob misericordiam, pietatem.*

Dispensatio est legis relaxatio, publica autoritate facta. Ex quo colligitur, dispensationem esse iurisdictionis actum: cùm autẽ omne exercitiũ iurisdictionis, præsertim voluntariæ, dispensatio quædam publicæ potestatis sit, iuxta illud Luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator ac prudens*? inde accidisse videtur, vt nomen commune dispensationis vsu Ecclesiastico vnius rei proprium factum sit sicuti notauit Suar. lib. 6. de legib. cap. 10. num. 5. & 6. 1

Cùm dispensatio definitur, *legis relaxatio*, distinguitur primò ab absolutione, quæ fit v. g. à censuris: nam per hanc non relaxatur vinculum legis, sed alterius obligationis: quare absolutio non est contra communem legem: sed secundùm legem, si persona absolutionem mereatur.

Secundò, distinguitur dispensatio ab interpretatione secundùm epikeian: quia per hanc obligatio legis non tollitur, aut relaxatur: sed declaratur, per se ipsam cessare: dispensatione autem relaxatur lex, alioquin obligatura, sicuti notauit Couar. in 4. decret. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 2. Suares lib. 6. de voto, cap. 9. num. 2. Ex quo sequitur I. quòd ad dispensandum minore causa opus est, quàm ad epikeian: quia per epikeian declaratur, tantum causam adesse, vt aliquis per se legis obligatione eximatur: ad dispensandum autem requiritur causa, ob quam aliquis per autoritatem Superioris eximi possit. Sequitur II. Quòd in legem diuinam non cadat dispensatio: quia inferior, videlicet homo, non potest tollere, vel relaxare legem Superioris, Dei, teste S. Thom. 1. 2. quæst. 97. a. 4. ad 3. Interdum tamen locum habet interpretatio, legem diuinam ob certas circunstantias per se ipsam cessare: qua de re Couar. cit. §. 9. num. 11. Suar. lib. 10. de leg. c. 6.

Tertiò, distinguitur à licentia data: Nam Superior licentiam dans non tam efficit, vt aliquis lege soluatur; sed magis vt nunquam obligetur. Siquidem ea interdum conditione leges latæ sunt, vt omnes comprehendant, ac obligent; nisi Superior, vel alius quispiam licentiam præbuerit aliter agendi. v. g. *Nemo sine Consulis licentia frumentum ex ciuitate efferat*: tunc Consul licentiam dans, non dispensat in lege, aut relaxat legem; sed affert conditionem, qua posita, lex non obligat; licet, ea sublata, obligaret. Qua etiam ratione Prælatus Religioso licentiam dare potest aliquid accipiendi, vel donandi, licet in voto paupertatis dispensare nequeat. Præterea quamuis lex sigilli sacramentalis indispensabilis sit; pœnitens tamen Confessario licentiam dare non prohibetur peccata sua, iusta de causa, alteri reuelandi: siquidem hoc casu non dispensatur in lege sigilli, sed apposita conditione, immutatur obiectum legis; vt ea per se ipsam cesset.

Quartò, distinguitur dispẽsatio à legis abrogatione, & derogatione; quippe per quam lex vel tota, vel pars eius absolutè & vniuersim tollitur, & aboletur; dispensatione verò

verò vinculum siue obligatio legis solùm relaxatur respectu certæ personæ, temporis, &c.

2 Potestas dispensandi diuiditur in ordinariam, & delegatam. Illa imprimis Legislatori competit: nam *eiusdem est ligare & soluere*, c. inferior, d. 21. c. cùm inferior, de maior. & obed. Secundò eius successori: *Nam par in parem non habet imperium*, c. innotuit, de elect. Successor autem non minore, quàm antecessor: sed pari potestate præditus est: Ergo ab illo prohiberi non potuit, quò minùs legem positam abrogaret, vel in ea dispensaret. Tertiò Legislatoris, eiúsque successoris superiori, cui illi in iurisdictione & legum ferendarum potestate subordinati sunt, v. g. Episcopi summo Pontifici.

3 Corollarium I. Papa dispensare potest in omni iure Ecclesiastico tàm vniuersali, quàm particulari, sicuti ex communi Couar. cit. §. 9. num. 13. Quin & in Apostolicis canonibus: ijs nimirum, quos tanquam Ecclesiæ præsides, potestate à Christo accepta, condiderunt: v. g. de ieiunio quadragesimæ, obseruatione Dominicæ, non ordinandis bigamis: Non item in ijs canonibus, quos à Christo auctore acceptos, veluti ministri, Ecclesiæ promulgarunt, ac tradiderunt, v. g. de paruulorum baptismate, confirmandis baptizatis, matrimonij indissolubili vinculo, mortuorum suffragijs. Qua de re Durand. in 4. d. 27. quæst. 4. num. 9. Azor tom. 1. lib. 5. c. 15. quæst. 4. Suar. lib. 6. c. 14. num. 2.

4 Corollarium II. Episcopus in legibus Pontificijs, vel Conciliorum vniuersalium iure ordinario dispensare nequit, iuxta c. dilectus, iunct. Gloss. ver. permissa, de tempor. ordinat. & videri potest Abb. c. at si Clerici, §. de adulterijs, num. 4. de iudicijs, & c. cùm dilectus, de elect. num. 10. Suarez lib. 6. c. 14. de legib. num. 4. Sanch. lib. 7. de matrimon. disp. 7. num. 6. Ratio est: Quia inferior non dispensat in lege Superioris. Attamen in dubio, vtrum res egeat dispensatione, Episcopus declarare potest, non egere, sicut notat Sa ver. dispensatio, num. 1. Deinde exceptiones aliquæ sunt: I. Nisi dispensandi facultas aliqua Episcopis generali legi concessa sit, iuxta cit. c. dilectus. Talis enim concessa potestas transit in ordinariam: cùm non personis, sed officio & dignitati conferatur. Exemplum habes in Trid. sess. 24. c. 6. de reform.

II. Nisi Episcopus legitimè præscriptâ consuetudine dispensandi facultatem aliquam comparârit.

III. Si in casu necessitatis ad Sum. Pontificem non sit facilis recursus, qua de re Nau. c. 22. num. 85. Sanch. lib. 2. disput. 40. num. 3. Ægid. Coninx tom. 2. disput. 33. dub. 3. conclus. 3. vbi aiunt, Episcopum ex præsumpta facultate summi Pontificis, dispensare posse super impedimento matrimonij, alioquin dispensabili, si matrimonium cum defectu occulto palam in facie Ecclesiæ, saltem cum alterius bona fide, celebratum fuit; separatio autem sine maximo incommodo fieri nequit: ad Papam verò, vel Legatum, aliúmve priuilegiatum facilis accessus esse non potest: Et similiter in votis continentiæ, ac Religionis, quæ alioquin Papæ reseruata sunt, dispensare posse Episcopum propter graue incontinentiæ periculum, si ad summum Pontificem, vel eius delegatum accessus non sit, tradunt Syl. ver. votum. 4. q. 4. Nau. c. 12. num. 76. Less. lib. 2. c. 40. dub. 13. num. 106. Suar. lib. 6. de voto, c. 26. num. 9. Sanch. lib. 8. disp. 9. num. 21. Verùm in impedimento dirimente matrimonij, nondum in facie Ecclesiæ contracti, Episcopus nunquam dispensat: nisi quòd Sanchez, nullius tamen Doctoris auctoritate nixus, cit. disp. 40. q. 1. num. 7. cunctabundus permittere videtur, vt in vrgentissima necessitate dispensare possit.

IV. In materia leui, aut frequenter occurrente, v. g. circa festa, ieiunia: cùm vero simile non sit, Principem velle, vt in rebus parui momenti, aut quæ ob frequentiam ad iurisdictionem ordinariam necessariæ sunt, multoties ad ipsum recurratur. Qua de re S. Thom. in 4. d. 15. quæst. 3. a. 2. Sotus lib. 1. de iust. quæst. 7. a. 3. Caiet. 1. 2. quæst. 97. a. 4. Syluest. verb. dispensatio, quæst. 9. Sa eod. ver. num. 9. Suarez lib. 6. de legibus, c. 14. num. 9. Salas de legibus, disput. 20. sect. 3. Denique quotiescunque in lege Pontificia, v. g. latæ irregularitatis, dicitur in ea dispensari posse, intelligitur talis potestas Episcopis concessa, iuxta Gloss. receptam in cap. in quibusdam, de pœnis, ver. dispensatum: quia alioquin eiusmodi verba frustra posita essent: cùm omnibus notum sit, Papam in tali lege dispensare posse, sicuti notauit Syl. cit. q. 9. Suar. cit. c. 14. num. 8.

Loquimur autem de dispensatione in legibus: At verò dispar ratio est de dispensationibus super voto, ac iuramento: in quibus ordinario iure Episcopi cum subditis suis dispensare, eósque à peccatis omnibus & censuris absoluere possunt, nisi Papæ specialiter reseruata sint. Quia talis absoluendi ac dispensandi facultas, ob frequentem eius necessitatem, omnino Ordinarijs conuenit, ad rectam gubernationem & salutem animarum, sicuti constat ex cap. 1. de voto. Parochis verò iure ordinario non conceditur dispensandi potestas, sicuti ex communi notauit Nauar. c. 12. num. 75. & 79. Suarez lib. 6. de voto, c. 10. Sed interdum ex speciali priuilegio, vel consuetudine, introductâ ratione necessitatis, in casibus frequenter occurrentibus, quod facilè accidere potest in Germania nostra, vbi Parochi sæpe ab Episcopo suo remotiores sunt. Qua de re Caietan. verb. ieiunium, Gabr. in 4. d. 38. quæst. 1. in fine, Nauar. cap. 21. num. 21. Suarez cit. lib. 6. de legibus, c. 14. in fine. 5

Delegata dispensandi potestas alia est à iure, quæ si in perpetuum concedatur non annexa personæ, sed officio aut dignitati, æquiparatur ordinariæ, vt suprà dixi, & constat ex l. 1. ff. de officio eius, cui commissa est iurisdictio, & cap. quoniam, Abbas, de officio delegati. Alia est dispensatio ab homine, quæ dupliciter prouenit: I. per modum puræ commissionis, vel mandati, in fauorem certæ causæ, personæ: cuius dispensationis ea natura est, vt delegante mortuo, aut deposito, expiret commissio, si res integra est, siue causa executioni nondum mandari cœpta, iuxta cap. relatum, de officio delegati in 6. Præterquam, si delegatio à dignitate potiùs, quàm particulari persona delegantis profecta videatur, tali verborum formula, *Sedes Apostolica tibi committit*. Nam *Sedes ipsa non moritur*: sed in successore continuatur, cap. si gratiosè, de rescriptis, in 6. & ex communi docet Sanch. lib. 8. de matrimon. disput. 28. num. 44. II. Per modum gratiæ in fauorem delegati; quæ si absolutè conferatur, non expirat morte concedentis, iuxta cap. si tibi absenti, de præbendis, in 6. *Decet* enim *concessum à Principe beneficium esse mansurum*, regul. 16. in 6. Quare etiam hoc discrimen est, quòd facultas seu priuilegium dipensandi alicui generatim seu indefinitè concessum; cùm sit gratia & beneficium, latè interpretari debet, sicuti docent Doctores in cap. at si Clerici, §. de adulterijs, de iudic. & cap. vltim. de Simon. Couarruu. in epitom. p. 2. cap. 8. §. 8. num. 26. At verò commissa alicui facultas dispensandi cum persona particulari, strictæ interpretationis est, sicuti & ipsa dispensatio: cùm Commissarius sit solùm quasi executor dispensationis factæ à Superiore, sicuti ex Felino annotauit Suarez lib. 6. de legibus, cap. 17. num. 10. 6

Dispensatio diuiditur I. in expressam & tacitam. Illa verbis fieri solet: (quamuis certam verborum formam non requirat, teste Suar. lib. 6. cap. 13. de legibus) hæc facto aliquo, ex quo voluntas dispensantis perspici possit. Nam in his, quæ certam verborum formam non postulant, tantundem operatur voluntas re aut facto significata, quàm si verbis explicata sit: quia *taciti & expressi eadem virtus est*, argum. l. 32. ff. de legibus, & l. qui ad certum, ff. locati. Quæ quidem doctrina difficultatem nullam habet, si Princeps in propria lege dispenset; v. g. 7

Pontifex matrimonio iungat quos Ecclesiastica lege inhabiles esse non ignorat: vel Rex Iudicem constituat, quem seruum suum effecit, tacitè ei liberatem conferre censetur, iuxta l. Barbarius, ff. de officio Prætorum. Sed idem quoque de inferiore, puta Episcopo vel Ordinis Prælato, dispensandi facultate prædito in iure Pontificio, dicendum; vt si v. g. subdito irregulari literas dimissorias det ad ordines suscipiendos, vel confessionibus audiendis exponat, tacitè cum ipso dispensare censeatur, sicut ex communiore docet Syluest. verb. dispensatio, num. 21. & verb. irregularitas, in fine, Sa verb. dispensatio. num. 8. Sanch. lib. 8. disp. 4. num. 15. Suar. de censuris. disp. 41. sect. 3. num. 4.

8 Porrò aduerte, ad tacitum consensum omnino necessariam esse scientiam eius, quod agitur: qui enim nescit, vtique non consentit. Quare ratihabitio, quæ dicitur de præterito, nullo modo sufficit ad conferendam potestatem, aut valorem illi actui, ad quem actualis voluntas conferentis requiritur: Cuiusmodi esse solet v. g. dispensatio ad ordines, collatio iurisdictionis, aprobatio Confessarij. Quare illegitimè natus, etsi certissimò persuasus Papam dispensaturum si causam cognitam haberet, ordines suscipiat, censuram suspensionis nihilominus incurret. Item si Sacerdos iurisdictione carens à peccatis absoluat, eo necessitatis casu, quem si Ordinarius sciret, haud dubiè iurisdictionem conferret, absolutio irrita est, neque subsequēte ratificatione conualescit, sicuti dicam lib. 5. tractat. 6. cap. 10. num. 12.

Exinde resolue: Cùm hodierno iure iurisdictio seu potestas audiendi confessiones Sacerdoti committi non possit, nisi priùs ab Episcopo approbatus sit; consequens hinc esse, si Parochus audiendis confessionibus exponat Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, prætextu ratihabitionis, vel approbationis postea conferendæ, nihil effici. Qua de re videri potest Suarez 3. p. tom. 4. disput. 26 sect. 1. & disput. 28. sect. 4. num. 11. Excipe, nisi hoc

9 postremo casu communis probabilis error, in loco, vbi res gesta est, accedat: Nam *error communis, cum titulo præsumpto, ius facit, iurisdictionémque tribuit, etsi occultum subsit impedimentum ex iure positiuo proueniens* argum. l. Barbarius, ff. de officio Prætorum, & tradit Gratianus in cap. 1. causæ 3. quæst. 7. Gloss. in l. 3. ff. de suppellectili legata, verb. *error ius facit*, & Gloss. in cap. ad probandum, de sentent. & re iudicata, ver. innodatus, Richar. in 4. d. 18. a. 7. quæst. 1. Palud. in 4. d. 17, quæst. 6. a. 2. Abbas in cap. scisictatus, num. 11. de rescript. Mascardus de probationib. conclus. 648. Vgolin. de censuris, tabul. 1. cap. 13. §. 3. & 4. Petrus Sotus lect. 6. de Confess. §. quòd verò, Castro lib. 2. de lege pœnali, c. vlt. concl. 2. Henriq. lib. 6. c. 7. num. 2. & lib. 13. c. 7. num. 6. Sanchez lib. 3. disp. 22. de matrim. Less. lib. 2. c. 29. dub. 8. num. 67. Sensus illius regulæ est: Si à legitimo Superiore, videl. Papa, Rege, Episcopo, Parocho, cōmissa sit alicui iurisdictio, bona vel mala fide, in foro externo, vel interno; qui ob impedimentum publicè ignoratum iurisdictionis incapax est, omnia illius acta valent, etiam paucorum respectu, qui impedimentum cognitum habent. Ratio est, quòd tali casu, ad vitanda scandala & grauia Reipubl. incōmoda. Princeps vniuersali iure ac voluntate, non obstante tali defectu occulto, agendi potestatem conferre censeatur, sicuti bene explicat Suarez de censuris disp. 2. sect. 4. num. 2.

Corollarium. Si Sacerdos excommunicatus, atque denuntiatus, ex eo loco in alium remotum se transferat, vbi eius impedimentum ignoratur; ibique parochiale beneficium, Episcopi auctoritate, accipiat, absolutiones eius validæ erunt, sicuti tradit Abb. in c. veritatis, num. 33. de dolo & contumac. Suar. de cens. disp. 11. sect. 2. num. 14. Item si alicuius ad Episcopatum electionem, aut confirmationem ob occultum defectum irritam fuisse postea innotescat, gesta eius retractari non debent, sicuti docet Abb. in c. nihil, num. 12. de elect. Idémque dicendum in casu, quo iurisdictio ordinaria, vel delegata alicui ablata, aut reuocata est; seu ipso iure, seu per sententiam, aut mortem delegantis: si tamen talis ademptio vel reuocatio publicè ignoretur, & reuocatus vel priuatus officium vel iurisdictionem, quamuis mala fide, administret, acta eius valida erunt: in tali casu ipso iure supplente defectū, sicuti ex communi docet Syl. verb. Confessor 1. quæst. 19 §. tertiò verò, Less. lib. 2. cap. 29. num. 66.

Dictum est autem in regula I. Si *error communis* sit: nam paucorum error non sufficit. Nihil autem refert, vtrum error facti sit an iuris, dummodo iustus: vt si probabilis sit Doctorum sententia, iurisdictionem ob talem causam non amitti, etsi in veritate aliter se res habeat, existimandum est, quòd ius suppleat defectum. Vel si populus dubitet, vtrum iurisdictio in aliquo casu amissa sit, & rei veritatem cognoscere non possit: cùm in dubio Iudex vel Pastor non sit priuandus Possessione iuris sui, meritò populus interim ab eo administrationem officij petit, ac recipit; ideóque ius supplet defectum, si quis re ipsa subsit, vti docent Less. num. 68. Sanchez lib. 3. disp. 20. num. 4 II. *Cum titulo præsumpto.* Quare si Sacerdos absque consensu Ordinarij, vel parochi, se alicubi intrudens, Confessiones audiat, nihil efficiet, quamuis impedimentum publicè ignoretur: idque notauit Abb. in c. 2. num. 4. de restit. in integrum, vbi ait, quòd *gesta ab intruso non valent, quantumcumq; sit toleratus.* III. *In loco vbi res gesta est*: Quia non obstat, impedimentum Sacerdotis, in Hispania v. g. excommunicati ac denuntiati, notorium esse; si in Germania, vbi ad Ordinario cum titulo præsumpto parochiam consecutus, vel à Parocho tanquam Cooperator expositus est, publicè ignoretur: quod extra controuersiam esse oportere, ait Abb. in c. scisictatus, num. 13. de rescript. IV. dictum est, si impedimentum ex *iure positiuo* proueniat: Nam aliud sentiendū, si ex iure naturali vel diuino descēdat; quippe quod humana volūtate tolli non potest. Exempli causa: Si Parochus Diaconum, qui publicè existimatur Sacerdos, mittat ad assistēdum matrimonio, benedicendum aquam, vel nuptias, valida erunt acta eius; non item, si eundem audiendis Confessionibus exponat, sicuti benè notant Vgol. tab. 2. c. 13. §. 4. Caiet. ver. confessio iteranda ex parte Confessoris, Abb. in c. 2. de Presbytero non baptizato, Richar. in 4. d. 17. a. 3. q. 4.

Aliter diuiditur dispensatio apud Syl. ver. dispensatio 10 in princip. in licitam, & illicitam. Licita est, quæ cum iustæ causæ cognitione fit: eaque interdum etiam debita est; cùm vel legis, aut Superioris præceptum; vel publica vtilitas, aut priuata hominis necessitas eam conferri postulat: Interdum verò non debita, tamen permissa ob misericordiam, pietatem. Qua de re Suar. lib. 6. de legib. c. 18. num. 19. Illicita verò dispensatio est, quæ temere ac imprudenter fit, iusta causa non cognita: Quare non tam dispensatio, quàm dissipatio dici debet.

QVÆSTIONES DE DISPENSATIONE.

SVMMARIVM.

11 *Si inferior sine iusta causa in lege superioris dispenset, irrita est dispensatio.*

12 *Peccatum est, ex genere suo mortale, temere dispensare in lege superioris, vel talem dispensationem petere, aut concessa vti.*

13 *Si superior in lege propria dispenset, absque iusta causa: valet dispensatio: quamuis ipse & qui talem dispensationem petit, eaque data vtitur, saltem venialiter peccent.*

11 QVÆSTIO PRIMO. Vtrum dispensatio illicita sit etiam inualida? Resp. & dico I. Si inferior

sine iusta causa dispenset in lege Superioris, v. g. Episcopus in lege Pontificia, irrita est dispensatio. Quæ est omnium Doctorum sententia, teste Suar. lib. 6. c. 19. num. 1. Sanch. lib. 8. de matrimon. disput. 17. quæst. 1. num. 4. Ratio est: Quia delegatus, si excedat limites commissæ potestatis, nihil efficit. Cùm autem Papa v. g. Episcopis committit dispensandi potestatem in lege vniuersali, non præsumitur dare facultatem temere & iniquè dispensandi. Ergo si ita dispenset, non valet dispensatio. Ex quo etiam colligitur, dispensationem in voto vel iuramento siue iusta causa factam à Papa, alióve Ecclesiastico Prælato irritam esse, sicuti ex communi docet Sanch. cit. quæst. 1. num. 3. Suar. lib. 6. de voto, cap. 17. num. 2. Nam talis dispensatio est in iure superioris Dei: non est autem credibile Deum commisisse suo in terris Vicario, aliísque ab eo constitutis pastoribus potestatem temere & sine causa relaxandi vota, vel iuramenta sibi facta. Esset enim hæc potestas non dispensandi, sed dissipandi; non ad ædificationem, sed destructionem. Quare neque Oeconomus, cùm contra domini sui voluntatem bona vel iura eius dissipat, quidquam efficit, aut dominium transfert.

12 Corollarium. Qui sine iusta causa ac temere dispensat in lege Superioris, modo explicato; item qui talem dispensationem petit, eáve vtitur, is mortaliter peccat, si lex, in qua ita dispensatur, sub mortali peccato obliget. Qua de re Caietan. in summa, verb. dispensatio. Verùm ne ea res hominibus anxietates pariat, moderationes aliquas Doctores adhibent: I. Et si Prælatus iustam causam non agnoscat, ideóque temere & non sine culpa dispenset; si tamen re vera causa iusta suberat, valida est dispensatio, sicuti præter alios notauit Armilla verb. dispensatio §. 14. II. Si Prælatus probabiliter arbitretur, iustam adesse dispensandi causam, quamuis eum errare contingat, valet tamen dispensatio, ob præsumptam voluntatem Superioris, in cuius iure dispensatur, sicuti obseruat Sanch. cit. disput. 17. quæst. 1. num. 8. Idque intelligi debet, etiamsi dispensatio fiat in iure Dei, ex commissione Vicario suo facta, puta in votis, ac iuramentis: item in concessione indulgentiarum, si legitima pastorali potestate præditus rationabiliter existimet, causam iustam subesse, sicuti docet Henriquez lib. 7. c. 14. num. 3. lit. y. III. Si subditus bona fide dispensationem petat, allatis rationib. quas Superioris examini committit, impetrata dispensatione, securus esse potest, & præsumere, legitimè collatam fuisse, (saltem in consciẽtiæ foro) donec contraria veritas appareat, teste Soto in 4. d. 21. quæst. a. 2. & lib. 7. de iust. quæst. 4. a. 3. Nauar. prælud. 9. man. num. 13. Suar. lib. 6. de voto, c. 17. num. Lopez p. 1. instruct. c. 4. arg. c. in præsentia, de renunt. & c. quid culpatur, 23. quæst. 1. In foro autem externo interesse videtur, vtrum dispensatio proprio motu Superioris data sit; an verò ad instantiam partis. Nam illa fauorabilior est, habens præsumptionem iuris, & de iure, affuisse idoneam causam: hæc verò odiosa magis est: quare in dubio per importunitatem extorta præsumitur, onúsque probandi contrarium ei incumbit, quo cum dispensandum fuit, sicuti ex communi docent Suarez tom. 5. de censuris, disput. 41. in fine, Sanch. l. c. num. 14.

13 Dico II. Si Superior in propria lege sine iusta causa ac temere dispenset; valet dispensatio: quamuis peccet non solum ipse; sed etiam qui talẽ dispensationem postulat. Est communis sententia Doctorum cum S. Tom. 1. 2. q. 97. a. 4. & 5. Prima pars probatur: Nam legis obligatio necessariò dependet à voluntate Legislatoris. Ergo si is, vnum, aut plures è Communitate obligari nolit, cessabit obligatio legis, eorum respectu. Vbi nota, licet ad legem statuendam non sufficiat voluntas Legislatoris; sed requiratur etiam causa rationabilis, Communitati vtilis; tamen ad eam abolendam ex toto, vel ex parte, sufficit ita velle Legislatorem, eiúsve successorem. Nam vniuersim loquendo, vt effectus ponatur, requiritur causa integra; vt autem collatur, sufficit partialem causam, ex qua intrinsecè pendet, deficere.

Quòd ad alteram partem attinet, Nauar. prælud. 9. num. 14. Sotus lib. 1. de iust. q. 7. a. 3. prope finem, Salas de legib. disput. 20. num. 54. Lopez p. 1. instruct. c. 4. §. sexto superaddimus, Sanch. lib. 1. moral. c. 20. existimant, per se loquendo, & cessante scandalo, esse id tantùm veniale peccatum: Vtitur enim Legislator iure suo; perinde ac si quis pecuniam suam prodigat. Suarez verò lib. 6. de legib. cap. 18. num. 9. Valent. to. 2. disp. 7. quæst. 5. p. 9. Couar. in 4. p. 2. c. 6. §. 9. num. 15. putant, dispensantem sine causa iusta peccare contra iustitiam tum legalem, tum distributiuam, adeóque ex genere suo mortaliter; consequenter etiam eum, qui dispensationem petendo ad tale peccatum cooperatur. Sed responderi potest, violationem iustitiæ legalis aut distributiuæ mortalem non esse; nisi graue damnum Communitati inferatur: atqui per se loquendo, non infertur graue damnũ Communitati, si aliquis sine causa à communi lege absoluatur: dummodo talis gratia dispensationis sit, per quam alijs nihil adimitur; v. g. ne aliquis in quadragesima ieiunare cogatur. Cæterùm, si aliquibus à communi v. g. tributo vel obsequio sine iusta causa exemptis, alijs plùs grauarentur; certum est, mortale peccatum fore. Probabiliter igitur teneri potest prior sententia; per se loquendo, esse peccatum duntaxat veniale: quatenus deformitas quædam est, partem à toto sine causa discrepare. Quare similiter etiam peccabit, qui dispensatione, absque legitima causa impetrata vtitur: peccabit, inquam, non quidem directè contra legem positiuam, cuius obligatione re vera solutus est; sed contra legem naturæ peccato singularitatis & insolentiæ, ex genere suo veniali: turpis enim est omnis pars suo vniuerso non congruens, sicut ex communi docet Caietan. 1. 2. quæst. 96. a. 5. prope finem, Couarruu. in 4. decretal. p. 2. cap. 6. §. 9. num. 16. Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 18. num. 12. 13. quamuis Azor tom. 1. lib. 5. c. 15. quæst. 3. & Suarez lib. 6. c. 16. num. 14. in vsu talis dispensationis nullum omnino peccatum agnoscant.

SVMMARIVM.

14 *Si causa dispensandi tempore datarum literarum adfuit; non item, cùm à Commissario dispensatio facienda est, non potest eam executioni mandare.*

Cessante finali causa mandati, effectus mandati expirat, si nondum consummatus fuit.

Etsi tempore exequendæ dispensationis causa subsistat, si tamen non subsistit tempore datarum, quia postulatio subreptitia erat, non potest dispensationem exequi Commissarius.

15 *Si causa dispensandi subsistat, cùm dispensatio facta ab Ordinario vel Commissario intrinsecum effectum consecuta est, nihil interest, etsi postea causa cessat.*

16 *Priuilegia & dispensationes, quæ tractum successiuum habent, cessante causa finali, pariter cessant.*

Si cum aliquo in voto continentiæ absolute & illimitatè dispensatum fuit: intelligitur ad omne legitimum matrimonium.

QVæstio secunda. Si tempore dispensationis in voto, iuramento matrimonij, &c. iusta dispensandi causa adfuit, postea verò penitus cesset, vtrum dispensatio quoque vim suam amittat? Pro solutione notandum est ex Suar. libro 6. de legibus capite 20. numero 2. Triplex tempus seu statum rei spectari posse: I. Cùm indultum dispensandi est concessum; sed dispensatio nondum collata. II. Cùm dispensatio alicui impetrata, sed effectus eius & vtilitas nondum executioni mandata est. III. Postquam dispensationis vltimus effectus & vtilitas secuta est. Hoc posito, resp. & dico I. Si tempore impetrationis, vel datarum literarum (potest enim dispensatio, & priuilegium vel viua voce, vel in scripto concedi) causa subsistat dispẽsandi; non item, cùm ex dantis commissione, precum veritate inspecta, dispensatio conferenda est; non potest eam Commissarius executioni man- 14

dare. Exemplum habes: Caia, allegata paupertate ac dotis defectu, susceptione item prolis ex sanguineo suo, postulauit à Papa dispensationem super impedimento consanguinitatis: Papa commisit Ordinario, vel Officiali eius, vt precum veritate inspecta, cum Caia, eiusque consanguineo dispenset: sed priusquam id Officialis exequitur, proles moritur, & Caia hæres ab extraneo constituitur: non potest tunc Ordinarius cum ipsis dispensare, sicuti docet Gutierez lib. 1. can. quæst. c. 15. num. 22. & lib. 2. c. 15. num. 3. Suarez lib. 6. de legibus, c. 20. num. 13. Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 30. num. 12. Coninck in 3. p. tom. 2. disput. 33. sect. 6. num. 94. Ratio, est: Quia *cessante causa finali mandati, cessat mandatum, si res integra sit*, cap. si pauper, de præbendis, in 6. Siue, vt alijs verbis idem dicam, *Cessante causa mandati, effectus mandati expirat, si nondum consummatus est.* Dispẽsatio autem Ordinario commissa, effectum suum (qui est absolutio à lege, vel impedimento) non sortitur, priusquam is mandatum exequitur: ergo si tunc, tempore inquam executionis, causa mandati cesset, non poterit executioni mandari. Loquor autem in casu, quo causa dispensationis finalis ac principalis totaliter, aut ferme totaliter cessat: secus enim est, si cesset tantùm causa impulsiua; item si pars causæ finalis desinat, altera adhuc manente; ita vt executor benignè interpretari possit concedentis mentem esse, vt dispensatio executioni mandetur, sicuti notauit Sanch. n. 7. & 8. Imò postea quam gratia dispensationis faciendæ à Papa emanauit, præsumendum est, faciliùs permittere, vt executioni mandetur, quàm vt ab initio concedatur, sicuti notauit Coninck cit. dub. 6. in fine. Quamobrem, quod Gutierez ait lib. 1. n. 25. non posse Officialem Ordinarii validè dispensationem Papalẽ exequi, si interea temporis aliquid innouatum est, quod dispensationem difficiliorem redderet; id intelligo, si tale sit vt iuxta stylum curiæ præsumi debeat, non esse mentem Pontificis, vt dispensatio tali mutatione superueniente executioni mandetur: v. g. si copula incestuosa intercesserat, sicuti ex communiore docet etiam Sanchez lib. 8. disp. 35. n. 8. secus, si aliud quippiam interueniat, quod etsi tale sit, vt eo cognito Papa talem dispensationem non concessisset; posito tamen quòd concesserit, præsumi facilè non debet, velle vt eius executio, vel vsus impediatur.

15 Dico II. Si vice versa accidat, vt tempore quidem conferendæ seu exequendæ dispensationis, causa subsistat; sed non constiterit tempore impetrationis seu concessionis, ac datarum literarum; quia postulatio fraudulosa & subreptitia fuerat, non potest dispensatio fieri à Commissario, vel executore, sicuti constat ex c. si eo, de rescript. in 6. & docet Suar. n. 14. Idque, probatur tum ex iuris reg. 18. *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit*: tum ex verbis quibus commissio fieri solet, *precum veritate inspecta.*

Dico III. Si causa dispensandi eo tempore subsistat, cùm dispensatio ab Ordinario, aut Commissario absolutè facta, intrinsecum effectum consecuta est, etsi postea desinat subsistere, non tamen reuiuiscit obligatio, quæ semel per dispensationem ablata fuit. Ita docet Gutierez ll. cc. Suarez lib. 6. de legib. c. 20. num. 15. Couar. 1. resolut. c. 10. num. 5. Abb. c. post translationem, n. 17. de renuntiat. contra Sanch. lib. 8. de matr. disp. 30. n. 14 Exempla sunt. Si cum aliquo dispensatum sit super irregularitate, ob penuriam ministrorũ Ecclesiæ; etsi hæc ratio post collatam dispensationem cesset, non reuiuiscit irregularitas. Item, si cum aliquo dispensatum sit super voto continentiæ, vel super impedimento matrimonij causa legitimandæ prolis; etsi post factam dispensationem proles moriatur, non reuiuiscit impedimentum, aut voti obligatio. Ratio est; Quia per dispensationem, causa iusta subsistente, extinguitur obligatio legis aut voti: ergo postea reuiuiscere non potest, nisi per aliquam causam moraliter efficientem: quæ in proposito casu nulla assiguari potest.

Confirmatur primò: Sicuti, si Princeps debitum sibi tributum absolutè alicui remittat, quia pauper est; etsi ille cras, præter opinionem, thesauro reperto, diues factus fuerit, non corruit tamen donatio siue remissio heri facta: Ita etiam si Princeps aliquos consanguineos absolutè liberauit impedimento matrimonij, quia causa iusta aderat, v. g. legitimandæ prolis, etsi postea præter opinionem causa cesset, proles v. g. ante nuptias moriatur: nihilominus consanguinei illi dispensatione vti poterunt. Confirmatur secundò ex regul. 73. in 6. *Factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari.*

Hanc tamen regulam Doctores limitant I. Si factum consummatum, & non tantùm inchoatum sit: Nam etiã priuilegia & dispensationes, quæ tractum successiuum habent, cessante causa finali, pariter cessant, sicuti rectè docet Sanchez loc. cit. & Suarez num. 18. Quare, si Papa cum infirmo, cuius valetudo desperata videtur, absolutè dispenset in lege ieiunij: ille autem præter opinionem vires integrè recuperet, tenebitur postea legem cum alijs obseruare. Nam sicuti obligatio Ecclesiasticorũ ieiuniorum successiuo tempore oritur: ita etiam decens est, vt dispensatio liberationem à ieiuniorum lege successiuè operetur, dum causa subsistit. Neque verò aliam Pontificis dispensantis mentem fuisse existimari debet. Quia nunquam præsumendum est peccatum: peccasset autem dispensando Pontifex, si aliquem ab obseruatione legis communis exemptum voluisset, etiam eo euentu, quo omnis causa exemptionis penitus cessauit. Vide Suarez lib. 8. de legib. c. 30.

Limitant II. Nisi effectus actus legitimi per rerum mutationem ad impossibile redigatur, sicuti præter alios notauit Henricus Canisius super eadem regul. 73. Exempla sunt: I. en lege Principis, cuius ratione & vtilitate penitus cessante, desinit obligare: quia fieri non potest, vt lex obliget ad actum inutilem. II. In sponsalibus, quæ superueniente v. g. impedimento affinitatis, ipso iure soluuntur: quia fieri non potest vt obligent ad nuptias incestas. III. In voto & iuramento, si eius obiectum per rerũ mutationem iniquum, vel inutile efficiatur: qui fieri non potest, vt aliquis ex religionis virtute obligetur ad rem malam, vel inutilem præstandam.

His affine dubium est. Si quis nuptias contracturus cũ Caia, petat & impetret dispensationem super voto continentiæ; vtrum impeditis postea his nuptijs, aliud matrimonium contrahere possit? Respondeo, Inspiciendam esse causam, & formam factæ dispensationis: Nam interdum dispensatio, v. g. in voto continentiæ, confertur limitatè, ac respectiuè; puta in ordine ad certum matrimonium, cuius contrahendi causa atque necessitas incumbit, v. g. ne mulier decepta insaniam incurrat: tunc enim talibus nuptijs impeditis, non erit licitum aliud matrimonium contrahere, sine noua dispensatione. Secus est, si dispensatio super voto continentiæ in ordine ad matrimonium contrahendum alicui absolutè data sit, propter difficultatem continendi à supplicante allegatam: tunc enim, etsi nuptiæ, quarum contrahendarum causa dispensatio petita fuit, post dispensationem impediantur, poterit aliud matrimonium contrahere. 16

SVMMARIVM.

17 *Rescripta Principum alia sunt gratiæ: alia iustitiæ, siue ad lites,*

18 *Taciturnitas qualitatis, cuius expressionem ius, vel stylus curiæ specialiter requirit, gratiæ rescriptum subreptitium reddit: esto Princeps etiam expressa illa gratiæ concessurus fuisset.*

19 *Rescripta gratiæ subreptitia censentur, quæ per taciturnitatem veri, per se & intrinsecè ad rem pertinentis, obtenta sunt: si Princeps, ea veritate expressa, non concessisset. Vel saltem tali modo non concessisset. Idque variorum casuum exemplis illustratur.*

20 *Dissimulatio veritatis, quamuis intrinsecè pertinentis ad rem postula-*

postulatam, non vitiat dispensationem aliamve gratiam, si præsumptio esse posit, etiam intellecta tali veritate Superiorem dispensat.rum fuisse.

21 *Si qualitas dissimulata in postulatione extrinsecè tantùm se habet ad rem postulatam, non ideo dispensatio vel alia gratia subreptitia censetur: tametsi Princeps, ea circumstantia cognita, non dispensasset.*

17 QVÆSTIO TERTIA. Quibus in casibus dispensatio subreptitia censeatur, ob taciturnitatem veri? Imprimis nota; Rescriptum Principis aliud esse gratiæ, siue beneficij: aliud verò iustitiæ, siue ad lites, quod ad decisionem controuersiæ ex Principis curia prodit: de quibus multa Rebuffus in praxi beneficiorum, tit. de differentia inter rescripta gratiæ & iustitiæ. Præcipuum inter ea discrimen est, quòd rescriptum gratiæ (cuius species quædam est dispensatio) obtentum per subreptionem ipso iure irritum sit, sicuti constat ex c. ad aures, c. constitutus, de rescriptis, c. vlt. de filijs presbyt. in 6. Rescriptũ verò ad lites non antè irritum censetur, quàm ab aduersario per acceptionem allegatę subreptionis elidatur, arg. cap si autem, c plerumque, de rescript. & docet Sanch. l. 8. disput. 21. num. 5. & Nicolaus Garcias de beneficijs, p. 8. c. 3. num. 1. Ratio esse videtur: Quia tametsi rescriptum iustitiæ ex errore promanet; cùm tamen versetur tantùm circa media, siue modum litis terminandæ, potest nihilominus causa iustè terminari. At verò rescriptum gratiæ, cùm versetur circa finem, videlicet gratiam obtinendam: si ex errore promanet, euertitur omnino principalis intentio concedentis, sicuti notauit Coninck. 3. p. t. 2. dis. 33. dub. 6. n. 56.

18 Nunc resp. & dico I. Taciturnitas qualitatis, cuius expressionem iura, vel stylus curiæ specialiter requirunt, reddit dispensationem, & quoduis gratiæ rescriptum, quod ob petitionem conceditur, subreptitium, etsi constet Principem etiam expressa illa qualitate, similiter concessurum fuisse. Ita docet Couar. 1 resol. cap. 20. numero 5. §. verùm, Gutierez lib. 1. c. 15. num. 12. & lib. 2. c. 15. num. 38. Mascardus de probat concl. 846. num. 2. Sanch. cit. disput. 21. num. 13. & seqq. Ratio est, quia expressio talis qualitatis requiritur tanquam forma postulationis. Quapropter vitiabitur etiam dispensatio, licet qualitas, de iure simpliciter exprimenda, ignoranter omissa sit: cùm enim omittitur forma, vel conditio sine qua non, corruit actus: etsi ignorans talem conditionem requiri à culpa excusetur, sicutid ocet Sanch. lib. 8 disp. 21. nu. 19. Exẽpla sunt: I. in c. cùm adeo, & c. penult. de rescript. c. si motu proprio, eod. tit in 6. vbi definitur, ex beneficij antè obtenti quantumuis modici taciturnitate, alterius impetrationem subreptitiam esse. II. In Auth. Quibus modis naturales effic. legitimi, §. fit igitur, vbi rescriptum legitimationis irritum dicitur, si in petitione expressum non est, quòd filius naturalis sine dedecore parentis legitimari posset per subsequens matrimonium. III. Impetratio dispensationis super impedimento matrimonij intra gradum prohibitum, nulla facta mentione antecedentis copulæ incestuosæ, subreptitia est iuxta probabiliorem sententiam Sanchez libro 3. de matrimonio disp. 14. num. 3. & libro 8. disp. 25. Rebelli lib. 3. de matrim. q. 5. s. 4. n. 24. Gutier. li. 1. can. qq. cap. 15. n. 13. 16. Garciæ l. c. n. 32. & aliorũ. Quia stylus curiæ, qui ius facit, iuxta c. quàm graui, de crim. falsi, ita obseruat, & Cardinalium congregatio declarauit, apud Garciã n. 66. etsi contrarium docuerit Henriq. lib. 12. c. 2. §. 4. & 7. Nau. lib. 4. consil. 5. de consang. & affinit. edit. 1. & consil 8. & sequuntur edit. 2. Rodriquez tom. 1. summ. cap. 23. & concl. 5. Si tamen incestus occultus sit, poterit à sacra pœnitentiaria (quippe quæ super occultis eiusmodi casibus potestatem habet) dispensatio impetrari; facta interim mentione, quòd super publico consanguinitatis aut affinitatis impedimento dispensauit, aut dispensaturus sit Summus Pontifex: idque ob vitandam infamiam, quia dispensatio impetrata à Summo Pontifice in foro externo publicari debet; sicut notauit Sanchez lib. 8. disput. 25. num. 11. Coninck disput. 33. dubio 6. num. 81.

Deinde ampliari debet assertio: Vt idem sentiendum sit, si iura speciatim prohibeant, ne aliquo casu vel circũstantia concurrente dispensatio concedatur: talis enim circumstantiæ taciturnitas dispensationem vitiabit. Exempli causa, qui dispensationem petit super impedimento intra gradum prohibitum, posteaquam matrimonium ita inualidè contrahere, vel etiam consummare pręsumpsit, tenetur circumstantiam istam temerè contracti, vel etiam consummati matrimonij intra gradum prohibitum, explicare: quia Trident. Concilium sess. 24. cap. 5. de reform. cum talibus specialiter vetat dispensari; de quo Henriq. l. 12. capite 3. numero 8. Coninck tom. 2. disputatione 27. dubio 9. numero 81. & disputatione 33. dubio 6. numero 83. Sanchez libro 3. disputatione 45. numero 3. Adde, explicandum quoque esse, si matrimonium contractum vel etiam consummatum fuit sub hac temeraria spe dispensationis impetrandæ: quia Tridentinum ad hanc ipsam spem reprimendam vetuit dispensari. Hæc tamen intelligi debent, si vterque mala fide contraxit: sin verò alter culpa caruit, non debet spe dispensationis carere: ne innocens ob culpam nocentis plectatur.

Dico II. Extra dictos casus, dispensationes & rescripta gratiæ subreptitia etiam censentur, quæcunque per taciturnitatem veri per se & intrinsecè ad rem pertinentis impetrata fuerunt: si Princeps veritate expressa atque intellecta, probabiliter non concessisset dispensationem vel gratiam: vel certè tali forma & modo non concessisset, sed cum adiuncta conditione, onere, vt infrà explicabo quæst. seqq. Ita docet Couar. 1. resolut. ca. 20. Abba. in ca. dudum, numero 1. de Præsumptione. Vasquez tractatu de beneficijs capite 3. §. 4. dubio 3. Sa verb. gratia, numero 10. Sanchez citat. disputatione 21. numero 17. Garcias libro suprà citat. numero 25. Coninck citat. dubio 6. Et sumitur ex cap. postulasti, & c. super literis, de rescript. in 6. Ratio vero est manifesta: Quia concessio gratiæ pendet à voluntate concedentis: ergo quando præsumi potest, si totum vinculum seu difficultas dispensandi ad rem intrinsecè pertinens ostensa esset, quòd Pontifex tali modo dispensandi animum non habuisset: consequenter etiam præsumi debet, tali veritate suppressa, irritam esse dispensationem, quippe inuoluntariè concessam, propter errorem. Exempla sunt: I. Si concurrant duo impedimenta, quæ se inuicem augent, in ordine ad obtinendam dispensationem: v. g. impedimentum duplicis consanguinitatis ex parte vtriusque parentis: vel impedimentum tam consanguinitatis, quàm affinitatis: non valet dispensatio super vno impetrata cum taciturnitate alterius, teste Couar. in 4. p. 2. cap. 6. §. 4. n. 11. Henriq. li. 12. cap. 10. §. 3. Suarez l. 6. c. 24. n. 3. Sanch lib. 8. disput. 23. num. 2. Pet. Ledesma quæst. 56. de matrim art. 2. dub. 1 ad 2. Garcias l. c. num. 54. quamuis contrarium doceat Nau. lib 4. consil. 7. de consang. edit. 2. Sa ver. dispensatio, num. 16. & alij apud Sanch l. c. n. 1. Atque ex hac communiore sententia sequitur, si aliquis tam consanguineus quàm affinis mulieris, primò petat dispensationem super affinitate: postea super consanguinitate, vtramque dispensationem subreptitiam fore: quia in odiosis, cuiusmodi est dispensatio, sub simplici mixtum non comprehenditur; secus esse videtur in facultate dispensandi v. g. super impedimentis consanguinitatis & affinitatis: adulterij & incestus: ea enim tanquam fauorabilis extendi potest ad dispensandum cum ijs, qui vtroque impedimento laborant: v. g. qui ex incestuoso adulterio natus est: vel qui vtroque impedimento consanguinitatis & affinitatis tenetur de qua re vide Sanch. lib. 8. disp. 2. num. 30. & disp. 24. numero 9.

II. Qui petit dispensationem super impedimento matrimonij in gradu inæquali, tenetur inæqualitatem

I

exprimere, si aliter contrahentium à communi stipite distet in primo gradu: v.g. si quis velit ducere filiam fratris sui. Nam hoc casu difficulter dispensare solet Summus Pontifex: sicuti dicam lib.5.tr. vlt c.6.num.9. Idem dicendum, si consanguinitas vel affinitas ex duplici capite contracta sit: quare qui v.g. fornicatus fuit cum duabus sororibus eius fœminæ, qua cum matrimonium cōtrahere cupit; debet duplicem impedimenti causam siue radicem explicare: quia alioquin Pontifex non totum impedimentum cognoscit: sicuti docet Coninck disput. 33. dub. 6. num. 81. Sanch. lib. 8. disput. 24. n. 5. Garcias n. 88. contra Henriq. l. c. Ob eandémque rationem, qui duo homicidia committit, is debet in postulatione dispensationis super irregularitate exprimere numerum homicidiorum, vti docet Suarez libro 6. de leg. capite 24. numero 12.

III. Si illegitimus à Papa dispensatus ad ordines, & beneficium etiam curatum, postea petat ab eodem dispensationem super beneficiorum pluralitate, debet impedimentum natalium iterum exprimere; quia alioquin nō proponitur Papæ totum impedimentum, seu difficultas dispensandi, sicuti habetur in cap. 2. de filijs Præsbyt. in 6. Secus est, si legitimationem à Papa absolutè impetrasset: cùm enim tunc defectum natalium abolitum habeat, non minùs quàm alij legitimi, pluralitatis beneficiorum curatorum cum dispensatione Papæ capax esse potest, sicuti notauit Molin. tom. 1. tr. 2. disp. 173. §. Item legitimatus. Cou. in ep. p. 2. c. 8. §. 8. n. 25. contra Sylu. ver. beneficium qu. 13.

IV. Qui à Principe legitimationis rescriptum petit explicare debet, sítne naturalis an spurius: si spurius, in quo genere aut gradu fœditatis, sicuti docet Couar. in epit. p. 2. cap. 8. §. 9. Syluest. ver. legitimus, n. 8. Vasq. de testament. c. 5. num. 56. Præterea, si legitimationem petat, vt in bonis paternis succedere possit: explicandum, si pater legitimos liberos habet, in quorum præiudicium legimatio cessura est: cùm ob eam legitima ipsorum portio minuenda sit, sicuti docet Molina disp. 173. §. item si legitimatio.

V. Si aliquis à Papa impetrauit dispensationem super impedimenta criminis v. g. vxoricidij: & postea simili crimine commisso aliam dispensationem, nulla facta mentione priùs obtentæ, posterior subreptitia erit, argum. l. 3. Cod. de Episc. audientia, ibi, *vt remissionem veniæ, crimina nisi semel commissa, non habeant*; & ex communi docet Sanchez lib. 8. disput. 22. num. 2. Suar. lib. 6. de legib. cap. 23. num. 12. vbi etiam generalem regulam tradit: In secunda dispensatione faciendam esse mentionem dispensationis antè obtentæ, quando exinde moraliter valde augetur grauitas vinculi, aut impedimenti, & consequenter dispensationis impetrandæ, arg. c. 2. de filijs Presbyt. in 6. Sic. v.g. dispensatus super residentia ad quinquennium, si eo elapso, mox similem non residendi facultatem tacita priore dispensatione impetret, posterior subreptitia erit: Sic etiam priuilegium amplioris exemptionis censetur subreptitium, si in eius impetratione non fiat mentio prioris exemptionis cum aliqua restrictione concessæ: qui est casus cap. penult. de præscript. vbi Abb. n. 14. Ex quo regula generalis colligi potest; Quòd dispensatio vel priuilegium absolutum inualidè impetratur, si non fiat mentio priuilegij seu dispensationis prioris, datæ sub conditione, cedente in alterius commodum: propterea quòd Pontifex non censeatur velle alterius suum auferre, nisi id exprimat, sicuti notauit Coninck dis. 33. dubio 6. Alioquin verò non videtur necessarium, si quis impetrauit dispensationem cum aliqua restrictione, vel conditione, non in vtilitatem alterius concepta: ac postea iterum absolutè similem dispensationem petat, vt prioris mentionem faciat: sicuti docet Abb. in cit. capite penult. numero 13. Coninck cit. dub. 6. n. 90. afferens exemplum de eo, quo cum dispensatum fuerat super voto continentiæ, cum obligatione vt quotidie recitet v. g. rosarium: cùm nec iuris textus, nec ratio cogat, vt propterea secundam impetrationem, tacita priore, subreptitiam dicamus: quia sæpe Princeps, etsi memor sit prioris gratiæ cum restrictione concessæ, potest ac solet aliam super eadem re sine tali restrictione concedere; dummodo per eiusmodi mutationem non præiudicetur iuri alterius.

VI. Qui petit à Papa dispensationem super voto castitatis, habens etiam votum ingrediendi Religionem, debet vtrumque votum explicare, sicuti docet Suarez lib. 6. de legib. c. 24 n. 8. Eadémque ratio esse videtur, si quis dispensationem petat contrahendi matrimonium intra gradum prohibitum, qui iam antè voto castitatis, vel promissione sponsaliorum alteri fœminæ obligatus est: nisi talis obligatio alia ratione tolli possit, v.g. per irritationem, sponsæ remissionem, sicuti docet Sanch. disp. 23. num. 4. licet aliter Garcias numero 62. Excipi etiam debet eum Sanchez ead. disp 23. num. 7. Coninck t. 2. disp. 33. dub. 6. n. 78. Nisi alterum impedimentum sit occultum, quod proinde in publicis literis Papalibus exprimi aliquis non immeritò reformidet; tunc potest petere dispensationem super vno impedimento, quod notorium est, videlicet super impedimento consanguinitatis; atque interim aliam dispensationem petere super affinitate contracta ex occulta fornicatione cum sorore eius cognatæ, quam ducere cupit, explicans summum Pontificem dispensasse, vel dispensaturum esse super impedimento consanguinitatis.

Dico III. Neque item dissimulatio veritatis, quamuis intrinsecè pertinentis ad rem postulatam, dispensationem, 20
aliámue gratiam vitiat: si præsumptio sit, etiam intellecta illa veritate, Superiorem eodem modo concessurum fuisse. Quemadmodum in contractibus quoque & donatione euenit, vt si dolus non præbeat propriè causam contrahendi, vel donandi; quia etiam perspecta veritate, alter contraxisse, donasset: non infirmetur contractus vel donatio; quamuis fortasse dolus impulerit donatorem, vel emptorem, vt faciliùs & citiùs donaret emeret. Verùm, stante dubio æquali, præsumendúmne sit, errorem seu ignorationem fuisse causam finalem dispensandi, an verò tantùm impulsiuam; &, vno verbo, vtrum dispensatio in dubio valida & executioni mandanda, an verò irrita censeri debeat? Doctores non consentiunt: Nam pro irrita habendam esse, docet Mol. t. 1. tr. 2. disp. 173. §. hinc colligitur, in fine. Coninck cit. dub. 6. num. 93. Cùm enim impedimentum v.g. matrimonij, super quo dispensatio petitur, certum sit, dispensatio autem dubia; stat possessio pro impedimento. Sed contrarium non minùs probabiliter tradit Sanch. cum alijs quibusdam l. 8. disp. 21. n. 29. Quia in dubio potius est, vt existimemus dispensationē (sicuti & alias dispositiones) à Principe sine alterius præiuditio promanantem, validam esse, quàm vt irritam arg. c. Abb. de verb. significat. & l. quotiens, 2. ff. de rebus dubijs

Dico IV. Si qualitas vel circumstantia, in postulatione 21
dissimulata, extrinsecè tantùm se habet ad rem postulatam, non ideo dispensatio subreptitia redditur; etsi ea circumstantia cognita Superior non dispensasset, sicuti ex communi docet Sanchez dis. 23. num. 18. Exempla habes: I. In eo, qui beneficium Ecclesiasticum, aliámue gratiam postulat dissimulatis criminibus, quæ si Episcopus cognita haberet, non concederet: sicuti & pauper, qui vita improbus est, non censetur eleemosynam per errorem seu subreptitiè obtinuisse; quamuis dans ei non dedisset, si hominis improbitatem agnouisset.

II. In eo, qui petit dispensationem super vna irregularitate, v.g. ex homicidio casuali, tacita altera irregularitate omnino separata, & priorem per se non aggrauante, puta ex natalium defectu, sicuti docet Suar. cit. c. 24. n. 10. Idémque sentiendum de omnibus pœnis ac censuris.

III. In

III. In eo, qui petit dispensationem super voto continentiæ; eâque impetrata, aliam dispensationem super impedimento matrimonij ad ducendam consanguineam vel affinem, sicuti docet Sanchez libro 8. disputatione 23. n.4. Suar. cit.c.24. num.5. Coninck. t.2. disp.33. dub. 6. num.74.

IV. In eo, qui impetrauit dispensationem de contrahendo matrimonio cum consanguinea, eâque ductâ, ac mortuâ, aliam consanguineam ducere postulat, nulla facta mentione prioris dispensationis, sicut docet Suarez cit. libro 6.cap. 23. num.19. Sanchez disp.22.num.13. Qui valde probabiliter addit, idem sentiendum esse, si quis impetrârat dispensationem, vt ducere posset consanguineam vnam; postea verò mutatâ voluntate petat dispensationem super impedimento consanguinitatis ad ducendam consanguineam alteram, nulla facta mentione prioris dispensationis: licet contrariam sentiat Suarez cit.c.23.n. 21. Ratio verò pro sententia Sanchezij est: Quia hæ duæ dispensationes super diuersis sunt, non habentes inter se dependentiam: ideóque circumstantia priùs obtentæ dispensationis non censetur intrinsecè pertinens ad causam dispensationis posteriùs obtinendæ. Obiter autem hîc nota: In dicto casu obtenta priore dispensatione, corruere priùs impetratam, vt licitum deinde non sit priorem cõsanguineam ducere. Nam *tacita renuntiatio fieri censetur per factum contrarium*: Posterior autem dispensatio voluntariè impetrata, est contraria priori secundùm executionẽ: Ergò impetrans censetur tacitè priori renunciasse: *gratia autem semel repudiata, non potest ampliùs acceptari*. Ita docet Sanchez libro octauo disputatione 22. numero 15.

V. Qui petit dispensationem super irregularitate ex homicidio, non tenetur exprimere, quòd Clericum occiderit: cùm hæc circumstantia ad canonicum impedimentum irregularitatis extrinseca & accidentaria sit, sicuti docet Molin. tr.3. disput.79. numero 9. contra Nauar. consil.18. de rescript. edit.2. Suarez libro 6. capite 25. num.12.

VI. Qui dispensationem acceperat super ordine sacro subdiaconatus, vt posset vxorem ducere: si postea velit consanguineam ducere, non videtur obligatus, vt in altera dispensatione mentionem faciat prioris, sicuti probabiliter docet Rodriq. t.1.sum.cap. 238. concl.4. Sanch. libro 8. disp. 22. num. 5. vbi generalem regulam tradit: si dispensationes sint super diuersis, & vna non habeat repugnantiam cum altera, non vitiari posteriorem ob taciturnitatem prioris.

SVMMARIVM.

22 *Expressio falsi, si fuit causa finalis concedendi, dispensationes aliasque gratias vitiat. non item si fuit causa tantùm impulsiua.*

23 *Si vna tantùm causa obtinendæ dispensationis, eáque falsa à supplicante allata fuit, collata dispensatio subreptitia censeri debet: similiterque si duæ narratæ fuerunt, quarum altera tantùm vera erat, sed insufficiens ad iustam dispensationem.*

24 *Expressio falsi vitiat dispensationem, si Principi causa finalis fuit dispensandi tali modo.*

25 *Vna parte rescripti ob subreptionem vitiata, altera pars, cuius causa verè subsistebat, ipso iure non vitiatur: si partes separata, & inuicem independentes sint.*

22 QVÆSTIO QVARTA Quibuscasibus dispẽsatio subreptitia censeatur ob expressionẽ falsi? Resp. & dico I. Expressio falsi tunc vitiat dispensationes, ac reliquas gratias, quando prudentis viri iudicio, Principi fuit causa finalis concedendi, non item, si fuit tantùm causa impulsiua. Prior pars assertionis est communis apud Sanchez libro 8, de matrimonio, disputatione 21. quæstione 2. Suarez libro 6. de voto, capite 27. numero 12. Couarruuias 1. resol. capite 20. numero 5. Nam causa finalis ea dicitur, propter quam Princeps concedere vult, &, qua non existente, concedere non vult. ideóque talis causa resoluitur in conditionem sine qua non: quæ conditio plerumque in rescripto exprimitur: *Si ita est*, vel *si preces veritate nituntur*: sed etiamsi non exprimitur, tamen subintelligitur, iuxta cap. 2. de rescriptis, vbi id notat Abb. num.3. Vnde is colligit, si supplicanti opponatur, narrata non esse vera, onus probandi ipsi incumbere. Posterior verò pars licet non sit communis, est tamen probabilis & in praxi tuta sententia DD. quos citaui. Ratio est: Quia causa impulsiua dicitur, quæ non absolutè mouet ad concedẽdum: sed ad faciliùs concedendum: & sine qua non absolutè noluisset concedere, quamuis difficiliùs concessisset: consequenter in proposito expressio falsi, seu dolus, si tantùm sit causa impulsiua, non resoluitur in conditionem sine qua non, neque comprehendi censetur illa clausula, *si preces veritate nitantur*: id enim intelligi debet de veritate principali, propter quam, & sine qua non Princeps gratiam concedere voluit. Neque obstat quòd Princeps, si fraudem & mendacium postulantis cognitum habuisset, fortasse gratiam, in odium fraudulenti derogasset: si enim positâ tali ignoratione, concessit absolutè & principaliter propter causam verè subsistentem, rata censeri debet concessio.

Porrò ex his ad praxim deducitur primò: Quotiescunque in dispensatione super voto, matrimonij impedimẽto, vnica tantùm causa affertur, quæ propter malam informationem falsa est, irritam esse dispensationem, sicuti notauit Sanch. cit. disp.21.n.41. Suar. cit. cap.27. numero 9. 23
Ratio est: Quia Princeps, v.g. Summus Pontifex vel non potest dispensare sine vera causa, videlicet in votis & iuramentis; vel etsi absolutè possit, tamen non vult dispensationem valere, vti constat ex clausula consueta, *si preces veritate nitantur*.

Deducitur secundò: Idem prorsus dicendum, si duæ causæ dispensandi narratæ fuerunt, vna vera, altera falsa: sed quæ vera erat, per se solam insufficiens est, vt ob eam Princeps, v.g. Papa licitè possit, vel saltem soleat dispensare; tunc causa falsa censetur fuisse finalis, ideóque dispensatio corruit, sicut Suar. notauit n.10.

Deducitur tertiò, Si duæ causæ dispensandi in rescripto gratiæ, seu dispensationis sunt expressæ, vna vera, & altera falsa, quarum vtraque per se sola sufficiens esse possit ad dispensandum: v.g. si voto continentiæ obstrictus petat dispensationem tum allegato incontinentiæ periculo, tum etiam quòd ex motu, vel indeliberatione aliqua vouerit, quorum primum verum sit, alterum falsum: tunc attendendum erit non tam ad intentionem postulantis, quàm illarum causarum potissimùm Papæ proponere intenderit: sed potiùs ad intentionem concedentis, vtrâ earum causarum potissimùm nitatur, siue propter quam principaliter & absolutè gratiam concedere voluerit: quatenus hæc eius mens cùm ex verbis rescripti, tum ex conditione & meritis causæ colligi potest; in dubio autem æquali potiùs præsumendum est, vt actus valeat, quam vt pereat, arg. c. Abbate, de verbor. signific. & notat Sanch. cit. disp. 21.n.25.

Dico II. Tunc etiam expressio falsi vitiat dispensationem, quando sine ea Princeps, videlicet Papa voluisset quidem dispensare: non tamen tali modo, sed adiunctis commutationibus, aliísue conditionibus. Ita valde probabiliter docent Couar. l.c. Suar. c.27.n.10. Sanch. cit. disp. 21.n.32. arg. c. si postulasti, de rescript. Exemplum est: Si aliquis petat dispensationem super voto Hierosolymitano, allegatâ corporis debilitate, ac paupertate, quarum prior causa vera sit, posterior falsa: tunc dispensatio Papalis ei collatâ absque onere seu commutatione reali censeri debet subreptitia. Quia hanc numero dispensationem in tali forma & modo noluit concedere, nisi subsit causa paupertatis: ergo est causa finalis huius numero rescripti, seu dispensationis: qua causa corruente, corruit 24

etiam dispensatio huius rescripti.

25 Dico III. Si gratia concessa duas partes inter se diuisibiles continet, vnâ per subreptionem vitiatâ, non idcirco ipso iure corruit altera, si eius causa verè subsistat. Nam *vtile non debet per inutile vitiari*, reg. 37. in 6. si vtile ab inutili separari possit. Exemplum est: Si quis petat dispensationem in voto castitatis, propter periculum lapsus ex grauibus tentationibus: & simul dispensationem super impedimento affinitatis, vt possit ducere affinem, quæ alioquin maritum sibi similem acquirere non posset: si prima causa postulationis vera sit, altera verò falsa, distinguendum est iuxta c. super literis, de rescriptis: Vtrum ex simplicitate vel ignorantia, falsa causa allegata sit. hoc enim casu, si ea finalis fuit, vitiatur rescriptum quoad partem posteriorem, non priorem: vt proinde talis vxorem ducere possit, sed non affinem illam. An verò scienter & non per fraudem falsitas in altera petitione proposita fuerit: tunc totum rescriptum in pœnam criminis rescindi debet: saltem per Iudicis sententiam, sicuti hunc textum explicant Sanchez libro 8. cit. disput. 21. quæst. vlt. Coniencx t. 2. disp. 33. dub. 6. n. 67. & conducit ad hoc doctrina Abb in c. sedes, n. 4. de rescript. Quòd expressio falsi magis odiosa sit, quàm taciturnitas veri: quia hæc frequentiùs ex ignorantia & simplicitate fieri solet.

SVMMARIVM.

26 *Error qualitatis adiecta per modum demonstrationis, dispositionem vel rescriptum inutile non reddit: secùs, si adiiciatur per modum taxationis, ita vt rei substantiam designet.*

27 *Verba rescripti ad alium casum extendenda non sunt, nisi de intentione mandantis sufficienter constet.*

QVæstio quinta. Vtrum vitietur rescriptum gratiæ, vt à Commissario executioni mandari non possit, si error aliquis incuria, v. g. scriptoris manu irrepsit? Casus sit talis. Titius & Caia in tertio affinitatis gradu coniuncti, cupientes matrimonium contrahere, à Papa super dicto affinitatis gradu, re tota syncerè & perspicuis verbis proposita, dispensationem petiuerunt: Papa com-

26 misit Officiali, vt, si preces veritate niti cognouerit, cum eisdem Titio & Caia Apostolica autoritate dispenset: sed erratum fuit in Bulla Pontificia, quòd pro tertio gradu affinitatis positus sit tertius gradus consanguinitatis. Quæritur, vtrum Officialis nihilominus dispensare possit, vt dictæ personæ matrimonio iungantur? Pro parte negante est; Quòd licet error qualitatis, adiectæ per modum demonstrationis, non faciat inutilem dispensationem, vel rescriptum, quando de corpore siue rei substantia constat: v.g. *confero tibi beneficium simplex, quod vacat in tali Ecclesia, & talem fundatorem seu patronum habeat*, cùm tamen alium fundatorem habeat: Attamen error qualitatis adiectæ per modum taxationis, ita, vt rei substantiam designet & contineat, omnino vitiat dispositionem vel rescript. Sanchez libro 8 de matrimon. dis. 21. numero 36. At verò error iste haud dubiè est circa qualitatem pertinentē ad rei substantiam, ideóque adiectam per modum taxationis, siue definitionis, vti in simili docet Sanch. cit. loco. Inutilem esse dispensationem, si erretur in gradu, asserendo esse secundum, cùm tamen sit tertius: vel asserendo esse beneficium curatum, cùm tamen sit simplex. Accedit, quòd habetur in l. diligenter, ff. mandati, & notat Gl. in c. susceptum, de rescript. in 6. ver. per mortem, formam rescripti diligenter seruandam: esse: idque ipsum expressiús dicitur in capite cui de non, de præbendis in 6. ibi, *Huiusmodi mandata, quorum fines diligenter seruari oportet, non debent ad casus alios, quàm expressos extendi.*

27 His tamen non obstantibus, Respondeo: Si Titius & Caia sufficientibus testimoniis Officiali ostendant, errorem ab ipsis commissum non fuisse; sed se syncerè & perspicuis verbis dispensationem super tertio affinitatis gradu petiuisse, quòd Officialis commissionem sibi à Sede Apostolica factam exequi possit. Idque probo ex citato capite susceptum, de rescriptis, in 6. in quo habetur, verba rescripti esse strictè accipienda, & ad alium casum nō extendenda: *nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè*. Quæ exceptio omnino in isto casu locū habet: Siquidem dubitari nulla ratione potest, quin summus Pontifex voluerit dispensare super eo ipso matrimonij impedimento, quod sibi propositum fuerat: Propositum autem erat impedimentum affinitatis: Ergò in illo voluit summus Pontifex dispensare, siue eius dispensationem Officiali committere. Quare manifestum est, errorem illum, præter mandantis intentionem, incuria executorum, vel scriptoris irrepsisse: ideóque omnino materialem censendum esse, cuius nulla ratio habenda sit, sicuti in simili docet Sanch. cit. disput. 21. num. 38. Etsi erretur in nomine, quocum dispensatur, v.g. *dispenso cum Ioanne Sanchez*, cùm tamen sit *Ioannez Lopez*; validam esse nihilominus dispensationem: quia intentio potiùs, quàm verba in quouis rescripto attendenda est: neque enim decet, vt eiusmodi inuoluntarius error veritatis intentioni aliquid deroget. Accedit denique, hoc rescriptum subreptitium censeri non posse: quia subreptio non fit sine aliqua callida veritatis suppressione, vel simili circumuentione ac dolo: cuiusmodi nihil in hoc casu interuenit.

SVMMARIVM.

28 *Prælatus in lege propria dispensans, commutationem aliquam adiungere potest.*

29 *Episcopus lege vniuersali, v.g. ieiuniorum cum aliquo dispensans eleemosynam imperare potest in opus pietatis: non per modum compensationis aut stipendij sibi obuenientis.*

QVæstio sexta. Vtrum superior in lege dispensans aliquam commutationem admiscere possit, sicuti 28 fieri solet in dispensationibus super votis & iuramentis? Responsio est affirmatiua, apud Sanchez libro 8. disp. 14. num. 1. Suarez lib. 6. de legib. cap. 16. num. 2. & constat ex praxi curiæ Romanę, vbi frequenter dispensatur in legibus canonicis, imperata aliqua mulcta siue eleemosyna: cuius exemplum habes in c. licet de feriis. Eundémque morem imitari posse Episcopos dispensantes in legibus diœcesalibus, fatentur omnes.

Sed dubitant: Vtrum etiam Episcopus, vel simili potestate prædìtus, quibus casibus ipsi in legibus Pontificiis 29 dispensare concessum est, v.g. in ieiunio, festorum obseruatione, commutationem aliquam in aliud pium opus, v.g. eleemosynam admiscere possit? Negant Nau. l. 5. cōs. 18. de pœnit. & remiss. num. 3. & 4. edit. 2. Sanchez l. c. n. 2. & lib. 3. disp. 10. q. 2. Sed probabiliùs affirmant Doctorez in c. licet, de pœnis, Henricus quodlib. 12. q. 15. Suarez n. 4. Quia nulla lex prohibet Episcopos talem commutationem facere, puta in opus aliquod pietatis; non item per modum compensationis, vel etiam stipendii sibi aduenientis: sic enim intelligenda constitutio Trident. sess. 25. c. 18. de reform. qua vniuersim præcipitur, vt dispensatio *gratis* fiat. Confirmatur. Minor est potestas commutandi quàm dispensandi: Qui enim commutat, non omnino tollit obligationem, sed in aliam conuertit: quare, si cui concessa est potestas dispensandi, magis etiam videtur competere potestas commutandi: sicuti si dominus Oeconomo det potestatem debita remittendi, censetur etiā multò magis dedisse potestatem debita commutandi. Notandum tamen est, quòd talis commutatio ab Episcopis maximè fieri possit in relaxatione earum legum, quibus subditi ad onus alicuius virtutis obligantur, v. g. ad ieiunium, festi obseruationem; vt eius loco aliquam eleemosynam facere teneantur. Non autem ita decens est impe-

imperare eleemosynæ opus in relaxatione aliarum legum, quæ ob alium finem institutæ sunt: v. g. cùm Episcopus dispensando remittit denuntiationes matrimonij, *impertinens est*, inquit Suar. l.c. num. 10. *imponere mulctam pecuniariam etiam in opus pietatis: quia hoc nihil deseruit ad finem legis Ecclesiasticæ.*

SVMMARIVM.

30 *Si Prælatus v.g. in lege ieiunii dispenset cum communitate, cuius caput existit, indirectè se ipsum etiam obligatione soluit.*
31 *Si Prælatus sine iusta causa secum ipse dispenset, dispensatio nulla est.*
32 *In casu, quo Prælatus cum subditos in lege dispensare posset; se ipsum etiam liberum censere potest.*
33 *Prælatus, dispensandi potestate præditus, Confessario suo committere potest, vt secum, causa cognita, dispenset.*

QVæstio septima: Vtrum Superior secum ipse dispensare possit? Hæc quæstio locum habet non tantùm in supremo Principe v.g. Papa: sed etiam in inferioribus, puta Episcopo, ordinis Prælato, &c. vtrum secum dispensare possint tum in legibus proprijs diœcesis, Ordinis; tum etiam in communibus, eo casu, quo cum subditis
30 dispensare illis permissum est? Resp. & dico 1. Si Superior, puta Papa, Episcopus, Ordinis Prælatus iusta de causa cum subditis dispenset v.g. in lege ieiunij, obseruatione festi, se ipsum quoque legis vinculo indirectè soluit æquissima interpretatione, si alij omnes è communitate, cuius ipse caput est, legis obligatione liberati sunt, se quoque liberum esse oportere. Ita Sotus in 4. d.21.q.1.a. 4. Sanchez lib.8.disp.3.n.2. de matrim. & alij communiter.

31 Dico II. Si Prælatus absque iusta causa secum directè dispenset, quamuis in propria lege; dispensatio nulla est. Ita ex communi docet Suarez lib.6.de legibus c.2.numero 17. Probatur. Si enim Princeps propriæ legis vinculum sibi ad libitum, etiam nulla exigente causa, validè relaxare potest: sequitur eum legis vinculo, siue necessitate nunquam astrictum fuisse: quod manifestam contradictionẽ inuoluit. Probatur sequela. Non enim ea necessitas vel obligatio dici potest, quam, cùm volueris, abiicias.

Dico III. Vtrum Prælatus, præditus potestate dispensandi cum subditis, etiam secum, iusta de causa, per se ac directè dispensare possit, non est extra controuersiam positum: Nam quo minùs id efficere queat, obstare videtur, quia nemo in seipsum iurisdictionem exercere, vel in proprio facto autoritatem præstare potest, sicuti constat ex l.1.ff.de auctor tutorum, & ita docet S. Tho. in 4.d. 20.quæst.1.a.5. quæst.4.ad 1.& alij apud Sanch. cit. disp. 3. num.4. Plerisque tamen Doctoribus contrarium asserentibus posse videl. Prælatum ob iustam causam secum ipso dispensare: quam communem sententiam refert, & sequitur idem Sanchez n. 6.& seqq.& ex parte Suarez libro 6.de voto, c.11.& 3.p.tom.4.disp.52. sect.1.nu.20. & libro 6.de legibus c.12.num. 8. atque ad contrariæ sententiæ fundamentum respondent, non in omni actu iurisdictionis distinctionem personarum requiri: sed solùm in coactione iudicij per sententiam. Iudicem enim haud dubiè personam distinctam esse oportet à partibus, quibus ius dicit.

Sin verò hæc responsio alicui non satisfacit: sed incredibile apparet, posse aliquem seipsum directè & autoritatiuè obligatione aliqua soluere: cùm etiam plerique Doctores in 4.d.20.vbi Richar. a.4.quæst.3. Palud. quæst. 4.a.3. concl.5. ob eandem rationem negent, Prælatum sibi ipsi per se ac directè indulgentias concedere posse; (quãuis contrarium defendat Suar. ll.cc. Henriq. lib.6. c.8.& l. 7.c.32.num.3. Sanchez num. 12. resp. ad confirm. 4.argu.)
32 tunc. paulò aliter responderi potest; Si iusta causa adsit: ob quam in tali euentu Prælatus etiam cum subdito dispensare possit: tunc naturalem æquitatem dictare Prælatum quoque legis obligatione se immunem reputare posse: ne videlicet ipse deterioris conditionis existat, quàm subditi: vt proinde hęc non tam propriè dicta dispensatio, quàm interpretatio sit.

Denique in praxi securissimus modus est, si Prælatus dispensandi facultate præditus, Confessori suo committat, vt secum causa cognita dispenset, sicut contra Suarez cit.c. 11.num.3. docet Sanchez l.c.& lib.4. moral.c. 37. n. 41. idémque tenet Palud. in 4.d.38. quæst.4.a.2. conclusio 4. Syl. verb. confessor.1. quęst.9. Sa eod. ver. num. 15. vbi ait: *Confessor Episcopi, vel Superioris exempti, potest in ipsum absoluendo & dispensando, quidquid ille potest in subditos.* Nihil enim prohibet, quo minùs alter alteri iurisdictionem committere possit erga se ipsum exercendam: Sic enim Papa v.g. dat Confessario suo iurisdictionem à peccatis absoluendi ipsummet Papam, vti docet S. Bonauentura in 4.d.19.ar.3.quæst.2.

CAP. XXIII.

DE PRIVILEGIIS.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegium est priuata lex, in alicuius fauorem data.*
2 *Priuilegium aliud est reale, & aliud personale.*
3 *Priuilegium personale triplex est: singulariter personale: communiter personale: ac mixtum.*
4 *Priuilegium personale personam sequitur: sed reale priuilegium adhæret rei, cuius respectu datum est.*
5 *Priuilegium aliud est contra ius, ideóque strictæ interpretationis aliud vltra ius, quod cùm sit gratia seu beneficium, latam interpretationem meretur.*
6 *Si beneficium Principis in alterius preiudicium tendat vel scandali occasionem præbeat, eatenus odiosum est, & strictè interpretandum.*
7 *Priuilegia ordinariè non plus operantur, quàm verbis exprimant.*
Exempti cum Prælati sui consensu possunt se subiicere Ordinario petendo dispensationem in votis, iuramentis, absolutionem à censuris, &c.
8 *Priuilegium aliud est, quod motu proprio confertur: & aliud, quod ad instantiam partis: idque magis odiosum censetur.*
9 *Priuilegium motu proprio concessum non antè suum effectum sortitur, quàm priuilegiato innotuit.*
Priuilegium ante acceptationem reuocari potest, si ex mera liberalitate promanauit: secus si ex debito officio conferentis.
10 *Priuilegium, quod in gratiam petentis per literas, vel Procuratorem conceditur, statim suum effectum sortitur, quamuis ignorante eo, qui postulauit.*
11 *Priuilegia partim sunt affirmatiua, partim negatiua.*
12 *Quædam priuilegia absolutæ gratiæ sunt, quædam verò respectiua, & in alterius grauamen cedentia.*
13 *Item quædam priuilegia ex mera gratia dantur: quædam verò ob antecedentia merita, vel cum imposito futuro onere.*

PRiuilegium est veluti priuata lex, in alicuius fauorem data, iuxta capite priuilegia, distinctione ter- 1
tia. Quæ causa est, cur priuilegium ad alias personas, loca, &c. præterquam quibus ex speciali causa concessum est, extendi non possit: legis autem communis dispositio ad omnes communiter pertinere debet: ideóque in ea particularis personæ, aut loci mentio fiat, causa exempli id factum censetur, sicuti annotauit Abb. in cap. sanè, de priuileg.

Diuiditur priuilegium I. in reale ac personale, sicut
colligitur ex regul. 68. & 156. ff. de regulis iuris. Priuilegium reale est, quod proximè ac directè alicui conceditur, 2
respectu rei, loci, muneris, dignitatis: puta prædii, Monasterii, Ecclesiæ, Episcopatus: cui proinde rei, siue causæ concessionis priuilegium immediatè cohæret: in personas autem, ad quas res illa siue causa pertinet;

accidens redundat: v.g. si immunitas aliqua Monasterio vel Ecclesiæ concedatur, ea gaudere poterunt omnes, qui temporis successu Monasterium vel Ecclesiã possidebunt; donec omnino destructa sint, sine spe refectionis: nam si spes refectionis sit, perdurat priuilegiũ, & cẽsetur adhærere solo, arg. l. ædes sacra, ff. de contrahend. emptio. & arg. c. & hoc diximus, 16. quæst. 7. iunct. Gl. & Gl. vlt. in c. Abbate, de verbor. significat. Gloss. in c. pastoralis, 7. quæst. 1. & alia Gloss. reg. 7. in 6. Item, si Episcopo Frisingensi, quatenus talis loci Episcopus est, priuilegium aliquod cõcessum sit; censebitur reale, & proximè collatum ipsi Sedi, ac dignitati, argum. ducto ex c. quoniam Abbas, de offic. delegati: vbi habetur, quòd delegatio facta dignitati, (non expresso nomine proprio) v.g. *Episcopo Frisingensi committo*, ad successorem transeat; nisi vel ex materia subiecta, vel ex circumstantijs aliud colligi debeat, qua de re fusè Abbas in cit. cap. quoniam, num. 7. & sequentibus & in cap. quanto. num. 3. de translat. Episc. vbi monet; in discernendo, vtrum priuilegium personæ, an dignitati datum sit, potiùs ad naturam & conditionem rei datæ, quàm verborum expressionem attendendum esse: quare concessum sub nomine proprio, in materia quæ talis naturæ est, vt transire debeat ad successorem, censetur, esse reale, non personale.

3 Priuilegium personale est, quod proximè ac directè ob fauorem personæ confertur. Idque triplex est, teste Sylvest. verb. priuilegium, quæst. 2. Vnum propriè ac singulariter personale, quod vni tantùm per se conceditur. Per se, inquam: nam per accidens, siue propter illum, interdum etiam familia siue domestici eo participant: vt si alicui personæ generalis interdicti tempore concessum sit priuilegium celebrandi, vel audiendi Missam: familiares quoque siue domestici interesse poterunt, sicut habetur in c. licet, de priuileg. in 6. Alterum est priuilegium communiter personale, quod certo personarum generi conceditur, puta minoribus XXV. annis priuilegium restitutionis in integrum, si ex contractu læsi sint: Mulieribus priuilegium Senatusconsulti Velleiani, ne ex fideiussione obligentur. Huc etiam spectant priuilegia militum, de quibus Tholosanus l. 19. syntagm. c. 16. num. 1. Tertium est priuilegium corporale, quod corpori siue Communitati confertur; vel ea conditione, vt singuli è Communitate priuilegio frui possint: vel vt communiter tantùm & collectiuè.

4 Discrimen est inter priuilegium personale & reale; quòd *Priuilegium personale personam sequitur; & cum eadem extinguitur*. reg. 7. in 6. Priuilegium autem reale cohæret rei, & cum eadem expirat. Consentit reg. 68. ff. *In omnibus causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat*. & reg. 156. eod. *Priuilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: & ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt*: (siue realia) *quæ personæ sunt, ad hæredem non transeunt*. Ex quo inferas; Priuilegia, quę suprà dixi communiter personalia, & corporalia censenda esse mixta: & multum participantia de natura realium. Nam quæ certo personarum generi priuilegia data sunt, ad hæredes etiam transmittũtur, v.g. beneficium restitutionis in integrum, iuxta l. 6. ff de in integrum restitutione: cuius ratio est, quia non merè respectu personæ: sed etiam ratione rei, videl. interuenientis læsionis, concessa sunt, sicuti notauit Gloss. vlt. in cit. reg. 7. in 6. & videri de hac re potest Ioachim, Mynsinger cent. 4. obseruat. 19. Priuilegia item, quæ Communitati concessa sunt, non extinguuntur cum personis singularibus, sed continuantur in personis perpetuò succedentibus: quare multùm etiam recedunt à proprietate priuilegiorum personalium. Nihilominus multùm refert, vtrum priuilegia, quæ v. g. Ordini Regularium conceduntur, ad personas proximè dirigantur; an verò absolutè ad rem, v. g. eorum Ecclesiam, aut prædium. Exemplum habes in priuilegio immunitatis à decimis præstandis, in quo considerandum est, an talis immunitas prædio, aut horto absolutè concessa sit, vt eam retineat, etsi alteri locetur: an verò cum ordine ad personas priuilegiatas, vti ipsæmet hortum vel prædium colant, sicuti videre est in priuilegio Regularibus concesso in cap. ex parte, 10. de decimis, & notauit Abb. ibid. n. 4. Henricus Canisius tract. de decimis, c. 6. n. 10. Suar. t. 1. de relig. tract. 2. l. 1. c. 19. numero 14.

Aliud exemplum habes in priuilegio Missam celebrãdi in loco priuato; vel in Ecclesia de speciali aliquo Sancto, aut Beato: considerandum enim est, vtrum verba priuilegij ad personas priuilegiatas tantùm: an verò directè ac principaliter ad locum dirigantur. Nam in priore casu soli Clerici, vel Religiosi talis Ecclesiæ eo vti poterunt: posteriore autem casu etiam alij Sacerdotes incolæ & aduenæ, si eo loco celebrent. sicuti obseruauit Suarez p. 3. to. 3. dis. 81. sect. 3. in fine, & libro 8. de legibus, c. 3. num. 10. Interdum verò conceditur tale priuilegium tum contemplatione loci, tum etiam fauore personarum: puta quia Sanctus in Ecclesia sepultus est, vel eius reliquiæ ibi asseruantur & honorantur, ita vt eiusdem Ecclesiæ beneficiatis aut possessoribus instar patroni sit: hoc casu exteri quoque Sacerdotes in ea Ecclesia de eodem Sancto sacrificare poterunt: ipsi verò incolæ in hac Ecclesia, tunc etiam alibi, tanquam de patrono suo, de quo etiam canonicum officium dicunt.

Altera est diuisio priuilegij. Quòd aliud sit contra ius, cuius generis sunt multæ dispensationes in cõmuni lege. Quãuis non omnino idem sit priuilegium contra ius, & dispensatio in iure: Nam monopolium v.g. priuilegiũ quoddam est, & tamen dispensatio dici nequit: quia per illud ius commune non relaxatur, sed potiùs restringitur. Deinde dispensatio facta ad vnum actum, vel breue tempus, v. g. vt hodie carnibus vesci, ruri laborare liceat, priuilegium propriè non est: hoc enim magis constans esse debet: cùm sit quasi lex priuata, & ius singulare: sicut notauit Salas disp. 10. s. 1. in fine. Suarez libro 8. de legibus cap. 20. numero 10. Quare nec dispensationes in irregularitate, aut matrimonij impedimento, priuilegia dici possunt: quia effectum suum statim consequuntur, & tractum successiuum non habent, qualis ad legem tam communem, quàm priuatam requiri videtur. 5

Aliud verò priuilegium est præter ius: siue, vt alij loquuntur, vltra ius, v.g. potestas absoluendi, vel dispensandi, & aliæ multæ gratiæ siue beneficia Principis, ijs cõcessa quibus lege communi & ordinaria non competunt. Differentia inter hęc duo priuilegiorum genera est: quòd illa, quæ iuri communi derogant, plerumque strictæ interpretationis esse debent, iuxta c. porro, c. sanè, de priuilegijs, & docent Innoc. Abb. in c. quòd dilectio, de consang. & affinit. Nauar. c. 12. num. 79. Syl. ver. priuileg. quæst. 3. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 1. Suar. cit. lib. 8. 8. disp. 27. numero 5. Licet enim priuilegia hæc fauorabilia sint, quatenus ad priuilegiatum referuntur: tamen quatenus à iure communi exorbitant, odiosa censeri debent: cùm igitur fauor iuris communis meritò præferendus sit fauori priuato, ideo rectè dicitur, priuilegia à iure communi exorbitantia strictæ potiùs interpretationis esse oportere.

Dixi autem *plerumque*. Quia excipiendum est primò, Nisi priuilegium datum sit in fauorem causæ, publicæ piæ, religiosæ, alteriúsue fauorabilis. Qua de re Syl. cit. quæst. 3. Andr. Tiraquel. de priuilegijs piæ causæ, priuil. 162. Sua. c. 27. n. 7. vbi ait, priuilegium exemptionis Clericorum à iurisdictione Principum temporalium; vel Religiosorũ à iurisdictione Ordinariorum, amplè interpretandum esse in religionis fauorem: *Summa enim ratio est, quæ pro religione facit*, dicitur in libro sunt personæ, ff. de religios. & sumptibus funerum. Accedit, quò eiusmodi priuilegia vel dispensationes non vni personæ, sed toti communitati

in

in perpetuum concessæ, æquentur legibus publico iuris corpori insertis, quæ latam interpretationem habent, sicuti notauit Sanch. lib. 8. disp. 1. num. 3. Henriq. lib. 7. c. 22. num. 3. Conink 3. p. to. 2. disp. 33. dub. 2. n. 16. Secundò; Si priuilegium, quamuis contra ius commune, motu proprio Principis concessum sit, tunc amplam potiùs interpretationem meretur; veluti quod proprium Principis beneficium est, & ex certa scientia datum censetur, arg. c. si motu, de præb. in 6. & docet Abb. in c. vlt. num. vlt. de translat. Episc. Suar. cit. c. 27. num. 8.

Alia verò priuilegia, quæ vltra ius commune concessa, meræ gratiæ siue beneficia Principis sunt, latè interpretari debent. Ita habetur in c. quia circa, de priuil. & c. olim, de verb. signif. l. 3. ff. de constit. Principum, vbi dicitur, *beneficium Principis quàm plenissimè interpretari oportere.* Quare facultatem concessam v. g. Episcopis in Trident. sess. 24. c. 6. de reform. dispensandi super omnibus irrigularitatibus ex delicto oculto (excepto homicidio) item absoluendi ab omnibus casibus occultis, Sedi Apostolicæ alioquin reseruatis; latè interpretati possumus, vt competat etiam Episcopo confirmato, etsi necdum consecrato. Secundò, vt iis etiam competat, qui Episcopo in iurisdictione æquiparantur: videl. Capitulo sede vacante, sicuti docet Sanchez lib. 8. disp. 2. num. 10. Rodriq. t. 1. regul. q. 6. a. 9. cōtra Suarez de censuris disp. 41. sect. 2. n. 13. Item Prælatis exēptis ab Episcopi iurisdictione, teste Sanch. l. c. num. 12. Henriq. lib. 14. c. 18. num. 2. lit. p. & indicat Nauar. c. 12. num. 75. contra Suarez l. c. num. 7. Nam Capitulum, vacante sede, omnem ordinariam Episcopi iurisdictionem exercere potest, sicuti videre est apud Abb. in c. verùm, num. 9. de foro compet. Rodriq. l. c. hæc autem dispensandi, & absoluendi facultas Episcopis ratione suæ dignitatis perpetuo iure concessa, ordinaria censeri debet. Ergo, &c. Prælati verò exempti iurisdictionem Episcopali æqualem in territorio suo obtinent: Quare & Confessarios approbare possunt, teste Suarez 3. p. tom. 4. disput. 28. sect. 5.

6 Verùm etiam hæc doctrina limitanda est: Nisi beneficium Principis in alterius præiudicium cedat: cuiusmodi est v. g. exemptio à soluendis dicimis à iurisdictione Ordinarij: id enim stricte interpretandū est, seruata tamen verborum proprietate, argū. c. super eo, vbi Abb. num. 2. de offic. deleg. & c. cùm capella, & c. dudum, de priuileg. c. dilecti, de decimis, ex quo colligitur, priuilegium de decimis non soluendis ex prædijs suis, non esse extendendum ad prædia ab alijs conducta, vel in emphyteusin accepta. Item argum. c. ex tua, de auctorit. & vsu pallij, vbi id Gl. notauit ver. permittit, Abb. in c. vlt. n. vlt. de trāslat. Episc. Suar. cit. c. 27. n. 9. & to. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. c. 18. & 19. Henr. Canis. tr. de decimis, c. 6. num. 12. Azor to. 1. lib. 5. c. 23. q. 2. Etenim non facilè præsumendum est, Principem velle alicui gratiam conferre cū alterius damno, sicuti Abb. notauit in c. cùm adhoc, n. 8. de Cler. non resid. Eadémque ratio est, si beneficium scādali, aut litium occasionem præbeat: nam eatenus odiosum censeri debet, arg. c. quòd dilectio, de consan. & affinit. in fine. Denique addendum est, quòd Princeps conferens priuilegium non censeatur velle derogare speciali conuentioni siue pacto, quod antè inter priuilegiatum, & alteram personam intercesserat, sicuti habetur in c. ex multiplici, de decimis, vbi Abb. n. 5. hanc regulam tradit, quòd *priuilegium non tollit specialem conuentionem inter partes, nisi de ea specialis mentio fiat.*

Porrò quæ cap. 18. num. 4. & seqq. dicta sunt de interpretatione, ea ferme etiam obseruanda sunt in interpretatione priuilegij: Vt ante omnia mens atque intentio concedentis inspiciatur, & colligatur tum ex postulatione & proœmio; tum ex materia priuilegij, & circumstantijs omnibus, præsertim personæ conferentis, eiúsque cui confertur. Nam secundùm qualitatē personæ, si Episcopo v. g. priuilegium concessum sit, interdicti tempore Missam celebrandi, intelligi debet in Pontificalibus, teste Angelo verb. priuileg. §. 4. Item iuxta qualitatem tum materiæ, tum personæ priuilegiatæ interdum extensio fieri potest, per illam regulam; *Concesso vno, censentur etiam concessa alia, sine quibus illud commodè obtineri, vel exerceri non potest,* argum. c. præterea, de offic. delegati. Ex quo probabiliter resolui posse ait Suar. cit. lib. 8. c. 11. num. 7. Si cui ob senectutem vel labores, priuilegium à Papa concessum sit orandi matutinum vna vel altera hora post meridiem, posse etiam socium per se non priuilegiatum adhibere: tum quia talis cum socio orandi modus canonicæ institutioni conformior est: tum quia alioquin priuilegium parùm subleuaret, si altero commodo siue leuamine adhibendi socium spoliaret.

7 Sin verò adhuc dubium maneat de voluntate priuilegiantis, interpretatio facienda est secundùm communem & vsitatam: vel propriam verborum acceptionem. Nam priuilegia non plùs operantur, quàm verbis exprimunt, iuxta c. priuilegia, d. 3. & c. porrò, de priuilegijs. Neque vnquam priuilegium, etsi odiosum sit, vltra verborum proprietatem communémque acceptionem restringere oportet: nisi necessitas cogat: quia alioquin iniquitas, vel absurdum aliquod sequeretur, sicuti docet Suar. lib. 8. de legib. c. 28. num. 9. Contrà etiam, nec priuilegium, quod fauorabile est, vltra verborum vim & acceptionem, tam communem quàm iuridicā, ad alias personas, vel actus, ob solam similitudinis rationem, extendere oportet; tametsi motu proprio Principis concessum sit, sicuti tradit Gl. in Clement. per literas, de præbend. verbo directas, Suarez l. c. num. 11. 15. Sanchez lib. 8. disp. 1. num. 5. & disp. 24. num. 19. Coninck to. 2. disp. 33. dub. 2. vbi exemplū afferūt de eo, cui concessa est facultas dispensandi in gradibus cognationis, non posse vi huius facultatis in gradibus dispensare affinitatis, quia diuersa sunt. Excipe I. Nisi æquiparatio iuris talem extensionem exigat, sicuti supra dixi de Capitulo sede vacante, & Prælatis exemptis, participantibus iurisdictionem Episcopalem.

II. Nisi extensio fiat ad ea, quæ secundùm consuetum morem vtendi priuilegio, per se & ordinariè accessoria sunt: sic v. g. habens priuilegium tempore interdicti celebrandi Missam, potest ministrum quemlibet specialiter non interdictum adhibere: quare hæc non est tam priuilegij extensio, quàm iuridica interpretatio. Qui enim cōcedit facultatem alicuius rei, censetur etiam concedere ea omnia, quæ requiruntur ad vsum talis potestatis, argum. l. 2. ff. de iurisdict. omnium iudicum: *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse censentur, sine quibus iurisdictio explicari non potest.* Quare Abbas in c. quia tantùm, num. 5. de Clericis non resident. regulā tradit; Quòd *dispensatio*, seu priuilegium *contra ius extenditur ad necessariò consecutiua*: vt si cum aliquo dispensatum sit super beneficiorum pluralitate: videtur etiam dispensatum quo minùs in eorum altero residere teneatur.

III. Nisi necesse sit extensionem facere, vt priuilegium aliquid operetur: & non omnino inutile, seu superuacaneum sit. Nam priuilegium ita interpretari oportet, vt aliquid tribuat, quod iure communi concessum non est, iuxta l. 1. ff. Ad municipalem, cap. in his, de priuilegijs, vbi id notat Abb. num. 2. Gloss. in c. 1. ver. vt liberè, de rescript. Quamuis interdum, quod iure alioquin communi Regularibus v. g. concessum est, impetrari solet ad maiorem securitatem, omnémque tollendam dubitationem: siue ad impetum aduersariorum coercendum, sicut notauit Nauar. lib. 3. consil. 5. num. 5. de statu Monach. edit. 2. Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 7. a. 1. Suar. lib. 8. c. 1. num. 7. argum. c. innouamus. de treuga & pace. Nam *plùs valet specialis cautio, quam generalis*, ait Goff. in cap. quamquam, d. 23.

Denique interpretandum est priuilegium, vt non sit onerosum priuilegiato; siue, vt potiùs illi aliquid tribuat, quam vt auferat, iuxta reg. 61. in 6. *Quod ob gratiam ali-*

cuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum. Quapropter probabiliter dicitur, quòd priuilegium exemptionis v. g. concessum Regularibus, non impediat, quo minùs ij, cum Prælati consensu, subijcere se possint Episcopo, vt ab eo absoluantur à peccatis, ac censuris; vel dispensetur cum eis in voto, iuramento, irregularitate; si accidat Episcopum, non autem Prælatum Ordinis tali facultate ex priuilegio præditum esse. Ita præter alios docet Henriq. lib. 7. c. 25. num. 2. & lib. 14. c. vlt. in fine, Auila p. 2. de censur. c. 7. disp. 1. dub. 6. concl. 2. Molina tract. 3. disp. 6. vbi ait, idem sentiendum, si manifestò appareat, quòd Prælatus Ordinis consensum irrationabiliter neget: cùm non videatur esse mens summi Pontificis, exemptionis priuilegium ad talem casum extendere, quo in pernitiem animæ cedere possit.

8 Tertia diuisio priuilegij; Quòd aliud proprio motu Principis confertur, aliud verò in gratiam petentis. Discrimina inter ea sunt: I. Quòd illud, si cætera paria sint, fauorabilius esse soleat; hoc verò magis odiosum, præsertim si gratia ambitiosa & insolita sit: v.g. si illegitimè natus amplum beneficium vel dignitatem à Papa impetret.

II. Priuilegium, quod motu proprio conceditur, excludit præsumptionem subreptionis; secùs, si ad instãtiam petentis, sicuti constat ex c. si motu., de præb. in 6. vbi dicitur, quòd taciturnitas beneficij antè habiti, non vitiat rescriptum motus proprij de altero beneficio: Et additur ibidem, tunc solùm censeri gratiam motu proprio conferri à Papa, si id in literis exprimatur; tunc verò nihil obstabit, etsi aduersarius probare vellet, petitionem gratiæ antecessisse, sicuti notat Gloss. vlt. ibid. Et simili ratione, si Papa alicui iussit conferri beneficium primò vacaturum, isque tempore datarum literarum non habuit ætatem requisitam; si tamen habeat tempore vacationis, debetur ei beneficium, si ei prouideri mandatũ fuit motu proprio; secùs, si ad instantiam. quia præsumitur] vitium subreptionis, c. si pro eo, de præb. in 6. & notat Abb. c. dilectus, 2. num. 9. extra eod. Qua simili ratione docent Doctores apud Ioach. Mynsingerum cent. 4. obseru. 8. & cent. 5. obser. 97. Si Princeps contra ius commune aliquid statuat vel rescribat motu proprio, præsumendum esse, quòd iusta causa moueatur: secùs, si ad postulationem alterius, quia tunc concessum videtur propter importunitatem petentis.

9 III. Priuilegium, quod proprio motu confertur, ordinariè suum effectum non antè consequitur, quàm priuilegiato innotuit, sicut ex communi docent Syl. ver. priuilegium, q. vlt. Sanch. lib. 1. de matr. disp. 6. n. 29. & lib. 3. disp. 36. Azor t. 1. lib. 5. c. 3. q. 5. & c. 23. q. vlt. Suar. lib. 8. c. 25. n. 10. & seqq. & sumitur ex c. si tibi absenti, de præb. in 6. in quo dicitur, si Episcopus beneficium absenti conferat ius ei in beneficio non acquiri: & consentit l. qui absenti, ff. de acquir. possess. Nam hic est ordinarius modus donandi, beneficia conferendi, &c. scienti, inquam, & acceptanti. Quare etiam reuocari poterunt ante acceptationem, si ex mera concedentis liberalitate proficiscantur, sicuti docet Couar. 3. resol. c. 16. n. 1. Sanch. ll. cc. secùs est si Prælatus ex officio conferre cogatur, v. g. beneficia Ecclesiastica: vbi enim semel contulit, non potest reuocare; sed expectare tenetur, num absens re cognita acceptare velit, iuxta cit. c. si tibi absenti.

Dixi autem priuilegium motus proprij *ordinariè* non habere effectum, antequam priuilegiato innotuit. Nam primò excipienda videntur priuilegia, quæ non per modum specialis rescripti; sed generali lege seu statuto conduntur, ad remunerandum aliquos de Republ. bene meritos, sicut ex communiore notauit Sanch. lib. 3. de matr. disp. 36. n. 3. Ratio est. Quia lex, boni publici causâ lata, publicatione omnẽ vim suapte natura acquirit; nisi quòd inuincibiliter ignorantibus nullam obligationem culpæ aut pœnæ inferat, sicuti dixi suprà c. 2. huius tract. Hîc autem non agitur de obligatione & pœna; sed de cõmodo priuilegiati. Ergo, &c.

Præterea, sicut nihil prohibet speciali lege Principis decerni, vt ius alicui v. g. ex donatione, etiam ante acceptationem acquiratur, sicuti multi dicunt de donatione facta Ecclesiæ; ita etiam nihil obstat, Principem alicui beneficium, siue priuilegium conferre, eo animo, vt statim suum effectum consequatur, etiam priusquam ad notitiam priuilegiati perueniat, sicuti docet Suar. cap. 25. num. 11. & indicat Syl. cit. q. vlt. Quod maximè verum est in ordine ad alios, quibus virtute talis priuilegij obligatio imponitur præstandi immunitatem priuilegiato, sicut habetur in c. 1. de concess. præb. in 6. vbi dicitur, si cui à Papa priuilegium datum sit, vt excomunicari non possit, non ligari sententia Episcopi, quamuis ignorantis priuilegium. Adde fieri posse, præsertim si ratio boni communis ita exigat, vt exemptio à lege v.g. ieiunij, etiã inuito & reluctanti tribuatur; adiecto præcepto vt non ieiunet: quapropter regula illa ff. 69. *Inuito beneficium non datur*, ordinariè tantùm, & non sine omni exceptione vera est. Vide etiam Salas disp. 16. sect. 3. num. 5.

Priuilegium autem, quod in gratiam petentis v. g. per Procuratorem conceditur, statim suum effectum sortitur, cùm conferens annuit, vel voluntatem suam significauit, etiam adhuc ignorante eo, qui postulauit, sicuti docet Angelus verb. renuntiatio num. 5. in fine Syluest. verb. priuilegium, quæst. vlt. Sotus in 4. d. 29. q. 2. a. 1. ad finem, Veracrux in speculo p. 1. dub. 19. appendicis, §. at si post dispẽsationem, Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 36. num. 6. etsi contrarium doceat Vasq. 1. 2. disp. 56. c. 4. num. 3. Suar. c. 25. num. 26. vbi proposita quæstione, si Titius à Papa per Procuratorem postulauit gratiam vel dispensationem aliquam & elapso temporis internuallo; quo Procurator responsum accepisse existimatur, ex probabili præsumptione gratiæ iam concessæ, dispensatus ea vtatur, v. g. matrimonium contrahat, vtrum valiturum sit? Ad quod negantes respondent: Quia dispensatio siue priuilegium datur propter vsum: vsus autem dispensationis, ante acceptam eius notitiam illicitus ac temerarius est: ergò non videtur esse voluntas Papæ dispensantis, vt valeat dispensatio ante eius notitiam: ne occasionem praui vsus ministrare videatur. Sed respondeo. Imprimis cõsiderandum esse stylum Curiæ Romanæ: Si enim summus Pontifex dispensationem ipsemet non exequatur, sed iubeat ab Ordinario, vel Officiali expediri post acceptas literas, tunc certum est, matrimonium sub præsumptione dispensationis à Papa concessæ, ante acceptas literas, validum non fore. Sin verò summus Pontifex dispensationem per se ipsum absolutè conferret, omnino putarem validum: & in casu etiam necessitatis licitum eius vsum fore, si moraliter præsumi possit, gratiam tunc concessam fuisse: quandoquidem ad omnem concessionem, donationem pactum, & contractum sufficit duorum mutuum consensum super eadem re haberi & explicari. Qua simili ratione, si quis ab Ordinario petiuit facultatem, vt alienus Sacerdos matrimonio assistere, posset; atque ex probabili præsumptione, facultatem modò datam esse, coram tali Sacerdote matrimonium postea celebretur, validum censeri debet, si eo tempore re vera licentia data fuerat, sicuti docet Sanchez cit. disp. 36. numero 8.

Ad rationem in contrarium respondetur, potiùs credendũ esse, quòd summus Pontifex, nisi aliud exprimat, in dispensationibus intendat quod est per se, & ex natura rei; quàm quod per accidens & rarò contingens. Per se autem, & ex natura rei dispensatio robur suum habet post mutuum petentis & concedentis consensum: ergo idipsum etiam intendere censetur Pontifex, esto per accidens propter defectum certæ cognitionis, aliquid interdum imprudenter vel temerariè attentari possit. Nota autem hic, cùm primùm summus Pontifex petitioni annuit, licet literæ expeditæ non sint, priuilegium datum censeri;

exceptis

exceptis prouisionibus beneficiorũ, de quibus iure nouo Pontificio aliter statutum est, vt videre licet apud Azor tom 1. lib. 5. c. 2. quæst. 5.

IV. discrimen. Licet priuilegia, quæ in gratiam petentis conceduntur, subreptitia sint, si in petitione non exprimantur ea, quæ ius & stylus gratiæ exprimi iubent; secùs tamen est in priuilegijs seu rescriptis gratiæ, nemini præiudicantibus, si motu proprio fiant: talem enim gratiam Princeps causa tota plenè perspecta concedere censetur, vt proinde nulla reticentia veri obesse debeat, sicuti constat ex c. si motu, de præbend. in 6. vbi dicitur, per motum proprium validè conferri alicui beneficium, qui aliud habet: etsi huius nulla mentio in rescripto fiat. Expressio tamen falsi, si videatur fuisse causa principalis & sine qua non, perinde vitiat rescripta motus proprij, sicuti alia, vti ex Abb. c. quia circa, de priuil. notat Rosella ver. rescriptum in fine.

11 Quarta diuisio priuilegij est in affirmatiuum, & negatiuum. Affirmatiuum est, quod datur ad aliquid faciendum, v. g. ad sacrificandum, carnes diebus interdictis comedendum. Negatiuum, quod datur ad non faciendum quale est priuilegium exemptionis à tributis, à decimis. Discrimen duplex est: I. Quòd negatiuum semper sit cõtra ius commune, fieri aliquid præcipiens à cuius obseruatione aliquis per priuilegium eximatur. Affirmatiuum verò quandoque est vltra ius commune; quandoque verò contra ius prohibens fieri aliquid, cuius agendi facultas per priuilegium conceditur. Alterum discrimen est, quòd affirmatiuum interdum per non vsum tollitur: negatiuum verò per non vsum contrarium, vt infrà explicabo.

Quinta diuisio. Priuilegia quædam sunt absolutæ gra-
12 tiæ (siue vltra ius, siue contra ius datæ sint) in nullius grauamen redundantes: cuiusmodi est v. g. priuilegium dispensandi, ante auroram sacrificandi: item non ieiunandi, interdictum non seruandi. Alia verò priuilegia sunt gratiæ respectiuæ, & in alterius grauamẽ redundantes: cuiusmodi est priuilegium exemptionis à soluendis decimis, à iurisdictione Ordinarij, &c.

13 Sexta diuisio. Quædam priuilegia sunt mere gratiosa, quæ consistunt in sola facultate siue licentia aliquid præter aut contra ius commune operandi, tacita conditione, quamdiu Principi & successoribus eius placuerit: alia verò sunt non merè gratiosa, sed vel ob merita in præmium data: quæ dici solent *remuneratiua*; vel cùm imposito onere, siue grauamine data, quæ dici solent *conuentionalia*: Quorum omnium id commune est, vt per ea ius acquiratur priuilegiato, quo minùs à conferente ordinariè, & sine vrgentissima causa ad bonum publicum pertinente, reuocari possint. Qua de re Suarez lib. 8. c. 37. num. 5.

QVÆSTIONES DE PRIVILEGIIS.

SVMMARIVM.

14 *Quicumque legem condere, etiam priuilegium dare potest, & vice versa.*

15 *Priuilegia dari possunt non tantùm ijs, qui absolutè subditi sunt: sed etiam alijs.*

16 *Is cui Ordinarius concessit priuilegium legendi libros prohibitos, vti eo potest extra diœcesin concedentis.*

Priuilegia duobus modis confirmari possunt: forma in communi & ex certa scientia.

17 *Priuilegium finitur elapso tempore, cessante causa finali, vel conditione sub qua concessum fuit.*

18 *Gratia per mortem concedentis, etiam re integra, non extinguitur: quod intelligendum est, si sit gratia facta; secus si sit facienda.*

19 *Priuilegium extinguitur, si per rerum mutationem iniquum fiat: vel si in ipsius priuilegiati maius detrimentum cedere incipiat.*

20 *Priuilegium item extinguitur per renuntiationem priuilegiati, si in eius solius fauorem concessum fuerat: secus, si in gratiam Ecclesiæ vel Communitatis.*

21 *Priuilegia, quæ alijs onerosa sunt, amittuntur per non vsum spatio decennij inter præsentes: viginti verò annis inter absentes: si tamen vtendi occasio sit.*

22 *Quæ absolutæ gratiæ sunt in nullius grauamen cedentes, v. g. sacrificandi ante auroram, absoluendi à casibus reseruatis: per solum non vsum non videntur amitti.*

23 *Priuilegia negatiua, quæ alijs onerosa sunt, per contrauentionem duobus modis amitti possunt: vel via præscriptionis, vel via tacitæ renuntiationis.*

24 *Qui dato sibi priuilegio abutitur, eo priuari meretur.*

25 *Priuilegia quæ ad operandum aliquid præter ius commune, subditis merè gratiosè data sunt, à concedente eiúsue successore reuocari possunt.*

Quæ non subditis concessa sunt priuilegia, post acceptationem reuocari non possunt: Neque quæ subditis data sunt in remunerationem meritorum, vel cum grauamine in futurum: vel si cum absoluta donatione, aut translatione alicuius iuris, absque vrgente causa reuocari possunt.

26 *Reuocatio priuilegij alia est expressa, & alia tacita. Expressa vel fit in specie: vel per clausulam generalem, non obstantibus, &c. qua tamen non censentur reuocata priuilegia contenta in corpore iuris.*

27 *Tacita priuilegij reuocatio fit per actum principis contrarium: si præsumi possit, eum scire aut recordari antè concessi priuilegij.*

Generi per speciem derogatur, siue eâ antecedat, siue sequatur.

28 *Reuocatio priuilegij, alteriúsue facultatis non antè vim suam habet, quàm priuilegiato innotuit.*

PRIMA QVÆSTIO. Quis priuilegium concede- 14
re possit? Omnis & solus ille, qui legem condere; etiam priuilegium conferre potest. Ita ex communi S. Anton. p. 1. tit. 19. cap. 1. in princ. Syluest. ver. priuilegium quæst. 2. Ratio est: Tum quia priuilegium lex quædam priuata est: tum quia priuilegium non cuiusuis hominis beneficium dicitur; sed quod publica potestate alicui confertur, ad faciendum aliquid, vel omittendum. Ex quo inferas, publicas potestates cùm ciuiles, tum Ecclesiasticas in ijs tantùm rebus priuilegia dare posse, de quibus disponendi ius habent: v. g. Imperator in temporalibus tantùm; Papa verò per se ac directè in spiritualibus: vel ijs, quæ annexa sunt spiritualibus, vt decimæ, contractus matrimonij, &c.

QVÆSTIO SECVNDA. quibus priuilegium confer- 15
ri possit? Respondeo: Non ijs tantùm conferri posse, qui verè & absolutè subditi sunt; sed etiam ijs, qui respectiuè inferiores, vel inæquales sunt, secundùm ordinem ad rem, in qua priuilegium confertur. Sic enim constat, Imperatorem v. g. extraneis priuilegium concedere posse, in terris Imperij militem conscribendi, merces auehendi, vectigal non soluendi. Item Ecclesiasticis Iudicibus; vt de laicis in causis temporalibus directè iudicare possint, quod communi iure ipsis concessum non est. Quale priuilegium est Theodosij Imperatoris, quod refertur c. quicunque, causa 11. quæst. 1. Vide etiam Baronium An. 398. num. 69. & An. 401. num. 60 Suarez lib. 8. de legib. cap. 9.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum habens ab Ordina- 16
rio suo priuilegium legendi v. g. libros prohibitos, eo vti possit extra territorium concedentis? Negat Commentator Nau. consil. 6. de priuileg. & Suar. lib. 8. de legib. cap. 26. num. 8. Primò, quia Iudex non potest iurisdictionem extendere extra territorium: conferre autem priuilegium actus iurisdictionis est. Secundò, quia peregrinus tenetur obseruare leges loci, in quo moratur, & lectio v. g. talium librorum prohibetur. Sed contrarium probabiliùs affirmare videtur ipsemet Nau. cit. conf. 6. edit. 2. quem sequitur Azor. t. 1. lib. 5. c. 23. quæst. 6. Ratio est: quia priuilegium personale cohæret personæ, & idcirco eam comitatur, quocumque terrarum discesserit. Quapropter licet alicui priuilegium personale contra ius commune ab Episcopo datum sit, v. g. non ieiunãdi, cibos prohibitos comedendi; vbique terrarum eo vti poterit, per se loquendo, vti fatetur ipsemet Suar. num. 15. & docet Sanches lib. 8. disp. 31. quæst. 2. Aliud verò

dicendum videtur, si dispensatio in lege communi facta sit pro tota diœcesi, ob peculiarem aliquam causam, v. g. vt in quadragesima caseo & lacticinijs vesci liceat, non poterit incola peregre profectus eo vti in aliena diœcesi, vbi lex communis Ecclesiastica obseruatur: quia tale priuilegium censetur adhærere loco, iuxta ea, quæ suprà dixi cap. 12. n. 3. Ad I. argumentum contrariæ sententiæ respondetur: Iurisdictionem non coactiuam, sed voluntariam, præsertim carentem publica solemnitate, effectum suum habere posse etiam extra territorium exercentis, sicut suprà dixi c. 5. n. 4. Ad II. respon. Peregrinum, quo cum dispensatum est, non obligari lege vetante libros prohibitos, quatenus diœcesis propria est: quia iurisdictioni diœcesanæ non subijcitur: Neque quatenus lex communis Ecclesiastica est: nam suppono Episcopum, ex delegata ipsi potestate à Papa, cum illo dispensasse.

QVÆSTIO QVARTA. Quibus modis priuilegia data confirmari soleant? Respondeo duobus modis: *In forma communi, & ex certa scientia*, sicuti notant DD. in c. quia diuersitatem, de concess. præbendæ. Confirmatio ex certa scientia dicitur, si Princeps confirmans priuilegium significet, se plenam eius cognitionem habuisse: cuius proinde confirmationes tanta vis est, vt etsi priuilegium aliquando legitimè collatum, postea per non vsum, vel abusum, vel superioris reuocationem cassatum fuisset, iam de nouo confirmaretur, sicuti docet Gl. communiter recepta in cit. c. quia diuersitatem, ver. forma communi. Suarez lib. 8. c. 18. num. 12. qui monet num. 6. necessarium non esse, vt hæc verba *ex certa scientia* in confirmatione exprimantur: modò ponantur alia, quæ secundùm stylum curiæ æquipolleant, v. g. *ex plenitudine potestatis*. Interdum tamen in confirmatione eiusmodi priuilegiorum additur limitatio, v. g. *prout nec sunt in vsu*, vt excludatur confirmatio priuilegiorum, quæ in desuetudinem abierunt. Item, *Dummodo Concilio Tridentino contraria non sint*: cuiusmodi clausula intelligitur de ijs priuilegiis, quæ per Tridentinum reuocata fuerunt, vti docet Rodriq. tom. 1. Regul. qq. quæst. 8. art. 6. Suar. num. 18. Verùm, etiamsi talis clausula exceptoria non adderetur, nihilominus subintelligi deberet, sicuti docet Rodriq. cit. quæst. 8. art. 10. Suarez lib. 8. disput. 19. num 5. Quòd in generali derogatione, nunquam censeatur derogatum Concilio generali: quia id, quod tanta auctoritate corroboratum est, non nisi speciali & expressa reuocatione tolli debet.

Existimat verò Rodriq. cit. art. 10. in fine, per hoc quòd in confirmatione excipiantur ea, quæ sunt contraria Tridentino, tacitè confirmari ea, quæ in aliis generalibus conciliis reuocata fuerunt: quia exceptio firmat regulam in aliis. Sed de hoc dicto non immeritò dubitat Suarez cit. cap. 10. num. 7. Nam exceptio firmat quidem regulam in aliis, quæ alioquin excepta non sunt, non autem firmat in iis, quæ per alias regulas æqualiter excepta reperiuntur: Nam alioquin exceptio apposita esset potiùs ampliatio quædam. Quare cùm generalis regula sit, quòd in concessione confirmatoria priuilegiorum excepta censeantur priuilegia illa, quæ per generalia Concilia reuocata fuerunt: sequitur, clausulam illam, *Dummodo Tridentino Concilio contraria non sint*, additam fuisse duntaxat, vt certior esset exceptio Concilij Trident. & non tantùm generalibus DD. regulis subnixa.

Alius verò modus est confirmandi priuilegia *in forma Communi*: cuiusmodi confirmatione nulla noua fit concessio: sed pura priùs existentis priuilegij approbatio, vel confirmatio: ita vt per eam non reualidetur priuilegium, si propter præcedentem abusum, reuocationem, &c. inualidum fuerat, sicuti colligitur ex cap. 1. & 2. de confirmat. vtili.

17 QVÆSTIO V. Quibus modis priuilegium finiatur? Resp. His ferme modis. I. Elapso tempore, cessante causa finali, vel conditione sub, qua concessum fuit. Qua de re vide Molin. tom. 2. tractat. 2. disput. 298. Suarez cap. 29. & 30. Quare si priuilegium concessum sit ad vnicum actum, vel ob professionem, muneris occupationem, &c. ijs transactis, extinguitur. Quòd si Princeps tali verborum forma concesserit, *donec voluero: quoad beneplacitum meum*, eo mortuo expirat. Non item, si dixerit, *donec reuocauero, dum aliud decreuero*. Ita docet Nauar. lib. 5. de priuil. consil. 3 edit. 2. Couar. 3. resol. cap. 15. num. 2. Molin. l. c. Suarez lib. 8. cap. 5. num. 1. Sanchez lib. 8. de matrimon. disput. 28. quæst. 3. num. 51. Ratio discriminis est: Quia actus reuocationis positiuus, & affirmatiuus est: quare si à concedente, dum viueret, non fuit exercitus, manet priuilegium. Verba autem *donec voluero*, significant perseuerantiam voluntatis, quæ morte interrumpitur, argument. l. 4. ff. de locato. Si autem dicatur: *Quamdiu placuerit*, non extinguitur morte conferentis: quia potestas Sedis non moritur, sed transit ad successorem, sicut habetur in c. si gratiosè, de rescript. in 6.

Corollarium. Qui iurauit se non lusurum, vel cælibē vitam ducturum, quamdiu pater volet: eo mortuo, ludere, vxorem ducere non prohibetur. Sin autem iurauit, se non lusurum, castitatem seruaturum, nisi pater aliter statuerit, iusserit: non soluitur voto per mortem patris. Et ita intelligendus videtur Sanchez l. c. num. 55.

Sed vt ad propositum reuertatur, generalis est Doctorum regula, quòd gratia per mortem concedentis, etiam re integra, non extinguitur, vti videre est apud Nauar. 18
consil. 2. de offic. delegati. edit. 2. Sa v. g. num. 1. Nicol. Garciam p. 6. de benef. cap. 2. Molin. tractat. 5. de iust. disput. 19. ex c. si super, de offic. deleg. in 6. si cui nulla, de præbend. in 6. Sed intelligi hæc regula debet de gratia facta, & non de facienda. Gratia facta dicitur, quotiescunque facultas seu licentia alicui in ipsiusmet fauorem à Superiore concessa est, quamuis mera executio interdum ab alia adhuc persona dependeat. Exempla sunt: Si alicui à Papa detur gratia expectatiua ad beneficium vacaturum: vel si impetret aliquis literas à Papa, quibus mandet Episcopo, vt ipsi beneficium prouideat, vel vt cum eo super impedimento matrimonij, precum veritate inspecta, dispenset: aut si impetret aliquis à Papa vel Episcopo licentiam eligendi Confessarium. Eiusmodi enim concessiones seu gratiæ, postquam à publica potestate processerunt, censentur ex parte concedentis factæ, seu perfectæ, vt morte ipsius non expirent; nihil obstante, etsi realis executio gratiæ nondum facta sit: qua de re videri potest Henriq. lib. 7. cap. 21. num. 1. & seqq. Sanchez lib. 8. cap. 38. quæst. 2. Suarez lib. 8. de legib. cap. 31. Nicol. Garcias de benef. p. 6. cap. 2. Gratia autem facienda dicitur, cùm ipsi, in cuius fauorem gratia tendit, nihil directè datum aut concessum est à Principali; sed alteri mandatum, vt talem gratiam illi conferat: tunc enim nondum est gratia facta, sed mera commissio & mandatum faciendi. Exempla sunt: Si Papa, vel Episcopus directè ipsi Sacerdoti committat, vel mandet, vt cum quadam persona, causa cognita, dispenset, vel ipsi beneficium Ecclesiasticum conferat; mortuo committente, Commissarius mandatum exequi non potest, re integra: nisi talis conferendi, aut dispensandi facultas Commissario principaliter in ipsiusmet fauorem, data fuisset: tunc enim haberet rationem gratiæ factæ, quæ per mortem facientis non expirat. Quod notandum est pro iis, quibus à Papa, vel Episcopo delegata est licentia audiendi confessiones, vel absoluendi à reseruatis, morte delegantis nō expirare; cùm talis licentia inter gratias, non inter rescripta iustitiæ, seu delegatæ iurisdictionis contētiosæ numerari debeat, sicut ex probabiliore docet Sanch. cit quæst. 2. num. 72. Henriq. lib. 6. cap. 6. num. 7. Sa v. g. num. 4. Suarez t. 4. disp. 26. num. 6. & 9. Garcias cit. c. 2. n. 3. 9.

Dubitant verò, an idem sentiendum de licentia à Parocho concessa alicui Sacerdoti; vt illo mortuo non expiret? Placet mihi responsio Garciæ num. 325. Si Parochus facul-

facultatem habeat alicui delegandi talem facultatem in certa parte parochiæ; non expirare; cùm sit gratia. Secùs si Cooperatori suo seu Vicario tribuat facultatem: cùm enim mortuo Principali cesset alter esse illius vicarius seu cooperator, expirat etiam huius potestas; quamuis in hac re consuetudo diœcesis attendenda est, vti Suarez l. c. notauit.

19 II. Extinguitur priuilegium, si cedere incipiat in graue detrimentum aliorum, vel Communitatis, adeóque per rerum mutationem fiat iniquum, vt vel per seipsum cesset, vel certè à priuilegiante reuocari possit, sicuti colligitur ex c. suggestum, de decimis, vbi notant Doctores; Reuocari priuilegium exemptionis decimarum, si postea in Ecclesiæ notabile detrimentum vergere incipiat. Item ex c. cùm ad hoc, de clericis non residentibus, vbi habetur: si Ecclesia patiatur defectum ministrorum, quòd priuilegiati, super non residentia, ad redeundum compelli possunt, fructuum subtractione.

III. Si cedere incipiat in maius detrimentum ipsius priuilegiati: nam *quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. 61. in 6.

20 IV. Per renuntiationem priuilegiati, si priuilegium in eius solius fauorem concessum sit. Nam *liberum vnicuique est suo iuri renunciare*, dicitur in cap. si de terra, de priuileg. Porrò priuilegiis, quæ principaliter in fauorem Ecclesiæ vel Communitatis concessa sunt, personæ priuatæ, ne iuramento quidem, renuntiare possunt: v. g. Clerici priuilegio canonis, iuxta c. contingit, de sent. excom. vel priuilegio fori, iuxta c. si diligenti, de foro competente, vbi Abb. n 4. & in c. cum accessissent, num. 2 de constit. Quinimò Innoc. in c. accedentibus, de priuilegijs, ibidem Alexander de Neuo super Abb. lit. c. generalem regulam tradunt: Quòd Capitulum siue Conuentus non possit renunciare iuri acquisito per consuetudinem, statutum, aut priuilegium, si tale ius Ecclesiæ vtile aut honorificum sit, v. g. vt in Canonicos non assumantur nisi qui sunt in sacris ordinibus constituti: quòd si Capitulum cõtra talem constitutionem, consuetudinem, aut priuilegium faceret, vnus solus posset se opponere imò si omnes contrà facerent, Superior puta Episcopus posset & deberet impedire, quatenus id in damnum Ecclesiæ cedit. Qua eadem ratione Suarez ait t. 1. de relig. tr. 2. lib. 1. cap. 20. num. 3. quòd priuilegio immunitatis à decimis Ordinis Religiosorum concesso, à Prælato & Conuentu renũtiari non possit. Quare tantùm ea priuilegia per renuntiationem expressam, vel tacitam (puta per actum priuilegia directè contrarium scienter ac liberè exercitum) tolli possunt à Capitulo vel Prælato, quæ Ecclesiæ vtilia non sunt, vel saltem indifferentia, iuxta c. cùm accessissent, de constitut. c. pro illorum, de præben. His adde, quòd exempti priuilegio exemptionis renuntiare non possunt: quia id cederet in præiudicium Principis, v. g. Papæ, qui eos ab aliorum Ordinariorum iurisdictione liberos, suæ gubernationi & protectioni immediatè subiecit, sicuti colligitur ex c. cùm tempore, vbi id notat Abb. n. 2. de arbitris. Veruntamen, id publicæ vtilitatis causa receptum est, vt propter negligentiam Prælati, contra Ecclesiam currat præscriptio 40. annorum, iuxta c. 4. & 5. de præscript. c. accedentib. de priuileg. Vt litium aliquis finis sit, atque iura & dominia non diutiùs in incerto maneant.

21 V. Priuilegia affirmatiua, quæ alijs onerosa sunt, amittuntur per non vsum spatio decenni inter præsentes; viginti verò annorum, inter absentes, modò vtendi occasio fuerit. Sumitur ex l. 1. ff. de nundinis, iun. Gl. & tradit. Suar. lib. 8. de legib. cap. 34. Ratio est: Quia omnes obligationes, ac seruitutes tàm reales, quàm personales ita extinguuntur; si altero iure suo, pro temporum occasione, nunquam vtente, res obligata, legitimi temporis decursu, vt libera possideatur, ac denique vsucapiatur: v. g. si ius habeas seruitia imperandi Vasallo, & longo tempore, cùm occasio se offert, imperare cesses: Vel ius habeas currum agendi per prædium meum, & longo tempore agere intermittas. Ita etiam se res habet in priuilegijs alteri onerosis: veluti, si habeas priuilegium exigendi decimas; visitandi Monasteria exempta, ac talibus priuilegijs, si vtendi occasio sit, longo tempore non vtaris, ea amittis, partim per viam præscriptionis: partim verò per viam tacitæ renunciationis, ex iuris dispositione. Dico autem: si vtendi occasio sit: Alioquin priuilegia affirmatiua non amittuntur: vt si habeas priuilegium iurisdictionis sanguinis, eóque longo tempore non vtaris, quia nullum malefactorem cæpisti. qua de re vide Andr. Gail. lib. 2. obseruat. 60. num. 6. Neque vassalli contra Principem præscribere possunt, quòd eorum obsequiis longissimo tempore vsus non sit, si casus, seu occasio non occurrit, teste Abb. c. ad audientiam, in fine, de præscript. Suarez lib. 8. c. 34. n. 3.

Reliqua autem priuilegia, quæ absolutæ gratiæ sunt, in nullius grauamen cedentes; v. g. celebrandi ante auroram dispensandi in irregularitate, absoluendi à casibus reseruatis, comedendi carnes in quadragesima; per merum non vsum nunquam amitti videntur, quæ est sententia Glos. penult. in c. vt priuilegia, de priuileg. Suarez l. c. num. 7. etsi contrarium doceat Abb. in cit. c. vt priuilegia, & c. cùm accessissent, num. 6. de constit. Salas de legib. disput. 17. sect. 13. num. 64. argument. l. 1. ff. de nundinis: *Nundinis impetratis à Principe, non vtendo qui meruit, decennij tempore amittit.* Sed probatur. Non enim amittuntur via præscriptionis: cùm nemo sit, qui contra eiusmodi priuilegia non onerosa præscribere possit. Neque via tacitæ renuntiationis: quia quisque liberam facultatem habet priuilegio vtendi, vel etiam non vtendi. Hanc enim regulam tradit Abbas in c. Ioannes, de clerico coniug. in fine: *Cùm lex non necessitat ad agendum, sed solùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non vsum.* Eadem verò ratio est de priuilegio, quòd etiam liberum vsum habet. Ab. l. 1. ff. de nundinis, respondet Glos. suprà citata, illud inter onerosa priuilegia numerandum esse. Aliter etiam respõderi posse ait Suarez num. 7. Speciale id esse in illo priuilegio nundinarum, quòd tali conditione à Principe concessum videtur, vt per non vsum, decennij spatio amittatur; ideóque extendendum non esse ad alia, quibus talis conditio neque ex iure scripto, neque ex consuetudine annexa est. 22

VI. Priuilegia negatiua, quæ alijs onerosa sunt, v. g. exeptionis à decimis, iurisdictione Ordinarij, per actum contrarium duobus modis amitti possũt: Primò per præscriptionem, si post actum contrarium seu contrauentionem priuilegij sine protestatione factam, elabatur tempus legitimum, ad præscribendum sufficiens: puta si aliquis exemptus, iudicio Ordinarij se sistat, ex eo tempore incipit Ordinarius esse in quasi possessione iurisdictionis, quæ possessio decennij spatio cũ bona fide continuata præscriptionem absoluit: qua de re Suarez lib. 8. de legib. cap. 34. num. 20. Alter modus est per tacitam renũtiationem: Nam in externo foro præsumitur iuri ac priuilegio suo renuntiare, qui sine necessitate cogente actum ei contrarium exercet: vt si exemptus Ordinarij iudicio sponte se sistat. Quæ est communis doctrina Glos. & Abbatis in cit. cùm accessissent, num. 7. & Glos. in c. gratum de offic. delegati, Syluest. ver. priuileg. quæst. 11. argumen. cit. cap. cùm accessissent, & cap. ex ore, de his, quæ fiunt à Prælatis. 23

Cæterùm quia hæc decisio in præsumptione renuntiationis fundatur, ideo si priuilegiatus, actum contrarium exercens non habuit animum priuilegio simpliciter renunciandi, sed solùm quoad illum actum, in conscientiæ foro priuilegium non amittit. Imò neque in externo foro amittere debet, si constet, vel ex iudicij colligi possit animum simpliciter renuntiandi abfuisse: nisi insuper etiam legitimæ præscriptionis tempus, cum priuilegiati taci-

turnitate, decurreret. Quæ est sententia Suarezij cap. 35. & probatur ex l. voluntariæ, Cod. de excusat. tutorum, in qua secundùm interpretationem Salyceti definitur; Si aliquis priuilegium obtinuit, ne ad tutelam suscipiendam cogi possit, etsi vnam sponte susceperit, non ideò ad alias suscipiendas compellendum esse. Vnde regula rubricæ est *Per vnum actum contrarium non perdit aliquis priuilegium, habens effectum reiterabilem & successiuum.* Deinde priuilegia concessa principaliter in fauorem Ecclesiæ, alteriúsue Communitatis, non possunt tolli per renuntiationem particularium personarum, v. g. Prælati, Cleri: nisi superueniat tempus præscriptionis legitimum, sicuti notat. Abb. in c. cùm accessissent, num. 8. de constitut.

Id quoque certum esse debet, priuilegia absoluta, & nulli præiudicantia, v. g. non ieiunandi, per actum contrarium non tolli. Quia priuilegium minimè obstat, quò minùs aliquis ex libera voluntate oret, ieiunet, &c. sine priuilegij præiudicio, sicut suprà dictum est.

24 VII. Amittitur priuilegium per abusum: cùm quis ex priuilegio peccandi occasionem sumit: aut fini, ob quem priuilegium concessum est, directè repugnat. Qua de re Suarez lib. 8. de leg. cap. 36. num. 3. Plerumque tamen non amittitur ex ipsa rei natura: sed vel iuris constitutione, quo pacto v. g. in cap. vlt. de immunit. Ecclesiæ statuitur, eos, qui in Ecclesia vel cœmiterio delinquunt, Ecclesiastica immunitate non gaudere. Vel per Iudicis sententiam, quo sensu dixit Simplicius Papa epist. 2. ad Episc. Rauennatis, & refertur d. 74. cap. vbi, *Priuilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate* & videri potest Glos. reg. 16. in 6. Interdum tamen amisso priuilegij per se & ex natura rei consequitur, cùm ratio & fundamentum priuilegij per abusum tollitur: si v. g. alicui beneficiato seruitium Ecclesiæ commutatum sit in studium literarum: ipse autem in Academia nullo modo studeat, sed alijs actionibus inutilibus se occupet, non faciet fructus suos: quia fructus in absentia dantur ratione studij: cessante autem causa finali, cessat effectus. Ita docet Suar. l. c.

25 Denique per reuocationem concedentis, eiúsue successoris, extinguuntur priuilegia, quæ merè gratiosè ad operandum aliquid præter ius commune subditis data sunt. Quæ est communis Doctorum sententia in cap. nouit, de iudicijs, Glos. in cit. regulam 16. Syluest ver. priuilegium, quæst. 10. dicto 7. Si tamen Superior concedentis priuilegium sua autoritate confirmarit, non potest deinde ab inferiore reuocari: dummodo satis colligatur ex confirmatione, quòd superioris mens fuerit, priuilegium ad suam potestatem reuocandi; non autem priuilegium ad inferiore validè datum sua autoritate accidentaliter tantùm, siue ad melius esse (vt aiunt) approbandi, ne ab aduersarijs oppugnari possit, sicut docet Suarez lib. 6. de legib. cap. 26. & lib 8. cap. 37. num. 13.

Dixi autem primò, reuocari posse priuilegia subditis data: Quæ verò non subditis concessa sunt priuilegia, reuocari postea non possunt, sicuti docent Glos. cit. Innoc. in cit. nouit, ibid. Abb. num. 23. & in c. suggestum, de decimis, in fine. Quia postquam acceptata sunt, transeunt in pacta, quibus propriè dictum ius acquiritur: talia sunt priuilegia, quæ Imperatores, aliiq; principes Ecclesiæ concesserunt. Secundò dixi reuocari posse quæ gratiosè data sunt: Quæ enim etiã subditis data sunt in præmium seu remuneratione meritorum aut cum adiuncto onere, talia non nisi ex graui causa ad bonum publicum pertinẽte reuocari possunt; & quidem cum aliqua compensatione iuris ablati, sicuti docent DD in c quæ in Ecclesiarũ de constitut. Nauar. c. quando, de rescript. except. 20. n. 10. Tertiò dixi reuocari posse priuilegium præter ius commune datum: Rectè enim notat Suar. lib 8. c. 37. n. 7. Aliud esse priuilegium consistens in mera facultate aliqui præter ius commune operandi, sine iuris translatione: & tale subditis per reuocationem auferri posse. Aliud verò esse priuilegium consistens in absoluta donatione seu trãslatione alicuius iuri: vt cùm alicui conceditur castrum, ius vectigalis, iurisdictio in prima instantia: & tale priuilegium, cùm transeat in pactum, absque grauiore causa Princeps reuocare non potest. Vide etiam Abb. in cit. c. nouit, num. 26

Porrò, reuocatio priuilegij duplex est: vna expressa, & altera tacita. Expressa vel fit in specie: vel per clausulam, generalẽ *Non obstantibus quibuscunq; priuilegijs*. Per quam tamen clausulam non censentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continẽtur; nisi eorũ quoq; clausula derogatoria exprimatur, sicuti notauit Glos. in Authẽt. Qua in prouincia, C. de criminibus, &c. verbo *illic omni priuilegio.* Cùm enim correctio iuris vitanda, & non facilè præsumẽda sit, ideo ius generale posterius nõ tollit prius speciale, si ob specialem aliquam rationem exceptum videri possit, vti Nauar. & Rodriq. ll. cc. notârunt. Accedit, quòd Princeps iura omnia etiã specialia, quæ in corpore iuris continentur, nosse credatur, cap. 1. de constit. in 6. Quare credendum est, si eiusmodi ius speciale per generalem derogationem tollere vellet, eius specialem mentionem facturum. Sic Cistercienses Monachi ex c. cũ ordinem, de rescript. id ius obtinent, vt nullo rescripto Papali, contra eorum priuilegia impetrato, teneantur, nisi in eo specialis mentio Ordinis fiat. 26

Deinde neque priuilegia in corpore iuris non contenta per clausulam illam generalem reuocantur, quibus insertum est, quòd sublata censeri non debeant, nisi specialis eorum mentio fiat. Reuocata tamen etiam ista censebuntur, si plenissima derogatio fiat, per quam voluntas derogantis sufficienter significetur, v. g. *Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, sub quacunque verborum forma conceptis.* Vel, *etiam si de verbo ad verbum debeat de illis mentio fieri* sicut docet Abb. c. cum instantia, de censib. num. 5. Syluest. ver. priuilegium, quæst. 10. dicto 6. Suarez lib. 8. cap. 38. num. 2.

Tacita priuilegij reuocatio fit per actum Principis cõtrarium: dummodo præsumi possit, eum scire & recordari antè concessi priuilegij, argument. l. idem Vlpianus, §. sunt & alij, ff. de excusationibus. Quod ad priuilegiorum tacitam renuntiationem attinet, hæ regulæ traduntur: Prima: Per legem vniuersalem non derogatur priuilegijs, in corpore iuris non contentis, nisi eorum specialis mentio fiat. Sumitur ex cap. 1. de constit. in 6. vbi dicitur, constitutionem Romani Pontificis derogare priori, cui contraria est, quamuis de ipsa mentio non fiat; non verò derogare specialibus legibus & consuetudinibus. Ratio ibi affertur; Quia iura omnia in pectore suo Pontifex habere censetur; iura autem specialia probabiliter ignorare potest. 27

Altera regula. Priuilegium prius concessum, non tollitur per rescriptum, vel priuilegium posterius, quod videtur contrarium, nisi illius specialis mentio fiat. Sumitur ex c. veniens, de præscription. vbi id notat Glos. ver. nullam, & alia Glos. in c. quoniam, d. 18. Abb. & alij Canonistæ in cap. 1. & c. cùm ordinem, de rescriptis. Ratio est; Tum quia posterius rescriptum, aut priuilegium censetur processisse ex ignorantia prioris, sicuti habetur in cap. ex parte, 1. de offic. delegati. Tum quia posterius priuilegium impetratum cum taciturnitate prioris, cui contrarium est, subreptitium iudicatur, teste Gl. vlt. in cap. 1. de rescript.

Limita hanc regulam I. Nisi prius priuilegium in corpore iuris contentum sit, ac proinde Principi cognitum censeatur. Limita II. Nisi prius priuilegium generale sit; posterius verò speciale: tunc probabilius est, priori ex parte derogari, iuxta regulam 34. in 6. *Generi per speciem derogatur;* siue ea antecedat, siue sequatur, ait Glos. ibid. Quæ regula sumpta est ex reg. 90. ff. *In toto iure generi per speciem derogatur: & illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est.* Atque ita docet Syluest. cit. quæst. 10. dicto 6. Suarez

6. Suarez c. 39. num.7.& rubrica in cap.1. de rescript. & videtur expressè decisum in c.dudum, §. nos igitur,&c. quamuis tibi, de præb.in 6. in quibus habetur: Si Papa alicui facultatem dedit vacantia beneficia in aliqua Ecclesia suo nomine conferendi: & postea specialiter beneficiũ in eadem Ecclesia primò vacaturum conferri certæ personæ rescripsit: posterius rescriptum executioni mandandum esse. Nam primæ generali gratiæ, ait Papa in cit. c. quamuis, derogat posterior specialis,licet de illa non fecerit mentionem. Ratio est,quia Princeps gratiam generalem eo animo ac voluntate concedere censetur, vt sẽper sibi integrum maneat, occurrente casu illi derogare per gratiam specialem. Id verò sublimitandum: Nisi virtute primi priuilegij generalis, tertiæ personæ ius acquisitum fuerit: vt si Papa alicui concesserat omnes decimas alicuius Parochiæ: tunc enim præsumendum non est, Principem per posterius speciale priuilegium, sine maiore examinatione causæ, præiudicium afferre voluisse, teste eodem Abb. in cap.1.num.10. de rescript.& c.veniens, num. 12. de præscript. argument.c.ex tua, de filijs presbyt.vbi Papa fecerat potestatem Archiepiscopo Eboracensi dispensandi cum filijs Presbyterorum, vt liceret eis retinere beneficia, quæ ipsis contra canonum præcepta immediatè post suos parentes collata fuissent: postea verò aliquibus supplicantibus concessum fuerat, vt dictis Presbyterorum filijs eiectis, ipsi in Ecclesiis instituerentur: causa ista ad Papam relatā respondit Archiepiscopo: *Si per priores literas cum aliquibus Clericis dispensasti, dispensationem tuam posteriorum literarum intuitu nolumus irritari.*

28 Porrò reuocatio priuilegij, sicuti & indulgentiarum personæ, loco, aut rei alicui concessarum, item delegatæ iurisdictionis, alteriúsue facultatis, non antè vim suam obtinet, quàm priuilegiato aut delegato reuocatio innotuit: cùm alioquin plurima incommoda oriri possint, sicuti ex communi docent Henriq.libro 7. cap. 20. numero 1. Salas de legib. disput.12.sect.2.Sanchez lib.3. de matrimon. disput.30. qui addit num.12.non sufficere casualem aliquam notitiam reuocationis, sed opus esse vt ad priuilegiatum, vel delegatum aliquo modo destinata sit. Nam per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissoluitur: Priuilegium autem vim suam erga absentem obtinere incipit per destinationem nuntij, epistolæ, & c. ergo simili etiam modo reuocari & tolli debet. Quod tamen improbat Suarez libro 8.cap. 40. Quia faciliùs res destruitur, quàm acquiritur:& ad reuocationem non requiritur consensus & acceptatio priuilegiati, sicuti ad acquisitionem requiritur. Illud verò certum est, ad indulgentiæ, alteriusue priuilegij reuocationem, quæ per legem communem fit, haud opus esse, vt ea priuilegiatis singulis innotescat: satis est, si legitima promulgatio facta sit, vt in publicam notitiam deuenire possit, sicuti suprà etiam dixi cap.2. huius tract. & notauit Salas lib. cap. Sa ver. gratia, num.17. Tunc enim si aliqui adhuc ignorent, per accidens id censeri debeat, sicuti etiam docuit Suarez numero 4.

CAP. XXIV.

De consuetudine.

SVMMARIVM.

1 *Consuetudo est ius quoddam moribus constitutum.*

2 *Ad ius consuetudinis introducendum quatuor requiruntur: I. actus liberè à populo frequentatus. II. Temporis diuturnitas. III. Scientia & tacitus consensus potentis legem condere. IV. Vt frequentetur actus tanquam ex obligatione.*

3 *Triplex est consuetudo: Vna secundùm legem: altera præter legem, quæ & iuris constitutiua dicitur, tertia contra legem.*

4 *Consuetudo contra legem, quæ & desuetudo dicitur, vt legem vincat & abroget, rationabilis esse debet, & legitimè præscripta.*

5 *Qui legem condere non possunt, interdum tamen legem per diuturnam contrariam consuetudinem abolere, seu aduersus eam præscribere possunt.*

9 *Ad præscribendum contra legem ciuilem ordinariè decennium requiritur: aduersus Ecclesiasticam verò 40. annorum spatium.*

7 *Si lex resistat consuetudini introducendæ, non potest ea præualere: nisi immemorialis sit.*

8 *Si lex non prohibeat tantùm, sed etiam reprobet consuetudinem, tanquam irrationabilem, intelligitur quoque immemorialis.*

9 *Regula illa, Quæ sibilia priuilegio, sunt etiam, quæ sibilia per cõsuetudinem, saltem immemorialem locum non habet, si consuetudo vt irrationabilis damnata sit.*

10 *Consuetudo aduersus legem procedere potest, legislatore ignorante.*

11 *Ad præscribendum contra legem, seu introducendam consuetudinem aduersus legem, bona fides requiritur.*

12 *Consuetudo etiam in sacramentalibus aduersus ius commune introduci potest: si in sacris canonibus reprobata non sit.*

13 *Impedimentum matrimonii dirimens per se desuetudinem tolli potest: non autem nouum impedimentum per consuetudinem introduci, ignorante Summo Pontifice.*

14 *Consuetudo cœpta, & nondum consummata vnico actu contrario interrumpitur.*

15 *Consuetudo abrogatiua legis species quædam est præscriptionis.*

COnsuetudo definitur ab Isidoro lib.5.Etymol. cap. 3. relato in c.5.d.1. *Ius quoddam, moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Circa quam definitionem notandum est primò, quòd duplex est consuetudo: Vna facti,& altera iuris. De consuetudine facti loquitur idem Isidorus cit. c. 3. *Vocata est consuetudo, quia in communi vsu est.* Et clariùs S. Thom.in 3.d.23. quæst. 1.a. 4.ad quæst.2. quod consuetudo sit frequentia operandi liberè eodem modo. Consuetudo autem iuris, quam initio definiui, est quasi altera lex, parem obligandi potestatem obtinens, sicuti habetur in l.de quibus, 32. ff. de legib. *Inueterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur: & hoc est ius, quod dicitur moribus constitutum.* Et in libro seq. *Diuturna consuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, obseruari solet.* 1

Notandum secundò. Consuetudo, quatenus pro iure accipitur, ortum & constitutionem suam accipit à consuetudine facti quatenus idem est, quod mos populi, id est, actus publicitùs frequentatus.

Notandum tertiò. Non ex omni populi more, consuetudine, seu actuum libera frequentatione oritur ius: sed imprimis requiritur, vt mos ille rationabilis sit, & Reipublicæ vtilis, Fidei ac Religioni congruens; deinde vt non fiat ex legis antecedentis obligatione: cùm potiùs tendat ad noui iuris introductionem. Atque hoc est, quod Isidorus ait: Ius ex moribus populi ortum, *pro lege suscipi, cum deficit lex.* Consentit libro 30. citato *De quibus causis scriptis legibus non vtimur, id custodire oportet, quod moribus & consuetudine inductum est.* Et Tertulianus in lib. de corona militis: cap.4. *Consuetudo in ciuilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

Igitur ad ius consuetudinis introducendum quatuor requiruntur: I. est, Actus liberè frequentatus: requiruntur autem tot actus, & ita notorii seu manifesti, vt probabiliter in populi notitiam deueniant, sicuti docet Abbas in capite vltimo de consuetudine numero 17. & 19. vbi notat, si actus perpetuitatem habeat, vnicum sufficere posse: vt cùm pons publico loco ædificatus à populo toleratur. Vide de hac re Ioann. Fabrum titulo Iustit. de iure natur. gent. & ciuili, §. ex non scripto, Mynsingerum cent. 6. obseru.41. Syluest. verb. consuetudo, quæstione 4. Ioann. Salas de legibus. disput.19. sect. 8. 2

II. est Temporis diuturnitas seu longitudo, sicuti ha-

betur in l.35.ff.de legib. *Sed & ea,quæ longa consuetudine approbata sunt, & per annos plurimos obseruata, veluti tacita ciuium conuentio: non minus, quam ea, quæ scripta sunt iura, seruantur.* Est autem longum tempus ciuili iure decennium, iuxta tit.C.de præscript.longi temporis.

III. est, Scientia & tacitus consensus potentis legem condere, sicuti constat ex cit.l.35. & ex communi docet Abb.cit.c.vlt.Suarez lib.7.de legib.c.2. Nam in eo differunt lex seu statutum, & consuetudo; quòd in illo expressus consensus, in hac tacitus interueniat. Quapropter, si ipsemet populus legem siue statutum condere possit, tacitus ipsius videntis, & non contradicentis consensus autoritatem consuetudini præstabit; dummodo tamen, si non consentire vellet, contradicere posset. *Quid enim interest*, dicitur in cit.l.32.ff.de legibus *suffragiis populus suam voluntatem declaret, an rebus ipsis & factis?* Sin autem populus legem condere non possit, tunc neque ius consuetudinis propria autoritate introducere potest; quia consuetudo est species iuris seu legis: *à quo* autem *remouetur genus, ab eodem & species.* Quare hoc casu requiritur tacitus consensus siue approbatio Principis seu Superioris, à quo populus dependet: Tacitè autem consentire & approbare Princeps censetur, si sciens populi morem, cùm posset prohibere, longo tempore toleret, sicuti docet S.Th.1.2.q.97.a.3.ad3. Medina ibid. Syl.ver.consuetudo, q.3. Ioan. Salas tr.de legib.disp.19.s.11. Ex quo colligitur: Neque Prouinciales Bauaros v.g sine consensu saltem tacito Ducis sui in rebus politicis; neque Diœcesanos sine consensu Episcopi circa festa, ieiunia, &c. consuetudinem vim legis obtinentem introducere posse. Obiter autem hîc aduerte, licet ad introducendam legem per consuetudinem populi, cum tacito consensu Principis requiratur tempus decennij, minus tamen tempus requiri ad abolendã legem per consensum Principis tacitè approbantis consuetudinem contrariam: quia in priore casu agitur de obligatione imponenda, quod magis odiosum est.

IV. est, Vt actus à populo, vel maiore parte populi frequentetur quasi ex obligatione, seu potiùs animo introducendæ obligationis, sicuti ex communi notauit Gl. in cit.c.vlt.de consuet. ib.Ab.n.17. Suar.lib.7.de leg. c. 14. n.5. Mol.t.1.tr.2.de iust. disp. 77. Nam si populus temporis diuturnitate opus aliquod frequenter, v. g. in Capite quadragesimæ cinerem benedictum accipiat, ad campanæ pulsum salutationem Angelicam ter recitet, ex libera pietate ac deuotione; non ideo nascitur iuris necessitas sub peccato obligantis: esto aliqui sint, qui tali obligatione se teneri falsò sibi persuadeant. Qua de re Su.r.l.7.c.14. n.5. Ioan.Salas tr.de leg.dis.19.sect.11.n.92. Bellar. l.4. de pontif.c.18.§.ad id, quod.

3 Porrò cùm triplex sit consuetudo, sicuti notauit Abb in cit.c.vlt.de consuet.n.20.in fine: Secundùm legem, præter legem, & contra legem: Sciendum est, suprà traditam ex Isidoro definitionem, & assignatas conditiones propriè tantùm conuenire consuetudini, quæ est præter legem: quia hæc sola iuris constitutiua est, per tacitum consensũ, vbi lex scripta, seu per expressam voluntatem promulgata, deficit. Nam quod attinet ad consuetudinem secundũ legem, (de qua sermo est Lucæ 2. *Vt facerent secundùm consuetudinem legis pro eo*) illa supponit legem scripto, vel verbo præexistentem, quam consuetudo approbat, confirmat, interpretatur, teste Gratiano super c.in istis, dist.4. *Leges instituuntur cùm promulgantur: firmantur, cùm moribus vtentium approbantur.* Et l.37.ff.de legib. *Si de interpretatione legis quæratur, imprimis inspiciendum est: quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa fuit. Optima enim est legum interpres consuetudo.* Quare dictum Gl.& Doctorum in c. sopitæ, de censibus, Quod *duplici iure fulcitur is, cui lex & consuetudo assistit*: non ita accipiendum est, quasi legis per consuetudinem confirmatæ duo vincula, vel distincta iura sint: sed vnum, id verò firmius, ac magis indubitatũ, quippe virtualiter quasi ex duplici iure compositum sicuti notauit Suarez cit.l.7.c.4.n.15.& colligitur ex doctrina Gl. communiter receptæ in c.1.de constit.in 6. apud Abbatem in cit.c.vlt.num.21. Quòd *sublato iure communi, tollitur etiam statutum particulare: itémque consuetudo introducta secundùm idem ius.*

Insuper hîc duo addenda sunt: Primum ex Suarez cit.l. 7.c.17.num.3. Legem, cuius intellectus dubius est, quandoque interpretationem accipere à consuetudine, tanquam ius nouum constituente. Quemadmodum enim authentica interpretatio legis quasi noua lex est: ideóque ad eundem pertinet legem ferre, & legem dubiam interpretari, iuxta l.1.C.de legibus. Ita etiam de consuetudine dici debet, sicut habetur in l.38.ff.eod. *In ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiscuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter iudicatarum autoritatem, vim legis obtinere.* Quibus posterioribus verbis indigitatur *Stylus curiæ* (vt vocant) id est, ius non scriptum, ex actibus iudiciarijs ortum, quod sub iure consuetudinis continetur, tanquã species sub genere, sicuti colligitur ex l. vlt. in fine C. de iniuriis. Quare necesse etiam est, vt in tribunali sæpiùs ita iudicatum sit, tanquam ex obligatione, siue animo introducendæ obligationis, sicuti notauit Vasq. 1. 2. disp. 177. in fine.

Alterum. Consuetudinem non esse tantùm comprobatricem & confirmatricem legis scriptæ: sed etiam nõ scriptæ, & verbo tantùm traditæ, sicuti expressè docet Tertul. in lib. de corona militis, c.3. *Hanc* (traditionem) *si nulla scriptura determinauit* (potest enim traditio tam scripto, quàm sermone fieri, sicut apertè ait S.Paulus 2. ad Thessal.2.) *certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit.* Et c.4. *Traditio tibi prætenditur auctrix consuetudo confirmatrix.* Istud tamen rectè addit Suarez ci. l.7.c. 4. n.11. Quasdam esse consuetudines Ecclesiasticas, etiam vniuersales, v.g. sacramentales ceremonias, quæ à nulla expressa lege, scripta aut tradita, Diuina, aut Apostolica seu Ecclesiastica promanarunt; sed solo tacito Ecclesiæ Pastorum consensu introductæ & continuatæ fuerunt; quarum ipsarum si nullum omnino initium reperiatur, sed semper in Ecclesia retentæ legantur, Apostolorum tẽpore incepisse, rectè creditur, secundùm regulam S.Aug. l.4.de baptismo paruulorum, c.24.

Quòd verò attinet ad consuetudinem contra legem: per illam propriè non constituitur ius, sed tollitur: quare non tam ius consuetudinis dici debet: quàm ius desuetudinis De ea mentio fit in c.vlt.de consuetud. *Licet longæuæ consuetudinis non sit vilis autoritas: non tamen est vsque adeo valitura, vt vel iuri positiuo debeat præiudicium generare: nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Ex quibus verbis colligitur, duo esse necessaria, vt contraria consuetudo legem vincat & abroget: Videlicet, vt sit rationabilis: & legitimè præscripta: neque præter hæc aliud requiritur; cùm neque iura plus requirant, sicuti benè notauit Abbas cit.c.vltim.num.7.& Rosell.verb.consuetudo n.5. 4

Quòd ad primum horum attinet, valde dissentiunt Doctores apud Abb. cit.c. vlt. quænam dicenda sit consuetudo rationabilis, & quæ irrationabilis, seu corruptela, sicuti appellatur in c de consuetud. in 6. Mihi placet doctrina Rochi in c.vlt de consuetud.num.26 Suarez cit. l.7.cap.6.num.10.&13.& cap.18.num.10. Azor.t. 1. l. 5. c. 17.q.5.in fine, neque repugnare videntur Nauar.in comment.de spoliis Clericorum, §.14.num.7. Iacob.Menoch. de arbitrariis quæstion.lib.2.casu 82. Eam consuetudinem irrationabilem esse, quæ vel iuri naturali aut diuino aduersatur, vel iure canonico reprobatur: vel peccandi licentiam aut occasionem præbet: vel alia ratione communi vtilitati perniciosa est, aliæ autem omnes consuetudines rationabiles esse possunt. Probatur autem hæc doctrina primò generatim: Nam talia, quæ nec diuino iuri aduersantur, neque legibus reprobata sunt, neque publico bono incommodant, ea indifferenter se habent, sicuti loquitur S. Au-

S. August. epist. 118. c. 1. ad Ianuarium, & epist. 119. ca. 18. Ergo sicuti occurrente aliqua ratione & causa, per humanam legem vel consuetudinem introduci & statui possunt ita etiam, & quidem faciliùs occurrente alia aliqua ratione, per contrariam legem aut consuetudinem iterum tolli seu abrogari possunt. Dixi autem *facilius*; Quia, vt Suar. notauit cit. c. 18. num. 9. ad iuris introductionem requiritur positiuè, vt ad publicam vtilitatem conferat: ad eiusdem verò abrogationem sufficit, vt publicæ vtilitati non aduersetur.

Secundò speciatim probatur: Imprimis consuetudinem contra ius naturæ introduci non posse, ex eo constat: quia ius naturale immutabile est. Deinde, nec contra ius positiuum diuinum consuetudinem præualere posse, ex eo patet: quia homines, cùm inferiores sint, non possunt tollere legem Superioris Dei. Quare passim reprehendūtur consuetudines, seu traditiones legi diuinæ repugnantes, Matth. 15. *Quare & vos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem vestram?* Item Marci 7. Ad Coloss. 2. Præterea, quòd consuetudo, quæ iure præsertim canonico, reprobata est tanquam irrationabilis, aduersus legem dominari non possit, constat ex c. cùm venerabilis, de cons. in fine, & c. 1. eod. in 6. quibus locis talis consuetudo corruptela appellatur, quæ sacris canonibus est inimica. Denique, quòd consuetudines, quæ peccandi occasionem, vel periculum præbent, vel alia ratione bono communi incommodant, irrationabiles censeri debeant, colligitur ex c. 1. & c. ex parte, de consuet. vbi regulam tradunt Doctores: *Non valere consuetudinem, qua aliquis inducitur ad peccandum, vel bona propria dissipandum.* Huiusmodi etiam consuetudines essent, *vt liberi spurii æquè ac legitimi hæredes instituantur: vt homicidæ pœnarentur tùm pecuniaria puniantur, &c.* Tametsi enim talia quandoque licitè & sine Reipubl. detrimento fieri possint: obligatio tamen, vt ita necessariò fiant, non potest esse Reipubl non pernitiosa, sicuti notauit Suar l. 7. c. 6. n. 10.

Corollarium. Non videtur consuetudine introduci posse, vt pater nullam omnino hæreditatis portionem filijs relinquere cogatur: quia talis consuetudo in vniuersim introducta, irrationabilis esset, bono publico incommodans, argum. l. cum ratio, ff. de bonis damnatorum. Dico *ita vniuersim*: at verò ob certam causam introduci, aut lege statui poterit, vt v. g. pater liberis diuitibus nihil relinquere teneatur: item vt in nobilibus familijs omnia primogenito relinquantur, ad quem deinde spectet fratribus ac sororibus prouidere, ne egeant. Vide Cou. p. 2. ep. c. 8, §. 6. n. 5. Gail. l. 2. obseru. 122. n. 12.

Quòd ad alterum attinet; videlicet præscriptionem cōsuetudinis; est QVÆSTIO PRIMA. Quo sensu dicantur consuetudo præscripta. Respondeo ex doctrina Ab. in cit. c. vlt. num. 7. Rocho Curtio sect. 3. num. 2. Ideo sic appellari, vt distinguatur à consuetudine facti, quæ imperfecta est, ac veluti via ad præscribendum aduersus legē.
5 Etenim consuetudo iuris, quæ legem tollit & abrogat, debet esse perfecta & completa; vt proinde aliud non sit consuetudinem legitimè præscriptam, quàm eius præscriptionem aduersus legem legitimè perfectam esse. Rectè autem notat Abbas, discrimen esse inter populum qui leges condere, & abrogare potest, (qualis olim erat populus Romanus) & populum qui tali potestate prȩditus non est, sicuti nunc clerus, aut populus Christianus contra canones statuere nihil potest. Nam illi præscriptione aduersus legem non indigent: cùm eam directè tollere possint, vel expresè contra eam statuendo, vel tacitè abrogando per diuturnam consuetudinem, iuxta l. de quibus, ff. de legibus. *Quid interest suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissimè etiam illud receptum est, vt leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiā tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Quin verò legem v. g. canonicam directè per consensum suum tollere non possunt: ijs necessaria est præscriptio aduersus legem, ex ipsius legislatoris seu Principis voluntate vim & autoritatem capiens. Sic v. g. Inferiores Papá, licet contra iura canonica statuere prohibeantur; interdum tamen per consuetudinem ius canonicum tollere possunt: Exempli causa, Vt canonici in sui receptione aliquid dent ad fabricam Ecclesiæ applicandum, repugnat quidem cap. ex multis, 3. quæst. 1. sed nihilominus ex iusta causa per priuilegium Papæ permitti, ideóque etiam per consuetudinem legitimè præscriptam introduci potest, sicuti annotauit Alex. de Neuo super Abb. in c. Iacobus, de simon. li. h.

QVÆSTIO SECVNDA. Quanto tempore opus sit ad complendam præscriptionem aduersus legem? Respondeo ex communi doctrina Gloss Abb. Rochi, & aliorum in cit. c. vlt. Syl. ver. consuetudo, quęst. 2. & 4. Angel. §. 8. Armillæ num 5. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 77. Azor cit. libro 5. c. 4. quęst. 4. Cordubæ lib. 1. quæstionarii, q. 12. a 4. Suar. l. 7. c. 8. num. 7. Ordinariè requiri decennium ad præscribendum contra legem ciuilem: quadraginta verò annos aduersus Ecclesiasticam. Ratio est: Quia ad præscribendum aduersus legem requiritur tempus longum: tale autem ciuili iure censetur esse decennium. Sed aduersus iura Ecclesiastica ordinarium præscriptionis tempus censetur esse annorum 40. arg. c. de quarta, & c. ad aures, de præscript. Et hanc esse communem doctrinam fatetur Menochius de arbitrar. q. l. 2. casu 85. 6

Dixi autem *ordinariè*: Quia tempus etiam lōgissimum sine titulo non sufficit ad præscribendum aduersus legem, si lex præscriptioni seu contrariæ consuetudini resistat, arg. c. 1. de consuet. in 6. & c. 1. de prescript. eod. Nam vt infrà dicam, præscriptio ex legislatoris seu Principis voluntate vim suam accipit: ergo eo resistente procedere nō potest. Quare hanc regulam tradunt Innoc. & Abb. num. 5. in cit. c. vlt. *Consuetudo contra legem non valet, si lex resistat.* Etenim cogitandum est, quòd consuetudo facti contra legem, sit quasi possessio iuris tendentis ad abolendam legem viâ præscriptionis: licet autem legum latores ordinariè talem consuetudinis præscriptionem aduersus legem præualere permittant temporis diuturnitate: interdum tamen non permittunt, sed expresè prohibent aduersus legem, aliquam consuetudinem introduci posse. 7

Tunc verò restat quæstio, an saltem consuetudo immemorialis, id est, cuius initii nulla memoria extat, contra talem legem præualere possit? Respondeo, & dico I. Si lex derogatoria consuetudinis vtatur clausula illa generali, *consuetudine qualibet contrario non obstante*, & nihil aliud exprimat, aut significet, videtur tantùm tollere consuetudines existentes: non item se extendere ad futuras: ideóque nihil obstat, aduersus talem legem, etiam receptam, postea præscribi. Exemplum huius habemus in Clem. statutum, de elect. vbi id notat Gl. ver. consuetudine, Suar. lib. 7. c. 7. nec dissentire videtur Syl. vel consuetu do, numero 10.

Dico II. Si lex generali clausula prohibeat quamcunque consuetudinem contra legem introduci: & nihil aliud exprimat aut significet non censetur tali prohibitione comprehensa consuetudo immemorialis. Ita docet Ab. in c. vlt. n. 35. de præscript. Cou. 3. resol c. 13. n. 5. Mascardus de probat. concl. 1571. n. 45. Nam talis consuetudo maiorem vim & autoritatem habet, quàm aliæ consuetudines, arg. l. hoc iure, §. aquæ ductus, ff. de aqua quotidiana & æstiua. Ergo necesse est, vt ei specialiter & expresè per legem derogetur.

Imò verò plus docent Nau. in comment. de spoliis, §. 14. num. 8. Vasq. 1. 2. disp. 177. c. 8. Suar. lib. 7 c. 19. num. 21. Azor t. 1. lib. 5. c. 17. quæst. 10. Si lex simpliciter prohibeat consuetudinem introduci, sed tanquam irrationabilem non damnet: nihilominus contra eam ordinario cursu præscribi posse: ideóque fateri coguntur hi Doctores, huiusmodi clausulam prohibitoriam consuetudinis futuræ tantummodo ad Iudices dirigi, vt ne patiantur talem

consuetudinem aduersus legem introduci. Hæc tamen sententia non placet, si loquamur de præscriptione propriè dicta, quæ Principe etiam nesciente aduersus legem perficitur. Certum enim est, quòd Princeps seu Legislator talem præscriptionem inhibere eique resistere possit: velle autem ei resistere, satis declarat cum ait, *nolumus aduersus hanc legem vllam contrariam consuetudinem procedere; aut vllam præscriptionem præualere posse*. Cæterùm nemo negat, quin talis etiam lex, sicut alia quæcunque per contrariam consuetudinem tolli queat, in duobus casibus: I. Ob rerum mutationem seu superuenientem nouam causam à legislatore non præuisam, argum. l. per hominem ff. mandati. Vnde colligit ibidem Bartolus & Abb. in cit. c. vlt. num. 24. Syl. ver. consuetudo, q. 10. Rodriq. t. 1. regul. qq. q. 69. a. 4. *Ex causa noua vrgente, & non præuisa à canonis autore, posse fieri statutum contra canonem.* Quia licet tale statutum sit contra verba canonis; non tamen contra mentem autoris eius. Item *delegatum generalem, occurrente casu non præuiso à delegante, posse prohibere delegato speciali, ne in commisso sibi negotio procedat: licet alioquin delegatus specialis in negotio suo speciali vincat generalem* c. studuisti, de offic. delegati.

II. Si Princeps consuetudinis conscius eam non prohibeat, cùm prohibere possit: censetur tacitè abrogare legem suam. Verùm hæc non est propriè dicta præscriptio aduersus legem: sed tacita reuocatio legis.

8 Dico III. Si lex, præsertim canonica, non prohibeat tantùm, sed reprobet ac damnet consuetudinem, tanquam irrationabilem: intelligitur etiam de immemoriali. Ita ex communi docet Couarruu. 3. resol. c. 13 num. 5. Abb. cit. c. vltim num. 15. Rochus Curtius ibid. sect. 4. num. 29. Tiraquell. lib. 1 de retract. §. 2. Gloss. 2. num 25. & alij suprà citati. Sumitur apertè ex c. 1. de consuetud in 6. vbi corruptela appellatur consuetudo etiam immemorialis, quòd aliquis sine Sedis Apostolicæ dispensatione duos personatus, dignitates, vel officia perpetua, vnà cum canonia seu prębenda, in eadem Ecclesia obtineat. Ratio est, quia præscriptio aduersus legem consuetudine perfici debet; cùm consuetudo facti sit quasi via ad præscriptionem, siue consuetudinem iuris præscriptam. Ex quo sequitur, si consuetudo irrationabilis & iniqua iudicata fuit, non posse ex ea præscriptionem, siue consuetudinem iuris præscriptam oriri.

Excipiunt verò alicui, sicut videre est apud Rochum loc. cit. Nisi consuetudo aduersus legem introducatur cum scientia & patientia Principis. Quod licet verissimum sit, tamen non puto esse propriè dictam exceptionem à tradita doctrina. Nam si Princeps sciens, permittat consuetudinem aduersus legem introduci, cùm illam, si vellet, prohibere posset, tunc lex non propriè per præscriptionem, sed per tacitam Principis reuocationem abrogatur; vt proinde mirum non sit, neque legi imi temporis diuturnitatem, neque item bonam fidem requiri, vt paulò antè dixi, & postea iterum dicendum erit.

Sed hoc loco obiectio soluenda est: Nam quicquid per priuilegiũ aut dispensationem Principis obtineri potest: id etiam per consuetudinem temporis immemorialis introduci posse videtur: quia tanti temporis possessio, vel cõsuetudo facit præsumptionem tituli, seu priuilegij, sicuti colligunt Doctores ex capite 1. de præscriptionibus in 6. Ergo si versemur in casu, seu facto aliquo, quod non ita iuri naturali aut diuino repugnat, quo minùs saltem per summi Pontificis consensum ac priuilegium cohonestari possit, v. g. vt laici clericales decimas possideant, vt iurisdictionem aliquam in personas ecclesiasticas exerceant, vel ijs aliquam collectam imponant, vt in eadem Ecclesia duæ dignitates vna cum canonia obtineantur: sequitur in eiusmodi casibus etiam consuetudinem immemorialem introduci posse.

9 Respondeo: Id nullo modo concedendum: atque regulam illam, *Acquisibilia priuilegio sunt etiam acquisibilia consuetudine, aut præscriptione*, necessariò limitandam esse: nisi lex consuetudinem tanquam abusum & corruptelam improbet ac damnet, sicuti ex communi notauit Felinus in cap. accedentes, num. 15. de præscript. ibidem Abbas numero 3. & in cap. quanto, de consuetud. num. 2. & in c. vltim. eod. num. 15. Rochus sect. 4. num. 33. Aymon. Crauetta de antiq. tempor. p. 4. §. materia ista, num. 94. Suarez lib. 4. defens. fidei Cathol. c. 32. num. 12. Henricus canisius tract. de decimis, c. 13. num. 3. Mascardus cõclus. 1371. num. 32. & colligitur apertè ex cit. c. 1. de consuetud. in 6. Nam præscriptio locum habere non potest, si ius aliquem faciat incapacem possessionis, & inde consequentis præscriptionis: sicuti videre est in iure decimarũ, quod cum ex propria institutione sua Ecclesiasticum sit, in laicum cadere non potest, nisi ex speciali & legitima Ecclesiastici Prælati concessione, aut priuilegio, capite prohibemus, capite dudum, de decimis, capite causam quæ, de præscript. capite decimas 1, 16. quæstione 7. Ergo nisi aliquis cum præscriptione talis tituli possideat, nunquam potest præscribere: quia *incapax possidendi est etiam incapax præscribendi*, sicuti docent Gloss. Abb. Felinus, & alij communiter in cit. cap. causam. Sed hæc ratio similiter locum habet, quotiescunque iura aliquam consuetudinem, tanquam irrationabilem, damnant: nam hoc ipso reddunt eam inefficacem ad præscriptionem inducendam: vel quod eodem redit, vtentes tali damnata consuetudine reddunt iura inhabiles ad præscribendum aduersus legem: quandoquidem consuetudo, per quam præscriptio introducitur, rationabilis esse debet, ca. vltim. de consuetud.

Id tamen limitandum est primò: Nisi talis consuetudo scientia & libera patientia seu permissione Principis adiuuetur, sicut notauit Rochus loc. cit. & Abb. in cit. cap. accedentes, num. 3. Secundò: Nisi talis consuetudo præsumpto aliquo titulo iuuetur, v. g. constante fama priuilegij concessi, quod temporis diuturnitate amissum sit. Nam *fama dat iustam causam credendi*, ait Abb. cap. de quarta, num 10. de præscript. Tunc enim præscribens nõ fundatur in mera possessione, aut consuetudine: sed in titulo, ex quo capax fiat possessionis, consuetudinis, ac denique præscriptionis cum bona fide, sicuti præter alios notauit Creuetta l. c. & Mascardus conclus. 1371. nu 32. vbi ait; *Data incapacitate præscribentis, solus cursus temporis nihil potest operari, vt reddat capacem eum, qui incapax est: quare tunc opus est, vt allegetur titulus priuilegii, aut exemptionis: & ad probationem talis tituli sufficiet probare lapsum temporis, cuius initii memoria non extet.* Si nimirum testes adsint, qui dicant, semper fuisse constantem famam, & opinionem, tale ius alicui competere ex speciali concessione feudi, vel Pontificij priuilegij, eáque ratione & præscriptione iuris aliquem possidisse à tempore, cuius initij etiam ex auditu seu relatione maiorum, nulla sit memoria. quod etiam docet Felinus in cit. c. causam, Syluest. verb. decimæ, quæst. 10. dicto 2. Suarez tom. 1. de relig. tract. 2. lib. 1. de decimis, c. 27. M. Anton. Peregrinus de iure Fisci, libro 4. tit. 8. Antonius Gabrielius lib. 5. de præscript. concl. 1. num. 18. Corollarium, *Si sit incapacitas personæ ex iure positiuo proueniens, fortius est priuilegium, quàm consuetudo: Contrà verò, si non adsit incapacitas personæ, fortior est consuetudo, quàm priuilegium: quia illa etiam iuri tertii derogare potest*. Ita Crauetta l. c. n. 95.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum ad præscribendum aduersus legem Superioris, requiratur eius scientia & tacitus consensus? Respondeo, Nequaquam requiri: quæ est 10 verissima & communis sententia Gloss. c. in istis, d. 4. Ab. cit. c. vlt. num. 13 & in c. 1. de Treuga & pace num. 4. Rochi cit. sect. 4. num. 14. S. Anton. p. 1. tit 16. §. 2. Ioan. Maioris in 4. d. 15. quæst. 5 Ioan. Fabri tit. Instit. de iure natur. gent. & ciuili, §. ex non scripto, num. 8. Syl. verb. consuetudo, quæst. 7. Azor. cit. lib. 5. ca. 18. quæst. 7. Sanchez de matrim.

trim.lib.7.disp. 4.num. 12.&14.Ioan. Salas de legib. disp. 19.sect.4. numero 37. Suarez libro 7. capite 13. num. 7. & capite 18. numero 15. Nam vniuersim hæc vis præscriptionis esse solet, vt currat etiam contra ignorantem; alioquin vix vllæ particularium Ecclesiarum consuetudines aduersus iura Pontificia introductę censeri poterunt legitimæ; cùm Papa particulares locorum consuetudines se ignorare fateatur, cap.1.de constitut.in 6. Licet autem particulatim ignoret, ideóque ex eius speciali consensu consuetudo vim suam non obtineat: consentit tamen generatim, quando rationabili & diuturnæ consuetudini contra iura sua, generali lege autoritatem tribuit, cap. vlt. de consuet. Quamuis huic doctrinæ contradicat Vasq.1.2.dis. 177.c.2.n.19.

11 QVÆSTIO QVARTA. Vtrum ad præscribendum aduersus legem bona fides requiratur? Negant Caiet.1.2. q.97.a.3.ad 2. Sanch. lib.7 de matrimon.disp.4.num. 14. Ioan.Salas cit.disp.19.s.4. Vasq.cit.disp.177.c.7.num.64. vbi aiunt, consuetudinem ex malis & illicitis actibus cõualescere, & legem abrogare posse. Quæ sententia haud dubiè vera est, si Princeps sciat, toleret, ideóque tacitè abrogationi consentire censeatur. Sin verò loquamur de præscriptione aduersus legem Principe ignorante, dicendum est cum Gloss.in c.non est,de consuetudine, verbo canonicè, Suarez lib.4 defens.fidei Cathol.c.32.num. 20. Azor cit. lib.5.c.17.quæst.6. Sicuti ad omnem aliam præscriptionem; ita etiam ad eam, quæ aduersus legem tendit, bonam fidem requiri, sine qua impossibile est consuetudinem præscriptiuam inchoare: cùm ea iusta & rationabilis esse debeat. Ex quo ipso consequens est, in eiusmodi præscriptione semper interuenire probabilem ignorantiam præscribentium. Veruntamen, tametsi primi temere & non sine culpa legem Reipublicæ vtilem transgredientes, præscriptionem re ipsa inchoare non potuerint: horum tamen successores, videntes legem ab antecessoribus suis non obseruatam, existimare possunt, & in dubio præsumere, illos habuisse iustam legis non seruandæ causam; & ita illorum vestigijs insistentes præscriptionem inchoare, vel quasi bona fide ab antecessoribus inchoata fuisset, tandem perficere; sicuti optimè explicat Sotus l. 1. de iust. quæst.7.a.2.ad 2. *Vt lex pristina antiquetur, consuetudo etiã illa, quæ illicitum habet ortum, potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere*. Idémque tradidit Abb.in c.1.num.4.de treuga & pace, Syl.ver.consuetudo, q.7. & esse hanc communem sententiam testatur Rochus l. c.

12 QVÆSTIO QVINTA. Vtrum sint aliquæ leges humanæ, præsertim ecclesiasticæ, quæ contraria consuetudine tolli non possunt. Respondeo cum Nauar. libro 1. consil. 1.numero 3. de maior.edit.2. Suarez lib.3.de legib. c.19.n.27. Nullã exceptionem hîc admittendã esse: sed regulam illam sumptam ex c. vlt. de consuetudine, vniuersim veram esse: Si consuetudo rationabilis sit, & legitimè præscripta, aduersus quodcunque ius positiuum praeualere. Ex quo infertur primò, Consuetudinem etiam in sacramentalibus, & alijs ad sacramentorum substantiam non pertinentibus, contra ius commune introduci posse, si in sacris canonibus reprobata non reperiatur, v.g. vt secundæ nuptiæ benedicantur, sicuti contra Gloss. & Abb. in c. vir autem, de secundis nuptijs, probabiliter docet Rochus cit.c.vlt sect.4.num.27. Couar.in epit.4.p.2. c. 6.§. 10.num.35. Suarez num.26. Sanch.l.7.de matrim.dis.81.n. 20. Nau.c.22.man.n.83.qui id probant tum ex c.de trina. d.4.d.consecr. quod est Gregor.I.lib.1,Ep.41.ad Leandrũ Episc.vbi habetur; Nihil referre, seu vna, seu trina mersione baptismus conferatur, pro cuiusque Ecclesiæ consuetudine: qui *in vna fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diuersa*. tum ex c.2.de tempor. ordinationum, vbi dicitur, penitus improbandam esse consuetudinem illam, quæ in Scotia inualuerat, vt in dedicationibus Ecclesiarum, extra ieiunia 4. temporum Clerici ad sacros ordines promouerentur: quia tamen consuetudo eius regionis antiqua erat; neque ordinantes, neque ordinatos vlcui censuræ obnoxios esse oportere. Ex quo textu colligi videtur, licet valde decens sit, vt in Sacramentorum administratione vniuersalis Ecclesiæ canones ac ritus vniformiter seruentur: ideóque omnino deceat Ecclesiæ pastores particulares à sacris canonibus abhorrentes ritus improbare, ac tollere: dum tamen à Prælatis, & ipso summo Pontifice tolerantur: (sicuti Orientalium præcipuè Ecclesiarum peculiares ritus ad Sacramentorum substantiã non pertinentes tolerari solent) non esse aliqua culpa damnandos qui antiquæ & nondum improbatæ consuetudini se conformant.

Infertur secundò: Leges item, quæ pœnas, v. g. censuras Ecclesiasticas, etiam latæ sententiæ, annexas habent consuetudine abrogari posse: idque vel simpliciter: vel secundùm quid, quatenus nimirum pœnales, manente interim obligatione quoad culpam, sicuti docet Abb. in c.1.de treuga & pace, Gl.in c.denique.d.4. Nau.commẽt. 3.de Regular. num.52. Suarez cit.cap.19.num. 1. qui rectè notat num. 11. è contrario etiam fieri posse, vt ob igationem legis quoad culpam per desuetudinem abrogata, maneat tamen obligatio ad pœnam; ideóque ex lege mixta fiat purè pœnalis; *Etsi fortasse*, inquit, *multæ leges ciuiles imponentes exactiones, vel prohibentes venari, ligna scindere, vel aliquid ex regno extrahere, licet in principio directiuæ fuerint, potuerunt vsu fieri merè pœnales, & quasi naturam mutare: quia non aliter sunt obseruatæ*. Excipi tamen debent pœnæ illæ, quæ suapte natura culpam supponunt: ab eáque inseparabiles sunt: v.g. censuræ Ecclesiasticæ, quia propter inobedientiam & contumaciam infligi debent.

Tertiò infertur: Etiam legem infirmantem, puta quæ formam seu solemnitatem substantialem actibus præscribit, vel certas personas ad contrahendum, eligendum. &c. incapaces reddit per consuetudinem abrogari posse. Quæ est sententia Gl.in c frustra, d.8. ver.consuetudinem. Inn. c.1.de cognat.spirituali, Suar.cit.c.19.n.14. Ioannes Salas cit.disp.19, s.10. Sanch.lib.7.de matrim disp 4. q. 2. Ægid. Coninck in 3.p.t.2.disp.30.dub.1.concl.6. Qui speciatim loquuntur de canonicis impedimentis matrimonij s eaper diuturnam consuetudinem tolli posse, quamuis multi cõtrarium sentiant; ex quibus Abb.in c.quod super, de consang. & affinit. Couar.in 4.p.2. cap.6. §. 10. num. 35. & alij apud Sanch.numero 13. qui præcipuè mouentur responso Innoc. III.in cit.c.quod super, ibi. *Ne infra gradus prohibitos matrimonium contrahatur, debes publicè inhibere, & præsumptores Ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quæ dicenda est potiùs corruptela*. Ad id respondet Sanchez num. 15. Etsi Pontifex reprobârit consuetudinẽ, non tamen prohibuisse, quin ex iusta superueniente causa de nouo introduceretur. Sed hæc responsio difficultatem habet: Si enim consuetudo aliqua tanquam irrationabilis iure damnata sit, præsumptio semper est contra illam: nisi ostendatur, quòd propter mutationem rerum consuetudinis conditio mutata fuerit, sicuti bene notat Suar. n.24. & videri etiam potest Rochus s. 7.num.24. Id verò in canonicis matrimonii impedimentis difficilè ostendi poterit, si, vt ponimus, ea communiter in Ecclesia obseruentur: non item in vna aliqua regione aut Prouincia: quia vix afferri poterit grauis aliqua obseruandi difficultas, quæ non similiter etiam in alijs locis habeat locum: qua tamen nonobstante, expedit magis legem vniformiter in Ecclesia obseruari. Quarę magis mihi placet responsio Ægid. cit. concl.4.num.14. Consuetudinem illam non fuisse generalem & antiquam, sed aliquorum tantùm, qui eam contra canones introducere præsumebant, vt in tertio etiam gradu coniungerentur: quare meritò talis consuetudo, tanquam canonum corruptela, ab Episcopo inhibenda erat. 13

Controuersia etiam est; Vtrum aliquando nouum impedimentum dirimens matrimonij diuturna con-

ſuetudine diœceſis introduci poſſit? Ita affirmant Abb. & & plures alij in c.1.& c. ſuper eo, conſang. & affinit. & alij apud Sanchez cit. diſp. 4.qu.1. Mihi verò placet ſententia Hoſtienſis in c. quod ſuper, de conſ. c. ſuper eo, de cognat ſpirituali, Roſellæ ver. impedimentum.1.n.7. Syl. ver. matrim.2.q.3. Non poſſe introduci, niſi ſciente ac tacitè conſentiente Papa. Ratio eſt; *Quia conſuetudo non acquirit vim legis, niſi ex voluntate potentis in ea re legem condere, qui in propoſito eſt ſolus Papa* ait Syl. l c. in fine: Siquidem matrimonij impedimenta, & diſpenſationes in eiſdem ſummus Pontifex ſibi reſeruauit, ſicuti dicam l.5.tr.vlt.p.4.c.1. Adc. 1.& c. ſuper eo, de cognat. ſpirit. quibus abſolutè probari videtur, per conſuetudinem, (concurrente ſcandalo niſi ea obſeruetur) introduci poſſe impedimentum dirimens matrimonij; duobus modis reſpondetur: I. Caſum illum eſſe ſpecialem de duorum compatrum liberis matrimonio iungendis, qua de re diuerſi canones antiqui habentur. Prior eſt Paſcalis II. cauſa 30. quæſt.3. vbi definitur, coniungi non poſſe, ſi poſt compaternitatem nati fuerunt. Poſterior eſt Vrbani in c. ſuper quibuſdam, ead. quęſt. qui priorem canonem corrigens ait, tales coniungi poſſe. Quamobrem rectè reſpondit Alexander III. in cit. tit. de cognat. ſpirit. poſteriorem Vrbani conſtitutionem ſeruãdam eſſe, niſi diœceſis alicuius conſuetudo, quæ ſine ſcãdalo tolli non poſſit, nondum recepta ibi conſuetudine Vrbani, antiquam conſtitutionem ſeruet II. Vniuerſim dici poteſt de matrimonij impedimentis, ſi eorum aliquod conſuetudine, præſertim immemoriali, introductum ſit, & ſine ſcandalo tolli non poſſit, obſeruandum eſſe: quia in tali caſu Sũ. Pontifex non reſiſtit conſuetudini, ſed obſeruandam permittit, ſecundùm communem DD. interpretationem. Alioquin verò valde expedit, vt impedimenta matrimonij in tota Eccleſia vniformiter ſeruentur. ideóque conſuetudines ſpeciales contrariæ nullo modo introduci debent, aut poſtquam introductæ ſunt, tollere eas oportet, modò ſine ſcandalo id fieri poſſit, vt dixi.

Qvæstio Sexta. Quomodo conſuetudo cæpta, & nondum conſummata interrumpatur? Reſpondeo ex communi doctrina: Tam ea conſuetudo, quæ præter legem tendit ad ſtatuendum ius: quàm ea, quæ contra legem tendit ad ipſam abolendam, vno actu contrario interrumpitur. Illa quidem propterea quòd Princeps, vel populus legem condere potens, apertè ſignificet, non habere ſe voluntatem conſuetudinem inſtar legis introducẽdi, quando contra eam operatur. Hæc autem ideo interrumpitur, quia vniuerſim ad præſcriptionem, prȩter bonam fidem, etiam temporis longitudo requiritur: quare ſi ante tempus legitimum, puta annos decem, vel quadraginta completos, legiſlator ciuilis, vel Eccleſiaſticus tranſgreſſores puniat, vel in tribunali ſuo pro lege contra conſuetudinem iudicet, præſcriptio interrumpitur: quare de nouo poſtea inchoari debet, vt legem temporis progreſſu vincere poſſit. Quòd ſi verò, elapſo tempore legitimo conſuetudo completa ſit, non tolleretur vno actu contrario: ſed vel Principis lege conſuetudinis abrogatoria, vel contraria noua conſuetudine, cum temporis diuturnitate, &c. Hoc adde, vt lex contraria conſuetudine tollatur, non ſufficere merum eius non vſum, & legem ideo non ſeruari, quia caſus ſiue occaſio ſeruandi non incidit: v.g. ſi centum annis hermaphroditus nullus natus ſit: & ob id populus ciuili conſtitutione l quæritur, ff. de ſtatu hominum, (quòd ſecundùm ſexum præualentem mas vel fœmina exiſtimandus ſit) nunquam vſus fuerit: non ideo lex Cæſarea abolita cenſeri debet: ſed requiritur caſum legis aliquoties accidiſſe, & contra legem publicè factitatum fuiſſe: qui dicitur non vſus legis contrarius: prior verò negatiuus, ſicuti bene explicat Abb. in capite Ioannes, numero 9. de Clericis coniug. Syl. ver. conſuetudo.q.8.

Qvæstio Septima, Quodnam diſcrimen ſit inter conſuetudinem, & præſcriptionem? Hanc quæſtionem tractant Gl. & Abb. n.20 Rochus q.5 n.3. ca. vlt. de conſuet. Aym. Crauetta de antiq. temporum, p.4. in prin. Syl. ver conſ. q. vlt. Balbus præſcript. p.1.q.10 Suar. cit l.7. c.1.n.10. Ergo puto diſtinguendum eſſe inter conſuetudinem, quæ eſt præter legem; & eam, quæ eſt contra legem. Nam illa, quæ eſt præter legem, nihil re ipſa commune habet cum præſcriptione, ſeu vſucapione, ſed ſola conuenire videntur vocis communione: quia vtraque eſt acquiſitiua iuris, ſed ſecundùm ſignificationem diuerſam. Nam diuturna conſuetudine per tacitum populi conſenſum, introducitur ius quatenus idem eſt quod lex: at verò præſcriptione, ſeu vſucapione acquiritur ius, quatenus idem eſt quod dominium aut alia facultas vtendi, agendi, &c. Altera autem conſuetudo, quæ eſt abrogatiua legis, videtur eſſe propriè dicta ſpecies præſcriptionis generatim acceptæ: eſt enim acquiſitiua iuris, videlicet immunitatis ac libertatis à lege: requirit etiam temporis legitimi decurſum: item bonam fidem, & quandoque titulum præſumptum, ſi lex alioquin conſuetudinis introductioni reſiſtat.

Duo tamen hîc aduertenda duxi: Primum eſt, Præſcriptionis nomen à Doctoribus interdum generatim accipitur: quomodo comprehendit etiam populi conſuetudinẽ abrogatoriam legis, per temporis diuturnitatem, & bonam fidem, ſicuti ſuprà dixi, & colligitur apertè ex c. vlt. de conſuetudine. Interdum verò ſtrictiùs accipitur, vt non comprehendat ſpecialem illam præſcriptionem communitatis aduerſus legem cõmunem: (propterea quòd eiuſmodi præſcriptio peculiare nomen habere ſoleat *conſuetudinis legitimæ præſcriptȩ*) comprehendat verò cæteras omnes bonæ fidei vſucapiones, quæ vel ſunt particularium perſonarum ad acquirendum ſibi ius aliquod: vel etiam communitatis, quatenus ea in acquirendis iuribus, v.g. alicuius rei dominio, quaſi particularis perſonæ vicem ſubit.

Alterum, Interdum accidere ſolet, vt duplex præſcriptio ſimul concurrat: v.g. Communitas laicorum, à tempore immemoriali, non exigentibus Clericis decimas, cũ bona fide præſcripſerunt ius immunitatis, duplex hîc cernitur præſcriptio: Vna, per quam excluditur obligatio legis vniuerſalis canonicæ de decimis realibus ac perſonalibus præſtandis: altera, per quam excluditur ius & actio clericorum, quæ ipſis ex eadem illa lege, ſine canone aduerſus laicos competit.

TRACTATVS QVINTVS.

DE ECCLESIASTICIS CENSVRIS, ET IRREGVLARITATE.

SVBIICIO hunc tractatum, partim quia affinitatem habet cum materia de legibus: partim quia in sequentibus sæpe de censuris merito facienda erit, ideóque earum explicatio præmittenda videtur. Diuido autem tractatum in quinque partes: in prima agitur de Censuris in communi. In secunda, de præcipua specie censuræ, quæ est Excommunicatio. In tertia de Suspensione, & Depositione. In quarta de Interdicto & Cessatione à diuinis. In quinta de Irregularitatibus.

PARS PRIMA.

DE CENSVRIS IN COMMVNI.

CAPVT I.

QVID SIT CENSVRA ECclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Censura est pœna merè Ecclesiastica, ac spiritualis.*

2 *Bona spiritualia quædam sunt propria, quibus nemo inuitus spoliari potest quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam priuari potest, quoad vsum tantùm*

3 *Censura est pœna medicinalis: quare per absolutionem tolli debet, cùm primùm peccator emendatus est.*

Nunquam fertur censura propriè dicta propter peccatum merè præteritum.



ENSVRA Romanis significabat sententiam Censoris mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Hinc censuræ vox ab Ecclesiasticis scriptoribus translata est ad significandam spiritualem pœnam, quam Ecclesiæ Prælati contumacibus infligunt.

1 Definitur: *Pœna spiritualis, per quam homini baptizato delinquenti, ac contumaci per Ecclesiasticam potestatem quorundam spiritualium bonorum vsus aufertur, donec à contumacia recedat.* Ita ferme Suarez de Censuris disp. 1. s. 1. Sairus l. 1. c. 1. Auila p. 1. dub. 4.

Hæc definitio partim ex capitibus sequentibus intelligetur; partim verò hîc explicanda est: cur videlicet dicatur, *pœna spiritualis, priuans vsu spiritualium bonorum.* Pro cuius intellectu nota primò, Censuram esse pœnam merè Ecclesiasticam, siue quam solus Ecclesiasticus Magistratus infligere potest: quia per se primò ac principaliter versari debet circa rem spiritualem, vel potiùs priuationem rei spiritualis: circa res verò temporales secundariò & quatenus referuntur ad spiritualia. Siquidem pœnas absolutè temporales, vt carcerem, exilium, mulctam pecuniariam, &c. etiam seculares potestates infligere possunt. Ita notauit Ægid. Coninck. 3. p. t. 2. disp. 13. dub. 1. n. 2. Auila cit. dub. 4.

Nota secundò; Bona spiriualia quædam sunt propria, seu priuata: vt dona gratiæ, Fides, Spes, Charitas, aliæque virtutes, earumque bona opera, tum secundùm vim merendi, tum etiam impetrandi, & satisfaciendi; iuxta propriã operantis intentionem vel applicationem. Cuiusmodi bonis spiritualibus Ecclesia neminem spoliaue, corúmue vsũ interdicere potest. Alia porrò bona spiritualia sunt publica seu cõmunia cuiusmodi sunt publica Ecclesiæ suffragia, & satisfactiones: itẽ spiritualis iurisdictio, Sacrificiũ & Sacramẽta: Ecclesiastica beneficia: quorũ omnium dispensatio Ecclesiæ commissa est, vt proinde eorum vsum actiuum & passiuum alicui ob culpam & contumaciam, interdicere possit. Namque omnis bene constituta Respubl. potestatem habet subditos suos ob culpam eorum, priuandi bonis communibus, Ecclesia autem est spiritualis à Christo optimè constituta Respubl. Ergo potestatem habet subditos suos ita meritos priuandi bonis iis spiritualibus, quæ diximus esse publica, eiúsque dispensationis commissa. 2

Nota tertiò: Communibus spiritualibus bonis, v. g. spirituali officio, aut beneficio duobus modis aliquem priuari posse. Primò, quoad vsum tantũ: & hoc propriũ est censuræ, sicuti ex definitione constat. Secundò, quoad ipsam quoque facultatem, seu potestatem: quod præstant irregularitas, depositio, degradatio, cessatio à diuinis: quæ propriè censuræ non sunt, sicuti DD. communiter docent contra Sotum in 4. d. 22. qu. 3. ar. 1. Nam censura debet esse pœna medicinalis, cap. 1. de sententia excom in 6. c. ex literis, de const. ideóque infligi per modum vinculi facilè solubilis, cùm primùm reus à contumacia recesserit: quapropter ipsam spiritualem potestatem siue ius radicale non aufert: sed tantùm ligat, seu vsum & exercitium impedit. Secus est in irregularitate, depositione, degradatione: quæ ipsam potestatem spiritualem quatenus id fieri potest, homini simpliciter & sine spe ordinariæ recuperationis adimunt.

Ex quo alia rursus discrimina emergunt: I. Censuræ propriè dictæ tolli debent per absolutionem Rei, quamprimum is emendatus est: quia per eas non tam intenditur punitio siue vindicta peccati, quàm emendatio peccantis: quapropter non facilè ad censuram deuenien-

dum est, quæ peccatori profutura non putatur; nisi bonū publicum manifestò exigat: tunc enim per accidens censeri debet, si censura, quæ suapte natura & institutionis medicinalis est, ei, cui adhibetur, ob indispositionem suā minùs vtilis, & fortasse noxia futura est, qua de re Couar. c. alma mater, p. 1. initio, num. 12. At verò irregularitas, depositio, &c. tolli debent per dispensationem seu relaxationem legis, aut sententiæ: quippe quæ simpliciter, & irreuocabiliter lata est.

II. Depositio, & degradatio: cùm, sit pura pœna, ferri potest ob peccatum merè præteritum, imò etiam emendatum. At verò censura propriè dicta, cùm sit potiùs medicina, non decernitur ob peccatum merè præteritum; sed quod tractum successiuum habet, & in quo peccator adhuc contumaciter persistit.

III. Depositio, degradatio, & cessatio à diuinis non incurruntur ante Iudicis sententiam: quia sunt pœnæ grauissimæ, & quæ non statim auferuntur, tametsi delinquens emendatus sit. Censuræ verò propriè dictæ, ipso interdū iure contrahuntur ob delictum, ante omnem Iudicis declarationem: quod meritò ita ab Ecclesia statutum est, quia sunt pœnæ medicinales, & plerumque occultæ, à quibus facilis absolutio post emendationem conceditur. Ita notauit Caiet. ver. pœna statutorum, Auila p. 1. dub. 7. prope finem, Sa ver. pœna, n. 1. Vide in præcedenti tractatu c. 18. num. 5. vbi idem dixi de irregularitate, eam ante Iudicis sentētiam ipso facto incurri, ob reuerentiam Sacramenti: quandoquidem irregularitas non tam pœna est, quàm inhabilitas quædam ad sacrum altaris ministerium.

CAP. II.

Quotuplex sit censura.

SVMMARIVM.

1 *Tantùm tres sunt censuræ; Excommunicatio, Suspensio, Interdictum.*
Concessa alicui facultas absoluendi à censuris, non extenditur ad irregularitates, quæ per dispensationem tolluntur.
2 *Censura alia est à iure lata, & alia ab homine: inter quas discrimen est, quòd hæc extinguitur morte, aut depositione ferentis, illa non item.*
Censura ab homine aut fertur per sententiam generalem: aut per specialem in certam personam.
3 *Censura alia est latæ sententiæ à iure, vel ab homine: alia est sententiæ ferendæ per Iudicem.*

SOtus in 4. d. 22. quæst. 3. a. 1. In princip. quinque censuras numerat Excommunicationem, suspensionem, interdictū, cessationem à diuinis & irregularitatem, quæ ob culpam contrahitur, & idcirco pœnæ rationem habere videtur. Aliqui verò etiam depositionem ac degradationem annumerant; ideóque septem censuras colligunt. Sed communis & vera sententia est, quam docent Doctores in 4. d. 18. Syluest. verb. interdictum, 1. num. 3. Nauar. c. 27. num. 1. 151. 188. & 194. Suarez disput. 1. sect. 3. Auila p. 1. dub. 5. Ægid. cit. disput. 13. dub. 1. tantùm
1 tres esse species censuræ: Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum. Colligitur ex dictis cap. præced. & confirmatur primò: Quia in iure canonico, cùm de censuris mentio fit in c. 1. c. statutum. his qui, de sent. excom. in 6. tantùm tres illæ species nominantur. Quare Innoc. III. in c. quærenti, de signif. verborum: *Quærenti, quid per censuram Ecclesiasticam debet intelligi, cùm eiusmodi clausulam in literis nostris apponimus: respondemus, quòd per eam non solùm interdicti: sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Secundò: Quia concessa alicui potestas absoluendi à censuris non extenditur ad irregularitates, &c. quippe quæ non per absolutionem, sed per dispensationem tolli debent, sicut ex communi stylo curiæ annotauit Nau. num. 254. Tertiò: Qui violando censuram celebrat, aut sacramenta ministrat, incurrit irregularitatem: qui verò cessationem à diuinis transgreditur non fit irregularis, teste Syl. ver. cessatio à diuinis, q. 5. Nauar. cit. num. 188. Neque etiam irregularis celebrans nouam irregularitatem incurrit, sicuti notauit idem Nau. num. 193. Auila cit. dub. 5. Ergo irregularitas & cessatio à diuinis non sunt censuræ.

Porrò, vnaquæque ex dictis censuræ speciebus diuidi 2
solet, quòd alia sit *à iure*, videlicet quæ lege seu statuto lata est, contra omnes subditos, qui tale crimen commiserint. Alia verò est censura ab homine, quæ per Iudicis sentētiam infligitur. Inter quas hoc præcipuum discrimē est, quòd censura lata per sententiam vim suam amittit post mortem vel depositionem ferentis: vt nemo eam deinceps incurrere possit: quamuis si antè incurrerat ea ligatus maneat, donec absoluatur. Ex quo colligitur, si Iudex sententiam excommunicationis in aliquem ferat sub conditione, nisi intra mensem restituerit: & nondum elapso mense Iudex moriatur, non contrahi excommunicationem, sicuti rectè docet Gloss. c. à nobis 1. de sent. excommunicat. Abb. c. cùm ad hoc, num. 9. de cler. non resident. Vgolinus de censur. tab. 1. c. 2. §. 2. num. 3. At verò censura iuris, seu statuti perpetuò durat, sicuti & ipsum statutum, donec reuocetur.

Cēsura, quæ ab homine est, subdiuiditur in eam, quæ alicui ob contumaciam nominatim infligitur: & in eam, quæ per generalem sententiam fertur, v.g. *Si quis tale facinus commiserit, si rem ablatam non restituerit, excommunicatus esto.* Sed aduerte hîc, quòd v.g. excommunicatio per sententiam generalem interdum fertur ex causa generali & indeterminata, v. g. *Qui furtum sacrilegum commiserit, excommunicatus esto.* Interdum autem fertur talis excommunicatio ex causa, seu facto particulari: v. g *Qui orto nuper incendio quippiam abstulit, & intra triduum non restituerit:* Vel; *qui talem incendiarium, aut ciuitatis proditorem sciens, non indicauerit: is excommunicatus esto.* Inter quos excommunicandi modos hoc discrimen est: quòd prior ille magis ad naturam statuti accedit: quare valde probabilis est sententia Ægid cit. disput. 13. dub. 7. conclus. 4. eiusmodi sententia generali non tantùm obligari eos, qui tempore promulgationis subditi sunt: sed etiam eos, qui postea subditi fiunt: propterea quòd ita generatim lata pertinere videatur ad omnes quocunque tempore inhabitatores: atque in eo tantùm differre à lege, siue statuto propriè dicto, quòd talis sententia, quamuis generatim lata pro futuro delicto, morte latoris expiret: statutum verò siue lex permaneat, donec reuocetur: quam differentiam notauit Abb. in cap. irrefragabili, §. cæterùm, n. 2. de offic. Ordin. Verùm hîc immorari nos non oportet: quia talis excommunicandi modus pro delicto futuro, sine causa vel delicto impræsentiarum existente, vsitatus non est, imò prohibitus in cap. Romani, §. caueant, de sentent. excommunicat. in 6. interprete Abb. in cap. à nobis, 1. num. 8. de sentent. excommunicat. Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 5. num. 3. Couarruu. cap. alma, p. 1. §. 10. num. 1. At verò excommunicatio, lata per Iudicis sententiam posteriore modo, magis accedit ad naturam præcepti: cuius ea vis est vt statim operetur & afficiat personas, ad quas impræsentiarum fertur, non autem transeat ad personas, quæ postea iurisdictioni subijciuntur, sicut docet Abb. c. à nobis, 1. de sentent. excommunicat. num. 7. Vgolinus tab. 1. c. 9. §. 2. num. Couarru loc. cit. num. 3. Syluest. verb. excommunicatio, 2 num. 10 Auila de censuris p. 2. cap. 3. disput. 2. dub. 3. conclus. 3. Ægid. l. c. concl. 5. Suar. disp. 5. de censuris, c. 5. num. 10.

Secundò diuiditur censura quælibet in eam, quæ est 3
latæ sententiæ; & in eam, quæ est *sententiæ ferendæ*, vti apertè de excommunicatione loquens, significat Gregorius I. lib. 2. dialog. c. 23. Censura latæ sententiæ dicitur, quam Reus, sine alia Iudicis sententia, ipso facto vel criminis admis-

admissione incurrit: quare dicitur in cap. pastoralis, §. verùm, de appellat. quòd *excommunicatio latæ sententiæ executionem secum trahit*. Censura sententiæ ferendæ dicitur, quæ non ipso facto seu delicto; sed sicuti aliæ pœnæ, per Iudicis sententiam infligi debent.

Cæterùm quibus loquendi formulis significari soleat censura sententiæ latæ; & quibus sententiæ ferendæ, passim apud Doctores reperies, Syluest. verb. excommunicatio, 1. num.22. Auilam p.2.c.2.disput.vn. Castrum lib. 2. de lege pœnali, c.1. & 6. Ægid. disput. 13. dub.2. Censuram latæ sententiæ iudicant eiusmodi verba, *Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus: Qui hoc fecerit, sciat se excommunicatum, suspensum, &c. excommunicationi subiaceat, prohibemus sub excommunicatione, suspensione ipso iure ipso facto incurrenda*. Excõmunicatio autem sententiæ ferendæ eiusmodi verbis significatur: *Qui hoc fecerit, excommunicetur, ab officio suspendatur: Prohibemus sub interminatione excommunicationis, sub pœna suspentionis, &c.* Quòd si verba ambigua videantur, potiùs iudicari debet censura sententiæ ferendæ, quàm latæ, iuxta iuris regulam 49. in 6. *In pœnis benignior facienda est interpretatio*. Eiusmodi dubia verba censet Nauar. c.27. num.12. Sanch. lib. 7. de matrimon. disput.12. num.2. esse ista, *excommunicatus sit, anathema sit*, ideòque explicanda esse, quasi præcipiatur Iudici, vt ab ipso criminosus excommunicatus fiat; nisi istud dubium resoluatur ex alijs iuribus excõmunicationem sententiæ latæ expressè decernentibus. Qua ratione respondet Sanchez lib. 2. moral. c.38. num. 91. Diuinatores, ac veneficos, eorúmque consultores non esse ipso iure excommunicatos; sed excommunicando, iuxta c. non oportet, c. aliquanti, 26. quæst.5. Non obstante, quòd in c.1.ead.q. dicatur; *Si quis ariolos, aruspices, aut incantatores obseruauerit, anathema sit*.

CAP. III.

Quis censuram ferre possit?

SVMMARIVM.

1 *Omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus censuras ferre potest in subditos: quam facultatem alteri Clerico delegare non prohibetur.*

2 *Laicis, & clericis coniugatis, dum in coniugio viuunt: itémque bigamis committi non potest facultas ferendi censuras: nisi ex plenitudine potestatis Papalis.*

3 *Fœminæ, quamuis sanctimoniales sint, & abbatissæ censuras propriè ferre non possunt.*
Non videtur tamen fœmina huius potestatis omnino incapax ex iure Diuino, sed solùm Ecclesiastico.

4 *Abbatissa licet spiritualem iurisdictionem propriè non habeat: vsus tamen cuiusdam iurisdictionis ei committi potest.*

1 ASSERTIO I. Omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus, id est, Clericus in foro externo iurisdictionem obtinens, ordinario iure censuram ferre potest in subditos sibi contumaces. Sumitur ex c. ab Ecclesiarum, de offic. Ordinarij, & docet S. Thom. in 4. d. 18. quæst. 2. a. 2. q. 2. Richar. ibid. a. 4. q. 1. Palud. q. 2. art. 2. Abb. in c. sacerdos, de offic. Ordinarij, num. 10. aliíque communiter. Nam potestas Ecclesiastica fori externi ordinatur ad Christianam disciplinam seruandam per leges, præcepta, sententias; Hæc autem potestas infirma & inermis foret, nisi contumaces propositis pœnis ac censuris coërcere, & ad obedientiam compellere posset.

2 Assertio. II. Qui ordinariam potestatem habet censuras ferendi, eam cuiuis Clerico clericalibus priuilegiis gaudenti committere seu delegare potest. Sumitur ex c. præterea, de officio delegati, & ex communi docet Couar. c. alma, p. 1. §. 11. ti. num. 1. Suar. de censuris disp. 2. sect. 3.

Assertio III. A potestate tum ordinaria, tum delegata censuras ferendi excluduntur laici: Nam *laici Ecclesiastica negotia tractare non debent*, c. decernimus, de iudiciis, c. iudicatum, d. 89. Censuræ autem ad Ecclesiasticam & spiritualem clauium potestatem pertinent. Quare rectè notauit Palud. in 4. d. 19. quæst. 2. a. 1. Quòd Episcopus, vel Ordinis Prælatus non possit committere laico religioso potestatem absoluendi ab excommunicatione minore; possit tamen committere Clerico nouitio.

Secundò excluditur Clericus coniugatus: quia neque hic ad Ecclesiastica negotia admitti debet; præterquam si vnicam, eámque virginem duxit, ab eaque se separauit, edito vtrinque castitatis voto, iuxta cap. sanè, 1. iunct. Gloss. de Clericis coniugatis. Porrò, tametsi Clerici qui cum vnicis & virginibus contraxerunt, si cum vxoribus in coniugio permanentes, alicui Ecclesiæ seruiant, atque habitum & tonsuram clericalem deferant, priuilegio tum Canonis, tum fori Ecclesiastici gaudere debeant, c. vn. de Clericis coniugatis, in 6. iuncta Tridentin. sess. 23. cap. 6. de reform. attamen ad beneficia, sacros ordines, & administrationes Ecclesiasticas admitti non debẽt, sicuti habetur in cit. cap. sanè, 1. de Clericis coniugatis. Quare neq; Ecclesiasticæ iurisdictionis capaces sunt sicut docet Gloss. cõmuniter recepta in cit. c. vn. Abb. in cit. c. sanè. Couarruu. c. alma, p. 1. §. 11. num. 3. Auila p. 1. dub. 6. Suarez disput. 2. sect. 3. num. 11. Ægid. dub. 4. num. 32. vbi notant cum Palud. in cit. quæst 2. a. 1. Quòd Episcopus nec coniugatum, nec bigamum, tametsi quatuor minores ordines habeat, Officialem vel Vicarium suum cõstituere possit. Quia vniuersalis Ecclesiæ canones & consuetudines Episcopus mutare nequit; sed solus Papa ex plenitudine potestatis.

3 Tertiò excluduntur fœminæ omnes, etiam Abbatissæ, arg. c. de monialib. de sent. excommun. iunct. Gloss. & c. noua, de pœnit. & remiss. & expressiùs in c. dilecta, de maioritate & obedientia, vbi dicitur: quòd Abbatissa moniales & clericos suæ iurisdictioni subiectos excommunicare non possit: sed Prælatus Ordinis, vel Episcopus. Neque refert, quod ibidem significatur, ad Abbatissam pertinere dictas personas *propter inobedientias & culpas officio, beneficioque suspendere*. Rectè enim respondet Abb. ibidem num. 5. Syluest. verb. Abbatissa num. 6. Auila p. 1. dub. 6. Suar. cit. sect. 3. num. 6. Nomen suspensionis eo loco non accipi pro censura Ecclesiastica, cuius violator irregularitatem incurrit: sed latè & impropriè pro præcepto siue sententia, per quam Abbatissa Clerico, v. g. iurisdictioni suæ per accidens subiecto, ratione alicuius capellæ, ad ipsam pleno iure ex priuilegio aut præscriptione pertinentis, prohibet celebrationem Missarum, donec satisfecerit: atque interea eidem reditus subtrahit.

Controuersia autem est inter Doctores; Vtrum mulier iure diuino incapax sit huius potestatis censuram ferendi: ideóque neq; summus Pontifex talem ipsi facultatem committere possit? An verò mulier, perinde ac masculus laicus, aut bigamus, iure tantùm Ecclesiastico (in quo Papa ex suæ potestatis plenitudine dispensare potest) ab eiusmodi spirituali iurisdictione arceatur? Priorem partem tenet Auila cit. dub. 6 Ægid. cit. dub. 4. & alij apud Palud. cit. quæst. 2. a. 1. Quia excommunicatio, & aliæ censuræ pertinent ad potestatem clauium: hæc autẽ à Christo solis Apostolis data est, iisq; qui aliqua ratione Apostolis succedunt: cuiusmodi non possunt esse fœminæ. Cõfirmatur ex c. noua, de pœnit. & remiss. vbi Innoc. III. notauit, *Licet beatissima Virgo Maria dignior & excelsior fuerit Apostolis vniuersis non tamen illi, sed istis omnibus Dominus claues regni cælorum cõmisit*. Quare ibidẽ prohibet, ne Abbatissæ suas moniales benedicere, Euãgeliũ legere, aut prædicare præsumant, conuenienter Apostolo 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant*. Quo cum non pugnat, quin mulieres sanctimoniales priuatim suas exhortari, & tanquam filiabus benedicere: item in matutinis suis Euãgelium legere possint, sicuti notauit Syl. ver. Abbatissa,

4 Alteram quæstionis partem tenet Palud. cit. a. 1. Nau. lib. 5. consil. 1. de sent. excom. edit. 1. Suarez disp. 2. de censur. s. 3. num. 7. in eandémque inclinat Sotus in 4. d. 20. q. 1. art. 4. circa quartum argum. Et mihi quoque non displicet. quia negari non potest, mulieribus, puta Abbatissis committi solitum vsum aliquem spiritualis iurisdictionis, sicuti expressè docet S. Thom. in 4. d. 19. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4. *Mulier nec ordinis, nec iurisdictionis clauem habet committitur autem ei aliquis clauium vsus*. Et d. 25. q. 2. a. 1. q. 1. ad 2. *Abbatissæ non habent Prælationem ordinariam: sed quasi ex commissione propter periculum cohabitationis virorum*. Quare licet Abbatissæ per se ac directè non nisi temporalem potestatem habeant Moniales gubernandi, ac præcipiendi, ea quæ ad bonam Monasterij quietem pertinent, videl. vt regulæ Ordinis seruentur: quo modo etiam paterfamilias quæ iusta ac debita sunt domesticis præcipere potest. Nihilominus sum. Pontifex, imo etiam Prouincialis Ordinis, aut Episcopus, sub cuius obedientia viuunt, aliquem vsum iurisdictionis, saltem indirectè committere potest Abbatissæ: Vt si Prouincialis cum Moniali dispenset in lege ieiunij, sub conditione relata in arbitrium Abbatissæ, quoties ipsi visum fuerit causam non ieiunandi adesse: vel si Monialibus præceptum imponatur obediendi Abbatissæ, præcipienti aliquid in tali causa, ad spiritualem finem pertinente. Qua de re Sotus in 4. d. 20. q. 1. a. 4. Rodriq. tom. 1. regul. q. 12. a. 2. & q. 15. a. 1. Sanchez 6. Moral. c. 1. num. 17. Accedit, quòd Abbatissæ non quidem iure ordinario, sed ex Apostolicæ Sedis priuilegio, cum Capituli sui consensu conferre possint beneficia, & instituere clericos in Ecclesijs ad Monasterium suum pertinentibus, dando illis possessionem, ac titulum: non item iurisdictionem ad ligandum & soluendum: quia nemo dat, quod non habet, sicuti post Abb. in cit. c. dilecta, num. 5. de maior. & Obed. docet Sylu. ver. Abbatissa, q. 2. Garcia de benefic. 1. p. cap. 2. num. 33. & p. 5. c. 1. num. 622. Victoria relect. 2. de potest. Ecclesiæ, q. 2. n. 5. in fine.

Ad fundamentum prioris sententiæ resp. cum S. Th. in 4. d. 18. q. 2. art. 2. q. 2. Abb. & Syl. ll. cc. Duplicem esse clauem; Ordinis & iurisdictionis. Illius incapax omnino est mulier secundùm Christi institutionem: huius autem capax esse potest, saltem ex commissione, & quoad exercitium: sicuti & merè laicus capax est: cùm tamen Apostolorum successor censeri non debeat, quamdiu extra clerum constitutus est. Interim fatemur, neque Christum, neque Ecclesiam vnquam eiusmodi potestatem per censuram homines ligandi mulieri concessisse: qùm id neque expediens, neque decens sit. Idque solùm probari potest ex suprà cit. c. noua: non autem quod iuri diuino absolutè repugnet.

CAP. IV.

In quos Censura ferri possit?

SVMMARIVM.

1 *Censura ligari potest homo baptizatus, doli capax, qui Superiorem Ecclesiasticum habet.*
2 *Mortuus propriè, ac directè excommunicari non potest.*
3 *Furiosus, qui ante furorem contumaciter peccauit, potest incurrere excommunicationem iuris: sed ab homine excommunicari non debet.*
4 *Summus Pontifex censuram nullam incurrere potest.*
5 *Peregrini non obligantur censuris locorum, generali sententia aut statuto decretis.*
6 *Subditus contra proprium statutum diœcesis suæ agens extra diœcesin, vel in loco diœcesis exempto, non incurrit censuram.*
7 *Subditus extra diœcesin existens ligari potest censura per sententiam particularem Prælati sui.*
8 *Cur Prælatus subditis suis extra territorium ius dicere non possit, causa est, ne alienam iurisdictionem inuadere censeatur: quare hac causa cessante, puta si iudiciarius processus necessarius nō sit, nihil obstat iurisdictionē aliquam exerceri.*

ASSERTIO, Omnes & soli homines baptizati, viatores, rationis & doli capaces, qui in Ecclesia superiorem habent, censuris ligari possunt. Est communis, quam leges apud Nau. c. 27. num. 13. Suarez disp. 5. s. 1. Ægid. Coninck disp. 13. dub. 6. Prima pars, quòd debeat esse *homo baptizatus*, seu fidem in Ecclesia professus: non Paganus, Iudæus, aut Catechumenus, probatur ex Apost. 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare?* & ex c. gaudemus, de diuortijs. c. de Iudæis, d. 45. Verùm Hæretici, Apostatæ atque Schismatici, quia fide Christi in baptismo suscepta, Ecclesiæ associati fuerunt ab eadē recedentes, ac fugitiui, Ecclesiasticis pœnis ac censuris ad fidem vel obedientiam compelli possunt, sicuti praxis Ecclesiæ demonstrat, & significatur in cit. c. de Iudæis. 1

Altera pars, quòd debeat esse *homo viator*, seu in terris existens, non mortuus, *ex verbis Domini monstratur*, ait Gratianus causa 24. q. 2. Matth. 16. *Quodcunque ligaueris super terram, &c. super terram, inquit, non sub terram, ostendens, quòd viuentes, pro varietate suorum meritorum, soluere possumus, vel ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus*: Sed *horum causa Dei iudicio reseruanda est* inquit, Leo 1. ad Rusticum Episc. Narbonensem, Epist. 90. aliàs 92. cap. 7. Et Gelasius Papa in Epistola ad Episcopos Dardaniæ: *De eo, qui in diuino iudicio est constitutus, nobis fas non est aliud decernere, præter id, in quo eum dies supremus inuenit.* Idémque docent DD. communiter, Couar. c. alma p. 1. §. 11 n. 8. Syl. ver. excommunicatio 1. §. 7. Castro lib. 2. de hæretic. punitione, c. 19. & 20. Auiea p. 2. c. 4. disp. vn. dub. 8. Suar. & Ægid. ll. cc. Ex quo colligitur; si homo nondum completo crimine, vel conditione, sub qua censura lata est, moriatur: licet, postea crimen vel conditio perficiatur: non incurri censuram à mortuo: v. g. si in aliquem excommunicatio lata sit, nisi intra mēsem satisfecerit: ille autem ante elapsum mensem sine satisfaciēdi proposito moriatur. Vel si aliquis mandatum dedit Titio, vt clericum occideret: is autem post mortem mandantis mandatum executus est: neutro casu criminosus mortuus pro excommunicato haberi debet. 2

Neque his obstant testimonia congesta à Gratiano in c. vlt. 24. q. 2. ex V. Synodo Generali, quibus ostenditur *hæreticos etiam post mortem anathematezari posse*. Nam respondetur, anathema interdum accipi pro execratione, seu detestatione, sicuti colligitur ex Apost. ad Galat. 1. *Licet nos, aut Angelus de cælo Euangelizet vobis, præter quam quod Euangelizamus vobis, anathema sit.* Quo sensu etiam ij, qui excommunicandi potestate præditi non sunt, dicere possunt, se hæreticos anathematizare: id est, tanquam impios & alienos ab Ecclesia, execrari. Interdum verò ab ijs, qui tali potestate præditi sunt, anathematizentur hæretici post mortem: id est, publicè declaratur, eos à fide & Ecclesiæ communione alienos decessisse: ideóque eorum nomina ex sacris dipthycis (id est, albo defunctorum Episcoporum) auferri, & nullam in Sacrificijs illorum commemorationē fieri oportere, qua de re vide Gl. Gregorianam super cit. c. vlt.

Denique potest aliquis post mortem excommunicari impropriè ac indirectè: si, ita exigente eius crimine, in quo decessit, ad aliorum terrorem præcipiatur fidelibus, vt abstineant ab Ecclesiastica eius sepultura, publicis precibus, ac sacrificijs: quomodo intelligo, quod Nicephorus refert. lib. 4. histor. c. 34. de Innoc. I. Papa Arsacium pseudoepiscopum post eius mortem excommunicāte, in Epist. ad Arcadium Imperator. *Arsacium, quem pro magno Ioanne Chrysostomo in thronum Episcopalem introduxistis, etiam post obitum exauctoramus, vnà cum omnibus, qui consultò cum eo communicarunt, Episcopis: cuius etiam nomē sacro Episcoporum albo non inscribatur.* Qua simili ratione, licet Ecclesia propriè ac directè nō possit absoluere eum, qui in excommunicatione, tametsi editis pœnitentiæ signis, mortuus fuit: tamen alijs facultatem dare potest vt illum in loco sacro sepeliant, publicas preces & sacrificia

pro ipso offerant. Quomodo explicari debet c. à nobis, 2. de sent. excommun. & docet Sotus d. 22. q. 2. a. 2. prope finem, Couar. cit. §. 11. n. 8.

3 Tertia pars, quòd debeat esse *& rationis doli capax*, ideóque infans, & furiosus excommunicari non possint; constat tum generali ratione; quia huiusmodi personæ legibus ac præceptis obligari nequeunt: tum etiam speciali, quia censura fertur propter delinquentis contumaciam, quæ in amentes & infantes haud cadit. Cæterùm, si aliquis contumaciter cæpto, sed nondum consummato crimine, in furorem lapsus est, v. g. Titio in mandatis dederat, vt Clericum occideret; posteà verò, durante furore, crimen à mandatario perficitur: tali casu etiam furiosus iuris excommunicationem incurrit, sicuti rectè notauit Suares disp. 5. s. 1. n. 20. Quia etiam furiosi subiecti sunt Ecclesiæ; ab eáq; puniri possunt; si ob præcedentem contumaciam ita meruerunt. Ab homine tamen seu Iudice tales excommunicari non debent; præsertim si eorum amentia perpetua iudicetur: quin potiùs absolui eos conuenit, si censuram aliquam contraxerunt. Cùm enim censura, præsertim excommunicatio, pœna medicinalis sit; non debet ei infligi, qui medicinæ spiritualis incapax est.

Quarta pars, quòd debeat esse *subditus* Ecclesiasticæ potestati, à qua censura emanat; constat ex eo, quòd par in parem, aut superiorem non habeat imperium: neque potestatem cogendi, aut puniendi. Deinde, sicuti in ferente censuras requiritur dominium iurisdictionis in foro externo: ita in eo, ad quem fertur, requiritur subiectio: hæc enim duo correlata sunt, vti notauit Suarez disp. 5. s. 1. num. 26.

4 Corollarium I. summus Pontifex censura ligari non potest: Neque enim à seipso: quia nemo sibi ipsi præcipere, aut seipsum iudicare & condemnare potest: Non item ab alio: quia neminem in terris superiorem habet. Vide, quæ dixi tract. super. cap. 9.

5 Corollarium II. Si Episcopus, aliúsue Prælatus Papâ inferior generalem censuram ferat: v. g. *Si quis tale crimen admiserit, excommunicatus esto*: talis censura non extendit se ad aduenas, & peregrinos breui tempore ibi, non constituta habitatione, commorantes. Constat ex ijs, quæ dixi eod. tract. cap. 12. concl. 3. & traditur apertè in c. nobis 2. de sent. excommun. vbi quæsitum erat; *Vtrum, si quis ita pronunciauerit: Quisquis furtum fecerit, excommunicatus sit: hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius?* Respondetur, *quòd hac sententia non nisi subditi obligentur.* Vide ibi Gl. marginalem ex Hostiensi. Quamuis autem Abb. in cit. c. à nobis, n. 7. putet, distinguendum esse inter sententiam generalem & statutum: & illa quidem non ligari peregrinos: hoc verò obligari. Mihi tamen hæc distinctio nullo modo probatur: quia responsio Pontificis ea ratione nititur, quòd potestas iurisdictionis tantùm ad subditos se extendat: atqui non minùs statutum, quàm generalis sentētia proficiscitur à potestate iurisdictionis: ergo tantùm comprehendit subditos: non item aduenas & peregrinos. Neque satisfaciunt Gl. in cit. c. à nobis, & Abb. cit. n. 7. Vgol. tab. 1. cap. 9. §. 2. n. 4. in fine, cùm aiunt, extraneos delinquentes contra statum fieri subditos ratione delicti: ideóque censuram incurrere posse. Frustra enim assumunt, quod probare debent: videlicet, peregrinos delinquere contra statutum proprium eius diœcesis, in qua pro tempore morantur. Nos autem contrà ostendimus, eos non delinquere contra statutum: quia non sunt subditi statuentis: priùs enim requiritur, vt aliquis sit subditus, quàm vt statuto obligetur, & contra illud delinquat, sicuti rectè notauit Suarez disp. 5. s. 5. n. 10. Quamuis ipsemet quoque num. 14. distinguat inter sententiam & statutum; propterea quòd statuto, cùm territorio inhæreat, affici debeant etiam peregrini, dum ibi existunt: quam sententiam refutaui cit. cap. 12. conclus. 3.

Dices. Negari non posse, eum, qui furtum sacrilegum in aliena diœcesi sub excommunicatione prohibitum committit, peccare; ideóque forum sortiri ratione delicti, sicuti constat ex c. vlt. de foro compet. Respondeo, peccare quidem contra legem; quatenus ea cōmunis omnium gentium, ipsiúsque naturæ est; & ratione huius peccati subditum fieri, ideóque citari posse, atq; Ecclesiasticis censuris compelli ad satisfaciendum: non peccare tamen contra legem, quatenus propria est huius diœcesis, censuram in se continens: cùm non sit subiectus huic legi, & legislatrici potestati. Vide Aulam p. 3. c. 3. disp. 2. dub. 3 concl. 1. & concl. 4. §. circa corollarium.

Exinde resolues hunc casum. Cùm Ordinarius alicuius loci intellexisset, aliquod in diœcesi sua crimen patrari, decretum ad Ecclesiæ valuas affixit, vt quicunque tale facinus imposterum committere præsumpserit, ipso iure excommunicatus sit. Postea verò cùm cognouisset hominem advenam, spreto suo decreto, in eo ipso deliquisse, eundem hominem tanquam excommunicatum publicè promulgari iussit. Respondetur ex dictis, Ordinarium non rectè processisse: Quia decretum eius, sub excommunicationis sententia latum, tantùm ad subditos se extendebat: advena autem ille non erat subditus, priusquam deliquit; postea verò ratione delicti subditus factus est: quare citari potuit, dum in territorio manebat, atque ad satisfactionem compelli; & tunc demum, si contumax esset, excommunicari.

Corollarium III. Subditus non incurrit excommunicationem, latam per statutum propriæ diœcesis, si contra illud agat extra diœcesin, vel intra diœcesin in loco exempto existens. Ita habetur expressè in c. 2. de constit. in 6. vbi Geminianus, aliíque Doctores, Abb. in c. vlt. de foro compet. n. 4. Couar. c. alma. p. 1. §. 10 n. 11. Propria huius rei ratio est, Quia, vt habetur in l. vlt. ff. de iurisdict. omnium iudicum: *Si quis supra iurisdictionem suam ius dicat, impunè ei non paretur*: Atqui, si legislator velit sua lege aut statuto subditos, etiam extra territorium obligare, tunc supra iurisdictionē suam ius dicit: eò quòd statutum, ex propria natura, territorium afficiat, & intra eius limites se contineat, vti dixi tract. super c. 11. n. 1. inassert. Ergo impunè ei non paretur. Ex quo rectè infert Suarez disp. 5. s. 5. n. 9. Si quis delictum, v. g. homicidium statuto proprio diœcesis suæ sub censura prohibitum, inchoauit intra diœcesin hominem persequendo, aut vulnerando: consummauit verò extra diœcesin, eundem occidendo, non incurrere censuram in homicidas latam: licet aliter puniri possit ab vtroque iudice tū delicti inchoati, tum consummati, iuxta l. 1. C. vbi crimine agi oportet. 6

Porrò de censura lata per sententiam, specialis difficultas est: Videlicet, si subditus contra sententiam superioris, puta Episcopi sui, sub excommunicationis vel suspēsionis pœna aliquid præcipientis, aut prohibentis agat extra diœcesin, vel in loco exempto, vtrum censuram incurrat? Puta si Episcopus clerico peregrinaturo sub pœna suspensionis præcipiat, ne aleis ludat, ne arma prohibita ferat, vel vt singulis septimanis sacrificet? Negant expressè Ægid. disp. 13. dub. 7. concl. 61. Auila d. 2. c 3. disp. 2. dub. 2. concl. 1. Henriq. lib. 13. c. 26. n. 1. Sairus lib. 14 thesauri cap. 6. n. 40. arg. cit. c. 2. & l. vlt. ff. de iuris. omnium Iudicum *Extra territorium ius dicenti non paretur impunè*: Si autem Episcopus aliquid sub censura prohibeat, aut præcipiat agendum extra diœcesin suam, ius dicit extra territorium: Ergo ipsi impunè non paretur.

Verùm hæc sententia solido fundamento non nititur: quare contraria magis placet, quæ & communior est Ab. in cit. c. vlt. n. 24. Geminiani in c. 2. de constit. in 6. n. 12. Vgol. tab. 1. c. 9. §. 3. n. 4. Sa ver. iudex de sentent. & citatione n. 8. Suarez disp. 5. in fine. Probatur primò: Ex discrimine, quod est inter statutum; & præceptum, siue sententiam. Statutum enim immediatè tendit ad territoriū, 7

alique cohæret: atque idcirco neminem ligat extra territorium existentem. Præceptum verò & sententia immediatè tendit ad personas subiectas, earúmque ossibus cohæret, quocunque terrarum discesserint. Probatur secundò: Superior subdito discessuro aliquid præcipiens aut prohibens sub censura: non fert sententiam extra, sed intra territorium suum: licet autem sententia, commisso crimine, incurratur extra territorium: id tamen fit sine cognitione causæ, & strepitu iudiciario: quia excommunicatio, & quæuis censura latæ sententiæ, tacitam, ac veluti insensilem executionem secum trahit, c. pastoralis, in fine, de appellat. Confirmatur I. Si alicui per sententiam, vel etiam per statutum, sub pæna excommunicationis ipso facto incurrendæ, homicidium prohibitum sit ille autem homine lethaliter vulnerato, fugiat, & vulneratus postea moriatur: quis neget homicidam excommunicationis sententiam extra territorium incurrere; Ergo nihil obstat excommunicationem incurri à subdito extra territorium statuentis. Vide Syl. ver. excommunicatio, 2. n. 8. Confirmatur II. Si subditus ratione domicilij, commisso delicto, fugiat, etiam absens per nuntium vel literas citari potest, isque comparere debet, & si contumax sit, excommunicari poterit, sicuti colligitur ex c. ex tuæ, de clericis non resident. Cuius rei rationem dat Abb. n. 41. *Quia citatio decernitur in proprio territorio ipsius Iudicis, licet nuntius exequatur extra territorium: sed illa executio nuntij iudicialis non est.* Idémque dicendum, si subditus ratione domicilij alibi deliquit, & à Iudice delicti præuentus non est: potest Iudex domicilij reum citare, & contumacem excommunicare, per ea, quæ ex communiore docent Abb. cit. c. cùm contingat, n. 7. & c. vlt. n. 13. de foro compet. Vgol. tab. 1. c. 2. §. 12. & c. 9. §. 5. in fine. Couar. in pract. qq. c. 11. n. 6. Iulius Clarus lib. 5. sent. §. pract. crimen. quæst. 39. Confirmatur III. Notum est ex c. postulasti, & c. vlt. de foro compet. peregrinum in alieno territorio delinquentem, ratione delicti subditum fieri, in ordine ad forum externum: nisi delinquens sit Superior, vel Papali priuilegio personaliter exemptus, sicuti docent Canonistæ ll. cc. & Vgol. tab. 1. cap. 2. §. 15. Clarus lib. 5. sent. §. practica crim. q. 38. & 39. Quòd si verò ille peregrinus, post commissum delictũ citatus, adeóque iudicio præoccupatus, fugiat: vel si à Iudice loci Ordinario postulatus, atque sistere se iussus non compareat, tum etiam absens excommunicari potest, sicuti ex cõmuni docet Abb. cit. c. vlt. n. 7. Ægid. cit. dub. 7. concl. 3. Henriq. lib. 13. c. 26. §. 2. Sairus lib. 1. thesauri cap. 6. n. 42. & 43. arg. Clemẽt. pastoralis, de re iudic.

8 Quæ omnia idcirco adduxi, vt intelligeretur, quòd Ordinarius extra suum territorium, siue diœcesin, sententiam ferre non possit (sicuti docet Gl. & DD. in c. Romana, §. contrahentes, de foro competen. in 6.) causam huius non esse, quia extra territorium non habeat subditos: Constat enim eos, qui ratione domicilij aut beneficij Ordinario subditi sunt, licet extra diœcesin abeant, semper tamen iurisdictioni subiectos manere, vt ipsis proinde imperari, & sententia in eos ferri possit, sicuti optimè notauit Abb. c. cit. cùm contingat, n. 7. Sed vera causa, cur in aliena diœcesi Episcopus sententiam cẽsuræ ferre nequeat, ea sola est, ne alienum territorium inuadere, atque violare videatur: qua ratione cessante, nihil omnino obstat, quo minùs Episcopus, aliúsue superior in alieno territorio iurisdictionem in suos exerceat: seu cum ijs dispensando, aliámue voluntariam iurisdictionem exercendo: siue ijs imperando, sub pœna censuræ, ipso facto & sine alia sententia incurrendæ, vt suprà dixi: siue particularem sententiam in eos pronuntiando, ob delictum notorium, quod nullam causæ cognitionem postulat: vel denique si alter Episcopus, in cuius diœcesi res agitur, facultatem det iudiciarium processum instituendi, sicuti docet Abb. c. nouit. n. 3. de offic. legati. Nau. c. 27. n. 6. Sairus lib. 1. thes. c. 6. prope finem.

Cap. V.

Ob quam causam censura fieri possit.

SVMMARIVM.

1 *Censura ferri non potest ob peccatũ merè internum; nec ob quoduis externum, licet graue sit, nisi etiam contumaciam adiunctam habeat.*

2 *Censura non incurritur ob peccatum, quod iure tantùm naturali aut diuino repugnat: sed requiritur Ecclesiæ præceptum.*

3 *Censura nunquam incurritur ob peccatum merè præteritum, seu quod penitus transactum est.*

4 *Censura infligenda non est, nisi præcedente canonica monitione.*

5 *Si ipso iure decreta sit censura sententiæ latæ, alia monitio non requiritur: sed reus, antequam declaretur, aut denuntietur, à Iudice citari & audiri debet.*

6. *Si à iure decreta est censura sententiæ ferendæ, infligi non debet reo, etiam conuicto, aut manifesto, nisi præcedente monitione.*

7 *Ignorantia (si crassa non sit, nec affectata) tum iuris, tum facti etiam concomitans, à censura excusat.*

8 *Qui scit opus prohibitum esse, nescit tamen annexam censuram; eam haud incurrit: secus est in irregularitate.*

9 *Qui ex graui metu Ecclesiæ legem aut præceptum transgreditur, censuram euitat: licet quandoque à culpa mortali non excusetur, vt si quis ob mortis metum cum consanguinea matrimonium contrahat, & consumet.*

ASsertio I. Nulla Ecclesiastica cẽsura ferri potest ob peccatum merè internum. Est communis doctrina. 1
Quia *Ecclesia non iudicat de occultis.* c. sicut tuis, de Simonia. Vide tract. præced. cap. 4. assert. 2.

Assertio II. Excommunicatio maior, & ferme etiam aliæ censuræ ferri non possunt, nisi ob peccatum mortale. Hæc assertio, quòd attinet ad excommunicationem traditur à Caietano in sum. ver. præcepti transgressio, §. pœna præceptorum. Palud. in 4. d. 8. q. 1. a. 2. Nau. c. 27. n. 9. Gabr. in 4. d. 18. q. 2. corol. 2. Soto d. 22. q. 1. a. 2. concl. 1. Couar. c. alma, p. 1. §. 9. Auila p. 2. c. 5. disp. 1. dub. 2. aliísque communiter, & sumitur ex c. nemo Episcoporum, c. nullus sacerdotum 11. q. 3. Trident. sess. 25. c. 3. de reformat. Nam pœna debet esse commensurata culpæ, c. Felicis, de pœnis, in 6. *Iudex pœnam metietur ex culpa.* Sed excommunicatio maior grauissima pœna est gladius spiritualis, ac neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, teste Trident. cit. c. 3. Ergo grauem siue mortalem culpam exigit. Alteram partem docet Ægid. disp. 13. dub. 8. num. 68. Quia etiam reliquæ censuræ, sicuti communiter ferri solent, magnis commodis spiritualibus priuant, vt infrà patebit. quare vt graues pœnæ, graue peccatum requirunt; sicuti ratiocinatur Suarez disp. 4. s. 4. Vasq. 1. 2. dis. 158. c. 5. n. 48. Sanchez lib. 6. moral. c. 4. num. 54.

Corollarium. Quotiescumque aliquis, ob ignorantiã, vel animi passionem, à grauitate culpæ mortalis excusatur, à censura etiam excommunicationis, graui suspensione, vel personali, eóque totali interdicto excusari debet, vt mox iterum dicam.

Assertio III. Non ob quoduis peccatum mortale ferri potest excommunicatio maior, aut alia propriè dicta censura: sed debet esse peccatum inobedientiæ, & contumaciæ, per quam reus Ecclesiæ monentis, ac præcipiẽtis autoritatem spernere censeatur. Ita de excommunicatione docet Abb. c. qua fronte, n. 10. de appellat. Sotus cit. a. 2. concl. 4. Petrus Sotus lect. 3. de excommun. Nau. c. 27. n. 9. Auila cit. c. 5. disp. 1. dub. 10. Sairus lib. 1. c. 9. n. 28. aliíque communiter, & sumitur ex cap. 18. S. Matth. *Si Ecclesiam non audierit*, id est, obediens ei non fuerit, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*; id est, tanquam non sit intra gremium Ecclesiæ, siue in numero fratrum: Loqui enim Christum de potestate Apostolis, eorúmque successoribus tradita ad ligandum & compescendum eiusmodi inobedientes ac contumaces, colligitur etiam

ex verbis

ex verbis statim adiectis: *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* De reliquis verò censuris id docet Suarez disp. 5. s. 5. num. 6. Ægid. cit. dub. 8. conclus. 6. & colligitur ex c. ex parte, 1. de verborum signif. vbi causa, ob quam excommunicationis vel interdicti sententia in aliquem proferri possit, dicitur esse contumacia. Et c. 1. de sent. excommun. in 6. postquam dictum fuit, quomodo excommunicatio sit *pœna medicinalis, non mortalis,* &c. subiungitur: *Et hæc eadem in suspensionis & interdicti sententiis volumus obseruari:* vbi Gl. ita *Ista tria paria sunt.*

Nota tamen cum Auila p. 2. c. 5. disp. 1. dub. 11. ad censuram non requiri inobedientiam directam, seu contemptum formalem: ne fateri cogamur, eum duplex peccatum committere, qui opus sub censura prohibitum exercet: Sed sufficit inobedientia generalis, & contemptus interpretatiuus. Nam ob Ecclesiæ tam seuerè præcipientis, ac comminantis autoritatem, atque ob spiritualium bonorum præstantiam, quibus aliquis priuandus est, quã maximè abstinere quisque deberet à peccato habente annexam: quare si non abstineat, censetur minoris quàm oportet, facere Ecclesiæ autoritatem.

2 Exinde plura corollaria inferuntur, quæ licet plerique Doctores peculiariter de excommunicatione tanquam præcipua censuræ specie tradere solent, tamen simili modo etiam in alijs censuris locum habent. Primum est. Excommunicatio, & quæuis alia censura nunquam incurritur propter peccatum soli naturali, aut diuino iuri repugnans, sed omnino requiritur præceptum Ecclesiæ, quod reus contumaciter spernat. Ita ex communi Suar. dis. 4. s. 5. n. 6. Ægid. cit. loco.

3 Secundum. Excommunicatio, aut quæuis alia propriè dicta censura nunquam infligenda est propter peccatum merè præteritum, id est, quod penitus cessauit, nullámque præsentem contumaciam siue inobedientiam coniunctam habet: tametsi alioquin grauissimum sit, vt blasphemia, Sodomia, &c. Est communis doctrina, & habetur in c. 1. c. ex parte, vbi duæ tantùm causæ afferuntur, ob quas excommunicationis, aut interdicti sententia in aliquem ferri possit: vel quia citatus ac monitus à peccato absistere, siue (vt ibi dicitur) iuri parere non vult: vel quia pro commisso peccato satisfacere iussus, recusat. Confirmatur ex cit. ca. 1. de sent. excommun. in 6. vbi habetur, quòd excõmunicatio (idéq; postea dicitur de suspensione & interdicto) nõ fit pura pœna, siue vindicta: sed *pœna medicinalis, disciplinans, non eradicans: quare cautè prouideat Ecclesiasticus Iudex, vt in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis, atque medentis est.* Quod verò attinet ad censuras, quæ à iure, vel per sententiam generalem statuuntur ipso facto incurrendæ, ita vt alia deinde Iudicis condemnatione opus non sit, eas manifestum est pro culpis merè præteritis, aut emendatis ferri non posse; sed in hunc modum: *Qui tale crimen admiserit:* vel *qui pro tali admisso crimine intra mensem non satisfecerit, excommunicatus esto.*

4 Tertium corollarium. Excommunicatio, & quæuis alia censura nunquam infligenda est, nisi præcedente monitione, & comminatione. De excommunicatione ita docent Sotus cit. articulo 2. conclusione 4. Auila citato capite 5. disp. 1. dub. 10. Nau. c. 27. numero 11. Sairus libro 1. capite 12. numero, aliíque communiter, & colligitur ex Apost. ad Titum cap. 3. *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem, deuita.* Et traditur apertè in cap. sacro, de sentent. excommunicat. & capite Romana eodem titulo in 6. De alijs verò censuris id docet Sanchez libro 9. de matrimonio. disputatione 32. numero 15. 17. & 21. Suarez disputatione 3. sessione 8. Ægid. disputatione 13. dub. 9. & habetur in capite reprehensibilis, de appellat. capite statutum, de sent. excommunicat. in 6. Ratio est, quia censura non fertur nisi in eos, qui contra Ecclesiam contumaces sunt: tales autem non sunt, nisi qui præcedente monitione, & comminatione censuræ, obedire recusant. Quæ ratio ostendit, censuram non solùm iniustam, sed etiam irritam esse, si sine vlla omnino præcedente monitione seu comminatione, in aliquem ob peccatum merè præteritum feratur, sicuti notauit Suarez disp. 3. s. 12. numero tertio, & disputatione 18. sessione 3. numero 29. Sotus in 4. distinctione 22. quæstione 1. articulo 2. conclus. 3.

His addendum est ex cap. constitutionem, de sent. excommun. in 6. iunct. Gl. & Doctores ibidem, Canonicam monitionem ex iuris præcepto, vt iustè censura inferatur, oportere esse trinam, interposito aliquorum, saltem duorum vel trium dierum, interuallo. Potest tamen etiam vnica monitio fieri pro trina, præfixo eo temporis spatio, quod pro trina sufficiat, iuxta l. contumacia, ff. de re iudic. Quamuis si criminis, aut mali impendentis periculum, factíve necessitas interdum aliud suadeat, dilationémque non patiatur; tunc Iudex statim rem aggredi, excommunicationem cõminari, & contra inobedientem proferre possit. Debet autem huiusmodi canonica monitio ad reum personaliter fieri, nisi is malitiosè latitet: tunc enim satis est citationem cum comminatione fieri ad eius domum, Ecclesiæ valuas, aliúmve locum publicum, vt ad ipsius notitiam deuenire possit: sin autem per contumaciam non compareat, etiam absens excommunicari potest. Vide capite quoniam frequenter, §. porrò, iunct. Glossam vt lite præcedente, &c. & Clement. causam, de elect. Couarruuias capite alma part. 1. §. 9. numero 4. Suarez disp. 3. s. 11.

Est porrò diligenter hîc obseruandum, canonicam istam monitionem solùm requiri ad censuram, quæ ab homine infligenda est, pro culpa præterita aut præsente, in qua reus contumaciter persistit, vel pro ea satisfacere iussus recusat, sicut optimè notauit Suarez disputatione 3. sectione 8. numero 5. & colligitur ex citat. capite ex parte, & citat. capite Romana, ibi, *nec in specie, nec in genere pro culpis & offensis præteritis, vel præsentibus excommunicationum sententias absque competetente monitione præmissa promulgent.* Ratio est: Quia si culpa antecedit Ecclesiæ præceptum aut sententiam, quando ob illam nulla adhuc censura lata est: tunc reus v. g. qui innocentes vexat, vel bona eorum possidet, nondum contumax censeri potest, priusquam ab Ecclesia monitus; vt ab iniuria desistat, vel illatum damnum resarciat, parere renuit. At verò ad incurrendam censuram iuris, aut sententiæ cuiuscunque pro culpa futura: v.g. *Si hoc fecerit,* vel: *Quicunque hoc fecerit, ipso facto excommunicatus, suspensus, &c. esto.* alia insuper monitio necessaria non est, sicuti habetur in capite reprehensibilis, de appellat. iun. Gloss. verb. ipso genere: siquidem ipsa lex, aut Iudicis præceptum generale, vel speciale, sub tali comminatione latum, continuò admonet: vt meritò inobediens ac contumax censeatur, qui obedire recusat. Idque maximè verum est, si aliquid fieri sub excommunicationis, vel suspensionis pœna prohibeatur: nam si aliquid fieri præcipiatur, tunc ordinariè requiretur monitio, vt appareat, an fuerit pertinaciter in mora, & nullo legitimo impedimento excusatus, iuxta ea, quæ docet Innoc. in ca. extirpandæ, §. qui verò, de præbend. & videri potest Alexander de Neuo super Abb. in c. excommunicationi, de raptor. 5

Nihilominus verò, etsi aliquis ipso facto, seu criminis admissione excommunicationem aliámve censuram contraxerit: si tamen à Iudice declarandus vel denuntiandus sit, necesse est eum priùs citari, data illi copia sui defensionis, quippe quæ naturali iure debetur, iuxta Clement. pastoralis, § cæterùm, de re iudicata. Et ita docet Gloss. in capite præsenti, verb. constiterit, de censibus Couarruuias parte 1. §. 9. numero 5. Auila parte. 2. capite 5. disputatione 1. dubio

5. Suar.disp.3.ſ.10. n.15. Nau.lib.5.conſ.2.num.2. & conſ. 7.n.4.& 8. de ſent. excommun.edit.2.vbi ait,ſine citatione,niſi cauſa omnino notoria ſit, declarationem fore nullam.

Dubium verò eſt,ſi à iure decreta ſit excommunicatio, aliàue cenſura, non latæ, ſed ferendæ ſententiæ, v.g. *Qui tale crimen commiſerit, excommunicetur*: vtrum Iudex ſtatim contra reũ de crimine conuictum procedere poſſit ad cenſuram ei inferendam, ſine alia monitione? Ita affirmat Abb c.cùm ſit Romana, n.28.de appellat. Sanch. lib. 2. de matrim. diſp.24.in fine. Auila cit.dub. 5. licet addat, meliùs facturum, ſi vnam ſaltem monitionem præmittat. Sed contrarium benignius & probabilius eſt, quod docet Suarez diſp. 3.ſ.10.num.19.& indicat Couar. l. cit. Caiet.ver.præcepti tranſgreſſio,§. pœnas, & colligitur
6 apertè ex cit.c.reprehenſibilis: *Nec Prælati, (niſi canonica commonitione præmiſſa) ſuſpenſionis, vel excommunicationis ſententiam proferant in ſubiectos: niſi fortè talis ſit culpa, quæ ipſo ſuo genere* (ideſt ex ſe,ſeu ipſo facto, ait Gl. ibidem) *ſuſpenſionis vel excommunicationis pœnam inducat*. Cùm igitur exceptio firmet regulam in aliis, ſequitur ad omnem omnino cenſuram, quæ non ipſo facto ſeu criminis admiſſione incurritur, ſed à Iudice actualiter infligenda eſt, canonicam monitionem, (eámque trinam per ſe loquendo) neceſſario præmittendam eſſe. Ratio eſt; Quia ob crimen merè præteritum aut emendatum, neque excommunicatio, neque alia propriè dicta cenſura infligi poteſt, vt ſuprà dictum: Si autem Iudex excommunicationem, aliámue cenſuram ſententiæ ferendæ exequi poſſet contra criminoſum, nulla præcedente monitione: tunc ſæpe accideret, cenſuram infligi propter crimen merè præteritum, aut emendatum. Quid enim? ſi Reus citatus, & crimen confeſſus, ab eo abſiſtere velit, & Eccleſiæ ſatisfacere; profectò excommunicari non poterit: cùm potiùs tunc abſolui deberet, ſi antea excommunicationẽ incurriſſet, iuxta c. qua fronte de appell. Confirmatur ex eo, quòd cenſura hæc actualiter non à lege feratur, ſed ab homine, ideóque legis monitio ſufficere non videatur, niſi etiam hominis monitio præcedat: ſaltem ordinariè, & niſi aliud cauſæ grauitas, ſeu neceſſitas requirat. Atque exinde rectè colligit Suar num.21. Delictum, quod tractũ ſucceſſiuum non habet, neque ſatisfaciendi obligationem parit, v.g. blaſphemiam, non poſſe prohiberi cum comminatione cenſuræ ferendæ.

Et hæc adeo vera ſunt, inquit Couar.l.c.num.6.vt etiã in notoriis, excommunicationis v.g. ſententia ferenda non ſit, niſi præmiſſa citatione, & canonica monitione: cùm enim cenſura ob contumaciam feratur, apparere non poteſt, vtrum reus contumax ſit, niſi moneatur. Secùs eſt, ſi cenſura ipſo facto contracta duntaxat à Iudice declaranda, aut denuntianda ſit: tunc enim, ſi factum, ſeu crimen adeo notorium exiſtat, vt manifeſtò conſtet, nullam defenſionem, aut excuſationem reo competere, citationem à Iudice intermitti poſſe, docet Abb. c.noſtram, 3.de iureiur. Nauar. lib.5.conſ.20.de hæret.num 5.edit.2 Andræas Gaill. lib.1.obſeruat.77.num.9. Auila loco ſuprà cit.concluſ.2. Suar.n.18.argum.c.de manifeſta,2.q.1.c.euidentia, de accuſat. c. bonæ, 1. de elect. vbi dicitur, quòd *exceſſus notorius examinatione non indiget*.

Quartum corollarium. Qui cum ignorantia non craſſa
7 ſeu ſupina agit contra id, quod ſub comminatione cenſuræ præceptum, vel prohibitum eſt, cenſuram non incurrit. Eſt cõmunis doctrina, ſumpta ex c. 2.de conſt.in6. *Vt animarũ periculis obuietur, ſentẽtijs, per ſtatuta quorũcũq; Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dũ tamen eorũ ignorantia craſsa non ſit, aut ſupina*. Ratio eſt: Quia ad incurrendã cenſuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, in eo conſiſtens, quòd aliquis monitioni legis aut præcepti, cum comminatione tantæ pœnæ ſiue cenſuræ, parere recuſat; Qui autem huiuſmodi Eccleſiaſticæ legis aut præcepti comminationem ſiue cenſuram ignorat, is contumax, vel clauium contemptor cenſeri non poteſt. *Non enim contemnit diſciplinam, qui ignorauit*, lib ſi ignorans, 50. ff. locati. Ergo, &c. Ex quo infertur, cit. cap. *vt animarum*, non nouum aliquod ius poſitiuum conditum fuiſſe: ſed id quod ipſa natura & inſtitutio cenſurarum exigit, declaratum: ſunt enim illæ inſtitutæ ad medendum, & diſciplinandum, non ad periculum animis creandum. Quapropter idem eadem ratione dici debet de Pontificijs cenſuris: quamuis in dicto capite 2. ſolùm Epiſcoporum mentio fieri videatur.

Porrò tradita doctrina extendi debet primò, vt etiam intelligatur de inconſideratione ſiue obliuione legis aut præcepti Eccleſiaſtici non craſſa, ſeu ſupina, vti aduertit Suarez diſputatione 4. ſect.8. numero 11. Quia ignorantia & inconſideratio æquiparantur: ſiquidem fieri etiam non poteſt, vt aduerſus legem vel præceptum Eccleſiæ contumax, aut contemptor exiſtat, qui ad illud non attendit.

Secundò extendi debet, vt non ſolùm locum habeat in ignorantia iuris, ſed etiam in ignorantia facti; puta, non tantùm ſi neſcias percuſſionem Clerici ſub excommunicationis pœna prohibitam eſſe: ſed etiam ſi neſcias Clericum eſſe illum, quem percutis; vtroque caſu cenſuram effugies, ſicuti definitur in c.ſi verò 2.de ſent. excommun. & docet Gloſſ in cit.l.ſi ignorans, ver. contemnit. Graffis 1. p.deciſ. lib.4.c.9.num.42. Couar.p.1.§.10.num 15. Suarez cit.ſect. 8.num.12. qui rectè addit, num.13.contra Syluest. ver. excommun.6.§.ſciendo 4. nihil referre, vtrum ignorans dederit operam rei alioquin licitæ, an illicitæ: qui enim manus violentas in Clericum inijcit, neſciens eſſe Clericum, is operam dat rei illicitæ: attamen cenſuram excommunicationis non incurrere dicitur in cit. c. ſi verò. Cuius ratio eſt, quia ignorantia tollit voluntarium circa obiectum illud quod ignoratur: ac proinde talis non peccat contra legem ſiue cenſuram Eccleſiæ de non percutiendo Clerico. Quòd ſi autem eiuſmodi v. g. percuſſores Clericorum nihilominus à cenſura excommunicationis abſoluãtur, id fieri ſolet *ad cautelam, & in quantum indigent*.

Tertiò extendi debet, vt locum etiam habeat, tametſi ignorantia concomitans ſit: v. g. Ruſticus clericum cædens ſi neſciat eſſe Clericum, excommunicationem non incurrit; quamuis ita animo comparatus ſit, vt, tametſi ſciret, nihilominus cæderet, vel etiã ſi optet Clericum eſſe, quem laicum arbitratur. Ita docet Vaſq.q.2.diſput.126.num.9. Henriq.lib.11.c.10.in princip. in comment.lit.a. Sanchez lib.9.de matrimon. diſput. 32. num.26. Suarez cit. ſect. 8.num.7.contra Couarruu.cit.n. 15.illat.10. Graffis cit. num. 42. Vgolin.tab.1.cap.9 §.8.n. 8. Ratio eſt; Quia cenſura Eccleſiaſtica nunquam fertur propter internam prauam operantis diſpoſitionem habitualem vel actualem: ſed propter externam Eccleſiaſtici mandati contumacem tranſgreſſionem: Qui verò actualiter ignorat, opus quod operatur Eccleſiaſtica lege ſub cenſura prohibitum eſſe, is contra Eccleſiæ præceptum nihil delinquit: ideóque nec actualiter contumax eſt: quãuis ponamus interno affectu delinquere, eum tamẽ Eccleſia non punit. Ex quo rectè colligit Sanchez l. c. idem ſentiendum de irregularitate, & reſtituendi obligatione quippe quæ non contrahitur ob prauum animi affectum: ſed ob externi operis prauitatem, vel illati damni iniuriã; cùm igitur ignorantia obiecti, circa quod externa operatio verſatur, tollat voluntarium, puta ſi inimicum tuum occidas, ratus eſſe feram, ſequitur etiam tolli iniuriam, omnémque prauitatem ab opere externo: neque infici ab interno prauo affectu concomitanter adiuncto, & non exiſtente cauſâ illius operis.

Quartò extendi debet, vt tametſi aliquis ſciat opus 8
prohibitum eſſe, etiam Eccleſiaſtica lege, ſi tamen ignoret, annexam illi cenſuram, eam haud incurrat. Quæ

eſt

est sententia Syluest. verb. excommun. 10. quæst. 3. Nau. c. 27. num. 274. & lib. 5. consil. 10. num. 4. de sepult. edit. 2. Sanch. num. 13. Suar. sect. 9. num. 19. Ægid. disp. 13. dub. 10. contra Gl. c. à nobis, de sent. excommun. Couarruu. c. alma, p. 1. §. 10. num. 9. Cordub. in quæstionario libro 2. quæst. 25. Probatur ex cap. proposuisti, d. 82. & suprà cit. c. 2. de constitut. in 6. vbi generatim definitur, *sententiis per statuta Ordinariorum prolatis, non ligari ignorantes.* quod dictum, cùm sit fauorabile, retenta verborum proprietate rectè intelligitur, vt tametsi aliquis statutum sciat, si tamen adiunctam sententiam seu censuram ignoret, ea non ligetur. Confirmatur ex ratione ibi adiuncta: *Vt animarum periculis obuietur.* Oportet enim censuram pœnam medicinalem esse: at non esset medicina, sed tantùm obesset, si etiam ignorata incurreretur. Denique, vt suprà dixi, nemo censuram incurrit, nisi aduersus Ecclesiæ potestatem, cum tantæ pœnæ comminatione, aliquid præcipientis, aut prohibentis contumacem se præbeat, non potest autem aliquis contumax censeri, si Ecclesiasticam pœnam siue censuram ignoret. Ex quo etiam colligitur, id esse proprium censurarum: aliisque pœnis non competere, sicuti dixi super tractat. c. 20 assert. 2. Quin & irregularitatem ex delicto arbitror re ipsa incurri, tametsi delinquens eiusmodi canonici impedimenti inuincibili ignorantia laboret: quamuis contrarium defendat Sanc. lib. 9. disput 32. num. 17. Sed quod dixi est ex communi sententia, eò quòd talis irregularitas non contrahatur propter contumaciam: sed propter turpitudinem seu maculam culpæ, qua criminosus, secundùm Ecclesiæ canonem inhabilis redditur ad altaris ministerium.

Porrò à tradita suprà doctrina, quòd *censura non liget ignorantes*, excipi debet, *nisi sit ignorantia crassa, seu supina.* cit. c. 2. Crassa autem ignorantia est, quæ ex magna cognoscendi negligentia oritur, siue quam facilè aliquis, cùm posset ac deberet deponere, negligit: qua de re Sotus in 4. d. 28. q. 1. a. 2. §. ex his primum, Sanchez num. 32. & sequentib. Ægid. disput. 13. dub 11. & docui suprà tract. 2. c. 4. Omnino tamen hîc requiritur, vt aliquis susceperit cogitationem aut suspicionem impositæ censuræ: sed nulla aut pene nulla adhibita veritatis indagatione, opus prohibitum exequatur, non sine virtuali contumacia & interpretatiuo contemptu, sicuti explicat Suarez disp. 4. sect. 10. n. 4.

Multo verò minùs à censura excusat ignorantia eius affectata, seu directe volita: hæc enim voluntarium culpæ non minuit: quin potiùs malitiam directam, siue ex proposito, & dolum formalem in se includit. Quapropter notant Doctores apud Sanchez num. 40. Henriq lib. 13. c. 23. num. 3. Suarez disp. 4. sect. 10. num. 2. Si censura lata sit contra eos, qui *scienter, consultò, temerario ausu, præsumptione* quippiam peccauerint: contrahi etiam ab iis, qui cum affectata ignorantia deliquerunt: secùs, si cum non affectata, quamuis crassa aut supina: quia hæc directam malitiam ac dolum formalem non continet. Quamobrem regulam tradit Nauar. comment. 4. de reg. num. 62. *Lex imponens pœnam præsumenti aliquid facere, non includit facientem per obliuionem, incogitantiam, vel simplicitatem sine dolo.* Quamuis ignorantia si nimis crassa videatur, in externo foro interdum dolo æquiparatur.

9 Quintum Corollarium. Qui ex graui metu mortis, infamiæ, &c. transgreditur legem aut præceptum Ecclesiæ, is non incurrit annexam censuram: tametsi quandoque à culpa, etiam mortali, non excusetur, si videlicet legem violet, quæ naturaliter etiam obligat. Exemplum affert Suarez libro 3. de legibus, capite 30. numero 14. Si quis graui metu adactus matrimonium contrahat, & consummet cum consanguinea, non incurrere excommunicationem ipso iure latam in Clement. vn. de consanguin. & affinit. Tum quia ad censuram requiritur contumacia, & interpretatiuus contemptus: qui autem ex graui metu peccat, alioquin non peccaturus, non censetur contumax, neque delinquere ex contemptu Ecclesiasticæ potestatis; sed ex mera infirmitate naturæ. Ergo, &c. Tum quia in ordine ad forum externum, & leges positiuas Ecclesiæ, grauis metus censetur *iustus, probabilis*: tametsi interdum à peccato non excuset, spectato naturali iure: sicuti dixi tractat. 2. c. 6 numero 5. & ex communiore docet Nauar. c. 27. man. numero 63. §. septima, & in capite ita quorundam, notab. 11. numero 18. de Iudæis. Suarez disputatione 4. sect. 3. numero 14. contra Sanchez libro 9. disputatione 31. numero 4. Ratio verò est: Quia Ecclesiasticæ leges ordinariè non obligant cum tanta seueritate.

Sed obiicitur c. sacris, de iis, quæ vi, metúsve causa fiunt, vbi habetur, quòd qui communicat cum excommunicato per vim seu coactionem; is censuram excommunicationis effugiat: qui verò ob metum, non effugiat: quia pro nullo metu culpam mortalem incurrere quis debeat. Huius capitis variæ sunt interpretationes, sicuti videre est apud Abb. ibidem, Vasquez 1. 2. disputatione 161. cap. 4. Mihi placet explicatio Suarezii disputatione 6. sect. 3. Ægid. disput. 13 dub. 12. numero 97. Propositum fuisse Pontifici, discrimen tradere inter coactionem & metum: quòd coactio seu vis semper à censura excuset; quia simpliciter aufert voluntarium: ideóque omnem culpam, ac pœnam in culpa fundatam. At verò metus, cùm relinquat voluntarium simpliciter, ideóque culpam non omnino auferat, non habet hanc vim, vt semper à censura excommunicationis excuset. Porrò quibus casibus excommunicatio incurratur non obstante metu, etiam graui, Pontifex non explicat: videtur autem tali regula explicari posse. Quotiescunque actio per censuram prohibita, ratione talis prohibitionis, ac circumstantiæ, intrinsecè mala redditur, tunc eam, quamuis ob grauem metum exercens, contra Ecclesiasticam etiam legem delinquit, & pœnam eius, puta censuram, vel irregularitatem incurrit. Exemplum habes si Sacerdos excommunicatus, ac publicè denuntiatus, graui metu adactus confessiones audire & absoluere præsumat, non sine irreuerentia Sacramenti, quod tali casu inualidè administratur; Vel si quispiam ab excommunicatis, graui metu intentato, adigatur, vt cum ipsis communicet in contemptum Ecclesiasticæ potestatis, aut cum Christianæ fidei detrimento: nam his casibus Ecclesiastica etiam lex obligare videtur, vt non obstante quouis priuato incommodo, bonum publicum Fidei ac Religionis, aut Sacramenti reuerentia & honor defendatur.

CAP. VI.

Quibus casibus censura iniusta: & quibus etiam inualida sit.

SVMMARIVM.

1 *Censura interdum iniustè fertur, tamen validè.*

2 *Censura lata post appellationem legitimam, vel cum alio defectu substantiali, irrita est: quare nec timenda, per se loquendo.*

3 *Si causa ferendi censuram re ipsa non subsistat, quamuis in externo foro secundum allegationes appareat, non obligat in cõscientia: debet tamen obseruari talis censura, quatenus necesse est ad publicam disciplinam & Iudicis autoritatem tuendam.*

Qui talem censuram violat, quamuis peccet, tamen irregularitatem non incurrit.

4 *Ad substantiam censuræ requiritur antecedens monitio: non tamen trina, nisi in casibus iure expressis.*

SVppono, quædam interdum illicitè, seu iniustè fieri: 1
quę tamen facta, rata & valida existunt. Sic etiã cẽsurę

interdum iniustè (id est, contra legalem iustitiam) ferũtur: quæ tamen ita latæ obligant, quia accidentali tantùm defectu laborant. Puta, si forma iudicij in censura ferenda à Iudice non obseruetur, quæ in c. sacro, de sent. excommun. & c. 1. c. Romana, c. constitutionem, eod. in 6. præscribitur: Vt canonica, id est trina, interpositis interuallis, admonitio antecedat, & vt sententia proferatur coram testibus, ex scripto, inserta causa, & & exemplum scripturæ tradatur Reo. Quòd si Iudex talem iudicii formam in excommunicatione, aliáve censura ferenda, temere, & sine iusta causa prætermiserit, vno mense ab ingressu Ecclesiæ & diuinis officiis suspensus manet, vti habetur in cit. c. sacro, & cit. c. 1. Hæc tamen pœna non comprehendit Episcopos, propter c. quia periculosum; eod. tit. in 6. in quo cauetur, vt Episcopi generali sententia suspensionis aut interdicti non comprehendantur, nisi de ipsis expressa mentio fiat. Vide etiam Trident. sess. 25. cap. 3. de reform. & Nauarr. capite 27. numero 10.

2 Censura non tantùm iniusta: sed etiam inualida ex triplici capite existit: Primò ob defectum ferentis, si iurisdictione vel simpliciter careat: vel impeditam habeat per censuram excommunicationis, suspensionis, &c. vel suspensam per legitimam appellationem, quæ interposita fuit ante sententiam absolutè à Iudice latam, c. 1. c. præterea, 2. de appellat. c. solet, de sent. excommun. in 6. Neque refert, vtrum ea verbis expressis facta sit, an facto: puta quia Reus Superioris protectioni se subiecit, vel ad ipsum iter arripuit, c. ad audientiam, c. dilecti, 2. de appellat. & docet Syl. ver. appellatio, quæstio. 15. Notant verò Gabr. in 4. d. 18. quæst. 2. Nau. cit. c. cùm contingat, de rescriptis, remedio 2. Cùm sententia excommunicationis, vel alia censura lata post appellationem legitimam, vel cum alio defectu substantiali, ipso iure irrita sit: sentẽtia autem inualida non censeatur sententia; ideo neque timẽdam, neque obseruandam esse per se loquendo, & nisi scãdali vitandi ratio aliud exigat. Quare inquit Gabr. *Si aliquis publicè excommunicatur, & denuntiatur nulliter, ex aduerso publicet ipse sufficienter causam, propter quam sententia est irrita, eoque facto non pareat sententiæ*, (quod intelligo dummodo nullitas sententiæ manifestò atque indubiè demonstretur) *& si aliquis tunc scandalizatur, non est scandalum pusillorum: sed Pharisæorum. Neque tenetur eam reuocare occultè ante scandali sedationem: sed neque in occulto, neque in publico coram sapientibus: quibus nota est nullitas sententiæ.*

Verùm, posteaquam sententia censuræ validè in aliquẽ lata est, eius effectus per sequentem appellationem non suspenditur, sicuti habetur in c. is cui, de sent. excommun. in 6. & c. ad hæc, c. pastoralis, §. verùm, eod. tit. cuius ratio ibidem affertur, Quia *excommunicatio*, sicut & quæuis alia censura; *executionem secum trahit.* Quare talis, non obstante appellatione, denuntiari potest, iuxta cit. c. pastoralis, §. verùm. Excepto, si appellatum est à sententia Iudicis delegati & Ordinarius appellationem admisit: tunc enim iurisdictionem in tali casu à delegato suo reuocare censetur, iuxta c. pastoralis, §. præterea, de offic. iud. delegat. Vide plura apud Nau. c. cùm contingat, de rescriptis, remedio 6. n. 7. Suar. disp. 3. sect. 15. Syl. ver. excommun. 2. n. 16.

Quæres. quid si aliquis ante latam sententiam appellauit: Iudex autem existimans appellationem illegitimam ac nullam, nihilominus procedat ad sententiam excommunicationis: excommunicatus verò, in appellatione sua confisus, bona fide celebret, vtrum irregularitatem incurrisse censendus sit, si postea Superior, ad quem appellatum fuit, pronuntiet appellationem nullam fuisse, & Iudicis prioris iurisdictionem non suspendisse? Responsio est negatiua, secundum Gloss. receptam c solet, ver. in officiis, de sent. excom in 6. Nau. c. 23. man. n. 104. §. succedit tamen quæstio, Auilam p. 2. c. 5. dis. 5. dub. 12. ex c. ad præsentiam, de appellat. Ratio est: Quia ad irregularitatem ex hoc capite incurrendam requiritur temeritas, aut saltem mala fides & culpa mortalis. Quare secùs dicendum, si mala fide appellationem prosecutus, post latam sententiam celebrauit, vt Auila ibi notauit.

Secundò redditur sententia censuræ nulla seu inualida ad defectum iustæ causæ; si videlicet ob nullam, vel ob leuem & non commensuratam culpam feratur. Qua de re vide Leonem I. Epist. 89. aliàs 93. ad Episcopos Viennenses. S. Augustinum epist. 75. ad Auxilium Episcopum. Porrò tribus modis iustitia causæ deficere potest; Primò, si à parte rei causa siue crimen subsistat: sed non in ordine ad iudicium; quia illud Reus nec confitetur, nec de eo legitimè conuincitur. Secundò, si à parte rei causa, siue crimen non subsistat: licet iuridicè contra Reum demonstretur, ideóque titulum siue causam præsumptam ferendi censuram Iudex habeat. Tertiò, si nec re ipsa, nec secũdùm allegationes, & externi fori præsumptionem causa subsit: vt si Episcopus excommunicet eos, qui Paschali tempore extra parochias Regularibus priuilegiatis confitentur. Quo postremo modo lata censura haud dubiè irrita est, quia tunc maxime *intolerabilem errorem continet*, vt iura loquuntur, c. solet, c. venerabilibus, § potest, de sent. excommun. in 6. iuncto c. irritam, c. cui est, 11. qu. 3. Sed & primo modo lata sententia, videlicet causa subsistente secundùm rem, sed non secundùm publicam notitiam iudicii, irrita censeri debet: nihil obstante, quòd Iudex crimen occultum priuata notitia perspectum habeat: quandoquidem is publicam personam gerens, secundùm publicam non priuatam notitiam iudicare debet. Qua de re Nau. cit. c. cùm contingat, causa nullitatis. 8.

De secundo verò modo diuersimodè loquuntur DD. 3
Mihi placet resolutio Suar. disp. 4. sect. 7. n. 8. Auilæ p. 2. c. 6. dis. 1. dub. 2. & 3. Ægid. disp. 13. dub. 13. quæ talis est. Censura lata contra innocentem, qui secundùm allegata & probata in iudicio censetur nocens, re ipsa & in conscientiæ foro non priuat eum Ecclesiæ suffragiis, aliisque spiritualibus commodis, aut facultatibus. cuiusmodi est v. g. iurisdictio in foro interno & externo, potestas conferendi, aut accipiendi Ecclesiastica beneficia, vsus Sacramentorũ actiuus & passiuus. Nihilominus eiusmodi sententia, secundùm legitimas probationes lata non omnino irrita est, aut omni effectu caret: quin potiùs necessitatem imponit existimato Reo, vt in facie Ecclesiæ, saltem coram iis qui censuram latam sciunt, innocentiam autem nesciunt, abstineat à Sacramentorum vsu, fidelium communione, aliisque rebus, quæ per censuram prohibentur, donec vel ab ea absolutus sit, vel innocentia ipsius, atque error censuræ publicè innotuerit. Prior pars assertionis est etiã Cai. 2. 2. q. 70. a. 4. ad 2. & t. 1 opusc tract. 19. ad 2. Soti in 4. d. 22. q. 1. a. 3. corol. 3. Cou. c. alma. p. 1. §. 7. n. 5. Tolet. l. 1. c. 10. §. ex parte verò excommunicati. neque dissentit Nau. c. 9. n. 4. & c. 23. n. 3. Ratio est, quia Ecclesia neque vult, neque potest excedere limites datæ sibi potestatis: atqui potestas per censuras ligandi per se tantùm data est Ecclesiæ aduersus inobedientes & contumaces: non etiam aduersus innocentes: Ergo nec potest, nec vult hos ligare, nisi quatenus id per accidens quandoque necessarium est ad publicam disciplinam & Ecclesiæ autoritatem tuendam: consequenter, si hæc ratio cesset, quia res occultè agitur, vel coram iis, qui hominis innocentiam perspectam habent, non est is censura ligatus: cùm neque coram Deo ligatus sit: quia *æterni tribunal Iudicis illum reum non habet, quem iniustè Iudex condemnat*, c. 1. de sent. & re iudic in 6. Hæc autem sententia re ipsa, & secundùm condemnati consciẽtiam iniusta est: licet in ordine ad forum externum iusta censeatur: ergò non ampliùs etiam obligat, nisi in ordine ad forum publicum seu faciem Ecclesiæ, ne legitimè cõdemnatus publicæ potestati resistere videatur. Vide quæ dicam l. 3. tract. 6. de iust. c. 2. n. 6.

Altera pars assertionis est ex mente S. Thomæ in 4. d. 18. q.

18. quæst. 2. a. 1. quæst. 4. S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 73. Couarr. cap. alma, p. 1. §. 11. num. 14. eandémque docent Nauar. & Tolet. ll. cc. & videtur tradita à S. Greg. hom. 26. in Euangel. quem refert Gratianus, c. 1. & c. non solùm, 11. quæ. 3. quòd *sententia pastoris seu iusta, seu iniusta sit, gregi timenda est.* Ratio est: Quia Iudex ex officio suo, pertinente ad publicam vtilitatem ac disciplinam, cui meritò commoda priuata posthaberi debent, obligatus est, vt in iudicio secundùm publica allegata & probata sententiam ferat, & Reo præcipiat: tametsi priuata notitia eundem innocentem cognoscat: sed innocentiam eius publicè ac legitimè ostendere non possit: consequenter in tali casu Reus condemnatus iustæ Iudicis sententiæ, ac præcepto parere obligatus est, quatenus præcisè necessarium est ad publicam disciplinam, & Iudicis autoritatem tuendam, vti rectè indicat Gratianus super c. si Episcopus, 11. q. 3. vbi explicans verba S. Greg. ait: *Non dicit sententiam iniustè latam esse seruandam, sed timendam: timenda est ergo, id est, non ex superbia contemnenda.*

Corollarium I. Si Clericus innocens secundùm publicas probationes à Iudice excommunicatus, actum sui Ordinis postea exerceat, non contrahit irregularitatem, sicuti notauit Sua. n. 20. Auila ci. du. 3. con. 4. contra Cou. §. 7. nu. 7. Quia talis non merè, ac simpliciter, sed tantùm apparenter, & in ordine ad forum externum censura ligatus est: Cùm autem canones irregularitatem decernunt violatori censuræ, intelligi debent de vera & simpliciter dicta censura: quia odia & pœnæ restringenda sunt.

Duo tamen hîc addo: I. Si talis innocens, secundùm publicas probationes, excommunicatus v. g. Sacerdos, occultè vel coram ijs, qui eius innocentiam cognitam habent, sacrificet, nihil quidem delinquit: si tamen in iudicio de hac re accusetur & conuincatur, tanquam irregularis à Iudice condemnari potest. Cùm enim in foro externo excommunicatus censeatur, consequenter etiam irregularis declarari debet, si in tali excommunicatione celebrasse demonstretur. II. Si talis re ipsa innocens, sed publicè cōdemnatus cum scandalo, & apparente contemptu Ecclesiasticæ potestatis celebret, & monitus desistere nolit, tunc de nouo verè excommunicari poterit, propter contumaciam.

Corollarium II. Si eiusmodi excommunicato propter falsas allegationes, Ecclesiasticum beneficium conferatur, videtur collatio in se valida, & prouisus in conscientia tutus; licet in externo foro à Iudice rescindi, vel irrita declarari possit. Ita docet Suarez cit. sect. 7. num. 27. & 29. Ægid. conclus. 3. Ratio est: Quia talis excommunicatio materialiter iniusta non reddit hominem verè & simpliciter inhabilem; sed solùm in ordine ad forum externum, & publicam existimationem, quatenus ita necesse est ratione communis boni, ac disciplinæ.

4 Tertiò demum redditur censura nulla, & inualida, si substantialis ordo iudicii prætermittatur; puta si Reus nō citetur, & ad sui defensionem admittatur: quanquam, si factum notorium sit, non ita iuris ordinem necessarium esse suprà monui. Semper tamen antequam censura in aliquem feratur, requiritur monitio: quam spernendo Reus in crimine persistere, & contumax esse incipit. Quāuis, vt suprà etiam dictum, ad valorem censuræ non requiratur monitio trina: præterquam si Episcopus vel similis Prælatus maioris excommunicationis sententiam ferat in eos, qui cum excommunicatis participant, ea participatione, quæ communi iure solùm minorem excommunicationem inducit: talis enim sententia, non præmissa canonica, id est, trina monitione, irrita decernitur in c. constitutione, de sent. excommun. in 6. Quod ipsum quoque extensum postea fuit ad sententiam suspensionis, & interdicti, in c. statutum, eod. tit. & lib.

CAP. VII.

De absolutione à Censura.

SVMMARIVM.

1 *Censura propriè dicta alio modo non tollitur, quàm legitima absolutione.*
2 *A censura lata per sententiam particularem is tantùm absoluit: qui eam tulit, vel eius superior, successor, aut delegatus.*
3 *Quicunque iure ordinario, vel ex priuilegio potest absoluere à censura iuris, is etiam potest absoluere à censura per sententiam generalem lata.*
4 *Preuentus à Iudice, forum ipsius in eadem causa declinare non potest.*
5 *Potestas absoluendi à censuris interdum delegatur personæ particulari, & quandoque etiam respectu certæ causæ, interdum verò vniuersim Episcopis, Ordini regularium, &c.*
6 *Si potestas absoluendi à censuris absolutè concedatur, intelligitur etiam in ordine ad forum externum, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.*
7 *Absolutio data in foro conscientiæ tantùm, non prodest in foro externo, nisi Iudex eam vltro acceptare velit.*
8 *Absolutio à censura interdum confertur ad cautelam, interdum ad reincidentiam.*

Assertio I. Censura nullo alio modo tolli potest, quàm legitimi Iudicis absolutione, vt nimirum eadem publica potestate, qua contracta est, etiam dissoluatur. Non enim tollitur per mortem ferentis, sicuti colligitur ex c. si Episcopus, 11. q. 3. quia pœna per legitimam Iudicis sententiam inflicta, transit in rem iudicatam: ideóque non finitur morte aut depositione Iudicis imponentis: multò minùs quæ à iure imposita pœna est, ab eius auctore dependet, sicuti neque ipsum ius siue statutum; sed neque per mortem eius, in quem censura v. g. excommunicationis lata est, ea omnino extincta censetur, cùm etiam mortuus Ecclesiæ suffragiis, & sepultura sacra carere debeat, iuxta c. à nobis, 2. de sent. excommun. c. is cui, eod. in 6. 1

Denique licet censura, vt valide feratur necessariò requirat antecedentem contumaciam, posteaquam tamen contracta est, per se ipsam non cessat, deposita contumacia, sicuti colligitur ex c. cùm desideres, de sent. excommun. Sed à Iudice per absolutionem tolli debet, c. qua parte de appel. Quod tamen intelligendum est de censura absolutè ac indefinitè lata: potest enim censura, saltem validè, in aliquem ferri sub tali conditione, vt cùm primum à contumacia recesserit, vel satisfecerit, ipso facto liber & absolutus existat, sicuti probabiliter docet Couar. c. alma, p. 1. §. 11. n. 5. Suar. disp. 7. s. 1. n. 11. Ægid. disp. 14. dub. 16. q. 5. concl. 1. contra Syl. ver. absolutio, 3. in pr. Nam sicuti valor cuiuscunque liberæ concessionis immediatè pendet à voluntate concedentis: ita & valor absolutionis à voluntate absoluentis: consequenter, si is velit, hoc vel illo eueniente, concessionem vel absolutionem ratam esse, statim ita erit. Alia verò ratio est de Sacramentis, quæ (excepto matrimonio) inualidè conferuntur v. g. *absolue te si restitueris*: propterea quod ministratio Sacramentorum non dependeat ex libera voluntate seu intentione ministri nisi ea actu concurrat cum exhibitione materiæ, & formæ, secundùm Christi institutionem, sicuti bene inter alios notauit Ægid. tom. 1. quæstione 64. art. 8. dub. 2. concl. 4.

Neque his obstat reg. 50. in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.* Censura autem, eiusque absolutio est actus legitimus, quippe Ecclesiasticis legibus & canonibus introductus: Ergo non recipit conditionem, & diem. Respondetur. Dictam regulam sumptam esse ex re. 77. ff. vbi apertè declaratur, eā nō esse vniuersim de legitimis act. intelligēdā: sed de ijs tātū, quibus ex propria na-

tura vel institutione repugnat diei aut conditionis adiecto: licet autē repugnet censurā propriè dictā ferri ad certum diem, vel tempus, v.g. *excommunicatus esto vsque ad triennium*: propterea quòd censura non sit pœna merè afflictiua, sed contumaciæ correctiua: non tamen repugnat censuram ferri sub hac ipsa conditione, vt duret donec in contumacia perseueratur. Quamuis haud consuetum est tali modo censuram decernere, vt præstita v.g. satisfactione, per se ipsam expiret: sed potiùs vt à Iudice per legitimam absolutionem auferatur, sicuti videre est in c. quanquam, de censibus, in 6.

2 Assertio II. A censura lata per sententiam particularem is solùm absoluere potest, qui eam tulit, vel eius superior, successor, aut delegatus. Sumitur ex c. pastoralis. §. præterea, vbi id notat Abb. num. 1. de off. ordin. & ex Can. 47. Concil. Nicœni Arabici, *Nullus Episcopus soluat, quem alius Episcopus ligauit, quamdiu ille, qui ligauit, vixerit.* Consentit Can. 5. græcan. & Can. 16. Concil. Carthag. 6. De auctore, siue qui censuram tulit, certum est ex regula recepta: *Eiusdem esse soluere & ligare*, & vt dicitur in c. verbum. d. 1. de pœnit. *Par est ius soluendi & ligandi.* Quod verum est, dummodo iurisdictio in illo duret: secùs, si extincta sit per depositionem: vel impedita per censuram excommunicationis, suspensionis, &c. vel in Iudice delegato, si tempus delegationis finitum sit, iuxta c. quærenti, de officio delegati. & videri potest Nau. in cit. c. verbum, resp. ad 2. Suar. disp. 7. s. 2. n. 7. Vel si certâ ipsi causâ delegatâ, definitiuam sententiam tulit, quamuis etiam tunc ad eius executionē totius anni spatium concedatur: vt proinde, si Reus à Iudice delegato ante, vel post sententiam definitiuam excommunicatus sit, atque intra annum à definitiua sententia numerandum, deposita contumacia, sententiæ parere velit, adhuc ab illo absolui possit: post annum verò ad delegantem remitti debeat, sicuti habetur in cit. c. quærenti, de offic. deleg. & explicat ibid. Gl. & Abb. n. 7. Nau. c. 27. nu. 40. Ægid. Coninck cit. dub. 16. q. 14. n. 256. Denique si Superior censuram ferentis, ex certa scientia, expressè vel tacitè (puta per illius confirmationem) ad se reuocet, sibique propriam faciat, consequenter & absolutionē eius sibi reseruet: tunc inferior, qui eam tulit, auferre deinde nō potest, sicuti docent DD. in c. ex frequentib. de Instit. Syl. ver. absol. 2. q. 4. Nau. l. c. Suar. disp. 7. s. 2. n. 14. Exemplum eiusmodi generalis auocationis habes in c. tua nos, de sent. excom. vbi prouidetur, vt incendiarij, si nominatim excommunicati & publicè denuntiati sint, pro absolutionis beneficio ad Sedem Apostolicam mittantur. Vide Gl. ibi. verbo publicati, in fine.

De Superiore, (quòd à censura Iudicis inferioris absoluere possit) intelligi debet, non quolibet; sed eo duntaxat, qui plenam & ipse iurisdictionem obtinet in eos, qui censura ligati sunt: qualem habet Sum. Pontifex in omnes excommunicatos; & Prælatus Ordinis superior in omnes subditos Prælati inferioris: quare Prouincialis v. g. absoluere potest, quem Prior aut Guardianus excommunicauit: sicuti & causam ab inferiore Prælato inchoatam ad se auocare non prohibetur, teste Suar. cit. s. n. 18. Sylu. ver. absolut. 2 in princ. Auila p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 11. At verò ligatos censura Episcopi Archiepiscopus siue Metropolitanus absoluere non potest, nisi ad ipsum appellatum sit; & tunc vocatis partibus ac cognita causa appellandi, si ea in dubium reuocetur, sicuti habetur in c. Romana, §. cùm autem, & seqq. de appellat. in 6. Idémque dicendum de Legato Sedis Apostolicę; qui licet aliquo modo Superior sit Episcopi, non tamen in ordine ad causas subditorum, quippe quæ in prima instantia coram Episcopo terminari debent, sicuti dixi tractatu præced. capite septimo. numero 21. Episcopus quoque excommunicatos Regulares à proprio Prælato ex causa pertinente ad regularem disciplinam absoluere non potest: quia *correctio Monachi primo loco ad Abbatem spectat*, ait Gl. in cap. quantò, ver. si Prælati, de offic. Ordinarij, & colligitur ex cap. reprehensibilis, de appellat. Quamuis, si Regulares exempti non sint, ab iniusta sententia Prælati ad Episcopum appellare non prohibeantur, sicuti notauit Abb. in cit. c. reprehensibilis, n. 11. & per sensum contrarium colligitur ex cap. ad nostram, de appellat. Vide quæ dixi citat. capite 7. §. 8.

Deinde limitari debet tradita doctrina, nisi alicubi consuetudo obtineat, vt causâ à Prælato inferiore cæptâ & præuenta, superior intromittere se non debeat, si ad ipsum appellatum non sit, sicuti notauit Gloss. in citato capite quantò, Sylu. & Suarez ll. cc. Denique statutum est in capite cùm ab Ecclesiarum, de offic. Ordinarij; vt Prælatus superior, puta Episcopus, inferioris Prælati, v. g. Archidiaconi, vel Archipresbyteri (cui ratione beneficij sui iurisdictio competit) sententiam non relaxet, nisi cum conscientia eiusdem, & congrua satisfactione Reo impositâ. Veruntamen si relaxatio, seu absolutio aliter fiat, rata censeri debet, tametsi illicita, secundùm sententiam Gloss. ibidem quam communiter receptam testatur Couarruuias capite alma, parte 1. §. 12. numero 3. Sylu. libro suprà citato & videri potest Rich. in 4. d. 18. articulo 9. q. 1.

De successore, quòd absoluere possit à censura, quam antecessor tulit, dubium esse non potest, & habetur apertè in capite si Episcopus, 11. quæstione 3. & capite 1. de maior. & obed. in 6. *Episcopali sede vacante, potest Capitulum, seu is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, ijs quibus posset Episcopus, si viueret, ab excommunicationis sententia, siue iuris, siue hominis fuerit, absolutionis beneficium impartiri.* Ratio est, quia potestas per censuram ligandi & soluendi competit Prælato ratione beneficij muneris aut dignitatis suæ, quæ cum illius morte, aut depositione non extinguuntur: sed ad successorem transeunt. Adde, idemquoque locum habere in Iudicibus delegatis, si vnus alteri in delegatione succedat, iuxta capite pastoralis, §. præterea, de officio Ordin. vbi habetur: Si delegatus Papæ, qui Reum contumacem excommunicauerat, mortuus sit, non posse excommunicatum, extra mortis articulum vel ab Ordinario loci (cùm delegatus quantum ad illud sit maior Ordinario) vel ab alio quouis, præter Romanum Pontificem, absolui; *nisi fortè delegatus talis extiterit, cui alius succedat in onere & honore.*

Denique de delegato, quòd possit absoluere à censuris, si qui eas tulit Iudex ordinarius, aut delegatus subdelegandi potestate præditus, talem illi absoluendi facultatem committat, nemo dubitare potest. Solùm hîc nota; si Papa, aliúsue Ordinarius alicui mandet, vt certum hominem excommunicet, sine alia commissione causæ: non posse eum deinde absoluere: eo quòd non iudex delegatus, sed merus executor censeatur, sicuti notauit Na. c. 27. n. 44. Auila p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 9. casu 4. Suarez cit. s. 2. n. 8.

Porrò, quòd præter hos, qui numerati sunt, nemo alius à censura per sententiam particularem latâ absoluere possit, inde probari debet: Quia iudicialis causa, per Rei citationem, quæ necessariò sententiam censuræ antecedere debet, coram proprio iudice cæpta est: ergo si alius Iudex quicunque (præter superiorem, successorem, vel delegatum) se intromittat, & Reum absoluere tentet, manifestò eius iurisdictionem violat, & interturbat. Veruntamen, si ligatus excommunicatione seu ab homine, seu à iure inflicta, satisfacere paratus sit: sed longissimè distet ab auctore, cui absolutio reseruatur: potest interdum ab inferiore absolui, præstita cautione, quòd quamprimum poterit, conspectui eius, ad quem iure ordinario absolutio spectat, se præsentare velit, sicuti colligitur ex capite qua fronte, de appellat. & tradit Nauar. libro 5. consil. 45. num. 2. & consil. 49. nu. 6. de sent. excommun. edit. 2.

Assertio III. A censura lata ab homine per sententiam gene- 3

generalem omnis ille absoluere potest, cui vel iure ordinario, vel ex priuilegio concessum est absoluere à censuris iure, seu statuto impositis. Quæ est probabilior, & in praxi tuta sententia, quam post Imolam in c.graue. de præb. &c. ex frequentibus, de Instit. docent Nau. ci. n. 44. & in c. ita quorundam, Gl. vlt. de Iudæis, Couar.p. 1. §.12.n.4. Tol.lib 1.c.16.n.7. Henriq. lib.13. c.28.n.5. lit. y. Auila p.2. c.7. disp.1.dub. 9. Ægid. disp.14 dub. 16 concl. 15. argum. cit. c. ex frequentibus, de Institut. quamuis Gl. & Hostiensis ibid. Vgol. tab. 1. c.3.§. 4. n. 4.contrariũ sentiant. Ratio est: Quia censura generatim lata non continet propriè sententiam Iudicis. quam rescindere alius non possit sine violatione iurisdictionis, vt suprà dixi: sed potiùs continet præceptum, sub tali pœna siue censura impositũ, ideóque æquiparatur in hac parte censuræ iuris, siue statuti, sumpto argumento ex c. nuper, de sent.excommun. vbi sententia excommunicationis bimembris tantùm traditur: Vna *iudicis*, & altera *iuris*: & ab illa absoluere debere Iudicem, qui eam tulit; ab hac verò quemcunque Ordinarium absoluere posse; nisi auctor eam sibi reseruârit.

4 Corollarium. Qui alicui Episcopo subditus seu ratione solius delicti, ab illo propter crimen & contumaciam excommunicatus fuit, tametsi postea aliò proficiscatur, domicilium mutet, vel Religionem ingrediatur: non potest tamen ab altero Episcopo, vel Prælato absolutionem consequi: eò quòd prior Episcopus, qui excommunicauit, propter causam in Consistorio suo cœptam & nondum absolutam, ius in excommunicatum adhuc retineat, sicuti colligitur ex c. proposuisti, de foro competente, vnde generalis hæc regula sumitur: Quòd *præuentus à Iudice, forum ipsius in ea causa declinare non potest.* At verò si quis in propria diœcesi Frisingensi excommunicationem iuris, aut sententiæ generalis contraxit, ac postea domicilium Ratisbonam transferat, potest is tunc à Ratisbonensi Episcopo absolui: imò etiam à Parocho, si talis excommunicatio ibi reseruata non sit, sicuti colligitur ex cit. c. nuper. Eadémque ratio est, si ciuis Monacensis, aut Frisingensis, dum negotij causa Ratisbonæ maiorem anni partem moratus, censuram excommunicationis ibi generatim latæ contraxit, ac postea in patriam rediјt: potest enim tunc ab Episcopo Frisingensi, aut proprio Parocho absolui, sicuti notauit Ægid. disp. 14. dub. 16. q. 15. n. 258.

Assert. IV. A censura iuris, vel sententiæ generalis, quam auctor sibi reseruauit, nemo absoluere potest, præter ipsum, eiúsue superiorem, successorem, vel delegatum. Sumitur hæc assertio ex cit. c. nuper, & pari modo intelligenda est, quo assertio secunda.

Porrò, quod ad delegatum attinet, notandum est;
5 Potestatem absoluendi à censuris reseruatis varijs modis delagari posse: Vel enim delegatio particularis est facta determinatæ personæ, & interdum in ordine ad certam causam: v.g. *committo tibi, vt causa cognita, hunc ab excommunicatione absoluas*, Interdum verò generalis delegatio est: quæ fit v.g. omnibus Episcopis, aut omnibus Cõfessarijs, aut certo Confessariorum Ordini: idque vel ad certum tempus, ob publicam aliquam causam, sicut fieri solet in Iubilæo, Bulla cruciatæ, &c. Vel per modum priuilegij perpetui: quale est priuilegium Religiosis mendicantibus concessum absoluendi à quibuscunque censuris iuris, ijs exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur. Cuiusmodi generali concessione, (qualis etiam in Iubilæis fieri solet) haud dubiè comprehenduntur quoque censuræ, quas Episcopi diœcesano statuto, vel generali sententia sibi reseruant. Quandoquidem talis reseruatio fit respectu inferiorum tantùm, & nequaquam summi Pontificis: ideóque certum est, eum ab omnibus casibus & censuris Episcopalibus absoluere: cõsequenter etiam alijs absoluendi facultatem committere posse: velle autem per dictas Bullas & priuilegia tam amplam potestatem delegare, tum verba ità generatim prolata significant, tum praxis etiam confirmat, sicuti ex communi testatur Suarez disp. 7. s. n. 14.

Præterea, interdum delegatur absolutio à censuris: vt valeat in foro conscientiæ tantùm: cuiusmodi est priuilegium Regularium, de quo paulò ante dixi: Interdum verò vt valeat in vtroque foro tam externo, quàm interno. Quòd si in Bulla nihil exprimatur, sed absolutè cõcedatur facultas absoluendi à censuris, in dubio accipi debet de vtroque foro: quia gratia siue beneficium Principis latissimè interpretandum est, l. beneficium, ff. de con stitut. Principum. Verùm interdum ex circumstantijs, & materia subiecta coniectura capi potest, non fuisse mentem Pontificis delegare potestatem absoluẽdi à censuris cum preiudicio fori externi; sed tantùm in fauorem animæ: puta cùm in Bullis Iubilæi, aut Cruciatæ datur potestas Confessarijs absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, intelligi debet in ordine ad forum conscientiæ tantùm, sicuti docet Couar. c. alma part.1. §.11. num.16 Gutierez lib.1. canon. qq. cap. 2. num 10. Auila part. 2. cap.7. disp.3. dub. 12. contra Medinam in summa, lib. 2. cap.12. in fine. Suarez disp.7.s.5. num.21. Nam sicuti virtute Bullæ absolutus à peccatis enormibus: nihilominus in foro exteriore accusari & puniri potest, sicuti docet Gl. in c. de his, de accusat. Couar. 2. resol. cap.10. num. 3. ita etiam si quis virtute eiusdem Bullæ à censura absolutus est, tale beneficium ad forum contentiosum non porrigitur. Quia forum conscientiæ & forum externum iudicij valde distincta sunt: siquidem in illo præcipuè spectatur animæ salus, & diuinæ offensæ compensatio: in hoc verò ad publicam etiam vindictam, & Reipublicæ satisfactionem attendi debet, sicuti præter alios docet Lud. Miranda to.1. man. Prælat. q.46. a.7. vbi, Absolutionem in foro conscientiæ dici, non quòd fieri debeat in secreta confessione; sed quòd *fiat sine strepitu iudicij, & sine derogatione iuris alterius, ac denique duntaxat vt animæ, quæ excommunicationis vel alterius censuræ vinculo ligata erat, absoluta maneat coram Deo.*

Sed addendum hîc est, an & quatenus absolutio à censura in foro conscientiæ data, pro foro etiam externo prodesse possit. De hac re dico 1. Qui in foro Cõsciẽtiæ per Bullam, Iubilæum, aut priuilegium ab excommunicatione v. g. absolutus fuit, is in facie Ecclesiæ, si excommunicatio eius notoria fuit, perinde à sacris, & alijs rebus, quæ excommunicato interdicuntur, abstinere debet ac si absolutus non esset: quamdiu de legitima eius absolutione publicè non constat. Quare si interea publicè celebrare præsumat, ab Ecclesiastico Iudice, perinde ac irregularis puniri poterit: Quamuis, si velit Iudex, eiusmodi absolutionem in foro conscientiæ datam, etiam pro externo foro acceptare possit, atque accusationem Fiscalis, quòd Reus in excommunicatione celebrârit, repellere. Ita docet Henriq. lib.13. cap.27. num.5. lit. v. Auila.p.2. cap.7. disp.3. dub.12.§. ex dictis sequitur. Et hæc eadem locum etiam habere in dispensationibus concessis pro foro conscientiæ tantùm, monet Nauar. lib.2. consil. vlt. de iudic. num.7. edit.2.

Dico II. Si excommunicationis v.g. censura occulta fuit, tunc non prohibetur, qui ab ea in foro conscientiæ absolutus est, etiam publicè celebrare. Quòd si verò accidat eius excommunicationem postea innotescere, & causam ad forum externum deferri, puniri quidem propter crimen, cuius causa censuram incurrerat, atque satisfactio ei imperari potest: sed nequaquam tanquam irregularis propter celebrationem condemnari debet: dummodo de absolutione fidem facere possit, per Confessarij testimonium, vel testes: qua de re Nauar. lib.2. consil.5. de fide instrument. edit. 2. Suarez disp. 7. s. 5. num. 26. Eadémque ratio esse videtur, etsi excommunicatio notoria fuit: absolutus tamen in foro conscientiæ occultè & sine vllo scandalo celebrauit. Quamuis hîc cautiùs

agendum est, præsertim si causa ad forum iudiciale deducta fuerat: tunc enim absolutio, & multò magis celebratio cedit aliquo modo in præiudicium externi fori: vt proinde Iudex talem absolutionem non admittere cogatur; sed celebrantem, tanquam irregularem, punire possit: quare priuilegiatus sine consensu Ordinarij absoluere facilè non debet à censuris notorijs, si eæ ad forum iudiciale deductæ sunt, vel probabiliter deducendæ putantur, sicuti docet Henriq. lib. 13. c. 28. n. 2. Ægid. disp. 14. dub. 16. n. 207. Quia, vt infrà dicam, absolutio danda non est, priusquàm parti læsæ, & consequenter si Ecclesia, aut status clericalis v. g. notoria clerici percussione læsus fuit, priusquam Ecclesiæ satisfactum sit: propterea quòd Reus, postea quam absolutionem à censura v. g. excommunicationis re ipsa consecutus fuit, non ita efficaciter ad præstandam satisfactionem siue emendationem vrgeri possit.

8 Ad extremum dicendum est, absolutionem à censura varijs modis ferri: Primò purè & simpliciter; v. g. *Absoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi ob talem causam.* Secundò sub conditione pendente in futurum: quem tamen modum vsitatum non esse, suprà dixi n. 1. Tertiò ad *cautelam*, si nimirum suspicio, vel dubium subsit, num aliquis censuram incurrerit, tunc absolui solet sub conditione, v. g. *Absoluo te à censura excommunicationis, si indiges*; vel *si eam incurristi, ob tale crimen.* Interdum verò, etsi nulla suspicio censuræ contractæ adsit, præmitti solet absolutio à censuris ante sacramentum pœnitentiæ, *Absoluo te à vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum & indiges*, ad vitandam irreuerentiam, si forte pœnitens in occulta censura sit: vel ante collationem ordinum, ad vitandam irregularitatem ordinati: vel ante electionem, aut collationem ecclesiastici beneficij, aut alicuius priuilegij, ad vitandam eius inualiditatem. Qua de re Couar. c. alma, p. 1. §. 12. n. 7. Vgolinus tab. 1. c. 22. §. 1. n. 9. Suarez disp. 7. s. 8. n. 12. Quartò dari solet quandoque absolutio *ad reincidentiam*, idque duobus modis: 1. Ad certũ effectum, v. g. vt excommunicatus testari possit, vel vt facta ipsi collatio valeat: quæ tamen re vera non est propriè absolutio ad reincidentiam; sed potiùs dispensatio quædam vt actus subsistat, non obstante impedimento censuræ, à qua tamen dispensatus simpliciter non liberatur; ideóque nec propriè reincidit.

Porro frequenter talis absolutio tribuitur tantùm *ad cautelam*: *Si fortè censura ligatus es, ad effectum talem consequendum duntaxat, te absoluimus*, iuxta c. Apostolicæ, de exception. & c. veniens, 2. de testibus, in quo notant DD. & Vgol. tab. 1. c. 4. §. 5. n. 18. Suar. cit. s. 8. n. 20. quòd Iudex ecclesiasticus, etiã delegatus, licet alioquin à censuris absoluendi potestate præditus non sit: nihilominus absoluere potest, si ita necesse sit, vt testimonium alicuius recipiatur, ad præsentem causam decidendam, quando aliorum testimonia haberi nequeunt: Quanquã id speciale sit in testis receptione; & ad alios fines, puta collationem beneficij, &c. transferri haud possit.

Secundò datur absolutio, eáque propriè dicta ad reincidentiam, cùm certa conditione, quam nisi absolutus intra præfixum tempus, vel quamprimum commodè potest adimpleat, v. g. Ordinario se sistat, aut parti læsæ realiter satisfaciat, in eandem, vel potiùs similem censuram denuò incidat. Dixi, *Vel potius similem* Nam si propriè loquendum sit, censura illa, in quam quis recidit, nõ est eadem numero cum illa, quæ per veram, absolutionem priùs sublata fuerat: quamuis similis, æquiualens, vt moraliter eadem iudicetur, sicuti annotauit Sanchez lib. 2. moral. c. 13. n. 28. Quamobrem nouum etiam cõtumaciæ peccatum requirit; nouam item Iudicis, aut legislatoris sententiam latam sub conditione, nisi tale quid absolutus præstiterit, ad quod iure obligatur: quasi idipsum absque sua culpa intermiserit, aut distulerit re ipsa in excommunicationem non recidit, sicuti docet Auila p. 2. c. 7. disp. 3. dub. 14. Henriq. lib. 13. cap. 29. n. 2. in comment. lit. u.

PARS SECVNDA.

DE CENSVRA EXCOMMVNICATIONIS.

CAPVT. I.

QVID SIT EXCOMMVNICAtio, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis nomen, si absolutè proferatur, accipi solet pro maiore: qua aliquis propter contumaciam ab Ecclesiæ communione separatur.*

2 *Triplex est communio inter fideles, merè interna, merè externa, & mixta.*

3 *Ecclesia neminem priuare potest communione fidelium merè interna, quæ est per Fidem ac Charitatem.*

4 *Pro excommunicatis licitum est orare priuata intentione: etiam in memento Missæ.*

5 *Ecclesia per excommunicationem priuat hominem communibus suffragijs, vsu Sacramentorum, & fidelium conuictu.*

6 *Excommunicatio est pœna, qua nulla maior in Ecclesia est. Communitas collectiuè excommunicari non potest.*

7 *Anathema ab excommunicatione essentialiter non differt.*



Excommvnicatio est censura, per quã aliquis ab Ecclesię communione separatur. Diuidi solet in maiorem ac minorẽ. Maior est, quæ à communione fidelium simpliciter separat. Minor, quæ à communione fidelium separat secundùm quid, videlicet secundùm vsum passiuum, seu perceptionem sacramentorum tantùm, sicuti habetur in c. si quem, de excommun. Ex quo colligitur, nomen excommunicationis esse analogum attributionis; ideóque, si absolutè ponatur, accipiendum esse pro principali, seu maiore excommunicatione, sicuti expressè dicitur in cit. c. si quem. Prӕterquam, si ex adiunctis aliud colligi debeat, videlicet ea solùm prohiberi vsum sacramentorum passiuum, sicuti videre est c. cum excommunicatio 11. q. 3. & c. Sacerdos e. d. 1. de consecrat. vel solam perceptionem sacræ Eucharistiæ, vt in c. qui verò, 11. q. c. de presbyterorum, 17. q. 4. Vide Suar. disp. 8. s. 3. 1

Omissa autem excommunicatione minore, de qua postea dicam; Maior excommunicatio fundamentum habet in verbis Christi apud S. Matth. c. 18. *Si Ecclesiam non audierit*, &c. quorum sensum tradidi parte præced. cap 5. n. 1. Et in facto Apostoli, qui 1. ad Corinth. 5. 1. ad Timoth. 1. quosdam *Sathanæ tradidisse* se ait, quando eos excommunicauit, siue ex consortio fidelium tanquã exules eiecit, sicuti colligitur ex verbis cit. cap. 5. Cur *non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestri, qui hoc opus fecit?* Siquidem, vt apud Gratianũ legimus causa 11. q. 3. *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur: quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicuti*

sicuti in Ecclesia Christus. Vide plura apud Sotum in 4. d. 22. q.1. a.1. Bellar. lib. 3. de Ecclesia militante, c.6. & Gratianum cit. q.3. illud imprimis quod can.17. ex Arausicano concilio refert: *Canonica instituta, & SS. Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores, auctoritate Dei, & iudicio S. Spiritus, à gremio S. Matris* Ecclesiæ, *& à consortio totius Christianitatis eliminamus, quoadusque resipiscant, & Ecclesiæ Dei satisfaciant.* Et S. Augustinus ex verbis Christi Matth. 16. excommunicandi potestatem ostendit in epist. 75. ad Auxilium: *Spiritualis* (non politica, vt hæretici nostri putant) *pœna est* anathema, *qua fit quod scriptum. Quæ ligaueris in terra, ligata erunt in cælis, animas obligat.*

Sed vt plenè intelligatur, in quo ista excommunicatio siue eiectio extra communionem Ecclesiæ consistat; imprimis aduertendum est ex doctrina S. Bonau. in 4. d.18. q.1. Couar. c. alma in princ. n.3. Auila p.1. de censur. dub. 2. concl.3. Suar. cit. disp.8. s.1. n.6. Triplicem esse fidelium communicationem; purè internam, purè externã, & mediam siue mixtam. Purè interna fidelium communicatio consistit in Fide ac Charitate, per quam fideles inter se, & cum Christo mystice copulantur, sicuti docet Apostolus ad Rom.12. 1. ad Corinth. 12. ad Ephes.4. Ratione cuius vnionis vnus fidelis alteri ex congruo impetrare à Deo potest specialia beneficia; atque satisfactiones, si alter capax est, applicare. Quapropter Dauid dixisse videtur Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et Dominus Abrahamo cap. 18. Gen. promisit, se nõ deleturum Sodomitas, propter decem iustos, si inuenti fuerint in ciuitate. Purè externa communicatio politica est, consistens in fidelium conuictu, colloquio, commercijs. Media siue mixta communicatio est, quæ in exterioribus actionibus vel ceremonijs existens, interiorem ac spiritualem fructũ ex propria institutione continet. Huc spectat imprimis vsus tum actiuus, tum passiuus Sacramentorum: deinde Ecclesiæ suffragia, quæ in Sacrificio, aliisue publicis officijs ad Deum pro vniuersa Ecclesia funduntur: Item satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro per indulgentias fidelibus iustis applicantur. Cùm enim Ecclesia visibilis sit, ideo communicatio ista seu applicatio communium orationum & satisfactionum per sensibilem actionem fieri debet.

Hoc posito certum est primò; Quòd Ecclesia nec vult
3 nec potest quempiam priuare communicatione bonorum merè interna, quæ est per Fidem ac Charitatem; quippe quibus nemo inuitus spoliatur. Adde nihil obstare, quo minùs vera Fides ac Spes excommunicato, aliáue censura irretito permaneat. Neque charitatem excõmunicatio homini adimit, sed potiùs supponit ademptã per mortalem contumaciæ culpam, postea verò fieri potest, vt homo priusquam ab excommunicatione absoluatur, in gratiam & amicitiam cum Deo per contritionem redeat.

Certum est secundò; quòd Ecclesia excommunica-
4 tum non priuet fructu orationum & satisfactionum, quas alij fideles proprio nomine, & priuata intentione ipsi applicant. Cùm enim huiusmodi actiones siue opera pia cuiusque operantis propria sint, ideo ad ipsius liberam applicationem, & non ad Ecclesiæ dispensationem spectant. Eapropter nemo prohibetur pro excommunicatis, etiam non toleratis, priuatim Deum orare. Et, quamuis Sacerdoti non liceat sacrificium Missæ, vel Ecclesiasticum aliquod officium, quatenus id publicum est, facere pro excommunicatis non toleratis; potest tamen pro eisdem, sicuti & pro alijs hominibus, priuata intentione Deo offerre actionem sacrificandi, vel horas canonicas recitandi, quatenus est opus proprium operantis, & ea ratione satisfactorium, vel etiam ex congruo impetratorium, sicuti optimè notauit Nau. c. 27. n.36. §. ad quintum. Couar. c. alma, p.1. §.6. n.4. concl.6. Syl. ver. excommun. 1. n.2. Auila. p. 2. c.6. disp. 4. dub. 1. concl. 2. Item potest Sacerdos pro excommunicatis, etiam non toleratis, orare in *Memento*, & offerre Sacrificium, tanquam persona priuata? sicuti & alij circonstãtes, vel cooperantes priuata intentione pro eisdem orare, & Sacrificium offerre possunt, sicuti docent Syl. Sotus & alij cit. locis, & dicam lib.5. tract.4. c.2. assert. vlt. 5

Tertiò certum est; Quòd Ecclesia, ob iustam causam, hominem inobedientem ac contumacem, per excommunicationis censuram priuare possit communibus suffragijs & satisfactionibus; item interdicere vsu tum actiuo, tum passiuo Sacramentorum, & Sacrificij, quatenus ea ministeria publica; ideóque Ecclesiæ dispensationis à Christo demandata sunt; vt proinde ea indignis prohibere possit, quamuis illorum vim ac valorẽ, ex Christi institutione pendentem, impedire nequeat, sicuti dicam cap. seq. & lib. 5. cit. tract. 4. c. 2. n. 5. ver. 4.

Quartò certum est; quòd Ecclesia per excommunicationem criminoso interdicere etiam possit externam societatem & conuictum fidelium. Nam quæuis Respubl. potestatem habet subditum rebellem à reliquorum ciuiũ consortio excludendi: Ergo etiam ad Ecclesiam pertinet, quæ perfectissima & ad supernaturalem finẽ ordinata Respublica est, vt subditos sibi in obedientes à reliquorum fidelium consortio separet: tum ne alios morbi contagione inficiant, vti S. August. aduertit lib. de correpť. & gratia. c.15. tum vt ipsi tanto magis pudefacti, citiùs resipiscant, & curentur, iuxta c. cùm non ab homine, de sent. excommun. & videri potest S. Bonauent. in 4. d. 18. q.1. Ex quibus denique intelligitur, quomodo intelligendum sit, quòd Patres & Concilia passim dicunt, hominem per excommunicationẽ à corpore Christi mystico separari (ἀφορίζεσθαι) atque extra Ecclesiam eijci: videlicet non secundùm internam & fundamentalem excommunicationem, quæ est per Fidem ac Charitatem: sed secundùm externam. sensibilem, eámque, quæ est communium spiritualium bonorum, ex Ecclesiæ voluntate ac dispensatione pendentium, communicationẽ: vt proinde rectè definita sit excommunicatio à Sairo lib. 1. c. 4. *Separatio à communione Ecclesiæ, quo ad Sacramenta, & publica suffragia, atque fidelium conuictum.*

Ex hac definitione colligitur: Excommunicationem 6
esse pœnam, qua *nulla maior in Ecclesia est*, ait S. August. cit. c. 15. relatus in c. corripiantur, 24. q. 3. Quare ad eam deueniendum non esse, nisi posteaquam monitionibus, ac plerumque alijs leuioribus pœnis & censuris nihil obtineri potuit, iuxta c. tam Sacerdotes. c. ecce autem, ead. q. & Trident. sess. 25. de reformat. c.3. dummodò etiam tunc spes aliqua fructus affulgeat ad reum emendandum, vel saltem bonum publicum promouendum. Nam alioquin omni censura abstinendum erit: cùm sit pœna medicinalis, ideóque finis ejus esse debeat salus delinquentis: vel certè communitatis, vt suprà dictum.

Quæ ipsa etiam ratio est: Cur Collegium, Capitulum, & quoduis aliud corpus politicũ simul ac collectiuè excommunicari non possit. c. Romana, de excommun. in 6. Vbi ita legimus. *In vniuersitatem vel Collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset: cùm nonnunquam contingeret, innoxios huiusmodi sententiam irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio, vel vniuersitate, quos culpabiles esse contigerit, promulgetur.* Cùm enim excommunicationis pœna hominẽ priuet spiritualibus maximis bonis, quæ ad animum propriè pertinent: infligi ea non debet, nisi ob propriam grauem culpam, ac in obedientiam. Quare neque Papa propter vnius, vel plurium cõtumaciam, totam Communitatem excommunicationi subijcere potest. Si tamen, præmisso examine, exploratum fuerit, omnes ac singulos è Communitate delicti participes, & in eo contumaciter persistentes esse: tunc in

omnes sigillatim ac determinatè, præmissa canonica monitione, excommunicationis sententia proferri haud dubiè poterit, vti colligitur ex cit. cap. Romana, in fine, & docet Nauar. lib.5. consil.20. de sent. excom dicto 4. edit.1. Auila p.2. c.4. d. vn.dub.5. Suar. disp.18. s.2.

Ad extremum quæret aliquis, quid sit anathema, & quomodo à maiore excommunicatione differat? Respondeo cum Syl. ver. excommun. 1. in fine, Suarez disp.8. s. 2. num. 4. Ægidio disp. 14. dub.1. Anathema ab excommunicatione maiore essentialiter nō differt: quare interdum pro eodem accipiuntur, sicuti videre est in Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. Dicitur enim ἀνάθεμα quasi suspensio, seiunctio, seu separatio alicuius ab Ecclesia, tanquam maledicti & execrandi. Cuiusmodi separatio, excommunicationis propria est. Videri potest S. Thom. in cap. 1. ad Galat. Frequenter tamen vox anathematis in sacris canonibus peculiariter vsurpari solet, partim ad exaggerandam sententiæ seueritatem in excommunicandis hæreticis, qui omnino à Christi corpore & Ecclesia auulsi declarantur: partim ad significandas accidentales solennitates, vt excommunicatio fiat cum publica denuntiatione, & condemnatione, adhibitis ceremonijs terrorem & culpæ exaggerationē inducentibus: videlicet, vt duodecim Presbiteri Episcopum circonstent, qui lucernas ardentes in manibus teneant, easque, in detestationem excommunicati, in terram proijciant, ac pedibus conculcent, sicuti habetur in c. debent. 11. q.3. Qua ratione etiā explicari potest c. cùm non ab homine, de iudicijs. Alijs verò canonibus, puta c. Engeltrudam, 3. q. 4. c. nemo Episcoporum, 11. q. in quibus apertiùs distinguitur excommunicatio ab anathemate, videtur sermo esse non de excommunicatione maiore, sed minore, vel partiali. Vide Gl in cit. c. Engeltrudam, Nau. in comment. de datis & promissis pro iustitia not. 4. & 5. Suarez s.2. n.9.

CAP. II.

De effectibus excommunicationis.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicato Sacramenta suscipere non licet: Validè tamen ea suscipit, excepto sacramento Pœnitentiæ.*

2 *Excommunicatus priuatur communibus Ecclesiæ suffragijs, & satisfactionibus.*

3 *Excommunicatus, per quem stat quò minùs absoluatur, videtur peccare contra Ecclesiasticum præceptum, quando in Paschate se disponere negligit ad percipienda sacramenta Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ.*

4 *Excommunicatus, licet emendatus sit quamdiu tamen absolutionem non accepit, non videtur gaudere Ecclesiæ suffragijs.*

5 *Excommunicato interdictus est vsus actiuus, seu administratio Sacramentorum: Valet tamen Sacramentum, si ab excommunicato ministretur: excepto Pœnitentiæ, quippe ad quod iurisdictio requiritur, qua excommunicatus non toleratus caret.*

6 *Excommunicato prohibitum est diuina officia celebrare.*

7 *Excommunicatus inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica, quare electio eius, aut præsentatio, itémque institutio irrita est: quàmuis electus, institutus suam excommunicationem ignoret.*

8 *Excommunicatus incapax etiam est pensionis Ecclesiasticæ.*

9 *Si excommunicatus in contumacia, vel mora petendæ absolutionis persistens, officium suum nec per se, nec per alium obeat, fructus beneficij percipere non potest: Sin verò officium præstet: quamuis peccet, tamen probabile est, quòd fructus in conscientiæ foro retinere possit.*

10 *Si excommunicatus à contumacia recessit, neque per eum stat quo minùs absoluatur, fructus beneficij percipere potest, licet officium suum non præstet, quia non potest: sicuti & beneficiarius infirmus percipit fructus, esto culpa sua causam infirmitati præbuerit.*

11 *Ad beneficium legitimè electus, si postea in excommunicationem lapsus est, non potest illud durante excommunicatione acceptare.*

12 *Rescriptum Sedis Apostolicæ ab excommunicato impetratum non valet.*

13 *Excommunicatus non toleratus omni exercitio Ecclesiasticæ iurisdictionis priuatus est: quare nec eligere potest, nec præsentare.*

14 *Excommunicatio hominem priuat communicatione forensi: Si tamen Actor, Aduocatus, & Testis in iudicio, neque à Iudice, neque per aduersarij exceptionem repellantur, acta eorum valent: secùs est de Iudice non tolerato, cùm iurisdictione priuatus sit.*

15 *Neque Tabellionis excommunicati ac vitandi instrumentum authenticum censeri potest.*

16 *Excommunicato prohibita est omnis politica fidelium communicatio; præterquam in casibus, iure aut necessitatis ratione exceptis.*

17 *Excommunicatio nihil obstat, quo minùs contracta debita solui, aut exigi possint.*

18 *Si excommunicatus anno integro in excommunicatione contumaciter perseueret, de hæresi suspectus redditur.*

19 *Si excommunicatus ante absolutionem moriatur, sepultura Ecclesiastica priuatur.*

PRimus effectus est. Excommunicato interdicta est 1
susceptio, siue vsus passiuus Sacramentorum, c. cùm illorum. c. si quam, de sent. excommun. Excusat tamen grauis necessitas ob euitandum periculum mortis, mutilationis, infamiæ, iacturæ bonorum, scandali: quia lex & censura Ecclesiastica non obligat cum tanta seueritate.

Sed etsi aliquis sine tali necessitate, ideóq; mala fide atque illicitè Sacramenta suscipiat sciens se excōm. esse, nihilominus valide ea suscipit: quia natura & virtus Sacramentorū, ex Christi institutione dependens, iure Ecclesiastico impediri non potest. Excipitur verò sacramentū Pœnitentiæ, quod saltem indirectè inualidum redditur, propter indispositionem pœnitentis: si is censuram excōmunicationis suæ non ignorans, nulláque necessitate cōstrictus, ideóque sacrilege Sacramentum petat, sicuti benè notauit Nauar. in man. cap. 9. num. 5. quamuis contrarium videatur sentire Caiet. ver. absolutionis impedimenta. At verò si ponamus excommunicatum bona fide peccatorum confessionē instituere, videlicet in casu necessitatis, aut probabilis ignorantiæ: tunc nihil obstat, quo minùs verè & sacramentaliter absoluatur à peccatis, remanente censura excommunicationis: si vel ea Superiori reseruata sit: vel, si reseruata non sit, Confessarius absoluendi potestate præditus per obliuionem, aut inscitiam, à peccatis priùs, quàm à censura absoluat. Quæ est sententia Caiet. l. c. Nau. c.29. man. num. 4. & c. fratres, num. 40. & seqq. d. 5. de pœnit. Medinæ in summa. lib. 1. c.11. §.3. Auilæ p. 2. c.6. disp. 3. dub. 4. Ægid. disp. 14. dub.5. contra Sotum 4. d. 22 quæst 1. a. 1. prope finē Vide quæ dicam lib. 5. de sacrament. pœnit. c.12. num.10.

His adde, quòd Clerici, qui scientes & sponte aliquem à Papa nominatim excommunicatum, aut saltem denuntiatum ad diuina admittunt, participando cum eo in diuinis officijs, aut Sacramentis, ipso iure excommunicationem maiorem incurrunt Papæ reseruatam, c. significauit, de sentent. excommun. & Clem. 3. eod. tit. Cuius censuræ interpretationem vide apud Caiet. in summa, ver. excommun. c.58.

Secundus effectus est. Excommunicatus priuatur com- 2
munibus Ecclesiæ suffragijs, quæ ex publicis ministrorum officijs & Sacrificijs, fidelibus prouenire solent; item fructu satisfactionum, qui excommuni Ecclesiæ thesauro per indulgentias, Prælatorum auctoritate, applicatur. Ita docuit S. Gregor. I. lib. 2. dialog. c. 23. & Scholastici in 4. d. 18. & sumitur ex c. à nobis, 2. c. sacris, de sent. excommun. Nam horum spiritualium bonorum Ecclesia vel domina est, vel saltem dispensatrix, vt proinde ea indignis ac contumacibus denegare possit, ob maius bonum tum publicum, tum etiam ipsorummet, qui tanto malo perculsi, ad mentem meritò redire deberent, promouendum. *Nihil enim* inquit S. August. tract. 27. super Ioan. cap. 6. relatus in c. nihil, 11. quæst. 3. *sic debet formidare Christianus, quam separari à Corpore Christi: tunc enim non vegetatur spiritus eius.* At verò excommunicatus ea vel maximè ratione à corpore Christi mystico separatur quatenus

quatenus communibus orationum & satisfactionum auxilijs, seu suffragijs priuatus, ac derelictus, quasi Sathanæ traditur magis infestandus, sicuti significat Apostolus 1. Corinth. 5. & explicat Suar. disp. 9. sect. 2. num. 2.

Quæri autem hîc solet. Vtrum excommunicatus, si in procuranda absolutione negligens sit, peccet etiam contra Ecclesiasticum præceptum de audienda Missa, annua confessione, & paschali communione? Ad quod probabiliter respondetur primò cum Nau. c. 21. num. 3. Suar. 3. p. to. 3. disp. 88. sect. 6. Non peccare contra præceptum audiendæ Missæ. Quia quamdiu in excommunicatione est, Missam audire non debet. Sed neque ratione præcepti obligatus videtur, vt se disponat & impedimentum tollat; cùm ea dispositio valde remota sit: quemadmodum nec is, qui sua culpa in vinculis detinetur, contra præceptum de Missa audienda festo die delinquit.

3 Respon. secundò, Excommunicatum, voluntariè in excommunicatione persistentem, peccare contra præcepta, etiam quatenus Ecclesiastica sunt, suscipiendi sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, sicuti indicat Nau. c. 21. num. 34. & docet Suarez l. c. Ægid. disp. 14. dub. 7 num. 57. contra Auilam p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 7. Quia illa præcepta per se obligant ad mundandam animam, & cõsequenter ad tollenda vincula tum mortalium peccatorum, etiam excommunicationis.

Altera quæstio est. Vtrum excommunicatus, cùm primùm à culpa & contumacia recessit, & per contritionem vel confessionem iustificatus est, communium suffragiorum & satisfactionum particeps fiat: præsertim si per ipsum non stet, quominùs per Iudicis sententiam absoluatur? Ita affirmant Anton. 3. p. tit. 24. c. 76. Richar. in 4. d. 18. a. 7. quæst. 2. Couarruu. c. alma, p. 1 §. 6. conclus. 9. Nau. c. 21. num. 18. Auila p. 2. c. 6. dis. 4. dub. 2. Fundamentum est: Quia videtur esse alienum à pietate Ecclesiæ, velle eum priuare spiritualibus communibus auxilijs, & Sathanæ insidijs obijcere, qui à culpa & inobedientia, cuius causa tanta ipsi pœna inflicta est, penitus recessit. Confirmatur ex eo: Quia talis est viuum membrum Christi & Ecclesiæ, ideóque vegetari debet communi spiritu, & influxu; non minùs quàm alia membra.

4 Contraria sententia est probabilior, quam docet Sotus in 4. d. 22. quæst. 1. a. 1. §. attamen dubium, Alanus lib. 2. de sacram. Euchar. c. 31. Suarez disp. 9. s. 3. Ægid. disp. 14. dub. 7. difficult. 2. & sumitur apertè ex c. à nobis, 2. c. sacris, de sent. excommun. vbi Innoc. III. respondit, pro excommunicato, qui ante absolutionẽ mortuus est, tametsi manifesta pœnitentiæ signa dederit, & per eum non steterit quo minùs absolueretur, neque eleemosynas, seu oblationes recipiendas, neque publicas orationes instituendas esse: quia licet vinculum culpæ, quo peccator ligatus est apud Deum, per pœnitentiam soluatur: vinculum tamen censuræ, quo per Ecclesiæ sententiam ligatus est sine eiusdem Ecclesiæ iudicio & absolutione non relaxatur. Ex qua responsione imprimis habemus, quòd excommunicatus, licet emendatus sit, priusquam tamen absoluatur, verè censura ligatus maneat; & tum alios omnes eius effectus sustineat, tùm verò speciatim hunc ipsum, quòd publicis Ecclesiæ suffragijs priuatus sit: quandoquidem non aliunde scimus, excommunicatum, inter alia, etiam his communibus Ecclesiæ suffragijs, &c. priuatum esse, quàm quia Ecclesia, ex cuius voluntate & dispensatione dependent, non vult ac prohibet ea pro excommunicatis fieri: cùm igitur expressè interdicat, etiam pro emendato, sed nondum absoluto offerri, & orari: rectè inde colligimus, eũ fructu suffragiorum communium interim priuatum esse.

Deinde ex eadem responsione Innocentij satisfit fundamento contrariæ sententiæ: Videlicet, quòd censura excommunicationis non sit culpa: sed pœna, quæ ablata etiam culpa, permanet: donec à Iudice remittatur. Quãuis autem, deposita culpa & contumacia, censura remitti debeat: non tamen priuato, sed publico iudicio & absolutione. Ad confirmationem respondeo: Excommunicatum, si contritus & emendatus sit, participare internum influxum Fidei viuæ seu Charitatis, atque in illa fundatam communionem seu societatem Sanctorum, propter quã quilibet fidelis iustus respectiuè gratior Deo est; vt ipsius orationes faciliùs exaudiat, maioréque prouidentia eum tueatur propter consortium aliorum, quibuscum Fide & Charitate coniunctus & vnitus est: non tamen participare influxum eius spiritualis auxilij, qui ex publicis, atque ab Ecclesiæ intentione dependentibus suffragijs prouenit: cùm eorum priuatio sit pars quædam censuræ, qua homo ille, vt ponimus, nondũ liberatus est.

Tertius effectus. Excommunicato prohibita est administratio, siue vsus actiuus Sacramentorum, sicuti colligitur ex c. vlt. de clerico excommunicato, &c. Nam ministratio Sacramentorum, cùm sit ministerium publicum, Ecclesiæ à Christo commissa est: vt proinde eam indignis ac contumacibus interdicere iure possit. Excipitur tamen casus necessitatis, qualis, vt suprà dictum est, censura Ecclesiastica haud comprehenditur. Quapropter minister excommunicatus, non tantùm sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ administrare poterit, si alius non adsit, qui in extrema necessitate ministret: sed etiam accidere potest casus, in quo Sacerdoti etiam non tolerato, S. Eucharistiam vel Extremam vnctionem morituris, qui aliud Sacramentum suscipere nequeunt, ministrare liceat, vti notauit Nau. c. 22. n. 4. Suar. disp. 11. s. 1. n. 17. Auila p. 2. c. 6. disp. 3. dub. 3. concl. 4. Idémque multò magis sentiendum de specialiter interdicto, ac denuntiato. 5

Porrò, licet excommunicatus, sine necessitatis causa, adeóque temere ac mala fide, nihilominus validè administrat Sacramenta: quippe quorum substantia, vis, & valor propria materia, forma atque intentione ministri secundùm Christi institutionem perficitur: neque illa Ecclesia mutare potest: sed solùm ordinare, quæ ad accidentalem & magis conuenientem Sacramentorum administrationem spectant.

Veruntamẽ à tradita doctrina excipi debet sacramentũ Pœnitentiæ. Cùm enim ad eius administrationẽ non tantùm potestas ordinis requiratur: sed etiã iurisdictio, quæ ab Ecclesiæ Prælatis inferioribus ministris confertur, & propter censuram excommunicationis eisdem aufertur, sicuti infrà dicam; sequitur, absolutionem irritam esse, quæ fit à Sacerdote excommunicato non tolerato, quippe cui omnis iurisdictio per censuram adempta est: præterquam si publicus error facti cum titulo præsumpto interueniat, sicuti constat ex ijs, quæ dixi tract. præc. c. 22. n. 9. Hinc verò generalem regulam tradunt Nau. c. 27. n. 36. in fin. Auila p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 3. in fin. Suar. disp. 11. s. 2. n. 9. Ægid. Coninck disp. 14. dub. 10. in fin. Quotiescunque excommunicatus non toleratus exercet actum prouenientem, aut pendentem à potestate iurisdictionis, irritus censendus est: puta si Episc. Confessarios approbet, vel ipse aut Parochus alicui deleget facultatem confessiones audiendi, aut quoduis Sacramentum ministrandi, item matrimonio assistendi. Sin verò actus non requirat iurisdictionem, sed solam ordinis potestatem: cuiusmodi est non tantùm Sacramentorum administratio: sed etiam variæ benedictiones, & consecrationes: talia valida sunt, tametsi fiant à ministro excommunicato: quia licet Ecclesia posset ad horum sacramentalium valorem requirere, vt minister toleratus sit; re ipsa tamen non requirit, sed solùm vt licitè ministrentur.

Quartus effectus. Excommunicato prohibitum est diuina officia celebrare, iisve interesse, sicuti colligitur ex c. significauit, c. nuper, c. responso, de sent. excom. c. alma, eod. in 6. Nomine diuinorum officiorum intelliguntur sacræ functiones, quæ ab Ecclesia publicè ac solemniter fiunt: Cuiusmodi in primis est Missæ sacrificium, 6

cui si excommunicatus non toleratus interesse præsumat, monendus est vt discedat, sicuti colligitur ex Clem. grauis, de sent. excom. vbi noua etiam excommunicatio Papæ reseruata decernitur: si exire iussus non paruerit. Tunc verò, si id commodè fieri possit, expellendus est opera laicorum, tametsi Regularis: vel Sacerdos sit, qui ejicitur: Si laici non adsint, neque vocari possint, etiam Clerici eum expellere debent, arg. c. veniens, de sent. excom. Quòd si expelli non possit, Sacerdotem ab altari recedere oportet, nisi canonem Missæ cœperit, secundùm Syl. ver. excom. 5. n. 3. secundùm alios vero apud Auil. p. 2. c. 6. §. 9. dub. 8. Suar. disp. 12. s. 1. n. 11. tametsi canon cœptus sit, sed nondum consecratio parata. Sed existimo, si verba illa proximè antecedentia consecrationem, *Qui pridie, quàm pateretur*, dici cœpta, non posse discedere Sacerdotem: at verò alij omnes, præter altaris ministrum, recedere coguntur: quia cum excommunicato non tolerato communicare in sacris officiis non licet. Sacerdos a. sacrificium perficere debet vsque ad calicis sumptionem: tum iterum monito excommunicato, vt recedat; si nolit, ipse quoque abire debet, & quæ reliqua sunt Missæ, in sacristia peragere; vel si talis locus non sit, omnino intermittere. Debent tamen hæc intelligi de sacrificio Missæ, comparatione eius duntaxat altaris, cui excommunicatus assistere præsumit: nam interim nihil obstat, quo minus in alijs altarib. Missa peragatur, præsentib. etiam fidelib. sicuti notauit Suar. disp. 12. s. 1. in fi.

Alia diuina officia sunt canonicarum horarum preces, omnis publica oratio, processio, item benedictio, consecratio, vel similis ceremonia, quę ex Ecclesiæ vel Christi institutione à ministris ad id ordinatis solemniter fit. Porrò priuatim orare, etiam in Ecclesia, vel concionem ibi audire, dum in ea nullum diuinum officium celebratur excommunicatis prohibitũ non est, sicuti docet Henriq. lib. 13. c. 7. n. 2. Suar. disp. 12. s. 2. & colligitur ex c. responso, de sent. excom. Quare si alias ratione ordinis, aut beneficij obligationem officij canonici recitandi aliquis habuit, ea propter excommunicationem haud liberatur: ne ex propria iniquitate commodũ ferat, sicuti ex communi notauit Abb. in c. 2. n. 8. de Clerico excommunicato ministrante, Syl. ver. horæ, n. 4. Nau. c. 25. n. 102. & de horis canon. c. 7. n. 18. Couar. 3. resol. c. 13 n. 8. §. duodecimo, Auila p. 2. c. 6. disp. 4. dub. 6. Suar. disp. 12. s. 2. n. 13. & disp. 14. dub. 7. Qui addunt, idem dicendum esse: tametsi benefi. iatus propterea, quòd in excommunicatione officium præstare non possit, fructibus interim priuetur: quia ipsius culpa id accidit, siue per eum stat, quo minùs fructus percipiat. *Damnum* autem, *quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non alijs imputare*, regul. 86. in 6. Et Pomponius reg. 203. ff. *Quod quis ex sua culpa damnum sentit non intelligitur damnum sentire.*

Notant verò Doctores communiter, excommunicatum horas canonicas recitantem non posse dicere, *Dominus vobiscum*; cùm hæc verba significent publicæ personę videlicet Sacerdotis, vel Diaconi sacram cum populo communicationem, excommunicato interdictam: quare loco illius dicendum esse, *Domine exaudi orationem meam.* Cæterum si priuatim recitetur officium, non videtur hęc esse obligatio sub mortali: quia materia grauis non est. Alioquin dicere deberemus etiam Clericum non excommunicatum, Diacono inferiorem, si in priuata recitatione dicat, *Dominus vobiscum*, mortaliter peccare, & irregularem fieri, vsurpando actum alieni Ordinis, quod falsum videtur. Imo Auila cit. dub. 6. conclus. 3. cum aliis quibusdam nullum omnino peccatum esse putat, si excommunicatus priuatim recitans dicat *Dominus vobiscum*; sed contra communem, vt dixit.

8 Quintus effectus. Excõmunicatus inhabilis est ad quoduis Ecclesiasticum beneficium accipiendum: quare præsentatio, vel electio illius; item institutio ac confirmatio ipso iure irrita est, sicuti colligitur ex c. postulastis, & c. vlt. de Clerico excommunicato, &c. Idque verum est, tametsi excommunicatus, etiam toleratus, suam excommunicationem ignoret, sicuti docet Gloss. communiter recepta in c. penul. de Cler. excommun. Couar. c. alma, p. 1. §. 7. num. 3. Henriq. lib. 13. c. 3. num. 3. Garcias p. 7. de benef. c. 13. num. 9. Suarez disp. 13. sect. 1. num. 3. Ægid. dub. 9. Auila p. 2. c. 6. dis. 5. dub. 2. Less. lib. 2. 34. num. 117. contra Nauar. in c. fratres, d. 5. de pœnit. num. 45. Quia licet ignorantia obligationis aut præcepti reddat aliquem immunem à culpa, & inde resultante pœna vel censura, c. Apostolicæ, de Clerico excommun. non tamẽ ignorantia contracti impedimenti, siue inhabilitatis, aliquem habilem reddere potest. Cæterum, qui bona fide beneficiũ accepit, eique deseruiuit, licet postea, impedimento cognito, teneatur illud derelinquere, fructus tamen suæ congruæ sustentationi debitos, vel quos bona fide absumpsit; neque inde ditior factus est, restituere non cogitur, sicuti latiùs dicam lib. 4. tract. de benef. Ecclesiast. cap. 15 num. 3.

Monet verò Suarez disp. 13. sect. 1 num. 7. Henriq. lib. 13. c. 14. num. 1. dictam inhabilitatem extendendã esse ad quoduis munus vel dignitatem Ecclesiasticam, præter Papalem: v. g. ad munus Legati Apostolici, Inquisitoris, Episcopalis administratoris, Prælati Ordinis: Item ab munus eligendi, beneficia conferendi, &c. arg. c. postulatis, de Clerico excommun. vbi ratio affertur, cur excommunicatis beneficia Ecclesiastica conferri non possint; *quòd cùm ipsis communicari non debeat*: assumptio autem ad quoduis Ecclesiasticum munus, vel dignitatem, magna quædam, eáque Ecclesiastica communicatio est. Alia eáque firmior ratio sumi potest ex regula, quam tradit Abbas in c. vlt. de Clerico excommun. num. 3. *Prohibita exercitio actus, censetur prohibitum illud omne, per quod peruenitur ad illum actum.* Atqui excommunicato prohibitum est exercitium ecclesiastici muneris vel dignitatis: Ergo etiam institutio siue collatio illius, quippe quæ per se ordinatur ad exercitium. Probabile tamen est, si facta collatione excommunicato, suspenso, &c. antequam is acceptet, à censura absoluatur, acceptationem validam fore, dummodo interea collator conferendi voluntatem non mutarit, sicut docet Less. lib. 2. c. 34. num. 119.

Hinc Quæstio resolui potest: Vtrũ pensio cõferri possit excõmunicato? Negat absolutè Gigas de pensio. quæst. 14. Couar. c. alma, p. 1. §. 7. num. 2. Suar. disp. 13. sect. 1. num. 7. Sed rectiùs, vt puto, distinguit Auila p. 2 c. 6. disp. 5. dub. 5. Est enim triplex pensio, sicuti videre etiam est apud Tolet. lib. 6. c. 82. & dicam infrà lib. 4. tract. de beneficijs, c. vlt. num. 2. Vna spiritualis, quæ in spirituali titulo fundatur; siue ob spirituale ministerium confertur, v. g. Concionatori, Episcopi Coadiutori, Parochi Cooperatori: Cuiusmodi pensionis omnino incapax esse videtur excommunicatus, aut irregularis: quia sicuti beneficium; ita & pensio hæc propter spirituale officium datur: quare cùm excommunicatus & irregularis officium præstare non possint, non minùs inualidè huiusmodi pensio illis confertur, quàm beneficium. 8

Altera est pensio temporalis seu laica, quæ in temporali titulo fundata, siue propter temporale aliquod obsequium designata, laicis etiam personis competere potest: Cuiusmodi pensionem probabilissimum est excommunicato & irregulari conferri posse: quia à spiritualis beneficij natura plurimùm recedit; ac potiùs temporalis stipẽdij rationem obtinet. Tertia denique est pensio mixta, quæ licet ob spirituale ministerium non conferatur, tamẽ statum clericalem requirit, & plerumque loco beneficij datur Clerico v. g. resignanti, permutanti, lite cedenti, sustẽtationem sufficientem non habenti: quare non nihil affinitatis cum Ecclesiastico beneficio gerit, atque eisdẽ ferme modis, quibus beneficium amitti solet, teste Flamin. Paris. de resignat. benef. lib. 3. quæst. 1. num. 31.

Garcia de beneficijs, p.1.c.5.num.106. Nihilominus probabile est, huiusmodi etiam pensionis excommunicatum & irregularem capaces esse posse, propter declarationem Cardinalium super sess.14. Trident. Concilij, c.7. *Incapacitatem homicidæ ad beneficia extendendam non esse ad pensiones*: Quæ verba intelligi non posse videntur de pensione merè spirituali, quæ ob spirituale officium, cuius irregularis incapax est, confertur; sed de omni alia pensione, quæ ob aliam causam seu laico, seu Clerico designatur. Vide Garciam l.c.n.137.& Suarez de censuris prope finem, disp.44.n.34.

ALTERA QVÆSTIO. Vtrum excommunicatus fructus sui beneficij interim percipere possit: an potiùs Ecclesiæ, vel pauperibus restituere in conscientia cogatur? In qua quęstione imprimis supponendum est. Clericum per excommunicationis censuram ipso facto non excidere titulo ac possessione beneficij antè acquisiti: quãuis, si excommunicatus per annum in excommunicatione insordescat, beneficijs suis priuari possit, secundùm Gl. & Innocent. in c.cùm bonæ, de ætate & qualit ver. spoliare, Syluest. ver.excommunicatio, 3.n.1.dicto 9. ducto argum.ex c.rursus, 11 qu.3.ex quo tamen nihil conuinci potest: quare ad Ordinarium spectabit examinare, vtrum crimen, iunctâ contumaciâ tam diuturnâ, beneficij priuationem mereatur, nec ne.

Verùm, quòd ad fructus beneficij attinet, ijs excommunicatum ipso iure priuatum esse, vt ante Iudicis condemnationem restituere teneatur, docent Syluest l.c.Couar. 3. resolut.c.13.num.8. Gutierez l can.q.c.1.n.92. Suar. dis. 13.sect.2. Garcias p.7.de beneficijs, c.13.nu.92. Abb & alij Canonistæ in c.pastoralis, §.verùm, de appellat. ducto argumento ex ijs verbis: *Illi prouentus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.* Quæ tamen si rectè perpendantur, solùm significant, excommunicatum per Iudicis sententiam fructibus spoliandum esse, quos tempore contumaciæ percepit, sicuti docet Gloss. in cit. §. Verùm, verb. subtrahuntur, Henriq.lib 13.cap.14. num.4.in comment.lit.m. Auila p.2.c.6.disp.6.dub.1.§.ad argumenta, & latè Ægid. Coninck disp.14.dub.9. numero 82.

Ad quæstionem autem respondeo & dico I. Si excom-
9 municatus, vel ab officio suspensus in contumacia vel mora petendæ absolutionis persistens, officium neque per se, neque per alium præstet, tunc ex naturali iustitiæ lege obligatus est ad fructuum restitutionem: quippe qui non dantur nisi propter officium, c. vltim. de rescriptis in 6. Ita omnes, & nominatim Couarruu.3. resolut.c.13.nu. 8. P.Nauar.libro 2. de restit.c.2.num.238. Auila p.2. disp. 6.dub.1.conclus.1. Sed limitant primo; Nisi excommunicatio iniusta sit: tunc enim beneficiatus non tantùm fructus, sed etiam distributiones lucrari debet: cùm legitimè impeditus sit, quo minùs intersit & officium præstet. Secundò limitat Auila conclus. 3. & indicat Syluest. verb. Clericus, 4. quæst.25. Quòd excommunicatus; vel ab officio suspensus, licet negligens sit in procuranda absolutione: nihilominus, si pauper sit, & aliunde non habeat vnde viuat, fructus beneficij, quatenus ad moderatam sustentationem necessarij sunt, per modum eleemosynæ sibi in conscientiæ foro applicare possit. Non enim is deterioris conditionis esse debet, quàm alij pauperes: quòd autem fructus beneficij, si id à beneficiario propter censuram excommunicationis, vel suspensionis, non administretur, fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus dari debent, ex cõmuni docet Nau.c.25.n.123.Henr.l.7.c.36.n.3. Auila ci. disp.6.du.2. Dixi autem *in conscientiæ foro*: quia in externo foro, Ecclesiæ inobediens, ac contumax dignus non censetur, vt ex bonis illius alatur, sicuti notauit Nau.n.124.Couar.cit.n.8.illat.11. Gutierez cit.c.1.n.96. Garcias ci.c.13.n. 98. Auila ci.conclus.3.

Dico II. Si excõmunicatus, vel ab officio suspensus, nihilominus per se, vel per alium officium præstet, fructus sui beneficij retinere potest: secundùm probabilem sententiam P.Nau.l.2.c.2.n.237. Auilæ l.c.conclus.2. Ægid.disp. 14. dub. 9.difficult.3.concl.2.Sanch.l.3.de matr.disp.51.n. 12. Fundamentum huius sententiæ est; Quia excommunicatus, vel ab officio suspensus, ratione censuræ formaliter ac præcisè fructibus priuatus non est: cùm id nullo iure expressum reperiatur: igitur pœna tam grauis, quòd beneficiatus ante Iudicis condemnationem fructibus beneficii se ipsum spoliare debeat, facilè astruenda non est. Verùm, vt suprà dixi, excommunicatus, vel ab officio suspensus, si officium suum culpabiliter omittat, ex naturali iustitiæ lege ad fructuum restitutionem obligatur: consequenter, si officium præstet, v.g. Canonicus in occulta vel tolerata censura existens choro intersit, Capellanus Missas persoluat, vel Parochus Sacramenta administret: non est ratio, cur eum in conscientiæ foro ad fructuum restitutionem obligemus. Quia licet peccet, si seipsum diuinis ingerat: validè tamen officium implet, & fidelibus vtilis est: ideóque fructus, propter impletum officiũ ipsi dari solitos, retinere poterit.

Corollarium, quod probabiliter colligit P.Nau.n.138. 10
& indicat Caiet.ver.excommunicatio, cap.82. §. scito. Si excommunicatus à contumacia recessit, & per eum non stat, quo minùs absoluatur: tametsi officium non præstet, quia non potest, (ne per substitutum quidem, vt ponimus) nihilominus fructus in conscientiæ foro recipere eum posse. Quia iam legitimè impeditus est, nihil obstante, quòd propria culpa in tale impedimentum inciderit. Quemadmodum etiam beneficiarius infirmus tametsi sua culpa causam infirmitati præbuit, tamen fructus beneficij interim lucratur, sicuti Couar.docet cit.c. 13. n. 8. illat. 5.

TERTIA QVÆSTIO. Si aliquis ad beneficium le- 11
gitimè electus fuit, postea verò in excõmunicationem lapsus, vtrum validè illud acceptet? quam quæstionem tractat Couar.3.resol.c.16.& c.alma, p.1.§.7.n.4. Auila p. 2.c.6.disp.5.du.6. Suarez disp.sess.1 num.15. Ægid. disputatione 14. dub.9. Mihi videtur talem acceptationem, dum excommunicatio durat, validam non esse. Quia excommunicatus nullum ius in Ecclesiasticis beneficijs acquirere potest: Si autem acceptatio valida esset, acquireret ius in beneficio, sicuti constat manifestò ex c. si tibi absenti, de præbend. in 6. Quod etiam inde confirmatur: Quia si talis ante absolutionem moriatur, beneficium non censebitur vacare per mortem eius, vti fatetur Couar. c. 16. n. 3. Sua.n.17. Quamuis ob DD. autoritatem contraria sentẽtia probabilis est, vti notauit Less.l.2.c.34.du.22.n.118.

Sextus effectus. Rescriptum Sedis Apostolicæ ab ex- 12
communicato impetratum, ipso iure irritum est. c.1. de rescriptis, in 6. Quapropter eiusmodi rescriptis inseri solet absolutio ad cautelam, duntaxat ad rescripti effectum consequendum. Aliorum verò inferiorum Prælatorum gratiæ & concessiones non videntur ipso iure infirmari, si excommunicato fiant: quia nomen rescripti, præsertim in materia pœnali, strictè accipi debet, sicuti etiam communiter accipi solet, pro Principis responso, vti notauit Na.l. 5.consi.23.de sent.exc.ad 1.q.edit.2: Vide etiam regulam Cancellariæ de insordescentibus, apud Nau. in c.ita quorundam, Gl.vlt.de Iudæis; Quòd clausula illa absolutionis ad effectum gratiæ, &c.emanans ex curia Romana non prodest ijs, qui in censura aliqua per continuum annum: & certis casibus in sententia excommunicationis per quatuor menses, perseuerârunt.

Septimus effectus. Excommunicatus priuatur omni 13
vsu, siue exercitio iurisdictionis spiritualis: vt proinde omnia eius acta inualida sint. Quapropter dicitur in c. audiuimus, 24.q.1. quòd excommunicatus excommunicare non possit. Et in c.si is cui de offic.delegati, in 6. Si delegatus Papæ alicui causam subdelegauit, delegato postea excommunicato, non ad ipsum, quippe iurisdictione priuatũ, sed ad primum delegantem appellandum esse. Et in c.1. de offic. Vicarij, in 6. Substitutum ab Officiali, eo ex-

M

communicato, non posse iurisdictionem exercere, quam ab ipso acceperat. Et in c. vn. Ne sede vacante, in 6. significatur eos qui in maiore excommunicatione positi sunt, à beneficiorum collatione suspensos esse. Idemque dicendum de electione, eam irritam esse, si fiat ab excommunicato, sicuti docent DD. communiter arg. c. cùm dilectus, de consuetud. & c. cùm inter, 1. de elect. vbi significatur, electionem factam à suspensis inualidam esse: omnis autem excommunicatus ab officio, & iurisdictione suspēsus est. Idem quoque sentiendum de præsentatione: tum quia præsentato per præsentationem aliquod ius ad beneficium acquiritur, quod ipsi excommunicatus dare non potest: tum quia excommunicato omnis communicatio fidelium interdicta; præsentatio autem magna quędam, eáque Ecclesiastica communicatio est. Ergo, &c.

Verùm hoc loco aliqua aduertenda. I. Quæ circa hùc effectum dicta sunt, solùm intelligi debent de excommunicatis non toleratis: nam acta excommunicati tolerati, puta excommunicatio & quæuis iudicia is sententia: item iurisdictionis delegatio, Ecclesiastici beneficij collatio, electio, presentatio, &c. valida sunt: nisi opposita exceptione repellantur, sicuti docent Nau. c. 27. n. 21. Gutie. ez libro 1. can. c. 1. n. 82. Auila p. 2. c. 6 dis. 6. dub. 3. Less. l. 2. de iust. c. 29. dub. 7. n. 57. Ægid. dis. 14. dub. 10. Suar. disp. 14. s. 2. & sumitur ex c. exceptionem, de except. & c. 1. eod. in 6 quibus locis habetur, publicè siue notoriè excommunicatum Iudicis officio ab actibus legitimis repellendum esse: occultè verò excommunicatum non repelli, nisi à parte aduersa contra eum, tanquam minùs idoneum excipiatur. Sed, vt cap. seq dicam, quicumque excommunicati nec nominatim denūtiati sunt, neq; notorij Clerici percussores, in hodierno iure perinde se habent, & ab Ecclesia tolerantur, sicuti olim occulti excommunicati Ratio verò est: Quia ex vna parte multa incommoda, & inconuenientia oriri necesse est, si acta eorum, qui ab Ecclesia publicè tolerantur, tanquam irrita rescindi debeant. Ex altera verò parte, cùm iura non intendant ipsis excommunicatis fauorem aliquem præstare, ideóque nemo inuitus cum illis communicare teneatur, meritò illis, quorum id interest, contra excommunicatum, quamuis toleratum, excipere concessum est.

II. Quòd ad electionem attinet, imprimis excipienda est electio summi Pontificis, quæ ob nullam Cardinaliū excommunicationem, suspensionem, vel interdictum infirmari potest, Clem. ne Romani, §. cæterùm, de elect. in 6. Deinde, si plures electores sint tametsi aliqui excommunicationis impedimentum habeant, nihilominus aliorum suffragia valebunt & electo ius tribuent: si ipsorum numerus sufficiat ad electionem complendam: quia *vtile per inutile non debet vitiari*; regul. 37. in 6. & arg. ca. vn. Ne sede vacante in 6. vbi idem decernitur in casu, quo plures conferendi ius habent puta Episcopus, & Capitulum: at quæ omnes Capitulares excommunicati sunt, quòd eo non obstante, Episcopus conferre possit. Quanquam si electores reliqui excommunicatos non toleratos ad electionem scienter admiserunt, eorum electio à confirmatore infirmari potest, argum. cap. vlt. de procur. & docet Ægid. cit. dub. 10. num. 95. Imò alij apud Suarez num. 13. & sequent. existimant, talem electionem ipso iure irritam esse.

III Quòd ad præsentationem attinet: Si patronus excommunicatus etiam vitandus, aliquem præsentet Episcopo, isque præsentationem suscipiat, & secundùm patroni voluntatem præsentatum instituat, peccat quidem saltem venialiter, si sine causa necessitatis cum excommunicato patrono ita communicet: nihilominus institutio iusta & valida est dummodo Episcopus vitium præsentationis non ignorârit. Si enim præsentationem legitimam esse putauit, ideoque præsentatum instituit, potest deinde cognita veritate, illam rescindere, quia error siue dolus causam præbuit instituendi. Qua de re vide Suar. ci. dis. 14. sect. 2. n. 14. Ægid. Coninck ci. dub. 10. difficult. 4.

IV. Si actus proprius personæ Ecclesiasticæ, iurisdictionis non sit, vti est matrimonio assistere, aliquem ad Religionis professionem admittere, &c. eiusmodi irrita censeri non debent, etsi fiant ab excommunicato, aut suspenso non tolerato qua de re Sanchez l. 3. de matrim. disp. 21. & l. 5. moral. c. 4. n. 78.

Octauus effectus. Excommunicatio priuat communicatione forensi: siue impedit, quominùs excommunicatus esse possit Iudex, Tabellio, Aduocatus, Actor, Testis, etiam in ciuilibus causis. Ita de Iudice habetur in c. decernimus, de sent. excommun. in 6. De alijs verò in c. ad probandum, de sent. & re iudicata, vbi dicitur, quòd Iudex excommunicatos ab agendo, patrocinando, & testificando repellere teneatur. Quamquam id duntaxat de non toleratis intelligendum est, sicuti ex communi notat Auila ci. c. 6 disp. 7. dub. 1. conclus. 2. dub. 3 conclus. 1. dub. 4. concl. 2. Sin verò tolerati sint, potest quidem eos Iudex repellere, si excommunicatio publicè nota sit, non tamēn ad hoc obligatur, nisi pars aduersa de excommunicatione excipiat; eámque, si notoria non sit, intra octo dies apertissimis documentis demonstret, vti habetur in c. 1. de excep. in 6. 14

Cæterùm, si Actor, Aduocatus, vel Testis excommunicatus, quamuis vitandus, in iudicio neque à Iudice ex officio, neque per aduersarij exceptionem repellatur, valida erunt omnia, quæ in tali iudicio acta fuerunt, sicuti colligitur ex cit. c. 1. ibi, *Si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem* (sententiæ) *impedit: sed sententia, quæ præcessit, non minùs robur debitum obtinebit*, quàm si ille tempore sententiæ excommunicatus non fuisset, supplet Gl. ibi. ver. obtinebit.

Alia verò ratio est de Iudice non tolerato, qui licet ab officio remotus non sit, omnia tamen eius acta irrita cēsentur, sicuti docent Doctores communiter in c. ad probandum, de sent. & re iudicata. Ratio est: Quia substantia iudicij vitiatur, si defectus sit in iurisdictione: Iudex autē per excommunicationem priuatur, siue suspenditur à iurisdictione, sicut de Iudice Ecclesiastico apertè traditur in cit. c. ad probandum, &c. tanta, de excessibus Prælatorum. De ciuili verò Iudice colligi potest ex can. nos Sanctorum. 15. quæst. 6. accedente communi Doctorum sētentia. Addit Auila p. 2. c. 6. disput. 6. dub. 7. prope finem, cum Gl. à pluribus recepta in c. venerabilem ver. electus, de elect. Si excommunicato (non tolerato) ciuilis dignitas, cui iurisdictio annexa est, per electionem, confirmationem, &c. conferatur, talem electionem, aut collationem ipso iure irritam esse. Suarez verò disp. 16. s. 2. n. 3. probabiliùs arbitratur, non esse ipso iure irritam: sed rescindi posse, vti colligitur ex cit. ca. venerabilem.

De Tabellione similiter docent Canonistæ in cit. c. ad probandum, publica eius acta, ratione publici muneris, ipso iure irrita esse: quod tunc saltem verum esse videtur, si actus publici Tabellionis, videl. authenticum instrumētum ad substantiam & valorē testamenti vel contractus alicuius ex iuris dispositione requiratur. Nam instrumentum confectum ab excommunicato non tolerato non cēsetur authenticum; cùm is à publicis actibus tum iure ipso, tum Iudicis officio repellatur. Imò tametsi tale instrumentum à tolerato confectum sit, nihilominus in foro externo infirmari poterit, si opponens excommunicationem sufficienter probare queat Vide Henr. l. 13. c. 9. n. 2. Auilam p. 2. c. 6. dis. 6. dub. 5. Suar. dis. 16. du. 5. Ægid. dub. 11. q. 3. conc. 4. 15

Denique verò nihil obstat, quo minùs excommunicatus in causa tū ciuili, tū criminali tanquā Reus conueniri possit: ne ex propria malitia cōmodum reportet. Debet tamē tunc non per se ipsū, sed per Aduocatū respondere, si idoneū reperire possit, & causa ardua sit, sicuti colligunt DD. ex c. intelleximus, de Iudicijs. Syl. ver. exc. 3. n. 1. effectu 12. Auila c. 6. dis. 7. du. 2. Gl. tamen in ci. c. intelleximus, verbo debet

debet, Ab. n. 5. Ægid. du. 11. qu. 4. probabiliter docent, excommunicatum compelli non posse, vt per alium respõdeat, si ipsemet se defendere paratus sit: quia meliùs se id præstiturum confidit: quandoquidem in tali causa agentes cum excommunicato nullam censuram incurrunt.

16 Nonus effectus. Excommunicato prohibita est omnis ciuilis seu politica excommunicatio fidelium, sicuti colligitur ex c. 2. de except. c. nuper, c si aliquando, c. si quem de sent. excommun & c. sicuti Apostoli. & seqq. c. ad mēsam, 11. q. 3. Nomine *fidelium* comprehenduntur hoc loco omnes baptizati, etiam excommunicati, ipsique hæretici quod ex communi sententia tradit Suarez disp. 15. s. 2. n. 12. contra Gl. in ca deuotum. 27. q. 1. Tametsi enim illi, præsertim, qui fidem, quam in Baptismo professi sunt, abiecerunt, non sint vera, & simpliciter dicta Ecclesiæ membra: tamen quod attinet ad obligationem ac subiectionem, non minùs quàm alij ad Ecclesiam spectant: neque enim conuenit, vt Ecclesia propter ipsorum delictum, iurisdictionem in eos amittat, ne ex propria iniquitate cōmodum ferant: quamobrem, cùm Ecclesiastici canones absolutè vetant, ne quisquam cum excommunicatis communicet, ad omnes omnino Ecclesiæ subditos talis prohibitio se extendere debet.

Nomine autem *ciuilis communicationis* comprehenditur quæuis humana societas per verba, nutus, literas, nuntium, munera: Item per contractus, & commercia, cohabitationem, communem mensam, iter: quæ tamen intelligi debent, si conueniant vt socij formaliter: secùs, si præter intentionem in eandem viam, domum, balneum vel hospitium incidant, qua de re legi potest S. Anton. p. 3. tit. 25. c. 2. Syl. ver. excommunicatio, 5. n. 3. Nauar. c. 27. n. 20. Suarez dis. 15. s. 1. n. 6. Sairus libro 2. c. 13. n. 8. Auila p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 9. Comprehenditur item quoduis amicitiæ signum, videlicet osculum, amplexus, salutatio, &c. conuenienter Apost. 1. ad Corinth. 5. *Cum huiusmodi nec cibum sumere.* Et S. Ioan. Epist. 2. cap. 1. *Nec aue ei dixeritis* Vide Bedam relatum in c. omnis qui, 24. quæst. 1. Quamuis autem Angelus ver. excommunicatio 8. n. 4. Sotus in 4. d. 22. q. 1. a. 4. circa tertiam conclus. Sairus li. 2. c. 13. n. 7. & alij id restringant ad eam salutationem, quæ verbis fit, existimantes licitum esse honoris causa excommunicato assurgere, caput detegere: contrarium tamen probabiliùs docent. Syl. ver. excommunicatio 5. n. 3. Suar. cit. s. 1. n. 3. Nau. c. 27, n. 20. Cùm reuera hæc sit communicatio aliqua in externis actibus, vel signis reuerentiæ consistens. Vide Auilam part. 2. capite 6. disputatione 9. dubio 9.

Est porrò obligatio ista nõn communicandi reciproca, vt non tantùm excommunicatum afficiat, ne in aliorum fidelium societatem se ingerat; sed etiam ipsos fideles, ne excommunicati hominis societatem admittant, sicuti colligitur ex c. illud dominus; §. illud autem, de clerico excommunicato ministr. Excusat tamen probabilis ignorantia: item causa pietatis, necessitatis, vel vtilitatis. Quapropter DD. ex responsio Greg. VII in c. quoniam multos 11. q. 3. causas iustas communicandi cum excommunicato hoc versu comprehendere solent, vti videre est in Gl. cap. cùm desideres, de sent. excom. & apud. S. Bonau. in 4. d. 18. q. 5.

Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

Itaque primò excusat *vtile*, id est, notabilis vtilitas corporalis, aut spiritualis; tum nostra, tum etiam ipsius excommunicati. Quapropter licitum est excommunicato indigenti subministrare subditum coporale: multoq; magis spirituale per consilium, vel exhortationem, sicuti colligitur ex c. cum voluntate, de sent. excommun. vbi dicitur, eum excommunicationis sententia non incurrere, *qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent, in locutione participat: licet etiam alia verba incidenter, (vt apud eum magis proficiat) interponat.* Et simili ratione permittitur in c. responso, eod. tit. vt coram excommunicatis verbum Dei in Ecclesia publicè prædicetur, quod ipsum Sotus in 4. d. 22. q. 1. art. 4. circa tertiam concl. ad lectionem sacræ Theologiæ extendit: cui tamen alij repugnant, sicuti videre est apud Auilā p. 2. c. 6. disp. 11. dub. 3. concl. 8. Ægid. disp. 14. dub. 12. n. 122. quod talis lectio plerumque non ita, vt sacra concio, ad spiritualem emendationem ac salutem tendat. Vice versa concessum etiam est fidelibus ab excommunicato non tolerato consilium vel subsidium seu corporale, seu spirituale petere, si eo indigeant: quia alius non adest, à quo ita commodè adiuuari possint, sicuti docet Syl. ver. excomm. 5. n. 4. Auila cit. disp. 11. dub. 2. in fine. Vt verò publicè in Ecclesia concionetur, permittendum non est: cùm ea sit grauis, eáque Ecclesiastica communicatio, à qua meritò excommunicatus repellitur: excepta necessitate admodum graui, sicuti docent Sotus, Auila, & alij locis cit.

Secundò excusat *lex*, puta matrimonialis: si enim vel vnus, vel vterque coniunx excommunicatus sit nihilominus coniugii debitum tum petere, tum reddere ipsis licitum erit; quin etiam in rebus aliis omnibus inter se communicare, videlicet in domus gubernatione, mensa, colloquio familiari, sicuti docet Caiet. ver. excommunicatio cap. 81. §. illicita autem cum excommunicatis, Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 14. n. 4. & colligitur ex cit. c. quoniam, vbi vxori simpliciter permittitur, vt cum marito excommunicato communicare possit. Etsi verò Syl. ver. excommunicatio, 5. n. 4. Armilla n. 45. aliud sentiendum putent de marito comparatione vxoris excommunicatæ: contrarium tamen est verum, quod docet Adrianus in 4. tr. de clauib. q. 3. except. 6. Angelus ver. excomm. 8. §. 8. Nau. c. 27. n. 27. Auila p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 5. Ægid. l. c. n. 123. Sanchez n. 16. Quia in correlatis quod statuitur de vno, censetur etiam de altero statutum, quando vtriusq; eadem ratio est, vt in proposito euenit. Nam ius excepit vxorem ad euitandum periculum animarum: quod idem similiter locum habet in viro respectu vxoris. Tametsi verò maritus, cùm sit caput vxoris, teneatur excommunicatam corrigere, & ad emendationem perducere, denegando illi etiam societatem, quatenus ad hunc finem expedire iudicauerit: si tamen id negligat, peccabit quidem contra legem naturalem Charitatis: non item contra Ecclesiasticam de vitandis excommunicatis: quare neque excommunicationem minorem incurret, sicuti Auila notauit resp. ad 2.

Tertiò excusat *humile*, id est, humilitas subiectionis, quā habent liberi erga parentes: serui, famuli, villici erga dominum, Religiosi erga Prælatum, vel Clerici erga Episcopum excommunicatum non toleratum, sicuti constat ex c. quoniam, vbi huiusmodi personis communicatio absolutè permittitur, vt animarum periculum euitetur: quapropter talis concessio reciprocè intelligenda est, vt etiam pater cum filijs, & dominus cum seruis excommunicatis non toleratis, sine Eccesiasticæ legis violatione, communicare possit, sicuti ex probabiliore docent Nau. cit. n. 27. Auila l. c. dub. 6.

Deinde intelligenda est concessio generatim, adeo vt etiam communicatio in diuinis, quam personæ subiectæ alioquin præstare solent, ob excommunicationis censuram non impediatur, sicuti docet Henriq. lib. 13. c. 22. n. 2. in comment lit. l. Auila cit. dub. 6. §. vtrum verò, Sanchez li. 9. de matrim. disp. 14. n. 5. Sa ver. excommunicatio, nu. 45. Ægid. Coninck cit. disp. 14. dub. 12. n. 132. Quare famuli, (sicuti & vxor, ac liberi) dominum excommunicatum ad Missā audiendā comitari; & Sacellanus cum Episcopo horas canonicas recitare non prohibentur. Excipitur autem cōmunicatio in scelere, propter quod excōmunicatio cōtracta fuit: talis enim societas omnibus personis prohibita est, sicuti colligitur ex ci. c. quoniā, & c. inter alia, de sent. exc. Quapropter, si aliquis ex cōmunicationē ideo incur-

rit, quod cum probabili impedimento irritum reddente matrimonium contraxerit, alter coniunx non tantùm contra legem naturalem peccabit, si durante dubio de matrimonij valore debitum reddat: sed etiam censuram incurret; quia communicat in scelere, ob quod alter excommunicatus fuit.

Quartò excusat *res ignorata*, siue ignorantia, vel inconsideratio tam iuris, quàm facti: modò non sit affectata, aut crassa, iuxta ea, quæ dixi suprà hoc tract. p.1. cap. 5. n.7. Cæterùm, dum dubius sum, num aliquis excommunicationem contraxerit, v.g. ob clerici percussionem: non teneor, imò nec possum illum, tanquam excommunicatũ, vitare, sicuti docet Na. c. n.27. 27. Auila ci. c. 6. dis. 11. dub. 11. ante 6. conclus. Si autem certò constitit, aliquem in excõmunicationem incidisse, in dubio præsumi non debet ab illa liberatum esse: ad eum finem vt cum ipso communicare liceat, præsertim in rebus sacris: sed necesse est, saltem probabilem existimationem haberi de eius absolutione, sicuti notauit Auila concl. 6. Syl. verb. excommun. 5. n. 26. ex regula 8. in 6. *Semel malus semper præsumitur esse malus.* Cuius ratio est: quia mutatio est facti: factũ autem non præsumitur, sed probationibus vel coniecturis ostendi debet: quia videlicet est vir Deum timens, & longum tempus ab incursa excommunicatione elapsum est, vt credibile sit absolutionem interea impetrasse.

17 Vltimò, excusat *necessitas* omnes eas personas, quæ ratione alicuius contractus obligatæ sunt personæ excommunicatæ, sicuti colligitur ex c. inter alia, de sent. excommun. in quo habetur, familiare obsequium, aliúdve debitum iusta conuentione contractum, per superuenientẽ creditoris excommunicationem minimè solui: sed nihilominus reddendum, & per consequens ipsi communicãdum esse: idémque ex communiore sententia docet Palud. in 4. d. 18. q. 6. a. 2. concl. 5. Couar. reg. peccatum, p. 1. §. vlt. P. Nau. lib. 4. c. 4. n. 85. Auila disput. 11. dub. 4. Suarez disp. 15. s. 8. n. 5. Sanchez lib. 2. moral. c. 24. n. 8. Becanus 2. 2. c. 16. q. 2. Mol. to. 3. tr. 2. disp. 759. contra Abb. in cit. ca. inter alia, in fine, & Gl. in c. nos sanctorum, 15. qu. 6. ver. constricti sunt, vbi ait: *Probabiliter dici posse, quòd excommunicato debita soluenda non sint.* Quam sententiam nihil adiuuat dictum c. nos sanctorum, vbi Gregor. VII. absoluit eos, qui excommunicatis fidelitate, aut sacramento constricti sunt: nam ideo subditi ab obedientia Principi excommunicato præstanda absoluuntur, quia excommunicatio hominem priuat vsu iurisdictionis: non item iure dominij, aut debiti petendi ex legitimo contractu, sicuti notauit Auila ci. d. 4. §. sed arguitur.

Multò verò magis; si debitor meus excommunicatus est, possum ab eo debitum exigere, & consequenter, quatenus necesse est, cum eo communicare, sicuti habetur in c. si verè, eod. tit. vbi etiam generatim significatur, licitam esse communicationem cum excommunicato, quotiescunque ea sine graui incommodo vitari non potest: nam idcirco ait Papa iure permissum esse, *si quisquam per terram hæreticorum aut quorũcũque excommunicatorum transierit, necessaria emere, ac recipere ab eisdem.* Eademque ratione fas erit fidelibus pauperibus, si aliàs commodè sustentari non possint, eleemosynam petere ab excommunicatis non toleratis, atque ad illorum mensas accumbere.

Porrò controuersia est inter DD. si aliquis operam suã locauit, vel alia ratione se obligauit homini tunc existenti in excommunicatione; vtrum nihilominus ei communicare possit? In qua quæstione imprimis supponendum est, Contractus cum excommunicato etiam non tolerato omni iure validos esse, sicuti contra Hostiensem in c. veritatis de dolo & contumacia, docet ib. Abb. n.35. & colligitur ex c. cùm illorum, de sent. excommun. vbi Abb. aliique DD. idem notant de professione Religionis, validam esse, sed illicitam, quæ fit ab excommunicato: quippe cui communicatio cum fidelibus prohibita est. Quod etiam sentiendum est de testamento, sicuti ex communi docet Auila p. 2. c. 6. disp. 6. dub. 6. Ægid. cit. disp. 14. dub. 13. q. 3. vbi notant, excommunicatos quandoque etiam licitè testamentum condere: si appropinquante morte non habeant copiam sacerdotis, à quo absoluantur, tunc enim necessitas illos excusat.

Deinde distinguendum est; vtrum aliquis per ignorantiam, adeóque bona fide cum excommunicato contraxerit: an verò sciens, & mala fide, atque illicitè: Si enim bona fide contraxit, nihil ipsi obesse debet, quo minùs contractum prosequi & cum contrahente communicare possit, perinde ac si excommunicatio postea superuenisset: secus si mala fide, & sciens: tunc enim à contractu resilire debet, si sine graui incommodo possit, sicuti ex communi docet Syl. ver. excommun. 5. nu. 4. Auila cit. disp. 11. dub. 6. Suar. disp. 15. s. 5. num. 13. & 17. Quamuis aliqui apud eundem absolutè affirment, quòd tametsi v.g. famuli scienter ac mala fide cum excommunicato contraxerint, suam ipsi operam locando: postea tamen in famulatu perseuerare, & promissa obsequia præstare possint: quia in cit. c. quoniam multos, personis huiusmodi subiectis, ac obligatis communicatio sine distinctione permittitur: ergo neque nos distinguere oportet. Quomodo etiam Sanchez arg. l. 9. de matrim. disp. 14. n. 4. loquens de vxore excommunicato scienter nubente. Verùm de vxore minore est difficultas: cum ea viro excommunicato, cui illicitè nupsit, adhærere tamen cogatur: famuli autem à domino excommunicato, cui operam suam locârunt, sæpe sine graui suo damno discedere possint: ideóque ad hoc obligari videantur. Idque colligi videtur ex c. inter alia, §. vt igitur, de sent. excommun. Quamuis in negatiuam partem inclinat etiam Ægid. disp. 14. dub. 12. n. 129.

Decimus effectus excommunicationis est. Quòd si excommunicatus toto anno contumaciter in excommunicatione persistat, &, vt iura loquuntur, insordescat, contra ipsum, tanquam de hæresi suspectum, procedi possit, sicuti patet ex Tridentino, sessione 25. capite 3. de reform. 18

Vndecimus effectus. Si excommunicatus ante absolutionem moriatur, priuandus est Ecclesiastica sepultura, sicuti & funebri Ecclesiastico officio: quia hæc censetur quædam cum mortuo communicatio: *Sacris autem canonibus institutum est, vt quibus non communicamus viuis, neq; mortuis communicemus,* c. sacris, de sepult. vbi Abb. notat. n. 3. Quòd *isti, quibus Ecclesiastica sepultura interdicta est, sepeliri non debent prope cœmiterium, sed procul: saltem tanta distantia, vt Clericorum cantantium ibi exaudiri non possint.* Si tamen excommunicatus ante mortem pœnitentiæ signa edidit, nec per eum stetit, quo minùs absolutionem consequeretur, etiam post mortem ab excommunicatione absolui debet, ad eum finem, vt Ecclesiæ suffragiis & sacra sepultura fruatur, c. à nobis, 28. & c. sacris, de sent. excommun. 19

Porrò qui propriæ temeritatis audacia, non sine contẽptu clauium Ecclesiæ, defunctorum corpora interdicti tẽpore: vel excommunicatos, aut nominatim interdictos: vel vsurarios manifestos in loco sacro sepeliri præsumunt, ipso facto excommunicationem incurrunt. Clem. 1. de sepult. Adde ex c. quicunque, de hæret. in 6. eos, qui hæreticos, vel eorum fautores scienter Ecclesiasticæ sepulturæ tradere præsumpserint, non antè ab excommunicatione absoluendos esse, quàm huiusmodi damnatorum corpora publicè extumulent atque abiiciant: modò eorum corpora à reliquorum fidelium corporibus discerni possint, sicuti habetur c. sacris, de sepult. iuncto c. consuluisti, de consecrat. Ecclesiæ, vel altaris. Sed hæc locum tantum habere in non toleratis, dicam capite sequenti, numero 9.

Vltimus effectus est, quòd qui cum excommunicato non tolerato extra casus iure concessos, communicat, ipse quoque censuram minoris, & interdum maioris

maioris excommunicationis incurrat, de quo dicam cap. sequenti.

CAP. III.

De pœnis, siue censuris, quæ incurruntur ob communicationem cum excommunicato: & speciatim de excommunicatione minore.

SVMMARIVM.

1 *Qui excommunicato communicat in crimine criminoso, similiter excommunicationem incurrit.*
2 *Cum excommunicato communicare in rebus sacris est peccatum mortale: nisi materiæ paruitas excuset.*
3 *Communicare cum excommunicato in rebus politicis, plerumque est peccatum tantùm veniale.*
4 *Qui cum excommunicato communicat in rebus sacris, aut politicis, minorem excommunicationem incurrit.*
Excommunicatio minor per se solùm priuat vsu passiuo Sacramentorum: peccat tamen saltem venialiter, qui in excommunicatione sine necessitatis ratione Sacramentum ministrat.
5 *Si in minore excommunicatione constitutus ad Ecclesiasticum beneficium scienter se eligi patiatur, electio infirmanda est.*
6 *A minore excommunicatione quiuis proprius vel expositus Sacerdos absoluere potest.*

1 IMprimis supponẽda est celebris distinctio triplicis cõmunicationis cum excommunicato. Prima est communicatio seu cooperatio in crimine cõtumaciæ, ob quod alter excommunicationem contraxit: v.g. si Titius excommunicatus, denuntiatúsque fuit, quia rem alienam detinet: & tu illum postea adiuuas, quo minùs secundùm iustam Iudicis sententiam ac præceptum restituat, communicas in crimine, vt iura aiunt, criminoso, atque similiter maiorem excommunicationem incurrit, sicuti constat ex c. si concubinæ, de sent. excommun. Requiritur autem ad hanc pœnam siue censuram contrahendam, vt quis scienter communicet in eo ipso crimine, propter quod alter excommunicationem talem incurrit, ab quã non toleratus, siue vitandus existit, sicuti latiùs videre potes apud Nau. c. 27. n. 112. Syl. ver. excommun. 8. n. 10. Auilam p. 2. c. 6. disp. 10. dub. 3. Qui rectè obseruant, excommunicationem hanc diuersam esse ab ea, quæ interdum consulenti vel cooperanti, v.g. ad homicidium, decernitur: nam ad incurrendam excommunicationem, de qua hîc agimus, necesse est, vt principalis priùs incurrerit excommunicationem: postea alter cooperetur, & propter eam cooperationem excommunicetur. In altero verò casu cooperatio antecedit criminis consummationem & principalis criminosi excommunicationem. Demum hîc nota, absolutionem ab excommunicatione hac accessoria pertinere ad eum, ad quem de iure pertinet absoluere ab excommunicatione principali, sicuti habetur in cit. c. nuper, & explicant Syl. l. c. Auila cit. dub. 3. in fine.

Altera est communicatio Ecclesiastica, quæ Christianis conuenit, quatenus Christiani sunt: adeóque ipsis propria existit. Quamuis & hæc duplex est, auctore Caiet. ver. excom. c. 81. §. vbi scito. Auila c. 6. disp. 8. dub. 3. Su[illegible]. disp. 13. f. 2. n. 8. Vna quæ propriè dicitur communicatio in diuinis, siue in sacris, videlicet in Sacramentis ac sacrificio Missæ aliisque diuinis officiis ac precationibus, Ecclesiæque suffragiis. Altera verò retinet commune nomen Ecclesiasticæ communicationis: quia consistit in Ecclesiasticis quibusdam actionibus, quæ propriè etiam ad Christianos spectant, quamuis secundariò: videlicet, conferre beneficium Ecclesiasticum, eligere ad illud, exercere officium Iudicis Ecclesiastici, publici item Concionatoris, &c.

Quòd attinet ad priorem illam communicationem *in diuinis*, consentiunt Doctores, eam sub peccato mortali prohibitam esse excommunicatis: quia valde repugnat 2 tum etiam dignitati rerum sacrarum, si ad has, quæ maximè propriæ sunt filiorum Ecclesiæ, admittantur qui ab Ecclesia præcisi sunt. Nisi materiæ paruitas à culpæ grauitate excuset; puta, si excommunicatus per templum trãsiens, tamdiu hæreat, & attendat, dum vnus breuis psalmus decantatur: vel si aliquis cum excommunicato non tolerato assistat Missæ vsque ad Euangelium, vti notauit Auila cit. c. 6. disp. 8. dub. 3. concl. 1. & post 2. concl. §. primò ergo dico, Ægid. disp. 14. numero 146. Præterea si aliquis cum excommunicato non tolerato priuatim oret officium aliquod diuinum, non plùs quàm venialiter peccare videtur, secluso scandalo & contemptu, sicuti docent Couar. c. alma. p. 1. §. 3. n. 9. & 10. Suar. disp. 12. f. 2. n. 18. Auila & Ægid. ll. cc. Quia hæc priuata communicatio in oratione non continet tantam deformitatem, considerato fine Ecclesiasticæ legis & censuræ, quantam communicatio, quæ in solemni officio fit.

De altera verò Ecclesiastica communicatione, vtrũ ea sub peccato mortali prohibita sit, nécne, non consentiũt DD. Nam Caiet. l. suprà cit. Nau. c. 27. n. 28. & 29. & alij putant, prohibitionem hanc esse tantùm sub peccato veniali, per se loquendo. Quæ sententia ita generatim pronuntiata non immeritò displicet Ægid. Coninck. cit. dis. 14. dub. 14. n. 147. Nam collatio, electio, vel præsentatio ad Ecclesiasticum beneficium tam actiua, quàm passiua est grauis Ecclesiastica functio, valde honorifica conferenti, & prouiso: eligenti & electo: ideóque valde indecens est, eam ab excommunicato, & præciso membro, contra Ecclesiæ prohibitionem ac censuram, exerceri. Idémque sentiendum videtur, si excommunicatus publicum Ecclesiasten agat, vel Iudicem, præsertim in Ecclesiasticis causis, sicuti notauit etiam Less. lib. 2. c. 29. n. 59. Henriq. l. 13. c. 7. n. 6. Siquidem & hæ functiones valde honorificæ sunt, hominémque supra reliquos fideles in Ecclesia extollunt. Secùs verò est de aliis iudicialibus actibus, inquit Ægid. n. 148. puta Aduocati, Procuratoris, Actoris, Testis: quia non continent tantã in se dignitatem, aut repugnantiam cum fine Ecclesiasticis censuris proposito. Fatetur tamen Less. contrariam sententiam esse probabilem, quòd v.g. Iudex toleratus, cuius acta valent, peccet tantùm venialiter iudicando.

Tertia est communicatio merè ciuilis seu politica, quæ proinde Christianis cum infidelibus communis esse potest. De qua communiter sentiunt DD. eã sub veniali tãtũ peccato excõmunicatis prohibitã esse. Ratio est: Quia 3 huiusmodi cõmunicatio in actionibus pertinentibus ad conuictũ, atq; cõmercia humana, & secundũ se leuis ac valde vulgaris est: & non admodũ repugnans fini excommunicationis: quippe cùm per eam per se primò ac directè tantũ prohibeatur vsus & cõmunicatio rerũ spiritualiũ & Ecclesiasticarũ, indirectè verò & secundariò tantũ politicarũ, sicuti notauit Cai. ci. §. vbi scito, Suar. dis. 15. f. 2. n. 2. aliiq; cõmuniter. Cæterũ si vir grauis hominẽ excõmunicatũ, nõ toleratum, in societatem suam diu duraturam ascisceret: vel Iudex ad munus Aduocati sæpiùs admitteret, ex quo ipsius excommunicati existimatio non parum augeretur, Ecclesiasticæ verò censuræ minueretur, tunc mortale peccatum committi, notauit Ægid. n. 149.

Porrò hoc commune est communicationi cum excommunicato, tùm in sacris, tum in politicis negotiis, vt qui 4 eam, iusta causa non excusatus, adeóque non sine culpa mortali, aut veniali exercet, excommunicationem minorem incurrat, sicut habetur in c. statuimus de sent. excommun. in 6. Videri possunt quæ Gratianus congerit, c. placuit. & pluribus seqq. 11. q. 3. ex quibus colligi videtur, olim communicationem cum excommunicato maiore

censura prohibitam fuisse, can. 10. Apost. Carthag. 4. can.73.

Est autem minor excommunicatio *censura*, *per solùm priuans vsu passiuo, siue susceptione sacramentorum*, c. penul. de sent. excommunicatio, c. vlt. de clerico excommunicato ministrante. Et quia materia huius prohibitionis grauis est, ideo grauiter seu mortaliter peccat, qui tali cēsura ligatus absque iusta necessitate sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Ordinis, Matrimonij, vel extremæ Vnctionis suscipit: licet ob id nullam irregularitatis notam contrahat, sicuti habetur expresse in ci. c. vlt.

Atque hîc, vt dixi, vnicus est minoris excommunicationis effectus proximus, per se, ac directus. Alij verò duo sunt indirecti, remoti, & per consequentiam; Quorū primus est, quòd minore excommunicatione irretitus peccet (saltem venialiter) si sine necessitatis ratione Sacramenta ministret, sicut docent Barthol. Medina instruct. Confessar. lib. 1. c. 11. §. 6. Couar. c. alma, p. 1. §. 8. n. 2. Auila cit. c. 6. disp. 12. Ægid. dub. 17. Suar. disp. 24. s. 2. n. 11. Idque propter quandam irreuerentiam: quia indecens esse videtur, excommunicatum administrare Sacramentum aliquod, cùm ipsi susceptio Sacramentorum tanquam indigno prohibita sit. Imò Syl. ver. excommunicatio, 4. n. 1. Armilla n. 21. existimant, esse hanc culpam mortalem. Contra verò Nau. c. 27. n. 24. Henriq. lib. 13. c. 3. num. 2. nullum omnino peccatum in ea re agnoscunt, si alioquin Sacramenta in dicta excommunicatione ministrans à mortali culpa immunis sit. Quibus tamen repugnat textus cit. c. vlt. *Peccat autem conferendo sacramenta: sed ab eo collata virtutis non carent effectu: cùm non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum* (per se ac directè) *remotus*.

Corollarium I. Si Episcopus in minore excommunicatione sacros ordines conferat, dupliciter peccat: primò venialiter, quatenus Ordinis sacramentum ministrat, secundò mortaliter, quatenus S. Eucharistiæ sacramentum suscipit. Ita Auila l. c. dub. 3.

Corollarium II. Si duo Sacerdotes in minore excommunicatione constituti sint: priùs debent se vicissim absoluere à censura, (hæc enim absolutio sacramentalis non est) quàm vnus alteri absolutionem à peccatis conferat. Ita Auila l. c.

5 Alter porrò effectus minoris excommunicationis indirectus & per consequentiam est; quòd ea ligatus ad beneficium Ecclesiasticum eligi non debeat: sed electio infirmanda sit, iuxta cit. c. vlt. *Si scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda*: & ratio adiungitur, *quòd ad eorum susceptionem eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus est priuatus*, id est: Quia beneficium Ecclesiasticum suapte institutione ordinatur ad sacros ordines suscipiendos, vel Missam celebrandam, &c. à quibus tamen minore excommunicatione affectus repellitur. Quare idem eadem ratione dicendum de præsentatione & collatione beneficij, sicuti docent DD. ferme communiter apud Richar. in 4. d. 18. a. 7. q. 4. Couar. c. alma, p. 1. §. 7. n. 1. Sanchez disp. 24. s. 2. num. 22. Ægid cit. disp. 14. dub. 17. nu. 262. Auila citat. disp. 12. dub. 4. Et censeri debet peccatum mortale, ita excommunicatum atque inhabilem scienter ad beneficium eligere, vel præsentare: quia est res grauis, sicuti etiam testatur Auila ci. du. 4. con. 1.

Dubitant verò Doctores, propter verba cit. *Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda*: Vtrum etiam irritanda sit, tametsi electores ignorauerint excommunicationem electi? Canonistæ communiter affirmant, vti videre est apud Abb. n. 8. Couar. cit. § 8. n. 3. quos sequitur Suarez disp. 24. s. 2. n. 18. Ægid. n. 263. Quia talis electio reprobata est non ob culpam eligentium: sed ob incapacitatem electi, sicuti ex adiuncta, & suprà explicata ratione colligitur. Contrarium tamen expresse docent Syl. ver. excommunicatio, 4. nu. 4. Auila cit. dub. 5. con. 4. Nam vocula illa *scienter* ita explicari debet, vt non sit superflua: est autem omnino superflua, nisi dicamus electionem talis excommunicati cassandam non esse, nisi scienter facta sit ab electoribus. Sed neque hæc sententia satisfacere videtur: siquidem in hac electionis cassatione non tam electores puniuntur, sed potiùs electus: ergo non ad illorum, sed huius potiùs culpam attendendum est. Quare placet mihi solutio Gl. in cit. c. vlt. ver. scienter: Sensum illorum verborum esse, *si tamen scienter talis*; id est, sciens minorem suam excommunicationem, atque inhabilitatem electus fuerit, irritandam esse: siue sciuerint electores siue ignorârint. Ad fundamentum verò primæ sententiæ resp. Censuram seu inhabilitatem personæ affectę minori excommunicationem, non esse adæquatā causam, cur talis eligi non debeat: (nam alioquin consequēs foret, talem electionem ipso facto irritam esse, quod tamen communiter negant DD. contra Syl. l. c. Cou. cit. n. 3.) sed quia canones statuerunt, talem electionem faciendam non esse, imò etiam cassandam in pœnam electi, si huiusmodi electionem sciens acceptauit.

Porrò excommunicatio minor iuris decreto incurritur propter culpabilem communicationem cum excommunicato non tolerato, vt suprà. Quamuis verò absolutè nihil obstet, quo minùs ea etiam ab homine decernatur; vt videlicet in pœnam alicuius delicti, præsertim accedente contumacia, nominatim alicui interdicatur vsus Sacramentorum, vel saltem vnius præcipui S. Eucharistiæ (quæ antonomasticè communio dicitur. ait Victor. in sum. de excommun. nu. 1.) atque olim ita in vsu erat, vt alicui seu ob hoc ipsum vetitæ communicationis, seu ob aliud peccatum præteritum, partialis excommunicatio à sacra Synaxi, vel etiam oratione imponeretur, vti frequenter legere potes in regula S. Benedicti. Nunc autem talis excōmunicandi modus ferme desiit. Vide Victoriam ibidem, Suar. ci. dis. 24. s. 3. n. 7. Tol. l. 1. c. 17. n. 5. & quæ dicam infrà hoc tract. p. 4. c. 1. & l. 5. tr. 6. c. 7. n 3.

Denique à minore excommunicatione in externo foro quiuis Ordinarius Ecclesiasticus Iudex absoluere potest: 6
In foro autem interno, non tantùm Episcopus, sed etiam Parochus, & quiuis proprius sacerdos, sicuti habetur in c. nuper, de sent. excommun. & docent ex communi Sotus in 4. d. 22. q. 2. a. 3. concl. 1. Syl. ver. absolutio, 1. n. 3. Couar. c alma, p. 1. §. 12. n. 6. Auila p. 2. cap. 7. disp. 2. dub. 1. dub. 1. Suarez s. 4. Ægid. cit. dub. 17. in fine. Imò non desunt DD inter quos Nau. c. 27. n. 39. & in c. placuit d. 6. de pœnit. n. 25. Tolet. cit. c. 17. in fine, existimantes, quemuis simplicem Sacerdotem absoluere posse ab excommunicatione minore, quæ ob venialem culpam contracta fuit. Sed alii rectiùs id negant. Richar. in 4. d 18. a. 9. q. 3. Medina ci. §. 6. Caiet. t. 1. opusc. tr. 7. q. vn. Quia absolutio sacramentalis à peccatis, & absolutio à censuris valde diuersæ sunt: & illa quidem ad forum internum pœnitentiæ pertinens: hęc verò ad forum externum ac contentiosum, quæ proinde nemini competere potest, nisi vel in externo foro iurisdictionem obtineat, vel ipsi à iure, aut ab homine talis potestas commissa sit; Non legimus autem à iure commissam cuiuis etiam simplici Sacerdoti: sed solùm proprio Sacerdoti: quo nomine in hac materia intelligitur non tantùm qui ordinariam iurisdictionem habet ad absoluendum à mortalibus peccatis: sed etiam qui delegatam, sicuti colligitur ex cap. omnis vtriusque de pœnitent. & remiss.

CAP. V.

Quinam excommunicati sint vitandi non tolerati: & qui tolerati, sed non vitandi

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Hodie excommunicati, nisi denuntiati sint, aut notorij clericorum percussores, à fidelibus vitandi non sunt, seu in sacris, seu politicis negotijs.*

2 *Ad hoc, vt percussor clerici vitandus sit, requiritur notorium facti adeo in publico manifesti, vt nulla tergiuersatione celari aut excusari possit.*

3 *Qui in vno loco ob excommunicationem denuntiatus est, alibi vbi eius excommunicatio ignota, vitandus est occultè: non publicè: sed clericis percussor in loco, vbi id ignotum, neque in occulto vitari debet.*

4 *Fideles, si velint abstinere possunt à communione excommunicati non vitandi, si excommunicatio publicè nota sit, vel sufficienter probari possit.*

5 *Communis est doctrina, quòd fideles peccent, si sine vlla causa necessitatis, aut maioris vtilitatis excommunicatum, quamuis emendatum, inducant ad sacrificandum vel Sacramenta ministranda, si alius minister facilè haberi possit: contraria tamen sententia non est improbabilis.*

6 *Etsi ipsi excommunicati tolerati se ingerere non debeant communioni fidelium, præsertim in sacris: tamen licitè requisiti aut rogati parere possunt.*

7 *Excommunicatus non vitandus validè absoluit à peccatis, & exercet actus iurisdictionis voluntariæ: non item coactiuæ.*

8 *Probabile est, quòd liceat hodie publicè orare & sacrificare pro excommunicatis toleratis, etiam hæreticis: modò horum nomina in Missa non exprimantur contra Ecclesiæ morem, aut cum scandalo.*

9 *Excommunicatis toleratis, præcisè ob censuram, sacra sepultura negari non debet.*

Sin verò constet, vel præsumi possit, eos in mortali peccato decessisse, v.g. in hæresi, sepelire tales non licet in loco sacro: si tamen sepeliantur, locus non violatur.

CVM præcipuus excommunicationis effectus sit, exclusio à communione, si ue consortio aliorum fidelium seu baptizatorum; vt & [illegible] excommunicato prohibitum sit cum reliquis fidelib[illegible] sacris, seu prophanis negotijs communicare; & fid[illegible] quoque eundem euitare teneantur, ideo necesse [illegible] explicare, quousque se prohibitio ista extendat.

Notandum igitur est: Antiquo iure omnes omnino excommunicatos vitandos fuisse, eo tamen discrimine, vt si excommunicatio publicè nota fuisset, publicè etiam vitarentur: sin verò publicè nota non esset, priuatim tantùm vitarentur ab ijs, qui eam cognitam haberent, sicuti constat ex c. cùm non ab homine, de sent. excommun.

1 In Concilio verò Constantiæ circa Annum Domini 1414. celebrato, ad schisma inter tres Pontifices tollendum, Ecclesiæque pacem reddendam: ac postea confirmato à Martino V. Pontifice, edita est constitutio, *Ad euitanda*, quæ licet in tomis Conciliorum non extet, refertur tamen à S. Anton. (qui eodem illo tempore vixit) 3. p. tit. 26. c. 3. Soto in 4. d. 22. quæst. 1. a. 4. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 1. num. 1. Nau. c. 27. num. 35. & confirmata fuit à Leone X. in Concilio Lateranensi. Summa hæc est: Ad euitanda animarum pericula statuit S. Synodus, vt nemo deinceps quemquam ratione alicuius sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ, in Sacramentorum admistratione, receptione, aut alijs quibuscunque rebus diuinis, vel externis vitare, aut interdictum obseruare teneatur, nisi sententia vel censura huiusmodi contra certam personam, Collegium, Ecclesiam, &c. specialiter à Iudice publicata, vel denuntiata fuerit: eo excepto, qui ob sacrilegam manuum iniectionem in Clericum, excommunicationem canonis notoriè incurrit, vt factum eius nulla tergiuersatione celari, & nullo iuris suffragio excusari possit: nam ab huiusmodi, etiam non denuntiati communione abstinendum. Postea verò subiungitur: *Per hæc autem non intendimus ipsos excommunicatos suspensos, & interdictos in aliquo subleuare, vel quomodolibet eis suffragari.*

Porrò hæc constitutio in Basileæ postea habito Concilio, Anno Domini 1435. correcta, videtur; vt non solùm Clericorum percussores, sed quicunque etiam alij notoriè excommunicati à fidelibus vitari debeant, sicuti videre est sess. 20. dicti Concilij Basileensis. Quare dubitant DD. Vtrum Basileensis, an Constantiensis Concilij decreto hodie standum sit: Pro Basileensi stat Syl. ver. excommun. 5 num. 9. Nau. in c. 1. §. laboret, d. 6. de pœnit. Couar. c. alma, p. 1. §. 2. num. 7. Sed alij ferme communiter pro Constantiensi, sicuti videri potest apud Sotum cit. a. 4. Nauar. in manuali c. 27. num. 35. Victor. de excommun. num. 10. Henriq. lib. 13. c. 5. num. Auila p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 1. Suarez disp. 9. s. 2. num. 5. Ægid. disp. 13. dub. 2. Tum quia Concilium Basileense ab Eugenio IV. Pontifice reuocatum, atque autoritate Apostolica confirmatum non est; exceptis paucis quibusdam cõstitutionibus circa causas beneficiales à Nicolao V. receptis: inter quas non erat ea de vitandis excommunicatis. Tum quia consuetudo, (quæ est optima legum interpres; imò per se ipsam sufficiens ad legem nouandam) iam obtinuit, præsertim in nostris septemtrionalibus partibus, vt hæretici aliique excommunicati haud euitentur, nisi vel nominatim denuntiati, vel notorij Clericorum percussores sint. Quod etiam in Concordatis Galliæ cum Leone X. receptum legimus.

Quare pro pleno intellectu, & praxi dictæ extrauagantis *Ad euitanda* quædam ex communi Doctorum sententia, notanda sunt: Primum, Non sufficit aliquem esse nominatim excommunicatum, vt euitari debeat: sed insuper requiritur, vt à Iudice siue Superiore suo publicè denuntiatus sit. Ita colligitur ex verbis extrauagantis, & docent Nauar. cit. num. 35. Couar. p. 1. §. 2. num. 7. ver. quarto, Gutierez cit. c. 1. num. 29. Auila p. 2. c. 6. disp. 2. dub. 3. Ægid. disp. 13. dub. 2. aliique ferme communiter. Ex quo colligitur primò; Si alicui in scripto tradita sit sẽtentia excommunicationis, vt eam contra aliquem denuntiet, quòd denuntiaturus non teneatur hominem euitare, nisi posteaquam sententia contra illum denuntiata siue promulgata est. Secundò colligitur cum Nauar. lib. 5. consil. 6. num. 2. & consil. 9 n. 5. de sentent. excommun. edit. 2. & Gloss. communiter recepta in c. cupientes, §. quòd si per viginti, verb. priuatus, de elect. in 6. Licet appellatio ipsam excommunicationis sententiam absolutè latam suspendere non possit: cùm ea executionem secum trahat, cap. pastoralis, §. verùm, de appellat. nihilominus suspendit effectum denuntiationis: vt appellans, pendente appellatione, vitandus non sit. Qua simili ratione tametsi aliquis in facto notorio appellare non possit, cap. cùm sit Romana, eod. tit. tamen à sententia Iudicis declarantis factum notorium esse, appellare potest: cùm is iniustè iudicare potuerit, sicuti notauit Abbas p. 1. consil. 100. Denique, licet à pœna iuris non appelletur, cap. quia nos, de appellat. appellari tamen potest à sententia Iudicis declarantis aliquem incidisse in pœnam iuris.

Secundum. Cùm duplex sit notorium: *iuris & facti*, sicuti dicam lib. 3. tract. 5. de iust. p. 2. c. 3. num. 7. quæst. 3. sciendum est, vt Clerici percussor dicatur notorius, & ante denuntiationem vitandus, hodie non sufficere notorium iuris: sed requiri notorium facti, quod nulla tergiuersatione celari possit, sicuti docet Couarru. c. alma, p. 1. cap. 2. num. 9. in fine, Auila cit. disp. 2. dub. 4. & colligitur ex verbis extrauagantis. Porrò notorium facti debet esse publicum: quare etsi aliquid tribus aut quatuor personis præsentibus factum sit, vt sufficienter in iudicio probari possit, non ideo statim factum notorium censetur: consequenter, si quis Clericum, te, aliisque tribus aut quatuor testibus præsentibus, in domo priuata percussit, non erit ille tibi, aliisque tribus ne priuatim quidem euitandus: quia licet factum his notorium sit non tamen absolutè notorium, siue publicum existit, vt nulla tergiuersatione celari possit, sicuti docet Nauar. c. 25. num. 73. Gomez 3. resolut. c. 1. num. 42. Arrag. 2. 2. quæst. 10. a. 9. Auila cit. dub. 4. §. secundò sequitur: licet contrarium

sentiat Suarez disput. 7. sect. 2. num. 2. de censur.

Hoc adde, tametsi factum notorium sit, vt in publicā communitatis notitiam deuenerit, vel mox deuenire necesse sit; si dubium tamen iuris subsit, quia percussor aliqua probabilitatis ratione se defendere potest, quo minùs excommunicationem contraxisse videatur; puta quòd percussio facta sit causa defensionis, vel ex vehemēte passione iræ: hoc casu vitandus non est: propter verba Concilii. *Aut aliquo iuris suffragio excusari possit.* Quare tunc solùm Clerici percussorem euitare debeo, quando morali certitudine mihi constat seu per proprium visum, seu per confessionem Rei, seu per plurium testimonium, seu per publicam & constantem famam, quòd percussio notoriè facta sit, vt nulla tergiuersatione celari possit: atque ita malitiosè, vt nulla ratione probabili à peccato mortali, & annexa censura canonis excusari queat, sicuti explicat Auila cit. c. 6. disp. 11. dub. 11. & 12.

3 Quæres. Si sciam, Titium in vna ciuitate vel diœcesi publicè denuntiatum, vel notorium Clerici percussorem fuisse: ac nondum absolutum præsumere possim: vtrum debeam eum vitare etiam in alia ciuitate, vel diœcesi, vbi eius excommunicatio, vel denuntiatio publicè ignoratur? Ad hoc respondent Syluest. ver. excommun. 5. num. 26. Armilla eodem ver. num. 61. Auila c. 6. disput. 11. dub. 12. Sanchez lib. 2. moral. cap. 11. num. 20. Talem in publico vitandum non esse: sed in occulto. Ratio est: Quia à lege antiqua recedendum non est, nisi quatenus in lege noua exprimitur, l. præterea in fine. Cod. de appellat. Cùm igitur in extrauagante Constantiensi nihil decretum sit circa modum excommunicatum vitandi, publicè an occultò, sed solùm circa qualitatem excommunicatorum, vtrum denuntiati sint, nec ne: ideo standum est iure antiquo c. cùm non ab homine, de sent. excommun. vt excommunicati (intellige nunc denuntiatos) publicè vitentur, si eorum excommunicatio publicè nota sit: occultè verò, si publicè ignota sit.

Addo tamen huic doctrinæ; Si vera sit sententia non paucorum Doctorum, de qua dicam lib. 3. de iust. tr. 3. p. 2. c. 3. n. 10. Crimen, quod per Iudicis sententiam publicatum est, alijs etiam locis sine iniuria euulgari posse; consequens esse, talem etiam in publico euitari posse ab ijs, qui illius denuntiationem alibi factam esse nôrunt licet fortasse non teneatur eum euitare: quia canones Ecclesiasticos, vetantes communicationem cum excommunicato, benigniùs interpretari conuenit, vt non obligent cum noua infamia excommunicati. Quamquam ex suprà cit. cap. cùm non ab homine, parùm probari posse videtur, cùm illud expressè loquatur de eo, qui per Iudicis sententiam denuntiatus non est. Alia verò ratio est de percussore Clerici alicubi notorio: is enim alibi, vbi eius crimen incognitum est, publicè euitari non potest; occultè verò euitari non debet, secundùm probabilem sententiam apud Auilam lo. cit. §. Vir quidam doctus. Ratio diuersitatis est: Quia sententia Iudicis denuntiatoria, sicuti & ipsamet excommunicatio, affi[illegible]it personam, quæ proinde illam secum fert, quocunque vadat; accedente etiam iuris communis dispositione. At verò publica notitia facti, seu criminis commissi circumscripta est loco: ponimus enim alibi crimen occultum esse.

4 Tertium notandum. Quòd attinet ad reliquos excommunicatos toleratos; qui videlicet néque denuntiati, neque notorij Clericorum percussores sunt; cum his fideles tam in sacris, quàm prophanis actionibus communicare quidem possunt: ad id tamen minimè obligantur: sed sine iniuria etiam abstinent, cùm priuatim, tum etiam publicè: dummodo eorum excommunicatio vel publicè nota sit, vel sufficienter ab ipsis probari possit. Quare licitum est Iudici, aut parti litiganti exceptione repellere Actorem, Aduocatum, Testem excommunicatum; Regularibus item & Clericis recusare imperium seu iurisdictionem Episcopi, Abbatis excommunicati, sicuti de iure etiam antiquo testatur Doctores in 4. distinct. 18. vbi Richar. a. 11. quæst. 2. Neque cogi possunt subditi, vt à Parocho excommunicato Sacramenta suscipiant, eius Missæ intersint, vel vt excommunicati Iudicis seu in spiritualibus, seu temporalibus legi, sententiæ, aut mandato pareant. Ratio est: Quia Concilium Constantiense non ipsis excommunicatis: sed solùm reliquis fidelibus fauorem & gratiam conferre voluit. *Quod autem ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, regul. 61. in 6. Et, *Nemo beneficio inuitus vti cogitur*, argum. reg. 69. ff. Hæc tamen doctrina limitanda est primò: Nisi vel consuetudo, vel specialia fœdera alicuius regionis aliud postulent, qua ratione in Imperio Lutherani Confessionistæ à publicis contractibus, iudicijs, dignitatibus, ciuilibus repelli non possunt. Secundò; Interdum lex naturalis charitatis, pietatis, aut obseruantiæ postulat, vt subditi Prælato suo: & liberi: etiam emancipati, parentibus suis excommunicatis, si iure possint, subsidium, aut obedientiam præstare non intermittant.

Quartum notandum. Tametsi fideles communicando cùm excommunicatis toleratis nunquam peccent contra legem, seu censuram Ecclesiasticam: quare neque minorem excommunicationem ob id vnquam contrahant, sicuti rectè notatit Auila part. 2. cap. 6. disput 8. dub. 1. conclus. 4. Suarez disput. 11. sect. 4. num 3. Ægid. disp. 13. dub. 3. conclus. 6. nihilominus interdum peccare possunt contra legem naturalem charitatis, si absque necessitatis ratione cum tol[illegible]rato communicent: Primò: Si intelligam excommunicat[illegible]m ob meam communicationē in contumacia sua con[illegible]rmatum iri; sin verò ab ipso abstineam, ad emendatio[illegible] prouocandum fore.

Secundò, si intellig[illegible] Ministrum excommunicatum in peccato suo co[illegible]r persistentem, non nisi sacrilegè Sacramenta adm[illegible]raturum, non possum ab eo petere, vel ipsi me offer[illegible], sine causa necessitatis, vel vtilitatis, sicuti constabit ex ijs, quæ dicam lib. 2. tract. 1. cap. vlt. num. 4.

Tertiò, tametsi aliquis existimet, Ministrum excommunicatum à peccato recessisse, paratúmque absolutionem à censura petere, communiter tamen docent DD. apud Auilam cit. dub. 1. Suar. cit. sect. 4. num. 10. Coninck to. 1. quæst. 64. a. 6. dub. 2. & tom. 2. disp. 13. dub. 2. non esse licitum fidelibus sine causa necessitatis, aut maioris vtilitatis, ab eo Sacramenta petere: si videlicet alius non excommunicatus præstò sit, qui æquè vtiliter ministrare possit. Ratio est, quòd excommunicatus peccet ministrando Sacramenta sine vlla necessitate, si alius æquè idoneus adsit: cùm per se indecens videatur, vt præcisus ab Ecclesia publica ministeria Ecclesiæ sine vlla necessitatis ratione obeat: consequenter etiam is peccat, qui tale quippiam ab eo petit. Quæ doctrina multò magis locum habet in celebratione: cùm indecens sit, eum sacrificium Missæ offerre, atque legatione fungi apud Deum pro Ecclesia, à qua præcisus est: quare excommunicatus id præstare non potest, sine graui causa; cōsequenter neque fideles ab eo petere, sicuti notauit Auila disp. 8. dub. 2. ad 2. Ægid. cit. dub. 3. conclus. 4. vbi ait, grauem eiusmodi causam censeri, si alioquin aliquis sine viatico mori deberet; vel integra Parochia, festo die, Missa carere. 5

His adde, minorem causam requiri, vt fideles à Parocho suo excommunicato tolerato administrationem alicuius sacramenti, vel sacrificium Missæ iure suo petere possint, quàm ab alio Sacerdote, qui ipsis nullo iure obligatus est, sicuti ex communi notauit Auila cit. disp. 8. dub. 2. opin. 5. Ægid. tom. 1. quæst. 64. a. 6. dub. 2. conclus. 3. §. nota tamen, Suarez cit. sect. 4. num. 17. Minor item causa requiritur, vt Sacramenta fideles recipiant ab eo, qui per se paratus, vel expositus est, quàm à non parato: quia minùs illi, quàm huic existunt causa siue occasio

casio eiusmodi actionis. Denique verò excommunicati tolerati Sacerdotis sacrificio, vel alteri diuino officio solùm interesse, sine vlla petitione aut inductione, fideles non prohibentur, per se loquendo, sicuti constat ex decreto Constantiensi, & docet Ægid. tom. 2. disp. 14. dub. 5. conclus. 2.

Hæc dixi ex communi doctrina. Interim verò improbabile non est, quod tradunt Sotus in 4. d. 22. quæst. 1. a. 4. conclus. 1. Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 9. num. 8. Nullam esse culpam, petere Sacramentorum administrationem ab eiusmodi excommunicatis toleratis; propterea quòd Constantiense Concilium fidelibus absolutè concesserit facultatem communicandi cum talibus, tam in sacris quàm politicis: consequenter neque ipsos excōmunicatos præcisè ob censuram peccare, si rogati Sacramenta ministrent: modò se non ingerant.

Quin tum notandum. Quamuis ipsis excommunicatis toleratis in dicta extrauagāte nulla gratia directè facta sit, ideóque ipsi peccent, si spectato communi iure, fidelium communioni seu in sacris, seu politicis negotijs, extra casus concessos, se ingerant: indirectè tamen & per consequentiam etiam ipsi commodum ex Constantiensi illo decreto reportant. Primò enim, ne gratia seu licentia alijs fidelibus facta cum excommunicato tolerato communicandi inutilis, aut noxia sit: necesse est dicere, etiam ipsi excommunicato ad excommunicationem legitimè prouocato, permissum esse communicare: imò interdum obligari: vt si Parochiani à Parocho administrationem sacramenti: vel ciues à Iudice excommunicato administrationem iustitiæ exigant: modò per eos non stet, quo minùs, si id fieri possit, ab excommunicationis censura, ante præstitum officium, absoluatur. Secundò, cùm ius indulgeat subditis, vt à Iudice excommunicato tolerato iustitiam, à Pastore ordinario absolutionem à peccatis, & c. petere possint: ne frustranea sit hæc concessio siue indulgentia, fateri debemus, eiusmodi toleratis exercitium iurisdictionis suæ nequaquā ademptum esse, sicuti notauit Couar. c. alma. p. 1. §. 7. num. 9. Suar. disp. 11. sect. 4. num. 9. Auila p. 2. c. 6. disp. 3. dub. 2. concl. 3. & Nau. lib. 5. consil. 15. de hæret. q. 2. vbi bene resolui, licitum esse à Parochis in hæresin aut schisma notoriè lapsis, antequam denuntiati sint, Sacramenta omnia suscipere. Quod non rectè refutat Azor tom. 1. lib. 8. c. 11. quæst. 7. ex S. Thom. 2. 2. q. 39. a. 3 vbi ait, eiusmodi hæreticos iurisdictione priuatos esse, quia hoc verum est, spectato iure antiquo, non nouo.

Eadémque ratione valida etiam est præsentatio, electio, vel collatio, alicuius muneris, dignitatis, beneficij facta ab excommunicato tolerato, nisi per oppositam priùs exceptionem infirmata sit. Idémque dicendum de dispensatione in voto, iuramento; item de absolutione à censura, & alijs eiusce modi actibus iurisdictionis externæ quæ ob fauorem, vel petitionem alicuius exerceri potest, aut debet, sicuti ex communi docet Suarez disp. 14. sect. 2. Ægid. disp. 14. dub. 10. Auila disp. 6. dub. 3. Quin etiā ex officio Iudicem excommunicatum toleratum actus iurisdictionis directiuæ, & coactiuæ validè exercere posse v. g. inobedientem excommunicando, existimat Ægid. ibid. num. 91. idémque sentire videtur Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 1. num. 81. in fine. tum quia Iudex, quamdiu ab Ecclesia toleratur, exercitium iurisdictionis retinet: tum quia ad bonum publicum pertinere videtur, vt Iudicis tolerati acta publica rata existant, argum. c. ad probandum, iunct. Gloss. de sent. & re iudicata.

Sed contrarium probabiliùs docet Suarez cit. sect. 2. num. 15. Non esse validam excommunicationis sententiam, latam à Iudice notoriè excommunicato tolerato, seu non vitando. Quia in extrauagante Constantiensi nullum ius, fauor, aut licentia data est ipsis excommunicatis, nisi quatenus cedit in gratiam, commodum, aut petitionem reliquorum fidelium. Ergo actus iurisdictionis coactiuæ, quos Iudex ex officio exercet erga subditum inuitum, non minùs nunc inefficaces seu irriti sunt, quàm olim fuerunt. Ex quo patet responsio ad primum: Ad alterum respondeo, Ad bonum publicum pertinere, si impedimentum eius, qui publicum officium gerit, occultum sit, vt eius acta valeant, sicuti notauit Gl. in cit. c. ad probandum; non item, si impedimentum publicum seu notorium existat.

Restant duæ QVÆSTIONES: PRIMA. Vtrum licitum sit hodie pro excommunicatis toleratis, v. g. hæreticis, publicè orare, & sacrificare? Multi DD. negant, Guilelmus Alanus lib. 2. de sacram. Euchar. c. 31. Dominicus Sotus in 4. d. 22. quæst. 1. a. 4. conclus. 2. §. hoc supposito, Couar. p. 1. §. 6. num. 4. Bellarm. lib. 2. de Missa, c. 6. Suarez disp. 9. sect. 2. num. 16. Auila p. 2. c. 6. disp. 9. dub. 3. Ioan. Bapt. Scortia lib. 2. de sacrificio Missæ, c. 2. num. 4. Probatur primò: Quia concilium Constantiense non intendit vllum fauorem præstare ipsis excommunicatis: id autem totum cederet in ipsorum fauorem, si pro eis publicè orare, & sacrificare licitum esset.

Secundò: Quia Concilium solùm permittit fidelibus externam communicationem cum excommunicatis toleratis: talis autem non est applicatio communium Ecclesiæ suffragiorum: cùm ea fiat per internam mentis intentionem. Tertiò: Cùm excommunicationis vis præcipua in eo consistat, quod hominem priuet communibus Ecclesiæ suffragijs, ideóque tanquam ab Ecclesia præcisum Sathanæ tradat; non est credibile, hunc effectum à Concilio sublatum, aut imminutum fuisse.

Contrariam tamen sententiam docuit Nauar. cap. 27. man. num. 36. & expressiùs Henriq. lib. 13. c. 11. num. 2. Ægid. tom. 2. disp. 14 dub. 6. num. 40. Eáque sententia probatur primò: Quia Concilium Constantiense decreuit, quòd deinceps nullum excommunicatum, præter denuntiatos, & notorios Clerici percussores in quibuscunque etiam diuinis rebus vitare debeamus: sed liberè communicare liceat. Publicè autem pro aliquo orare, vel sacrificare est quædam communicatio in diuinis, sicuti colligitur ex c. à nobis, & c. sacris, de sent. excommun. Imò verò Ecclesia excommunicatos communium suffragiorum, aliarúmque rerum spiritualium participatione priuare videtur non primaria intentione: (cùm potiùs eorum emendationem intendat, quàm vt in peccato sine spiritualibus auxilijs desertos velit) sed tantùm secundaria: quatenus id necessarium est ad illorum societatem perfectè vitandam: vt ea ratione grauitatem sui peccati agnoscentes, à contumacia faciliùs recedant: consequenter, si hæc ratio cesset, quia Ecclesia permittit fidelibus communicationem cum excommunicato tolerato, videtur etiam permittere, vt pro eis publica suffragia fiant. 8

Secundò probatur ex ratione, quæ mouit Concilium, vt cum excommunicatis toleratis licentiam daret communicandi: videlicet *ad euitanda animarum pericula*: hæc autem ratio similiter vrget in publicis suffragijs, atque Missæ sacrificio: Ponamus enim Regem, vel Episcopum, qui in sacrificio Missæ nominari solet, videri ob aliquod factum notorium excommunicationem incurrisse: multis Sacerdotibus graue accidere, imò etiam litis ac turbationis publicæ occasionem præbere poterit, si ante denūtiationem ipsius nomen in Missæ sacrificio omittere debeant. Similiter, si excommunicatus toleratus eleemosynam tibi offerat, vt pro ipso sacrifices, non erit tibi licitum accipere: consequenter eum vitare debebis, non sine tuo aliquo incommodo: cùm tamen Concilium expressè statuerit, vt nemo huiusmodi excommunicatos in diuinis, vel externis rebus vitare teneatur.

Tertiò: Iure antiquo, si quis priuatim sciuit aliquem excommunicatum esse, non debuit ipsi publicè denegare Ecclesiæ suffragia, sicuti fatetur Suarez in cit. sect. 2. num. 19. in fine. Ergo iure nouo, neque notoriè excommunicato, ac nondum denuntiato (Clerici percussores semper excipimus) suffragia necessariò deneganda sunt: Quia sicuti olim occulti excommunicati: ita hodie notoriè ex-

communicati ante eorum denuntiationem tolerati censentur.

Quartò: Vsitatissimum est apud viros pios & doctos, vt Missæ sacrificium offerant pro conuersione hæreticorum: eamque consuetudinem reprehendi non posse, fatetur Belarmin. lib. 2. de Missa, cap. 6. in fine. Neque enim pugnat cum institutione sacrificij: quia cùm sacrificium crucis pro omnibus oblatum fuerit, cur non possit etiam sacrificium Missæ pro omnibus offerri? Atque olim moris fuisse, vt Sacerdotes publicè orarent pro infidelibus, hæreticis, Iudæis, &c. ex antiquis Liturgijs & Patribus ostendit Belarmin. ibid. Neque pugnat cum succedentis Ecclesiæ canonibus: siquidem hi per extrauagant. Constantiensem, vel saltem per consuetudinem, moderationem acceperunt, vti suprà dictum.

Quamuis autem Auila cit. dub. 3. probat. 4. citat. Si aliqua Religione præcipiatur, vt pro conuersione hæreticorum Missæ legantur: non esse sensum, quòd pro ipsis hæreticis directè offerendum sit: sed potiùs pro augmento ac pace Catholicorum, qui inter hæreticos viuunt eorúmque conuersioni incumbunt: Multi tamen, vt suprà dictum, proximè ac directè pro ipsorum hæreticorum salute, ac conuersione, ex motiuo charitatis, Deo supplicant & offerunt; licet principaliùs propter Ecclesiæ pacem; imprimis verò ipsius Dei honorem augendum. Dummodo interim hæretici in Missa non exprimantur, contra Ecclesiæ morem, aut cum scandalo.

Quapropter hæc posterior sententia non displicet. quam qui sequi volet, respondeat ad primùm prioris sententiæ argumentum, Directè quidem nullum fauorem excommunicatis præstari; attamen indirectè, vt suprà dictum est. Ad secundum negari debet; Oblationem sacrificij, & alia publica officia, quæ visibiliter fiunt pro aliorum, sæpenumero etiam petentium, cooperantium, salute; non esse communicationem quandam. Ad tertium respondetur: Effectus excommunicationis mutabiles ac dispensabiles esse: quippe pendentes ab Ecclesiæ voluntate. Quare licet fateamur, simpliciter loquendo, excommunicatos omnes communibus Ecclesiæ suffragijs priuatos esse: tamen interdum iustis de causis permittit Ecclesia, vt pro ijs talia suffragia fiant: sic enim olim concessum erat, vt pro excommunicatis occultis publicè orare licitum esset: nunc verò, secundùm hanc nostram sententiam, vt pro omnibus toleratis, cessante tamen scandalo, vel contraria consuetudine.

Altera Quæstio est de sacra sepultura, vtrum excommunicatis, præsertim hæreticis notorijs, sed nondum denuntiatis concedi possit? Respond. & dico I. Qui tales excommunicatos etiam hæreticos in loco sacro sepeliunt, non incurrunt excommunicationem Clement. 1. de sepulturis, latam aduersus eos, qui excommunicatum scienter sepeliunt: neque incurrunt excommunicationem cap. quicunque, de hæret. in 6. latam contra eos, qui hæreticos, eorúmque fautores, &c. scienter in loco sacro sepeliunt: denique neque locus sacer sepultura excommunicati aut hæretici, nondum denuntiati, violatur. Hæc est communior, quam seges apud Nauar. cap. 27. man. num. 137. Henriq. lib. 13. cap. 11. §. 3. Ægid. tom. 2. disput. 14. in fine, dub. 10. Auilam part. 2. cap. 6. disput. 10. dub. 6. Nam eo ipso, quòd tales vitandi non sunt, sed tolerati: nulla ex ipsorum communicatione à fidelibus, aut sacris locis censura incurri potest, sicuti indicat Nauar. lib. 5. consil. 10. numer. 4. de hæreticis, edit. 2.

Dico II. Probabile est, quòd excommunicatis, etiam notorijs, sed nondum denuntiatis, si piè mortuos fuisse præsumi possit, sacram sepulturam concedere fas sit. Ita expresè docet Nauar. cit. c. 27. nu. 36. ad 2. Henriq. cit. §. 3. cotra Auilá part. 2. cap. 6. disput. 9. dub. 6. & disput. 10. dub. 1. conclus. 3. casu 4. Probatur primò: Quia sacræ sepulturæ eadem ratio est, quæ diuinorum officiorum ac suffragiorum: quandoquidem ob hanc causam fideles in sacro loco sepeliuntur, vt participes fiant suffragiorum sicuti bene notauit Henriquez loc. cit. & Suarez de censuris disp. 12. sect. 4. num. 2. in fine. Sed probabile est, pro excommunicatis non vitandis licitum esse publicatis orationes & sacrificia offerre, vt suprà dixi: Ergo, &c. Secundò: Causa, cur excommunicatis sacra sepultura negetur, ea est, quæ affertur cap. sacris de sepultur. Vt, *quibus viuis non communicamus, neque mortuis communicemus*: Ergo à sensu contrario, quibus viuis communicare potuimus, quando in viuis tolerati fuerunt, etiam mortuis per sacram sepulturam communicare non prohibemur.

Corollarium. Si hæreticus ante mortem manifesta signa dedit conuersionis, licet ab hæresi absolutus non sit, potest in sacro loco sepeliri, quamuis ad vitandum scandalum & alia incommoda, oporteat priùs de hac re Episcopum admonere: qui si velit, etiam post mortem absolutionem ab excommunicatione impendere potest.

Nota etiam quod dixi in 2. respons. *Si piè mortuos fuisse præsumi possit*: Cùm enim excommunicatio non nisi ob crimen mortale incurratur; ideo si quis in tali crimine, notorio, v. g. in hæresi decedat, sacra sepultura prohiberi debet, non ob censuram præcisè, sed ob peccatum mortale, in quo notoriè decessit, & ob id orationum ac suffragiorum Ecclesiæ incapax est, iuxta ea, quæ dicam lib. 3. tractat. 5. c. 12. num. 4. ver. Quartò. Verum est, quòd in quibusdam Germaniæ locis, quibus cum Catholicis Lutherani permixti viuunt, diuturna consuetudine permittitur, vt hi in locis sacris sepeliantur à Ministris suis: si tamen possibile esset, talis consuetudo tolli deberet, atque curandum, vt Catholici separatum ab hæreticis sepulturæ locum sacrum retinerent.

Id verò minùs dubitationis continet, quòd eiusmodi hominum funera cognati & amici Catholici comitari solent: tum quia talis cooperatio ad sepulturam valde remota & materialis est: ideóque eiusmodi comitantes nomine sepelientium non comprehenduntur, sicuti docet Gloss. in Clemen. 1. verb. sepelire, de sepultur. Nau. c. 27. num. 137. & lib. 5. consil. 12. de hæret. tum quia talis comitatus cognationis, aut necessitudinis causa præstitus, potiùs ad politicam communicationem spectat.

CAP. V.

De Excommunicationibus speciatim de ea, quæ ob Clerici percussionem decreta est.

SVMMARIVM.

1 *Ab excommunicatione iuris non reseruata quinis expositus Sacerdos absoluere potest.*

2 *Casus Bullæ Cœnæ Domini specialiter Summo Pontifici reseruantur.*

3 *Excommunicationem Canon si quis suadente, incurrunt, quicunque Clericum, quamuis minoribus tantùm aut prima tonsura initiatum, percusserint; nisi quòd in quibusdam casibus Clerici priuilegio canonis priuati sint.*

4 *Omnes Religiosi vtriusque sexus, eorumque Conuersi ac Conuersæ canonis priuilegio gaudent.*

5 *Ad excommunicationem canonis incurrendam requiritur iniuria grauis, cum violentia illata Clerico, vel Religioso.*

6 *Excommunicatio ista speciali constitutione extenditur etiam ad mandantem, consulentem: vel non impedientem, si ex officio impedire debebat.*

7 *Qui mandatum Clerici verberandi, occidendi, ante operis executionem, reuocauit, immunis est à pœna excommunicationis, & irregularitate; licet mandatarius nihilominus exequatur.*

De consulente, licet disparratio esse videatur: tamen probabiliter dici potest, si consilium datum reuocauit, & alia omnia egit, quæ potuit ad effectum impediendum: eo nihilominus

secuto,

secuto, pœnas iuris euadere.

8 *Certi casus sunt, quibus Clericum, vel monachum percutiens, canonis censuram euitat.*

9 *Patri laico non videtur permissum castigare Clericum in maioribus constitutum.*

Episcopus non per se, sed per alium Clericum: vel, vbi consuetudo permittit, per laicum Clericos castigare potest.

10 *Ab excommunicatione, contractu ob leuem Clerici vel Monachi percussionem, Episcops ordinario iure absoluere possunt: Sed etsi grauis fuerit percussio, dummodo non enormis, in quibusdam casibus Episcopo, vel Ordinis Prælato communi iure absoluendi potestas competit.*

EXcommunicationes iuris aliæ sunt, quarum absolutionem sibi reseruat auctor, siue is sit Papa, siue Episcopus, &c. Aliæ sunt excommunicationes non reseruatæ, à quibus proinde etiam Parochus, & quiuis alius expositus Sacerdos, ex tacita commissione auctoris, absoluere potest, sicuti habetur in cap. nuper, de sentent. excommun. ibi, *Quia conditor canonis eius absolutionem specialiter sibi non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi.* Et sic tradit Nauar. c. 27. num. 39. Syluest. verb. absolutio, 1. num. 4. Henriq. lib. 13. cap. 28. num. 5. Auila p. 2. c. 7. disp. 1. dub. 4. Suarez disp. 7. num. 9. Sa verb. excommun. vbi de absolut. num. 15.

1

Excommunicationes reseruatæ (loquor de Pontificijs tantùm) aliæ sunt Bullæ Cœnæ Domini, ideo sic dictæ, quia quotannis in die Cœnæ Domini renouari solent. Circa quas excommunicationes Bullæ hæc obiter notāda sunt: I. Excommunicationes Bullares habent se per

2 modum sententiæ latæ ab homine: quia non feruntur, vt perpetuò durent per modum statuti: cùm quotannis renouari soleant. Quamobrem mortuo Pontifice earum vis expiraret: nisi, vt nunc fieri solet, specialiter caueretur, processus Bullares robur suum obtinere etiam vacante Sede, vsque ad tempus, quo à futuro Pontifice denuo edantur, ait Tolet. lib. 1. c. 18. in fine.

II. A casibus Bullæ Cœnæ, & annexa excommunicatione nemo quamuis Episcopali, aut maiore dignitate Ecclesiastica præditus absoluere potest: præter Summum Pontificem, eiúsve specialiter delegatum. Vtrum autē hac Bullæ reseruatione derogatum sit priuilegio in Tridentino Concilio sess. 24. cap. 6. de reform. Episcopis concesso, vt in foro conscientiæ absoluere possint subditos suos à quibuscunque casibus occultis, etiamsi Sedi Apostolicæ reseruati sint, dissentiunt Doctores. Nam derogatum esse existimat Tolet. lib. 1. c. 4. Suarez p. 3. tom. 4. disp. 30. sect. 2. & tom. 5. disput. 21. sect. 3. num. 5. & plures alij. Contrarium sentit Henriq. lib. 6. c. 14. num. 7. Bannes 2. 2. quæst. 11. a. 4. post 2. concl. Auila l. c. dub. 6. Rodriq. tom. 1. regul. quæst. quæst. 20. a. 10. Sanch. lib. 2. moral. c. 11. n. 27. Quorum sententiam tutiùs in praxi amplecti possunt Episcopi in regionibus ab Vrbe remotioribus: sicuti speciatim de absolutione ab hæresi occulta annotauit Nau. lib. 5. conf. 11. de priuileg. edit. 2. vbi etiam admonet, q. 3. Quòd Trident. Synodus cit. c. 6. facultatem absoluendi ab hæresi occulta Episcopis tantùm, non etiam eorum Vicarijs generalibus committit: intelligendum esse de iure ordinario ac veluti ex officio: Interim verò nihil obstat, quo minùs Episcopus Vicario suo, vel alteri idoneæ personæ talem facultatem specialiter committat, arg. c. vlt. de offic. Ordinarij, iun. Gl. *Si cui ex officio vel priuilegio dignitatis suæ competit absoluere alium ve iurisdictionis actū exercere, potest id etiam per alium facere.* Correctio autem iuris antiqui absque necessitate inducenda non est. Quam eandem sententiam cum alijs secutus est Eman. Rodriq. cit. q. 20. a. 11. Sanch. cit. c. 11. n. 23. Henriq. lib. 6. c. 14. n. 7. contra Gutierez lib. 1. can. qq. c. 13. n. 29. Suarez in 3. p. t. 4. disp. 30. s. 2. num. 9. & 15. His addo, Episcopos quasdam in partibus septentrionalibus ob casuum frequentiam, & difficultatem adeundi Romam per se, vel Vicarium suum absoluere consueuisse subditos suos ab hęresi etiam manifesta, de quo iterum eicam cap. seq. Accedit, quòd Martinus Becanus testetur, 2. 2. cap. 15. q. 2. n. 6. *Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ prouincijs non esse vsu receptam:* Saltem non quo ad omnia apud nos receptam esse, satis constare videtur.

III. Quicunque absque legitima potestate, aut probabili excusatione à censura Bullæ quempiam absoluere præsumpserit, excommunicationis sententiam (non tamen reseruatam Papæ) ipsemet incurret.

IV. In priuilegio seu facultate absoluendi ab omnibus censuris non censentur comprehensæ excommunicationes Bullares, nisi exprimantur. Deinde, licet generatim concedatur potestas absoluendi à censuris Bullæ, non censetur comprehensa absolutio ab hæresi, nisi speciatim explicetur. Nam *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, reg. 81. in 6. Censuræ autem Bullæ; & inter eas excommunicatio ob hæresim, peculiarem reseruationem habere solent, sicuti praxis & stylus Curiæ ostendunt, & ex communi docet Sanchez lib. 2. moral. c. 12. Suar. de censur. disp. 21. s. 3. n. 3.

Intermitto autem excommunicationes tum eas, quæ in Bulla Cœnæ Domini: tum eas, quæ in Corpore iuris continentur, particulatim recensere: quia in progressu plerasque locis proprijs referam, interim legi possunt S. Anton. p. 3. tit. 24. Caiet. Armilla & alij Summistæ ver. excommunicatio, Nau. c. 27. n. 49. & seqq. Suar. de censuris disp. 21. & seqq. Sairus lib. 3. thesauri casuum conscientiæ.

Hoc verò loco vnam solùm excommunicationem valde frequentem, can. si quis suadente, 17. q. 4. explicabo. 3
Si quis suadente Diabolo, in Clericum, vel Monachum manus violentas iniecerit, anathematis vinculo subiaceat: Et nullus Episcoporum præsumat illum absoluere, nisi mortis vrgente periculo: donec Apostolicæ conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.

Vocula, *si quis* comprehendit omnes vtriusque sexus, ordinis, ac dignitatis personas, quæ excommunicationis capaces sunt: adeo, vt etiam ipsi Prælati Ecclesiastici, si clericos sibi non subditos: vel subditos per personas, quibus id non competit, percutiant, excommunicationis cēsurā incurrant, sicuti videre est apud Mol. tr. 3. disput. 51.

Nomine *Clerici* intelliguntur, quicunque saltem primam tonsuram ab Episcopo acceperunt, sicuti colligitur ex c. cùm contingat, de ætate & qualitate ordinandorum. Quamuis aliqui ex his canonis priuilegio priuati sunt: Primò, Bigami, qui omni priuilegio clericali nudati esse dicuntur in c. vn. de bigamis imò. Quod tamen de ijs solùm intelligendum videtur, (interprete Gl. ibid. ver. bigamus,) qui prima tonsura, vel minoribus 4
tantùm initiati, cum duabus, vel cum vna vidua, aut ab altero corrupta matrimonium contraxerunt & consummârunt: non item de ijs Clericis, qui in sacris ordinibus constituti, inualidè contrahere, aut contractū consummare præsumpserunt: quia tales verè bigami esse non possunt, sicuti habetur in c. nuper, c. à nobis, extra, eodem tit. Accedit, quòd in dicto c. vn. sub anathematis pœna prohibetur bigamis, ne habitum vel tonsuram clericalem deferant: quod non est credibile statutum fuisse de Sacerdotibus. Diaconis, aut Subdiaconis similitudinariam bigamiam contrahentibus: cùm potiùs tales, præsertim post actam pœnitentiam, ad clerum redire, & clericalem habitum denuo induere oporteat, sicuti notauit Ægid. disp. 14. dub. 15. n. 157.

Secundò: Clerici in coniugio viuentes: præterquam si tonsuram & habitum clericalem gestantes, alicui Ecclesiæ ministrent, c. vn. de clericis coniugatis, iunct. sess. 23. Concilij Trident. cap. 6. de reformat.

Tertiò: Probabiliter docent Bannes 2. 2. q. 12. a. 1 circa finem, Suar. disp. 22. s. 1. n. 11. Ægid. disp. 14. dub. 15. n. 163. Nullum prima tonsura initiatum, aut in minoribus ordinibus constitutum gaudere priuilegio canonis: nisi vel Ecclesiasticum beneficium habeat, aut clerica-

lem habitum, & tonsuram deferre solitus, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deseruiat: aut in aliqua schola vel vniuersitate, cum licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines versetur. Tametsi enim Synodus Tridétina solùm loqui videatur de priuilegio fori: inde tamen necessariò colligitur, idem sensisse de priuilegio canonis: quia illud primum maiore difficultate amittitur, quam hoc secundum, ait Abb. in c. 1. de Apostatis, n. 6. & notat Angelus ver. excommunicatio, 5. n. 23. Syl. eod. verbo, 6. n. 4. Suarez lib. 4. defensionis fidei Catholicæ c. 27. n. 24. Additio Abb. in c. perpendimus, de sent. excommun. vbi rationem etiam afferunt: Quia priuilegium canonis ex humano iure prouenit: priuilegium fori ex diuino. Accedit, quòd Concilium allegat c. vn. de clericis coniugatis in 6. in quo manifesta mentio fit de priuilegio canonis ab Innocentio Papa II. editi in fauorem ordinis clericalis. Contrarium nihilominus docent Nau. lib. 5. consil. 24. de priuil. edit. 2. Mol. tr. 3. de iustitia disp. 54. n. 9. Auila p. 2. c. 1. disp. 2. dub. 9. concl. 3. Vide etiam Clarum lib. 5. sent. §. fin. q. 36. num. 19. vbi testatur, diuersas esse in hac re consuetudines.

Quartò: Clerici, etiam in maioribus constituti, qui dimisso habitu & tonsura negotijs secularibus se immiscent, si tertiò ab Episcopo suo moniti emendare se contempserint, amittunt priuilegium canonis, iuxta c. in audientia, c. contingit, 2. de sent. excommun. Adde ex c. cùm non ab homine. & cit. c. perpendimus eod. tit. Clericos, qui dimisso habitu clericali *tyrannidi & enormitati* (id est seditioni, vel latrocinijs, & iniquis bellis) se immiscent, etiam ante Episcopi monitionem canonis priuilegio priuari.

Sed nunquid talis etiam fori priuilegium amittit, vt à Iudice seculari capi, & puniri possit? Negandum est cum Abb. in cit. c. 1. de apostat. & in cit. c. perpendimus, n. 5. Nauar. lib. 5. cons. vlt. de priuil. edit. 2. Couar. in pract. qq. c. 31. D. Martha tr. de iurisdict. part. 4. casu 135. Ægid. cit. dub. 15. num. 160. Quare monet Abb. in cit. cap. 1. n. 4. Quod clericus occultus, qui sine habitu & tonsura in enormi crimine à seculari Iudice deprehensus est: allegando se clericum, petere possit se remitti ad Iudicem Ecclesiasticum, audiendúsque sit. Quæ doctrina sumitur ex responsione Cælestini Papæ III. in c. cùm non ab homine, de iudic. *Quòd si clericus in quocunque ordine constitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, seu alio crimine fuerit deprehensus legitimè, atque conuictus, ab Ecclesiastico Iudice deponendus est. Qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet: deinde contumacia crescente, anatematis mucrone feriri; postmodum verò, si in profundum malorum veniens, contempserit, cùm Ecclesia non habeat vltrà quid faciat, ne possit esse perditio plurimorum, per secularem comprimendus est potestatem, ita, quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.* Consentit. c. vt famæ, de sentent. excommun. vbi dicitur, quòd laici clericos incorrigibiles capere, & ad iudicia trahere possint; sed mandato & auctoritate Prælatorum, quorum iurisdictioni clerici illi subiecti sunt. Quare Abb. in cap. 1. numer. 4. notat: *Quantumcunque aliquis seculariter vixerit, vt nec fama sit, ipsum clericum esse; si tamen deprehensus in maleficio, allegat se clericum, & petit se remitti ad Iudicem Ecclesiasticum, est audiendus.*

Sed quid si Clericus in sacris ter monitus ab Episcopo suo, arma iniqua deponere, & habitum clericalem assumere nolit, vtrum ipso iure priuilegio etiam fori priuatus sit, vt à seculari Iudice puniri possit? Negant Ioan. Lupus tr. de libert. Eccles. part. 2. quæst. 5. numer. 5. & 9. & quæst. 8. numer. vn. quem sequi videtur Suarez lib. 4. defens. cap. 27. numer. 24. vbi generalem regulam tradunt; Clericum in sacris non amittere priuilegium fori, nisi per sententiam degradationis realem, aut fictam, quæ in absentem à Iudice ferri solet; excepto vnico casu c. 1. de homicidio, in 6. quem explicat Couar. 2. resol. cap. 20. numer. 10. Clarus §. fin. quæst. 36. numer. 30. Syl. ver. assassini, quæst. 3. & 4. Sed affirmantem sententiam alij plerique amplexi sunt, Couar. in pract. qq. cap. 31. numer. 2. §. secundò est annotandum, Clarus l. c. numero 23. Gl. in cap. 1. de Apostatis, ver. liberari, D. Martha tr. de iurisdict. casu 135. Quia trina monitio facta Clerico apostatæ in sacris, ob quam ille incorrigibilis appareat, instar sententiæ & degradationis esse soleat, per iuris adminiculum, c. in audientia, de sentent. excommun. Quæ sententia ob DD. auctoritatem probabilis est; sed prior tutior, & suprà allegatis iuribus conformior.

Quintò; Clerici exercentes publicè officium lanionis, aut cauponis, si coniugati sint, vel habitum clericalem dimiserint, atque ter moniti ab Episcopo suo non destiterint: vel postquam destiterunt, idem officium resumat, priuantur omni clericali priuilegio. Si autē coniugati non sint, & habitum clericalem retineant, amittunt priuilegium quoad res tantùm, ita vt instar laicorum tributa & vectigalia soluere cogantur: non item quoad personas, adeóque gaudent priuilegio fori ac canonis. Ita habetur in Clement. 1. de vita & honestate cleric.

Sextò: Clericus, qui per annum exercet artem ignominiosam ludionis, mimi, aut parasiti, ipso iure perdit omnia priuilegia clericalia: quin etiam ante annum, si post trinam Episcopi admonitionem non resipiscat, c. vn. de vita & honest. Clericorum in 6. Quamquam hos canones aliqui solùm intelligunt de clericis in minoribus, qui clericatui renuntiare possunt: non item de clericis in sacris, quos ante Iudicis Ecclesiastici sententiam seu degradationem fori priuilegium non amittere, aiunt Lupus & Suarez ll. cc. Ioan. Monachus inaddit. Glossæ ad cap. 1. de vita & honestate Clericorum; Sed alij Doctores dicta iura indistinctè de omnibus clericis intelligunt. Vide Molin. tract. 3. de iustitia, disp. 49. & 54.

Nomine *Monachi* comprehenduntur omnes vtriusque sexus Religiosi, quin & eorum Conuersi, ac Conuersæ, quamuis in aliquibus Religionibus propriè dictā professionem non emittant, c. non dubium, iun. Glossa ver. conuersos, & c. ex tenore, c. de monialibus, de sentent. excommun. Item Nouitij, cùm sint in via ad Religionis susceptionem, c. Religioso, eod. in 6. Quamobrem in fauorabilibus nomine Religiosorum comprehenduntur, eorúmque gratijs & priuilegijs participant: vt etiam ob delicta, quamuis enormia, ab Ecclesiastico, non seculari iudice iudicari & puniri debeant, sicuti docet Nau. lib. 1. consil. 5. de foro compet. edit. 2.

Dubitatur autem primò: De Tertiarijs, id est, qui tertiam regulam & habitum Ordinis sancti Francisci, vel sancti Dominici susceperunt, vtrum Ecclesiasticæ personæ censeri, ideóque earum priuilegijs gaudere debeant? Negat Caiet. ver. excommunicatio, cap. 10. not. 7. Affirmat Nau. c. 27. n. 29. Sed imprimis aduerte, dubitari non posse de ijs Tertiariis, qui editis tribus votis essentialibus, verè religiosi sunt, sub regula & iurisdictione Ordinis mendicantium viuentes ex concessione Sixti IV. apud Rodriq. t. 3. reg. qq. q. 72. a. 1. concl. 3. Lud. Mirandum in man. Prælatorum t. 1. q. 36. Deinde quòd ad alios tertiarios attinet, qui religiosi propriè non sunt, sed solùm addicti religioni, cui vel bona sua offerunt, vel etiam habitum & regulam suscipiunt; etsi hi omnes videri possunt canonis priuilegio gaudere, arg. c. duo sunt, 12. q. 1. &c. quisquis. 17. q. 4. & ita sentit Gl. in cit. c. non dubium, Ioan. Capistranus tract. de excommun. qui habetur to. 14. tractatuum diuersorum iuris, Mol. tr. 3. disp. 50. n. 4. Syl. verbo Ecclesia, 1. q. 5. Auila p. 2. c. 5. disp. 2. dub. 11. Suar. disp. 21. s. 1. n. 10. tamen dubitationem istam sustulit Leo X. apud Rodriq. t. 2. regul.

c. 2. regulam. qq. quæstione 65. articulo 5. Quòd fratres & sorores qui dicuntur tertij Ordinis, si in proprijs domibus habitent, secularibus omnino personis annumerari debent: Sin autem collegialiter viuant sub habitu & voto aliquo expresso, gaudere eos oportet priuilegijs, quibus fratres Ordinis, cuius tertiæ regulæ habitum gestant, potiuntur & gaudent.

Similia habet Miranda in manuali tom. 1. quæstione 29. vbi monet distinguendum esse: Quòd alij sint fratres *laici*, qui communem cum alijs Religiosis regulam profitentur: eósque verè non minùs, quàm cæteros, religiosos esse nemo dubitat. Alij verò sunt fratres *conuersi*, qui mutato seculari habitu, & assumpto regulari, quamuis distincto à cæterorum Religiosorum habitu, alicui Ecclesiæ vel Religioni se deuouerunt, emisso voto simplici saltem continentiæ: interdum etiam obedientiæ, & paupertatis: Et hi haud dubiè personæ Ecclesiasticæ sunt, atque Ecclesiastica immunitate gaudent; quamuis non sint propriè religiosi: Propterea quòd non profitentur regulam & obseruantias Ordinis: neque illa vota sua emittunt tali conditione, vt per ea constituantur sub regula Religionis à summo Pontifice approbatæ, sicuti resoluit etiam Nauarr. libro 3. consil. 7. 12. & 81. de regul. edit. 1. Quare tales conuersi validè matrimonium contrahunt, quamuis non licitè propter votum continentiæ simplex. Denique alij sunt *oblati*, seu *donati*, qui nulla facta mutatione habitus, neque emisso voto continentiæ, aut obedientiæ in domibus suis manent, quamuis ad maioris meriti cumulum, sua bona Religioni dicârint: Et hi non sunt propriè personæ Ecclesiasticæ, neque Ecclesiastica immunitate gaudent.

Secundò dubitatur de Eremitis: Vtrum dicto priuilegio canonis gaudere debeant? Negat Abb. in capite 2. de foro compet. numero 10. Angelus ver. Eremita, numero 3. Affirmat Gloss. in cap. qui verè, 16. quæst. 1. Nau. citat. cap. 79. Syl. verb. Eremita, n. 2. Verùm in hac etiam quæstione imprimis aduerto: Dubitari non posse de ijs Eremitis, qui verè Religiosi sunt, vt videre est apud Rodriquez tom. 3. regul. quæst. 49. articulo 4. De alijs verò, qui religiosi non sunt, distinguendum: Vtrum edito voto paupertatis, vel alia suscepta obligatione, apud Prælatum Ecclesiasticum Ordini vel Ecclesiæ alicui speciatim addicti sint: an verò nullam talem obligationem professi: Illi enim priores inter Ecclesiasticas personas numerari, earúmque priuilegijs gaudere debent: posteriores non item, sicuti resoluit idem Rodriquez tom. 2. regul. qq. quæst. 63. art. 4. Ægid. disp. 14. dub. 15. num. 164. Mol. tra. 3. disp. 58. num. 4. Suar. cit. disp. 22. s. 1. num. 22. Idémque sentire videtur Gloss. in cit. c. non dubium, Syl. & Nauar. ll. cc.

5 *Suadente Diaboli*. Hæc verba significant, ad incurrendam canonis huius censuram requiri grauem iniuriam, adeóque mortale peccatum etiam in ratione sacrilegij: cùm hoc sit proprium obiectum Ecclesiasticæ huius pœnæ, sicuti docet Caiet. ver. excommunicatio, cap. 10. notando 6. dicto 4. Angelus eod. ver. casu 1. n. 27. Molina tr. 3. disp. 51. n. 6. Et notandum hoc loco est, vtrumque requiri ad excommunicationem canonis contrahendam, & vt animi affectus seu internum lædendi peccatum mortale sit, & vt externa iniusta violentia grauis sit, vel in corporis, vel saltem honoris læsione. Sin verò intentio lædendi mortalis quidem est, sed læsio exigua, non contrahitur excommunicatio; quia verba legis pœnalis intelligenda sunt cum effectu, vti notauit Angelus lo. cit. Henriq. lib. 13. c. 17. num. 2. Suarez de censur. disp. 2. n. 23. Sanchez lib. 2. moral. c. 8. n. 7. Et vice versa, licet exterior læsio grauis sit: si tamen intentio lædendi à mortali peccato excusari possit, excommunicatio non incurritur. Ratio verò est, quia Ecclesiastico canone punitur externum mortale peccatum grauis ac violentæ inuasionis clerici: tale autem non est, nisi internum peccatum mortale, & exterior violentia, aut læsio grauis existat.

Manus violentas iniecerit: Significatur his verbis quæuis iniuriosa, seu contumeliosa actio exterior ac corporalis, circa personam, vel res ei adhærentes: cuiusmodi sunt Clericum, vel Regularem occidere, mutilare, vulnerare, percutere manu, ense, fuste, &c. Eum violenter detinere in publica, aut priuata custodia: Eripere aliquid per vim, & iniuriam de manibus, vel corpore eius; puta librum, pileum, aut vestem: (secus verò est, si nulla vi adhibita, clam & per fraudem marsupium clerico præscindatur, aut vestes in lecto iacentis, sine directa eum in loco concludendi intentione, auferantur: non incurretur excommunicatio canonis, teste Caiet. notan. secundo, Ægid. cit. dub. 15. n. 166. Mol. tr. 3. disp. 51. Suarez disp. 22. sect. 1. n. 32. contra S. Antoninum 3. part. titul. 24. cap. 1. §. 1.) Item conspergere aqua, puluere, lapillis: Persequi eum, vt in fluuium aut fossam incidat, equo decidat, &c. Iniicere manus violentas in equum, cui clericus insidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo: aut retento fræno, sistendo. Tametsi enim huiusmodi violentiæ, clerico illatæ, graues non sint comparatione corporis: attamen graues atque mortales sunt comparatione honoris, qui contumeliosè læditur, sicuti notauit Innoc. III. in c. nuper, de sent. excommun. & consentit l. Item apud Labeonem, ff. de iniuriis: *Si quis pulsatus quidem non est: verùm manus aduersus eum leuatæ, & sæpe territus quasi vapulaturus, non tamen percussit: vtili iniuriarum actione tenetur.* lege etiam Syl. ver. excommunicatio. 6. n. 5. Nauar. cap. 15. num. 11. & cap. 27. num. 77. Auilam p. 2. ca. 5. disp. 3. dub. 12.

His adde I. Licet clericus in sui percussionem consentiat, si tamen ea ordini clericali ignominiosa existat, excommunicationem non euitari: cùm canon iste non tam in fauorem clerici ordinati, quàm in fauorem Ordinis clericalis promulgatus sit. Ita habetur in capite contingit 1. de sent. excommun. Imò Nau. c. 27. n. 78. Mol. cit. disp. 51. aliíque communiter notant, eandem excommunicationem à Clerico incurri, si seipsum per malitiam occidat, aut vulneret.

Adde II. Etsi alioquin excommunicatio lata contra facientes, extendenda non sit ad mandantes, vel consulentes: nisi exprimatur, sicut ex communiore docet Clarus libro 5. sentent. §. finali quæstione 89. numero 2. Caiet. ver. excommunicatio in princ. Nau. cap. 27. numero 51. Molina disputatione 52. Auila citat. disputatione 5. dubio 2. conclusio. 1. Sanchez libro 3. de matrimonio disputatione 49. Quia tamen in capite mulieres, §. vltim. & cap. quantæ, de sentent. excommun. expressè habetur, non solùm criminis executorem, sed etiam mandantem, consulentem, aut alio modo incitantem: item consentientem: imò & non impedientem (modò ex officio impedire deberet secundùm probabiliorem Nauar. numero 78. Auilæ dubio 8. Ægid. numero 174.) secuto postea effectu, excommunicationis incurrere sententiam: quin & eum, qui clerici percussionem suo nomine factam, deinde ratam habet, iuxta cap. cùm quis eod. titulo in 6. Ideo dicere cogimur, canone illo *si quis suadente* omnes eiusmodi concausas comprehendi, quod & Ecclesiæ consuetudo, & communis Doctorum sententia confirmat. 6

Sed quæstio est. Si mandans vel suadens alicui Clerici percussionem, ante opus patratum, mandatum vel consilium suum reuocet, vtrum nihilominus excommunicationem incurrat, si alter vim clerico inferat? In qua quæstione certum esse debet, quod Innoc. c. ad audientiam, de homic. aliíque communiter docent: Non ideo præcisè excommunicationis pœnam euitari, quòd mandans aut suadens ante operis executionem pœnitentia ducatur, vel etiam in Dei gratiam se restituat: quia quantum est ex sua parte, operis prohibiti malitiam iam compleuit; quamuis ex parte effectus, consummatio 7

siue executio expectetur, tanquam conditio sine qua iuris pœna non incurritur: perinde ac si quis lapidem è tecto Clerici necandi causa proijciat, & statim post iactum pœniteat: atque si posset, reuocaret, is nihilominus excõmunicationem, & irregularitatem incurret, si Clericus occidatur. Vide Ægidium cit. dub. 15. num. 183. vbi rectè notat: Si mandans clerici occisionem postea reuocet mãdatum, sed reuocatio ad mandatarium non perueniat, nihilominus excommunicationem incursurum, quod etiam Auila docet parte. 2. capite 5. disputatione 3. dub. 7. conclus. 2.

Deinde, quamuis Less. de iust. capite 13. dub. 3. numer. 17. Ægid. cit. dub. 15. num. 176. putent, eodem modò in hac quæstione ratiocinandum esse de pœna excommunicationis, sicuti Doctores solent de irregularitate & damni restituendi obligatione: mihi tamen contrarium dici posse videtur. Quia obligatio restituendi & ferme etiam irregularitas ex delicto non sunt propriè dictæ pœnæ; sed præcisè sequuntur ex maligno effectu, puta homicidij, cuius aliquis causa extitit. Quare valde probabiliter dicunt multi, nominatim Nauar. cap. 27. num. 33. Mol. tr. 2. tom. 3. poster. disp. 731. Gomez lib. 3. resol. cap. 3. num. 40. & 44. Tolet lib. 1. c. 85. post princip. Less. l. c. Si aliquis suaserit Titio, vt hominem occideret: postea verò reuocet consilium, serio affirmans rationes suas esse falsas, ineptas: tamen Titius dissuaderi sibi ampliùs non sinat, ideóque homicidium committat, suasorem irregularem fore, atque in defectum Titij executoris ad damni restitutionẽ obligatum: Quia verè causa, vel potiùs concausa cædis extitit, si Titius motus rationibus, quas suasor ipsi proposuerat, facinus patrauit. Nota autem quod dico, *si rationibus motus*: Nam si consilium petens sola consulentis autoritate motus sit, ac postea consiliarius suum dictum seriò retractet & se errasse profiteatur, non potest ille ampliùs consulentis autoritate moueri ad opus exequendum.

De mandante verò dicunt citati Doctores cum Innoc. & Abb. in cit. c. ad audientiam, & Syl. ver. homicidium, 1. numero 11. & ver. mandatum n. 5. aliam rationem esse: Quia mandatum, nomine ac gratia mandantis fit: quare, reuocato mandato, si mandatarius post cognitam reuocationem verè ac seriò factam, nihilominus occidat, censeri non potest hæc executio mandati; sed proprio nomine commissum homicidium. Consilium autem fit gratia accipientis: quare, si semel persuasisti Titio, vt occideret, qui absque consilio tuo non occidisset, etsi postea consilium reuoces, nihilominus secuti homicidij causa censeberis. Sicuti qui sagittam, inquiunt, semel emisit, etsi postea pœnitentia ductus reuocare vellet, nihil efficit & ad vitationem pœnæ aut censuræ.

At verò excommunicatio habet se per modum propriè dictæ pœnæ: certum autem est, eum mitiùs puniri solitum, qui cùm consilium alicui dedisset de homine occidendo: postea seriò retractauit, & nihil omnino intermisit: quo homicidium impedire posset: quia si alter postea nihilominus facinus exequatur, potiùs sua malitia siue proprijs rationibus motus in externo foro præsumitur: quare non est credendum, talem suasorem in hoc casu ordinariam excommunicationis pœnam Clerici percussionem suadenti decretam, incurrere. Quæ est sententia Auilæ cit. disputatione 3. dubio 7. conclusione 3. Imò non pauci neque obscuri Doctores Innoc. in citat. capite ad audientiam, Sanctus Antoninus in 3. parte titulo 28. capite 2. §. 2. Syl. verb. homicidium 1. numero 11. §. 3 & numero 12. in fine, P. Nauarrus libro 3. capite 4. numero 27. & alij negant etiam irregularitatem à consulente contrahi, postquam is consilium seriò reuocauit, & nihil eorum, quæ ad impediendum homicidium opportuna & necessaria videbantur, prætermisit, v. g. monendo alterum hominem, vt sibi caueat. Quæ sententia valde probabilis est, propterea quòd etiam irregularitas ea, quæ propter culpam canonico iure decernitur, pœnæ rationem, vel certè similitudinem aliquam gerat; ideóque extendenda non sit vltra casus iure expressos, sed potiùs restringenda. Alia verò ratio est de restituendi obligatione, quippe quæ naturaliter oritur ex damno iniustè illato: consequenter, si constet homicidam re vera motum fuisse ex maligno consilio consulentis, quantumuis suum consilium postea reuocantis: videtur consulens ex iustitia obligatus ad damni illati compensationem, in defectum principalis: licet contrarium sentire videatur Salon. 2. 2. quæstione 62. articulo 7. contr. 6. & expressius P. Nauar. l. c. Sa ver. c. restitutio, numero 11, qui tamen ver. cõsilium numero 3. dubius est. Et profectò hæc etiam sententia improbabilis non est, sicuti fatetur Less. cit. capite 13. numero 18. Responderi enim potest ad contrariæ fundamentum: Disparem esse rationem de sagitta: quia ea semel emissa naturaliter ac necessariò operatur: at verò persuasus, contrarijs rationibus à sententia dimoueri potest: quare si dissuasionem non suscipiat, effectus postea secutus malitiæ illius, non suasoris adscribi debet.

Resolutio igitur sit. Qui alteri propositis rationibus, homicidium iniustum persuasit, si ea postea seriò, & quatenus potest, efficaciter retractauit; secuto nihilominus homicidio, excommunicationem non incurrit: Quin & probabiliter ab irregularitate, & damni compensandi obligatione immunis est: quamuis opposita sententia, quod attinet ad irregularitatem, & damni compensationem, æquè probabilis, aut probabilior existat.

Porrò ab huius canonis censura aliquæ excusationes in iure reperiuntur: Prima est propter ignorantiam: Vt si clericum percutiens, arbitratus est esse laicum: quia habitum & tonsuram non gestauit. Alioquin, si allegatio ignorantiæ dubia sit, allegans eam iuramento in foro externo confirmare cogitur, cap. si verò, 2. de sentent. excommun. Cæterùm, si quis existimet esse Ioannem clericum; quem percutit, cùm sit clericus Iacobus, censuram excommunicationis non effugiet, sicuti rectè annotauit Couar. in c. alma, part. 1. §. 10. numero 15. argum. lib. cum qui, §. si iniuria, ff. de iniuriis, vbi dicitur: Si iniuria mihi fiat ab eo, cui sim ignotus, aut quis putet me esse Lucium cùm sim Caius, iniuriarum mihi actionem competere, qua de re videri potest Molina. tract. 3. disput. 30. Contrà verò dicendum, si quis volens percutere hunc clericum, ab eo aberret, & casu siue præter intentionem percutiat alterum clericum proximè astantem: talis enim excommunicationem non incurrit, sicuti rectè docet Suarez disp. 22. s. 1. n. 54. Ægid. cit. dub. 15. num. 197. Ratio discriminis est: Quia in priore casu voluntariè percutit hominem, quem scit clericum, in quo tota ratio consistit, ob quam canonis excommunicatio lata est: in posteriore autem casu voluntariè non percutit hominem, quem scit esse clericum: siquidem, vt ponimus, à Clerici intenta percussione aberrauit: alium autem hominem, qui fortè adstabat, & Clericus erat, præter intentionem ac inuoluntariè percussit.

Altera excusatio est. Imperfectio actus non pertingentis ad culpam mortalem: puta ob subitam passionem iræ, animo non plenè aduertente ad id quod agitur: vel ob circumstantias personarum, &c. minuentes culpam. Qua ratione, ait Sotus in quarto dubio 22. quæstione prima, articulo secundo, casu secundo excusat. *Si pueri clerici rixantes, etiam in Ecclesia, se pugno percusserint mutuò, vt sanguinem è naribus, vel è capite in parua copia emittant, nulla innodantur censura.* Quod verum est, si considerata rei qualitate, seu circumstantijs, iniuria percussionis ad grauitatem peccati mortalis non pertingat.

Tertia. Qui in defensionem sui, vel alieni corporis, famæ,

famæ, bonorum pudicitiæ, clericum aggressorem detinet, vel percutit, excommunicationem non incurrit, ca. si verò, 1. capite ex tenore, de sentent. excommunicatio Dummodo modus defensionis notabiliter non excedatur, & ea incontinenti aggressionem subsequatur, sicuti habetur in cit. c. si verò. Ex quo resolues I. Licet mulier excommunicationem non incurrat, si clericum pudicitiam suam ipso facto tentantem percutiat: secus tamen esse, si eam clericus solis verbis aggrediatur; tunc enim sufficit etiam verbis repellere: nisi valde molestus sit, vt mulier se aliter ab eo liberare non possit, quàm fuste aut verbere, sicuti ex communi docent Auila part. 2. cap. 5. disput. 3. dub. 13. casu 18. Suarez l. c. num. 33. Ægid. num. 194. II. Posteaquam clericus rem à se iniustè ablatam ad locum destinatum detulit, & in pacifica eius possessione existit, non ampliùs licitum est vim illi propria autoritate inferre, si res per viam iudicij recuperari possit, sicut notauit Mol. l. c. Si tamen Clericus iniuriam inferens, vel in flagranti graui crimine deprehensus, de fuga suspectus sit, poterit interim à laico capi, vel detineri, vt Iudici suo Ecclesiastico tempestiuè præsentetur, sicuti ex communi docet Nauar. capite 27. numero 81. & 85. Auila l. c. casu 12. Clarus libro 5. sentent. §. fin. quæstione 28. numero 6. Suarez disp. 22. sectione 1. numero 37. in fine, Mol. tract. 3. disputatione 56. n. 2.

Quarta. Qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel propria filia turpiter inuentum manus violentas incótinenti iniecerit, licet peccet, canonis tamen excommunicationem non incurrit, cit c. si verò, 1. quia iustum talem dolorem compescere difficillimum est, ait Gl. ibid. ver. turpiter. Turpiter autem inuentus dicitur, qui actum quemcumque impudicum cum eiusmodi persona exercet. Imò satis esse, vt solus cum sola reperiatur in loco suspecto, accedentibus etiam alijs circumstantijs suspicionem mouentibus, docet Syl. ver. excommun. 6. num. 5. casu 10. Nauar. cap. 27. num. 84. Suarez cit. num. 37. Ægid. numero 196. Porrò excusatio hæc ab excommunicationis censura locum non habet, si maritus adulterum non mox, vt in crimine deprehensus est: sed interiecto temporis interuallo, quo dolor iustus sedari potuerit, occidat: item si data opera in loco occulto se absconderat, vt deprehensum occidere posset, sicuti docet Nauar. lib. 5. cons. de sentent. excommun. edit. 2. Deinde dictam excusationem locum non habere in alijs consanguineis, quæ percutientem in prima consanguinitatis linea non contingunt, puta quia, vel nepte, significatur in cit. c. si verò, 1 §. cæterum, iun. Gl. ver. matre, & tradit Mol. tr. 3. disp. 55. numero 5.

Quinta. Prælatus, Præceptor, Pater, si disciplinæ siue correctionis causa clericum percutiat, à censura canonis immunis est. De Prælato Ecclesiastico, & Magistro seu Præceptore habetur id expressè in c. 1. & c. ex tenore, de sententia excommun. In quo posteriore textu sermo est de subdiacono: quare rectè docet Nauar. cap. 27. numero 81. Suarez disp. 22. s. 1. numero 48. & alij communiter: Magistrum quoque, & non tantùm Ecclesiasticum Prælatum (de quo dubitari non potest) ius habere castigandi Clericos, etiam in maioribus Ordinibus constitutos: modò castigatio moderata sit, habita ratione culpæ, & personæ tum percutientis tum eius quæ percutitur: alioquin si percussio valde indecens sit, aut excessus notabilis censura excommunicationis non euitabitur, teste Nauar. ll. cc. & colligitur ex c cum voluntate. eod. ti. iun. Gl. ver. Prælationis, & ver. Magisterij.

De patre maius dubium est; Vtrum filium in sacris constitutum, sine nota excommunicationis castigare possit; Negat Gl. in cit. c. cum voluntate. verb. inferiorum graduum: *quia sacerdos, inquit, liberat à patria potestate* intellige quod attinet ad effectum castigationis: nam ab alijs effectibus patriæ potestatis sacer ordo non eximit; sed solùm Episcopalis, vel Cardinalitia dignitas, sicuti docet Abb. in cit. c. cum voluntate, Angelus ver. excomun. 5. §. 10. Eandémque sententiam Glossę sequitur Abb. ibid. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 228. in 6. effectu, & tract. 3. disp. 59. & alij apud eundem: Quia indecens esse videtur, Clericum in sacris constitutum à patre laico verberari: vt proinde præsumendum non sit, iura huic rei patrocinari velle.

Contrariam tamen sententiam defendit S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 1. § 2. casu 12. Syl. ver. excommun. 6. casu 8. Nauar. citat. numero 82. Auila part. 2. ca. 5. disp. 3. dub. 13 casu 1. Suarez citat. sect. 1. numero 19. Ratio eorum est: Quia pater non minorem sed potiùs maiorem in filium potestatem habet, quàm Magister in discipulum: Atqui in cap. 1. & cap. ex tenore absolutè & sine restrictione significatur, Magistrum ab excommunicatione immunem esse, si discipulum correctionis causa percutiat; Ergo idem de patre sentiendum est erga filium. Hæc sententia probabilis est. Sed mihi magis placet illa prior, quam etiam communiorem esse testatur Mol in cit. disp. 228. in eandémque inclinat Angelus ver. excommunicatio, 5. §. 10. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 2. a. 2. Cùm enim canon siue ius commune prohibens Clerici percussionem, fauorabile sit Ecclesiastico ordini: restringi non debet, nisi expressam in iure exceptionem reperiamus. Nullibi autem expressum est; quod pater quoscunque filios Clericos, etiam in sacris, absque nota excommunicationis castigare possit, sed solùm, quòd patrifamilias concessum sit, Clericos adolescentes in inferioribus gradibus siue ordinibus constitutos qui de familia eius, vel propinqui sunt, disciplinæ causa corrigere, citat. capite cum voluntate, de sentent. excommun.

Ad fundamentum verò posterioris sententiæ responderi potest: Ideo iura Magistro absolutè permittere, vt Clericum disciplinæ causa percutiat; quia fieri potest, vt Magister in maiore gradu siue ordine constitutus sit, quã eius discipuli: si enim esset laicus, vel in minore ordine positus, non videtur ipsi iure concessum, vt Clericum in maiore ordine verberibus puniat, argum. c. vniuersitatis, de sent. excommun. Aduerto tamen, si pater filium, vel Magister laicus discipulum in sacris constitutum correctionis causa percutiat, faciliùs à peccato mortali, & cõsequenter à censura excommunicationis excusari posse: propterea quòd ius aliquod correctionis ille habens, difficilè interdum se cohibet, quin grauiter aut sæpiùs delinquentem, etiam verbere castiget: ipsáque circumstantia superioritatis deformitatem non parùm imminuit.

Porrò in cit. c. vniuersitatis decernitur, vt Abbas per seipsum, non per alium regularis disciplinæ causa, Monachum percutiat: vel, si necessitas postulet, per Clericum, vel Monachum (non per laicum) id fieri iubeat: alioquin, tam qui tales verberari præcipit, quàm illi, qui verberant, quamuis ob delictum, excommunicationis sententiam incurrunt. Alia ratio est de Episcopo, à cuius dignitate alienum est aliquem proprijs manibus verberare, c. non licet, d. 86. Quare Clericos delinquentes per alium Clericum, non laicum corrigere debet: Quamuis Clerici facinorosi (idémque de monachis sentiendum) ex mandato Prælati Ecclesiastici etiam à laicis capi possint, c. vt famæ, de sent. excommun. c. si Clericos, eod. in 6. Quin per consuetudinem in Gallijs, & alijs locis approbatum esse, vt Clerici si ita commeriti sint, per laicos torqueantur, aut verberentur, testantur Clarus 5 sent. §. vlt quæst. 77. num. 3. Molin. disp. 51. Suar. disp 2. sect. 1. n. 44. Ægid. n. 191 Auila p. 2. c. 5. disp. 3. dub. 12, & ipsemet Nau in cõmentar. 3. de regularibus circa finem, & l. 5. consil. 28. de sentent. excommunicat. edit. 2. quamuis aliter in manuali, cap. 27. n. 86. dixerat, talem consuetudinem excusare à censura non item à culpa. Adde, quòd simili ratione excusatur Prefectus nauis, aut qui ab illo potestatem habet, si Clericũ verbaliter degradatũ & ad triremes damnatũ perinde vt alios remigãtes percutiat, sicuti docet Auila de cẽs.

p.4.disp.vii.dub.1. Præterea partim consuetudine, partim etiam priuilegiis obtentum est, vt Prælati Ordinum Regulares suos delinquentes non per se, sed per alium Religiosum, etiam non Clericum, sed conuersum, corrigant. Qua de re Nau. cit. consil. 28. Suarez. Auila, Mol. Ægidi. ll.cc. Si tamen ætate minores, & quasi pueri sint præsertim Nouitii, ij possunt ex commissione Prælati Ordinis, etiam à seculari laico, v.g. Ludimagistro, disciplinæ causa verberari: sicuti hoc ipsum eadem ratione de Clericis minoribus quod per laicum corrigi possint, tradit Mol. tr.3. dis.56. n.8.

Sequitur in can. si quis suadente: *Vt nullus Episcoporum ipsum absoluere præsumat.* Circa quæ verba notandum est. A iure & DD. in c. peruenit de sent. excommun. & apud Nau c.27. n.91. Mol. disp 57. duplicem Clerici percussionem distingui; Modicam siue legem: & grauem siue enormem: quæ inter se viri prudentis, etiam Confessarij, iudicio discerni debent, non ex sola percussione, læsionéve, sed etiam ex circumstantiis personarum, percutientis ac percussi, loci, temporis, secuti scandali, &c. sicuti videre est in extrauagante, quæ incipit *perlectis*, apud Na. & Mol ll.cc. Cou. c. alma, p.1. §.9. n.2. & colligitur ex cap. cùm illorum, de sent. excom.

10 Ab excommunicatione canonis contracta ob Clerici percussionem leuem (quæ videlicet nullam maculam, aut lacerationem carnis, nec membri mutilationem, dentiū euulsionem, multorum capillorum extractionem, nec sanguinis immodicam effusionem attulit, neque ex circumstantijs aggrauata est) Episcopo absoluere permissum est in cit c. peruenit, secundùm communiorem DD. sententiam, contra quosdam existimantes illo Pontificis responso non ius commune, sed speciale priuilegium datum esse.

Altera verò percussio, quæ grauis dicitur, subdiuidi debet in eam, quæ speciatim in iure enormis siue atrox iudicatur; & in eam, quę non specialiter enormis, sed mediocris, & quasi media inter leuem & enormem censetur. Absolutio ab excommunicatione contracta ob percussionem Clerici enormem semper Sedi Apostolicæ reseruatur, cōmuni iure: quin etiamsi percussio solùm mediocris, siue plùs quàm modica fuerit: exceptis tamen tribus casibus: I. est in cit. ca. si verò 1. de sent. excommun. Si Ostiarius prætextu officij sui Clericum percusserit, vt idcirco excommunicationem incurrisse existimetur, ab Episcopo absolui potest, nisi percussio grauis seu enormis sit. At verò, si Officialis, Iudex seu Apparitor secularis potestatis, in Clericum iurisdictionem sibi vsurpando, eundem percusserit, sine mandato Summi Pontificis absolui non potest: cùm hæc grauis iniuria sit, quippe Ecclesiasticæ libertati repugnans, cit. c. si verò.

II. Si Clerici in commmuni societate viuentes se mutuò percutiant, ab Episcopo suo absolui possunt: nisi facti atrocitas aliud exigat, c. quoniam, de vita & honestate Clericorum.

III. Regularis Regularem eiusdem claustri percutiēs non enormiter, à Pręlato suo absolui potest. Sin verò Abbatis discretio ad delinquentis correctionem non sufficiat adhibendus est Episcopus, c. Monachi, c. cum illorum, c. canonica, de sent. excommun. Si autem Regularis percutiat Regularem sub alio Prælato constitutum, absolui etiam potest à proprio Prælato (si percussio enormis non fuit) præsente tamen Prælato percussi, vt iniuriam condonet, ac pœnam in satisfactionem definiat, sicuti colligitur ex cit. c. cùm illorum, & explicant Hostiensis & Abb. ibid. Molin. tract.3. dis.60 n.5. vbi rectè monet, Prælatum offensi committere posse Pręlato absoluendi, vt sine ipso eum absoluat, iuxta suum arbitrium ac discretionem. Denique si commendatarij Ordinis S. Ioannis se inuicem percutiant, absolui possunt à presbytero Priore Conuentus, vti habetur in cit. c. canonica de sentent. excommun.

Cæterùm in c. cùm illorum, aliqua adduntur annotanda; Primum, si quis ante Religionis ingressum excōmunicationis sententiam ob Clerici vel Monachi percussionem incurrit, is postea Nouitius vel Religiosus factus à Prælato suo absolui potest, nisi excessus siue percussio enormis fuerit: quamuis rectè notet Molin. disput.60. in fine: multos Regularium Ordines priuilegijs Papalibus obtinuisse, vt etiamsi enormis sit læsio, absolutio à Prælato suis conferri possit. Secundum. Si Religiosus aliquis Clericum secularem percussit, non nisi à Sede Apostolica absolui potest: vt scandalum euitetur. Id tamen ne vniuersim de omni percussione intelligatur, declaratum postea fuit in cap. religioso, eodem in 6. Religiosum manus violentas in Clericum secularem inijcientem ab Episcopo absolui posse eo in casu, quo secularis Clericus posset, si alium Clericum percussisset; videlicet, si percussio leuis fuit, iuxta cap. peruenit, extrà eodem, & annotauit Gloss. in cit. cap. religioso. Idque spectato communi iure, & seclusis specialibus priuilegijs, ac consuetudine: propter quæ interdum Episcopi, atque Ordinum Prælati maiorem absoluendi ab excommunicatione canonis potestatem habent, sicuti in specie testatur Molina citat. disputatione 60. in fine, quòd omnes ferme Ordinum Prælati hodie suos absoluere possint, etiamsi percussio enormis fuerit.

CAP. VI.

De absolutione ab excommunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Parochi potestatem absoluendi ab excommunicatione non habent ex officio, tanquam ordinariam, vt eam directè delegare possint; sed solum indirectè, quatenus alicui Sacerdoti approbato committunt facultatem audiendi confessiones.*

2 *In mortis articulo quiuis Sacerdos ab excommunicatione, quantumcunque reseruata sit, etiam extra Sacramentalem confessionem absoluere potest.*

Inferioribus Clericis commissa non est potestas absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis.

3 *Casus Papæ reseruatus, superueniente impedimento legitimo fit Episcopalis.*

4 *Si impedimentum adeundi Sum. Pontificem temporale sit, absolutus, eo cessante, Apostolico conspectui se præsentare tenetur: alioquin in eandem excommunicationem reincidit.*

5 *In articulo mortis Sacerdos expositus absoluere potest à casu Papali, licet Episcopus adiri posset: excepto, si specialis commissio Episcopis facta reperiatur, v.g. absoluendi percussores Clericorum.*

6 *Probabile est, impeditum ire Romam absolui posse ab Episcopo, licet ad Legatum Papæ se conferre posset.*

7 *Ad essentiam absolutionis ab excommunicatione pertinet, vt aliquo externo signo manifestetur.*

8 *Ante absolutionem ab excommunicatione exigenda est satisfactio parti læsæ, & iuramentum parendi Ecclesiæ, si crimen commissum enorme sit: si tamen hæc, vti debent, non exigantur à Reo, valet nihilominus absolutio.*

9 *Absolutio ab excommunicatione, aliàve censura etiam absenti dari potest.*

Excommunicatus ex alia causa iterum excommunicari potest: consequenter etiam absolui ab vna excommunicatione, altera manente.

QVÆSTIO PRIMA. Quinam à maiore excommunicatione absoluere possint? Respondeo & dico 1
I. Ab excommunicatione iuris non reseruata non tantùm Episcopus, vel Episcopalem iurisdictionem obtinens: sed quiuis etiam Parochus seu Sacerdos proprius absoluere potest, sicuti dixi c. præced. in princ. & est communis Doctorum sententia, quam etiam praxis confirmat: licet cōtrarium visum fuerit Couar. c. alma, p.1 §.12. num. 5. sumpto arg. ex extrauag. 1. de priuileg. cùm tamen ea nullam mentionem de Parochis faciat; quin etiam reuocata sit per Clementinam 2. de sepulturis. Nota tamen ex

Syl. I.

Syl.l.c. Suar.disp.7. sect.4. num. 15. & Ægid.disp.14.dub. 16. num.231.discrimen esse inter Episcopum & Parochum quòd, cùm absolutio ab excommunicatione ad forum externum propriè pertineat, Episcopus talem absoluendi potestatem quasi ordinariam habet, quippe officio ac dignitati suæ communi iure annexam: quamobrem eam alij cuicunque Clerico, quamuis non Sacerdoti, per se ac directè delegare potest. Parochi verò, aliique curati, qui in foro externo nullam iurisdictionem obtinent, potestatem absoluendi ab excommunicatione tam maiore, quàm minore non habent ratione offici sui tanquam ordinariam: sed solùm ex commissione, quatenus talis potestas sæpe necessaria est ad Sacramentalem à peccatis absolutionem rite conferendam. Quapropter hanc ab excommunicatione absoluendi facultatem non potest Parochus alteri Clerico propriè ac directè delegare: sed solùm indirectè conferre: dum enim alicui Sacerdoti, v. g. Cooperatori suo delegat potestatem confessiones audiendi, eo ipso efficit, vt eidem à iure committatur potestas ab excommunicationibus non reseruatis absoluendi.

Dico II. Ab excommunicatione iuris, quam auctor sibi reseruauit: item ab ea, quæ alicui nominatim, siue per particularem Iudicis sententiam inflicta est, nullus inferior absoluere potest. Est communis assertio, quam satis explicaui suprà p.2.cap.7.& traditur à S. Bonau.in 4.d.18.q. 6. & alijs Scholasticis ead.d. Abb.in c. ex frequentibus,
2 num.7.de instit. Excipitur autem mortis articulus, in quo quiuis Sacerdos, etiam excommunicatus non toleratus, ab omnibus censuris, tam ab homine, quàm à iure latis, absoluere potest, si accessus non sit ad eum, cui de iure absolutio competit, quo modo intelligendum Concil. Trid.sess.14.cap.7. Idque verum est, tametsi constitutum in mortis periculo à peccatis sacramentaliter non absoluat; quia absolutio ab excommunicatione aliisque censuris minimè dependens est ab absolutione à peccatis, sicuti ex communi docet Nau.c.27.num.272.dicto 6.Suar. disp.7. sect 6.num.7. Licet enim causa siue occasio fuerit, cur talis à censuris absoluendi potestas Sacerdotibus omnibus in mortis articulo commissa sit, quia ea sæpe necessaria est ad Sacramentalem absolutionem conferendam: nihilominus per se & simpliciter, atque sine necessaria connexione ad sacramentum Pœnitentiæ, concessa videtur, sicuti verba Tridentini Concilij significāt: cùm enim talis concessio gratiam & fauorem contineat, latè interpretanda est. Quod similiter de Parochis aliisque Confessarijs dicendum, eos ex concessione cit.c.nuper, ab excommunicationibus non reseruatis etiam extra sacramentum Pœnitentiæ absoluere posse, sicuti docet Suarez disp. 7. sect.4. num. 19. Sa ver.excommunicatio, vbi de absolut. n.1.& dicam.l.5.tr.6.c.10.n.17.

Porrò, licet non desint DD.videlicet Gl.& Abb. in c. à nobis, 2. de sent.excommun. Syl.ver.absolutio, 1.num. 8.Armilla num.39.existimantes, in defectum Sacerdotis, etiam alium inferiorem Clericum, imò & laicum à censura excommunicationis, &c.in mortis articulo absoluere posse. Contraria tamen sententia magis recepta, & probabilior est, quam docet Palud. in 4. d. 20. quæst. 1. a.2. Sotus d. 18. q.4. a.4. Nau. c. 26. man. num.26.& in ca.1. princ.num.84.d.6.de pœnit. Couar.c.alma, p.1.§.11.nu. 9. Suarez disp. 7. sect.6.num.6.Ægid.disp.14.dub.16.n.236. Quia licet Ecclesia talem potestatem cuique Clerico, imò & fideli laico committere possit; tamen re ipsa commisisse nullo iure, aut consuetudine Ecclesiastica ostendi potest. Adde, hoc etiam pertinere ad maiorem æstimationem censuræ, si eius absolutio non ab alio, quàm Presbytero, sine speciali commissione, conferatur: præsertim cùm rarò accidat, vt nullus Presbyter haberi possit, qui excommunicatum absoluat. sed etsi talis casus accidat, moriturus tamen per contritionem à peccatis suis liberari, atque post mortem absolui poterit.

Neque obstat c.sanctum, d.4. de consecrat. pro priore sententia allegatum à Gloss. in c. pastoralis; §. præterea, de officio Ordinarij, in quo ex S. August. refertur: Cùm fidelis aliquis, qui tamen ex numero pœnitentium erat, cum infidelibus naui veheretur: accidisse, vt vnus illorum à pœnitente Baptismum peteret; quo ipsi collato, pœnitentem vicissim à recens baptizato reconciliationem petiisse, & accepisse. Respondetur, si vera est historia hæc, (nam S. August. tanquam incertam narrat: licet addat veram esse posse) reconciliationem illam non fuisse veram absolutionem à censura; multóque minùs Sacramentalem à peccatis: sed fuisse deprecatoriam orationem hominis iam membrum Ecclesiæ per baptismum effecti, vt Deus pensans animum ac desiderium pœnitentis, etiam sine Sacerdotis ministerio, reconciliationem tribuat. Quod idem clarè explicat Auctor de vera & falsa pœnit. cap.10. relatus in c. quem pœnitet, d.1. de pœnitent. *Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare & soluere.* Et paulò post: *Tanta est vis confessionis, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo: sæpe enim contingit, quòd pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus nec tempus offert. Et si ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habet: fit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis.*

Deinde, quod attinet ad censuras Papæ reseruatas, ea 3
reseruatio non tam stricta est, quin ob plures causas relaxetur, & ad Episcopalem iurisdictionem deuoluatur: quæ causæ in iure canonico circa Clerici percussionem exprimuntur, vti videre est in c. de cætero, c. ea noscitur, de sent. excommun. Prima causa impedimenti est ætatis infirmitas: si nimirum impuberes excommunicationem incurrant, hi etiam post pubertatem ab Episcopo absolui possunt, c. pueris, de sent. excom.

Secunda est sexus infirmitas. Mulieres videlicet in excommunicationem lapsæ à Diœcesano absolui possunt, c. mulieres, c. quamuis, eod. tit.

Tertia est, quoduis canonicum seu legitimum impedimentum ad Sedem Apostolicam accedendi: qua ratione excusantur pauperes, qui tanto itinere mendicandi consuetudinem non habent; senes, valetudinarij, membris capti, c. ea noscitur, c. quamuis, de sent. excommun. Item qui capitales inimicitias gerunt, vt sine vitæ periculo viæ se committere non possint, c. de cætero, eod. tit. Et qui sui iuris non sunt, puta serui, & filij familias, si eorum domini vel parentes profectioni resistant, cit. c. mulieres. Et qui ob curam administrandi familiam, gerendi officium publicum: vel ob periculum infamiæ, scandali, vel aliam similem causam impediti sunt, quo minùs Romam, absolutionis accipiendæ causa, proficiscantur, iuxta ca. de cætero, c. quamuis, eod. tit. Et qui magnæ potentiæ sunt aut ita delicati, vt laborem accedendi ad Summum Pontificem sustinere nequeant: hos enim Episcopus, si periculum mortis vrgere arbitretur, absoluere statim potest: alioquin verò *status personæ prius, & veritas negotij est intimanda Sum. Pontifici, & secundùm consilium eius tales* (potentes) *de commisso scelere corrigendi erunt*, cit. c. mulieres, Atque ita explicat Na. c 27. n.88. licet paulò aliter Gl. ver. laborem veniendi.

Verùm, circa huiusmodi canonica impedimenta distin- 4
guendū est, vtrum perpetua sint, an temporalia. Si perpetuum impedimentū sit, Episcopus absolutè & sine onere se præsentandi Apostolicæ Sedi absoluere potest impeditū: Sin verò impedimentū temporale sit, (excipio hinc puerilem ætatem) tunc iurare debet absoluendus quòd, cessante impedimēto, Apostolico conspectui se præsentare velit: non vt iterum ab excōmunicatione absoluatur, sed vt mandatum accipiat de satisfactione præstanda Ecclesiæ, ac parti læsæ, sicuti docet Na. c.26. n.26. Sanch, l.2. moral. c.13. n.27. Sairus l.3 c.28. n.36. & habetur in c. de cætero, c. ea noscitur, & c. quāuis, de sent. exc. Si autē absolutus se præsētare, seu personaliter seu per procuratorē, intra

tempus à Iudice præfixum, vel cùm primùm commodè poteſt, intermiſerit, in eandem excommunicationem reincidit, c eos qui, de ſent. excommun. in 6. & explicat Nauar. c. 27. num. 89. & num 113. Henriq. libro 13. capite 29. numero 3. Et habent hæc locum in omni abſolutione ab excommunicatione reſeruata, quæ datur ob impedimentum ſeu cauſam neceſſitatis, quòd abſolutus ſub pœna reincidentiæ, teneatur ſe poſtea præſentare Superiori, ad quem de iure abſolutio ſpectat, iuxta citatum caput eos qui.

Sed limitant Henriquez cit. num. 3. lit. Z. Sa verb. excommunicatio, vbi de abſolut. num. 8. Niſi, priuſquam terminus elapſus eſt, plenè ſatisfaciat parti læſæ, aut cum ea concordet: quia tunc ceſſet ratio, ob quam Superiori ſe ſiſtere debeat. Sed non placet hæc limitatio: quia iuri conformis non eſt, ſicuti colligitur ex cap. quamuis, de ſentent. excommunicat. Neque enim vt parti læſæ ſatisfiat, cauſa eſt adæquata huius obligationis ſiſtendi: ſed vt debita Eccleſiæ etiam læſæ obedientia & ſatisfactio præſtetur. Quamobrem tametſi nulla pars aduerſaria læſa ſit, vel ipſi ante abſolutionem ſatisfactum fuerit, nihilominus hoc onus comparendi imponi debet, ſicuti docet Suarez tom. 4. diſputatione 30 ſeſſione 3. numero 6. Sanchez lib. 2. moral. c. 13. num. 29. contra Nau. cap. 26. n. 26. Henriquez l. c.

5 Dubitatur autem hîc primò: Quod de Clerici percuſſore dicitur in c. de cætero, c. ea noſcitur, de ſent. excommun. Si ad Sedem Apoſtolicam accedere legitimè impeditus ſit, ab Epiſcopo abſoluendum eſſe, vtrum id in alijs quoque caſibus Papalibus locum habeat? Ita affirmant Canoniſtæ communiter Innocent. in c. 2. De eo qui furtiuè, Abb. & Felinus in c. Monachi de ſentent excommun. Syluestr. verb. abſolutio 3. in fine, & 4. num. 5. Couar cap. alma p. 1. §. 11 num. 15. Nauar. c. 27. num. 89. & 112. Henriq. lib. 9. c. 11. num. 5. & c. 16. in princip. Suar. de cenſur. diſp. 22. ſect. 1. num. 64. Quare hæc regula communiter recepta ſtatuenda eſt: Quod *caſus Papalis, ſuperueniente impedimento adeundi Papam, fit Epiſcopalis*: quia id congrua ſubordinatio inter Prælatos Eccleſiæ requirere videtur. Sed excipiunt aliqui valde probabiliter articulum mortis, in quo omnes Sacerdotes expoſiti, nullo obſeruato ordine, à caſibus Papalibus abſoluendi ius habent: præterquam ſi in iure ſpecialis commiſſio Epiſcopis facta reperiatur, puta in caſu percuſſionis Clerici, iuxta c. ſi quis ſuadente, 19 quæſt. 4. & c. ea noſcitur, de ſent. excommun. & docet Suar. diſp. 22. ſect. 1 num. 62. de cenſur. Couar. c. alma, p. 1. §. 11 num. 8. Sanchez l. 2. moral. c. 13. num. 9. modò eo caſu ad Epiſcopum acceſſus ſit. In alijs verò caſibus Papalibus penitus ceſſat omnis reſeruatio in mortis articulo: ideóque quiuis iuriſdictione præditus Sacerdos abſoluere poteſt. Ita Syl. ver. abſolutio, 1. n. 8. Suar. t. 4. diſ. 30. ſ. 3. num. 4. Sanchez l. c. licet contrarium ſentiat Zambrana c. 4. dub. 4. numero 14.

Dubitatur ſecundò. Si impeditus Romam ire pro abſolutione caſus Papalis, poſſit tamen adire Legatum Papæ, vel alium ſpecialiter priuilegiatum, vtrum nihilominus ab Epiſcopo abſolui poſſit? Affirmant Henriquez li. 6. cap. 10 num. 1. Auila part. 2. cap. 7. diſp 1. dub. 6. poſt. 3. concluſ. notan. 4 Suarez tom. 4. diſput. 30. ſect. 3. numero 5. Quia iura in ſignum ſpecialis reuerentiæ ac priuilegij requirunt, vt pro abſolutione Papa adeatur: ſi ergo is adiri non poſſit, ceſſat reſeruatio Papalis, & deuoluitur caſus ad proprium Ordinarium. Accedit, quòd reſeruatio caſuum Papalium ſtrictæ interpretationis eſſe debeat; cùm iuri Epiſcopali deroget.

6 Contrarium tamen docet Nauar. c. 27. num. 89. & 90. §. ad quartam, Sanchez libro 2. moralium capite 13. nu. 11. Quia caſus reſeruatus Superiori deuoluitur ad inferiorem ratione neceſſitatis: non eſt autem neceſſitas, ſi adſit aliquis, qui iure ſeu ordinario, ſeu ſpeciali abſoluere poſſit. Affertur etiam ab Ægid. cit. diſput. 16. n. 242. in confirmationem huius ſententiæ cap. quamuis, de ſentent. excommunicat. In quo tamen (ſicut & in cap. ea noſcitur) nil aliud habetur, quàm Clericorum percuſſores non ab alio quàm Romano Pontifice, vel eius Legato abſolutionis beneficium obtinere poſſe: præterquam, ſi canonico impedimento retrahantur, quo minùs Romanum Pontificem adire poſſint: vbi cùm nulla mentio fiat Legati Apoſtolici; canon iſte potiùs priori ſententiæ fauere videtur: quam proinde probabilem cenſeo, ſed alteram tutiorem. Addo ex doctrina Nau. l. 1. conſil. 1. quæſt 14. de conſtit. edit. 2. locorum etiam conſuetudinem ſpectandam eſſe. Nam Epiſcop. in regionibus Româ remotioribus, in quibus nullus adeſt Legatus Sedis Apoſtolicæ, præſcripſiſſe poſſunt iuriſdictionem abſoluendi à quibuſdam caſibus Papalibus, frequenter contingentibus, v. g. à notoria Clerici percuſſione, hæreſi, &c. ſine onere, quod Reo imponi debeat comparendi coram Romano Pontifice, eiúſve Legato; præſertim, ſi Reus Eccleſiæ & parti læſæ ſufficienter ſatisfaciat, vel ſatisfacere paratus ſit. Vt verò Epiſcopi ad alios priuilegiatos, puta Regulares mendicantes, eiuſmodi excommunicatos pro abſolutione mittant: (licet hoc tutius ſit, vt dixi) difficile tamen aliquibus videri poteſt, ſi in huiuſmodi frequentibus caſibus proprios ſubditos ad alios è diœceſi, vel extra diœceſin mittere debeant, tanquam qui maiorem ipſis abſoluendi poteſtatem habeant, ſicuti notauit Nau. l. 5. conſil. 11. de priuil. edit. 27.

Qvæstio Secvnda. Qua forma vtendum ſit in abſolutione ab excōmunicatione? Reſpondeo & dico I. Ad eſſentiam abſolutionis pertinet, vt aliquo externo ſigno manifeſtetur: cùm ſit actus iuriſdictionis, atque etiam reſtitutionis ad priſtinam Eccleſiæ communionem. 7

Dico II. Quamuis ad eſſentiam abſolutionis abſolutè non requirantur verba, multo minùs certa formula verborum; conſuetum tamen eſt, vt abſolutio, quæ præſentibus confertur, talibus verbis fiat: *Abſoluo te à vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter crimen v. g. percuſſionis ſacrilegæ, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & fidelium communioni, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.* In publica ac ſolemni abſolutione præmittitur Pſalmus 50 vel alius ex pœnitentialibus: & ad quẽuis verſum pœnitentis humeri denudati virga leuiter percutiuntur. (niſi ob iuſtam cauſam v. g. in fœminis talis ceremonia prætermittenda videatur) poſtea adiectis precibus conſuetis abſolutio datur, & abſolutus in Eccleſiã introducitur. Qui modus abſoluendi quadantenus etiam ſeruatur, ſi mortuus ab excommunicatione abſoluatur, ita vt præmiſſis precibus ſepulchrum virga percuti debeat, iuxta c. à nobis, 2. iunct. Gloſſ. ver. forma ſeruetur, de ſent. excommunicatio Nauar. in cap. 1. p. n. 55. d. 6. de pœnit. In foro autem interno eiuſmodi ſolẽnitates omitti poſſunt, teſte Na. l. c. n. 59. Hen l. 13. c. 29. n. 4. Saver. abſolutio ab excom n. 20. Auila p. 2. c. 7. diſ. 3. du. 2. & 3. Ægid. diſp. 14 dub. 16. n. 203.

Dico III. Ante abſolutionem ab excommunicatione, contracta ob crimen enorme, aut valde pernitioſum, exigendum eſt iuramentum à Reo, quòd Eccleſiæ parere, id eſt, ab eiuſmodi crimine impoſterum abſtinere velit, ſicuti docent & explicant DD. communiter S. Bonau. in 4. d. 18. quæſt 6. Rich. ibid. 1 10. q. 2. Nau. in c. 1. princ. n. 55. d. 6. de pœnit. Syl. ver. abſolutio 3. num. 3. Auila cit. diſ. 3. du. 2. Henriq. lib. 13. c. 28. num. 4. Sa l. c. num. 19. & 20. Ægid. n. 204. Sanch. lib. 2. moral. c. 13 n. 17. vbi ex communi notat num. 19 à delinquentibus in impubertate, licet adepta iam pubertate abſolutionem accipiant, non eſſe iuramentum exigendum. 8

Dico IV. Abſolutio ab excommunicatione neque in foro externo, neque interno conferenda eſt, niſi parti læſæ priùs ſatisfactum, vel cum ea tranſactum ſit, ſicuti colligitur

ligitur ex c. 2. de sentent. excommun. Quòd si verò absoluendus realem satisfactionem exhibere statim non possit, tunc cautionem præstare cogitur pignoratitiam, aut fideiussoriam: Sin vero nihil horum efficere queat, sufficit iuratoria, vti ex communi docet Abb. c. quæstione, in fine, & c. qua fronte num. 17. de appellat. Syluest. verb. absolutio, 3. num. 3. Nau. c. 26. man num. 7. Auila part. 2. c. 7. disp. 3. dub. 6. & 8. Henriq. cit. cap. 28. n. 1. Sa loc. cit. num. 3. Ægid. num. 206. Sanchez suprà cit. cap. 13. num. 23. & lib. 10. de matrimon. disp. 18 num. 38. & 42. vbi generalem regulam tradit: Si iura cautionem sufficientem requirant, & aliquis, quia pauper vel peregrinus est, aliam præstare non possit, sufficere iuramentum eius, iuxta Auth. generaliter, Cod. de Episc. & Clericis: Quia nemo ad impossibile obligari potest. Et vero hîc specialis ratio est: Quia Iudex ex officio obligatur, ideóque etiam compelli potest, vt Reum emendatum, atque quatenus ipsi possibile est satisfacere paratū à censura absoluat, sicuti colligitur ex c. qua fronte, de appel. dummodo Reus de violatione iuramenti suspectus non sit, sicuti Abbas notat cit. cap. qua fronte, num. vlt. His adde, quòd in foro interno, spectata qualitate personæ, simplex promissio, seu fidei interpositio instar iuramenti esse possit.

Duo insuper hoc loco annotanda sunt: Primum, si quis post præstitam cautionem seu iuramentum de satisfaciendo, postea satisfacere negligat, non reincidit in excommunicationem, cùm id iure expressum non sit: quāuis ab homine iterum excommunicari possit. Alterum. Tametsi illicita, valida tamen est absolutio, quæ antequam parti læsæ satisfactum sit, vel antequam iuramentum præstitum de parendo impostetum mandatis Ecclesiæ, confertur ab habente ordinariam absoluendi potestatem, iuxta cap. venerabilibus, §. sanè, in fine, de sentent. excommun. in 6. Quin etiamsi aliquis solùm delegatam facultatem habeat, modò delegatio ipsi absolutè facta fuerit: Secus, si cum limitatione expressa, *aliàs absolutio sit nulla*: vel *aliter non absoluat, nisi satisfacta parte, aut præstito prius iuramento.*

Quòd si verò in delegatione, aut priuilegio dicatur: *Committimus facultatem absoluendi, satisfacta prius parte, aut præstito iuramento*, non consentiunt Doctores, vtrū sit censenda limitatio potestatis, ita vt absolutio irrita existat, nisi talis conditio siue forma obseruata sit? Affirmant Caietan. verb. absolutio, & Armilla eodem verb. num. 48. Suarez disp. 7. sect. 5. num. 42. Ægid. disp. 14. dub. 16. num. 210. & plerique alij. Sed contrarium valde probabiliter docet Auila plures alios allegans part. 2. cap. 7. disp. 3. num. 9. Est enim recepta regula Gloss. in Clem. 1. de offic. delegat verb. repererit, Couarruu. part. 1. c. alma, §. 9. num. 8. & § 11. num. 7. Nauar. c. 27. man. n. 37. Sanchez lib. 3. de matrimon. disp. 33. num. 3. Quòd in commissione seu delegatione expressio rei, quæ iure cōmuni inest, non inducit nouam formam seu conditionē sine qua non: sed solùm admonetur commissarius seu delegatus, quid eum facere oporteat: Quare si requisita conditio secundùm ius ordinarium ad formam seu substantiam actus non pertineat, tunc illicita quidem erit executio delegantis, non obseruata tali conditione; sed nihilominus valida. Ita autem in proposito res se habet; nam, spectato iure communi atque ordinario, ante absolutionem præmittenda est satisfactio, aut cautio satisfaciendi parti læsæ: si tamen Iudex non sine culpa, eam exigere prætermittat, valebit nihilominus absolutio. Ergo idem dicendum est, si quis ex delegata potestate absoluat, non exacta satisfactione: præsertim si delegatio facta fuit per modum gratiæ, quæ latè interpretari debet, vti fit in bulla, priuilegio, aut iubilæo.

9 Dico V. Absolutio ab excommunicatione, vel alia censura, non requirit præsentiam eius, qui absoluitur; sed etiam absenti conferri potest per literas, nuntium; vel etiam sine his per sola verba, aut factum, quo exprimatur intentio absoluendi: Idémque sentiendum de dispensatione super irregularitate. Ita ex communi Richar. in 4. distinct. 18. a. 10. quæst. 2. Nauar. cap. 26. num. 14. Sotus in 4. distin. 22. quæst. 2. art. 3. in fine, Henriq. lib. 13. cap. 29. num. 1. Sanchez lib. 2. moralium, cap. 11. n. 14. Auila part. 2. cap. 7. disp. 2. dub. 1 Suarez disp. 7. sect. 7. num. 4. & sect. 9. in fine. Nam excommunicatio est pœna Ecclesiastica, quæ sicuti absenti & ignoranti (cuius tamen contumacia nota sit) infligi potest; ita multò magis eidem remitti potest, sola voluntate potestatem absoluendi habentis, dummodo ea humano modo significata & expressa sit.

Exinde infert Auila; Rectè facere Prælatos Ordinum cùm in Capitulis generalibus dantes absolutionē à censuris, eam etiam ad absentes extendunt. Secundò, inferunt Nauar. Henriquez & Auila; Si confessarius, facultate absoluendi præditus, oblitus sit aliquem à censura absoluere; vel si aliquem absoluit à censura, à qua non poterat, quia erat Superiori reseruata: postea impetrata facultate, posse absolutionem etiam absenti conferre, si eum ad se accersere non possit. Secus dicendum est de absolutione à reseruato peccato: cùm hæc sacramentalis sit, ideóque præsentiam Rei omnino requirat, quamuis contrarium sibi persuasisse videatur. Nau. l. c.

Dico VI. Absolutio ab excommunicatione, aliáve censura etiam inuito & nondum emendato conferri potest, saltem validè: & interdum etiam licitè, sicuti docet Rich. cit. a. 10. q. 1. Abb. c. ab excommunicato, n. 20. de rescript. & alij communiter. Quæ assertio eodem modo, sicuti antecedens probari debet: Quia censura est pœna, inuito inferri, atque etiam auferri potest. Excipe: Nisi qui absolutioni reluctatur, contumaciter persistat in crimine, v. g. hæresis, cui excommunicatio ipso iure continuè annexa est. Nam talem hominem nemo absoluere potest, nisi canonis auctor, siue qui in canone dispensandi potestatem habet. Vide Suar. disp. 7. s. 7. n 8.

Dico VII. In absoluente tamen omnino requiritur libera intentio siue voluntas absoluentis. Quamobrem irrita est absolutio, quæ fictione dolosa, errorem atque inuoluntarium efficiente, impetratur, sicuti docet Suar. de censur. disp. 7. s. 6. n. 12. Sanchez lib. 2. moral. c. 12. n. 9. Item, quæ per vim ac metum iniustum extorquetur. Insuper ita directè absolutionem extorquens excommunicationis sententiæ de nouo subijcitur, c. vn. de ijs, quæ vi metúsve causa, in 6.

Etenim, quod extremo loco annotare libet, nihil obstat, quo minùs excommunicatus iterum excommunicetur: siue ob diuersas culpas, & contumacias ab eodem 10 etiam Iudice: siue ob eandem culpam & contumaciam à diuersis Iudicibus: qua de re legi potest Nauar. in c. ita quorundam, Gl. vlt. de Iudæis, Palud. in 4. d. 18. q. 5. a. 3. Suarez disp. 5. s. 2. Consequenter fieri potest, vt quis Reum pluribus excommunicationibus ligatum ab vna earum absoluat: ab altera non absoluat: vel quia potestate absoluendi præditus non est: vel tametsi potestatem habeat, non tamen voluntatem. Cæterùm, si aliquis facultate præditus, v. g. Confessarius à Papa priuilegiatus, indefinitè ac generatim absoluat pœnitentem suum à vinculo excommunicationis, aliisue censuris: (cuiusmodi absolutio Sacramentali absolutioni ad cautelam præmitti solet) tunc credendum est, absolutionem verè & efficaciter conferri ab omnibus excommunicationibus, alijsque censuris, à quibus Confessarius pro eo tempore rectè & conuenienter absoluere potest: tametsi fortè pœnitens, per obliuionem non crassam omittat confiteri peccata, quibus censuræ annexæ sunt: vel etsi confiteatur, nesciat tamen modo vel ipse, vel etiam Confessarius, huiusmodi peccatis censuram adiunctam esse. Ex quo sequitur, si postea pœnitens recordetur peccati summo Pontifici reseruati, quod apud confessarium dicta pote-

ſtate prædi tum bona fide confiteri intermiſit; poſſe illud deinde cuiuis expoſito Sacerdoti confiteri: quippe cùm Papalis reſeruatio cenſuræ ablata fuerit. Quæ eſt doctrina Palud. in 4. d. 18. q. 5. Hadriani q. 4. de confeſſ. §. ſi pietas circa prædicta, Nau. in man. c. 26. n. 13. & in c. conſideret, §. cautus, n. 30. Sanchez lib. 2. moral. c. 12. n.

9. Secus verò dicendum eſt, ſi ſint peccata ſpecialiter reſeruata Epiſcopo, qua Epiſcopi non tantùm cenſuras, ſed etiam ipſamet peccata ſecúdùm ſe abſolutioni ſuæ reſeruare: & Parochis eorúmque Cooperatoribus denegare ſolent. Vide Suarez diſput. 7. ſect. 5. num. 16. & ſeqq. Ægid. cit. dub. 16. quæſt. 9. num. 225.

PARS TERTIA.

De Suſpenſione.

CAP. I.

QVID, ET QVOTVPLEX SIT Suſpenſio.

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſio eſt cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica impeditur iure ſeu poteſtate Eccleſiaſtica vti.*

2 *Suſpenſio vel eſt totalis, vel partialis.*

3 *Suſpenſus ab officio non ideo etiam à beneficio ſuſpenſus eſt: neque vice verſa.*

4 *Suſpenſus à beneficio non poteſt fructus percipere, niſi quatenus indiget; modò tamen officium per ſe, vel per alium præſtet. Suſpenſus à beneficio non propterea amittit ius eligendi, aut conferendi, quod ratione beneficij competit.*

5 *Suſpenſus ab ordine exercere poteſt actus iuriſdictionis: qui ordinis actualem vſum non requirunt: & vice verſa, ſuſpenſus à iuriſdictione exercere poteſt actus ordinis, qui ſine iuriſdictione ſunt.*

6 *Suſpenſio ab ordine Epiſcopali, vel Sacerdotali intelligitur tantùm de actibus proprijs eius ordinis.*

7 *Cenſura ligatus in vno loco, vbique ligatus manet, donec abſoluatur.*

1 
VSpenſio eſt *cenſura, per quam perſona Eccleſiaſtica impeditur aliqua poteſtate, aut iure Eccleſiaſtico vti.* Vide Summiſtas ver. ſuſpenſio, Nauar. cap. 27. num. 151. Suarez de cenſuris, ſ. 1. Auilam de cenſuris p. 3. diſp. 1. dub. 1. Sairum lib. 4. theſauri, cap. 1. Henriq. lib. 13. c. 31. num. 2. Ægid. Coninck t. 2. diſp. 15. dub. 1. Dixi eſſe *cenſuram*; vt intelligas, neque eum cui Confeſſarius, vel Abbatiſſa, qui cenſuram ferre non poſſunt, iuſta de cauſa interdixerunt, ne celebret: Neque eum, cui propter culpam mortalem diuino iure illicitum eſt ſacrificare, &c. propriè ſuſpenſos dici, ſed prohibitos: quare neque irregularitatem contrahent, ſi officio ſuo illicitè fungantur. vti notauit Nauar. & Coninck ll. cc. Sa ver. ſuſpenſio, num. 4. *Per quam perſona Eccleſiaſtica*: vt intelligas cenſuram hanc nō in laicis, ſed ſolis clericis locum habere, quamuis Henriq. loc. cit. fateatur, etiam Abbatiſſam cenſuram ſuſpenſionis ab officio incurrere poſſe: quia licet non ſit clericus: eſt tamen regularis, & quaſi Eccleſiaſtica perſona, capax ſpiritualis officij, cuiuſdam iuriſdictionis, ſaltem ex commiſſione, vti docet Syl. ver. Abbatiſſa, & dixi ſuprà p. 1. cap. 3. num. 4. *Impeditur vti poteſtate*; vt intelligas, per cenſuram ſuſpenſionis non auferri ipſum officium ſeu poteſtatem Ordinis, iuriſdictionis, aut ius beneficij Eccleſiaſtici; ſed ſuſpendi eius vſum, ſiue exercitium.

2 Suſpenſio diuiditur in totalem & partialem. Totalis iterum duplex eſt: *Vel ſimpliciter totalis*, quæ ſimul eſt ab officio & beneficio: cuiuſmodi ſuſpenſio duobus modis ferri poteſt primò cum expreſſione, vt ſit tam ab officio, quàm à beneficio: cuius exemplum habes in c. tuarum, de priuileg. & Clement. 1. de decimis: Secundò, ſi abſolutè, & ſine limitatione ſuſpenſio imponatur, neque ex adiunctis limitatio aliqua colligi poſſit: cenſenda eſt ſimpliciter totalis: Nam ex ſermonis vſu propoſitio indefinita ob ſuam indifferentiam æquiualet vniuerſali, ſicuti notat Henriq. lib. 13. cap. 32. numer. 1. Ægid. Coninck. dub. 1. numer. 4. Exemplum huius habes in extrauag. diuina, de priuil. vbi excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententia ipſo iure ijs infligitur, qui conferunt, vel recipiunt beneficia pro ſuis negotijs ad Curiam Romanam proficiſcentium, aut aliquod in illa officium exercenti. Vel eſt ſuſpenſio *totalis ſecundùm quid*, ſeu in certo genere: videlicet officij, vel beneficij Eccleſiaſtici.

Suſpenſio totalis ab officio dicitur, per quam aliquis ab omni ſpirituali officio tum ordinis; tum iuriſdictionis, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationis impeditur: quamuis interim taliter ſuſpenſus ſacris officijs intereſſe poſſit, cum alijs orare, cohabitare, ſacrificanti miniſtrare, in neceſſitate baptizare, mortuos ſepelire, quatenus talia officia etiam laicis competere poſſunt. ſicut notauit Sairus num. 2. Auila part. 3. diſp. 2. dub. 1. concluſ. 6. Ægid. Coninck dub. 2. concluſ. 1. Totalis verò ſuſpenſio à beneficio eſt, per quam aliquis ab omni Eccleſiaſtico beneficio; quod attinet ad eius adminiſtrationem & fructuum perceptionem, ad tempus ſuſpenditur.

Tametſi verò ſuſpenſio ſtrictæ interpretationis eſſe debeat, ſicuti & aliæ pœnæ, quæ extendendæ non ſunt vltra verborum proprietatem; tamen cùm abſolutè & indiſtinctè fertur ſuſpenſio ab officio, vel à beneficio, intelligi debet de omnibus: cùm nulla adſit ratio limitandi, ſi ex verbis canonis nulla limitatio colligi poſſit.

Partialis ſuſpenſio, vel eſt ab ordine tantùm, aut aliquo actu ordinis, v. g. à celebratione Miſſarum, vel actu ordinandi: vel à iuriſdictione tantùm, aut certo actu iuriſdictionis, aut quaſi iuriſdictionis, v. g. collatione beneficij, voce ſuffragij: vel denique à certo beneficio, aut parte beneficij, puta lucrandis diſtributionibus; vel ad tempus.

Corollarium I. Suſpenſus ab officio non ideò etiam à beneficio ſuſpenſus eſt. Quæ eſt ſententia Nauar. lib. 5. conſil. 51. de homic. edit. 2. & cap. 27. man. num. 160. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 51. num. 12. Vgol. tab. 4. de cenſuris cap. 6. §. 3. Henriq. lib. 13. cap. 32. §. 3. Sairus lib. 4. theſauri, cap. 5. num. 16. Sa ver. ſuſpenſio num. 1. Auila diſp. 2. dub. 1. concluſ. 6. Coninck dub. 2. conc. 2. licet aliter ſentiat Palud. in 4. d. 18. quæſt. 7. art. 3. concluſ. 3. & alij apud Sanchez loc. cit. Sed probatur ex eo: Quia diuerſæ pœnæ ſunt ſuſpenſio ab officio, & ſuſpenſio à beneficio; & poteſt vna executioni mandari ſine altera: ſi videlicet ſuſpenſus ab officio interim beneficij temporalem adminiſtrationem gerat, & fructus percipiat; officio verò, quatenus ei conceſſum eſt, ſatisfacere paratus ſit, videlicet horas canonicas recitando, & ad alia munia Eccleſiaſtica Vicarium conſtituendo. Si tamen ſuſpenſio ab officio ob delictum graue perpetuò duratura ſit, beneficio priuari debet, ſicuti docent Vgol. & Coninck ll. cc. Sanchez num. 13. Sairus lib. 4. cap. 6. n. 17. arg. c. ex tuarum, de purgat. canon. 3

His

His adde, ſuſpenſo ab officio totaliter illicitè conferri beneficium, ſicut conſtat ex c. cum dilectus, de conſuet. Cùm enim beneficium detur propter officiũ, non rectè confertur ei, qui officium præſtare non poteſt, c. vlt. de Clerico excommunicato miniſtr. Putant tamen Abb. c. vel non eſt, n.4. de tempor. ordinat. Suarez diſp. 26. ſ. 3. num. 8. Coninck concl. 3. collationem irritam non eſſe. ſed potiùs infirmandam: neque enim plus ex cit. c. cùm dilectus colligi poteſt, licet Gl. ibid. aliter ſentiat. Similiter docet idem Suarez diſp. 27. ſ. 1 num. 26. ſuſpenſo à beneficijs nouum beneficium validè conferri, quamuis collatio infirmanda ſit: quæ ſententia ſaltem in foro conſcientiæ locum habere poterit.

Corollarium II. Suſpenſus à beneficio, non ideo etiã ab officio ſuſpenſus cenſetur. Quare poteſt, imò etiam debet officio ſuo ſatisfacere, & iuriſdictionem, vel adminiſtrationem ratione officij competentem exercere. Quæ eſt communis ſententia DD. cum Gl. in c. cum Vintonienſis, de elect. Abb. in c. cùm dilectus n. 20. de elect. Igitur ſuſpenſus à beneficio intelligitur tantùm à perceptione fructuum, ac temporali adminiſtratione beneficij. Quare illi Oeconomus conſtituendus eſt: ſi autem ſe ingerat beneficij interdictæ ſibi adminiſtrationi, ipſo iure eo priuatur, c. cupientes, §. cæterùm, de elect. in 6. & ex communi docet Sairus cit. c. 6. n. 5.

Notant verò DD. inter quos Abbas in c. Apoſtolicæ, num. 7. de exception. & c. paſtoralis §. verùm, n. 16. de appellat. Nauar. c. 25. man. n. 124. Suarez diſp. 27. ſ. 2. n. 3. Coninck cit. dub. 2. concl. 6. Sairus cit. c. 6. n. 12. cum Gl. recepta in c. cùm Vintonienſis, ver. admiſerant, de elect. ſuſpenſum à beneficio, ſi egeat, poſſe fructus percipere, quatenus neceſſarij ſunt ad ſe & ſuos alendos; modò per ipſum non ſtet quo minùs à ſuſpenſione liberetur: quamuis alij quidam maiorem etiam licentiam tribuant, Auila p. 2 c. 6. diſp. 6. dub. 1. concl. 1. & 2. & p. 3. diſp. 2. dub. 2. concl. 6. P. Nau. lib. 2. de reſtit. c. 2. n. 237. Quòd excommunicatus, vel ſuſpenſus à beneficio, ſi tamen præſtet officium, lucretur omnes fructus, præterquam ſi fructus copioſiſſimi ſint.

Illud porrò dubitatur. Vtrum ſuſpẽſus à beneficio amittat ius conferendi, aut eligẽdi, quod ipſi ratione beneficij competit? Ita affirmat Nau. c. 27. man. n. 193. §. Henr. l. 13. c. 32. §. 4. Sairus l. 4. c. 6. n. 7 Sed contrariũ eſt probabilius. quod docent Abb. in cit. c. cùm Vintonienſis n. 10. cum Gl. ibid. ver. admiſerant, & idem Abb. in c. Apoſtolicæ n. 8. de except. Suarez diſp. 27. n. 34. Coninck concl. 5. & alij plures: Quia collatio & electio non propriè numerantur inter beneficij fructus, quorum perceptio ſuſpenſo interdicta eſt: cùm potiùs ſint actus officij, & quaſi iuriſdictionis, ratione beneficij, competentis. Quamobrẽ canonis auctor, cùm ab vtroque tam beneficio, quàm iure eligendi ſuſpendere vult, idipſum exprimit, vt videre eſt in c. cùm in cunctis, §. vlt. de elect. Si ergo in canone non exprimatur, non eſt cur extenſionem faciamus in materia pœnali.

5 Corollarium III. Suſpenſus ab ordine exercere poteſt omnes actus iuriſdictionis, qui ordinis actualem vſum nõ requirunt, ſicut docet Caiet, ver. ſuſpenſio, Henriq. c. 32. n. 4. Sairus lib. 4. c. 6. n. 6. Auila cit. diſp. 2. dub. 1. concl. 3. Nau. c. 27. n. 160. Vgol. tab. 4. c. 6. §. 5. contra Abb. c. cùm dilectus, n. 20. de conſuet. Syl. ver. ſuſpenſio, n. 5. Quare Epiſcopus ſuſpenſus ab ordine, licet confeſſiones audire non poſſit: alteri tamen abſoluendi poteſtatem delegare non prohibetur, vt Henriq. notauit.

Corollarium IV. Suſpenſus à iuriſdictione exercere poteſt omnes eos ordinis, aut officij ſpiritualis actus, qui iuriſdictionem non requirunt: cuiuſmodi eſt ſacrificare, in choro officiatorem agere, officium cuſtodis, vel adminiſtratoris Eccleſiaſtici exercere, ſicuti docent Caiet. Nau. Sairus & alij ll. cc. Suarez diſp. 26. ſ. 4. n. 16. Gl. in c. tranſmiſſam, de elect. Auila. cit. dub. 1. concl. 8. At verò eos actus ordinis, ad quorum ſubſtantiam requiritur iuriſdictio, vti eſt abſolutio à peccatis, ne validè quidem exercere poteſt: Sed neque eos actus ordinis aut ſacra officia, quæ ſine iuriſdictione licitè non fiunt, ſuſpenſus à iuriſdictione exercere debet. Quare peccat Parochus ita ſuſpenſus, inquit Suarez, ſi Sacramenta miniſtret ouibus ſuis, vt paſtor ordinarius: & Epiſcopus, ſi ſubditis ſuis ordines conferat: quemadmodum etiam peccat, ſi alteri ordinandi licentiam tribuat. Quæ tamen doctrina limitanda eſt, niſi ex circunſtantiis colligi poſſit, non fuiſſe mentem ſuſpenſionem ferentis, eiuſmodi etiam ſacra miniſteria interdicere.

Corollarium V. Suſpenſio ab ordine Epiſcopali extẽdit ſe ad eos tantùm actus Ordinis, qui Epiſcopo proprij 6
ſunt, & Sacerdoti iure ordinario competere non poſſunt. Cui affinis eſt ſuſpenſio à Pontificalibus, per quam per ſe ac directè prohibetur vſus inſignium Epiſcopalium, videl. mitræ, baculi, pallij: per accidens verò & conſecutiuè omnia Epiſcopalia ſolemnia officia, quæ ſine eiuſmodi inſignibus exerceri non debent: qualia ſunt ordines conferre, confirmare, Eccleſias, altaria, virgines conſecrare, &c. ſecundùm Gl. in extrau. ſuſcepti regiminis, ver. à Pontificalibus, Sairum lib. 4. c. 4. n. 14. Interim tamen conceſſum eſt Epiſcopo ita ſuſpenſo, Miſſam priuatam ſine Pontificalibus celebrare, confeſſiones audire, iuriſdictionem forenſem exercere.

Corollarium VI. Suſpenſio ab officio Sacerdotis, qualis habetur in c. literas, de tempor. ordinat. extendit ſe ad omnem actum proprium Sacerdotis: cuiuſmodi eſt Miſſam celebrare, Sacramentum Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ vnctionis miniſtrare, ſolemniter baptizare, vel benedicere. Non verò ſe extendit hæc ſuſpenſio ad actus ordinis inferioris: quare non prohibetur Presbyter ſuſpenſus ab officio Sacerdotis, Epiſtolam, vel Euangelium ſolemniter canere.

Sed dubium eſt, vtrum ſuſpenſus ab ordine inferiore, v. g. Epiſcopus ab officio Sacerdotis, poſſit exercere actus ordinis ſuperioris, videlicet Epiſcopales? Doctores plerique negant apud Suarez diſp. 26. ſ. 4. talem regulam tradentes *Suſpenſus ab ordine inferiore, cenſetur etiã ſuſpenſus à ſuperiore, non vice verſa. Nam cui non licet quod minus eſt, non debet licere quod eſt majus*, arg. l. relegatorum, §. vlt. ff. de interdictis, ibi: *Eſt enim perquam ridiculum, cum quis minoribus honoribus, pœnæ cauſa prohibitus eſt, ad maiores aſpirare: maioribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.* Verùm hanc regulam Sairus lib 4. c. 3. reg. 1. Sa ver. ſuſpenſio, n. 8. Coninck dub. 2. n. 10. Suarez cit. loco. n. 14. probabiliter reſtringũt ad actus inter ſe connexos, ita vt in exercitio ordinis ſuperioris contineatur exercitium ordinis inferioris, à quo aliquis ſuſpenſus eſt: ſic v. g. Presbyter ſuſpenſus ab officio Diaconi, conſequenter etiam ſuſpenſus cenſetur à ſacrificando: cùm ſacrificium non fiat ſine Euangelio: idque ob iuris regulam 84. in. 6. *Cùm quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.* Alia autem Sacerdotis munia vt confeſſiones audire, ſolemniter baptizare. benedicere, &c. taliter ſuſpenſus Presbyter præſtare poſſet, licet non decenter: attamen vt irregularitatem non contraheret. Eadémque ratio eſt, ſi ſuſpenſus ab exercitio actus inferioris, ſuſcipiat ordinem ſuperiorem, peccat quidem propter indecentiam: ſed irregularis fieri non videtur: cùm non propriè exerceat actum ordinis, à quo ſuſpenſus eſt.

Illud verò adhuc probabilius eſt, quod docent Suarez & Coninck. ll. cc. contra Henriq. c. 32. n. 2. Syl. ver. ſuſpenſio quæſt. 5. Auilam p. 3. diſp. 2. dub. 2. concl. 11. Sairum lib. 4. c. 4. n. 19. Vgol. tab. 4. c. 6. §. 6. n. 3. Epiſcopum ſuſpenſum à collatione ordinum minorum, poſſe tamen conferre ordines maiores: quia horum collatio neceſſariò connexa non eſt cum collatione minorum, aut primæ tonſuræ: cùm nihil obſtet, in aliqua Ec-

clesia sacros ordines conferri ijs, qui minoribus iam initiati sunt. Accedit in arbitrio Superioris positum esse, prohibere alicui quod minus est, non prohibito eo, quod maius est: præsertim si in vsu minoris, & non maioris delictum commissum fuit; vt in eo quis puniatur, in quo deliquit, c. literas, de tempor. ordinat. Qua simili ratione Episcopus suspensus ab officio confirmandi, non ideo suspensus censetur ab officio consecrandi, & ordinandi: quamuis hæc maiora sint, sed non connexa.

Ad extremum duo nota: I. Quòd suspensus ab officio, ordine, aut iurisdictione, actus eiusmodi Ecclesiasticos in omni loco exercere prohibeatur, vti notant Gl. Abb. & alij in c. pastoralis, §. verùm, de appellat. Sairus lib. 4. c. 5. n. 7. Vgol. tab. 4. cap. 6. §. 2. num. 4. Cùm enim censura immediatè personam afficiat, ideo comitatur eam etiam extra territorium ferentis; ita, vt suspensus vel excommunicatus in vno loco, vbique ligatus sit, donec legitimè absoluatur: *Excommunicatio*, inquit idem Abb. in c. ad reprimendam, n. 2. de offic. Ordin. *afficit personam, eámque sequitur, sicuti lepra leprosum.* Eadémque ratio est de alijs censuris.

Alterum. Ex vi censuræ suspensionis non tenentur fideles vitare suspensum, etiam denũtiatum: cùm id nullo iure cautum sit. Quamuis lex charitatis postulat, vt Clericum ab officio suspensum sine causa non inducam v. g. ad celebrandum, quando sine peccato & irregularitatis nota celebrare non potest. Sin verò iusta causa adsit à suspenso non denuntiato sacrificium petendi, tunc is licitè parere potest, post extrauag. Concilij Constantiensis, indulgentis fidelibus, vt suspensos, antequam denuntiati sint, vitare non teneantur, sicuti notauit Coninck citat. dub. 2. in fine.

CAP. II.

Quis possit censuram suspensionis ferre, & in quos?

SVMMARIVM.

1 *Qui excommunicare, is etiam suspendere potest: ac vice versa.*
2 *Omnes & soli clerici, præter Papam, capaces sunt censuræ suspensionis. Episcopi tamen generali sententia interdicti, ac suspensionis non censentur comprehendi.*
3 *Non tantùm singulares personæ, sed etiam Communitas suspensione, vel interdicto ligari potest.*

1 ASsertio I. Quicunque excommunicationis cẽsuram ferre potest, idem & suspensionis; ac vice versa. Ita ex communi S. Anton. 3. part. tit. 28. cap. 4. not. vlt. Syluest. ver. suspensio quæst. 2. Nauar. cap. 2. num. 159. Suarez disp. 28. sect. 1.

2 Assertio II. Omnes & soli clerici, præter Papam, suspensionis censuram incurrere possunt. Ita Caietan. ver. suspensio, Suarez s. 2. & alij plerique: quamuis Henriq. vt suprà notaui, non improbabiliter existimet, etiam in Abbatissam suspensionis censuram cadere posse. Illud verò priuilegio speciali Episcopis concessum est c. quia periculosum, de sentent. excommun in 6. vt generali statuto vel sententia interdicti, aut suspensionis non comprehendantur, nisi eorum expressa mentio fiat: idque *propter executionem Pontificalis officij, quod frequenter incumbit.* Dicendum tamen est, hanc causam impulsiuam quidem esse; sed non principalem & adæquatam, quæ potius videtur esse Episcopalis dignitas, sicuti colligitur apertè ex c. compromissarius, §. huiusmodi, de elect. in 6. Vbi Bonifac. ex eod. illo canone concludit, Episcopos non incurrere censuram suspensionis à beneficio, nisi eorum expressa mentio habeatur.

Hinc rectè inferri Suarez cit. s. 2. num. 6. dictum priuilegium competere Episcopo electo & confirmato, etiã ante consecrationem; quia episcopali iam dignitate prædictus est: quemadmodum & alia similia priuilegia, vt illud de eligẽdo confessore c. vlt. de pœnit. & remissionib. Item de vsu altaris portatilis, c. vlt. de priuilegijs in 6. confirmatis & necdum consecratis Episcopis competunt. Nam priuilegia à Principe concessa, si nemini sint præiudicantia, amplè interpretari conuenit, quatenus verborum proprietas permittit. Addit Henriq. cap. 34. n. 2. lit. x. suprà dictum priuilegium etiam ad R. E. Cardinales pertinere: quod est probabile, attenta praxi Ecclesiæ, per quam priuilegia Episcopis propter status dignitatem concessa, ad Cardinales ferme extendi solent, propter maiorem eorum dignitatem.

Assertio III. Non solùm personæ singulares, sed etiã tota Clericorum Communitas, v. g. Capitulum, suspensionis, (sicut & interdicti) censuram incurrere potest, vti constat ex c. quia sæpe, de elect. in 6. Ex quo colligitur, generalibus statuti, aut sententiæ verbis, *Quicunque id fecerit*, etiam Capitulum; tanquam personam fictam, comprehendi. Dupliciter autem censura in communitatem ferri potest: Primò collectiuè, vt ipsum v. g. corpus Capituli, obtinens ius alicuius beneficij, iurisdictionis, administrationis, ab eo suspendatur. Secundò, distributiuè, vt singuli è Capitulo dummodo noxij sint, eandem pœnam incurrant. Qui duo modi interdum coniunguntur, vt videre est in cit. c. quia sæpe, in quo tum Capituli corpus, tum singuli è corpore, bona Prælati defuncti occupantes vel diripientes, ab officiis & beneficijs suspenduntur, donec restituant. Verùm suspensio lata in Capitulum, si nihil aliud exprimatur, neque ex adiunctis colligatur, extendi non debet ad personas particulares: quia vox capituli collectionem significat, non personas, sicuti notauit Suarez disp. 28. sect. 3. num. 5. 3

CAP. III.

Ob quam causam suspensio ferri possit.

SVMMARIVM.

1 *Censura suspensionis non incurritur sine propria culpa.*
2 *Plerumque requirit culpam mortalem: quamuis nihil obstet leuem suspensionem propter venialem culpam alicui imponi.*
3 *Suspensio interdum fertur ob culpam merè præteritam: licet talis propriè censura non sit: quamobrem neque per absolutionem tollitur: sed alijs modis.*

ASsertio I. Nemo suspensionis censura ligari potest, nisi qui peccauit: siue, vt alijs verbis dicam, censura suspensionis propriè dicta non incurritur, nisi ob culpam propriam. Ita Caiet. ver. suspensio. Nau. c. 27. n. 151. & 165. Suarez disp. 28. s. 4. Coninck cit. disp. 15. d. 3. concl. 1. Auila p. 3. disp. 3. dub. 2. concl. 2. Ratio est: Quia suspensio est propriè dicta pœna, quippe directè alicui adimens vsum Ecclesiasticæ potestatis: Pœna autem requirit culpam in eo qui punitur, arg. c. 2. de Const. Ergo, &c. 1

Assertio II. Ad incurrendam suspensionis censuram, qualis in sacris canonibus decreta est, & communiter etiam ab homine imponi solet, requiritur culpa mortalis. Ita intelligendus est Henriq. c. 34. n. 4. Auila p. 3. disp. 3. dub. 3. concl. 2. Coninck cit. dub. 3. concl. 2. Ratio est: Quia pœna debet esse commensurata culpæ: suspensiones autem ab officio, à beneficio, ab ordine, à iure eligendi, beneficia conferendi, &c. sunt pœnæ graues. Ergo requirunt culpam grauem seu mortalem. Interim nihil prohibet, quin propter leuem siue venialem culpam, leuis suspensio imponatur, puta ab vno electionis actu, à lucrandis vna altera vice distributionibus, Missa celebranda ad tempus breue, sicuti docet Caiet. ver. suspensio, 2

Nau. c.

Nau.c.27.n.151.159.Henriq.l.c.Suarez disp. 28.f.4.Auila concl.1.

3 Assertio III. Suspensio interdum fertur ob culpam merè præteritam; & quidem varijs modis: I.in perpetuum, & sine spe relaxationis.quo casu, si suspensio totalis est ab officio, beneficio, vel ordine, habet vim depositionis, irregularitatis, aut priuationis beneficij.II.ad certum tempus, v. g. triennium, quo transacto, suspensio perse ipsam expirat.III.Donec Reus satisfecerit, restituerit: quare exhibita satisfactione, suspensio ipso iure absque alia sententia tollitur,iuxta c. quia sæpe, iun. ver. donec, de elect. in 6.IV.ad beneplacitū Superioris, cuius proinde declarata voluntate remittendi seu reuocandi suspensionem,sine alia absolutione expirat; Imo etiam mortuo vel deposito Superiore suspensio cessat, nisi sit posita ad beneplacitum Sedis, quæ non moritur. Quamquam hi omnes suspensionis modi non sunt propriè dictæ cēsuræ, sed meræ spirituales pœnæ, sicuti Abb. annotauit in c. sæpe contingit, n. 16. de appellat. & constat ex dictis par. 1. c. 2. & 3.

Alia igitur est propriè dicta censura suspensionis, quæ Iudicis canonicam monitionem, & rei contumaciam requirit: ideóque absolutione indiget, posteaquam contumacia deposita est. Vide Nau. c.27. n.151. & 159. Syl.ver. suspensio q. 4. Suarez disp. 25. f. 1. Coninck dub.2. n.16. & dub.4.

Porrò quibus in casibus iure communi suspensio lata sit, dicam proprijs locis. Interim videri potest S. Anton. 3. p. tit.27. Angelus ver. suspensio, 1. S. l. q. 6. Palud. in 4. d.18. q. 7.a. 2. Nau. c. 27. n. 154. Tolet.lib. 1 c. 48. & 49. Henriq. lib.13 c. 6. & seqq. Sairus in thesauri lib. 4. c. 12. & seqq. Suar. de censuris disp. 31. Coninck c. 2. disp. 15. dub.5.

Cap. IV.

Quibus modis suspensio tollitur.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio lata ad certum tempus, eo elapso, per se cessat.*

2 *Suspensio, quæ propriè censura est, ob contumaciam lata, absolutione indiget.*

Parochi communi iure à suspensionibus absoluere non possunt.

3 *Suspensio, quæ propter peccatum præteritum & pura pœna imposita est, vel in perpetuum, vel ad tempus certum, si relaxanda sit, remedio dispensationis indiget, quam inferior Prælatus iure proprio & ordinario facere non potest.*

Qui tamen priuilegium, vel generalem commissionem habent absoluendi à suspensionibus, etiam tales tollere possunt.

1 SVspensio tribus modis tolli potest: Primò, si ob delictum præteritum imposita est ad certum tempus, v. g. ad triennium, vel sub conditione, *donec restituerit*; elapso tempore, vel impleta conditione, per seipsam cessat, sine alia Superioris declaratione. Ita Gl.recepta in Clem. 1. ver. donec, de decimis, Couar. in 4. decret. p.2. c.6. in princ. n. 18. & 19. Nau. cap. 27. n.161. Henriq. lib. 13. c. 35. n. 2. Auila p. 3. disp.6. dub. 1. Suarez disp.29. f.1. n.1.

2 Secundò; Per absolutionem tollitur ea suspensio, quæ propriè dicta censura est, propter contumaciam inflicta, cum expressa vel tacita lege, vt tunc & non antè absolutio danda sit, quàm si à contumacia seu inobedientia recedatur, sicuti explicat Suarez disp.29. f.2. n. 1. Atque à tali suspensione iuris dicendū est, Episcopum, vel alium quasi Episcopali iurisdictione præditum absoluere posse, si sedi Apostolicæ specialiter reseruata non sit, arg. c. nuper, de sent. excommun. & c. ex literis, de constit. & tradit Innoc. in c.2. de Solut. ibid. Abb. n. 5. Syl. ver. suspensio, q.8. S. Anton. p.3. tit.27. c. 4. §. sed quæritur, Couar. p. 2. decret. c.6. princ. num.17. Nauar. c.27. n.162. Auila p. 3. disp. 6. concl.3. Suarez disp. 19. f.2. num. 6. Quamuis Sairus in thesauro lib. 4. c. 17. num. 8. & alij apud Suarez l. c. arbitrentur, suspensionem propter contumaciam latam, per se ipsam cessare, si Reus à contumacia recessit, vt nulla absolutione opus sit: sed sententia, quam dixi, vsu recepta est.

Porrò Parochi, aliíque expositi Confessarij non possūt absoluere à talibus suspensionibus etiam iure communi non reseruatis: nisi speciale priuilegium, vel delegatam potestatem acceperint ab eo, ad quem iure ordinario talis absolutio spectat. Ita notauit Henriq. cit. c.35. n. 2. Auila p.3. disp.6. conclus.2. Alia verò ratio est de excommunicatione, quippe cuius absolutio ordinariè antecedere debet absolutionem à peccatis, sicuti dixi hoc tract. p. 2. cap.6. num. 1. & 2. Non item absolutio à suspensione & interdicto. Si tamen Episcopus alicui Parocho v.g. committat potestatem absoluendi à casibus Episcopalibus, poterit ille etiam ab eiusmodi suspensionibus absoluere: cùm talis delegandi facultas nullibi reperiatur Episcopis interdicta.

Tertiò tollitur suspensio per relaxationem seu dispensationē, si videlicet lata fuit propter peccatum commissum seu præteritum, tanquam pura pœna. Quod duobus modis fieri potest: Primò ad certum tempus, v. g. *Quicquid fecerit, per triennium ab officio, aut beneficijs suspensus maneat:* ante cuius terminum si pœna relaxanda sit, per dispensationem id fieri debet ab auctore canonis, aut eius successore, delegato, &c. non item ab inferiore v.g. Episcopo: quia sicut legem Superioris, ita & annexam ei pœnam inferior soluere non potest, sicuti notat Gl. recepta n. c. cupientes, §. cæterùm, ver. suspensos, de elect. in 6. S. Anton. p.3. tit. 28. cap. 4. Couar. in 4. decret. p.2. c.6. princ. n.18. Sanchez lib 3. de matrim. disp. 52. Addit verò Suarez disp. 29. f.1. num.20. idem dicendum esse, si lex canonica præcipiat ob tale delictum imponi suspensionem v.g. triennalem, non posse talem pœnam ab inferiore, puta Episcopo, iure proprio & ordinario coarctari, aut in ea dispensari, *quia facti quæstio*, ait Papinianus l. 1. ff. ad S C. Turpill. *est in arbitrio iudicantis: pœnæ verò persecutio non eius voluntati mandatur, sed legis auctoritati reseruatur.* Secundò, suspensio ob delictum commissum seu præteritū, vt pura pœna ferri potest in perpetuum, sine spe relaxationis ordinariæ. Et tunc certum est, inferiorem, puta Episcopum, in tali canonis suspensione dispensare non posse, nisi in casibus specialiter concessis, sicuti docet S. Anton. p.3. tit. 27. c. 4. §. sed quæritur, Abb. in cit. c.2. de solut. n. 5. Syl. ver. suspensio, q.8. Nauar. c.27. n 162. Quia auctor canonis, dum talem suspensionem perpetuam, & irremissibilem imponit, eo ipso sibi reseruare censetur. 3

Dubium verò est, si suspensio ob delictum commissum lata sit absolutè, sine temporis determinatione, atque sine expressione vt perpetuò duret, aut non relaxetur: vtrum censuris suspensionum annumerari debeat, quas dixi absolutione tolli, etiā ab Episcopo, si expressè reseruatæ non sint; an potius puris pœnis annumeranda, quas solus is qui tulit, vel eius successor, delegatus, &c. per dispensationem relaxare potest. Atque hanc posteriorem partem tenent Abb. in cit. c. tam literis, de testibus, & attestat. N. c. 27. num. 162. vbi negant: Episcopum dispensare posse in suspensionibus iure communi indefinitè latis propter delictum præteritum: quia talis suspensio habet rationem pœnæ; pœna autem absolutè lata censetur esse perpetua, & irremissibilis à iudice inferiore, iuxta l. seruus, C. de pœnis.

Verumtamen contraria sententia probabilis est, quam tenet Gl. in Clem. 1. de hæreticis, §. penult. ver. excommunicationis, & ipsemet Abb. in c. quàm sit, de excess. Prælatorum, in fine. Auila p. 3. disp. 6. conclus. 4. Suarez cit. sect. 1. num. 19. Si talem suspensionem Papa sibi non reseruauit, ab Episcopo, aut alio similem iurisdictionem habente, post peractam pœnitentiam & satisfa-

ctionem, tolli posse. Ratio est, quia cùm indefinitè fertur suspensio propter commissum delictum, ordinariè benignior interpretatio haberi potest, ac debet, non esse impositam vt pœnam merè vindicatiuam, sed potiùs medicinalem, & cum ordine ad duraturam contumaciam, seu inobedientiam qua cessante, seu secuta emendatione, per absolutionem, instar aliarum censurarum, quæ pœnæ nō absolutæ, sed medicinales sunt, tolli possit, ducto etiam argum. ex c. ex literis. de constitut. Accedit, quòd si auctor suspensionis voluisset esse perpetuam & irremissibilem, id expressisset, sicuti sæpe exprimere solet. Atque ex hoc principio rectè docuit Gl. in c. 1. d. 71. quam sequitur Less. lib. 2. c. 34. dub. 19. num. 93. Si quis ab alieno Episcopo ordines accepit Episcoporum proprium dispensatiuè permittere posse, vt in susceptis ministret, atque ad altiores ascendat, arg. c. Salomitanæ, d 63.

Porrò sciendum est, iure nouo Trident. Concilij sess. 24. c. 6. de reform. Episcopos absoluere posse ab omni suspensione etiam Papæ reseruata, quamuis vt pura pœna seu in perpetuum, seu ad certum tempus decreta sit: dummodo proueniat ex delicto occulto non deducto ad forum contentiosum. Ita notarunt Henriq. lib. 13. c. 35. num. 2. lit. s. in comment. Auila cit. disp. 6. dub. 1. conclus. 7. Etsi verò eiusmodi dispensationes, quæ vt puræ pœnæ feruntur, potiùs per dispensationem tolli debeant, vt suprà dixi: Doctores tamen aliqui, nullo obseruato discrimine, omnem suspensionem propter delictum seu in perpetuum, seu ad certum tempus impositam, absolutione auferri aiunt: quod verbum & in formula relaxationis indistinctè vsurpari solet: *Absoluo te à vinculo suspensionis, quod incurristi propter tale crimen, & restituo te ad executionem tui muneris ordinis; vel ad beneficium tuum*, vt videre est apud Syl. ver. absolutio, 6. dub. 2. Nau. c. 27. num. 161. Auilam in fine, p. 3. Suarez disp. 29. sect. 3. in princ. Eadémque ratione priuilegium à Sede Apostolica Confessarijs Societatis Iesu concessum, quòd fidelium confessionibus auditis, eos in foro conscientiæ absoluere possint à quibuscunq; sententijs, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis ex peccatis resultantibus, ad suspensiones iuris indistinctè se extendit, sicuti significat Auila part. 3. disp. 6. dub. 2.

Ad extremum moneo, ante absolutionem à censura suspensionis, si opus sit, exigendam esse satisfactionem, vel cautionem satisfaciendi parti læsæ: & in criminibus enormibus exigendum iuramentum parendi Ecclesiæ, vti notat Nau. c. 27. num 161. §. sexto, Auila p. 3. disp. 6. in fine. Henriq. lib. cit. c. 35. num. 3.

CAP. V.

De Depositione ac degradatione.

SVMMARIVM.

1 *Depositio, quatenus pœna canonica, est perpetua & irremissibilis Ecclesiastica persona ob enorme crimen remotio ab ordine, iurisdictione, aut beneficio.*
2 *Depositio aufert ipsum ius radicale seu titulum beneficij, aut iurisdictionis; in quo differt à pœna suspensionis.*
Crimen Sodomia exercentes ipso iure incurrunt priuationem ab officio & beneficio.
3 *Per simplicem seu absolutam depositionem non auferuntur priuilegia fori & canonis, sicuti per degradationem.*
4 *Degradatio alia est verbalis, seu sententionalis: & alia realis, seu actualis.*
5 *Realis degradatio non nisi ab Episcopo consecrato fieri debet.*
6 *Crimen, ob quod Clericus degradatur & seculari Iudici traditur, debet esse grauissimum.*

1 DEpositio latè sumta est, Remotio alicuius personæ à munere, aut dignitate, ob crimen, senium, aliúmve defectum; strictè autem, & sicuti hîc sumitur, est; Ecclesiastica pœna, per quam persona Ecclesiastica ob enorme crimen remouetur ab ordine, iurisdictione, vel beneficio, in perpetuum & sine spe remissionis. Quæ depositionis pœna cum suspensione magnam similitudinem gerit: quia vtraque est ab Ecclesiastico ordine: officio, aut beneficio: quare in solas Ecclesiasticas personas cadere potest. Quæ causa est, quòd in sacris canonibus hæ duæ pœnæ interdum promiscuè vsurpantur, sicuti notat Suar. disp. 30. s. 1. n. 10. Si tamen propriè loquendum sit, inter se differunt, quòd depositio, vt ipsum vocabulum significat, sit perpetua & irremissibilis remotio ab ordine, officio, aut beneficio: non item suspensio, sicuti clarè colligitur ex c. at si Clerici, de iudic. & docet Nau. c. 27. n. 152. Auila p. 3. disp. 1. Suar. cit. sect. 1. Quod quidem discrimen manifestum est, si loquamur de suspensionibus, quæ positæ sunt seu à iure seu ab homine, ad certum tēpus, aut sub conditione, vel indefinitè, adeóque sub tacita conditione donec emendatio secuta fuerit: nam hæ omnes simpliciter ac positiuè perpetuæ non sunt, sicuti est pœna depositionis. At verò difficile est ostendere, quo modo ea suspensio, quæ tanquam pura pœna seu vindicta in perpetuum lata est, à depositione differat. Qua in re dicunt Abb. in c. inquisitionis, num. 6. de accusat. Nau. cit. num. 152. Auila cit. disp. 1. dub. 2. Si suspensio in perpetuum, & sine spe restitutionis sit totalis, videlicet ab omni officio ac beneficio: cēsendā esse quasi depositionē.

Secundò ait Suar. cit. s. 1. n. 11. Quòd suspensio ab ordine positiuè perpetua vix differat à depositione: quia vtraque relinquit characterem indelebilem, atque initerabilem; & priuat tantùm legitimo vsu ordinis, sine spe restitutionis, saltem ordinariæ: nam extraordinariè nihil prohibet à Papa, vel etiam in casibus specialiter concessis ab Episcopo restitutionem fieri. At verò realiter degradatus restitui non solet per gratiam dispensationis, sicuti annotauit Abb. c. ex tuæ, nū. vlt. de Clericis non residēt.

2 Tertiò ait Suarez num. 4. Quòd suspensio à beneficio positiuè perpetua differat à depositione: quia depositio aufert ipsum titulum siue ius beneficij, & consequenter eius administrationem, ac fructuum perceptionem: insuper reddit personam inhabilem ad idem beneficium, vel ad omne beneficium consequendum, si depositio absolutè à beneficijs illata fuit. Hæc autem non ita se habent in suspensione, quippe quæ tantùm intelligitur esse à fructibus, manente interim radicali iure, seu titulo ipsius beneficij, vt suprà cap. 1. num. 1. dictum fuit. Similiter deposito à dignitate aut iurisdictione ipso iure & quasi dominio muneris priuat: quamuis executio per ipsum Reum facienda non sit: quia esset nimis difficile, si Reus se ipsum condemnare deberet, (præsertim de crimine occulto) sed cùm postea Reus conuictus condemnatur de crimine, cui ipso iure depositio à beneficio, vel officio annexa est, iuris fictione beneficium vel officium censetur vacasse à die commissi criminis, vti explicaui præc. tract. c. 15. num. 7. & in specie notauit Auila p. 1. dub. 7. concl. vn.

Quartò ait idem Suar. Quòd suspensio ab officio formaliter non includat, nec secum trahat depositionem à beneficio, nec vice versa: quare si in iure reperiatur lata depositio ab officio, etsi eam aliquis ob crimen incurrat, non ideo ipso iure beneficium etiam vacare censeri debet: quamuis Reus à Iudice postea priuandus sit. Cùm enim beneficium detur propter officium, haud dubiè indignus beneficio est, cui officij administratio perpetuò interdicta est, & ita colligitur ex c. eos etiā, dist. 81. & notauit Gl. super c. 1. causa 1. quæst. 3. princ. verb. annexa, & Suarez disput. 30. sect. 1. num. 14. Quanquam pœnæ depositionis, quæ in iure canonico ipso facto latæ reperiuntur, semper aut ferme semper continent vtramque priuationem, ab officio, inquam, & ab annexo beneficio, sicuti notauit Coninck tom. 2. disp. 16. num. 5. & videre est in cit. c. eos etiā, & c. 1. de homic. in 6. & in Bulla 70. Pij V. contra Sodomi-

Sodomitas edita, in qua omnes *Clerici, seculares & regulares, cuiuscumque gradus & dignitatis.* (adeóque etiam Episcopi ac Cardinales (*tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico eiusdem canonis autoritate priuantur.* Requiritur tamen ad huius ipsius pœnæ executionem sententia Iudicis, vt suprà dixi: & in hoc ipso casu notarunt Henr. libro 14.c.5.num.1.in comment.lit.f.Auila part. 7. disp. 4.dub.7.conclus.8.Suar.disp.31.sect.4.num.22. Qui omnes etiam aduertunt cum Nauar.cap. 27.numer. 250. ad hanc admodum grauem pœnam depositionis incurrendam non satis esse semel, aut iterum Sodomiæ scelus cōmisisse: sed requiri frequentiam actus, vt quasi per consuetudinem exerceri censeatur.

Crimina, quę depositione digna sint, siue ob quæ pœna depositionis à Iudice imponenda sit, numerant Doctores plerique: Furtum, homicidium, periurium, adulterium, & omnia eo maiora, vt virginis stuprum violentum, incestum, sicuti videre est apud Canonist.in ca. at si Clerici, &c.cùm non ab homine, vbi Abb.num. 4. de iudic.Syl.ver.crimen, & ver. degradatio, quæst.4.Na. c.27. num.248.Henriq.lib.13.c.55.num.3. Auilam. p. 4. dub.3.Sa ver. depositio, num.2.Sed placet mihi maximè resolutio Abb.in cit.c.at si Clerici, num. 33.& seqq.Debere esse crimen enorme, siue vnum ex maximis: quale autem hoc sit, non ex antiquis semper canonibus cognosci posse: (quia olim cùm seuerior disciplina vigeret, faciliùs imponebatur depositio, vti colligi potest ex c. presbyter, & seqq. dist.81.) sed Iudicis arbitrio relinqui, videlicet, vtrum sit enorme, seu vnum ex grauioribus secundùm se, siue ex obiecto: siue ratione circumstantiæ aut adiunctæ qualitatis, vt qui habet annexam irregularitatem indispensabilem, v.g.homicidium, vel iuris infamiam, aut publicum scandalum, aut diuturnam continuitatem, vel incorrigibilitatem. Ex quo rectè idem Abbas resoluit, sicuti & Auila, Sa ll.cc. Notorium concubinatum seu fornicationem, si post monitiones continuetur, esse sufficientem causam depositionis, idque apertè constat ex c. si autem Clerici, de cohabit. Cler. & mulier.& Trident.sess.25.c.14.de reform. Atque in sess.22. in decreto de obseruandis & euitandis in celebratione Missæ, præcipitur Episcopis, *vt neminem, qui publicè & notoriè criminosus sit, sacro altari ministrare permittant:* quòd si autem eiusmodi criminosus post monitiones, & minores suspensionis pœnas, se non emendet, haud dubiè deponendus erit. Vide Ab.l.c.

3 Dixi hactenus de depositione simplici & absoluta, cuius hoc proprium est, si per sententiam à Iudice alicui inferatur, quòd per eam depositus non amittat priuilegia clericalia fori & canonis. Quæ etiam causa est, cur ita depositum, sicuti & à beneficijs suspensum, Ecclesia alere teneatur, ne cum opprobrio cleri mendicare cogatur, sicuti docet Abb.cap.pastoralis, §.verùm, num.16.de appellat. Auila p.4.dub.1.conclus.3.cum Gloss. in cap. studuit, ver.& fui, distinct.50.Sed bene excipiunt Abb. loco cit.& Suar.disput.27. n. 5. sect.2.nisi in crimine, ob quod suspensus est, contumaciter adhuc persistat: tunc omnis prouisio ab Ecclesia ipsi subtrahi potest, vt ita magis perculsus resipiscat.

Cæterùm si Clericus ob crimen simpliciter depositus se non corrigat: sed in eodem vel simili crimine perseueret, tunc excommunicari debet: postea crescente contumacia solemniter anathematizari, ad terrorem maiorem incutiendum, iuxta c.debeat, 11.quæst. 3. & notauit Abb.cit cap.cum non ab homine, num.23.Quòd si ne ita quidem se correxerit, per secularem potestatem comprimendus, vt vel exilium, vel alia legitima pœna ei inferatur: atque ita habetur in cit.c.cùm non ab homine, de Iudicijs.

Dubium verò est, an Iudex secularis contra Clericum simpliciter depositum, & post monitiones excommunicatum, & anathematizatum, si incorrigibilis reperiatur, statim sine actuali Ecclesiæ traditione, aut etiam incorrigibilitatis declaratione, procedere possit? Quam quæstionem proponit Abb.in cit.c. cùm non ab homine, nu. 28.de iudicijs, & argum.eius textus cum Ioan. Andr. & Anton. de Butrio affirmat, si incorrigibilitas manifesta sit, puta si Clericus, post excommunicationem, & anathematis promulgationem, se Ecclesiæ ad agendam pœnitentiam in carcere, vel Monasterio (iuxta ca. tuę, de pœnis, c.vt famæ, de sent.excommun.& cap. nouimus, §. vlt.de verb. signif.) subijcere pertinaciter recuset, vel exinde effugiat, nec reduci possit: & multò magis si in crimine enormi iterum deprehendatur: cùm tunc Ecclesia non habeat ampliùs quod in talem Clericum statuere pòssit, seculari Iudici relictus videtur, quam sententiam docuit etiam Syl.ver.degradatio, quæst.6. Auila par. 4.dub.1. D. Martha tract.de iurisdict. cent.2.casu 13. num.14. *Si Clericus, inquit, depositus verbaliter iterat delictum, ex hac incorrigibilitate subest Iudici seculari, absque alia degradatione actuali, & traditione, si tamen incorrigibilitas surgat ex trina monitione.* Quamuis contrariam sententiam, quòd requiratur traditio actualis, vt Iudex secularis contra depositum procedere possit, indicat Gl.cit. ca. cum non ab homine, ver.postmodum, & clarè docent Tol.libro 1.c.50 §.aduerte, Suarez disp.30.sect.2.num.7. & 8.Quæ sententia tutior ac praxi Ecclesiarum conformior est: excepto, si necessitas in hoc casu aliud postulare videatur.

Venio nunc ad degradationem, quæ est pœna Ecclesiastica qua Clericus ab omni officio, ac beneficio Ecclesiastico depositus, Clericorū insuper priuilegijs per solemnē sententiā in perpetuū, & sine spe restitutionis exuitur Dicitur itaq; degradatio, quia per eā Clericus, quatenus fieri potest, extra gradum & statū Clericorum eijcitur: consequēter recidit sub iurisdictionem secularis Magistratus; à quo, perinde ac laicus, capi, incarcerari, & iuxta leges ciuiles de commissis criminibus puniri potest: eiusdémque inuasor aut percussor, quamuis iniustus, canonis excommunicationem non incurrit, secundùm communem Doctorum sententiam. In quo ipso maximè differt à depositione simplici, quippe per quam priuilegia canonis & fori non auferuntur. Idque discrimen notauit Gl. communiter recepta in c.2.de pœnis, in 6.ver. priuilegio clericali, Abb. c.cum non ab homine, num.5.de iudic. Iulius Clarus cum addit.lib.5.sent.§.practica criminalis, q. 74. num.1.Syl.ver.degradatio, q.6.

Porrò duplex est degradatio, sicuti colligitur ex c.2.de pœnis, in 6. Vna verbalis, seu sententionalis, quæ aliquādo etiam *verbalis depositio* appellatur: sed respectiua, quia ordinata est ad Reum postea cum actuali & solemni ceremonia degradandum, & Iudici seculari tradendum, quæ est altera & posterior degradatio, *actualis*, inquam, *realis* siue *solemnis*, vti appellatur à Trident. sess.13. c. 4. de reform. 4

Verbalis degradationis requisita solemnitas describitur in cit.c.2.de pœnis. Vt proprius Episcopus, assistentibus sibi alij sex Episcopis, in condemnatione Presbyteri: tribus autem in condemnatione Diaconi vel Subdiaconi iuxta c.felix, & seq.15.quæst. 7. coram his tanquam assessoribus, & iustitiam causæ cognoscentibus, sententiā in criminosū pronuntiet. Verū Concilium Trid.ci.c.4.de ref. satis esse decreuit, si loco Episc. totidem infulati Abb. vel si tales commodè interesse non possint, alij in Ecclesiastica dignitate constituti Clerici adhibeantur. Ad degradationem verò verbalē Clerici in minoribus tantùm constituti, sufficit proprij Episcopi autoritas, cū præsentia quorundā è Clero, Capitulū repræsentantiū, sicuti docet Gl.cōmuniter recepta. c. 2.ver.præsentia, exc.1.de excess. Prælatorū: Idq; seruādū, nisi aliud cōsuetudine receptū sit.

Facta autem degradatione verbali, seu sententionali, postea accedit Episcopus ad realem seu actualem de-

gradationem, etiam sine alijs Episcopis, aut Prælatis, sicuti apertè colligitur ex cit.c.2. & ex communi docet Abb.in c.qualiter,2.de accusat.num.11.Suarez sect.2.nu. 6.Atque criminosum iam antè per sententiam omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali legitimè priuatum, actuali etiam adhibita ceremonia,vestibus & ornamentis clericalibus,quasi spiritualis militiæ insignibus, spoliat, vel potiùs antea spoliatum solemniter declarat: adiuncta ea ipsa, vel simili verborum formula, qualis in ci.c.2.præscribitur.

5 Quare hoc etiam discrimen est inter degradationem verbalem, & actualem seu realem: quòd ista sit actus Episcopali ordini ex Ecclesiæ institutione annexus, qui proinde à solo Episcopo consecrato exerceri potest,sicut notauit Gl.communiter recepta in c. transmissam,ver. de talibus, Abb.num.4.de elect.Tol.lib.1.c.50.§. secunda est,Suarez disp.31.sect.1.num.18.& colligitur ex Trid. in suprà cit cap.4.vbi significat,verbalem depositionem seu degradationem (nam pro eodem accipit) etiam Vicario generali committi posse:cuius causa est, quia ad eã non requiritur potestas ordinis,sed solius iurisdictionis; quamobrem etiam Episcopus confirmatus per se,vel per alium eiusmodi actum exercere potest. Sed ad actualem ac solemnem degradationem non nisi consecratus Episcopus procedere potest,sicuti colligitur ex c.transmissam vbi id notat Gl ver.de talibus,de elect. Abb.in c.non potest,num.3.de sent.& re iudic.Quamuis nihil obstat, quo minùs id etiam alteri Episcopo cõsecrato delegari queat, sicuti Suarez notat cit.num.18.non item alteri non Episcopo,puta Vicario Generali: quia ea,quæ sunt ordinis committi non possunt nisi ijs, qui eundem ordinem habent, sicuti habetur in c aqua, vbi id notat Abb.num. 3. de consecrat.Ecclesiæ: Excepta tamen plenitudine potestatis Papalis, si loquamur de exercitijs ordinis ab Ecclesia institutis,& annexis.

Debet autem hęc solemnis & realis degradatio fieri præsente Iudice seculari,cui denuntiatur, vt Reum tanquam exutum iam Ecclesiasticis priuilegijs, in suum forum seu iurisdictionem recipiat: cum intercessione tamẽ, seu deprecatione *efficaci*, id est,serò & ex animo facta, *vt citra mortis periculum sententiam circa eum moderari velit*: ne videlicet Ecclesia cuiusquam hominis necem desiderare, aut procurare censeatur.Ita habetur in c.nouimus de verb.signif.

6 Crimen ob quod Clericus degradandus, & consequenter Iudici seculari tradendus est,debet esse vnum ex grauissimis: quorum aliqua iure expressa sunt:I.Crimen hæresis manifestum, si in eo Reus pertinaciter perseueret, iuxta c. ad abolendam, c. excommunicamus, de hæreticis, & c.1.eod.in 6. Si autem se corrigere paratus sit, recipitur:licet in perpetuum carcerem tradi possit, secundùm Gl.in cit.c.1.Mol.tract.3.disp.49. num. 15. Sin verò postea relapsus fuerit,non iterum recipiendus, sed degradandus est, cit.c.ad abolendam,§.illos autem,&c. super eo, eod.in 6.II.Falsatio literarum Papalium, c. ad falsariorum,de crimine falsi.Nisi Papa hanc pœnam in aliam, v.g.carcerem perpetuum, commutet, c. nouimus,§. pro illo, de verbor. signif.III.Sodomia frequentata, sicuti apertè colligitur ex Constit.Pij V. verb. priuilegio clericali.de quo suprà dixi num.2.ver.quartò:IV. Calumnia proprio Episcopo irrogata,c.si quis Sacerdotem,11.quæst.1.Quod tamen Gl.communiter recepta in c.cùm non ab homine, de iudiciis,Abb.c.at si Clerici,n. 37.eod.tit.Syl.verb.degradatio,quęst.2.Tol.lib.1.ca. 50. Auila p.4.dub.3.& alij rectè intelligunt ac moderantur, incorrigibilitas accesserit.Idque commune est omni crimini enormi,atque mortis pœna digno in laicis, v.g. homicidio simplici,vt ob tale crimen iteratò commissum Clericus seculari Magistratui tradi, seu relinqui possit,si si alijs pœnis ab Ecclesia infligi solitis corrigi non poterat,sicuti notarunt Abb.Tol.& Auila ll.cc. & colligitur ex cit.c.cùm non ab homine.Denique seu de iure, seu de consuetudine ob aliud crimen nimis enorme,atque Reipubl.valde perniciosum, Clericum degradari & seculari Magistratui tradi posse, docent Abb.in c.at si Clerici, num.39.& c.cum non ab homine, nu.6.de iudicijs, Syl. ver.degradatio,q.2.Tol.ci.c.50.§.tertia est,Auila cit.du. 3.Mol.tr.3.disp.49.num.19.Exempli causa ob homicidiũ non simplex (sicuti constat ex cit.c.cùm non ab homine) sed qualificatum videlicet parricidium,vel simile:item ob furtum non simplex,sed valde qualificatum ac sacrilegũ. Cùm enim pro eiusmodi criminibus qualificatis ac valde enormibus Ecclesia non habeat condignam pœnam, meritò Reus Iudici seculari relinquitur. Vide hac de re disputantem Cou.2.resol.c.20.n.7.Clarum li. 5. sentent. recept.§.fin.q.36.n.36.qui tandem in Iudicis atrocitatem facti cum omnibus circumstantijs attendentis arbitrio committit.

Ad extremũ nota,quòd Magistratus secularis in causa hæresis,vel alterius merè Ecclesiastici criminis cognoscere nõ possit:sed solũ exequi secundũ latam declaratoriã sententiã à Iudice Ecclesiastico,iuxta c.Vt inquisitionis,§. prohibemus,de hæret.in 6.At verò in crimine non merè, Ecclesiastico potest petere à Iudice Ecclesiastico processũ, vt eius iustitiã cognoscat,& postea Reũ sibi traditũ,suiq; fori effectũ puniat,sicuti notat Ab.in c.1.n.12.de off. ord.

PARS QVARTA.

DE INTERDICTO.

CAP. I.

QVID ET QVOTVPLEX sit interdictum

SVMMARIVM.

1 *Interdictum est censura priuans participatione Sacramentorum diuinorum officiorum,& Ecclesiastica sepultura.*

2 *Interdictum diuiditur in locale, ac personale. Vtrumque subdiuiditur generale ac partiale.*

3 *Interdictum locale grauius est quam personale.*

4 *Alia est diuisio interdicti in totale, & partiale cuius species quadam est, qua aliquis ingressu Ecclesiæ prohibetur.*



INterdictum definitur: Ecclesiastica censura, per quam participatio certorũ Sacramentorum, omnium diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. Ita sumitur ex c.non est vobis,de sponsal.c.quod in te, de pœnit. & remiss.& videre licet apud Palud.in 4.dist.18.q.8.S. Ant. p.3.tit.26.c.1.Syl.ver.interdictum, n. 2. Armillam eod. ver.num.4.Nau.c.27.n.164.Sotum in 4.d. 22.qu.3.art.1. Tol.lib.1.c.51.Henriq.lib.13.c.41.Couar.c alma,p. 2. §.1. num.2.Sairum in thesauro lib.5.c.1.num.7.Aulam p. 5. de cens.dis.1.Suarez disp.32. Coninck.tom.2.dis.17.dub. 1.Pro eius intellectu notandum: Licet interdictum cum alijs censuris materialiter nonnihil conuenire videtur: quia 1

quia omnes censuræ spiritualibus quibusdam bonis priuant: formaliter tamen distinguitur. Nam excommunicatio priuat diuinis officijs, Sacramentis, &c. quatenus continent sacram communicationem cum fidelibus. Suspensio priuat spiritualibus bonis, quatenus proueniunt ex potestate clericali, quæ per censuram impedita est. At verò interdictum priuat dictis spiritualibus bonis, quatenus habent rationem dispensationis, ac participationis, quam Ecclesia iustis de causis per interdictum subtrahere intendit.

2 Interdictum diuiditur in locale & personale. Locale est, quod immediatè locum afficit, prohibendo ne in eo sacræ illæ functiones fiant. Personale est, quod immediatè afficit personas, prohibendo eis participationem sacrarum illarum functionum. Differunt etiam inter se, quòd interdicto locali consequenter etiam prohibeatur tum indigenis, tum alienigenis participatio sacrorum officiorum: non absolutè tamen, sed in loco interdicto. Interdicto autem personali certis personis, aut toti Communitati prohibetur illa participatio absolutè, atque in omni loco. Interdum verò coniunguntur duo illa interdicta: vt & locus, v.g. ciuitas, & ipsa etiam Communitas seu incolæ ciuitatis secundùm se interdicantur: quod à quibusdam appellari solet interdictum mixtum.

Porrò interdictum locale subdiuiditur in generale, ac particulare. Generale est, quod fertur in locum generalem, id est, qui à Communitate, vt Communitas est, adeóque diuisis habitationibus occupatur: vt regnum, prouincia, ciuitas, parochia, villa, iuxta c. cùm in partibus, de verborum significat. Particulare est, quo interdicitur certus locus sacer, vnus, vel plures, v.g. parochialis Ecclesia, quo nomine comprehenduntur etiam capellæ, & cœmeteria contigua: Quemadmodum & nomine ciuitatis etiam suburbia comprehenduntur, licet ad alterius iurisdictionem pertineant, c. si ciuitas, de sent. excommun. in 6. Accessorium enim sequitur conditionem principalis: & alioquin parui penderetur interdictũ, si populus ad suburbia sacrorum officiorum causa confluere posset. Differunt autem inter se interdictum loci generale ac particulare: quia si ciuitas v. g. in interdicto, neque intra, neque extra ciuitatis Ecclesias diuina officia celebrare licitum est: Si autem ciuitatis Ecclesia, vna, plures, vel omnes in interdicto sint, licitum est extra has Ecclesias, v.g. in priuatis oratorijs diuina officia celebrare.

Interdictum personale similiter diuiditur in generale ac particulare. Generale est, quod fertur in Communitatẽ vt est corpus politicum, v.g. totam aliquam gentem, populum alicuius ciuitatis, pagi: item in Collegium, Capitulum, Academiam: cuiusmodi interdictum constringit omnia membra seu partes Communitatis, etiam innocentes, nisi speciali priuilegio eximantur. Particulare autem interdictum est, quod fertur in personam particularem vnam, vel plures: v.g. in Episcopum, Consulem ciuitatis: vel in omnes ac singulos tale facinus patrarunt, vel auxilium attulerunt, tametsi ignoti sint: nam etiam tali interdicto afficiuntur personæ, vt particulares sunt, & non vt membra alicuius Communitatis: vt proinde in hoc casu sint, quasi plura particularia interdicta, vna generali sententia comprehensa.

3 Quòd si inter se comparare velimus interdictum locale & personale: illud absolutè grauius censeri debet: quia in interdicto locali virtualiter etiam includitur personale non vice versâ. Nam locus nunquam interdicitur, nisi propter culpam vnius, vel plurium personarum, quæ proinde personaliter ac speciatim interdictæ censentur, vt nullo loco eis liceat sacris participare, iuxta c. si sententia, de sent. excommunicat. in 6. In interdicto autem personali Communitatis non prohibentur alij, qui ciues seu mẽbra Communitatis non sunt, sed negotij v.g. vel studiorum causa commorantur, in loco Communitatis sacra officia audire, sicut notat Syl. ver. interdictum 2. n. 13. Suar. disp. 32. sect. 2. num. 15. Coninck disp. 17. num. 12. Ex quo colligitur, etsi totus populus, seu tota Communitas ciuitatis interdicta sit: posse tamen in Ecclesijs sacra officia celebrari ianuis apertis, campanis pulsatis, &c. Excepto, si perturbatio oritura sit, & interdicti aditu prohiberi, vel excludi non possint, sicuti Coninck l. c. notauit. Deinde, si, interdicta Communitate, aliquis desinat esse membrum Communitatis, v.g. per domicilij mutationem, liberatur interdicto, cui ipse culpa sua causam non præbuit: contrà verò alij interdicto ligari incipiunt, qui in Communitatem interdictam de nouo recipiuntur, sicuti ex communi docet Auila p. 5. disp. 1. du. 4. concl. 4. Henr. l. 13. c. 42. n. 2.

Obijcies contra dicta. Censura interdicti habet aliquam rationem pœnæ spiritualis. Qui autem culpa carent, seu innocentes sunt, nullam pœnam merentur: Ergo interdicto ligari non debent. Resp. Innocentes, seu qui culpa sua interdicto causam non præbuerunt, per se ac propriè censura interdicti non ligari, sed tantùm per accidens: quia sunt in loco, vel è Communitate interdicta; quòd si inde transeant, cessat omne eorum impedimentum. Ex quo habemus, innocentes per interdictum propriè non puniri, quamuis damnum sentiant per accidens: quatenus id necessarium est ad noxios puniendos, absterrendos, & emendandos, nec non Ecclesiæ honorem defendendum ac stabiliendum.

Alia diuisio interdicti est, in totale ac partiale. Totale dicitur, quod omnes interdicti effectus habet: Partiale, quod non omnes: ad eum modum, quo suprà de suspẽsione dictum fuit. Etenim in hoc differunt suspensio & interdictum ab excommunicatione propriè dicta: quòd huius effectus connexi sint & separari non possint: non ita verò se res habeat in suspensione atque interdicto. 4

Partialis interdicti species quædam est, quâ prohibetur ingressus in Ecclesiam, cuiusmodi reperitur in c. sacro, de sent. excommun. & c. 1. eod. in 6. contra Iudicem Ecclesiasticum, non seruantem iuris ordinem in ferendis censuris Et in c. Episcoporum, de priuil. in 6. contra exemptos à iurisdictione Episcopi, si in loco interdicto celebrent, vel celebrari faciant, vel excommunicatos aut interdictos ad sacra officia, Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam extra casus iure concessos admittant. Vide Nau. ca. 25. n. 94. Henr. l. 13. c. 43. §. 3. lit. b. Et in c. exigit, de censibus in 6. contra Episcopos, in visitatione aliquid recipientes, contra c. p. Romana, eod. tit. nisi intra mensem restituant, quod acceperunt. Et in c. præsenti, de offic. Ordinarij in 6. & extrauag. Ne sede vacante, &c. contra Episcopos Ecclesiarum vacantium bona vsurpantes. Et in extrauag. de rebus Ecclesiæ non alienandis, contra Prælatos, qui bona Ecclesiæ non legitimè alienant.

Per hoc autem partiale interdictum prohibetur aliquis intra Ecclesiam officia diuina tum celebrare, tùm audire; &, si in tali interdicto sine pœnitentia moriatur, corpus eius in nullo loco sacro sepeliri potest, c. is cui de sent. excommun. in 6. & explicat Gl. ibid. Nau. c. 27. num. 170. Couar. c. alma, p. 1. §. 1. num. 3. Henriq. lib. 13. c. 32. num. 2. Auila p. 5. disp. 4. sect. 3. dub. 5. concl. 5. Suarez disp. 35. sect. 4. Nomine autem *Ecclesiæ* intelligitur omnis locus ab Episcopo deputatus ad publicum Missæ sacrificium, vel alia officia: in priuatis autem oratorijs talis interdictus celebrare: & audire Missam non prohibetur: atque intra ipsam quoque Ecclesiam priuatas orationes persoluere, sicuti ex communiore docent Nauar. Couar. Auila, Hen. Quamuis Suarezio n. 22. contrarium placeat, propter ca. latorem 33. q. 2. Denique secundùm Henr. & Auilam ll. cc. non prohibetur talis interdictus intra Ecclesiam sacramenta recipere, quod tamen verùm non videtur, cùm alij indubitanter contrarium doceant, Syl. ver. suspensio, q. 5. prope finem. Suar. disp. 35. sect. 4. n. 5. Gl. in c. præsenti. 5. q. 2. vbi regulam tradit: *Cui interdicta est Ecclesia*,

etiam sacramenta Ecclesiæ interdicta esse censentur. Id verò intelligo intra Ecclesiam: nam extra potest recipere Sacramenta, cùm & celebrare possit. Denique, si Clericus, cui ingressus Ecclesiæ interdictus est, tale interdictum violet, exercendo actum ordinis intra Ecclesiam, efficitur irregularis, ci. c. is cui, & docet Gl. in c. præsenti, ver. Ecclesiæ, de offic. Ordinarij, in 6.

Exempla veteris Ecclesiæ de interdicto Ecclesiæ habes apud Theodoret. lib. 5. histor. c. 17. & S. Ambros. epist. 28. qui Imperatorem Theodosium ob Thessalonicensium cædem, Ecclesiæ ingressu interdixit. Et apud Innocent. I. epist. ad Arcadium apud Niceph. lib. 13. c. 34. & habetur tom. 1. epist. Pontif. epist. 17. in causa S. Chrysostomi post mortem eius, data: *Vox sanguinis fratris mei, Ioannis, clamat ad Deum contra te, ô Imperator;* Et paulò post. *Eiecisti è throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis Doctorem, & vnà cum eo Christum persecutus es.* Et postea. *Itaque ego minimus, & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego te, & illam* (coniugem Eudoxiã) *à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri.* Nisi malis dicere, fuisse hanc speciem quandam excommunicationis partialis, ob culpam merè præteritam inferri solitam, donec digna pœnitentia & satisfactio acta esset, vt dixi suprà p. 2. c. 3. n. 5. in fine. & dicam lib. 5. tr. 6. c. 7. n. 3. Quid autem Arcadius Imperator Innoc. Papæ rescripserit reperies apud Glycam in annalibus, p. 4. Videlicet sibi quidem ea, quæ Chrysostomo gesta erant, ignota fuisse: *Eudoxiæ autem, filiæ tuæ, scito me parum moderatè pro ratione delicti mercedem retulisse: quo sanè factum est, vt ex eo mœrore & angustia difficili, grauissimóque correpta ægritudine decumbat. Igitur, quod superest, enixè obsecro, vt nos à segregatione liberes, nec multipliciter punias, non enim ipse Dominus idem ob delictum bis hominem percutit.*

CAP. II.

De effectibus interdicti.

SVMMARIVM.

1 *Quædam sacramenta, videlicet necessaria, in interdicto conceduntur.*
2 *Diuina officia omnia in interdicto prohibentur, sed hodie secundùm limitationem c. alma.*
3 *In loco interdicto nulli fideles sepeliri possunt, exceptis clericis, seu Ecclesiasticis personis, si personaliter interdicti non fuerunt, neque interdictum illicita diuini officij celebratione violarunt.*
4 *Personaliter interdictos in loco sacro sepelire licet, si denuntiati non fuerunt.*

1 TRes sunt effectus interdicti totalis: I. Vsus actiuus & passiuus Sacramentorum prohibitus est, c. quod in te, de pœnit. & remiss. c. si sententia, & c. vlt. de sent. excommun. in 6. quibus locis absolutè dicitur, in interdicto vsum Sacramentorum non concedi, præterquam in casibus iure exceptis.

Sunt autem exceptiones istæ: Primò tempore interdicti, atque in Ecclesia interdicta ministrari potest Sacramentum Baptismi, c. responso, de sent. excom. c. quoniam, eod. in 6. præmissis etiam ijs, quæ sunt veluti dispositiones ad Baptismum, catechismo, fontis benedictione, &c. quamuis hanc fieri oporteat, sicuti & alia officia diuina, cum moderatione c. alma, vt postea dicam.

Secundò, Sacramentum Confirmationis in Ecclesia interdicta solemniter ministrari potest, atque in eum finẽ sacrum chrisma in die Cœnæ Domini consecrari, sicut colligitur ex citatis iuribus. Neque prohibentur tum clerici, tum laici administrationi horum Sacramentorum interesse. Vide Suarez disp. 33. s. 1. n. 3.

Tertiò, Sacramentum Pœnitentiæ tempore interdicti omnibus ministrari potest; præterquam ijs, propter quorum culpam, dolum, aut fraudem sententia interdicti lata est, vel qui ad perpetrandum delictum consilium, vel auxilium præbuerunt: nisi delicto satisfecerint, vel satisfaciendo idoneam cautionem (pignoratitiam, fideiussoriam, vel si talem non possint, saltem iuratoriam) præstiterint, citat. cap. alma mater, de sent. excommun. in 6.

Quartò, Sacramentum Sancti Eucharistiæ morituris per modum viatici in interdicto ministrari potest propter canonicam regulam: *Quibus morientibus Pœnitentiæ sacramentum non negatur, neque Viaticum negari debet.* Adde I. Vt S. Eucharistia in mortis periculo existentibus ministrari possit, concessum est eam semel in quauis hebdomade renouare, celebrato sacrificio Missæ cum moderatione c. alma, ita habetur in c. permittimus, de sent. excom. II. S. Eucharistia ad ægrotos cum lumine, campanula, & fidelium comitatu solemniter deportari potest, sicut notauit Nauar. c. 27. num. 179. Sa ver. interdictum, num. 17. Coninck dub. 2. n. 44. Suar. disp. 33. s. 1. n. 27.

Porrò extra mortis periculum, prohibitum est sacrã Communionem fidelibus in interdicto ministrare: ijs exceptis, qui speciale priuilegium habent, quales nunc communiter sunt Religiosi ac Moniales, inquit Suarez, disputatione 33. sess. 1. n. 33. & videri potest Sa cita. n. 17.

Est autem hoc loco diligenter aduertendum: Vsum horum Sacramentorum tum actiuum, tum passiuum ab Ecclesia concedi in omni interdicto generali, & probabiliter etiam in locali speciali, sicuti docet Syl. ver interdictum 5. q. 7. nu. 9. Suarez disp. 33. sess. 1. & num. 3. colligitur ex cit. c. alma. ijs verbis; *vbi ciuitas, vel locus alius, vel vniuersitas interdicta existunt.* At verò non conceditur ijs personis, quæ in speciali interdicto sunt, seu directè, seu virtualiter quia videlicet culpa sua interdicto loci aut communitatis causam præbuerunt: hi enim perinde atque excommunicati, neque ad susceptionem sacramentorum Confirmationis, Pœnitentię, & Eucharistiæ admittendi sunt, priusquam Ecclesiæ satisfecerint, sicut colligitur ex cit. c. alma, & c. Episcoporum, de priuil. in 6. Neque item Ecclesiæ ministri, si in speciali interdicto sunt, ante eius relaxationem, absolutionémve, vllius sacramenti administrationem, extra necessitatis casum, vsurpare debent, sicuti docet Suarez disp. 33. sess. 1. Quia non minùs sacramentorum administratio, quàm diuinorum officiorum celebratio est prohibita interdictis: præter casus iure exceptos c. si sententia, de sent. excom. in 6. Iste autem casus nusquam excipitur, neque rationabiliter excipi potest, vt personaliter interdicti Sacramenta ministrent, extra necessitatem. Quamobrem Parochus, si in speciali interdicto est, vel interdicto loci aut communitatis causam præbuit, interim sacrum Viaticũ & alia Sacramenta non per se ministrare debet, si alius Sacerdos specialiter non interdictus haberi possit, cui vices suas deleget: cùm enim per censuram interdicti iurisdictione priuatus non sit, vtiq; delegandi facultatem habet.

De Sacramẽto extremæ vnctionis certũ est, interdicti tẽpore ministrari nõ posse, iuxta c. quod in te, de pœnit. & remiss. Et debet hæc prohibitio generatim accipi, vt nec laicis, nec Clericis vel Religiosis, si speciali priuilegio muniti nõ sint, hoc sacramẽtũ ministrare, vel suscipere liceat tametsi specialiter interdicti nõ existãt: quæ est cõmunis sent. contra Pal. ci. d. 18. q. 8. o. 2. con. 5. Illud tamẽ non est improbabile, quod docet Ioan. Chapeauille de modo ministrandi sacramenta tẽpore pestis c. 4. q. 3. In casu necessitatis, si infirmus aliud sacramentũ recipere nõ possit, licitũ esse extremã vnctionẽ ei ministrare propter ea quod Ecclesiæ sacramẽta, quatenus ad salutẽ necessaria, ideóq; etiã in præcepto sunt, denegare interdicti tẽpore non intẽdat.

De sacramento Ordinis similiter certum est, tempore inter-

interdicti conferri non posse: Cùm sit generalis regula c. si sententia, de sent. excommun. in 6. In interdicto non esse licitum percipere sacramenta, nisi in casibus iure exceptis sacra autem ordinario nullibi excipitur. Ergo & ipsa simpliciter ac vniuersim interdicta censeri debet. Nam vbi aliquid generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum, Clem. exiui, §. porrò, de verb. signif. Quare non rectè sensit Innoc. c. non est vobis, de sponsal. Clericos antè ordinatos, posse tempore interdicti ad superiorem ordinem ascendere: Sed contraria sẽtentia est communis, Abb. ibid. n. 8. Syl. ver. interdictum 5. q. 7. ad finem, Couar. c. alma, p. 2. §. 3. n. 4. Suarez disp. 33. s. 1, n. 45. Veruntamen in casu necessitatis atque penuriæ ministrorum, retinenda est doctrina Innoc. sacros ordines conferri posse, præsertim ijs, qui antè in clerum adscripti fuerunt, sicut etiam Abbas & Syluius ll. cc. notarunt.

De matrimonio dubitãt DD. Vtrũ interdicti tẽpore itẽq; tẽpore cessationis à diuinis, sine nuptiarũ benedictione, licitè celebrari possit? Suar. cit. s. 1. n. 50. putat esse negandum, propter generalem regulam: Quòd in interdicto (eademque ratio est de cessatione à diuinis) licitum non sit percipere sacramenta; præterquam in casibus iure exceptis: matrimonium autem exceptum non legimus: Ergo censeri debet interdicto comprehensum. Confirmatur. Excommunicatio minor facit illicitam matrimonij celebrationem: ergo multò magis interdictum.

Sed contraria sententia est communis & vera, Abb. in c. non est, de sponsal. n. 8. Syl. ver. interdictum, 5. n. 9. Nau. c. 27. n. 179. Henriq. lib. 13. c. 45. n. 3. Auila p. 5. disputatione 4. Coninck disp. 17. dub. 2. n. 48. Sanc. de matr. l. 7. disput. 8. Nam per interdictum aut cessationem solùm prohibetur participatio sacramentorum, quæ sunt ex Ecclesiæ dispensatione, seu ministratione: tale autem non est matrimonij sacramentum, cuius Ministri sunt ipsi contrahentes. Et verò, cùm matrimonium in substantia sua sit contractus naturalis, humano generi adeo necessarius: eius vsus non conuenienter prohiberetur alicui Communitati, vt per se patet. Ex quo sequitur, vt suprà citati Doctores notarunt, neq; in speciali interdicto personarum, matrimonij prohibitionem contineri. Cùm enim canones absolutè & indistinctè pronuntiant, in interdicto illicitam esse perceptionem Sacramentorũ: si hac prohibitione etiam matrimoniũ comprehenderetur, consequens foret, vt in interdicto tam generali, quàm speciali matrimonium prohibitum esset; quod cùm dici non possit, sequitur matrimonium in interdicto penitus non comprehendi. Ex quo etiam patet resp. ad confirmationem: Est enim disparitas, tum quia excommunicatio secundùm propriam rationem priuat cõmunicatione cum alijs fidelibus, qualis etiam est matrimonij contractus: Interdictum verò non priuat hominem commercio, & contractibus; tum quia excommunicatio, præsertim minor, facilè tolli potest per pœnitentiam & absolutionem, interdictum autem, quod etiam ab innocentibus contrahi solet, non potest ad arbitrium ipsorum amoueri.

2 Alter effectus interdicti est. Quòd celebratio & auditio diuinorum officiorum prohibetur, c. si sententia, c. vlt. de sent. excom. in 6. Nomine diuinorum officiorum comprehenditur imprimis sacrificium Missæ: deinde omnis publica ac solemnis oratio, seu deprecatio, quæ ab Ecclesia instituta est, vt à clericis ad Dei laudem celebretur: cuiusmodi sunt omnia sacramentalia, seu benedictiones, quæ nomine & autoritate Ecclesiæ à Sacerdotibus fiunt: non item priuata benedictio mensæ, personæ, itineris, &c. Horas quoque canonicas nomine diuini officij comprehendi, dubitari non debet: cùm canonicæ preces propriè institutæ sint, vt nomine Ecclesiæ à Ministris seu clericis peragantur. Tametsi verò alijs quibusdam concedatur, vt in Ecclesia solemniter officium hoc peragant, videlicet Monialibus, & cantoribus laicis; id censeri debet per accidens, vt nihilominus censeatur retinere nomen diuini officij interdicto comprehensi. Loquimur autem de publica horarij officij recitatione: nam priuatim clerici in interdicto locali vel personali officium recitare etiam obligantur, si beneficiati vel in maioribus constituti sunt: & possunt id agere bini, vel terni intra Ecclesiam: si ita instituatur, vt modus priuatæ orationis seruetur, atque excõmunicati & interdicti audire non possint, c. quòd in te, de pœn. & remiss. Vide Suarez disp. 34. s. 3. n. 10. & seqq. vbi monet extra Ecclesiam posse etiam plures quàm duos aut tres conuenire ad orandum priuatim, vt tamen à prohibitis non audiantur.

Porrò hæc ita ampla officiorum diuinorũ prohibitio postea limitata fuit in c. alma de sent. excommun. in 6. vt tempore interdicti *singulis diebus in Ecclesiis ac Monasterijs Missæ celebrentur, & alia officia diuina fiant, sicuti priùs* antè interdictum, *submissa tamen voce ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Circa quam concessionem quædam annotanda sunt: I. Hæc limitatio intelligi tantùm debet de interdicto loci generali: si autem ecclesia specialiter interdicta sit, non est concessum Clericis sacra officia dicto modo celebrare, sicuti excommuni docet Couar. c. alma, p. 2. §. 4. n. 1. Nau. n. 173. Sanc. l. 7. dis. 8. n. 18. Auila p. 5. disp. 4. s. 2. dub. 3. Suarez disp. 34. sess. 3. num. 33. cum Gl. in cit. c. alma, ver. Ecclesijs.

II. Nomen ecclesiæ in materia fauorabili latè accipiendum est, vt comprehendat omnia sacra loca, etiam hospitalia, & priuata oratoria, quæ ab Episcopo deputata sunt ad Missæ sacrificium, vel alia officia peragenda: Nam intentio Pontificis erat statuere, vt diuina officia tempore generalis interdicti peragerentur, sicuti si interdictum non esset, seruatis tamen illis conditionibus, quę est sententia Nau. n. 175. Suarez disp. 34. s. 1. n. 9. Auilæ cit. dis. 4. s. 2. dubio 3. Henriq. lib. 13. ca. 46. n. 1. ConincK citat. dubio. 2. numero 29.

III. Non tantùm sacrificia, sed etiam alia diuina officia Clerici in ecclesijs suis tempore interdicti celebrare possunt: imò debent, si beneficiati sint: alioquin distributionibus priuantur. cit. c. alma.

IV. Nomen clericorum, quibus relaxationem interdicti factam esse dixi, latè accipi debet, vt comprehendat omnes personas Ecclesiasticas tum incolas, tum alienigenas, etiam Religiosos vtriusque sexus, eorúmque Nouitios: Clericos item prima tonsura initiat, si beneficium habeant, aut ex mandato Episcopi Ecclesiæ alicui seruiant, vel in literarum studio, tanquam ad maiores ordines accipiendos versentur, iuxta Trident. sess. 23. c. 6. de reform. denique & clericos coniugatos cum virgine vnica, si & ipsi ex Episcopi mandato alicui Ecclesię inseruiant, sicuti docet Sotus in 4. d. 22. q. 3. a. 1. post concl. 4. Auila cit. s. 2. dub. 4. concl. 4. ConincK dub. 2. n. 30. contra Cou. c. alma, p. 2. §. 4. n. 4. ver. decimo. Ratio est; Quia intentio Bonif. VIII. in cit. c. alma fuit, prouidere, vt tempore interdicti officia diuina in Ecclesijs peragantur, sicuti priùs: ergo qui clerici priùs solebant, vel etiam debebant in ecclesia officia celebrare, id etiam possunt, vel debent præstare tempore interdicti.

V. Hæc relaxatio, siue indultum intelligitur tantùm in ordine ad clericos, vt per se, vel per vicarios suos, diuina officia in Ecclesijs peragere possint ac debeant, sicuti priùs solebant: dummodo non sint excommunicati, suspensi, neque specialiter interdicti: non item intelligitur respectu laicorum, quibus ad audienda, seu percipienda diuina officia nihil omnino indultum est, tametsi clericorum, vel canonicorum domestici sint: idque apertè colligitur ex cit. c. alma, iun. Gl. ver. interdictis, & c. licet, de priuil. in 6. vbi id notat Gl. ver. exclusis, Couar. c. alma, p. 2. §. 4. n. 4. Nau. n. 174. Auila cit. dub. 4. Suar. dis. 34. s. 1. n. 22.

VI. Missa, aliáque diuina officia non cantu solemni

sed voce ita submissa celebrari debent, vt ab ijs qui foris sunt, & à participatione officiorum excluduntur, percipi non possit. Sonus autem campanarum is tantùm prohibetur, quo populus ad diuina officia conuocari solet: non autem quo ad concionem, vel ad Angelicam salutationem, &c. Addunt tamen Doctores plerique, etiam tintinnabuli vsum ad sacram eleuationem prohibitam censeri.

VII. Si laici personaliter interdicti ac denuntiati sacrificio Missæ, aliisque diuinis officijs in loco interdicto præsentes esse velint, atque expelli non possint, clerici cessare debent, modò canon cœptus non sit. Ita colligitur ex cit. c. alma, ver. exclusis, & docet Auila part 5. disp. 1. dub. 1. concl. 3. Suarez disp. 34. s. 2. n. 9, qui tamen numer. 10. non idem sentiendum arbitratur, si locus interdictus non sit, sed solùm persona interdicta & denuntiata: multò verò minùs alij à sacrificio Missæ discedere debebunt, si personaliter interdictus, ac denuntiatus interesse præsumat, sicuti docet etiam Caiet. ver. interdictum.

Sequuntur nunc aliquæ limitationes seu exceptiones in ordine ad laicos? Prima prouenit ex incapacitate: qua ratione infantes à diuinis officijs non arcentur; cùm censuræ capaces non sint, & eorum præsentia moralis non censeatur, sicut docet Cou. c. alma, p. 2. §. 4. n. 5. Suar. disp. 34. s. 1. n. 34. & dis. 36. s. 2. n. 7. Auila p. 5. dis. 4. sess. 2. dub. 5. contra Nau. n. 168.

Altera exceptio ex necessitate prouenit: Si v. g. sacrificaturus habere non possit Ministrum clericum, adhiberi tunc potest laicus, specialiter non interdictus. Ita Henriquez lib. 13. c. 48. nu. 5. in fine, Sa ver. interdictum, n. 21.

Tertia est ex priuilegio; Cùm enim singulari personæ conceditur, vt tempore interdicti celebrare possit, vel audire diuina: tunc admittuntur etiam familiares domestici, siue qui personam priuilegiatam tanquam famuli vel officiales comitari solent, sicuti habetur in c. licet, de priuil. in 6. & explicat Henriq. l. c. Auila p. 5. disp. 4. s. 2. dub. 7. Probabile autem est, quòd docet idem Auila cit. s. 2. du. 6. Coninck cit. dub. 2. n. 27. contra Nau. c. 21. n. 3. Medina lib. 1. sum. c. 11. §. 13. Henriq. cit. n. 5. specialiter priuilegiatos non obligari ad audiendam Missam die festo: quia nemo priuilegio, specialiter sibi contra commune præceptũ dato, vti cogitur, argum. reg. 69. ff. & reg. 61. in 6. *Quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*: cederet autem in grauamen priuilegiati, si, dum alij laici liberi sunt obligatione missæ audiendæ, ille obligatus esset. Alia verò ratio est de clericis, quibus iure communi & ordinario concessum, ac præceptum est diuinis officijs interesse, horas canonicas in Ecclesia persoluere, iuxta cit. c. alma. Alia item ratio esse videtur de communione Paschali, quam vt mox dicam, omnibus specialiter non interdictis ordinario iure accipere concessum est, consequenter etiam sub præceptum cadere videtur, sicuti docet Suar. dis. 33. s. 1. n. 37.

Quarta exceptio traditur in cit. c. alma: Vt in quatuor præcipuis anni festiuitatibus, videlicet Natiuitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptione B. Virginis (quibus ex concessione Martini V. accessit festum Corporis Christi cum octaua) licitum sit sacrificium Missæ, & alia diuina officia sine vlla alia limitatione celebrare: nisi vt qui in speciali interdicto sunt, vel propria culpa generali interdicto causam dederunt, ad altare non appropinquent, intellige vel oblationis accipiendæ, vel S. Eucharistiæ sumendæ causa, sicuti explicat Suarez disp. 34. s. 1. n. 33. Coninck disp. 17. dub. 2. nu. 35. argum. cap. quia in omnibus, de vsuris. Alijs verò laicis omnibus in dictis festiuitatibus: clericis verò quotidie: sub Missa sacram Communionem accipere cõcessum esse videtur, ob generalem regulam, Si cui sacrificio vel assistere, vel inseruire absolutè permititur, etiam de eo participare, seu communicare permissum censetur: cùm sacra communio sit præcipua pars seu participatio sacrificij, sicuti notauit Suarez disp. 33. s. 1. n. 36. contra S. Anton. 3. p. tit. 26. c. 4. col. 3. Syl. ver. interdictum, 5. q. 1. Alia verò sacramenta, videlicet Extremæ vnctionis & Ordinationis his festiuitatibus ministrari nequaquam possunt, excepto vnico necessitatis casu, si in prouincia v. g. pestis tempore non essent Sacerdotes ad renouandam S. Eucharistiam pro morituris, sicuti probabiliter notat Abb. in c. non est vobis, de sponsal. Angelus ver. interdictum 6. n. 38. Auila p. 5. dis. 4. s. 1 dubio 8. contra Couar. c. alma, p. 2. §. 3. num. 4. verb. quintò.

Computari autem festiuitas debet secundùm morem Ecclesiasticum, à primis vesperis vsque ad secundas, adiuncto etiam Completorio, sicut probabilissimè docent Palu. in 4. d. 18. q. 8. a. 2. Co. p. 2. §. 5. n. 5. Ang. ver. interdictũ, 6. §. 18. Sua. dis. 34. s. 1. n. 39. arg. c. 2. de ferijs. Imò Sotus in 4. d. 22. q. 3. a. 1. concl. 4. Auila p. 5. disp. 4. s. 2. dub. 9. & 10. existimant, festiuitate Natiuitatis, Paschatis, & Pentecostes non vnum, sed tres vel quatuor dies festos comprehendi: ipsámque festiuitatem Resurrectionis & Pentecostes inchoari à Missa vigiliæ, quæ per anticipationem in Sabbatho cantatur, sicuti etiam Palud. annotauit ci. q. 8. a. 3. con. 7.

Tertius effectus est, priuatio Ecclesiasticæ sepulturę; id est, vt in loco sacro fideles non sepeliantur, c. quod 3
in te, de pœnit. & remiss. Quæ prohibitio adeo generalis est, vt etiam defunctorum infantium, & amentium corpora comprehendat: cùm ea ęquè vt adultorum corpora huius priuationis capacia esse possint, nullibi tamen statutum legimus, corpora defunctorum non personaliter interdictorum, & denuntiatorum, si in loco interdicto illegitimè sepulta sint, exhumanda esse: sed vice versa, corpora, quæ tempore localis interdicti in loco non sacro sepulta fuerunt, sublato interdicto, exhumanda & ad sacrũ locum transferenda sunt, sicuti ex communi docet Nauar. n. 176. Henriq. c. 44. n. 5. Auila p. 5. disp. 4. s. 3. dub. 2. Veruntamen nihil obstat in locali interdicto, quo minùs ij, qui specialiter interdicti non sunt, neque interdicto culpa sua causam dederunt, in quocunque loco sacro non interdicto sepeliantur, sicuti notauit Suarez disp. 55. s. 1. nu. 3. Auila cit. disp. 4. s. 3. dub. 1. concl. 2. Ratio est. Quia in locali interdicto personæ non sunt interdictæ, nisi comparatione loci interdicti.

Porrò in cit. c. quòd in te, concessum est, vt in interdicto locali corpora clericorum siue Ecclesiasticarum personarum, quæ personaliter interdictæ non sunt, (modò interdictum illicita diuini officij celebratione non violârint) in locis sacris etiam interdictis sepeliri possint, sine campanarum pulsu, in silentio, &c. Quamquam iure nouo c. alma, excipiendæ sunt quatuor festiuitates, in quibus sicuti alia officia, ita & clericorum exequiæ solemniter celebrari possunt. Non oportet tamen clericos in loco specialiter interdicto sepelire, si ad aliam non interdictam Ecclesiam commodè deferri possint, vti notat Syl. ver. interdictum, 5. q. vlt. Suar. dis. 35. s. 2. n. 4.

Sed quid sentiendum de sepultura in interdicto personali? Respondeo, tum clericos, tum laicos, non obstante 4
censura interdicti personalis (nisi aliud, videl. finalis eorum impœnitentia obstet) in Ecclesia non interdicta sepeliri posse, si denuntiati non sint, arg. c. sanè, 24. quæst. 2. *Quibus viuis communicamus, etiam mortuis communicare possumus*: interdictos autem personaliter non tenemur à sacris Officijs, quæ in loco non interdicto celebrantur, repellere, antequam denuntientur, post extrauag. Concil. Constantiensis *ad euitanda*: ergo neque eorum corpora ab eiusmodi sacro loco excludere. Cęterùm in interdicto personali generali sufficit Communitatem denuntiari, vt singula eius membra in sacris officijs, & sepultura, &c. vitare teneamur: cùm moraliter impossibile sit, omnes particulatim vt interdictos promulgare, sicuti notauit Suarez disputatione 37 sess. 2. num. 3. Coninck dub. 2. numer.

56. &

56. & 62. Auila p. 5. disp. 5. dub. 1. §. sed est aduertendum, etsi contrarium significet Sa ver. interdictum, n. 3.

Cap. III.

De violatione Interdicti, & decretis pœnis.

SVMMARIVM.

1 *Clericus violans interdictum personale, aut locale, mortaliter peccat.*

2 *Laici non seruantes interdictum locale, saltem venialiter peccant: nisi vis, aut fraus interueniat: vel si personaliter interdicti sint: his verò casibus mortaliter delinquunt, interdictum violando.*

3 *Pœna contra interdicti violatores communi iure decreta.*

Assertio I. Clerici, qui interdictum personale, vel locale contra iuris præscriptum violant, peccant mortaliter. quæ est communis sententia, quã solus Caiet.
1 ver. interdicti violatio in dubium reuocare audet. Ratio est. Quia lex interdicti potissimum ac directè in Clericos tendit: quare cùm materia grauis sit, obligat sub culpa mortali.

Interdictum personale violatur à clericis primò: Si personaliter ac specialiter interdicti actum proprium sui ordinis exercere præsumant: quo casu irregularitatem contrahunt. Secundò; Si personaliter ac specialiter interdicti sacris intersint, vel sacramenta sibi prohibita accipiant. Tertiò: Si aliquem personaliter interdictum post interdicti denuntiationem diuinis interesse, vel diuina celebrare permittant. Quod intelligitur de ijs, quibus Ecclesiæ regimen commissum est, vti ex communi notauit Auila disp. 5. dub. 1. conclus. 3. Henriq. lib. 13. cap. 46. num. 3.

Interdictum verò locale violatur à Clericis & Religiosis primò: Si celebrent diuina officia non obseruata moderatione c. alma; puta cum pulsu campanârum, voce elata, vt à laicis foris exaudiri possint, vel ianuis apertis, aut excommunicatis & interdictis non exclusis. Secundò; Si ij, quibus regimen Ecclesiæ commissum est, alios sine dicta moderatione, diuina officia in loco interdicto celebrare permittant, sicuti colligitur ex c. non est vobis, de sponsalib. ibi: *Ne celebretis, nec alium celebrare permittatis.*

2 Assertio II. Etiam laici peccant mortaliter, si interdictum personale generale violent. Quæ est communis sententia, propterea quòd tale interdictum eos directè afficit. Ita Sotus cit. q. 3. a. 1. concl. 6. Nau. n. 187. Suar. disp. 34. s. 6. & alij communiter.

De locali verò interdicto dubitant, vtrum laici personaliter non interdicti peccent, si illud non obseruent? Respõdeo, & dico I. Certum esse debet, quibusdã casibus qualificatis, eos mortaliter peccare: Videlicet, si per violentiam se officijs diuinis in loco interdicto ingerant, vel clericis iubentibus exire obtemperare recusent. Idémque dicendum videtur, si fraudibus ac mendacijs ingressum impetrent, v. g. fingendo se clericos, aut priuilegiatos: nam etiam talis fraus, non minùs ferme, quàm violentia, iniuriam erga Ministros Ecclesiæ in re graui continet. Præterea, si clericos inducant, vt coram ipsis officia diuina celebrent: multóque magis, si ipsi laici more clericorum officium v. g. canonicum in loco interdicto peragant. Quos casus videre potes apud Sotum l. c. Nauar. c. 27. n. 187. Auilam p. 5. disp. 5. dub. 2. Coninck dub. 3. n. 66. Henriq. lib. 13. c. 46. n. 3. qui tamen indulgentiùs quàm alij loquitur.

Dico II. Si laicus, etiam sine vi, fraude, sacramentum v. g. sacræ Eucharistiæ, vel aliud in loco interdicto administrari prohibitum accipit, videtur peccare mortaliter. Ita Coninck l. c. Suarez disp. 33. s. 2. n. 6. & disp. 34. s. 5. n. 9. Quia saltem inducit, vel cooperatur Clerico ad id, quod ipse sine peccato mortali agere non potest.

Dico III. Si laicus personaliter non interdictus, sine vi, fraude, scandalo, diuinis officijs solùm intersit, videtur peccare saltem venialiter. Quæ est communior sententia, contra Caiet. ver. interdicti violatio, Nau. n. 187. §. 18. & colligitur ex c. si sententia, de sent. excom. in 6. vbi dicitur, laicos tempore interdicti licitè audire diuina extra ciuitatem interdictam: vnde à sensu contrario colligitur, in loco interdicto licitè non audire. Ratio verò est. Quia etsi lex interdicti principaliter feratur ad clericos, ne laicos ad diuina officia in loco interdicto admittant, c. responso, de sent. excommun. c. non est, nobis, de sponsal. c. licet, de priuil. in 6. tamen pertinet etiam consequenter ad laicos: vt ipsi loco interdicto post promulgationem se non ingerant: Sicuti sententia excommunicationis principaliter afficit excommunicatum, vt cum alijs non communicet: secundariò autem & consequenter etiam alios, vt ab eius communicatione, post denuntiationem, abstineant. Quòd verò talis violatio interdicti localis in laico sit peccatum duntaxat veniale, probabiliter docent Syl. ver. interdictum, 6. n. 7. Sotus cit. dist. 22. q. 3. a. 1. concl. 6. Henriq. cit. n. 3. Auila cit. dub. 2. Ratio est. Cùm lex interdicti localis ad laicos directè ac principaliter non tendat; non videtur eius obligatio tam grauis respectu laicorum: quamuis Suarez disp. 34. s. 5. n. 9. excipiat sacrificium Missæ: cui assistere laicum putat esse mortale: quod tamen citati Doctores negant.

Pœnæ, quæ ob interdicti violationem ipso iure incurruntur, hæ sunt: Prima: Clerici non seruantes interdictum priuatur priuilegio, quod alioquin haberent, vt in loco sacro sepeliri possent, c. quod in te, de pœnit. & remiss. c. is cui, de sent. excommun. in 6. 3

Secunda: Si clericus personale aut locale interdictum violet, exercendo actum sacri ordinis, vel celebrando officia diuina, fit ineligibilis tam actiuè, quàm passiuè. Ita colligitur ex c. 1. de postul. Prælat. & c. is qui, §. is verò, de sent. excom. in 6. & docet Syl. ver. interdictum, 6. q. 2. §. secundum, Sotus cit. a. 1. concl. 5. Suarez disp. 34. s. 4. n. 28. Henriq. cit. n. 3. Auila cit. disp. 5. dub. 4. concl. 3. Coninck disp. 17. dub. 4.

Tertia: Clericus interdicti violator, videtur incurrere suspensionem ab officio, & consequenter à iurisdictione, sicut colligitur ex c. vlt. de excess. Prælator, vbi id notat Gl. ver. irritas, Sotus loco cit. Syl. q. 3. Couar. c. alma p. 2. §. 2. n. 2. Auila cit. dub. 4. concl. 2. Suarez disp. 34. s. 4. n. 16. quamuis repugnet Coninck dub. 4. n. 71.

Quarta: Religiosi tum exempti, tum non exempti excommunicationem ipso facto incurrunt, si enim aduertentes Ecclesiam Cathedralem matricem, vel Parochialem loci interdictum seruare, ipsi non obseruent, Clem. 1. de sent. excom. Vbi additur, id etiam accipiendum de cessatione à diuinis, indicta à Concilio Prouinciali. Vide Abb. c. num inter, n. 3. de consuet. Nau. c. 27. n. 146. Henriq. c. 46. n. 4. Auila p. 5. disp. 5. dub. 3.

Quinta: qui excommunicatum, aut interdictum denuntiatum, in loco sacro: vel alios contra iuris permissionem in loco interdicto sepelire scienter præsumpserit excommunicationis sententiam ipso iure incurrit, Clem. 1. de sepult.

Sexta: Dominus temporalis, qui compellit clericum in loco interdicto publicè ac solemniter celebrare diuina vel pulsu campanæ, aut voce præconis faciens populum conuocari ad audienda diuina: vel impediens, ne excommunicati vel interdicti ab Ecclesia exeant, dum in ea Missarum solemnia celebrantur, posteaquam à celebrantibus moniti fuerunt: & ipsi denique excommunicati aut inter-

dicti, si iussi exire, remanere præsumpserint, excommunicatonem Papæ reseruatam incurrunt, Clem. 2. de sent. excom.

Cap. IV.

Quis possit interdictum ferre, in quos & ob quam causam?

SVMMARIVM.

1 *Qui excommunicationem vel suspensionem, ijdem etiam interdicti censuram ferre possunt.*
2 *Qui locale interdictum ponit, eodem ipse per accidens ligatur.*
3 *Interdicto Clero, non censetur interdictus populus: neque vice versa.*
Neque interdicto clero, censentur comprehensi Religiosi, nisi ex materia, causa ferendi, aliisque circumstantijs contrarium appareat.
4 *Vt interdictum totale in determinatam personam ferri possit, videtur requiri culpa mortalis. Vt autem interdictum locale, vel generale in Communitatem feratur, requiritur peccatum valde graue, contumaciter commissum à capite, vel membris præcipuis alicuius Communitatis.*

1 Assertio I. Qui excommunicare, vel suspensionis pœnam ordinario iure imponere possunt; ijdem etiam interdictum personale, aut locale in personas, vel locum iurisdictioni suæ subiectum. Notant tamen Doctores, non esse in vsu, neque expedire, vt Prælati Ordinum locale interdictum ferant; nisi tales sint, qui etiam in plebem iurisdictionem habeant. Vide Suar. disp. 36. 2 sect. 1.

Assertio II. Si Ecclesiæ Pastor interdictum personale ferat in Communitatem, cuius caput est, ipsemet interdicto non ligatur: Secus est; si locale interdictum ponat. Ita ex communi Auila p. 5. disp. 2. dub. 4. Ratio discriminis est. Quia nemo à se ipso per se ac directè vinculo censuræ, quippe quod pœnale est, obligari potest; quamuis per accidens possit: Personale autem interdictum per se, ac directè afficit personas: locale autem ipsum locum, ex 3 quo per accidens redundat in personas.

Assertio III. Si sententia interdicti proferatur in clerum, non censetur comprehensus populus: & vice versa, si interdicatur populus, non censetur etiam interdictus clerus, nisi exprimatur. Ita habetur expressè in c. si sententia, de sent excommun. in 6. Ratio est. Quia in sententia pœnali mitior sensus preferri debet: quare, cùm sæpe populus ita accipiatur, vt à clero distinguatur, hæc acceptio eligenda est, si aliud non exprimatur.

Dubitant verò Doctores: Si clerus interdicatur, vtrũ hoc nomine censeatur etiam comprehensi Religiosi vtriusque sexus? Ita affirmat Nau. c. 27. n. 167. Couar. c. alma, p. 2. §. 1. n. 8. §. quintò his addendum, & aiunt esse communem. Sed contrarium docet Syl. ver. interdictũ, 2. num. 17. Armilla n. 10. Henriq. c. 42. n. 3. Auila p. 5. disp. 1. dub. 7. Quia licet nomine clericorum in materia fauorabili comprehendantur Episcopi, & Religiosi vtriusque sexus, eorumque Nouitij: non tamen in materia odiosa, sicuti notant Syl. ver. clericus, 1. §. 1. Armilla & Sa ibid. Et hæc posterior sententia vera est, nisi considerata interdicti materia, causa ferendi, aliisque circumstantijs, aliud intelligi possit, sicuti obseruauit Suarez disp. 32. s. 2. n. 17. Adde, interdicta localia etiam ab Ordinarijs locorum promulgata, à Regularibus in eorum Ecclesijs publicanda & seruanda esse, vt superiore cap. dictum est: & decreuit Conc. Trid. sess. 25. c 12. de regular.

Assertio IV. Probabilius est, requiri culpam mortalem, vt interdictum totale in certam personam delinquẽtem ferri possit. Ita Suar. disp. 36. s. 3. licet contrarium sentiat Sa ver. interdictum n. 7. Henriq. c. 50. n. 2. Auila disp. 3. dub. 2. Ratio est: Quia pœna tam grauis culpam grauem requirit. Loquor autem primò, de interdicto totali: nam partiale, videl. ab ingressu Ecclesiæ, vel à sacra Communione ad tempus breue, cùm sit pœna leuior, ob culpam leuiorem, seu venialem imponi nihil prohibet. Vide quæ dixi suprà de suspens. c. 3. n. 2. Secundò loquor de interdicto, quod ob propriam culpam alicui imponitur: nam si ob culpam alienam, secundùm omnes requiritur, vt mortalis sit. Quapropter, vt interdictum locale vel generale in Communitatem feratur, requiritur peccatum valde graue, imò grauius, quàm ad excommunicationem: idque contumaciter admissum seu à Capite, seu à pluribus aut præcipuis membris alicuius Communitatis, vti ex communi docent Sotus cit. q. 3. a. 1. concl. 3. Couar. p. 2. §. 1. num. 4. Henriq. cit. c. 50. n. 2. & 3. Auila cit. disp. 3. dub. 2. Suarez disp. 36. sect. 3. Quia haud dubiè grauissima causa adesse debet, vt multi etiam innocentes, per subtractionem rerum spiritualium, affligantur.

Porrò in extrauag. prouidè, de sent. excommun. inter communes decretum est, vt propter pecuniarium debitum *sine speciali & expreßa licentia Papæ, nulla prouincia, ciuitas, castrum, villa, locus, territorium interdicto supponatur.* Quamuis autem iste textus loqui videatur de interdicto locali, eóque generali tantùm, sicuti eum intelligit Gl. ibid. Abb. in c. cùm in partibus, de verbor. signif. Nau. num. 168. Suarez disp. 36. sect. 3. num. 8. aliqui tamen, vt Couar. p. 2. §. 1. num. 5. Auila p. 5. disp. 3. dub. 5. intelligunt etiam de speciali interdicto loci: Imò Auila dictam prohibitionem, ob rationis similitudinem, etiam ad interdictum personale generale extendit.

Cap. V.

Quibus modis interdictum tollatur, vel relaxetur.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum, sicuti & suspensio interdum fertur vt pura pœna, propter peccatum merè præteritum: interdum vt propriè dicta censura, ob præsentem contumaciam.*
2 *Per priuilegium absoluendi ab omnibus censuris, intelligitur etiam concessa potestas absoluendi ab interdicto personali speciali: non item tollendi interdictum locale aut personale communitatis.*
3 *Etiam Parochi, & alij expositi Confessarij absoluere possunt ab interdicto personali speciali, si reseruatum non est.*
4 *Destructa Ecclesia, aut ciuitate interdicta, non tollitur interdictum: sed adhæret solo.*

Notandum est: Quòd interdictum, sicut suspensio, duobus modis fertur. Vel vt pura pœna, propter delictum merè præteritum: vel vt propriè dicta censura, propter præsentem contumaciam. Quapropter interdictum partim per se cessat, elapso tempore, vel conditione sub qua lata est: partim verò absolutione indiget, ab eo qui potestatem habet. Quamuis aliqui apud Suar. disp. 38. sect. 1. num. 4. existiment, cessante contumacia per se tolli interdictum, sine absolutione. Sed oppositum est probabilius, & Ecclesiæ praxi magis conforme, vt de suspensione super. parte c. 4. num. 2. dixi.

Hîc verò breuiter aliqua dicenda sunt: I. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ iure communi imposita & non reseruata sunt, possunt tolli auctoritate Episcopi, vel alterius iurisdictionem habentis in Communitatem interdictam. Ita colligitur ex c. nuper, de sent. excommun. Porro ait Auila p. 5. disp. 6. dub. 1. conclus. 8. Nullum in iure reperiri locale interdictum, quod Papa sibi reseruârit: Interdicta autem personalia Communitatis interdum tacitè reseruantur, quando ad certum tempus, vel sub certa conditione imponuntur,

ante

ante cuius impletionem Episcopus dispensare non potest, nisi interdictum proueniat ex delicto occulto, non deducto ad forum contentiosum.

II. Regulares, aliique, quibus priuilegium concessum est absoluendi à censuris iuris in foro conscientiæ tantùm, non possunt tollere interdictum locale, aut personale Communitatis: cùm locus & Communitas pœnitentiæ foro non subijciatur, vt per se notum est.

III. Ab omni interdicto iuris personali, ac speciali absolutio dari potest, per priuilegium, quo conceditur potestas absoluendi ab omnibus censuris iuris. Ita ex communi Henriq. lib. 13. c. 35. num. 3. Auila cit. disput. 6. dub. 2.

3 Sed dubium est. Vtrum eiusmodi interdictum personale particulare, si absolutè & sine reseruatione latum sit à Parocho, aut alio quouis exposito Confessario post satisfactionem vel satisfaciendi cautionem tolli possit? Negant Henriq. c. 35. num. 2. Auila part. 5. disp. 6. dub. 1. conclus. 2. Sed probabiliùs affirmat Suar. disp. 38. sect. 2. num. 8. Coninck dub. 6. conclus. 3. Quia interdictum personale speciale non minùs quàm excommunicatio, prohibet à perceptione Sacramentorum, vt suprà dictum c. 2. num. 1. Ergo sicuti excommunicationem, si reseruata non sit, ante absolutionem à peccatis, quiuis expositus Confessarius tollere potest, arg. c. nuper, de sent. excommun. Ita & interdictum hoc personale.

IV. Quibus casibus interdictum ad Episcopo absolutè tolli, seu relaxari: ijsdem etiam ad tempus suspendi potest, v. g. interdictum loci, vel Communitati, propter incidẽtem festiuitatem, Principis aduentum, &c. Item interdictum speciale personæ, vt certo casu officium diuinũ celebrare, vel celebrationi interesse possit: Tali autem tempore, vel actu transacto, redit ius interdicti: Qua de re Henriq. cap. 51. num 4. Auila part. 5. disp. 6. dub. 1. In eóque differt interdictum à censura excommunicationis, quò hæc suspendi non potest, sicuti docent Doctores argum. c. cùm desideres, de sentent. excommun. contra Nauar. num. 165. Porrò, si interdictum totaliter suspensum est, eius executio interposita appellatione impeditur; secus, si suspensio interdicti fuit tantùm ex parte. Ita colligunt Doctores ex cap. dilectis, de appellat. & videri potest Syl. ver. interdictum, 3. quæst. 8. Suar. disp. 38. s. 3. n. 8. Auila dis. 6. dub. 4. concl. 6.

4 V. Interdictum personale Communitatis eo ipso expirat, quòd Communitas dissoluitur. Locale autem interdictum non extingitur, etsi locus, v. g. ciuitas, aut Ecclesia diruatur: quia ipsum solum censuram interdicti retinet, vt in eo diuina officia celebrari non debeant. Vide Suarez cit. disp. 38. s. 1.

CAP. VI.

De cessatione à diuinis.

SVMMARIVM.

1 *Cessatio à diuinis non est censura, nec propriè pœna: sed simplex prohibitio diuinorum officiorum, in signum mœroris, propter grauissimam iniuriam Ecclesiæ illatam.*

2 *Clericus violans cessationem à diuinis per exercitium ordinis, non efficitur irregularis.*

3 *Quatuor festiuitatibus, exceptis in c. alma, de sent. excommun. in 6 locus etiam esse videtur tempore cessationis, sicuti in interdicto.*

4 *Tempore cessationis pura videtur omnibus tum Clericis, tum laicis concessa sepultura in loco sacro, modò fiat sine officio funebri.*

5 *Qui Episcopalem iurisdictionem obtinet: & Sede vacante Capitulum, cessationem à diuinis ponere potest, sicuti & interdictum.*

CEssatio à diuinis, quæ & suspensio organorum dicitur est, Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo aliquo loco, à diuinis officijs, & Sacramentorum administratione, nisi quatenus eam necessitas postulat. Quamuis cum interdicto loci similitudinem gerat: re ipsa tamen differt: quia cessatio hæc non est censura, imò nec propriè dicta pœna: sed simplex prohibitio diuinorum, in signum grauissimi mœroris ab Ecclesia concepti, propter grauissimam iniuriam sibi, aut honori diuino illatam: vt hac ratione iniuriosus desistere & Ecclesiæ læsæ satisfacere cogatur, sicuti colligitur ex Clem. 1. de sent. excommun. & explicat Suarez disp. 39. s. 1. num. 13. & seqq. 1

Vide alia discrimina nascuntur inter interdictum & cessationem à diuinis: I. Interdictum semper aliquam personam, quæ culpa sua causam præbuit, specialiter afficit, & censura ligat: non verò cessatio à diuinis, vt infrà dicam.

II. Clericus violans interdictum per ordinis sui exercitium, irregularis efficitur: non item agens contra positam cessationem à diuinis, licet grauiter peccet. 2

III. Priuilegia tum specialia, tum etiam generalia, concessa circa interdictum, v. g. vt Clerici quotidie diuina officia celebrare possint cum moderatione cap. alma, de sentent. excommunic. in 6. non habent locum in cessatione, sicuti ex communi docet. Nauar. cap. 27. num. 188. Henriquez lib. 13. c. 53. num. 2. Auila part. 6. disput. 1. dub. 3. Suarez disput. 39. sect. 2. num. 11. Coninck disput. 17. dub. 7. contra quosdam Canonistas apud Couarruuiam part. 2. c. 4. §. 7. verb. hinc patet. Ratio est: est Quia à diuersis ad diuersa non fit bona illatio, seu extensio. Imò Auila dub. 4. cum Doctoribus Academiæ Salmanticensis existimat, Clericis tempore cessationis licitum non esse, vt bini vel terni in Ecclesia horarium officium persoluant: quia in cap. non est, de sponsalib. dicitur: *Nulla diuina officia permittatis aliquatenus celebrari.* Deinde in c. quod in te, de pœnit. & remiss. talis facultas peculiariter conceditur tempore interdicti; ideóque transferri non debet ad cessationem à diuinis. Sed contraria sententia valde probabilis est Couarruu. loc. cit. Suarez disput. 39. sect. 2. num. 14. & aliorum apud Henriq. c. 53. num. 1. Quia cessatio est tantùm ab officijs publicis, quamobrem & organorum suspensio appellatur: recitatio autem cum socio vno, vel duobus non excedit modum orationis priuatæ. Deinde, si extra Ecclesiam Clericis binis aut ternis suas horas orare permissum est, sicuti contra Salmanticenses sentit. Henriq. num. 2. Auila dub. 4. cur non etiam in Ecclesia? Dictum autem cap. quod in te, non videtur nouam aliquam concessionem fecisse; sed quod per se licitum erat explicuisse, sicut notauit Suarez disput. 34. sect. 3. num. 12. & 13.

Quamuis verò, inspecto iuris rigore, neque in quatuor festiuitatibus exceptis in cit. c. alma, licitum esse videatur officia diuina celebrare tẽpore cessationis: cùm dicta exceptio solùm facta sit de interdicto, sicut latè disputat Couarruu. cit. num. 7. Tamen secundùm æquitatem, & Doctorũ quorundã, præsertim Salmanticensium, auctoritatem apud Henriq. c. 53. num. 3. Auilam dub. 6. Suarez disput. 39. sect. 2. num. 11. Sanchez lib. 7. disput. 8. num. 18. probabiliter dicitur, in quatuor illis præcipuis anni festiuitatibus, & Octaua Corporis Christi, diuina officia solemniter celebrari posse, non obstante quacunque generali prohibitione: quia talis facultas in cit. c. alma absolutè concessa videtur ob reuerentiam dictarum festiuitatum. Similiter licet, spectato iuris rigore, Sacramentorum administratio cessationis tempore non tam amplè, vt in interdicto concessa videatur, sed solùm propter grauem necessitatem, sicuti colligitur ex c. non est, de sponsal. *Nulla diuina officia, præter Baptismum paruulorum: & Pœnitentiam morientium, adiuncto etiam viatico, celebretis:* tamen secundùm quorundam Doctorum, præsertim Salmanticensium, sententiam, benigniùs inter- 3

pretantium Ecclesiæ mentem, probabiliter dici potest: Sacramenta ijsdem casibus tempore cessationis ministrari posse, sicuti tempore generalis interdicti, omnibus qui specialiter interdicti non sunt: quare quæ suprà dicta sunt cap. 2. huc etiam transferri debent. Et ita docent Henriq. Auila, Suarez ll. cc. Couar. num. 7. ver. vtcunque autem fit.

Denique, quòd attinet ad sacram sepulturam, ijdem Salmantienses Doctores, Henriq. c. 53. num. 4. Auila dub. 10. docent, eam in pura cessatione à diuinis, proinde vt tempore interdicti, prohibitam esse omnibus laicis: concessam verò omnibus Clericis seu Ecclesiasticis personis, vt in silentio, seu sine officio funebri in sacro loco sepeliantur. Aliqui verò apud Auil. l. c. & Suarez disp. 39. s. 2. num. 28. Coninck dub. 7. num. 84. non malè annotarunt, ex nullo iure ostendi posse, quòd sacra sepultura (si sine funebri officio fiat) tempore cessationis puræ, seu ab interdicto sciunctæ, vllis seu Clericis prohibita sit. Nam de effectibus cessationis habemus tantùm cit. c. non est, de sponsal. vt diuina officia non celebrentur: quo nomine Sacramenta etiam comprehendi ex verbis adiunctis colligitur: non autem comprehenditur sepultura in loco sacro; cùm hæc diuinum officium dici non soleat. Extensionem autem facere ab interdicto ab cessationem, ob similitudinem rationis, concessum non est (præsertim in materia odiosa) cùm interdictum & cessatio diuersa sint, vt suprà dictum.

Quicunque interdictum ponere potest, is etiam cessationem à diuinis, videlicet qui Episcopalem, aut similem Episcopali in foro externo iurisdictionem obtinet, & Sede vacante Capitulum, sicuti docent Summistæ ver. cessatio, Gl. in c. si canonici ver. cessare, de offic. ordinarij, in 6. Sotus d. 22. q. 3. a. 2. Couar. c. alma p. 2. §. 2. num. 6. Suarez disp. 39. sect. 3. & alij communiter. Notandum verò est; Cessationem à diuinis interdum indici præcedente interdicto: vt accedat tunc noua & arctior prohibitio cessationis, cuius proinde effectus coniunguntur cum censura interdicti. Interdum verò ponitur cessatio purè, & sine interdicto. 5

Causa, propter quam cessatio indici potest, debet esse delictum grauissimum, publicum, & contumaciter perseuerans aduersus commune bonum Ecclesiæ, v. g. immunitatem eius. Forma autem, & códitiones, quæ in cessatione ponenda seruari debent, præscribuntur in cit. c. si Canonici, & cap. quamuis, de offic. ordinarij eod. in 6. quæ ibi legi possunt, iunct. Glossis, & apud Suarez cit. disp. 39. sect. 3. num. 7.

PARS QVINTA,

DE IRREGVLARITATE.

CAP. I.

QVID, ET QVOTVPLEX sit irregularitas.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas non est censura: sed canonicum impedimentum, quo minùs aliquis ordines suscipere, aut susceptis vti possit. Non solùm in Clericos, sed etiam in laicos cadit.*
2 *Irregularis alia omnia agere potest, quæ ordinis vsum non requirunt.*
3 *Probabile est quòd collatio beneficij facta irregulari non sit ipso iure irrita; sed infirmanda.*
4 *Irregularitas diuiditur in eam, quæ ob culpam, puta propriam ac mortalem contrahitur, & in eam, quæ ob alium defectum.*
5 *Irregularitas solo iure Ecclesiastico, eóque non particulari, sed vniuersali decerni potest.*
6 *Irregularitas non agnoscitur, nisi de ea ius expressum, vel generalis Ecclesiarum consuetudo habeatur.*
7 *Irregularitas alia est totalis, & alia partialis.*

1 IRregularitas ita definiri potest: *Impedimentum canonicum, per se primò impediens susceptionem Ecclesiasticorum ordinum; secundariò verò & consequenter eorumdem vsum.* Cùm dicitur *impedimentum*, distinguitur irregularitas à censuris, quæ ex propria ratione sua ob culpam infliguntur, tanquam pœnæ medicinales. Irregularitas verò est moralis inhabilitas personæ ad ordinem Ecclesiasticum consequendum; vel (si iam consecuta fuit) exequendum, propter aliquem illius deffectum, maculam: quandoquidem decet eos, qui ad altaris ministerium assumuntur, tam corpore, quàm animo integros, puros, immaculatos esse.

Specialiter autem tradita definitio explicat differentiam irregularitatis à suspensione, ac depositione, cum quibus similitudinem aliquam gerere videtur. Nam suspensio, sicuti & depositio, per se ac directè non impedit ordinis susceptionem; sed potiùs vsum ordinis suscepti: quamobrem Clericorum propria est. At verò irregularitas tam in laicos, quàm in Clericos; imò magis in laicos cadit: quippe cùm in ijs primarium effectum suum exercere possit, vt ipsos inhabiles reddat ad Ecclesiasticum ordinem, seu statum: in Clericis autem puta Episcopo, Presbitero, &c. cùm primarium effectum suum non consequatur, vt eos penitus extra clericalem ordinem abiiciat, seu laicos efficiat; operatur saltem effectum secundarium, vt eos inhabiles reddat ad exercitium ordinis suscepit, nec non ordinis superioris susceptionem.

Corollarium I. Quæcunque sacra munera laico competere possunt; vti sunt Sacramenta suscipere (excepta ordinatione) in Ecclesia canere, sacrificanti ministrare, &c. ea etiam Clericus irregularis licitè obire potest. Ita ex communi Auila p. 7. disp. 2. dub. 6. conclus. 5. Suar. disp. 48. sect. 2. num. 8.

Corollarium II. Irregularitas non priuat Clericum iurisdictione: quare validè, per se loquendo, exercet omnes actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, sicuti ante contractam irregularitatem: quamuis illos non licitè, qui actum ordinis requirunt, vti est absolutio à peccatis, realis degradatio. Ita Coninck disp. 18. dub. 1. num. 7. Suar. disp. 40. sect. 2. num. 25. 44. & 46. vbi monent, idem dicendum esse de suspenso ab ordine, & interdicto personaliter, eos validè à peccatis absoluere bona fide confitentes, licet contrarium doceat Nauar. c. 9. num. 8. Auila dub. 6. conclus. 7.

Corollarium III. Irregularitas ipso iure non priuat Clericum beneficii fructibus & administratione, dummodo officium saltem per Vicarium administret. Ita Innoc. aliique Doctores communiter in c. cùm nostris, de concess. præb. Nauar. c. 27. num. 251. Suarez num. 15. Auila dub. 6. conclus. 4. Henriq. lib. 14. c. 2. num. 5. Debet tamen beneficio priuari iuxta c. ex literis, de excess. Prælat. imò sponte illud resignare, si dispensatio breui tempore impetranda non sit, & beneficium requirat officium, cui beneficiatus per se ipsum satisfacere debeat. qua de re Suar. sect. 2. num. 18. Coninck disp. 18. dub. 1. num. 5. & videri

videri potest Gl. in c. studeat, ver. vt tale, d. 50.

Sed dubium est: Vtrum collatio beneficii facta irregulari ipso iure irrita sit, vt prouisus in conscientia illud resignare teneatur? Ita affirmant Nau. c. 27. num. 251. Couar. c. alma, p. 1. §. 7. num. 1. Henriq. l. c. Auila dub. 6. conclus. 3. & alij ferè communiter. Nam beneficium datur propter officium, c. vlt. de rescript. in 6. Ergo inhabilis ad officium, est etiam inhabilis ad acquirendum beneficium, iuxta c. vlt. de Cler. excommun. ministrante. Verùm hæc ratio eo loco assignatur de irretito minore excommunicatione, cuius electio dicitur infirmanda, tanquam illegitimè facta: ergo non plus etiam probat de irregulari. Præterquam quòd non omnia beneficia requirant officiũ, cui irregularis satisfacere nequeat: quid enim, si sit beneficium solùm requirens officium precum canonicarum, vel aliud, quod per Vicarium administrari possit.

3 Quapropter Syl. ver. excommunicatio, 4. §. 4. & alij apud Suarez disput. 40. sect. 2. num. 29. existimant, beneficij collationem factam irregulari esse quidem illicitam, & contra canones, ideóque infirmandam; non tamen ipso iure irritam: quam sententiam Suarez l. c. & Coninck cit. dub. 1. num. 6. probabilem censent: quia nunquam collatio beneficii censeri debet ipso facto irrita, sine iure expresso, argum. c. si soli, de concess. præb. in 6. hîc autem nullum ius expressum afferri potest. Addunt tamen, priorem sententiam securiorem & practicè probabiliorem esse; tum quia communiter recepta, tum quia valde conformis est naturæ irregularitatis, quippe quæ hominem omnino inhabilem reddere videtur ad iura clericalia de nouo acquirenda. Denique ait Suarez, si collator beneficij sciuit irregularitatem, eo ipso censetur dispẽsare, si dispensandi potestate prædictus est: sin verò nesciuit, quia erat ipsi occulta, plerumque censebitur inuoluntaria, ac subreptitia concessio: nisi ponamus, etiam ipsum prouisum suam irregularitatem ignorare: vel proprio motu facta ipsi collatione, non obligari ad occultam irregularitatem statim manifestandam, quo casu arbitror collationem subsistere arg. c. vlt. de Cler. excom. minist. ver. scienter: ac proinde prouisum, post impetratam dispensationem super irregularitatem, in conscientia tutum fore.

4 Irregularitas diuiditur primò: In eam, quæ ob culpam propriam: & in eam, quæ propter alium defectum, seu maculam contrahitur. Data opera dico, *propter alium*: Nam etiã ea irregularitas, quæ ex delicto, eóque externo oritur, macula quædam atque defectus est, ob quem homo canonici iuris constitutione, inhabilis censetur ad sacrum altaris ministerium.

Exinde colligitur primò: Propter culpam tantùm venialem, non incurri irregularitatem, sicuti ex communi docet Sotus lib. 5. de iust. quæst. 1. a. 9. Nau. c. 27. num. 252. in fine, Suarez disp. 40. sect. 3. num. 17. contra Caiet. ver. irregularitas, §. scito tamen, Armil. num. 14. Cùm enim grauissimum sit irregularitatis incommodum, non nisi ob grauem defectum imponi debet, qualis non est venialis culpa.

Colligitur II. Non rectè dixisse Sotum in 4. d. 22. q. 3. a. 1. Saltem eam irregularitatis speciem, quæ ex delicto contrahitur, censuris annumerandam esse: eò quod rationem pœnæ habet. Sed respondetur: Irregularitatem, quæ ex delicto contrahitur, per se ac principaliter institutam non esse ad punitionem, emendationémve delinquentis; sed ob honorem sacri ministerij, ad quod indignus censetur, qui talem peccati maculam contraxit. Quæ cùm ita sint, generali appellatione censuræ non venit irregularitas, etiam ea, quæ ex culpa oritur, & aliquam pœnæ rationem participat, sicuti Suarez notauit disp. 40. sect. 3. num. 7.

5 Colligitur III. Irregularitatem non ab homine per sententiam: sed solo iure, eóque non particulari, seu Episcopali: sed tantùm vniuersali Pontificio imponi posse, sicut docet Couarru. Clem. si furiosus, init. num. 3. Suarez cit. disput. 40. sect. 4. num. 7. & seqq. & sumitur ex cap. is, qui de sentent. excommunicat, in 6. vbi significatur, irregularitatem non incurri, nisi id iure (videlicet Pontificio) expressum sit. Ratio est: Quia irregularitas principaliter non imponitur per modum pœnæ, sed potiùs per modum canonici impedimenti, ob decentiam ac reuerentiam sacro altaris ministerio debitam: Valde autem decens est, vt talis perpetua impedimenta eadem sint in tota Ecclesia: sicuti & altaris ministerium, honor quoque eius ac reuerentia vniuersæ Ecclesiæ communis est. Exinde regula annotanda est: Quotiescunque in canone præcipitur, vt pœna alicui per Iudicis sententiam imponatur, non est irregularitas: sed v. g. suspensio, vel depositio.

His adde, quòd defectus, ob quem irregularitas incurritur, debet esse specificè nominatus in iure: neque ab vno ad aliũ casum, ob similem, vel maiorem rationẽ extensio fieri debet, sicut ex communi docet Nau. c. 27. n. 194. in fine, Suar. disp. 40. sect. 5. & 6. Quãuis negari nõ posse videtur, quasdam irregularitates sine iure expresso, per Doctorum ita opinantium auctoritatem introductas, atque diuturna Ecclesiæ consuetudine firmatas fuisse, quæ non minùs, quàm aliæ censuræ vim obtinere debent, tum quia consensus Doctorum, & Ecclesiarum consuetudo optima est sacrorum canonum, & antiquæ obseruationis interpres: tum quia vniuersim verum est, quòd consuetudo per tacitum consensum fit constitutiua iuris: etsi lex scripta desideretur. Et quod dico de irregularitate, idẽ sentiendum de quibusdam censuris, v. g. suspensione propter susceptionem ordinis per saltum: quæ suspensio nullo iure satis expressa censetur, sed per consuetudinem stabilita: ideóque obiter approbata per Trident. sess. 23. c. 14. de reform. 6

Secundò diuiditur irregularitas in totalem, ac partialem. Totalis ac propriè dicta irregularitas est, quæ omni ordine suscipiendo, & suscepti exercitio priuat, vt homicidij, bigamiæ, &c. Partialis verò dicitur, quæ Clericum ordinatum non omni ordinis ministerio priuat; sed aliquo tantùm, vel solùm ascensu ad ordinem superiorem; v. g. Diaconus, cui sinister oculus erutus est, inhabilis fit ad sacerdotium, licet in suo ordine ministrare non prohibeatur, sicuti colligitur ex c. vlt. d. 55. Et Sacerdos: cui pollex vel medietas palmæ cum duobus minoribus digitis abscissa est, inhabilis fit ad sacrificandum; non item ad alia Sacerdotis munera, v. g. confessiones audiendas, c. 2. de Cler. ægrotante, & notat Nau. c. 27. num. 200. Suarez disp. 51. sect. 2. n. 13. Mol. tr. 3. disp. 70. n. 14. Abb. in cit. c. 2. num. 2. vbi bonam regulam tradit: Quòd deformitas vel debilitas superueniens Clerico, reddit eum inhabilem tantùm respectu illius officij, quod ob talem infirmitatem ritè exercere nequit.

Aliam appellare possumus partialem, sed impropriè dictam irregularitatem, quæ non est in perpetuum, sed ad tempus: v. g. pro tempore durantis infantiæ, morbi infamiæ facti.

CAP. II.

De irregularitatibus, quæ incurruntur occasione Sacramenti baptismatis.

SVMMARIVM.

1 *Qui alterum absolutè rebaptizat: & qui ita baptizanti ministrat, irregularis efficitur, si culpa notoria sit, neque ob ignorantiam à mortali excusata.*

Est tamen hæc irregularitas tantùm partialis, vt impediat, quo minùs Clericus ad altiorem ordinem ascendere possit.

2 *Qui se absolutè rebaptizari finit, omnino irregularis efficitur: dummodo in ea re mortaliter peccarit.*
3 *Qui ab hæretico se baptizari sinit, irregularis fit: nisi ignorantia, vel necessitas excuset.*
4 *Qui in ægritudine ob mortis periculum baptizatus est, ordinari non debet.*
5 *Neophytos seu recens ad fidem conuersos citò ordinare non oportet.*
6 *Propter iteratam susceptionem sacramenti Confirmationis, vel Ordinis non incurritur irregularitas.*

1 ASsertio I. Qui alterum rebaptizat, & qui ita baptizari ministrat, irregularis efficitur, saltem quo minùs ad superiores ordines ascendere possit. Est communis sententia; & quòd ministrantem expressa in c. 1. de Apostatis. Ex quo colligunt Doctores, idem multò magis de rebaptizante sentiendum esse: quibus & consuetudo, quæ est optima legum interpres, consentit. Vide Nau. c. 27. n. 246. Henriq. lib. 2. c. 31. n. 1. & lib. 14. c. 4. n. 4. Auila p. 7. disp. 7. dub. 1. Suarez 3. p. t. 3. disp. 31. f. 6. Coninck disp. 18. dub. 4. num. 35.

Sunt verò aliqua aduertenda: I. Irregularitas hæc non incurritur ab Acolytho seu ministrante, nisi delictum eius publicum seu notorium sit, sicuti expresè dicitur in cit. c. 2. vbi id notauit Abb. notab. 2. Sed vtrum idem etiam sentiendum sit de ipso rebaptizante, non satis constat. Nam quòd is irregularis fiat, tametsi crimen eius occultum maneat. DD. plerique existimant, Hostiensis super cit. c. 2. Scotus in 4. d. 6. q. 8. Auila cit. dub. 1. sed nullo iure probant: quamobrem Suarez cit. f. 6. §. tertium tamen, dubius manet. Palud. verò in 4. d. 6. q. 4. a. 1. concl. 2. & Tol. lib. 1. c. 70. §. quartò, expressè docent: Rebaptizantem non fieri irregularem, nisi crimen publicum sit.

II. Irregularitas hæc Acolytho imposita, qui rebaptisanti ministrauit, non est perfecta & totalis: sed tantùm partialis, vt ad superiores ordines ascendere non possit: & arbitratur Suarez §. sed ad explicandam, neque de ipso rebaptizante maiorem pœnam afferendam esse: cùm ius non exprimat.

III. Ad hanc irregularitatem, sicut & ad alias, quæ ex delicto oriuntur, requiritur dolus vel culpa lata: ideóque ignorantia quæcunque, si crassa non sit, excusat.

IV. Si rebaptizatio fiat sub conditione, quamuis temerè, & non præmissa inquisitione, vtrum baptismus antea acceptus sit, non contrahitur irregularitas. Nam leges pœnales intelligi debent cum effectu: qui autem baptizatum sub conditione baptizat, *si baptizatus non es, &c.* is re vera non baptizat: quia apposita conditio, si subsit, suspendit, & impedit actum. Ob eandémque causam, qui metu v. g. adactus, animo simulato exteriùs rebaptizat, non fit irregularis: cùm non habeat animum baptizandi.

2 Assertio II. Qui se ita absolutè rebaptizari finit, irregularis simpliciter efficitur: Ita habetur in c. Afros. d. 98. & c. qui in qualibet, 1. q. 7. c. eos quos, de consecrat. d. 4. Solùm dubitatur, vtrum ad hanc irregularitatem requiratur baptizati dolus, vel culpa crassa: an verò in iure statutum sit in detestationem solius facti, ob honorem & reuerentiam sacramenti: vt proinde hæc irregularitas etiam ab ignorantibus contrahatur? Quam posteriorem partem docuit Anton. 3. p. tit. 14. c. 13. §. 12. Palud. in 4. d. 6. q. 4. a. 1. concl. 2. Simon Maiolus lib. 3. de irregul. c. 14. Et probari potest ex cit. can. *Qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere.* Ex quo colligi videtur, etiam infantes ab hæreticis baptizatos, vel rebaptizatos irregularitatē contrahere. Accedit quod in c. qui bis, d. 4. de consecr. expressè dicitur: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere: nisi quòd secundùm canones ordinari non possunt; nisi magna aliqua necessitas cogat.*

Nihilominus contraria sententia est probabilior & communior Scoti in 4. d. 6. q. 8. Soti in 4. d. 3. q. vn. a. 9. §. vnum hîc, Couar. Clem. si furiosus. p. 1. princ. n. 8. Nau. c. 27. n 246. Tol. lib. 1. c. 70. §. secundò, Henriq. cit. c. 4. num. 3. lit. K. Auila cit. disp. 7. dub. 2. Suarez cit. disp. 31. sect. 6. §. solet autem, & de censuris disp. 42. f. 1. Sa ver. irregularitas ex iterato baptismo, num. 1. Fundamentum est: Quia canones citati nihil probant: Nam Felix III. in c. qui in qualibet, explicandus est de qualibet ætate doli capace, sicuti Gl. ibidem explicat, & colligitur tum ex verbis subsequentibus: *quibus satis esse debet* (considerata eorum culpa) *quòd in Catholicorum numero sunt recepti*: tum ex cap. placuit, &c. qui apud 1. q. 4. quibus expressè decernitur, paruulos ab hæreticis baptizatos cùm ad Ecclesiam Dei reuersi fuerint, ordinari posse. Ad can. qui bis, respondetur cum Couar. esse sumptum ex Pœnitentiario Theodori, ideóque non habere auctoritatem legis.

Assertio III. Qui ab hæretico se baptizari finit, irregularis efficitur. Ita habetur in cit. c. Afros, &c. Qui in qualibet. Sed limitari debet, vt suprà, nisi ignorantia vel necessitas à culpa excuset. Est enim hæc etiam irregularitas ex ijs, quæ propter peccatum introductæ sunt, quasi quædam pœnæ, sicuti colligitur ex cit. c. placuit, & c. qui apud, 1. q. 4.

Assertio IV. Qui in ægritudine propter mortis periculum baptizatus est, Presbyter ordinari non debet, sicuti constat ex Concilio Neocæsariensi cap. 12 &. refertur in cap. vn. distinct. 57. Ratio ibidem affertur: Quia suspicio est, quòd fides ab ipso non tam voluntariè, quàm ex necessitate suscepta sit. Subijciuntur tamen duæ limitationes. I. Si postea ipsius studium & fides probabilis reddatur. II. Si hominū in sacerdotium promouendorū raritas sit: modò ille, qui in ægritudine baptizatus, post superatum morbum, ex alijs causis non indignus ordinatione appareat, sicuti explicat Suarez disp. 42. sect. 1. num. 5. Porrò hanc irregularitatem multò antè in Romana Ecclesia obseruatam fuisse, vt ad sacerdotium, & omnino in clerum non assumeretur, qui in lecto propter morbum baptizatus erat, testatur Cornel. Papa apud Eusebium, lib. 6. histor. cap. 35. memorans Nauarianum ita baptizatum, & postea Episcopum ordinatum fuisse: ideóque vniuersum clerum, multósque laicos ab eo abstinuisse. Existimat verò Maiolus lib. 3. cap. 10. irregularitatem hāc propter identitatem rationis, ad eos quoque extendēdam esse, qui ob vim, metum, vel similem necessitatem Baptismatus sacramentum acceperunt: quam extensionem valde probabilem iudicat Suarez n. 7.

Assertio V. Simili ratione Neophytus, id est, in fide Baptismo suscepta adhuc nouitius, ordinari non debet, sicut constat ex Apost. 1. ad Timoth. 3. rationē afferente: *Ne in superbiam elatus, in iudicium incidat Diaboli* Et canon. Apost. 79. *Eum, qui ex vita gentili accesserit, & baptizatus fuerit, vel ex improba viuendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri. Iniquum est enim, vt qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum magister, nisi fortè hoc diuina gratia* (seu speciali vocatione) *fiat*, sicuti postea S. Ambrosio contigit. Qua de causa ipsemet se excusans epistola 82. ad Vercellenses ait: *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.* Addit tamen, quòd *ordinationem* suam *Occidentales Episcopi iudicio: Orientales etiam exemplo*, in Ordinatione Nectarij Constantinopoli, *probarunt*.

Comprehenditur autem Episcopi nomine etiam Presbyter, sicuti intellexit Laodic. Concil. cap. 3. & Nicænū I. Oecum. can. 2. *Ne accedentes nuper ad fidem, simul vt baptizati sunt, ad episcopatum, vel presbyteratum promoueantur: nam & tempore opus est ei, qui catechizatur, & post Baptisma probatione quàm plurima: manifesta est enim Apostolica Scriptura.* Quinimò Concilium Sardicense Oecum. præeunte Osio Episcopo, hanc prohibitionem latiùs etiam intellexit can. 13. *Conueniens non est, nec ratio, nec disciplina patitur, vt temere ordinetur aut Episcopus, aut Presbiter, aut*

ter, aut Diaconus, qui Neophytus est. Et vniuersim de sacris Ordinibus, & vno verbo de clericali statu intellexit Gregor. I. lib. 4. Epist. 50. ad Virgil. Episc. Arelaten. *Cùm ad sacros ordines Apostolus Neophytum venire prohibeat, &c.* quandoquidem recenter conuersus ad fidem, nec in doctrina fidei potest esse satis instructus, nec in Ecclesiasticis rebus expertus, imò nec in constantia fidei satis probatus, ait Suarez disp. 43. s. 3. n. 6. Qui rectè admonet, ad prudentem Episcopum pertinere, vt declaret, considerata personæ qualitate, & temporis interuallo, transactum esse statum neophyti, vt sine alia dispensatione Ordinari possit: durante verò adhuc conditione Neophyti, non posse Episcopum ordinationem facere sine cōsensu summi Pontificis, quippe ad quem solum pertinet in vniuersalis Ecclesię canonibus dispensare: idque clarè colligitur ex cit. c. 2. Nicæni Concilij, vbi hoc ipsum culpatur, quòd Neophyti *ex necessitate, vel vrgentibus hominibus, præter Ecclesiasticum canonem ordinati fuerunt.*

6 Denique verò S. Anton. 3. p. tit. 28. cap. 6. §. 3. Rich. 4. sent. d. 7. a. 6. q. 1. Nauar. n. 247. Maiol. lib. 3. cap. 15. existimant, irregularitatem etiam contrahi propter iteratam susceptionem aliorum Sacramentorum, quæ characterem imprimunt: videlicet Confirmationis, & Ordinationis. Fatetur tamen ipsemet Nau. contrariam sententiam Scoti in 4. n. 7. q. vlt. esse communem: eò quòd dictæ irregularitates iure scripto expressæ non sint, eandémque amplexus est Alph. à Castro lib. 1. de lege pœnali c. 7. docum. 3. Couar. clem. si furiosus, p. 1. princ. n. 8. §. sed & illud, Suarez disputatione 42. sess. 2. num. 2. & sess. 3. numero 6. Henriquez libro 14. cap. 4. num. 5. Auila parte. 7. disputatione 7. dub. 5. Sa verb. irregularitas ex iterato baptismo, num. 2.

CAP. III.

De irregularitatibus ex ordinis abusu.

SVMMARIVM.

1 *Qui furtiuè ordinatus est, irregularis efficitur.*
2 *Clericus solemniter ministrans in ordine, quem non habet, irregularitatem contrahit.*
3 *Si laicus solemniter exerceat actum ordinis clericalis proprium, irregularitatem non incurrit, quamuis grauiter peccet.*
4 *Clericus irregularis efficitur, si exercendo actum sui ordinis censuram violet.*
5 *Clericus suspensus ab ordine, si ad superiorem ordinem ascendat, non videtur irregularitatem incurrere.*

1 Assertio I. Qui furtiuè ordinatur, id est, ignorante Episcopo, se per dolum ordinandis ingerens; irregularis efficitur, saltem quo minùs ad superiorem ordinem promoueri possit. Potest tamen Episcopus cum taliter ordinato dispensare, nisi, vt iam in Ecclesijs consuetum est, eiusmodi accessum furtiuum sub excommunicatione interdixerit: tunc dispensare non potest: excepto, si reus postea Religionem ingressus sit, & aliquamdiu in ea laudabiliter vixerit. Ita habetur c. 1. de eo qui furtiuè, &c. Si tamen crimen occultum maneat, absolutè concedit Trident. Concilium, vt Episcopus dispenset.

Assertio II. Clericus ministrans in ordine, quem non habet, irregularis efficitur: si v. g. Diaconus Missam celebret, aquam vel nuptias solemniter benedicat, absque sacerdotis commissione solemniter baptizet. Ita habetur in c. 1. & 2. de clerico non ordinato ministrante. Notant verò Doctores communiter ad hanc pœnam requiri primò, Vt quis in ea re mortaliter peccet, non excusatus probabili ignorantia, &c. Secundò, Vt solemniter & tanquam ex officio exerceat actum ordinis, quem secundùm Ecclesiæ institutionem, aut consuetudinem non liceat exercere eis, qui tali ordine carent, sicuti docent Paludanus in 4. d. 24. q. 4. §. Quartus. S. Anton p. 3. tit. 28. c. 1. §. 1. Syl. ver. irregularitas, num. 14. Angelus eod. ver. 1. n. 38. Nau. n. 242. Henriq. lib. 14. c. 6. n. 1. Auila p. 7. disp. 9. s. 2. dub. 13. Sa ver. irregularitas ex abusu ordinis, n. 5. Sairus lib. 7. c. 10. Tol. lib. 1. c. 72. Quare inferunt, talem non fieri irregularem, si in officio solemni Epistolam vel Euangelium canat, etiam dalmatica indutus: modò manipulum vel stolam non deferat: quia proprium insigne Diaconi est stola: Subdiaconi verò manipulus.

Quæres. Vtrum id etiam licitè fieri possit, videlicet vt clerici in minoribus constituti tanquam cantores adhibeantur, superpelliceo, vel dalmatica induti ad cantandam Epistolam, vel Euangelium, aut Passionem Domini? Respon. Id ex consuetudine petendum esse. Nam in aliquibus Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis id non permittitur, quibusdam verò Ecclesijs, præsertim Regularium, consuetum est id fieri, in defectum Subdiaconi, & Diaconi, sicuti notauit S. Anton. cit. c. 1. Nau. lib. 5. consil. 5. de cler. non ordinat. edit. 2. Tol. l. c. Sa ver. clericus, n. 32. Imò Nauar. c. 27. n. 242. Auila cit. dub. 13. ex Villa diego testantur, consuetudinem esse apud Fratres Minores, vt clericus inferior Subdiacono, etiam cùm manipulo Epistolam solemniter canat: ideóque talem irregularem haud fieri.

Monent verò S. Anton. & Syluest. ll. cc. Quamuis concessum sit Clerico inferiori epistolam in solemni officio canere, vt suprà dictum: non tamen concessum esse sacrum calicem ad altare porrigere: aliàs irregularem fore. Sed meliùs sentire videntur Henriquez cit. c lit. m. Auila in fine dub. 13. licet talis peccet, tamen irregularem non fieri: cùm non exerceat actum ordinis solemniter: quandoquidem solemniter ministrare est cum proprijs ornamentis ministrare: proprium autem ornamentum Subdiaconi est manipulus.

De laico non legi apud DD. vtrum sine solemnibus vestibus, indutus v. g. superpelliceo, Epistolam in solemni officio canere possit; quare videntur supponere, id non esse licitum: & re vera non est decens, si clericus haberi queat. Sin verò nequeat, fortasse ob causam permitti posset: præsertim si Religiosus sit. Quia talis non exercet actum ordinis, sed simplicis cantoris: quare cur laico hoc officium in solemni Missa competere non possit, solùm obstat consuetudo, quæ tamen in varijs locis varia est.

Tertiò requiritur: Vt quis seriò, & ex animo, non per locum, ludum vsurpet exercitium proprium ordinis, quo caret, sicuti monent Doctores suprà citati. Non puto tamen aliam intentionem requiri, quàm vt clericus v. g. in minoribus, sponte ac scienter in solemni officio canat Epistolam, dalmatica & manipulo indutus. Neque satis intelligo, quod aiunt Nauar. cit. numer. 242. & consil. 1. de sacrament. non item iterandis, & Auila cit. du. 13. opus esse, vt habeat intentionem id faciendi tanquam Subdiaconus: præterquam si aliquis per ignorantiam non crassam existimaret tale officium etiam suo ordini, quem habet, competentem esse: vt si Diaconus existimaret solemniter baptizare in Ecclesia iure ordinario annexum esse ordini suo: non fieret irregularis, etsi sine Sacerdotis commissione baptizaret: quia non habet intentionem baptizandi vt Sacerdos; sicut docet idem Nauarrus consil. tert. de clericis non ordinandis edit. secund.

His adde ex Abbate in capite 1. de clerico non ordinato, &c. Quòd non ordinatus temere exercens officium ordinis quem non habet, v. g. celebrans, vel confessiones audiens, tenetur etiam pœnâ falsi: sicuti qui non habens dignitatem, profitetur se habere, vel vtitur insignibus, L. eos, ff. ad L. Cornelius de falso.

P

Porrò circa dictam irregularitatem dubitatur primò: Vtrum ſit totalis, quamuis ex vna parte diſpenſabilis ab Epiſcopo: videlicet, vt poſt biennium vel triennium in ordine antè ſuſcepto miniſtrare permittatur? An verò ſit irregularitas partialis, impediens tantùm ab aſcenſu ad ordinem ſuperiorem: iuncta tamen ſuſpenſione ad tempus biennij aut triennij ab ordine ſupremo antè ſuſcepto. Nam vtrumq; ſenſum admittere videtur c. 2. de clerico non ordinato miniſtrante. Et poſteriorem amplexus eſt Suarez diſp. 42. ſ. 4. n. 4. Coninck. diſp. 18. dub. 6. con. 1. Sed prior ſenſus eſt probabilior, & communiter receptus, vti videre eſt apud Syl. ver. diſpenſatio, q. 10. dicto 6. Nau. Henriq. Auilam, Sairum ll. cc. & conſentit Abbas in c. 1. eod. tit. vbi ait canonem illum, *Si quis baptizauerit* (ſolemniter) *vel aliud diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abyciatur ab Eccleſia*, intelligi de abiectione à clero, ſeu depoſitione, propter incurſam irregularitatem: Sed in can. 2. hunc rigorem laxatum fuiſſe.

Secundò dubitatur; Vtrum laicus exercens actum proprium ordinis, v. g. ſolemniter baptizans, dictam irregularitatem contrahat? Ita affirmant Anton. cit. cap. 1. Syl. ver. irregularitas q. 12. dicto 2. Sotus in 4. d. 18. q. 4. a. 1. Nau. cit. n. 242. ver. ſeptimò, Suarez 3. p. t. 3. diſp. 31. ſ. 4. in fine, Auila dub. 14. & 15. Valentia t. 4. diſp. 7. q. 10. par. 1. Probant tum ex ſuprà cit. ca. 1. vbi generatim dicitur: *Si quis baptizauerit*, &c. tum ex paritate, vel potiùs maioritate rationis: cùm tantò indecentius ſit actum ordinis aliquem ſolemniter exercere, quantò magis ab eo remotus eſt.

2 Sed contrariam ſententiam ſignificat Couar. in Clem. p. 1. §. 1. n. 1. Sa loco ſuprà cit. & expreſsè docent Angelus ver. irregularitas, 1. n. 38. Roſel. n. 2. princ. Sairus l. c. Henriq. lib. 2. c. 29. n. 1. lit. h. Armilla ver. irregularitas, nu. 65. vbi ait, hanc ſententiam ſequendam eſſe tanquam benigniorem in materia odioſa. Et mihi idem videtur: propterea quòd hæc irregularitas de laico miniſtrante expreſſa nō ſit, ſi ſequamur probabilem intellectum cap. 1. quem rubrica & titulus indicat, & tradunt ibi Abb. Syl. & Sairus ll. ſuprà citatis: Quòd miniſtrans ſolemniter in ordine, quem non habet, ſit deponendus, & numquam ordinandus: depoſitio autem propria Clericorum eſt. Cur autem in iure Clerico vſurpanti alieni ordinis miniſterium irregularitas decreta ſit, non item laico: cauſa ea eſſe poteſt, quia talis vſurpatio frequentior eſſe ſolet in clericis, quàm in laicis. Quare ipſe etiam S. Anton. 3. p. tit. 17. c. 1. §. 1. Syl. ver. confeſſor, 5. n. 1. reijciunt ſententiā eorum, qui dicunt, laicum irregularem fieri, ſi fingens ſe ſacerdotem, à peccatis abſoluere præſumat: licet hanc opinionem ſequatur Sotus & Vallentia ll. cc. allegantes Palud. in 4. d. 17. q. 3. qui tamen in contrarium magis propendet.

Multò verò minùs ſeu laicus, ſeu clericus irregularitatem contrahet, ſi tanquam Diaconus ſit, cum manipulo & ſtola prædicare in Eccleſia præſumat: cùm non exerceat actum ordinis, quæ eſt communis ſententia contra Nauar. cap. 27. num. 163. ver. octauò. Peccat nihilominus talis, quando actum Eccleſiaſticum prædicandi ſtola indutus exercet tanquam Diaconus, cùm non ſit. Alioquin verò ait idem Nauarr. libr. 1. conſil. 7. de offic. delegati: Conſuetudine pene totius orbis Chriſtiani obſeruari, vt Parochi non tantùm Diaconos: ſed inferiores etiam clericos in Theologia eruditos, ad prædicandum in eccleſia interdum conſtituant. Quibuſdam tamen diœceſibus apud nos adhuc viget conſuetudo, vt Parochis non liceat ad prædicandum exponere niſi Diaconos. Imò Trident. ſeſſ. 5. cap. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de reformat. ſignificat tales ſubſtitutos in munere prædicandi priùs ab Epiſcopo examinari & approbari oportere: quod etiam docet Simanca de Cathol. inſtit. 49. numero 1. ex c. excommunicamus, §. quia verò, de hæret. & Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. Sed in his cuiuſque diœceſis receptam conſuetudinem ſequere.

Aſſertio III. Clericus violans cenſuram maioris excommunicationis: ſuſpenſionis ab ordine, interdicti perſonalis aut localis, exercendo actum proprium ordinis, irregularitatem contrahit, ſicuti conſtat ex tit. decret. de cler. excommun. miniſtrante, c. 1. de ſent. & re iudic. in 6. c. is cui, de ſent. excommun. in 6. Requiritur autem ad hanc irregularitatem primò, vt clericus vſurpando tale ordinis miniſterium mortaliter peccet. quamobrem ignorantia, ſi craſſa non ſit, illum liberat, vt habetur expreſsè in c. Apoſtolicæ, de cler. excommun. miniſtrante. Secundò requiritur: Vt miniſterium, quod clericus in cenſura exercet, ſit proprium ordinis: ſeu ab alio, qui talem ordinem non habet, exerceri non poſſit. 3

Ex quo infertur primò: Clericos in minoribus vix poſſe ex hac cauſa irregularitatem contrahere: quando conſuetudo ferme obtinuit, vt eorum miniſteria à laicis etiā ſolemniter obeantur, ſicuti notauit Ant. cit. c. 1. in princ. Henr. l. 14. c. 7. n. 1. lit. f. Sotus in 4. d. 22. q. 3. art. 1. concl. 5. Sairus l. 7. c. 9. n. 4. Auila p. 7. diſ. 9. ſ. 2. du. 13. contra Syl. & alios ab ipſo citatos ver. irregularitas, n. 15. Nau. cap. 25. n. 76.

Infertur ſecundò: Clericos excommunicatos, vel ſuſpenſos non fieri irregulares, ſi prǽſtent ea, quamuis illicitè, quæ ſolius iuriſdictionis, non ordinis officia ſunt: videl. ſi Epiſcopus in tali cenſura excommunicet, vel ab excommunicatione abſoluat, omiſſa tamen ſolemnitate ſtolæ, precum. Si Parochus matrimonio aſſiſtat; ſed non benedicat nuptias. Ita notauit Henriq. ci. n. 7. Auila cit. ſ. 2. dub. 2.

Infertur tertiò: Non fieri irregularem clericum, ſi cenſura ligatus in Eccleſia lectiones, & reſponſoria canat, dummodo officiatorem non agat, dicendo collectam præmiſſo *Dominus vobiſcum*, ſicuti notat Abb. in c. vlt. n. 5. de exceſſ. Prælati. Rich. in 4. d. 18. art. 7. qu. vlt. Item, ſi in loco ſacro mortuum ſepeliat, intermiſſo officio diuino. Ita Nauar. lib. 5. conſil. 9. de clerico excommun. miniſtr. edit. 2. & in man. c. 27. n. 244. Henr. & Auila ll. cc.

Tertiò requiritur: Vt exercitium ordinis ſit ipſi ſecundùm ſubſtantiam prohibitum, & non ſecundùm modum duntaxat accidentalem. Quamobrem docet Syl. ver. ſuſpenſio, q. 5. Couar. in Clem. p. 1. §. 1. n. 1. Auila cit. dub. 2. §. ſed notandum, Epiſcopum ſuſpenſum à Pontificalibus non incurrere irregularitatem, ſi Miſſam celebret cū apparatu Epiſcopali: quia ab actu celebrandi ſecundùm ſubſtantiam ſuſpenſus non eſt; ſed tantùm ſecundùm ſolemnitatem accidentalem: licet contrarium ſenſerit Angelus ver. ſuſpenſio, 3. n. 3.

Obijciet aliquis, quòd Doctores communiter dicāt, Syl. ver. interdictum 5. q. 5. Couar. c. alma, p. 2. §. 4. num. 6. Henriq. l. 14. c. 7. n. 4. Auila p. 7. diſp. 2. dub. 8. Clericum in interdicto generali loci celebrantem officium diuinum, ordini clericali proprium, non obſeruata moderatione c. alma, irregularem fieri: cùm tamen hoc caſu celebratio officij ſecundùm ſubſtantiam actus ipſi conceſſa ſit. Reſpondeo. Eſſe hunc caſum diſparem & ſpecialem: propterea quòd iure antiquo ſimpliciter decretum erat, vt clericus celebrans tempore interdicti irregularis fieret: hoc autem ius poſtea mutatum non eſt ſimpliciter, ſed cum conditionibus ſeu moderationibus c. alma, ſicuti indicatur in c. is qui, §. is verò, de ſent. excom. in 6. *Is verò, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto (niſi ſuper hoc priuilegiatus exiſtat, aut à iure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit.*

Illud porrò plerique Doctores affirmant Abb. in c. illud, n. 8. de cler. excommun. Syl. ver. irregularitas, n. 15. dicto. 4. Henr. ci. c. 7. n. 5. Nau. ci n. 244. & l. 5. conſil. 1. de cler. excom. miniſtrante, edit. 2. Cou. c. alma, p. 1. §. 6. n. 9.

Auila

Auila dub. 6. Episcopum excommunicatum, interdictum, vel ab officio suspensum irregularem fieri, si corã se celebrari autoritatiuè iubeat, argum. c. illud, de cler. excommun. ministr. vbi tamen id non exprimitur: quare hæc irregularitas potiùs autorisate Doctorum, quàm scripto iure nititur, sicuti notauit Coninck dubio 6. in fine.

Denique dubitari solet: Vtrum clericus suspensus à suo ordine, irregularis fiat, si ad superiorem ordinem ascendat? Affirmat Couar. c. alma, p. 2. §. 3. nu. 5. Nau. lib. 1. consil. 26. num. 2. de tempor. ordinat & alij apud Henriq. lib. 14. c. 6. n. 4. lit. c. Primò; Quia ascensus ad ordinem superiorem est veluti exercitium ordinis inferioris, à quo clericus suspensus est. Secundò: Si Diaconus ab ordine suspensus presbyteratum accipiat, exercet ministerium presbyteri sacrificando cum Episcopo; item Subdiaconus cantando solemniter Euangelium: Ergo his actibus irregulares efficiuntur.

Sed contraria sententia probabilior est Suar. disp. 42. s.
5 3. n. 2. Sairi lib. 4. c. 16. n. 22. Eò quòd hæc irregularitas nec iure expressa sit, sicuti Henriq. etiam notauit: nec rationes pro ea allatę conuincant. Ad primam enim respondetur: Susceptionem ordinis superioris non nisi impropriè & abusiuè dici posse exercitium ordinis inferioris, vti dixi suprà hoc tract. part. 3. c. 1. corol. 6. consequenter irregularitatem decretam ob ordinis illicitum exercitium, non esse extendendam ad illicitam ordinis superioris susceptionem: cùm pœnæ non extendendæ, sed potiùs restringendæ sint.

Ad alteram resp. Primum sacrificium, seu Sacerdotis primitias non æstimari actum illum concelebrationis: cùm neque certum sit, vtrum re ipsa consecret, an solus Episcopus. Quæ est sententia Med. in sum. lib. 1. c. 11. §. 8. Sairi num. 23. Auilæ p. 3. disp. 5. dub. 7. assert. 3. Henriq. l. 14. c. 3. num. 6. vbi respondent, Non fieri irregularẽ Presbyterum, qui in sui ordinatione contracta suspensione ob immaturam ætatem, cum Episcopo verba consecrationis profert: sed cùm postea, non obtenta priùs dispensatione, primum sacrum celebrat: licet contrarium sentiat Couar. l. c. Nauar. lib. 5. consil. 8. de cler. excom. ministr. edit. 2. Adde, quòd nec omnes ordinati Diaconi sub officio Euangelium canunt; sin verò præter opinionem accidat, vt hoc officium illi deferatur, qui se ab ordine suspensum nouit, isque deprecando declinare non possit absque sui diffamatione, vel aliorum scandalo, tunc, nihil impediente censura occulta, parere poterit.

CAP. IV.

De irregularitatibus ex infamia.

SVMMARIVM.

1 *Infamia est duplex: Vna iuris, & altera facti. Illa interdum oritur ex delicto proprio, cui iuris constitutione infamiæ pœna constituta est, seu ipso facto incurrenda; seu à iudice decernenda. Interdum oritur ex delicto parentum: aut ex vili conditione, seu statu personæ.*

2 *Qui ciuili iure infames habentur, etiam canonico tales censentur, nisi infamia ciuili iure introducta, per canonicum sublata sit.*

3 *Infamiam iuris autoritatiuè abolere ad Principem spectat, comparatione subditorum suorum.*

4 *Infamia facti oritur non tantùm ex euidentia criminis infamantis, sed etiam ex vulgata opinione de commisso tali crimine: dummodo rumor seu fama non ex leuiculis hominibus originem traxerit.*

5 *Infamia tum iuris, tum facti à dignitatibus & honoribus repellit: imò infamia facti priuat etiam dignitate acquisita: sed requiritur Iudicis sententia.*

6 *Electio, vel collatio beneficij facta infami, ipso iure irrita est.*

Si tamen infamia est tantùm facti, electus vel prouisus beneficium in foro conscientiæ retinere potest, si per vitæ emendationem, infamiam abolere velit.

7 *Infamia tum iuris, tum facti ab actibus legitimis repellit.*

8 *Infamia tum iuris, tum facti irregularitatem homini inducit.*

9 *Ob nullum crimen occultum, excepto homicidio, & violatione censuræ, irregularitas incurritur.*

10 *Infamia iuris non tollitur per pœnitentiam: sed infamia facti.*

11 *Sacerdos publicus concubinarius, post vitæ emendationem publicè notam, celebrare non prohibetur.*

Fideles non prohibentur audire Missam publici concubinarij, si denuntiatus non sit tanquam in sacris vitandus.

12 *Hæresis & apostasia, si notoria sit, facit irregularem, vt talis etiam emendatus & absolutus ordinari non debeat. Quibusdam tamen regionibus, quibus hæretici infames non censentur, si ad Fidem Catholicam reuersi sint, ab Episcopis ordinantur.*

Infamia bonæ famæ priuationem significat. Fama autem seu bona existimatio *est dignitatis illæsæ status, legibus ac moribus comprobatus*, l. cognitionem, ff. de varijs & extraordinarijs cognition. Quare infamia aliud non est, quàm diminutio eiusmodi status, sicuti notauit P. Greg. Tholos. lib. 31. Syntag. c. 29. n. 7. Suarez disp. 48. s. 1. n. 1.

Duplex est infamia, vna iuris, quæ etiam *legalis* dicitur: & altera facti. Infamia iuris iterum duplex est: vel enim oritur ex delicto proprio, cui ex iuris constitutione infamia annexa est: idque duobus modis. Nam aliqua atrocia crimina sunt, quæ si notoriè committantur, ante Iudicis sententiam, infamiam Reo inferunt; sicuti præter alios notauit Alph de Castro lib. 2. de lege pœnali c. vlt. circa finem. Couar. 3. resol. c. 3. n. 2. Auila p. 7. dis. 4. du. 5. Eiusmodi est primò, Crimen lenocinij l. athletas, §. ait Prætor, ff. de his, qui notantur infamia, & l. palam, §. lenocinium, ff. de ritu nuptiarum: ex quibus tamen textibus colligi videtur, opus esse ad hanc infamiam incurrendam: vt quis lenocinium, id est, prostitutionem viri aut fœminæ quasi per consuetudinem exerceat. II. Crimen sponsaliorum vel matrimonij cum duabus, lib. 1. & l. quid ergo, ff. de his qui notantur infamia, & c. nuper, de bigamis. III. Crimen publici vsurarij l. improbum fœnus, C. ex quibus causis infamia irrogetur. IV. Crimen læsæ Maiestatis, cui assimilatur hostilis persecutio Rom. Ecclesiæ Cardinalium, vel præstitum auxilium, c. felicis, de pœnis, in 6. V. Crimẽ periurij permissorij, l. si quis maior, c. de trãsact. l. quotiens, c. de dignit. l. 12. VI. Ignominiosa exauctoratio militis, ob crimen commissum, l. 1. & 2. ff. de his, qui notantur infamia. VII. Qui operas suas, vt cum bestijs pugnaret, locauit, l. 1. §. item senatus cõsulto, ff. de postulando. VIII. Qui quæstus causa, seu pretio accepto in certamen cum homine descendit, l. 2. §. vlt. ff. de his, qui notantur infamia, iuncta interpretatione Molinæ tra. 4. disp. 8. §. 9. Pugiles tamen seu athletæ, qui proposito sibi præmio, fortitudinis exercendæ causa decertant, hoc numero non comprehenduntur, sicuti notauit Gl. in l. 1. C. de athletis, li. 10. IX. Crimen hæresis, de quo infrà dicam. X. Etsi non iure expresso, tamen per consuetudinem & DD. consensum infames sunt Sodomitę voluntarij, non vim passi. Denique in Trid. sess. 24. c. 6. de ref. matrim. infamia decreta est mulieris raptori, iisque qui consilium, vel auxilium præbent: & sess. 25. c. 19. de reform. in duellum descendentibus, corùmque patrinis.

Alia verò crimina sunt, de quibus Reus per Iudicis sententiam infamiam incurrit: talia imprimis sunt, quæ crimina publica dicuntur, quòd in ijs cuilibet è populo accusare concessum sit, vt crimen homicidij, adulterij, proditionis, falsi, rapinæ, Institut. de publicis iudicijs, l. 1. & l. infamem, ff. eod. Adde etiam quædam crimina priuata: vt furti, iniuriarum, doli mali, l. 1. athletas, §. vlt. ff. de his, qui notantur infamia, & cit. l. infamem: Et non solùm qui de his proprio nomine condemnatus est, sed

etiam qui pactus, ne de tali crimine accusaretur, citat. l. athletas, §. vlt. *quoniam intelligitur confiteri crimen qui paciscitur*, l. seq ff eod. Arbitror tamen hoc casu requiri Iudicis sententiam condemnantis de turpi pactione. Item qui actione directa pro socio, tutelæ, mandati, depositi ob interuenientem dolum damnati sunt, infamiam incurrunt, de quibus Mol. tr. 4. disp. 8. n. 12. Præterea, qui de calumnia per iniquam accusationem illata, vel de præuaricatione condemnatus est, cit. l. athletas, §. calumniator, & §. item præuaricator. Dicitur autem præuaricator *quasi varicator, qui diuersam*, vel potius aduersam *causam adiuuat, prodita causa sua.*

Requiritur autem ad infamiam ex hoc capite incurrendam, vt antecesserit processus ordinarius per viam accusationis; vel saltem inuocato, & audito Reo ad sui defensionem, si Iudex ex officio procedat. sicuti ex communi docet Clarus lib. 5. sent. §. practica criminalis, quæ. 72. num. 3. Insuper, vt sequatur sententia condemnatoria: quia sola iudicialis probatio, aut confessio criminis, non habentis ipso iure annexam infamiam, non inducit infamiam iuris, sed facti, sicuti docet Bartol. in cit. l. infamem, Angelus ver. infamia num. 6. Auila cit. dub. §. pro quo. Veruntamen, si causa subsit, cur ordinarius iuris processus & sententia condemnatoria non præmittatur: & Reus crimen confessus, aut in eo deprehensus, verberum vel simili publica, & crimini competente pœna afficiatur hoc ipso iuris infamiam incurret, sicuti constat ex l. ictus fustium, ff. de his, qui notantur infamia, & l. fustibus, C. ex quibus causis infamia irrogatur, & docet Gl. in l. nullam §. quæstione, C. eod. Molin. cit. disput. 8. num. 19. Tortura tamen cùm non sit ad condemnationem, sed veritatis indagationem, non reddit hominem infamem, iuxta cit. l. nullam, iuncta Gl. Deinde requiritur, vt sententia Iudicis condemnatoria transierit in rem iudicatam, & ab ea intra tempus à iure definitum appellatum non fuerit: nam sicuti interposita appellatio suspendit sententiam, ita etiam infamiam ex tali sententia oriundam, sicuti notat Mol. tr. , di. 9. n. 4.

Altera iuris infamia non ex proprio delicto contrahitur: sed vel ex delicto parentum, qui crimen læsæ Maiestatis, ac perduellionis admiserunt, l. quisquis, §. filijs, C. ad l. Iuliam Maiest. Et similis est infamia, quæ iure canonico c. felicis, de pœnis in 6. irrogatur filijs ac nepotibus eorum, qui Rom. Ecclesiæ Cardinalem hostiliter persequuntur. Vel ex vili conditione personæ, qua ratione infames ipso iure censentur histriones, id est, qui in publicis obscœnis spectaculis agunt, lib. 2. §. vlt. ff. de ijs, qui notantur infamia, c. aliquantos, dist. 51. & cap. 1. causa 4. quæstione 1. Et qui cum muliere publicis eiusmodi spectaculis mancipata matrimonium contraxit, cap. si quis viduam, (qui est canon 18. Apost.) dist. 34. Illegitimi quoque quasi infames, seu ignominia notati censentur: quamobrem natalium defectus dicitur, sicuti Abb. notauit in c. per venerabilem. num. 3. Qui filij sunt legitimi. Quamuis illegitimi non propriè & simpliciter infames censeri debent: sed solùm in ordine ad effectus iure expressos: cùm interim, si iura non prohibeant, ad actus legitimos & munera publica admitti debeant, v. g. ad munus tabellionis: item ad ius hæreditatis ex testamento, si aliquis carens ascendentibus ac descendentibus, illegitimum instituit, vt à fratre testatoris per querelam testamenti inofficiosi, quasi vilis & infamis persona instituta esset, repelli non possit, sicuti tradit Molina tract. 4. disp. 7. num. 5. Denique in Germania Carnificum, & quorundam lictorum filij infames censentur, adeo vt non solùm à publicis dignitatibus: seu etiam à mechanicis officijs repellantur.

Has autem iure ciuili constitutas infamias ideo enumeraui, quia omnes etiam à iure canonico receptæ & approbatæ sunt, generali regula Hadriani Papæ causa 6. quæst. 1. *Omnes infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant*: Nisi infamiam à iure ciuili introductam canones speciatim abstulerint: sicuti in ca. vlt. de secundis nuptijs ablata est infamia, decreta mulieri intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeunti, Authent. C. de secun. nuptijs.

Infamiam iuris autoritatiuè tollere seu abolere ad Principem spectat, comparatione subditorum suorum. 3
Ex quo sequitur, ad sum. Pontificem pertinere Ecclesiasticas personas quascunque in quauis Republica degentes, ex quacunque causa infamiam iuris contraxerunt pristinæ famæ restituere, vti notat Molin. tract. 4. disp. 10. numero 4. Quin & laicos ex plenitudine potestatis suæ restituere poterit, si videlicet eos in clericalem statum per sacram ordinationem recipiendos ex causa censuerit, sicuti docet Syluest. ver. infamia, quæst. 12. Molina ibid.

Infamia facti (quam Suarez cit. s. 1. num. 3. popularem ac vulgarem appellat) est, publica notitia vel opinio commissi criminis, per quod fama, & existimatio hominis, spectata personę qualitate & statu, apud viros prudentes grauiter læditur, sicuti colligitur ex l. ea, quæ pater C. ex quibus causis infamia, &c. vltim. de tempor. ordinat.

Sunt autem hîc aliqua aduertenda; I. Non tantùm publica commissi criminis euidentia: sed etiam communiter vulgata opinione infamiam contrahi; cùm infamia aliud non sit, quàm publicæ famæ, seu existimationis diminutio. Verùm etsi de crimine infami aliquis accusatus sit, non tamen ideo infamis censeri debet, nisi apud viros honestos, & probos famam eius læsam esse sciatur, sicuti docet Hostiensis in c. meminimus, de accusat. Nau. libro 5. consil. 7. de accusat. edit. 2. Quo in casu, & quotiescunque clericus non ex vanis, sed probabilibus coniecturis infamatus est de crimine, quod tamen plenè probari non potest, indicanda est ei purgatio canonica, vt iuret se delictum non commisisse: & compurgatores viros honestos adducat, qui iurent credere se purgatorem verè iurasse, iuxta c. quotiens, de purgat. canonica, & videri potest Simanca de cast. instit. cap. 56. Quòd si crimen, de quo aliquis infamatus est, graue sit, & cum scandalo iunctum. tunc superior illum interim suspendere debet, donec se purgârit, sicuti colligitur ex c. cùm P. & c. inter, eod. tit. 4

II. Vt aliquis de crimine infamatus dicatur, necesse est viros graues ac prudentes talem de homine existimationem habere: si autem constet, ab hominibus tantùm leuibus & imprudentibus rumorem criminis profectum esse, non ideò infamia contracta censeri debet, sicuti notat Abb. in c. quæsiuisti, n. 4. de accusat. & in cap. qualiter, 2. numero 29. eodem titulo, Qui vanæ voces hominum non sunt audiendæ, l. decurionum, C. de pœnis.

III. Crimen, de quo quis infamatur, debet esse tale, quod eum, attento statu personæ, & communitatis intra quam viuit, meritò abiectæ & vilis existimationis reddit: Quamobrem, inquit Mol. disput. 7. numer. 6. *Si homo secularis in simplices fornicationes incidat, vel immoderatè iuret, vel similia alia crimina habeat, non contrahit infamiam facti*: quod ego intelligo ad contrahendos ciuiles effectus infamiæ: sed ad Ecclesiasticos ordines talis inhabilis est, sicuti constat ex can. 17. Apost. & mox iterum dicam.

IV. Etiam infamia facti seu popularis aliquo modo ex iuris dispositione pēdet, videlicet quòd attinet ad effectus; seu impedimenta legalia. Quare facilius incurritur hæc infamia, spectato iure canonico, videlicet propter quoduis peccatum mortale, in quo aliquis notoriè perseuerat; quia ita significatur in c. testimonium, de testibus, c. constituimus, 3. q. 5. c. alieni, & seqq. 2. q. 7. c. infames, c. illi, q. 1. Ciuili autem iure infames censentur imprimis, quos ipsæ leges apud viros probos, sinistra opinione speciatim

tim notatos significant, v.g. filij quos pater in testamēto seriò increpauit, vbi habetur in cit.l.ea quæ pater. Sin verò leges non expresserunt, tunc Iudicis id arbitrio cōmissum videtur, considerata tum criminis nondum emēdati grauitate: tum etiam conditione, seu dignitate muneris, à quo criminosus repelli debet. Quod fermè etiā locum habet in infamia canonica: siquidem vt Molin. tract.4. disp.8. in fine annotauit, antiquis canonum rigor, vt propter quoduis peccatum mortale infamia incurratur, hodie non tam strictè obseruatur; saltem in ordine ad aliquos infamiæ effectus: quamuis maximè obseruari deberet, vt talis persona, antequam emendata sit, ad Ecclesiasticos ordines & beneficia non admittatur; atque testimonio eius tanto minor fides habeatur.

Venio nunc ad effectus seu impedimenta, quę ex iuris
5. tum ciuilis, tum canonici iuris dispositione per infamiam inducuntur. Quorum primus est, Quòd infames ad dignitates admitti non possint, sicuti habetur in l. vn. C. de infamibus lib.10. & l.2. C. de dignit. lib. 12. *Neque famosis, & notatis, & quos scelus & vitæ turpitudo inquinat & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, dignitatis portæ patebunt.* Quibus verbis admonet ibi Gl. omnem infamiam comprehendi, siue iuris sit, siue per sententiam, siue per improbam & vulgò reprehensam vitam. Idque totū multò magis canonico iure locum habet in ordine ad dignitates Ecclesiasticas, sicuti habetur in c. inter dilectos, de excessib. Prælat. ibi; *Cùm personis vilibus & indignis portæ dignitatis patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones* & reg.87. in 6. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Et debet id intelligi de quibusuis Ecclesiasticis beneficiis, quòd ab infami acquiri non possint, sicuti docet Abb. in c. querelam, de iureiur. Couarru.3. resol. cap. 3. num.3.

Est tamen discrimen inter infamiam iuris, & infamiā facti seu popularem, quòd illa non tantùm repellit à dignitatibus & beneficiis acquirendis: sed priuat etiam quęsitis, sicuti colligitur ex cit. l. vn. C. de infam. lib. 10. & ex communi docet Couar. in pract. qq. c.19. nu. 5. Syl. ver. infamia, num.15. Mol. tract. 4. disp. 11. Armilla ver. infamia, num.4. Quia sicut miles per contractam infamiam priuatur iure militari, vti habetur in l. 2. §. miles, ff. de his qui notantur infamia: ita multò magis miles spiritualis per infamiam priuatur iure Ecclesiastico, sicuti Gl. ibi argumentatur. Requiritur tamen sententia Iudicis ad executionem, sicuti Mol. ibid. notat nu. 3. Deinde debet id solùm intelligi de dignitatibus: non de aliis minoribus beneficiis, quorum priuatio ipso iure non incurritur, admissione criminis infamis: cùm id iure expressum non reperiatur: sed post Iudicis sententiam, sicuti docent Molina & Syl. ll. cc. Garcias par.7. de benef. cap. 8. num.37. & in simili Gloss. cap. vlt. verb. ex vi, de iure patron.

At verò infamia facti, quæ & popularis dici potest, repellit quidem ipso iure à dignitatibus & beneficiis acquirendis: non tamen priuat antè quæsitis: cùm id nullo iure expressum sit: quare priuatio dignitatis à legitimo Superiore inferenda est, si crimen depositione dignum existat, sicuti ex communi docet Mol. l. c. Garcias, num.35. Henriq. lib.14. c.5. num.3. lit. o. Auila p.7. disp.4. dub.5. concl. 2. Vide etiam Abb. in c. omnipotens, de accusat. vbi tractat, vtrum accusatus de crimine eligi possit? Et respondet negatiuè, si infamia præcessit: sin minùs, eligi quidem posse, ne malitiosè accusatio prętendatur: sed interim promouendum seu instituendum non esse.

Sed nunquid electio vel collatio beneficii facta infami ipso iure irrita est? Respondeo si loquamur de infa-
6 mia iuris, non est dubium collationem irritam esse: cùm hic vnus sit ex effectibus sententiæ, seu à canone, seu ab homine inflictæ. Sin verò loquamur de infamia facti, vtrū videlicet electio, seu collatio beneficii facta cuicunque alii criminoso, seu moribus improbo, ipso iure nulla sit? Negat Garcias p.7. c.8. n.47. etiamsi crimen sit depositione dignum. Alij verò affirmant Abb. cit. c. inter dilectos, num.8. Ioan. Selua p.3. de benef. q.5. num. 31. Nau. c.27. num.204. & 251. Mol. cit. disp.11. num.3. Auila p. 7. disp.4. d. ib.7. §. ex dictis sequitur. Ratio est: Nam omnis irregularitas præcedens collationem beneficij, reddit ipsam subsequentem irritam, ait Nau. l. c. Atqui omnis infamia non solùm iuris, sed etiam facti irregularitatem inducit, vt infrà dicam. Ergo non tantùm iuris, sed & facti infamia reddit subsequentem electionem, aut collationē beneficij irritam. Ergo respondeo, hanc posteriorem sētentiam haud dubiè veram esse in foro externo: ita, vt Iudex electionem vel collationem factam moribus infami perinde cessare debeat; ac si à principio irrita fuisset: at verò in conscientiæ foro electum, vel prouisum, si vitæ emendatione infamiam, & consequenter irregularitatem amouere velit, non obligari ad resignandum beneficium. Cùm enim talis criminosus nec à iure, nec ab homine condemnatus sit, non videtur illi tanta obligatio imponenda; si se ad beneficium habilem reddere velit. Idque colligitur ex eo, quod suprà dictum est hac p. c. 5. n. 4. in fine, prouisum in irregularitate beneficium retinere posse, si se super sola irregularitate dispensationem impetraturum speret: ergò multò magis in proposito casu, si hanc minùs propriè dictam irregularitatem ex vitæ improbitate ortam, vnà cum notoria pœnitentia abolere paratus sit.

Secundus effectus infamiæ est; quòd ea seu iuris, seu 7
facti sit, repellat hominem ab actibus legitimis, & publicis muneribus: cuiusmodi sunt Iudicis, assessoris, causarū patroni, accusatoris, testis, sicuti videre est causa 3. q.7. ca. licet, ca. testimonium, de testibus, & alia iura apud Sylu. ver. infamia, q.8. P. Greg. Tholos. l.31. syntag. c.29. n. 7. & seqq. Mol. ci. disp.11.

Tertius, & maximè huc pertinens infamię effectus est, quòd ea seu iuris, seu facti sit, irregularitatem inducit. 8
Quæ est communis sententia Doctorum, ex c. infames, 6. q.1. c. qui in aliquo; d.51. c. omnipotens, de accusat. Puros enim & immaculatos: non infamatos in clerum seu sortem Domini, & sacrum eius ministerium adoptari conuenit. Vide Scholasticos in 4. d.25. vbi Richard. a.6.

Restant duæ quæstiones: Prima. Vtrum infamia iuris & quæ inde nascitur irregularitas, contrahatur ob solam criminis admissionem, tametsi occultum maneat, seu in publicam notitiam non deueniat. Ità affirmat S. Ant. p.3. ti.28. c.6. §.7. Syl. ver. irregularitas q.14. Suar. dis.48. s.1. n. 17. cùm ait, quòd talis qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso iure annexa est, teneatur abstinere ab ordinibus tanquam irregularis, si cesset periculum se infamandi, &c. Contraria, eáque probabilior sententia est Glo. in c. inquisitionis, de accus. Abb. in c. ex tenore, de tempor. ordin. Cou.3. resol. c.3. n.2. Nau. c.27. n.248. Coninck dis. 18. du.7. n.56. Henr. l.13. c.36. & l.14. c.5. n.2. Auilæ p.7. dis. 4. du.7. concl.1. qui etiam regulam tradunt ex cap. vlt. de tempor. ordin. Quòd *per nullum crimen occultum, excepto homicidio*, adde tu violationem censuræ Ecclesiasticæ, *irregularitas contrahitur.*

Mihi verò ita respondendum videtur: Patratione cri- 9
minis occulti, quod iure ipso vt infame dānatum est, infamia & quæ inde oriuntur impedimēta legalia contrahuntur fundamētaliter, & in radice; accedente verò publicatione, extra vel intra iudiciū, efficitur infamia formaliter. Prior pars inde cōstat: Quia hæc est virtus latæ sētentiæ ipso iure, quòd per eā ipsum factum damnatur. Posterior pars inde; Quia infamia essentialiter consistit in diminutione famæ: ergo pœna infamiæ, cū suis effectibus, cōpletè non potest incurri ante criminis publicationem. Publicato verò, seu euulgato crimine statim sine omni Iudicis sententia, infamia indelebilis, & propriè dicta irregularitas contrahitur, vt mox iterum dicam.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum criminis infamia, &

quæ inde sequitur irregularitas, tollatur per pœnitentiam? Respondeo & dico I. Si crimen, quod vt infame à iure damnatum est, occultum fuit, & publicandum non putatur, criminosus, post actam pœnitentiam, sacros ordines accipere non prohibetur. Hanc suprà dixi esse probabiliorem, & benigniorem sententiam, sicuti etiam fatetur Garcias p.7.c.8.num.19. Cæterum, si quis existimet crimen infame, à se occultè commissum, in publicã notitiam deuenturũ esse, haud dubiè abstinere debet à susceptione ordinum, aut Ecclesiastici beneficij: nam alioquin ordinatus à Iudice deponetur, & collatio beneficij rescindetur, perinde atque si ab initio irrita fuisset, sicuti docet Suar. cit. sect.1.n.16.

Dico II. Infamia ipso iure, vel per Iudicis sententiam contracta, ob crimen notorium, non tollitur per pœnitentiam: sed per dispensationem Principis, cuius autoritate infamia decreta fuit. Est communis sententia, quam explicat Gratianus super c. Euphemium, 2. quæst. 3. & probat ex Calixto Papa epist.2 Ratio est: Qua talis infamia habet rationem pœnæ sententialis, quæ à legitimo Magistratu in perpetuum illata est: ergo tolli non potest, nisi ab eodem Magistratu. Nam eiusdem iurisdictionis est ligare & absoluere: pœnam imponere & in integrum restituere. Ex quo sequitur, quòd nec Magistratus Ecclesiasticus via ordinaria, & directa possit iure ciuili infamem restituere in ordine ad effectus ciuiles, vt videlicet ad dignitates & actus legitimos admitti debeat: Neque vice versâ, Magistratus ciuilis possit infamem iure canonico, v.g. hæreticum, vel contrahentem cum duabus restituere in ordine ad effectus canonicos, vt videlicet ad ordines promoueri possit. Quod tamen limitat Suarez disp.48.sect.2.num.10. Si infamia iure canonico directè ac speciatim decreta non sit: sed solùm indirectè, quatenus omnes iure ciuili infames, etiam canonicè infames & irregulares censentur, (quòd non deceat eos, qui à ciuilibus officijs repelluntur ad Ecclesiasticos ordines vel beneficia assumi) tunc ablata infamia ciuili per secularis Principis restitutionem, videtur etiam consequenter tolli inhabilitas seu irregularitas canonica.

Dico III. infamia facti, licet orta sit ex crimine enormi, & digno depositione, penitus tollitur per factum cõtrarium, id est, per publicam & constantem vitæ emendationem: sublata autem infamia, consequenter etiam cessat omnis inhabilitas, tum ciuilis, tum canonica. Sumitur ex c. testimonium, de testibus & attestat. vbi id docet Gl. & Innoc. & ex c. ferrum, d.50. *Non debet despici ineo, quod fuit, qui iã incipit esse, quod non fuit*, quæ sunt verba S.Greg. lib.18. moral. c.16. Ex c. nunquam, d.56. vbi S. Chrysost. ait. *Ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat.* Ex c. si duo, 35. q.6. ibi, *infames effecti, donec ab incesti crimine desinant.* Eandémque sententiam docent Abb. in c. inquisitionis, num.2. de accusat. & c. ex diligẽti, num.6. de simon. Syl. ver. infamia nu. 11. Sa numero 1.

10 Mol. tr.4. disp.7. in fine, & disp.10. in princ. Auila p.7. disp. 4. dub.5. Henriq. lib.14. c.5. num.3. Suarez disp.48. sect.2. num.6. & 8. Nicol. Garcias p.7. de benef. c.8. num.64. Coninck disp.18. dub.7. concl.3. Iulius Clarus lib. 5. sent. §. vlt. q.21. in fine n.1. vbi cum Salicet o ait: Infamiam istam plenè purgari emendatione vitæ per trienniũ. Ratio huius doctrinæ est: quia *cessante causa cessat effectus*, cap. cùm cessante, de appellat. & *Per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur*, c.1. de regul. iuris.

Hinc colligitur primò, cum Garcia l.c. Ex infamia facti non oriri propriè & simpliciter dictam irregularitatem. Nam irregularitas est perpetua inhabilitas ad ordines accipiendos, donec dispensatione tollatur. Quamobrem regula generalis sit: *Impedimentum, quod absque dispensatione tolli, seu ipsofacto cessare potest, non est propriè irregularitas*, v.g. defectus ætatis, scientiæ, morum, &c.

11 Colligitur secundò; Sacerdotem publicum concubinarium, vel adulterum, post peractam pœnitentiam & vitæ emendationem publicam, interposito saltem aliquo temporis spatio, sine dispensatione celebrare posse: quamuis contrarium senserit Nauar. cap.25. numer.73. & 77. quia existimauit, ex omni crimine notorio & depositione digno nasci irregularitatem simpliciter dictam, & indelebilem, sicuti idem docet cap. 27. numero 154. & 248.

Neque refert, quòd S. Anton. part.3. tit.27. cap.3. Syluestr. verb. concubinarius, quæst.5. Couarruu. Clem. si furiosus part.1. §.1. num. 5. existimant, Clericos concubinarios notorios suspensionem ab officio contrahere, quia ita significatur in cap. præter, distinct.32. c. si qui sunt, distinct.81. & c. vlt. de cohabit. Clericorum & mulierum. Nam suspensionem istam consuetudine sublatam esse, testantur Ioan. Gerson tract. de cognit. peccat. venial. & mortal. consider. 23. Medina libro 1. instruct. cap.11. §.8. Sotus in 4. distinct.1. quæst.5. a.6. circa 2. argum. Sairus lib.4. c.15. num.24. Henriq. lib.13. c.36. Suarez de censur. disp. 31. sect.4. Finellius casu reseruato 11. num.13. 15. & colligitur ex Trident. sess. 24. c.14. de reform. vbi dicitur quòd tales, post vnam & alteram admonitionem, à beneficijs suspendi; & si adhuc se non emendauerint, omnino priuari debent: quamuis post manifestam vitę emendationem cum eisdem dispensari possit, sicuti etiam habetur in c. at si Clerici, §. de adulteriis, de iudicijs. His adde: Licet iure antiquo fidelibus prohibitum fuerit, ne publici concubinarij Missam audiant, sicuti videre est in cit. c. si qui sunt, & c. nullus, c. præter, d. 32. vbi id Gratian. docet, & S.Th.3.p.q.82.a.9. ad 3. & quodlib.11. a. 8. Nau. c.25. n.80. hæc tamen prohibitio hodie post Extrauagantem *Ad euitanda*, locum non habet, priusquam tales tanquam in sacris vitandis publicè denuntientur, sicuti annotauit Sotus loc. cit. Henr. lib.9. cap.25. n.12. Suar. p.3. t.3. disp.18. sect.1. §. secundò est obseruandum, & colligitur ex c. vera, de cohabitat. Clericorum, in fine, verb. quamdiu tolerantur.

Denique ex his facilè colligitur, quid sentiendum sit 12 de hæreticis, & apostatis, vtrum post pœnitentiam & absolutionem ad sacros ordines admitti possint? Dico enim primò: Si hæresis, vel apostasia occulta fuit: nihil obstare videtur, quo minùs conuersi ordinentur. Ita probabiliter docent Sairus l.7. c.12. n.16. Philiarchus tom. 1. de offic. sacerd. p.1. lib.4. c.15. Henriq. lib.14. c.4. n.6. Auila p.7. disc.4. dub.2. Ratio est: Quia non propter hæresim & apostasiam secundùm se: sed quatenus iuris infamiam annexam habent, irregularitas decreta videtur; quamuis contrarium significent Syl. ver. hæresis, quæst.5. Nau. c. 27. n.205. quando absolutè aiunt, per hæresin irregularitatem incurri.

Dico II. Si hæresis vel apostasia notoria sit, impedit à susceptione ordinum, etiam post pœnitentiam & absolutionem. Est communis sententia ex c. Presbyteros, d. 50. c.1. c. qui in qualibet, c. saluberrimum, 1. q.7. c.2. §. hæretici, de hæreticis in 6. in quo decernitur, hæreticos eorúmque fautores, & in hæresi decedentium filios, ac nepotes ad nullum Ecclesiasticum beneficium, vel publicũ officiũ admittendos esse: sunt igitur ipso iure infames consequentes etiam irregulares. Quod tamen non pauci Doctores intelligũt solùm de liberis postea natis, quã parens in hæresim lapsus est: qui enim ante nati hi ex infecta radice non procedunt: licet alij aliter sentiant, vt videlicet apud Cou. 2. resol. c.18. n. 5. Iacob. Simancam de Cathol. institut. tit.29. n.22.

Notat verò Henriq. l.14. c.5. n.4. hæreticorum liberos irregulares non esse ijs regionibus, in quibus nulla ipsis ob crimen paternum infamia aspersa est. Quare eadem ratione probabiliter defenditur consuetudo septentrionalium quarundam regionum, in quibus Episcopi ordinare solent ex hæresi ad Fidem Catholicam conuersos & absolutos: eò quod tales neque in ciuili foro à publicis dignitatibus & officijs repellantur: qua de re vide etiã Nau. l. 1. con-

consil. 1. de constitut. q. 14. edit. 2. Illud verò certum esse debet, cum talibus ad Fidem Catholicam his regionibus reuersis, dispensari posse per priuilegium dispensandi super omnibus irregularitatibus, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, & natalium defectu contractæ sunt.

Cap. V.

De irregularitate ex natalium defectu.

SVMMARIVM.

1 *Illegitimè nati omnes irregulares sunt, etiam si defectus occultus sit.*

2 *Probabile est quòd Episcopus dispensare possit cum illegitimo occulto: oppositum tamen iuri conformius est.*

3 *Natus ex coniugato, post legitimam eius in sacris ordinationem, vel in Religione professionem, sine dispensatione ordinari non debet.*

4 *Cum expositis, quorum parentes ignorantur, Episcopus dispensare potest, vt in sacris ordinentur.*

1 Filij illegitimi omnes tum naturales, tum spurij irregulares sunt, canonici iuris constitutione c. 1. & 2. de filijs Presbyt. c. 1. eod. in 6. Quod introductum est partim in detestationem sceleris paterni: partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali natiuitate moraliter contrahere censetur: partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator existat, teste Gl. in c. 2. de filijs Presbyt. in 6. ver. defectu, & videri potest Richard. in 4. d. 25. a. 5. quæst. 3. Nauar. c. 27. num. 69.

Sed dubitatur primò: An qui occultè se illegitimum esse nouit, vt tamen id probari nequeat, neque de ea re fama vulgata sit, sacros ordines sine dispensatione accipere possit? Ita affirmat Alph. à Castro lib. 2. de lege pœnali, c. vlt. conclus. 3. Quia putat ex nullo facto aut crimine, etiam homicidio, si omnino occultum sit, vt probari non possit, suspensionis, aut irregularitatis pœnam contrahi. quod etiam tenuit Vincentius apud Angelum ver. homicidium, 5. quæst. 1. arg. c. ex terrore, de tempor. ordinat. in quo tamen nihil aliud habetur, nisi quòd criminosus notorius propter infamiam ordinari nō possit: sin verò crimen occultum sit, post pœnitentiam repelli non debeat. Secundò argumentatur Castro: Si in casu homicidij, aut natalium defectus omnino occulti irregularitas incurreretur, nunc infamandus esset ille, aut parentes eius, pro quo dispensatio peteretur. Contraria verò sententia est communis, Nauar. c. 27. num. 201. Vgolin. de irregul. c. 44. §. 1. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 13. num. 20. Auilæ part. 7. disp. 3. dub. 6. concl. 1. Couar. verò Clem. si furiosus, p. 2. §. 3. num. 4. in hac quæstione dubius mansit.

Mihi respondendum videtur primò: Quòd mater sciens occultè filiū esse illegitimum, non solùm permittere, sed etiam suadere ipsi possit, vt ordines suscipiat. Quia suadet filio, quod per se & suapte natura malum nō est, quodque ab ipso, laborante inuincibili impedimenti ignorantia, absque peccato fieri potest. Secundò: Si filius sciat, aut credat se illegitimum esse, atque ex vna parte grauis causa vrgeat, cur sacros ordines suscipiat: ex altera verò parte, si dispensationem peteret, grauiter se infamaret, saltem apud Papam vel Episcopum, tunc sine dispensatione ordinari potest: idque probare videtur ratio Castri. Exemplum habes: Si primogenitus Regis occultè sciens se legitimum non esse, hæreditatem fratri legitimè nato, & ad regnum idoneo non possit aliter relinquere quàm si fiat Cardinalis, Diaconus, aut Presbyter: non teneretur se infamare apud Summum Pontificem.

Tertio: Si nulla necessitas cogat sacrum ordinem suscipere: tunc illegitimus occultus abstinere cogitur, si super impedimēto suo dispensationem petere nolit. Quæ est communis doctrina: Quia iura absolutè significant illegitimos irregulares esse, nihil distinguendo inter occultum & notorium: vbi autem ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. Vide quæ dicam lib. 3. tract. 3. de iustit. p. 3. c. 14. q. 1.

Dubitatur secundò: Vtrum Episcopus super irregularitate ex occulto natalium defectu dispensare possit, etiam ad ordines sacros, & beneficium curatum? Ita affirmat Auila part. 7. disput. 3. dub. 7. Quia hæc irregularitas prouenit ex crimine parentum: quod cùm occultum est, sæpe non expedit ad Sedem Apostolicum referri: quæ causa esse videtur, cur dispensatio in inhabilitatibus ex occulto crimine, præter homicidium, Episcopis commissa fuerit. Accedit, quòd licet dispensatio in casu particulari facienda strictæ interpretationis esse debeat: tamen dispensandi facultas, cùm sit gratia & beneficium Principis, latè interpretanda est, argum. c. vlt. de simonia, iuncta Gl. ver. Abbates. 2

Hæc sententia probabilis est: sed contraria de iure probabilior, quam docuit Nauar. c. 27. num. 194. in fine, Suarez disput. 50. sect. 5. num. 5. Vgolin. tract. de irregul. cap. 44. §. 2. Nam hæc irregularitas proximè ac formaliter non est ex crimine; sed ex mortali macula & nota ipsius personæ. Accedit, quòd etiam sine vlla culpa parentum contrahi possit, vt si proles suscepta sit ex personis in amentia copulatis, sicuti notauit Coninck tom. 2. disp. 18. dub. 14. concl. 5. Si tamen bona fide aliquis ordinatus fuerat, cognito deinde natalium defectu, haud dubiè Episcopus dispensare potest, vt in susceptis ministret, sicuti notauit Henriq. lib. 14. c. 8. num. 16. lit. h. Auila part. 7. disput. 3. dub. 6. notab. 6. Imò fortasse, etiamsi mala fide ordines accepit, occultum natalium defectum subticendo, sicuti colligi videtur ex cap. nisi cùm pridem, §. personæ de renunt. *Licet irregularitatem non potuerit subticere: si tamen & culpa latet, & causa, cum eo qui laudabiliter suum impleuit officium (iniuncta sibi pœnitentia salutari) potest non minùs vtiliter, quàm misericorditer dispensari.*

Tertiò dubitatur de susceptis ex vero coniugio, sed parentibus illegitimè coeuntibus, videlicet post editum castitatis votum? Respondeo: Tali modo susceptos pro legitimis habendos esse: nisi certa aliqua lege aut canone constet, eos in ordine ad aliquem effectum pro illegitimis reputari. Huiusmodi autem canon vnicus extare videtur in cap. literas, de filiis Præsbyt. Quod natus ex coniugato, post legitimam eius in sacris ordinationem, vel in religione professionem, ad sacros ordines sine Papæ dispensatione admitti non debeat, sicut ex communiore docet Suarez disput. 50. sect. 3. num 5. Henriquez lib. 11. cap. 20. num. 1. quamuis contrarium visum sit Sanchez lib. 9. disp. 38. num. 7. 3

Quartò dubitatur de expositis, quorum parentes ignorantur, vtrum illegitimi & consequenter irregulares censendi sint? Aliqui affirmant apud Suarez tom. 5. disp. 50. sect. 4. num. 4. Couar. in Clem. si furiosus, p. 1. initio, num. 9. Alii verò apud eosdem negant: Quia in dubiis benigniora præferenda sunt, reg. 26. in 6. Et, Qui non demonstratur malus indignus, interim præsumendus est bonus ac dignus, iuxta c. vlt. de præsumpt. Contingere autem interdum, vt propter paupertatem, vel similem causam filii legitimi exponantur, præter alia ostendit exemplo Moysis cap. 2. Exodi. 4

Respondeo & dico I. Expositi filij, quorum parentes ignorantur, ad ordines sine dispensatione promoueri non solent, nec facilè debent: cùm vehemens suspicio sit, eos ex illegitimo toro natos esse. Neque negari potest, aliquam exinde ipsis maculam aspergi, ob quam meritò ab ordinibus repelluntur. Hæc est communis apud Couar. l. c. Hugol. cit. c. 44. §. 7.

Dico. II. Episcopus tamen cum expositis dispensare potest, vt ad ordines etiam sacros, & beneficia curata

promoueantur. Ita Couar. & Suarez ll. cc. Henriq. lib. 11. c. 20. num. 2. lit. l. & lib. 14. c. 8. num. 10. lit. L. Auila p. 7. disp. 3. dub. 9. Quia licet Episcopis iure ordinario concessum non sit dispensare in irregularitate, præsertim notoria: potest tamen dispensare in casu dubio, qualis iste est.

Dico III. Si expositus ad sacros ordines sine dispensatione admissus fuit, securè in susceptis ministrare potest. Ita Suarez & Auila ll. cc. Cùm enim ordinibus initiatus habeat ius quæsitum, melior dubio est conditio possidentis.

CAP. VI.

De irregularitate ex bigamia.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas bigamia est ob defectum Sacramenti.*
2 *Bigamia vera & propriè dicta est, si quis cum duabus legitimis vxoribus matrimonium consummauit.*
3 *Qui viduam, vel ab altero corruptam in matrimonium accepit, interpretatiuè bigamus est.*
4 *Qui accessit ad vxorem suam, postquam ab altero cognita est, bigamus censetur: ideóque ordinari non potest.*
5 *Clericus in sacris, qui antea fuerat coniugatus, si in Clericatu vxorem inualidè ducat, & cognoscat, efficitur irregularis, tanquam sit bigamus.*
6 *Si religiosus professus, vel Clericus in sacris vxorem ducat, irregularitatem contrahit: quamuis dispensabilem ab Episcopo.*
7 *Episcopus cum bigamo vero, aut interpretatiuo dispensare non potest, ad ordines seu maiores, seu minores accipiendos.*
8 *Bigamia non tollitur per baptismum.*
9 *Neque infamia ciuilis per Baptismum aboletur: sed infamia facti, etiam ea, quæ ex iniusto homicidio, videtur auferri.*

1 HÆc irregularitas dici solet ex defectu Sacramenti, c. debitum, de bigamis, c. acutiùs d. 26. Nam matrimonium consummatum in lege noua significat coniunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, teste Apost. ad Ephes. 5. Hæc autem significatio plenior ac perfectior est in matrimonio cum vna sola, eáque virgine: cùm etiam Filius Dei copulârit sibi Ecclesiam vnam, ab alio non assumptam. Non ita perfecta, sed quodammodo deficiens huius mysterij significatio cernitur in matrimonio cum vxore secunda, vel cum vidua, aut corrupta, sicuti interpretatur etiam S. Augustinus lib. de bono coniugali, cap. 18.

Gl. in c. 2. de bigamis, Syl. ver. bigamia, q. 2. Nau. c. 27. num. 195. Suarez disp. 49. sect. 1. princ. Auila p. 7. disput. 8. dub. 1. notab. 2. & alij communiter tres af-
2 ferunt species bigamiæ irregularitatem inducentis: I. est vera & propriè dicta, si vir cum duabus legitimis vxoribus matrimonium consummauit: quam ob causam irregularem fieri, & ad ordines assumendum non esse, constat ex Apostolica traditione, quam S. Paulus expressit, 1. ad Timoth. 3. *Oportet Episcopum vnius vxoris virum esse: Diaconi sint vnius vxoris viri.* Quibus verbis vetat Apostolus, ne is qui plusquam vnam vxorem habuit, Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ordinetur: quomodo hunc locum Patres omnes, & vniuersa semper Ecclesia intellexit, vti videre est canon. Apost. 16. & apud Tertullian. lib. 2. ad vxorem, Concil. Roman. sub Siricio, cap. 9. Concil. 4. Carthagin. canon. 69. S. Ambrosium Epist. 82. ad Ecclesiam Vercellensem, vbi addit; Patres Concilij Nicæni statuisse, *Neque Clericum quemquam debere esse, qui secunda coniugia sortitus sit.* S. Epiphan. hæres. 59. contra Catharos, Innocentium Papam Epistol. 22. ad Episcopum Macedon. c. 1. Cœlestin. 1. Epistol. ad Episcopum Galliæ; c. 6. Concil. Roman. sub Hilario, cap. 2. Gelasium Papam Epistol. 1. cap. 24. Lucium III. in cap. 2. & Cœlestin. III. in c. 3. de bigamis non ordinandis. Porrò si quis cum vna sola consummauit, cum altera verò priore, aut posteriore verè contraxit, sed non consũmauit, bigamiæ aut irregularis haud efficitur. Ratio est, quæ traditur ab Innocentio III. in cap. debitum, eodem tit. quia coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per carnis mysterium est contractum. Quare id vniuersim in hac materia notari debet, matrimonium seu viri, seu fœminæ, nunquam afferre causam bigamiæ, aut irregularitatis, nisi consummatum sit: quod semel annotasse sufficiat.

Altera est bigamia interpretatiua, quæ secundùm iuris interpretationem, fictionemve, bigamia censetur, ab ordinibus repellens. Eius tres modi afferri solent, quorum duo priores extra controuersiam sunt: I. Qui viduã, vel ab altero corruptam duxit, censetur bigamus & irregularis, sicuti de vidua habetur canon. Apost. 17. aliàs 18. cap. si quis viduam, distinct. 50. c. præcipimus, distinct. 34. quod est Gregor. I. lib. 2. Epistol. 25. ad Scyllacinum, aliàs Squilatinum Episcopum, c. debitum, & c. vlt. de bigamis. In c. verò curandum, d. 34. quod est, Hilarij Papæ in concil. Rom. generatim cauetur, *ne ad sacros ordines quisquam, qui vxorem non virginem duxit, aspiret.* Et apud Innoc. I. epist. 22. ad Episc. Macedoniæ, c. 1. *Nos, omnesque per Orientem, & Occidentem Ecclesias nouerit vestra dilectio, nec ad vltimum Ecclesiastici ordinis locum tales* (qui viduam, vel eiectam duxerunt) *assumere, & si reperti fuerint, submouere.* Et Concil. Carthag. 4. can. 69. sub Anastasio: *Simili sententia* (suspensionis ab officio ordinandi) *subiacebit Episcopus, si sciens ordinauerit Clericũ, eum qui viduam, aut repudiatam vxorem habuit, aut secundam.* Ratio peti debet ex defectu sacramenti, sicuti indicat Innoc. III. in cit. c. debitum: quia tale matrimonium non perfectam gerit similitudinem Christi copulantis sibi Ecclesiam soli desponsatam, & ab altero nom assumptam. 3

Exinde colligitur primò: Nihil referre, siue mulier volens corrupta fuerit, siue per vim: Item siue vir sciuerit esse viduam, vel aliter corruptam, siue ignorârit: quæ est communis sententia, contra Sa verb. irregularitas ex bigamia, num. 2. & alios apud Sanchez lib. 7. disput. 84. num. 15. Quia hæc irregularitas non oritur ex culpa, aut aliqua infamia personæ: sed ex defectu sacramenti. Vide S. Tom. in 4. distinct. 27. quæst. 1. a. 3. quæst. 1. Syluest. verb. bigamia, num. 2. Couar. Clem. si furiosus, p. 1. c. 2. §. 3. Sanchez num. 9.

Secundò intelligitur ratio, cur vir bigamiam interpretatiuam non incurrat, etsi ante matrimonium cum vna sæpiùs fornicatus sit, aut plures concubinas habuerit, sicuti docent Doctores in cap. quia circa, de bigamis. Quia tale matrimonium non patitur defectum sacramenti; quippe quod erga mulierem tendit, postulans vt ea pluribus viris cognita seu assumpta non sit: quare vbi reperitur maritalis coniunctio viri cum vnica ab alio carnaliter non cognita, consistit perfecta significatio Sacramenti.

Tertiò intelligitur; multò minùs fieri irregularem virum, si duxit mulierem non ab alio, quàm à se ipso ante matrimonium cognitam.

Alter modus bigamiæ interpretatiuæ est, si quis accessit ad vxorem propriam, posteaquam ab altero tempore matrimonij cognita fuit, cap. si cuius vxorem, cap. si laici, distinct. 34. Ratio est defectus Sacramenti: quia talis maritalis coniunctio desinit habere perfectam similitudinem Christi cum Ecclesia. Quare nihil refert, seu mulier volens, seu per vim cognita sit: item siue vir adulterium vxoris sciuerit, siue ignorauerit, sicuti docent Couarruu. Clem. si furiosus, part. 1. §. 2. num. 3. Nauar. cap. 27. num. 195. Syluest. ver. bigamia, q. 3. Auila part. 7. disput. 8. dub. 1. §. tertio modo, Suarez disp. 49. sect. 3. num. 16. 4

num. 16. Simon Maiolus lib. 1. c. 33. & colligitur ex c. si cuius vxorem, dist. 34.

Tertius modus bigamiæ interpretatiuæ à Doctoribus communiter affertur: Si quis post vnam legitimam vxorem carnaliter cognitam: aliam, priore viuente aut mortua, maritali affectu cognoscat, cum qua inualidè propter impedimentum nuptias contraxerat, censeri bigamum & irregularem: idque sumunt ex cap. nuper. de bigamis: vbi habetur: Eum qui mortua vxore sacrum
5 ordinem accepit, & postea in Clericatu secundam mulierem sibi matrimonialiter coniunxit, licet in veritate bigamus non sit, tamen quasi talis sit, pro irregulari habendum: non propter Sacramenti defectum: sed propter affectum intentionis, cum opere subsecuto. Existimant autem Doctores, hanc responsionem tantùm exemplariter datam de Clerico in sacris constituto: esse autem intelligendam de omnibus etiam laicis: si cum vna validè & postea cum altera inualidè matrimonium contrahant, consument, tanquam bigamos à sacris ordinibus repelli.

Porrò dubitant Doctores primò: Si priùs aliquis inualidè cum vna contraxit, postea cum altera validè: vtrum contrahatur bigamia interpretatiua & irregularitas? Negat Henriquez lib. 12. cap. 6. num. 9. in comment. lit. y. Sed affirmat Auila cit. dub. 1. notan. 2. Sanch. lib. 7. de matrimon. disp. 84. n. 5. & alij plerique.

Secundò dubitant: Si vtrumque matrimonium inualidè contractum fuit, vtrum irregularitas oriatur? Negāt Henriquez Auila ll. cc. Affirmant verò Nauar. num. 195. Suarez disp. 49. sect. 2. num. 11. Sanchez num. 3. & alij apud eundem.

Tertiò dubitant: Si quis contrahat cum altera simulatè vtrum bigamia interpretatiua, &c. contrahatur? Negat Henriq. cit. num. 9. lit. y. & alij apud Suarez cit. sect. 2. n. 3. Sed affirmat Suar. ibid. n. 10. & alij plerique.

Quartò dubitant; Si quis bona fide, nescius impedimēti cum altera contraxit, vtrum tanquam bigamus, & irregularis fiat? Negat cum alijs quibusdam Sanchez cit. disp. 84. num. 6. ratus hanc interpretatiuam bigamiam ratione culpæ introductam esse. Sed alij communiter affirmāt apud eundem Sanchez & Suarez sect. 2. n. 8.

Quintò dubitant: Vtrum contrahens (& consummans id enim suprà monui semper subintelligendum) inualidè cum vidua, vel corrupta, bigamiam interpretatiuam, & irregularitatem incurrat? Negat Nauar. cit. num. 195. Quia id nullo iure expressum est: irregularitas autem non incurritur, nisi in casibus iure expressis: quare ita in sacra pœnitentiaria conclusum fuisse, ait Nauar. quem sequitur Henriquez cit. num. 9. in fine, Auila dub. 2. Sanchez num. 11. Sed contrarium docet Couar. Clem. si furiosus, part. 1. §. 2. num. 2. Suarez sect. 3. num. 3. qui aiunt esse communem sententiam.

Mihi in hac sententiarum varietate duo dicenda videntur: Primum. Nullam harum irregularitatum ex iure canonico satis ostendi posse, sicuti expressè docent Ægidius Coninck disp. 18. dub. 11. num. 100. Henriquez lib. 12. cap. 6. num. 9. in comment. lit. y, vbi alios citat, sicuti & Suarez disp. 49. sect. 2. n. 4. Nam c. nuper, &c. vlt. de bigamis (ex quibus hæ irregularitates desumuntur) agunt de clerico in sacris constituto, ducente in clericatu vxorem, cùm ante clericatum coniugatus fuisset: talis ijs iuribus dicitur indispensabilis tanquam bigamus sit, licet in veritate non sit bigamus: cùm in eo non defectu sacramenti cernatur, sed intentio cum opere subsecuto. De laicis autem inualidè contrahentibus, quòd tanquam bigami repellendi sint, nusquam exprimitur. Neque licet nobis ad eos extensionem facere: cùm versemur in materia strictæ interpretationis: & valde credibile sit, Innoc. III. dictis responsionibus specialiter punire voluisse clericorum temeritatem: cùm dicat, non esse irregulares propter defectum sacramenti, sed propter prauā intentionem cum opere secuto: sicuti etiam *infamia notatur, qui duas simul vxores habet*, & Presbyter punitur *qui non legalibus nuptijs detinetur*. Quare satis ex textu intelligitur, non fuisse propositum Innocentio Papæ, nouum aliquod ius introducere: sed quod antiquis canonibus cōforme esset, decernere. Quòd autem matrimonium inualidè contractum, siue cum altera vxore, siue cum vtraque, siue cum vidua, irregularitatem tanquam ex bigamia inducat, id iuri conforme non est: quia *non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum*, reg. 52. num. 6.

Alterum. Cùm Doctores communiter consentiant, irregularitatem contrahi, tanquam bigamiæ, si laicus post primum matrimonium aliam, seu priore viuente seu mortua, seriò & non simulatè ducat, conscius impedimendi: hæc sententia in praxi sequenda est, iuxta ea, quæ dixi suprà cap. 1. n. 6. censuras & irregularitates, licet iure satis expressæ non sint, posse tamen per generalem Ecclesiæ consuetudinem, consensu Doctorum introductam, vim obtinere. In alijs verò casibus, qui inter Doctores dubij & controuersi sunt, non arbitror irregularitatem in praxi timendam esse.

Tertia afferri solet bigamia similitudinaria: Si quis 6
post professionem in religione matrimonium contrahat & consummet, quamuis cum virgine: is enim priorem fidem Christo datam irritam faciens, & cum muliere matrimonialiter se coniungens, quasi bigamus, ideóque irregularis censetur. Ita colligunt Doctores apud Sanchez lib. 7. disp. 85. n. 8. ex c. quotquot, 27. q. 2. quod est Concil. Ancyrani c. 18. aliàs 19. Quamuis, vt Henriq. notauit lib. 12. c. 6. n. 10. in comment. lit. h. ibi sermo esse videatur de virginibus Deo sacratis, quæ si post Christū, cui se spiritualiter desponsarunt, alteri viro carnali nubant quasi δίγαμοι, & adulteræ habentur: de irregularitate autem nulla prorsus ibi mentio fit. Nihilominus communis Doctorum sententia, & praxis ac traditio Ecclesiæ, quæ est optima canonum antiquorum interpres, Religiosos, ob matrimonium illegitimè contractum, & cōsummatum, irregularitatem incurrere; quamuis, dispēsabilem ab Episcopo, vel Prælato Ordinis exempto, sicuti docet Suarez disp. 49. s. 6. n. 7. & in fine, Auila p. 7. disp. 8. dub. 4. & alij.

Sed quid de clericis in sacris? De his enim maius dubium est inter Doctores, vtrum similitudinariæ bigamiæ irregularitatem contrahant. Ad quod respondeo & dico I. Si clericus in sacris vxorem viduam, vel ante clericatum coniugatus fuerat, quamcunque alteram in clericatu ducat, tanquam bigamus irregularitatem contrahit. Ita habetur in c. nuper, & c. vlt. de bigamis, vbi Gl. marginalis in cit. c. nuper, ver. *tanquam* dictam bigamiam inter similitudinarias numerat. Hoc *tanquam* inquit, *non est expressiuum veritatis: sed similitudinarium.*

Dico II. clericus in sacris, qui antea vxorem non habuerat, contrahat matrimonium cum virgine, irregularitatem contrahit: licet non bigamiæ similitudinariæ. Prior pars est communis, & apertè sumitur ex c. 1. Qui clerici, vel vouentes, &c. sanè Sacerdotes, de cler. coniugatis. Quibus tamen locis adiungitur, Episcopum cū tali, si post longam pœnitentiam, & laudabilem vitam continens fuerit, dispensare posse, vt officio restituatur: imò etiam ad superiorem ordinem ascendat, quod etiam vt suprà dixi, de Religioso intelligi debet: nam hæ duæ irregularitates ex contracto matrimonio à clerico in sacris, & Religioso à DD. æquiparantur. Posterior autem pars inde colligi videtur, quòd in titulis decretalium, quibus de matrimonio à clericis illegitimè contracto agitur, nulla vnquam bigamiæ mentio fiat. Accedit, quòd Innoc. III. in cit. c. nuper, & cit. vlt. agens de bigamia, in qua nullus etiam est sacramenti defectus: ait tamen, in ea dispensari non esse licitum, cum ergo in irregularitate contracti matrimonij à clerico in sacris, qui antea coniu-

gatus non fuerat, Episcopo dispensare liceat: sequitur non esse hanc irregularitatem bigamiæ similitudinariæ.

7 Existimat etiam S. Th. in 4. d.27. q.3 a.3. Syluest. ver. bigamia, q.7. Auila cit. dub.4. Episcopum cum bigamo quocunque dispensare posse ad ordines accipiendos. Id tamen Nauar. c.27. n.197. probabilius negat: cùm id sacri canones prohibeant, sicuti constat ex Innocentio I. epist. 22. & alijs locis suprà citatis, & ex c. 1. de bigamis, in 6. & c. nuper, c. vlt. extra eod. Ait verò Nauar. dispensari posse cum bigamo, vt in ordinibus minoribus, ante bigamiam susceptis, ministrare possit; quod verum est, si loquamur de nuda ministerij executione: Imò tunc dispensatione opus non est: cùm consuetudo Ecclesiarum obtinuerit, vt ad ministeria ordinum minorum quoscunque etiam laicos adhibere liceat. Verùm, vt bigamo conferatur officium, vel beneficium Ecclesiasticum, cui ordinum minorum ministerium per se annexum sit, ideóque clericalibus priuilegijs gaudeat: id iure communi licitum non est, sicuti constat ex cit. c. 1. & Trident. s.23. cap. 17. de reform. & notauit Suarez disp.49. s. 5. n.4. & s.6. n. 5. qui tamen monet, sententiam S. Thomæ seruari posse, vbi vsu recepta est.

8 Denique dicendum est, bigamum, etsi postea Baptismum accipiat, ordinari non posse. Ratio est, quam S. August. affert lib. de bono coniugij, cap. 8. relatus in c. acutiùs. d.26. Quia de sacramento agitur non de peccato: *In baptismo* autem *culpa dimitti potest, lex aboleri non potest*, ait S. Ambros. l.1. de offic. c. vlt. relatus in c. vna, ead. d. Debet autem hæc doctrina intelligi non tantùm, si quis ante baptismum vnam, & post baptismum alteram vxorem duxit, bigamum & irregularem fieri, sicuti docet S. August. & Innocent. locis citatis: Sed etiamsi quis ante Baptismum vtramque, vel vnam viduam duxerat, sicuti expressè docent Episcopi in Concil. Valentino sub Damaso, cap.1. Innoc I. Epist. ad victricium Rhotomag. Episc. cap.5. relatus à Gratiano d.34. *Si quis viduam, licet laicus, duxit vxorem, siue ante Baptismum, siue post Baptismum, non admittatur ad clerum. In Baptismo enim crimina dimittuntur, non acceptæ vxoris consortium relaxatur.* Et cap.6. *Ne is, qui secundam duxit vxorem, clericus fiat: Quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptarum vxorum numerus aboletur.* Et S. Ambros. in cit. c. vlt. cùm dixisset: *Plerisque mirum videtur, cur etiam ante Baptismum iterato coniugio ad electionem muneris, & prærogatiuam ordinationis impedimenta generentur*; duas rationes subiungit: Prima, *Quòd culpæ est, in Baptismo relaxatur: quod legis est, in coniugio non soluitur.* Ecce prima ratio, quia matrimonium, (abstrahendo etiam à Baptismo) secundùm primæuam institutionem, sacram significationē gerit Christi cum Ecclesia, vt idicam lib. 5. tr. vlt. p. 2. c. 1. n. 2. & p.3. c.6. n.2. à qua significatione aliquo modo deficit bigamia. Altera ratio Ambrosij est: *Quomodo potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit*: Quamuis contrarium senserit S. Hieron. epist. 83. ad Oceanū, cuius sententiam defendit Maior in 4. d.27. q.6. Eum, qui ante Baptismum duas vxores, vel viduam duxerat, clericum ordinari posse. quod etiam indicat Gennadius de Eccles. dogmat. c.72. relatus in c.2. d.33. Idémque colligi videtur ex can.16. alias 17. Apostol. *Qui post Baptismum duobus coniugijs fuerit implicitus*, &c. Quare aliqui existimant, in primitiua Ecclesia tales bigamos fuisse ordinatos, sed postea irregularitatem bigamiæ extensam fuisse. Vide Suar. s.6. n.15.

9 Porrò, exinde eadem ratione colligitur; Infamiam ciuilem in Baptismo non aboleri. Quare, si Iudæus v. g. furti crimen condemnatus, & virgis cæsus, Baptismum suscipiat; clericus ordinari non potest, nisi à Principe priùs famæ restituatur, sicuti notat Suarez disp. 48. s. 2. num. 12. Eadémque est ratio de natalium defectu, vti docet Syl. ver. baptismus, 6. n. 2. Sairus lib. 7. c. 13. n. 2. Infamia autem facti, orta v. g. ex iniustis homicidijs, adulterijs, per Baptismum aufertur. Atque ita intelligenda est Gl. c. sine pœnitentia, d. 4. de consecrat. quam sequitur Abb. gaudemus, num. 16. de diuortijs, Syl. l. c. Henriq. lib. 14. cap. 17. §. 2. Sairus loc. cit. Ratio est, Quia Baptismo non solùm tolluntur peccata; sed etiam morales maculæ seu deformitates, quæ præcisè ex peccato contractæ sunt, vti etiam Innocent. annotauit in cit. c. gaudemus. Quamquam, si delicto ante Baptismum contracto, persona aliqua vel Communitas læsa fuerat, obligatio satisfaciendi per Baptismum non extinguitur; adeo quidem, vt Iudæus v. g. propter furta, vel homicidia ante Baptismum commissa, post Batismum accusari, atque puniri possit, sicuti docent Innocent. & Hostiensis in cit. c. gaudemus, Henricus Gandauensis quodlib. 14. quæst. 15. Sin verò peccatum ante Baptismum commissum duntaxat in Dei iniuriam cedat: Videlicet Iudæus sacram hostiam cultro sacrilegè conscidit; exinde mox sanguis profluxit: quo ille miraculo commotus, Fidem Christianam atque Baptismum sponte petiuit, ac impetrauit: talem hominem non esse propter commissum facinus pœna aliqua afficiendum, valde probabiliter resoluit Henricus cit. q. 15. & significant Hostiensis & Innocentius cit. loco.

Sed & istud plerique Doctores affirmant, Henricus quodlib. 6. quæst. 20. Abbas, Syluester, Henriq. Sairus ll. cc. Auila part. 7. disp. 10. dub. 2. Defectum lenitatis, contractum ex homicidio iusto à milite, Iudice & c. per susceptionem Baptismi deleri. vt talis ex hoc capite à clericatu non impediatur, sicuti colligitur ex c. si quis viduam, distinct. 50. licet contrarium sentiat Innocent. in cit. c. gaudemus, & alij apud Gl. in cit. c. si quis viduam. Ratio autem probabilioris doctrinæ est: Quia homo per Baptismum quasi in alterum virum mutari, Christique tanquam agni mansuetudinem induere censetur.

CAP. VII.

De irregularitate ex corporis vitio.

SVMMARIVM.

1 *Omnis defectus corporis, qui vel congruum ordinis exercitium impedit, vel notabilem deformitatem adfert, irregularitatem inducit.*

2 *Vnius oculi, etiam sinistri, priuatio, sine notabili deformitate, irregularem non efficit.*

3 *Cum Lunaticis, arreptitijs, &c. si plenè conualuisse videantur, Episcopus dispensare potest.*

4 *Claudus irregularis non est, nisi magna sit gressus deformitas.*

5 *Qui sibi ipsi membrum, vel partem membri per iniquitatem amputat, vel amputari iubet, irregularis efficitur.*

6 *In dubio, an defectus corporis sit, notabilis & irregularitatem inducens, ad Ordinarium pertinet iudicare.*

Omnis defectus corporis, qui vel congruum exercitium ordinis impedit, vel notabilem deformitatem aut horrorem adfert, irregularitatem inducit, sicuti constat ex tit. decr. de corpore vitiatis, c. presbyterum, de clerico ægrotante. Ex priore capite impediti congrui exercitij, irregularis est, cui brachium vel manus deest, aut manca est, c. exposuisti, de corp. vitiatis: vel cui digitus abest ad frangendam & eleuandam hostiam necessarius, videlicet pollex, aut index, c. vlt. eod. tit. Deinde cæcus, surdus, vel gradiendi, aut standi facultate destitutus, sicut habetur can. 77. Apost. Et de surdo videri potest Nauar. lib. 1. consil. 7. & 8. de corp. vitiatis, edit. 2. vbi ait: Eum, qui post legitimam ordinationem omnino surdus factus est, secretò sine ministro respondente celebrare posse. Præterea manus, qui ita statura paruus est, vt brachia attollere non possit, quatenus necesse est ad altaris ministerium. 1

Expo-

Ex posteriore capite notabilis deformitatis, irregularis est, cui aures vel nares abscissæ sunt, sicuti ex communi Nau. c. 27. n. 223. Nisi aurium deformitas capillatura tegi possit, sicuti notat Auila p. 7. disp. 3. dub. 1. §. sequitur secundò Coninck disp. 38. dub. 13. n. 108. Præterea vnipes, vel qui faciem vstulatam, maculatam, vel gibbum valde deformem habet, sicuti tradit Nau. n. 199. Mol. tr. 3. disp. 70. Auila cit. dub. 1. ex c. 1. d. 36. Item Hermaphroditus ad sexum virilem magis inclinans, cùm sit monstrum, sicut docet Nau. n. 203. Suar. disp. 51. s. 2. n. 2. Si autem ad sexum fœmineum magis accedat, characteris etiam incapax est, argum. l. quæritur, ff. de statu hominum. Idémque simili ratione dicendum de professione Religionis, nullius valoris esse, si inter viros fiat ab hermaphrodito, in quo potentia muliebris præualet, sicuti docet Nauar. lib. 3. consil. 47. de regul. edit. 2. arg. l. quæritur, ff. de statu hominum.

2 Irregularis quoque est, qui oculi dextri vel sinistri facultate cum notabili deformitate priuatus est, sicuti constat ex c. vlt. d. 55. Sed etsi notabilis deformitas non appareat, orbatio tamen oculi sinistri, quem & canonicum appellant, irregularitatem conciliat: nisi oculus dexter tali polleat virtute, vt sine deformi faciei conuersione, canon legi possit: ad quam rem inseruire etiam potest libri accommodatio: qua de re Nauar. cit. n. 199. Auila cit. dub. 1. §. hinc sequitur primò, Mol. tr. 3. disp. 70. Sa ver. irregul. ex corporis defectu, n. 3. Suarez disp. 51. s. 2. num. 15.

Ex vtroque verò capite irregulares sunt leprosus, paraliticus, phreneticus, amens, arreptitius, morbo caduco laborans. Imò qui in veram, stabilem, seu habitualem amentiam incidit, etsi conualuisse videatur, ordinari non solet, sicuti notat Gratianus in c. vlt. 15. q. 1. Nau. c. 203. Suarez disp. 51. s. 1. n. 4. Idémque sentiendum de Epileptico, seu morbum caducum passo, sicuti constat ex c. maritum, & tota d. 33. Ratio est, quia tales nunquam perfectè sani creduntur.

3 Veruntamen, si integrè conualuisse videantur, (quod Prælati iudicio relinquitur) qui antè ordinati erant ad celebrationem admitti possunt, sicuti ex communi docet S. Anton. p. 3. tit. 28. cap. 5. in fine, Syl. ver. corpore vitiatus, q. 8. Nau. n. 203. Suar. s. 1. num. 5. Henriq. lib. 14. c. 8. n. 9. Sacerdos quoque, si in lepram incidit, vbi sine scãdalo priuatim potest celebrare, non est prohibendus, sicuti colligitur ex c. de rectoribus, & c. tua, de clerico ægrot. & notat Syl. q. 7. Sa n. 3. De epileptico quoque tradit S. Anton. l. c. Syl. q. 8. Nauar. num. 203. Mol. cit. disp. 70. n. 12. Henriq. c. 8. n. 8. & in Gl. lit. o. Auila dub. 4. conclus. 1. Si rarò cadat, & spumas ore non euomat, priuatim celebrare posse, adiuncto ei socio sacerdote, qui missam prosequi posset, si alter deficeret, iuxta c. illud, & sequẽt. 7. q. 1. c. ex literis, 7. q. 2. Idémque videntur sentire de furioso, aut Lunatico, si non ex omni parte curatus, constantia tamen lucis interualla habeat. Arreptitius verò seu à dæmone possessus ad celebrationem admitti non debet: quamuis Episcopus, postquam is plenè à dæmone liberatus videtur, dispensare potest, secundùm Syl. q. 8. Henriq. cit. n. 8. in comment. lit. f. Auila l. c. Quin imò existimat Mol. cit. disp. 70. n. 11. & consentire videtur c. communiter, d. 33. Æquum esse, vt Episcopus cum Lunaticis aut dæmoniacis in sacro aliquo ordine constitutis, si plenè conualuisse videantur, dispenset, quò ad altiorem ordinem ascendere possint. Quod etiam dicendum de Religiosis, etsi nullos adhuc ordines acceperint: cum quibus dispensari quoque potest virtute priuilegij dispẽsandi in omnibus irregularitatibus, excepto homicidio voluntario, bigamia, &c. quamuis alioquin in irregularitate ex notabili corporis vitio solius sum. Pontificis sit dispensare, sicuti ex communi notat Couar. p. 1. princ. n. 7. Nau. 200. Mol. in fine disp. 70.

Porrò irregularis non est, qui sex digitos in manu habet, neque qui vno digito ex minoribus caret, modò sine notabili deformitate cruces formare possit: Neque claudus 4 nisi magna sit gressus deformitas: vel nisi baculo, vel pede ligneo niti debeat, quod indecorum est in altaris ministerio, sicuti docet Gl. c. si quis in infirmitate, d. 55. & c. nullus Episcopus, d. 1. de consecrat. Vide Syl. ver. corp. vitiatus. q. 3. & 5. Molin. cit. disp. 70.

Multò minùs irregularis est, qui membro aliquo occulto, v. g. genitalibus sine propria culpa, priuatus est, sicuti constat ex c. si quis à medicis, & seqq. d. 55. c. ex parte, 2. de corp. vitiatis, & ex communi tradit Couar. clem. si furiosus, p. 1. principio n. 5. Vulgi error est, inquit Nau. n. 200. membrum alicui abscissum in pulueres redactum deferendum esse, ad irregularitatem vitandam. Sin verò aliquis causam culpabilem præbuit, vt membrum occultũ sibi abscinderetur, v. g. adulter in adulterio deprehensus à marito adulteræ: irregularitatem incurrere videtur, si vera mutilatio ipsi accidit, sicuti notauit Nau. n. 198. Mol. n. 18. Suar. disp. 51. s. 2. n. 8. Auila cit. disp. 3. dub. 1. §. sequitur tertiò, Denique, si quis sibi ipsi membrum, vel partem membri voluntariè & illicitè abscindat, vel ab altero abscindi iubeat, licet defectus occultus sit, incurrit irregularitatem ex deformitate illicita. Verùm de irregularitatibus quæ ex mutilatione aut homicidio oriuntur, commodiùs agam lib. 3. tract. 3. de iustit. p. 3. cap. 7. & seqq.

6 Ad extremum nota. In dubio, num corporis aliquis defectus notabilis sit, vt irregularitatem inducat, ad Ordinarium Prælatum pertinet arbitrari, arg. c. 2. de corp. vitiatis. Quòd si is sit Prælatus v. g. Ordinis ab Episcopo exemptus, qui dimissorias dare potest, ipsi hoc arbitrium ferre licebit, sicuti contra Syl. q. Nau. n. 200. docent Angelus. ver. corpore vitiatus n. 5. Auila cit. disp. 3. dub. 2. Armilla n. 3. Suarez disp. 51. s. 2. n. 16. qui tamen rectè addit; Episcopum ordines conferentem posse tale arbitrium vel admittere, vel reijcere.

CAP. VIII.

De Irregularitate ex obligatione seruili, &c.

SVMMARIVM.

1 *Seruus seu mancipium, sine domini consensu, ordinari non potest.*

2 *Neque coloni originarij, qui non tantùm ratione personarum; sed personaliter etiam obligati sunt, ordinari debent, priusquam à domino suo liberi existant.*

3 *Sed & quicunque secularis muneris obligatione astricti sunt, prius se expedire debent, redditis etiam rationibus, quàm in clerum ordinentur.*

4 *Clerici in sacris, & beneficiati officio tabellionis fungi non possunt: ne quidem in causis Ecclesiasticis, & Episcoporum consistorijs, nisi pauperes sint, vel nisi consuetudine diœcesis aliter receptum.*

5 *Clerici non prohibentur in curijs Principum secularium fungi officio Cancellarij, Consiliarij, imò etiam Iudicis in ciuilibus causis: quamuis id plerumque non expediat.*

6 *Olim vsitatissimum erat, vt Episcopi in ciuilibus fidelium controuersijs iudicium ferrent.*

1 Seruus, seu mancipium, cùm sui iuris non sit, sed in domini potestate constitutus, in clerum assumi seu ordinari non potest, sine expresso vel tacito consensu domini sui, vti habetur can. 81. Apost. & tota d. 54. & lib. 1. decret. de seruis non ordinandis, vbi vide Gl. c. 2. ver. deponatur, & Scholasticos in 4. d. 25. vbi S. Bonau. a. 2. q. 4. Rich. a. 5. q. 1. Idque etiam in libertis particularium, præsertim secularium personarum, olim locum habebat, vt dominis eorum viuentibus, & inuitis, non ordinarentur, sicuti constat ex c. quicunque, & c. vlt. d. 54. Quia liberti gratitudinis vinculo obnoxij manebãt dominis suis, adeo, vt si contra eos agerent, seu delinquerent, in seruitutem

iterum redigi possent, l. vlt. C. de bonis libertorum, l. 2. C. de in ius vocando. Si autem seruus, sciente & non cõtradicente domino, in clerum fuit ordinatus, ex hoc ipso liber & ingenuus est, Constitut. si seruus sciente, ead. d. Quòd si domino nesciente, aut contradicente in minoribus tantùm seruus ordinatus fuit, potest eum sibi vindicare ac repetere, argument. cap. 2. de seruis non ordinandis, & cap. 2. d. 54. Sin verò sacro ordine seruum Episcopus scienter ordinauit, duplicatum domino pretium soluere cogitur, c. si seruus absente, iun. Gl. de 54. Quandoquidem & dominus hoc casu grauatur, vt seruum ita ordinatum venundare cogatur. Quòd si Episcopus bona fide ordinauit, tunc alij qui seruum ad ordines accipiendos induxerant, similem satisfactionem dupli præstare coguntur. c. si absente, ead. d. Sin verò à nullo inductus fuit seruus, ex proprio peculiò oblato pretio, vel simili seruo, se ipsum redimere cogendus est, c. ex antiquis, ead. d. si autem offerre non possit, in seruitutem à domino intra anni spatium vendicari potest: nisi Sacerdos ordinatus sit: quamuis etiam tunc in spiritualibus officijs domino ministrare tenetur, si exigat, c. frequens, ead. d. Cæterùm si dominus, posteaquam seruum ordinatum esse intellexit integro anno dissimulet, censetur ei omnem libertatem dedisse, cit. c. si seruus sciente. Potest etiam Dominus tali conditione libertatem dare, & facultatem ad ordines accipiendos, vt ipsi in spiritualibus officijs ministrare teneatur, c. nullus, de seruis non ordinandis.

His adde: Simili ratione seruum domino suo ignorante, aut contradicente Religionem ingredi non posse: alioquin à domino intra tempus iure definitum repeti potest sicuti docet Nau. in comment. 1. de Regul. n. 7. ex c. 1. d. 54. c. si quis incognitus, 17. q. 2. Vide Gl. ibid. & Less. lib. 2. c. 41. num. 31. Azor to. 1. lib. 12. c. 1. q. 3.

2 Nota autem, quæ de seruis dicta sunt, ferme etiam locum habere in ijs, qui serui originarij, vel ascriptitij dicũtur, si dominis suis non tantùm ratione possessionum, sed etiam personaliter obligati sunt: vt nisi pretio persoluto, vel gratis à domino manumissi, discere non possint: quales serui, *Seibaigne* adhuc hodie multi in Germania reperiuntur: Videri potest c. admittuntur, ead. d. 54. quod est Leon. I. Ep. 1. ad omnes Episcopos.

3 Sed & alij coloni, qui rationi possessionis, vel administrationis suæ domino obligati antè ordinari non debent, quàm eiusmodi obligationibus liberi sint, atque administrationis suæ rationem reddiderint, sicuti apertè habetur in cit. c. admittuntur, & c. generalis, ead. d. quod est Gelasij Epist. 1. ad Episc. Lucaniæ, c. 16. & colligitur ex c. 1. de obligatis ad ratiocinia, & c. 3 d. 54. Etsi enim ibi in specie solùm dicatur de procuratoribus, actoribus, curatoribus seu tutoribus pupillorum, (nisi sint constituti causâ pietatis, vel miserabilium personarum, secundùm Gl. receptam in cit. c. 1. ijsque qui publicis officijs, puta tabellionis, &c. deputati sunt, vt ad ordinationem nisi deposito munere non admittantur: tamen eadem omnino ratione idipsum sentiendum est de quibuscunq; personis obligatis aliquo munere, quod ipsas minus expeditas reddat ad seruiendum Deo in officijs spiritualibus iuxta illud Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* idque obseruauit Suarez dis. 51. s. 3. Verùm, neque deposito tali munere ordinari antè debent, quàm redditis rationibus ad eiusmodi curis se expediuerunt: Sin verò post redditas rationes debito pecuniario obstricti permaneant, non videntur ab ordinibus excludendi: præsertim, si de solutione debiti cautionem præstare possint, sicuti Suarez notauit cit. sect. 3. num. 23.

4 Ob eandem causam, ne videl. clerici secularibus negotijs dediti, spiritualium officiorum administratione impediantur: præcipitur in c. sicut, Ne clerici vel Monachi, vt qui in sacris ordinibus constituti sunt, per subtractionem beneficiorum compellantur officium tabellionatus relinquere. Idémque sentiendum esse de alijs clericis, si beneficiati sint; valde probabiliter docet Syl. ver. Tabellio, q. 3. §. tertium, post Panorm. in cit. c. sicut, num. 7. Accedit etiam alia ratio huius prohibitionis, quia officium tabellionis vile est, ideóque indecens personis ecclesiasticis, arg. l. non aliter, ff. de adoption.

Verùm, an in causis Ecclesiasticis v.g. consistorio Episcopi, clericus beneficiatus tabellionis munus exercere possit, Doctores non consentiunt. Plerique autem negãt id extra curiam Papæ licitum esse clerico in sacris, non indigenti, sed sufficiens beneficium vel sustentationem habenti: quia vniuersim & sine distinctione prohibetur in cit. c. sicut. Ita Gloss. ibid. ver. clericis, Abb. in 6. Syl. cit. q. 3. Rosella eod. ver. §. 4. Attendenda tamen est diœcesium consuetudo, per quam contrarium introduci potest; cùm officium tabellionis in Ecclesiasticis causis absolutè non dedeceat Ecclesiasticas personas.

Neque item in specie prohibitum reperitur, sed potiùs per Ecclesiæ consuetudinem concessum, vt personæ Ecclesiasticæ in Principum, etiam secularium, curijs fungi possint officio Consiliarij, Cancellarij, imò etiam Iudicis in causis ciuilibus, vti monet Abb. in c. clericis, n. 10. Ne Clerici vel Monachi, & in c. non est, n. 4. de voto. Non autem in causis criminalibus, quamuis citra mortis vel mutilationis sententiam, vti colligitur ex c. sed nec, & cit. c. clericis, Ne clerici vel Monachi, & l. si qui, C. de Episc. audientia. Excepto tamen casu, si Fidei defendendæ causa, aut bonum spirituale animarum id exigat, vti notauit Mol. tract. 3. disp. 8. n. 10. arg. c. in Archiepiscop. de raptoribus. 5

His adde, olim vsitatissimum fuisse, & pro æquissimo ac pene necessario habitum, vt fideles in litibus ciuilibus, maximè si grauatos se sentirent, Episcopi, tanquam Christianorum, maximè oppressarum & miserabilium personarum defensoris, officium atque iudicium postularent; eiusque sententia tanquam vltima & irrefragabili standum fore, dicunt Impp. Constantinus in rescripto ad Ablauium, l. 1. Cod. Theodos. de Episcop. iudicio: Arcadius & Honorius in l. 9. Cod. Iustinian. de Episcop. audientia: Episcopale *iudicium ratum sit omnibus qui se audiri à Sacerdotibus elegerint: eámque illorum iudicationi adhibendam esse reuerentiam iubemus, quam vestris deferri necesse est potestatibus, à quibus non licet prouocare.* Atque in eiusmodi causis S. August. valde occupatum fuisse, testis est Posidonius cap. 19. vitæ eius: & ipsemet S. August. scribens de opere Monach. cap. 29. *Multò mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasterijs constitutum est, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotijs secularibus vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos molestijs affixit Apostolus* (1. ad Corinth. 6.) *non vtique suo, sed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio.* 6

CAP. IX.

De dispensatione super irregularitatibus.

SVMMARIVM.

1 *Solus Papa proprio & ordinario iure in irregularitatibus dispensat.*

2 *Quamuis in omnibus irregularitatibus Papa dispensare possit, in aliquibus tamen rarò solet, videlicet in bigamia, præsertim vera; in homicidio voluntario, si notorium sit: in corporis defectu, si valde deformis sit.*

3 *Ad arbitrium Episcopi pertinet iudicare, vtrum vitij deformitas grauis sit, & irregularitatem inducens. Faciliùs autem permittet, vt aliquis in ordine iam suscepto ministret, quàm vt de nouo ordinetur.*

4 *Episcopi dispensare possunt in irregularitatibus prouenientibus ex crimine*

ex crimine occulto, id est, non notorio aut famoso.

5 *Non possunt dispensare, quamdiu crimen sub foro contentioso versatur: finito autem iudicio, si vel Reus absolutus sit, vel occulte punitus ac toleratus, videntur posse dispensare.*

6 *Per professionem in Religione nō tolluntur irregularitates, præter eam, quæ est ex defectu natalium.*

7 *Prælati Ordinum mendicantium amplam potestatem habent dispensandi cum suis super irregularitatibus.*

Non possunt tamen cum suis dispensare super bigamia vera: homicidio voluntario, si notorium sit: & super corporis defectu valde graui, ita vt in tali nec sum. Pontifex dispensare facilè soleat.

1 Assertio. Solus Papa in irregularitatibus iure ordinario dispensare potest. Est communis doctrina. Quia irregularitates iure vniuersali canonico constitutæ sunt, in quo nemo inferior sum. Pontifice dispensat. Quamuis autem is absolutè possit dispensare in omnibus, tamen in quibusdam raro solet, videlicet in irregularitate bigamiæ, præsertim veræ ac propriè dictæ; cùm illa ex Apostolica traditione descendat: qua de re S. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 3. art. 3. Durand. ibidem q. 4. Maior q. 6.

2 Secundò in irregularitate ex homicidio voluntario & illicito non facilè Papa dispensat ad ordines accipiendos, sicuti tradit Syl. ver. homicidium, 3. q. 8. Couar. in clem. p. 2. §. 3. n. 3. Auila p. 7. disp. 6. s. 5. dub. 3. Nisi crimen occultum sit, ita vt iudicialiter probari non possit: Imò tunc etiam Episcopum dispensare posse, saltem vt in susceptis ordinibus ministretur, docent DD. aliqui apud Couar. l. c. num. 4. Sed contrarium est verum, & satis indicatum in Trident. sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6. de reform. Excepto tamen casu necessitatis, si ad Papam non sit facilis recursus, vti notauit Auila s. 3. dub. 3. Vide etiam Nau. ca. 27. n. 240.

Tertiò in irregularitate ex corporis defectu, si nimis magna deformitas appareat, vt in populo Christiano scandalum generare possit, si talis ad altaris ministerium accedat, non dispensat Papa, teste Auila p. 7. disp. 3. dub. 3. secus si non magna deformitas: qualis est v. g. macula albuginis in oculo, iuxta c. 2. de corp. vitiatis: cum quo tamen si Religiosus fieri velit, dispensari posse, significat Sylu. ver. corpore vitiatus, q. 4. §. 6. Angelus, nu. 2. Sed meliùs

3 sentit Simon Maiolus lib. 18. c. 20. Si magna sit deformitas oculi, esse casum Papæ reseruatum. Ad arbitrium verò Episcopi pertinet iudicare, num magna videatur: qui etiam faciliùs admittere ad ordines potest eum, qui Religiosus fieri vult. Deinde si talis deformitas, v. g. oculi cæci, aut maculosi, superueniat clerico post sacerdotii susceptionem sine culpa eius, ait Maiolus lib. 1. cap. 18. §. quæ omnia, & in fine cap. celebrare eum posse, donec ipsi ab Episcopo interdicatur: sed tutius est, vt petatur Episcopi arbitrium, qui considerata causa, licentiam plerumque dare poterit, saltem vt priuatim celebretur: vel etiam publicè, si non tam magna deformitas sit, vt scandalum generare possit: idéque similiter dicendum de claudicatione, gibbo, &c. Nam longè maior deformitas requiritur, ob quam aliquis, postquam ordinatus est, à ministerio repelli debeat: quàm ad ordinationem non admitti.

4 Dixi autem in assertione: Iure ordinario ac proprio Episcopos, & similes Prelatos in irregularitatibus non dispensare. Nam ex commissione ipso iure facta ipsorum dignitati, in quibusdam dispensare possunt, qualis facultas est illa Trid. sess. 24. c. 6. dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, exceptis aliis delictis deductis ad forum contentiosum. Circa quam concessionem notandū est primò: Occultum hoc loco censeri delictum, quodcūque non est notorium aut famosum, quamuis à tribus, aut quatuor in occulto sciatur, ita vt iudicialiter per testes probari possit, iuxta ea, quæ dixi suprà p. 2. c. 4. n. 2. & tradit Nau. c. 27. n. 254. §. vndecimò, Auila p. 7. dis. 10. du. 6. circa secundam conditionē; qui addit, etsi factum notorium sit, quia multi præsentes erant, si tamen nesciebant id esse prohibitum, ideoque crimen occultum māsit, dispensare Episcopum posse: v. g. si Diaconus solemniter infantem baptizauit, coram plebe nesciente Diaconum commissionem legitimam non habuisse, aut sine commissione tale ipsi ministerium seuerè prohibitum esse, sicuti etiam docet Rodriq. part. 1. summ. capite 166. concl. 3.

Secundò notandum: Episcopum super irregularitate orta ex crimine, dispensare non posse, quamdiu illud sub foro contentioso versatur, etsi videatur plenè probari nō posse, sicuti docet Henriq. lib. 14. c. 7. n. 5. At verò dispensare poterit, postquam iudicium finitum est: siue quia Reus absolutus (esto iniquis, & falsis remedijs absolutionem obtinuerit, sicuti docet Rodriq. c. 167. conclus. 4. Henriq. lib. 14. ca. 4. n. 5. Auila p. 7. disp. 10. dub. 6. in fine: quia crimen manet occultum, vt pono, & cessat ratio deducti ad forum contentiosum) siue quia Reus cum sufficiente satisfactione punitus est: nam etiam hoc casu Episcopum dispensare posse, si crimen publicum aut famosum non sit, tanquam indubitatum docet Auila dub. 7. & alij graues Theologi apud Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 3. in fine: licet ipse, eúmque secutus Rodriq. cap. 168. concl. 16. contrarium sentiant. Ratio vero probabilis illius sententiæ est: Quia concilium ideo vetat dispensari super delicto ad forū contentiosum deducto, ne iudiciarius processus impediatur, aut imminuatur: hæc autem ratio cessat, si, iudicio finito, reus punitus in Ecclesia toleretur, 6 adéoque crimen occultum maneat. De ordinum Prælatis dubitatur, qualia priuilegia habeant dispensandi super irregularitatibus, seu cum suis Regularibus, seu cū alijs personis: Imprimis Sotus in 4. d. 25. q. 1. art. 3. post 1. concl. sic scribit: *Mox nunc in Religionibus seruatur, siue iure communi, siue consuetudine, siue priuilegio obtentus sit, vt per professionem omnis irregularitas, quantum ad ordinis susceptionem, aboleatur, præter illam, quæ ex homicidio voluntario vel ex bigamia contrahitur, non autem quantum ad prælationem.* Verùm de hoc more nihil certi constat, eúmque improbant Henriq. lib. 14. c. 8. n. 10. lit. x. Auila dis. 10. dub. 3. & solam irregularitatem, quę ex natalium defectu est, per vota in Religione approbatâ edita tolli testantur, quod & Medina tradidit in instruct. ca. 11. §. 12. paulò post princip. & sumitur ex c. 1. de filijs Presbyt. vbi dicitur, vt filij illegitimè nati *ad sacros ordines non promoueantur: nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viuentes: prælationem verò nullatenus habeant.*

Interim Prælati Ordinum Mendicantium ex priuilegijs suis magnam potestatem habent dispensandi cū suis super omnibus irregularitatibus: excepta ea, quæ ex voluntario homicidio, aut bigamia vera, vel interpretatiua prouenit, sicuti videre est apud Rodriq. t. 1. Regul. q. 24. a. 2. & seqq. Quamuis Henriq. lib. 12. cap. 6. num. 11. & Auila disp. 8. dub. 4. concl. 8. existiment, etiam in bigamia ipsos per priuilegia dispensare posse: quin & in homicidio, citra celebrationem Missę. Non puto tamen his priuilegijs locum esse posse: cùm hæ dispensationes à Papa vix fieri, & secundùm Romanæ curæ stylum excipi, vel tanquam exceptæ intelligi soleant, sicuti tradit Nau. cap. 27. num. 197. & lib. 5. consil. 1. de homic. edit. 1. Rodriq. cit. art. 2. & in sum. cap. 158. concl. 5. Simon Maiolus l. 5. de irregul. c. 48. 7

Illud addo: Si in priuilegio dispensandi super irregularitatibus excipiatur bigamia, non esse intelligendum de similitudinaria: cùm ea indispensabilis non censeatur, vt suprà dixi c. 6. num. 6. Si excipiatur homicidium voluntarium, intelligi debet de directè volito, atque iniusto: etiamsi occultum sit. Veruntamen Mendicantes speciale priuilegium habent à Martino V. concessum, dispensandi cum suis super irregularitate ex homicidio non notorio, apud Rodriq. cit. quæst. 24. art. 12. Si excipiatur in

Q

Priuilegio natalium defectus, intelligitur etiam de occulto, vt dixi suprà.

Denique, quòd attinet ad corporis vitium: Si valde magna deformitas sit, vt Papa dispensatione facere non soleat, tunc Prælatus priuilegiatus non potest dispensare ad ordines suscipiendum, vel susceptis vtendum. Si verò deformitas tanta non sit, quin Papa dispensare soleat, puta si sit oculi deformitas, claudicatio seu priuatio pedis, vt cum ligneo pede ad altare accedere oporteat: cum eiusmodi Prælati dispensare possunt: saltem vti susceptionis ordinibus vti, & sacerdoti celebrare liceat, sicuti docet Rosella verb. vitiatus, numero primo: Maiolus libro 1. de irregul. capite 18. Auila parte. 7. disputatione 3. dubio 3. Qui eandem facultatem in hoc claudicationis casu cum Sacerdote religioso dispensandi Episcopo concedunt, cum Sylu. verb. corpore vitiatus, quæstione vltim. Angel. eod. verb. numero 1. Cauenda tamen est in vsu harum dispensationum tum Ordinariorum offensio: tum populi admiratio, aut scandalum.

Atque hic primi libri finis esto. Deo optimo sit sempiterna laus, & gloria, Amen.



THEOLOGIÆ MORALIS LIBER SECVNDVS.

DE

THEOLOGICIS VIRTVTIBVS:

FIDE, SPE, ET CHARITATE.

AVCTORE

PAVLO LAYMANN,

Societatis Iesu Theologo.



LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus PETRI BILLAINE, viâ Iacobæâ, ſub ſigno Bonæ Fidei.

M. DC. XXVII.



LIBRI SECVNDI TRACTATVS PRIMVS DE THEOLOGICA FIDE, ET OPPOSITIS VITIIS.

CAP. I.

DE NOMINE, DEFINITIONE, ac diuisione Fidei.

SVMMARIVM.

1 *Fides dicta est, quia fit, quod dicitur.*
2 *Fidem habere est assentiri alicuius dicto, propter auctoritatem dicentis.*
3 *Fides alia humana est: & alia diuina.*
4 *Sola Fides diuina infallibilem certitudinem habere potest.*
5 *Duplex Fides diuina, habitualis, & actualis.*
6 *Credimus Deum, credimus Deo, & credimus in Deum.*



IDES à Latinis appellata est, quia *fit, quod dicitur*, teste Cicerone lib. 1. de officiis. Primæua acceptione significat virtutem eam, de qua Cicero ibidem: *Fundamentum autem iustitiæ est fides, id est, dictorum, conuentorumque constantia, & veritas.* Quomodo & Apostolus accepit ad Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem*, id est, veritatẽ promittentis Dei, *euacuauit?* Hinc verò translata est vox fidei: I. vt significet ipsam promissionẽ, quam fidelitas implet: sic enim dicimur fidem seruare, violare: & Apostolus 1. ad Tim. 5. de viduis post continentiæ votum nubere volentibus ait, quòd *damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt.* II. Vt significet existimationem de alterius constantia in promissis: sic enim bonę fidei homo dicitur, cui tutò aliquid credendum iudicamus, quo sensu Ecclesiasticus dixit c. 27. *Qui denudat arcana amici, fidem perdit.* III. Vt significet idem, quod conscientia: quippe quæ dictat in promissis fidem seruandã esse, quo sensu Terentius dixit: O *Iupiter, vbinam est fides?* id est, conscientia. Et Apostol. ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* IV. Vt significet assensum intellectus, quẽ præbemus cuippiam asserenti, propter autoritatem eius; sic enim dicimur fidem alicui habere, id est, credere; Quomodo etiam intelligi potest illud Apost. Iacob. c. 1. *Postulet in fide, nihil hæsitans* id est, certò & indubitatè credens, eáque ratione bene sperans, se à Deo accepturum, sicut Christus dixit Marc. 11. *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* V. V. significet ipsum obiectũ, quod fide certa credimus: sic enim accepit Apostolus ad Rom. 10. *Verbum fidei, quod prædicamus* Ad Gal. 3. *Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu Fidei?* id est, doctrinæ Christianæ.

Ex his acceptionibus ea, quæ penultima est, ad propositũ, nostrũ spectat: secundùm quã fides est *assensus firmus, quem animus præbet alicuius dicto, ob autoritatem dicentis.* Dicitur *assensus*, id est, determinatio, siue adhæsio intellectus ad alteram partem contradictionis, in quo differt à dubitatione, quæ est veluti suspensio animi, neutri parti propositæ quæstionis assentientis. *Quem animus præbet alicuius dicto.* Omnis enim assensus fidei ordinem, seu respectũ habet ad personã dicentem, asseuerãtem, testantem: nam alteri dicenti credimus, seu fidẽ habemus, iuxta illud Gen. 15. *Credidit Abraham Deo. Ob autoritatẽ dicentis.* Autoritas aliud nõ est, quã personæ excellẽtia, & dignitas, ob quã in dicẽdo verax, seu eius dictũ ac testimoniũ verũ censetur. Videri potest Durand. in 1. 3. d. 24. q. n. 5.

Duplex est fides; humana, ac diuina. Humana dupliciter
dicitur: vel ratione principij tantum, vt si à Deo reuelatis 3
aliquis credat per humana tantùm motiua, & fide acquisita: vel ratione obiecti, puta si credam aliquid ob hominis testantis autoritatẽ. Fides autẽ diuina tũ ex parte principij, etiã obiecti, supernaturalis esse debet, vt infrà dicã.

Inter fidẽ diuinã & humanam, eã maximè, quæ ratione obiecti talis, hoc maximũ discrimen est, quòd humana nõ sẽper certũ, ac firmũ, sed sæpe opinatiuũ tantũ assensum contineat: at verò diuina Fides certissimã, atque firmissimã animi adhæsionẽ habet: quãuis obscurã, seu non apparentẽ, in quo differt diuina Fides à scientia; siquidẽ assensus scientiæ ideo firmus, ac certus, quia euidens est, atque ortus ex clara apprehensione connexionis terminorum, ac veluti intuitu veritatis, vti in hac demonstratione: *Summũ bonum est amandum: Deus est summè bonus: ergo Deus est*

amandus. Fides autem diuina obſcura eſt, neque intuetur veritatem obiecti: ſed vnica ratio, ac motiuum credendi, ſeu per Fidem firmiſſimè aſſentiendi, eſt ſummæ Veritatis teſtimonium, (ſeu quod idem eſt) autoritas Dei reuelantis.

4 Pro pleniore intellectu aduerte: Tantò certiorem eſſe fidei aſſenſum, quantò maior autoritas dicentis, ſeu cōteſtantis, qua tanquā ratione nititur: inter intellectuales autem ſubſtantias, quæ dicere, ac teſtari aliquid poſſunt, ſolus Deus perfectiſſimæ veracitatis autoritatem habet: quippe qui ſuapte natura nec falli poſſit, ob illimitatā rerū omnium ſcientiā: neq; alios fallere, ob infinitā bonitatem. Quamobrē Deus *veritatis dicitur*, Pſal. 39. *Spiritus veritates*. Ioa. 14. *Qui non mentitur Deus*. ad Tit. 1. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur*. Num. 23. *Eſt Deus verax, omnis autem homo mendax*, ad Rom. 3. Ex quo ſequitur, ſolum Dei verbum, ac teſtimonium certiſſimæ veritatis eſſe, ſolàmque Fidē diuinā, id eſt, quæ circa verbū, ac teſtimoniū Dei verſatur, maximè certam, & infallibilē eſſe, vt rectè dictū ſit ad Eph. 1. & Iacobi 1. *Verbū veritatis*. Pſ. 118. *Lex tua veritas*. 1. Io. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei maius eſt*. Ideóq; dixit S. Baſil. in mora. reg. 8. c. 2. *Maiorem autoritatem deberi verbis Domini, quàm vlli quantumuis certiſsimæ animi noſtri expletioni.*

Duplex eſt Fides diuina: Vna habitualis, & altera actualis. Illa definitur virtus ſupernaturalis, inclinans intellectū ad aſſentiendū firmiter & obſcurè omnibus à Deo reuelatis, quatenus ita reuelata ſunt. Fides autem actualis eſt exercitiū fidei: ſiue aſſenſus firmus, quo intellectus fertur in veritatē diuino teſtimonio obſcurè reuelatā. Apoſtolus virtutē Fidei Theologicæ definiuit ad Heb. 11. quod ſit *Subſtantia rerū ſperandarum, augmentum non apparentium*. quā definitionem commendant, & explicant Scholaſtici cum Magiſtro in 3. d. 23. Senſus verò eſt; Quòd Fides inclinet intellectum ad aſſentiendum firmiter ijs, quę nobis in ordine ad finem ſupernaturalem obſcurè reuelata ſunt à Deo. Vbi nota, quòd Fides diuina triplicem ordinem ad Deum habeat: credimus enim Deū; credimus Deo, & credimus in Deum, vti ex doctrina S. Aug. referunt Magiſter loc. ci. S. Th. 2. 2. q. 2. a. 2. Quorū primū, obiectū primariū Fidei ſignificat: alterum formalem rationē Fidei: ſiquidem primæ Veritati dicenti credimus: tertiū autē finē Fidei denotat: quia Fides in intellectu ſita, obſcurè nobis exhibet Deū, ad quē per Spem & Charitatē accedere debemus: quāobrē hypoſtaſis, ſeu fundamentū vitæ Chriſtianæ cenſetur. Videri poteſt Dur. in 3. d. 23. q. 7. n. 5. & 6

Cap. II.

De obiecto, ſeu ſubiecto Fidei.

SVMMARIVM.

1 *Materiale obiectum Fidei, quod terminationis appellari poteſt, eſt verbum Dei obſcure propoſitum: ſubiectum attributionis eſt Deus.*

2 *Deus interdum per ſeipſum aliquid reuelat, interdum per aliam perſonam.*

3 *Verbum Dei aliud ſcriptum eſt, & aliud traditum.*

4 *Eccleſiæ definitiones verbum Dei appellari poſſunt.*

1 SVppono ex communi Scholaſticorum doctrina, quòd intellectualis aſſenſus obiectum debeat eſſe aliquid complexum, videlicet propoſitio, ſeu enunciatio: v. g. Deus trinus & vnus eſt. Subiectum autem, ſiue de quo aliquid dicitur, eſt quid incomplexum.

Aſſertio I. Materiale obiectum Fidei diuinæ eſt verbū Dei, ſeu quidquid diuinitus viatoribus obſcurè reuelatum eſt: v. g. Deus eſt, Deus trinus & vnus eſt, Filius Dei homo factus eſt. Ita S. Th. 2. 2. q. 1. a. 1. & 2.

Aſſertio II. Subiectum Fidei primarium, quod attributionis appellatur, id eſt, ad quod reliqua omnia in Fide referuntur, eſt Deus. Ita S. Th. in corp. cit. a. 1. Durandus in 3. diſt. 24. q. 1. n. 7. & alij communiter. Nam inter reuelata maximè ſimplex, abſolutum, & præcipuum eſt Deus, à quo reliqua pendent tanquam principio: ad quem referuntur, tanquam ad finem: vt rectè dixerit S. Aug. l. 4. de ciuit. Dei, c. 20. *Fidei maximum & præcipuum officium eſt, in Deum credere.*

Porrò verbum Dei, quod Fidei obiectum eſſe dixi, 2
tripliciter diuiditur. I. Verbum Dei aliud eſt, quod Deus per ſeipſum, nullo alio, tanquam nuntio aut legato interueniente, reuelat. Tale erat verbum, quod factum eſt à Domino ad Hieremiam, ad Michæam, &c. Talis erat vox de cœlo lapſa, Matth. 3. 2. Petri 1. *Tu es Filius dilectus*, Eiuſmodi etiam erat verbum ad Angelos factum, poſt primam eorum creationem: ſiquidem & hi, non minùs, quàm homines reuelatæ veritati per Fidem aſſentiendo, beatitudinem mereri debebant. Aliud autem eſt, verbum Dei, quod Deus per alium, tanquam legatum suū, loquitur, ac reuelat. Sic in veteri Teſtamento locutus erat Deus Patriarchis, & Prophetis; & per hos deinde populo vniuerſo, ſicuti indicat S. Petrus Ep. 2. c. 1. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: Sed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Item per Angelum locutus eſt Deus Tobiæ, c. 12. B. Virgini, Zachariæ, Luc. 1. *Sed & multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis; nouiſſimè locutus eſt in Filio*: Hebr. 1. Et S. Ioan. c. 1. *Vnigenitus Dei, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.* Poſtea verò locutus eſt nobis Deus per Apoſtolos, & Euangeliſtas, iuxta illud Apoſt. 1. ad Theſſalonicēſ. c. 2. *Cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed (ſicuti eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui crediditis.* Vbi notandum eſt: Sicuti montes ſolis lumen primò excipiunt, deinde in ſubiectas valles demittunt; ita congruū, Deóque omnia ſuauiter operanti conſuetum eſt, Maiores Eccleſiæ, Prophetas ac Doctores primò illuminare, & per hos deinceps populos: quod S. Aug. tr. 1. in S. Ioan. Dauidem indicaſſe autumat, Pſ. 71. *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam.*

Altera diuiſio. Verbum Dei aliud eſt ſcriptum: & aliud 3
non ſcriptum, ſeu traditum. Nam verbum, quod Deus ad Adamum & Patriarchas locutus erat, non ſtatim literis mandatum fuit: ſed per traditionem profectum vſque ad Moyſen, qui Pentateuchum ſcripſit. Neque nouum teſtamentum, quod Chriſtus condidit, ſtatim ſcriptum fuit: ſed annis aliquot poſt eius aſcenſum, quando ſe ſcribendi vel occaſio, vel neceſſitas obtulit. Veruntamen nec omnia ſcripta ſunt, quæ Chriſtus docuit, & Apoſtoli Eccleſijs tradiderunt: cùm Chriſtus ipſe dixerit Ioan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo*: ea verò haud dubiè poſt reſurrectionē ſuam dixit, præſertim quæ ad Eccleſiæ conſtitutionem, Sacramentorum miniſtrationem, & ſeculi finem pertinent, ſicuti Actorum 1. indicatur: *Præbuit ſeipſum viuum poſt paſsionem ſuam in multis argumentis, per dies quadraginta, apparens eis, & loquens de regno Dei*: cùm tamen de geſtis, & dictis Chriſti poſt eius reſurrectionem pauca Apoſtoli, & Euangeliſtæ ſcripſerint: ea videlicet, quæ ad fidem de reſurrectione ſtabiliendam pertinere videbantur: reliqua, quæ ad myſteria ſpectabant, & arcana ſeruari oportebat, viua voce in Eccleſijs tradentes. Quare S. Epiph. hær. 61. *Oportet autem & traditione vti: non enim omnia à diuina Scriptura accipi poſſunt. Quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in traditione per voces S. Apoſtoli tradiderunt, quemadmodum dicit S. Apoſtolus, ſicut tradidi vobis: & alibi, ſic doceo, & ſic tradidi in Eccleſijs.* Et S. Chryſ. 2. ad Theſſal. 2. *Hinc patet, quòd non omnia per epiſtolam tradiderint: ſed multa etiam ſine literis: eadem verò fide digna ſunt tam illa, quàm iſta: itaque traditionem quoque Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs.* Eadem habet Theophyl. ibidem.

Confir-

Confirmatur ex eo: Quòd omnis rite institutæ Respublica partim scripto, partim non scripto iure vtatur; ergo decet etiam Deum humanum genus sermone, ac mandatis partim scriptis, partim non scriptis, sed aliter traditis gubernare. Cùm enim inter signa, quibus hominibus aliquid reuelari, vel quod reuelatum est, propagari potest, non sit sola Scriptura: eáque ipsa per se non sufficiens, quandoquidem libri scripti vetustate deprauari, absumi, igne, aliísque modis penitus perire possunt (quod de sacris libris deplorat S. Chrys. ho. 9. in Mat.) facilè hinc apparet, vocis etiam traditione continuò per Ecclesias deriuata, in Fidei mysterijs credendis adiuuari non oportere.

Tertia diuisio. Verbum Dei aliud est, quod publicam autoritatem habet, vt ab omnibus fidelibus recipi debeat: cuiusmodi est Testamentum vetus, ac nouum: itē Traditiones tum diuinæ, tum Apostolicæ: ac denique Ecclesiæ definitiones, seu canones. Alterum est, quod publicam autoritatem non habet: sed priuatim alicui à Deo reuelatū, ac nondum Ecclesiæ satis contestatum est.

Nota autem, quòd sub verbo Dei publicam autoritatem habente, etiam Ecclesiæ definitiones comprehendo, cum S. Th. q. 5. a. 3. in corp. Nicol. Serario in prolegō. bibliacis, ca. 7. qu. 12. Quia enim *Ecclesia Dei viui columna est, & firmamentum veritatis.* 1. ad Timoth. 3. ex Christi promissione, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et Matt. 18. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: consequens est, quæcunque Ecclesia tanquam ad fidem, vel mores generatim spectantia, Christiano populo decernit, ac proponit, pro eiusmodi habenda esse, quibus deceptio, seu falsitas subesse non possit; quandoquidem Spiritus sanctus, quem Christus Ecclesiæ se missurum promisit, vt doceat eam omnem veritatem, Ioan. 16. & maneat nobiscum in æternum, Ioan. 14. eidem Ecclesiæ assistit, instruens, atque gubernans. Quod etiam Apostoli in primo Hierosolymitano Concilio congregati testati sunt Actor. 15. *visum est Spiritui sancto, & nobis.* Quare ita argumentari licet: Omnis sermo procedens ex infallibili assistentia Spiritus sācti, est verbum Dei reuelatum: sed definitio Ecclesiæ est sermo procedens ex infallibili assistentia Spiritus sancti. Ergo, &c. Idque planè expressit S. Athanas. t. 1. Epist. ad Africanum Epis. *Verbum Domini per Oecumenicam Nicææ Synodum in æternum stat.* S. Amb. l. 5. Ep. 32. ad Valentinianum: *Sequar tractatum Concilij Niceni, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Magnus Constantinus Imper. apud Socratem l. 1. c. 6. in ep. ad Alexandrinam Ecclesiā: *Quod trecentis Episcopis Nicææ visum est, non est aliud putandum, quàm Dei sententia: cùm in talium, & tam præclarorum virorum mentibus sacer insideret Spiritus, qui illis diuinam voluntatem aperuerit.* Leo I. Papa ep. 78. ad Leonem Imper. *De rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem (sicut Deo placuit) definitis nullum audemus inire tractatum, tanquā dubia, vel infirma sint, quæ tanta per Spiritū sanctum fixit autoritas.* S. Greg. l. 1. ep. 24. *Sancti Euangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia* (Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense) *venerari me, ac suscipere fateor.*

Sunt tamen aliqua discrimina inter Ecclesiæ definitiones, ac reliquum verbum Dei, quod in Canonicis libris continetur: I. Ecclesia de nouis Fidei mysterijs reuelationes iam non accipit, vti olim Prophetæ, & Apostoli, sicut bene explicant Alph. de Castro l. 1. aduersus hæreses, c. 8. Gabr. in 3. d. 25. q. vn. a. 3. du. 3. Sed assistente, & dirigēte Spiritu sancto docet, quodnā sit verum, ac legitimum Dei verbum scriptum, vel traditū: & quod suppositititiū. Deinde quis verus, & legitimus verbi Dei sensus, ac interpretatio: quæ autem illegitima, atq; hęretica: deniq; quædam ex verbo Dei scripto, aut non scripto per bonam consequentiam deducantur. Qua de re videri potest Vincentius Lirinensis l. contra hæreses, 32. Quamobrē vt Baronius testis est super Anno Christi 325. & 431. in Concilijs semper vsitatum erat, vt sacer Euangeliorum Codex proponeretur: quo admoneretur congregati Episcopi, quòd secundùm sacræ scripturæ normam, iunctis Patrū traditionibus, definitiones suas cōdere debeant, vti videre est apud Cyril. Alex. Apol. 4. In Ep. Concilio t. 4. c. 10. quæ est Ep. Synodica ad Theodos. & Valentinian. Augustos: & in generali Concilio quinto, collat. 1. Interim tamen fateri possumus, hodie aliqua explicitè credi, quæ ante Ecclesiæ definitionem implicitè credebantur, v. g. Concilium Nicænum canonicum esse: itē quæ Ecclesia ex vna reuelata, & altera naturali lumine nota propositione deducit, & fidelibus credenda proponit.

II. Canonici Scriptores plerumque clariorem Dei loquentis, ac reuelantis cognitionē habuerunt, atque sibi reuelatas veritates minore labore scripserūt, sicuti de se ipso testatur Dauid Ps. 43. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*: insuper doctrinam populo traditā miraculis cōfirmarunt. Marci vlt. ad Hebr. 2. Nunc verò Pastores Ecclesiæ assistentiā, & directionē Spiritus sancti obscura fide credūt; deinde in definiēdis cōtrouersijs, atque decretis Fidei, morūq; faciendis multū operæ, ac laboris ponere debēt, perscrutando Scripturas, exquirēdo Apostolorū traditiones, interpretationes Patrum Ecclesiarum consensū; siquidē Deus, cessante iā miraculorū ac signorū tanta frequentia, secundū cōmunem legē, ordinarijs medijs Ecclesiā suam gubernat. Idque mirū videri non debet, quādo etiā olim Apostoli act. 15. vbi cōtrouersiā inter credētes ortā; Vtrū Circūcisio, & lex Moysis seruanda esset ab ijs, qui ex gentibus ad Christi Fidē cōuersi fuerāt, in primo Hierosolymitano Concilio, primā sententiā dicente Petro, *magna inter Apostolos conquisitio facta est.*

III. Quidquid ad sacrā Scripturā spectat, singula verba, & sententiæ, siue eæ sint de generali dogmate Fidei, aut morū: siue de particulari facto præterito, aut futuro, ad Fidē spectāt, cui falsū subesse non possit: quia tota Scriptura à sancto Spiritu inspirata est, sicuti indicat Apost. 2. ad Tim. 3. At verò in decretis Ecclesiæ, solū sentētia absolutè definitiua alicuius dogmatis tanquā ad Fidē, vel mores generatim spectātis, infallibilē veritatē habet: non itē disputationes, siue inquisitiones præmitti solitæ: neq; rationes, quibus definitio probari, nec verba singula, quibus definitio exprimitur, ad Fidem spectant: præterquam si decretū de ipso verbo directè fiat, vt in Concilio Nicæno de voce ὁμοούσιον: in Ephesino de voce θεοτόκος. Denique nec iudicia, siue responsa de particulari facto infallibilē veritatē habent. Videri potest Bellarm. l. 2. de Concil. c. 12.

Cap. III.

De ratione, seu motiuis Fidei diuinæ.

SVMMARIVM.

1 *Ratio formalis fidei est autoritas Dei obscurè reuelantis.*
2 *Fides consistere potest cum euidentia attestantis, seu reuelantis: non item cum euidentia rei reuelatæ.*
3 *Fides diuina assensus in nobis, secundum ordinariam Dei legem, extrinsecis adminiculo indiget, quæ veræ Fidei notæ dici solent.*
4 *Intellectus Viatoris in eliciendo assensu Fidei diuinæ, quàm maximè pendet ab auxilio Spiritus sancti.*
5 *Interna sancti Spiritus illustratio ordinariè non est nobis sufficiens argumentum cognoscendi, aut probandi veram Fidem.*

Assertio I. Ratio formalis, sub qua Fidei, siue formale principium, quo fidei diuinæ assensus nititur, est prima Veritas, & autoritas Dei obscurè reuelantis. 1
Ita S. Thom. iuncta interpretat. Caietan. 2. 2. quæ. 1. ar. 1.

& de verit. quæſt. 14. art. 8. ad 16. S. Bonau. in 3. d. 23. a. 1. q. 1. n. 13. ibidem Duran. quæſt. 7. num. 6. Richar. d. 24. a. 1. q. 1. & alij.

Notat verò ex communi doctrina Valētia q. 1. p. 1. aſſert. 2. Veracitatem Dei dicentis duobus modis conſiderari poſſe: vel in actu primo, vti intra Deum eſt, quaſi quædam proprietas eius: vel in actu ſecundo, quatenus ex ea nobis externo ſigno quippiam reuelatur: atque hoc poſteriore modo accipiendum eſt, quod prima Veritas in dicendo, ac reuelando exteriùs, ſit ratio formalis Fidei. Idque Doctores communiter exprimunt, cùm aiunt: Obiectum fidei diuinæ eſſe verbum Dei, quatenus abſcurè reuelatum: vt ſenſus ſit, propoſitionibus Fidei non alia ratione nos aſſenſum præbere: niſi quatenus à ſumma Veritate nobis obſcurè reuelatæ ſunt. Quæ doctrina confirmatur ex verbis illis 1. Ioan. 5. *Si teſtimonium hominum accipimus teſtimonium Dei maius eſt*: id eſt, ſi hominibus credimus, quando nobis aliquid teſtantur, multò magis Deo veraciſſimo, cùm nobis teſtimonium perhibet, credere debemus.

Corollariū. Cùm in formali obiecto Fidei duo contineantur: Dei veritas, & externa reuelatio; prius illud eſt principale, quippe valor exterioris reuelationis: nam ideo quæ diuinitus reuelantur, certam fidem habent, quia Deus, qui reuelat, verax eſt.

2 Aſſertio II. Si Deus Fidei veritatis rationali creaturæ reuelet cum euidentia ſui reuelantis, tunc creatura nullo alio adminiculo indiget ad certiſſimum Fidei diuinæ aſſenſum eliciendum. Eſt communis aſſertio. Circa quam duo aduerte: I. Sermonem eſſe de euidentia Dei reuelantis non abſolutè, & ſecundùm eſſentiam (ſic enim creatura beata foret, ſi cognoſceret Deum, ſicuti eſt: ideóque fidem non haberet, ſed claram agnitionem) ſed quatenus Deus reuelans ſiue loquens eſt: ita vt hoc ſolùm creatura euidenter cognoſcat, Deum eſſe, qui ipſi loquitur, aut reuelat: cuiuſmodi euidentem Dei loquentis cognitionē habuerunt viatores Angeli, & Prophetæ.

II. Sermonem non eſſe de euidentia rei reuelatæ: ſed ſolius Dei reuelantis. Si enim Deus rem reuelatam clarè, euidenter, ac intuitiuè intellectui viatoris exhibeat, orietur ſcientia, & non fides: Fides autem eſt argumentum rerum non apparentium, id eſt, inclinans intellectum ad aſſentiendum rebus obſcuris, non viſis. Quare etiam S. Auguſt. tr. 40. in Euang. Ioan. *Quid eſt Fides, niſi credere quod non vides?* Et S. Gregor. hom. 26. in Euang. *Fides illarum rerum eſt, quæ apparere non poſſunt: quæ enim apparēt, iam fidem non habent, ſed agnitionem.* Sic quoque Athanaſ. de ſalutari Chriſti aduentu aduerſus Apollinarem, poſt medium. *Neque enim fides de re euidenti concepta, fides dici poterit.* Ratio vero eſt, quòd fruſtra aliquis teſtimonio, alióve motiuo nitatur ad veritatem ſibi perſuadendam, quæ vltro apparet, & liquidò nota eſt.

Non pauci tamen Doctores apud Coninck de actibus ſupernatur. diſp. 11. dub. 1. num. 55. Valent. diſp. 1. q. 1. p. 4. exiſtimant, Fidem cum ſcientia de eodem obiecto, v. g. quòd Deus ſit, quòd omnipotens, in dicendo verax ſit, ſimul conſiſtere poſſe: & ad Patrum auctoritates reſpondent, Fidem per ſe nunquam verſari circa rem viſam, ſeu clarè apparentem: licet nihil obſtet aliunde notam ſeu euidentem eſſe, videl. per ſcientiam. Quæ doctrina vera eſt, ſi loquamur de ſcientia humana, quæ longè inferiorem, infirmiorémque mentis certitudinem parit, quā Fides: quare quæ per humanam ſcientiam cognoſcuntur, ea Fidei argumento omnimodè confirmari poſſunt. Sin verò loquamur de ſcientia ſupernaturali, qua Deus viatori rem clarè, & intuitiuè exhibet: vel ſi loquamur de viſione beatifica, cum iis fides conſiſtere nullo modo poteſt: quia Fides eſt argumentum rei non apparentis: quod autem manifeſtiſſimè, & certiſſimè apparet, eius argumentum nullum perſuaſionis eſſe poteſt: quomodo enim per lucernam diem clariſſimum alicui oſtendere queas?

Nota tamen hoc loco: Licet Prophetæ interdum apertè, ac intuitiuè videant, quæ ipſis à Deo reuelantur, vnde & *videntes* dicuntur: id tamen perpetuum non eſt: nam aliquando ſolius Dei reuelantis euidentiam habent: non item rerum reuelatarum ſecundùm proprias rationes: tūc autem Fides ſimul locum habet: ſicut & in intellectu Angeli viatoris, ſecundùm S. Th. 2. 2. q. 5. art. 1. Vide Suarez p. 3. to. 1. diſ. 21. ſ. 1.

Obijcies. Propheta, cui v. g. Meſſias reuelatus fuit, ita ratiocinari potuit: Quidquid Deus reuelat, id verum eſt, atqui Meſſiam venturum ad liberandum populum, Deus mihi reuelat: ergo verum eſt Meſſiam venturum. Maior, & minor euidentes ſunt intellectui Prophetæ: igitur pariunt ei ſcientiam abſolutam, non fidem. Reſpōdeo cum Caiet. cit. q. 5. a. 1. Duplex eſt rei reuelatæ euidentia: Vna abſoluta, quæ oritur ex connexione terminorum, vel intuitione ipſius obiecti & talis excludit fidē. Altera eſt reſpectiua, & extrinſeca rei reuelatæ: ſi videlicet res cognoſcatur in ordine ad reuelantem. & talis euidentia ſimpliciter non parit ſcientiam rei reuelatæ, ſed cū obſcura fide conſiſtere poteſt. *Habere euidentiam*, inquit Caiet. *de veritate aliquorum, contingit dupliciter, primò quòd intellectus videat, ſeu ſciat ipſa enunciata in ſeipſis eſſe vera: & ſic excludit rationem fidei: Secundò, quòd videat, ſeu ſciat in teſtificante eſſe vera: & ſic non excludit fidem: & ita eſt in propoſito.*

Aſſertio III. Licet verbum Dei tum ſcriptum, tum nō ſcriptum, in ordine ad ſe, infallibilem certitudinem habeat, ob ſolam auctoritatem Dei atteſtantis: tamen in ordine ad nos, ſiue vt à nobis certum & indubitatum Fidei aſſenſum mereatur, ſecundùm ordinariam Dei legem pluribus extrinſecis adminiculis indiget, quotieſcunque Dei reuelantis euidentiam non habemus. Hæc eſt communis aſſertio, quæ alijs etiam verbis tradi ſolet: duplicem eſſe Fidei certitudinem, Vna eſt obiectiua, ſeu tenēs ſe ex parte obiecti. & hæc ſufficienter ſumitur ex auctoritate diuina. Altera eſt ex parte ſubiecti, videlicet intellectus: & aliud non eſt, quàm firmiſſima mentis adhæſio; atque hanc dico plerumque alijs etiam adminiculis indigere. 3

Eiuſmodi Fidei perſuadendæ adminicula ſunt: Imprimis miniſterium hominis prædicantis Fidem: Pauci enim ſunt θεοδίδακτοι, quos Deus Fidei myſteria per ſe ipſum edocet, cum edocentis euidentia. Quandoquidem ipſe Apoſtolus, qui ad tertium cælum raptus erat, tamen ad Ananina mittitur inſtruendus, Act. 9. & obſeruauit S. Auguſt. præfat. libr. de doctr. Chriſt. Et Eunuchus Act. 8. à Philippo edoceri debuit: Cornelius à S. Petro Act. 10. Quare S. Paulus ad Rom. 10. vniuerſim air: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante?* Deinde verò, præter miniſterium hominis proponentis Fidem, requiruntur alia argumenta, & incitamenta acceptandæ Fidei. Si enim Chriſtianus Doctor infidelibus prædicet Deum trinum, & vnum: Dei filium ſubſtantialem, hominem factum, mortuum, reſurgentē, &c. atque tales propoſitiones certiſſima fide tenendas aſſeueret, quia à Deo hominibus reuelatæ ſunt: niſi aſſertionis ſuæ, & factæ à Deo reuelationis indicia ac motiua afferat quibus ea prudēter credibilis, & acceptabilis reddatur, nemo ex illis habebit fidem, quin neque habere poterit: Nam *Fides obſequium rationabile eſt*, Rom. 12. 2. ad Corinth. 10. Philip. 2. *Et, qui cito credit, leuis eſt corde.* Eccleſ. 19.

Tales ſunt, quæ à Doctoribus dici ſolènt notæ veræ Eccleſiæ, ſeu ſigna Catholicæ Fidei: videlicet miracula, quæ in conteſtationem propoſitæ Fidei à Chriſto, Apoſtolis, aliíſque Sanctis patrata ſunt, ſicuti legimus Marci 16. *Prædicauerunt vbique Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Et Chriſtus apud S. Ioan. c. 15. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatū* infidelitatis *non haberent.* Item vnanimis conſenſus plurimórum

morum hominum, vitæ innocentia, sapientia præstantium, qui tot continuis seculis, toto terrarum orbe, eandem Fidei doctrinam ab omni eo, quod mundus & caro amare solet, alienam indubitatè amplexi sunt, & contra tantos aduersarios, inuiolatè defenderũt, ac propagarunt: sæpissime cum sanguinis sui effusione; vt meritò dictum sit à Dauide Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam*, id est, Ecclesiam, *decet sanctitudo Domine, in longitudinem dierum*. Ita seipsum in fide S. August. confirmauit contra Epist. fundam. c.4. *Multa sunt, quæ me in eius* Catholicę Ecclesiæ *gremio iustissimè teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.*

Obijcies. Absurdum videri, quòd verbum Dei, & diuina infallibilis Fides ab humanis & absolutè infallibilibus argumentis, siue indicijs dependeat. Respondeo: Non pendere per se, & suapte natura: sed per accidens, & respectu nostri: neque tanquam ex formalibus credẽdi principijs, sed extrinsecis tantùm conditionibus, & adiumentis: neque talibus, quæ propositiones Fidei veras esse intrinseca euidentia ostendant: sed quæ easdem credibiles, seu vt diuinitus reuelatas, prudenter acceptandas esse euidenter demonstrent: id est, vt licet Fidei propositionum veritas per terminorum apprehensionem non appareat: extrinsecis tamen illis argumentis ac motiuis adeo corroborentur, vt homo imprudentiæ, ac temeritatis manifestò conuincatur, sit, apprehensis Fidei motiuis, nihilominus contradicere, & assensum negare audeat.

Etenim ratiocinari licet: Ad Dei bonitatem, & prouidentiam spectat, veram Fidem, ac Religionem maioribus, & vrgentioribus argumentis ac signis ornare, & confirmare, quam vlla falsa religio, aut secta ornata apparet. Nulla autem est religio tam grauibus, vrgentibúsque argumentis, ac signis ornata, quàm Fides Christiana Catholica: Ergo hæc ipsa est vera Fides. Maior est certa. Si enim Deus veram Fidem, ac Religionem non redderet persuasibilem argumentis, ac signis, nemo eam acceptare teneretur, nec prudenter posset: Si autem Deum falsam religionem externis argumentis, ac signis permitteret esse magis ornatam, ac persuasibilem, nemo hominum reprehendi posset, qui derelicta vera Fide, tanquam minus in speciem verisimili, falsæ verosimiliori fidei adhæreret: quod euidenter diuinæ bonitati, ac prouidentiæ repugnat. Si denique tum vera, tum falsa Fides æqualibus argumentis, ac signis persuasibiles existant, tunc homines meritò dubij & ancipites manebunt, ac neutri certum assensum prudenter præbere poterunt: quod itidem diuinæ bonitati, ac prouidentiæ aduersatur. Minor etiam certa apparet rem seriò & secluso omni affectu examinantibus, quòd Fides nostra Catholica & per se consentanea sit rectæ rationi, ac bonis moribus; & innumerabiles per continuata annorum secula testes dignissimos habuerit, qui vitæ innocentia, ac sapientia præcelluerunt: plurimi diuinitus accepta potestate per signa mirabilia eandem doctrinam confirmarunt, & varias persecutiones, ipsamque mortem pro ea oppetere non dubitarunt: cùm interim Religio, seu Fides Catholica inter tot grauissimas persecutiones non solùm immota consisteret, sed magis ac magis cresceret. Quamobrem rectè collegit Richardus de S. Victore, lib. 1. de Trinit. c.2. ita Deum alloquens; *Si error est, quem credimus, à te decepti sumus: ijs enim signis doctrina hæc confirmata est, quæ nisi à te fieri non potuissent.*

Quæ sanè causa est, quòd hæretici (vt de Gentilibus, ac Iudæis tot sæculis à Deo derelictis, ac spretis taceam) nihil magis oderunt audire, quàm de veræ Fidei, ac Ecclesiæ notis, siue indicijs, more suo prouocantes ad Scripturam, sed imperitè: cùm de Scriptura ipsa ferme omnis lis, & controuersia sit; num illi, an nos veram Scripturæ intelligentiam, ac interpretationem habeamus. Quare S. August. tr. 18. in Ioan. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis illaqueantia animum, nisi dum Scripturæ bonæ non bene intelliguntur; & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè & audacter asseritur.* Vide etiam Tertull. lib. de præscript. c. 15. & Vincentium Lirinensem aduersus hæreses, cap. 35. & seqq.

Sed obijciet aliquis: Dictam ratiocinationem, cuius maior, & minor propositio certa, imò euidens videtur, esse demonstrationem, qua paritur scientia de veritate propositionum Fidei; quod suprà negatum est. Respondeo: In homine, qui atheus non est, sed certam Dei persuasionem habet, ratiocinatione illa exactè apprehensa, generari posse assensum de veritate Fidei Catholicæ moraliter certum; sed non propriè euidentem, ac scientificum: quippe cùm talis euidentia, per quam excluditur Fides, nasci debeat non ex principijs extrinsecis, sed intrinsecis ipsius rei cognitæ, vt suprà ex Caiet. dixi. Ad eum modum, sicuti hæc ratiocinatio: Quod innumeri homines à pluribus seculis tanquam oculati testes constanter asseruerunt, id verum est: sed innumeri homines à pluribus seculis tanquam oculati testes constanter asseruerunt, Romam esse, vel fuisse. Ergo id verum est. Assensus iste, licet moraliter certus, ac indubitatus, tamen est Fidei, non scientificus, quatenus habetur de veritate Romæ aliquando existentis, & non præcisè de credibilitate.

Assertio IV. intellectus viatoris ad Fidei diuinæ assensum eliciendum, in genere causæ efficientis, quàm maximè pendet à concursu & speciali auxilio Spiritus sancti, illustrantis intellectum, ac mouentis voluntatem. Est communis, tradita à S. August. lib. de spiritu & litera, & probatur primò ex Scriptura sacra: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus cælestis traxerit illum*, Ioan. 16. *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam*, Marci 9. *Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*, 1. Corinth. 12. *Gratia estis saluati per Fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum est*, Ephes. 2. *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo*, Act. 16. *Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione Spiritus, & virtutis: vt Fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, Rom. 1.

Secundò probatur ratione: Diuinæ Fidei assensus maximam, & infallibilem adhæsionis certitudinem requirit: quam secundùm ordinariam Dei legem, homo habere sufficienter non potest ex principio formali obiecti, quæ est reuelatio Dei, propterea quòd hæc ipsa hominibus plerumque obscura, & incognita sit. Si enim Gentili v. g. dicas Verbum, quòd S. Matthæi nomine circumfertur, diuinitus reuelatum esse, id ipsi non apparet, vt certissimum mentis assensum mereatur. Sed neque maxima illa certitudo assensus Fidei sufficienter nasci potest ab extrinsecis motiuis, seu adminiculis: cùm enim ea humana, & absolutè fallibilia sint, non possunt ex se sufficienter parere diuinæ Fidei assensum, qui omni humana certitudine firmior & omnimodè infallibilis esse debet, conuenienter S. Petro Epist. 2. cap. 1. vbi postquam dixisset, se oculis conspexisse claritatem Christi in monte Thabor, subiunxit: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Consentit S. August. lib. 7. Confes. c. 10. *Non erat prorsus, vnde dubitarem: faciliúsque dubitarem me viuere, quam non esse veritatem.* Talis certissima Fidei adhæsio, cùm aliunde prouenire non possit, restat, vt Spiritus sancti gratia, in genere causæ efficientis humanam imbecillitatem in credendis sublimibus, & obscuris Fidei mysterijs adiuuet, & intellectui nostro cooperans, firmitudinem adhæsionis conferat.

Corollarium I. Licet Fides sit virtus intellectualis: ta-

men necessariò requirit piam affectionem liberæ voluntatis, mouentis intellectum ad assentiendum obscuris Fidei propositionibus, iuxta illud Apost. 2. Corinth.10. *In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Nam maior illa, imò maxima, quæ in Fide est certitudo adhæsionis, non prouenit ex speculatione obiecti; sed ex determinatione liberi arbitrij, Spiritus sancti gratia adiuti: quæ etiam causa est, quòd licet Fides maiorem, quàm scientia, adhæsionis certitudinem seu firmitatem habeat: faciliùs tamen abijci aut in dubitationem verti possit: cùm ex libera voluntate dependeat. Vide de hac re S. Bonau. in 3. d.23. a.1. q.4. Rich. a. 7. q.1.

Corollarium II. Qui in hæreticorum conuersionem incumbunt, operam dare debent imprimis, vt illos ad pœnitentiam, & dolorem de peccatis suis inducant: ad quod efficiendum imprimis necessarium est, vt ipsimet vitæ probitate, ac virtutibus fulgeant: hæc enim res maximam vim habet ad hæreticorum, vel infidelium conuersionem. Contrà verò parum fructus sperari potest, si Catholicæ Fidei Prædicatores, dum bene docendo nouas plantulas in agrum veritatis inserunt, malæ fidei exemplo iterum eradicent scandalizando. Deinde ostendere oportet, non in quauis religionis persuasione, aut secta salutē nos consequi posse: sed persuasum habeant, vnam esse veram Fidem, in qua salui fieri debeant: ad quam cognoscendam Spiritus sancti illustrationem, ac directionem syncerè postulent, parati omnino, nullis humanis impedimentis obstantibus, diuinā voluntatem, ac ductum sequi: interim proponantur illis hinc quidem orthodoxæ Fidei, atque Catholicæ Ecclesiæ notæ: illinc verò sectæ eius quam hactenus professi fuerant, nouitas, absurditas, contradictiones. Quòd si eiusmodi adminiculis persuasi sint, vt Fidem nostram inter omnes religiones maximè credibilem esse agnoscant, ideóque eam amplecti velint: iterū moneantur credere firmiter atque infallibiliter esse opus Dei, naturales liberi arbitrij vires superans: quare diuinū auxilium sedulo implorandum esse.

Corollarium III. Extrinseca illa motiua, respectu Fidei diuinæ, sunt tantùm conditiones sine quibus non, secundùm ordinariam Dei legem: respectu autem Fidei humanæ, & acquisitæ, sunt formalia media, ac principia. Quamobrem fieri solet, vt aliquis humanis tantum illis & extrinsecis motiuis permotus, arcana Fidei mysteria credat, destitutus tamen Fide diuina supernaturali iustificāte, quam vel nunquam à Deo syncerè postulauit, & impetrauit: aut diuinitus sibi concessam perdidit. Ex quo numero hæretici sunt, qui multas Fidei veritates credunt, fide solùm acquisita, & naturali: non diuina, supernaturali, infusa, sicuti bene præter alios annotauit Richar. in 3. d.23. art. 7. quæst. 2. ibidem Scotus quæst. 1. §. In ista quæstione. Cùm enim Fides diuina inclinet ad omnes articulos explicitè, vel implicitè propter diuinam reuelationem credendos: sequitur, quòd, qui aliquos articulos Fidei credit, alios credere pertinaciter recusat, id faciat principaliter ex propriæ libertatis nutu, sicuti notauit S. Bonauent. in 3. d. 23. a. 2. quæst. 1. num. 47. & magis intelligetur infrà cap.5. in fine. Veruntamem naturalis est hæc fides humanis argumentis, & propriæ voluntatis arbitrio nixa, pro humanarum virium inconstantia, instabilis est: vt nimis facilè mutetur, vel omnino abijciatur, sicuti nimis ostendit hæreticorum nostrorum in rebus ad Fidem spectantibus inconstantia, & inter ipsosmet disceptatio. Quod tamen optimo consilio Deus permittit, quia, vti S. Hilarius annotauit lib. 7. de Trinit. *Dissensio hæreticorum confirmat Ecclesiæ veritatem.* Vide etiam Gabr. in 3. d. 23. quæst. 2. a. 3. Bellarm. lib. 6. de gratia, cap. 3. vbi ad quintum argument. ait: *Res credibiles sine alia Dei gratia credi posse, sed humana fide, non diuina: argumenta enim, quæ articulos Fidei nostræ credibiles faciunt, talia non sunt, vt fidem omnino indubitatam reddant* (loquitur de omnimoda infallibilitate, qualem diuina Fides requirit) *nisi mens diuinitus adiuuetur.*

Corollarium IV. Etsi ad supernaturalis Fidei assensum omnino requiratur interna sancti Spiritus illustratio, ac persuasio: non tamē ea ordinariè est adstruendæ, aut probandæ Fidei sufficiens argumentum: vt malitiosè traditū sit à Caluino lib.1. instit. cap. 7. Omnino certum, ac indubium esse Spiritus sancti testimonium. Cùm enim apud omnes in confesso sit, quòd sæpe Sathanas transfiguret se in Angelum lucis, plerique dubitare possunt, vtrum testimonium fidei suæ, quod in se experiri putant, ex bono, an malo Spiritu proueniat, nisi alijs externis indicijs probetur; inter quæ haud dubiè primum ac præcipuum est Ecclesiæ consensus, atque traditio. Idque S. Ioan. indicauit epist. 1. cap. 4. *Nolite omni Spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Quòd si autem internum spiritus testimonium vlteriùs probandum est, sequitur non esse illud ordinariè sufficiens adstruendæ veræ Fidei argumentum. Dico autem *ordinariè*: fateor enim aliquos præsertim, qui olim primitias Spiritus acceperant: sed & hodie quasdam singulares Dei amicos in se quandoque experiri, & clarissimè intelligere Sancti spiritus contestantis auctoritatem. Sed id nec generale, nec perpetuum est: quia non omnibus, sed paucis: & his ipsis non omni tempore tribuitur. Denique si alij à te ad veram Fidem Christi conuertendi sint, quam ipsi negant, vel de ea dubitant, frustra ipsis sancti Spiritus testimonium, quod sentire te gloriaris, tanquam certum veritatis argumentum adduces: cùm id arcanum, tuóque corde inclusum sit: argumentum autem notius esse eo debet, ad quod ostendendum adhibetur. Quomodo enim alicui tenebras depellere possis, per lucem, quę ipsi non luceat?

CAP. IV.

Vtrum Fides diuina discursiua sit?

SVMMARIVM.

1 *Vtrum Fides diuina discursiua sit, Doctores non consentiunt.*
2 *Fides discursiua non est circa omnia obiecta sua.*
3 *Fides omnibus obiectis, seu propositionibus suis absque discursu assentiri potest.*
4 *Probabile est, quòd Fides diuina discursiuos aßensus elicere possit circa pleraque obiecta sua, quæ mediata dici possunt, seu quæ in aliud, tanquam medium & principium formale resolui possunt.*
5 *Conclusio, quæ ex duabus propositionibus Fidei infertur, videtur esse de Fide: secùs, si vna sit tantùm naturaliter euidens.*
6 *Omnes Fidei actus eiusdem speciei siue essentiæ sunt.*

QVòd Fides diuina discursiua esse non possit, docent Capreolus in 3. d. 34. q. 1. a. 3. ad. 3. Bannes 2. 2. q.2. q.1. a. 1. dub.4. concl.5. Valentia to. 3. disp.1. q. 1. p. 2. Melchior Canus lib. 12. de locis Theolog. c. 3. Turrianus de Fidei, disp.6. dub.1. Suarez de Fide, disp. 6. s.4. Coninck de actibus supernaturalibus, disp. 9. dub. 7. Probant primò: Quia Fides diuina, cùm infallibilis sit, alia re niti non debet, præter auctoritatem Dei reuelantis: si autem Fides discursiua esset, niteretur illatione, seu consequentia naturali lumine cognita: ergo Fides non est discursiua. Secundò: Si non per eundem Fidei actum intellectus assentitur veritati reuelatæ propter Dei reuelantis auctoritatem: sed alio priore actu assentimur reuelationem à Deo factam esse, & exinde mouemur ad alium actū circa propositionem reuelatum: sequitur, quòd Fides diuina partim sit habitus absolutus exercens actus immediatos; partim verò sit habitus respectiuus seu discursiuus, exercens actus mediatos: consequens autem dici non potest; cùm absolutum & discursiuum, immediatum & mediatum sint essentiales differentiæ habituum, vti apparet in habitu principiorum, & scientia discursiua.

Opposita sententia est Durandi in 3. d. 24. quæst. 1. num. 16. Marsilij quæst. 14. a. 1. part. 3. conclus. 1. Gabr. in 3. d. 13. q. 2. a. 1. Vasq. p. 1. disp. 5. cap. 3. num. 5. Martini Becani 2. 2. c. 8. quæst. 3. concl. 2. & videtur esse S. Th. de veritate, q. 14. a. 8. ad 16. vbi ait, quòd testimonium Veritatis primæ, seu auctoritas Dei reuelantis ita se habet in Fide, sicuti se habent principia in scientijs demonstratiuis. Et 2. 2. quæst. 1. art. 1. in corp. quòd Veritati primæ aliquid reuelanti Fides innititur tanquam medio. Nam v. g. Deum trinum & vnum esse, ideo per Fidem credimus, quia Deus veracissimus id reuelauit: quare priore actu credimus reuelationem Dei, tanquam principium: & exinde mouemur ad assentiendum rei reuelatæ.

1 Assertio I. Fides diuina discursiua esse non potest circa omnia obiecta sua. Probatur: Quia alioquin sequeretur processus in infinitum. Esto enim, quòd SS. Trinitatem esse, discursiuè credam, quia diuinitus id reuelatum est: ipsam verò reuelationem non propter aliud credere possum, sed propter seipsam, adeóque immediatè & sine discursu, vti bene docet Caiet. 2. 2. quæst. 1. art. 1. ad dub. 4. & conuincit argumentum Scoti in 3. d. 23. quæst. 1. §. Quæro igitur à te, Palud. ibid. quæst. 3. §. de fide tamen infusa.

Obijcies. Si infallibilis reuelatio Dei per aliud tanquam medium in Fide ostendi non potest, sequitur esse per se notum, ac euidens, quod dici nequit. Respondeo, negando sequelā. Etsi enim in scientijs demonstratiuis principium, quod vlteriùs probari non potest, per se, siue ex terminis notum, ac euidens sit: non tamen ita se habet principium in obscura Fide. Id enim cùm per aliud prius ostendi non possit, debet esse per se, non quidem notum ac euidens, sed acceptatum, certum, indubium, infallibile. In hoc tamen similitudo, seu potiùs proportio cernitur: quòd sicuti scientia principium suum, per se loquendo, non probat, seu à priore non demonstrat: sed aliàs declaratum acceptat, & supponit: cùm alioquin processus esset in infinitum: Simili modo in Fide diuina, principium credendorum, quod est veracissimi Dei reuelatio per se loquendo, ostendi non debet per aliquid prius: cùm alioquin processus in infinitum foret: sed supponitur, seu vt acceptatum habetur.

Acceptat autem intellectus primæ Veritatis testimonium, seu reuelationem primò: Per prophetiam, aut aliam scientiam infusam, qua intellectus eleuatus euidēter perspiciat reuelationem à prima Veritate fieri; licet veritatem rei reuelatæ non videat, sed per Fidem assentiatur, vti suprà dixi cap. 3. num. 2. Secundò: Per actum Fidei immediatum, ad quem eliciendum, id est, acceptandum, seu credendum reuelationem à prima veritate esse, extrinsecè prærequiruntur humana motiua, quibus acquisita fides innititur, intrinsecè verò, & in genere causæ efficientis requiritur Spiritus sancti gratia, supplens quod humanæ infirmitati ad supernaturalem infallibilem Fidei assensum eliciendum deest, sicuti suprà explicatum.

Dixi autem *per se loquendo*, principium in Fide, quod est summæ veritatis testimonium, seu reuelatio per aliquid tanquam medium seu motiuum probari, aut ostendi non posse: nam per accidens, & respectu nostri interdum id fieri potest: vt si credas Euangelium S. Matthæi esse Dei verbum, quia Ecclesia, quatenus regitur infallibili assistentia Spiritus, id definit.

Pro pleniore intellectu obseruandum. In primo illo principio Fidei, quod dixi esse summæ veritatis testimonium, seu infallibilem reuelationem Dei, tria omnino continentur: videlicet, Quòd Deus est: Quòd prima & summa veritas est, quæ nec fallere, nec falli potest: Quòd Deus aliquid obscurè reuelauit, v. g. sacrosanctam Trinitatem. Hæc omnia & singula in Fide supponuntur, & acceptantur; non per aliud prius, veluti medium ostenduntur. Si enim crederem Deum esse, & in dicendo veracem esse eo argumento, quia Deus veracissimus id reuelauit, tunc in argumento seu medio supponeretur id, seu tanquam medium assumeretur, quod ostendendum foret. Accedit, quòd medium assentiendi prius, ac simplicius esse debet, quàm id, quod ostenditur: prius autem ac simplicius est, Deum esse, & summam Veritatem esse; posterius autem, quòd hæc creaturis de se reuelauit, vti bene notauit Marsilius de Inghen loc. suprà cit. Ergo dici non posse videtur, Deum esse, & summam veritatem esse propter reuelationem diuinam, tanquam medium & argumentum credi; sed esse hæc in Fide, vt principia.

Assertio II. Valde credibile est, quòd etiam alijs omnibus obiectis materialibus humanus intellectus per Fidē assentiri possit absque discursu. Sicuti enim possibile est, vt vni obiecto materiali, eique primario, puta, Quòd Deus est, propter diuinam reuelationem absque discursu assentiamur: simili modo fieri posse videtur, vt alios Fidei articulos v. g. SS. Trinitatem propter eandem reuelationem diuinam sine discursu credamus: Credo Deum trinum esse in personis, vnum in substantia, quatenus id reuelatum, seu quia id reuelatum diuinitus est. Imò arbitror, hoc ipsum sæpiùs accidere in fide humana, vt si hominis veracitatem perspectissimam habemus, ei asseuerāti credamus, quatenus nobis enuntiat: non interuenientediscursu, saltem formali & explicito. Quemadmodum pari ratione cùm horologium aspicimus, iudicamus, esse horam v. g. diei tertiam, quatenus, seu quia id in horologio denuntiatur, nullo plerumque habito formali discursu. 2

Assertio III. Probabilissimè dicitur, quòd fides discursiua esse possit circa pleraque materialia obiecta, quæ proinde mediata appellare licet: quia in aliud prius, tanquam medium assentiendi, resolui possunt. Talia obiecta sunt, quòd Deus trinus, & vnus est: quòd Filius Dei incarnatus est, &c. Si enim aliquis ex me quærat: Cur credis Verbum Dei incarnatum esse? aptè respondeo rationem à priore afferens: Ideo credo, quia à prima veritate id reuelatum est. Sin autem vlteriùs quæratur: Cur certa fide credis, talem à prima veritate reuelationem factam esse? tum rationem aliam, per quam intellectus meus ad credendum Fide diuina moueatur, afferre haud possum: sed respondere debeo, Talia signa externa mihi proposita esse, vt secundùm regulas prudentiæ Fidem hanc libera voluntate cum Dei auxilio acceptârim: & verò Spiritus sancti illuminantis, ac confirmantis gratia certissimè, atque infallibiliter me credere, vt pro hac Fide mortem oppetere paratus sim. 3

Vlteriùs probatur assertio: Nam discursus hominis in eo consistit, quòd humanus intellectus assentitur vni propositioni: & exinde propter perspectam connexionem medij cum consequente, mouetur ad assentiendum alteri propositioni. Id autem fieri potest in assensu Fidei circa SS. Trinitatem v. g. vt priùs intellectus assentiatur, seu credat, quòd prima Veritas hoc reuelauit: & exinde moueatur ad alterum posteriorem assensum, seu Fidei actum quòd Deus trinus est. Aptissimè enim rationem à priore reddo: Deus, qui veracissimus est, dixit se Trinum esse in personis: Ergo Deus trinus est personaliter.

Confirmatur primò. Doctores communiter docent, eiusmodi propositiones, quas mediatas dixi, in Fide resolui posse in diuinam reuelationem, tanquam formale principium; at verò principium resolutionis debet esse aliquid prius, ex quo tanquam medio alterum deducitur, quod sine discursu fieri non potest. Confirmatur secundò. Idem simili modo accidit in humana fide, vt considerantes hominis loquentis auctoritatem ita discurramus: Quod homo iste auctoritate plenus dicit, id verum est: ait autem, prælium cum Turcis commissum esse: ergo id verum est.

Corollarium. Si homo fidelis ita ratiocinetur: Quid- 4

quid Deus veracissimus reuelauit, id verum est: Sed Deus veracissimus reuelauit se trinum esse in personis, vnum in essentia: Ergo Deus vnus & trinus est. In hoc discursu tum maior, tum minor propositio: adeóque etiam conclusio Fide diuina creduntur, vti docuit inter alios Andr. Vega super Trident. lib. 9. c. 36. Marsil. in 4. q. 12. a. 1. p. 3. Gabr. d. 23. q. 2. a. 1. & alij Scholastici super prologo sententiarum. Quia licet maior propositio lumine etiam naturali euidens sit, assensus tamen Fidei non nititur eius veritate, quatenus naturaliter cognita; sed quatenus Fide certum, seu diuinitus reuelatum est, Deum in dicendo veracem esse. Quamobrem cùm omnes propositiones, ipsaque tota ratiocinatio vnico formali principio, videl. diuina reuelatione, tanquam formali ratione, sub qua assensus nitatur: consequens est à Fidei diuinæ habitu prouenire.

Cæterùm si ex vna propositione Fidei, & altera propositione naturaliter tantùm euidente conclusio infertur: ea non ad Fidem infusam, sed ad naturalem, & acquisitum habitum Theologiæ spectat: v. g. *Omnis verus homo est risibilis: Christus est verus homo. Ergo Christus est risibilis.* Hæc conclusio per se ipsam de Fide non est: cùm non ex sola Fidei propositione, sed altera etiam naturaliter tantùm nota intrinsecè dependeat. Quod si autem eiusmodi aliqua conclusio Ecclesiæ auctoritate definita, & Christiano populo credenda proposita sit: videl. Quòd Christus duas voluntates habet, diuinam, & humanam: tunc videtur propositio esse de Fide, quatenus per os Ecclesiæ à Deo reuelatur, iuxta ea, quæ dixi suprà.

Restat, vt respondeamus ad 1. sentent. argumenta, quatenus nostræ repugnant. Ad primum, Fidem diuinam suis conclusionibus assentiri propter solam Dei reuelantis auctoritatem. Nam habitus discursiuus assentitur suæ conclusioni propter medium, seu argumentum ritè apprehensum, seu propositum: tale autem medium, seu argumentum in Fide, est Dei reuelantis auctoritas, siue Dei reuelatio infallibilis: Ergo, &c.

Pro pleniore intellectu nota, Quòd in discursu duo sunt, quibus assensus illatiuus nititur: I. est connexio medij cum extremis ritè apprehensa. II. Assensus præmissarum, quo veluti manu ducitur, ac mouetur intellectus ad assensum conclusionis. His duobus etiam assensus Fidei circa reuelata innititur, vel ab ijs dependet: Primò quidem innititur primæ Veritatis reuelationi, tanquam formali principio, ac medio assentiendi: quamuis autem necesse sit, vt hoc principium, mediúmque ritè apprehensum, & cum extremis connexum sit, id tamen habet se tantùm vt conditio proponens obiectum. In qua quidem connexione, apprehensionéve terminorum si error contingat, profectò non elicietur Fidei diuinæ actus: & consequenter periculum non erit, ne Fidei diuinæ error subsit. Quemadmodum & contrariæ sententiæ defensores dicere coguntur, ad fidei assensum necessarium esse, vt intellectus apprehendat connexionem rationis formalis cum materiali: videlicet Deum trinum esse, quia à prima Veritate reuelatum est: in qua ipsa apprehensione error contingere potest, vt videlicet intellectus humanus connexionem illam non rectè apprehendat. Id verò nihil oberit Fidei infallibilitati: quia talis falsa apprehensio non erit obiectum Fidei, sed erroris. Secundò suprà dictum fuit, quòd assensus Fidei discursiuæ circa reuelatum dependeat à priore assensu principij: sed hæc dependentia nihil officit: cùm assensus principij non minùs supernaturalis, certus, & infallibilis esse debeat.

Dicet aliquis. Præter ea, quæ numeraui, ad assensum illatiuum requiri, vt intellectus bonitatem consequentiæ cognoscat. Respondeo ad hoc: Si sermo sit de reflexa, & artificiali cognitione, nego: sin sermo sit de directa & naturali cognitione, concedo. Verùm etiam ipsi fateri seu apprehendere debeat connexionem formalis rationis cum materiali, vt assensum elicere possit.

Ad secundum respondeo. Absurdum non esse, quòd habitus Fidei infusæ partim absolutus sit seu immediatus, respectu principij: partim mediatus, adeóque discursiuus comparatione aliorum, quibus vt conclusionibus assentitur. Nam etiam contrariæ sententiæ Auctores fatentur, primæ veritatis reuelationem, quæ homini obsurè fit, per Fidei habitum immediatè, & absolutè credi: ipsa verò reuelata eodem Fidei habitu credi non ita immediatè, sed per diuinam reuelationem, tanquam motiuum, seu vt. S. Thom. ait q. 1. a. 1. tanquam medium assentiendi.

Qua simili ratione idem habitus charitatis infusæ tū in Deum fertur secundùm se & absolutè: tum etiam in creaturas rationales propter Deum, seu quatenus capaces Dei: adeóque non absolutè, sed respectiuè: atque Fidei habitum rectè comparari cum Charitate, significat S. Tho. 2. 2. q. 1. a. 1. ad 3. Quòd vero in naturalibus & acquisitis habitibus intellectus non accidat, vt idem habitus diuersorum actuum respectu, absolutus & respectiuus sit causa est, quia habitus illi ab actibus generantur: cùm itaque actus similem, aut potiùs proportionatum sibi habitum producant, sequitur, quòd pro diuersitate essentiali actuum, etiam habitus essentialiter distinguantur, vti docet Aristot. 2. Ethic. cap. 1. & videri potest Scot. in prologo sentent. quæst. 3. Arimin. ibid. q. 3. a. 1. Gabr. q. 8. & 9. Durand. q. 4. Suar. in Metaph. disp. 44. s. 11. qui eo argumento colligunt, quòd scientia totalis, v. g. Physica non simplex qualitas sit, sed aggregatum ex pluribus habitibus. Quis autem neget, quin Deus humanó intellectui infundere possit habitum scientificum, quo habilitetur ad actus omnes circa subiectū attributionis promptè, ac facilè eliciendos? cùm nihil omnino repugnet ab vno principio elicitiuo diuersæ speciei actus produci. Pari itaque ratione nihil repugnabit, per vnum habitum Fidei infusæ intellectum habilitari ad omnes, quamuis diuersæ essentiæ actus, circa subiectum attributionis, quod Deus est, eliciendos.

Secundò responderi potest faciliùs, & clariùs: Actus Fidei omnes eiusdem speciei esse; & diuersitatem esse tantùm materialem, prouenientem ex diuerso modo tendendi in objectum, tamen sub eadem ratione formali. Quemadmodum enim actus Charitatis circa Deum, circa nos, & circa proximum eiusdem speciei sunt, propter vnicam formalem diligendi rationem, quæ est diuina bonitas: quamuis modus tendendi in Deum, & in alia obiecta diuersus sit; quia Deum immediatè amamus ex Charitate propter se ipsum: nos autem & proximum propter Deum, seu in ordine ad Deum: Ita etiam dicendum, actus Fidei omnes eiusdem speciei esse, propter vnicam rationē assentiendi formalem: quæ est prima Veritas reuelans: quamuis modus assentiendi diuersus sit: nam ipsam veracissimi Dei reuelationem per se ipsam, aut propter se ipsam credimus: rem autem reuelatam, puta SS. Trinitatem, Christi incarnationem, &c. mediatè, ac propter diuinam reuelationem credimus. Ex quo etiam apparet discrimen, cur alius in naturalibus statuatur habitus principiorum: alius verò habitus scientificus conclusionum: quia sub diuersa ratione formali, seu motiuo tendunt in obiecta sua: nam principijs naturaliter euidentibus assentitur intellectus propter terminorum incomplexorum perspectam habitudinem: conclusionibus verò assentitur propter principia, seu propositiones præmissas. At verò in Fide diuina eadem est ratio assentiendi obiectis omnibus, videlicet diuina relatio. Ita annotauit Becanus cit. c. 8. conclus. 4. & consentit his doctrina Scoti in 3. d. 28.

CAP. V.

CAP. V.

DE RESOLVTIONE FIDEI.

SVMMARIVM.

1 *Resolutio Fidei, si propriè loquendum, fit in formale principium, tanquam medium assentiendi.*

2 *Fides diuina, per se loquendo, resoluenda non est in autoritatem Ecclesiæ, quatenus ea Spiritu sancto regitur, sed in veracitatem Dei reuelantis.*

3 *Ecclesiæ definitiones fidelibus esse debent, vt norma disernendi credenda à non credendis.*

4 *Fides acquisita per humana motiua, secundùm ordinariam Dei legem, est prærequisitum quoddam ad Fidei diuinæ assensum.*

1 SErmo est de assensu Fidei circa reuelata, in quidnam tanquam formale assentiendi principium reducatur, ex quo per se, & necessariò dependeat?

Prima sententia circa Fidei resolutionem est Aureoli apud Capreolum in 3.d.24.a.2.quòd Fides diuina resoluenda sit in Deitatem. Verũ hæc doctrina ad propositũ nostrum non est: quia loquitur de principio essendi: nos autem quærimus de principio assentiendi. Volo dicere: Tametsi quærenti, cur Deus Trinus sit: cur prima veritas sit, &c. rectè respondeatur, Quia Deus est. Attamen quærenti, cur credis Deum trinum esse, non rectè respondeo: Quia Deus est; sed, Credo Deum trinum esse, quia id à prima veritate reuelatum est. Videri potest Caiet. 2. 2. quæstione 1. art. 1. dub. 1. Bannes eod. a. 1. §. His suppositis.

Altera sententia est Melchioris Cani lib. 2. de locis Theologicis, cap. 8. resolutionem Fidei faciendam esse in auxilium gratiæ diuinæ. Verùm etiam iste auctor, etsi re ipsa rectè sentire videatur, tamen ad propositam quæstionem non aptè respondet. Assignat enim principium in genere causæ efficientis: in resolutione autem Fidei inquirimus principium assentiendi formale, vt dixi.

Tertia sententia est Durandi in 3.d.24.q.1. Mich. Medinæ lib. 5. de recta in Deum fide, c. 11. Fidem diuinam resoluendam esse in autoritatem Ecclesiæ, quatenus est organum Spiritus sancti assistentis, ac dirigentis; atque *domus Dei, quæ est columna, & firmamentum veritatis*, 1. ad Timoth. 3. Videlicet, cur credis Filium Dei incarnatum

2 esse? propterea, quia Ecclesia Catholica, quæ Spiritu sancto regitur, ita testatur, ac proponit. Sed non placet hæc resolutio: cum neque omnibus communis, neque secũdùm se sufficiens sit. Prior pars ex eo probatur: Quia fieri sæpe solet, vt alii articuli Fidei nostræ, puta quæ sunt de Deo vno, & trino, explicitè credantur, ante hunc, qui est de infallibili Ecclesiæ autoritate. Quinimò hæc Ecclesiæ infallibilitas Spiritus sancti promissione nititur: ergò priùs oportet credere Spiritum sanctum, adeóque Trinitatem in diuinis esse. Prætereà constat, Beatissimam Virginem, Apostolos, primósque Christianos Fide diuina credidisse: non ob autoritatem Ecclesiæ, quæ vel fundata non erat (v. g. cùm S. Petrus credidit Christum esse Filium Dei viui, Matthæi 16.) vel nondum Fidei dogmata definierat. Posterior pars probatur: Quia, vt suprà dictum, resoluere Fidem diuinam aliud non est, quàm eam ad formale assentiendi principium, seu motiuum reducere: Tale autẽ non est Ecclesiæ autoritas. Si enim ex te quæram: cur credat Deum esse incarnatum? respondeásque, Quia Ecclesia Catholica, quæ errare non potest, ob S. Spiritus assistentiam, ita testatur: Iterum ex te quærã: Vnde id scias, vel cur credas, Ecclesiam errare non posse, vel sanctum Spiritum ei assistere? Quare rectè dixit Canus cit. cap. 8. post medium: *Si generaliter quæratur, vnde fideli constet, ea quę fide tenet, esse à Deo reuelata non poterit infallibilem Ecclesiæ autoritatem adducere: quia vnum ex reuelatis est, quòd Ecclesia errare non possit.*

3 Interim non negamus, quin resolutio Fidei in autoritatem Ecclesiæ, quatenus Spiritu sancto regitur, fieri possit, & communiter soleat à fidelibus ipsis, qui infallibilem Spiritus sancti assistentiam, ac directionem Ecclesiæ promissam, certa fide tenent: his enim eius testimonium, ac definitio certa regula est ad alios articulos amplectendos, testante S. Thom. qu. 5. a. 3. *Qui inhæret doctrinæ Ecclesiæ, tanquam infalibili regulæ, omnibus assentit, quæ Ecclesia docet.* Imò talis regula, seu norma, exurgentibus circa Fidem dubijs, omnino nobis necessaria est, puta ad discernendum Scripturam canonicam ab apocrypha: traditiones veras à falsis: denique credenda à nõ credendis, sicuti bene docet Bannes q. 1. a. 1. du. 4. & videri potest Cai. in fine eiusdem a. 1.

Quarta sententia est Scoti in 3. distinct. 23. ibid. Gabrielis q. 2. a. 1. & 2. qui in resolutione recurrere videntur ad finem acquisitam, propter autoritatem Ecclesiæ, quatenus ea est illustris congregatio tot hominum excellentiũ. Exempli causa, Credo Deum esse incarnatum, quia diuinitus id reuelatum est: reuelatum autem hoc esse diuinitus, seu reuelationem hanc à Deo profectam esse, ideo accepto, seu credo (fide acquisita) quia ita scriptum est in Euangelio S. Ioannis, cui omnis Ecclesia, seu congregatio hominum vitæ innocentia, sapientiâ illustrium, testimonium & assensum præbet.

Hæc sententia, si rectè explicetur, à vero aliena non est. 4
Non enim mens est Doctorum illorum, quòd Fidei diuinæ assensus in fidem acquisitam propter autoritatem Ecclesiæ resoluatur, tanquam in principium: sed tanquam in extrinsecum adiumentum, & conditionem sine qua non. Etenim auctoritas illa Ecclesiæ, non quatenus consideratur vt organum Spiritus sancti: sed vt illustris cõgregatio hominum prudentum, &c. est quidem formale principiũ credendi fide humana: sed nõ Fide diuina. Quia Fides diuina est, qua Deo dicenti credimus ob autoritatem & veracitatem eius: consequenter qui credit propter autoritatem hominum, vel simile motiuum humanum, is fide solùm humana credit. Accedit, quòd (sicut ipsemet Scotus, & Gabriel argumentantur) assensus cognoscitiuus non possit excedere certitudinem principij, quo nititur: assensus autem Fidei diuinę certitudinem infallibilem habet: ergo fieri non potest, vt assensus Fidei diuinæ, tanquam principio nitatur autoritate hominum, vel simili motiuo humano, quippe quod secundùm se absolutè fallibile est. Solum igitur volunt citati Doctores, fidem acquisitam per humana motiua, esse secundùm ordinariam Dei legem, prærequisitum quoddam ad Fidem diuinam, ac supernaturalem, quod etiam annotauit Durand. dist. 25. q. 3.

Maior autem, imò maxima, & certissima animi adhæsio quam Fides diuina continet, non ex viribus naturæ, aut humanis persuasionibus prouenit, sed ab auxilio Spiritus sancti succurrentis intellectui, & liberæ voluntati nostrę, sicut ille in Euangelio S. Marci c. 9. expressisse videtur: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Quid est, credo, & incredulus sum? Credo ob pręsentiam, & maiestatem, ob miracula, quæ video, &c. Sed hæc non sufficiunt ad omnino certissimã fidem, quę diuina est: ideóq; eã habere nõ possũ, nisi tu interiùs per gratiã meadiuues: Quocirca S. Aug. l. de spiritu & litera fusè disputat, & contendit: animã per liberũ arbitrium credere non posse, nisi diuina adsit vocatio, suasio auxilium. Et l. 6. Confess. c. 5. significat, quęst. illam: *Vnde scis illos libros vnius veri, & veracissimi Dei spiritu esse humano generi demonstratos?* ingenii sui inquisitione satis discuti non potuisse: sed paulatim Dominum manu mitissima, & misericordissima pertractasse, & composuisse cor suum ad credendũ firmiter.

Verùm de causa illa diuinitus efficiente super c. dictum est. Quòd verò ad formalem, de qua nunc agimus, Fidei resolutionẽ attinet, expeditus ac verus dicendi modus est

iste apud Caietan. 2. 2. quæst. 1. a. 1. Quòd Fides diuina ex parte obiecti, ac motiui formalis resoluatur in autoritatem Dei reuelantis: Credo Deum esse incarnatum: Ecclesiæ item definientis autoritatem infallibilem esse: quia prima, & summa Veritas id nobis reuelauit. Deum autem veracem talia nobis reuelasse, vlteriùs resolui, vel per Fidem probari non potest, nec debet: quandoquidem principia resolutionis non probantur, sed supponũtur. Verùm in ordine ad nos, reuelatio diuina credibilis, & acceptabilis fit per extrinseca motiua, inter quæ vna ex præcipuis meritò censetur autoritas, & consensus Ecclesiæ, tot sæculis, tanto numero hominem clarissimorum, florentis: quamuis id non vnicum, neque simpliciter necessarium motiuum est: quandoquidem non omnes eodem modo: sed alij aliter ad Fidem Christi amplectendam mouentur, vti notauit S. August. de vtil. credendi, c. 14. contra Epist. fundamenti, cap. 4. & lib. 1. ad Simplicianum, q. 2. *Nam alios mouet constantia Martyrũ: alios specialiter sanctitas & innocentia prædicantium Fidem: alios operatio signorum, alios pœna Ecclesiæ persecutoribus diuinitus, vt apparebat, inflicta.* Sic exempli causa cæcus ille apud S. Ioan. c. 9. Filium Dei credidit, & adorauit, quia ipsemet, qui ei loquebatur, Messias reuelauit, & contestatus est: Ad hanc autem reuelationem, ac testimonium acceptandum miraculo motus fuerat: Quia *à sæculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati.*

His adde, non tantùm varijs motiuis homines ad Fidem amplectendam moueri, sed etiam alios aliis faciliùs, partim propter maiorem internam Spiritus sancti illustrationem, & impulsionem, sicuti notauit Valentia q. 1. p. 4. arg. 18. partim propter animi sui simplicitatem, quia de opposito errore persuasionem nullam conceperunt. Qua ratione pueri apud Catholicos cùm ad vsum rationis peruenerunt, accepiunt Fidei mysteria, tanquam diuinitus reuelata, quia natu maiores & prudentes, quos ipsi norunt, ita credere animaduertunt.

CAP. VI.

De ordine rerum credendarum.

SVMMARIVM.

1 *Inter credenda absolutè primum, ac præcipuum est, Quòd Deus sit.*
2 *Inter Fidei articulos, quos discursiuè, & vt conclusiones credimus, non est aliquis ordo per se necessarius.*
3 *Hæretici ex eorum concessis conuincendi sunt, maximè autem per traditiones, & consensum Ecclesiæ.*

1 ASsertio I. Inter credenda absolutè primum, ac præcipuum est, Quòd Deus sit, sicuti indicauit Apostolus ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est.* Obiiciet aliquis. Quòd Deus sit, lumine naturali per discursum euidenter cognosci potest, & à Philosophis huius mundi cognitum est, sicuti testatur Apostolus ad Roman. 1. Ergo non est necessaria Fides, imò ea cum tali scientia consistere non potest. Ad hoc respondeo, & dico I. Lumine naturali ex iis, quæ facta sunt, cognosci potest Deus vnus, vt est auctor naturæ, & effector huius mundi: hæc tamen cognitio non sufficit ad salutem. Sed requiritur, vt agnoscamus Deum esse auctorem gratiæ, & gloriæ, quod lumine naturali non assequimur, sed per Fidem supernaturalem.

Dico II. Si loquamur de habitu scientiæ naturalis, & habitu Fidei infusæ, nemo negat, simul in eodem intellectu consistere posse etiam in ordine ad idem materiale obiectum, videlicet *quòd Deus est.* Sin verò loquamur de actibus, est, quidem probabilis sententia S. Thom. 2. 2. q. 1. a. 4. & 5. Dum euidens cognitio obiecti intellectui in promptu est, vel in memoria hæret, non posse simul obscuræ Fidei actum circa tale obiectum elici. *Quia Fides est argumentum rerum non apparentium:* si autem res per se appareat, atque conspicua sit, non est locus extrinseco argumento, seu motiuo ad persuadendam veritatem. verùm licet intellectus humanus interdum ita bene dispositus esse possit, vt euidentem demonstrationem de Deo, quatenus naturæ auctor est, consequatur, tamen ob naturalem imbecillitatem, eiusmodi scientia de re adeo à sensibus nostris remota, non semper in promptu est, sed facilè dilabitur; tunc verò necessarium est, vt Fides succurrat, certam & infallibilem de Deo, quamuis scientificè tunc non apparente, persuasionem menti ingenerans, per Spiritus sancti gratiam: subseruientibus etiã motiuis extrinsecis: puta, omnium populorum perpetua persuasione, veneratione, concepta ex ordinata huius mundi fabrica, mirabilibus & naturæ ordinem excedentibus effectibus, &c. Adde, quòd certitudo assensus Fidei maior, ac perfectior est, quàm demonstrationis humanæ, vt suprà dixi ca. 3. num. 2. verb. Non pauci: Igitur qui demonstrationem, seu scientiam acquisitam de Deo habet, is nihilominus piè intellectum inclinare poterit, cum Dei auxilio, vt Fide etiam diuina credat, Deum esse auctorem naturæ, &c. idque certiùs iam teneat, quàm seipsum viuere, vti locutus est S. August. libro 7. Confess. cap. 10.

Assertio II. Inter speciales Fidei propositiones, seu articulos, qui discursiuè creduntur vt conclusiones, non aliquis ordo simpliciter necessarius. Ita Nicolaus Serarius in prolegom. Bibliac. c. 7. q. 7. prop. 2. Ratio est: Quia vnus articulus ab altero non dependet tanquam formali principio, ac motiuo: sed omnes peræquè dependent à veracissimi Dei reuelatione. 2

Assertio III. Conuenientior tamen ordo proponendi, & credendi Fidei articulos ille est, qui in Symbolo Apostolico continetur: vt primum locum obtineat mysterium Sacro sanctæ Trinitatis: deinde Incarnatio Verbi: Missio Spiritus sancti: tum Ecclesiæ Catholicæ sanctitas & infallibilis auctoritas: deinde septem Sacramenta, hominisque iustificatio, & glorificatio. Quapropter hunc ordinem plerumque obseruamus in pueris primo Catechismo instruendis, atque infidelibus ad Christi Fidem conuertendis. 3

Assertio IV. Si agatur de conuersione Hæreticorum: illæ Fidei propositiones, sacræ Scripturæ testimonia, quæ ab ipsis bono sensu recipiuntur, argumenti loco assumi possunt ad ostendenda alia Fidei dogmata, quæ ab eisdẽ negantur. Quamuis enim hæc argumentandi ratio non sit ex notiore secundùm se: est tamen ad hominem accommodata, nihilque frequentius est, quàm ex confessis contra aliquem argumentari, ad adstruenda ea, quæ ipse negat.

Porrò hæretici quàm maximè per traditionem à Patribus acceptam, conuincendi sunt. Etsi enim autoritatem Scripturæ ipsi imprimis vrgeant, nullum tamen ex ea argumentum firmum ducere possunt sine Ecclesiæ traditione. Vnde enim ipsis constare satis potest, S. Matthæi Euangelium, v. g. non item, quod Nicodemi nomine circumfertur, canonicum esse, nisi ex Ecclesiæ autoritate? Quare S. August. dixit contra Ep. fundam. c. 5. *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ moueret autoritas.* & l. 28. cõtra Faustum, c. 2. quod de S. Matt. Euangelio ait: Non esse dubitandũ de eius autoritate, *quam ex illo tempore, quo Matthæus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporũ, Ecclesia certa connexionis successione, vsq; ad tempora ista perduxit:* idẽ suo modo de aliis sacræ Scripturæ libris, & Fidei dogmatibus semper in Ecclesia receptis dici potest. Accedit, quòd tametsi satis constaret, S. Matt. v. g. Euangelium esse canonicum: vereri tamẽ possent hæretici, ne pluribus sententiarũ locis, malitia infidelium, aliisve de causis deprauatũ sit: si Ecclesiæ definitionẽ, ac traditionẽ respuant. Quare notandum est hoc loco, hæreticos conuinci posse, quòd

quòd articulos de SS. Trinitate, Christi incarnatione, &c. non Fide diuina infallibili, sed solùm humana persuasione credant; Si enim articulos illos Fide diuina crederent, propter Dei reuelationem crederent: consequenter eadem, diuina, & infallibili Fide credere deberent articulorum reuelationem à Deo factam esse. At verò ipsi respuentes traditiones, atque apertè profitentes, nihil Fide diuina credendum, quod scriptum non sit, libros Euangelistarum, v.g. tanquam Dei infallibile verbum Fide diuina acceptare non possunt: cùm scriptum in Euangelio non sit, à Spiritu sancto reuelatos, aut dictatos esse.

CAP. VII.

De proponente Fidem.

SVMMARIVM.

1 *Singuli Ecclesiæ Ministri & Doctores, ob humanam imbecillitatem, in rebus Fidei errare possunt: etiam Summus Pontifex secundùm propriam personam.*

2 *Summus Pontifex, vt publica persona proponens Ecclesiæ vniuersalia Fidei, aut morum decreta, ob Dei prouidentiam, errare non potest, secundùm probabiliorem sententiam.*

3 *Summus Pontifex, etiam vt publica persona, errare potest in particularibus quæstionibus facti.*

4 *Quod in generali Concilio, tanquam ad Fidem, vel bonos mores pertinens, definitum est, nulli errori subiectum esse posse, certa fide constat.*

5 *Ad Summum Pontificem propriè pertinet Concilia generalia indicere, ac congregare.*

6 *Imperator, seu Princeps laicus in Conciliis, aliisque Ecclesiasticis negotiis nihil cum autoritate præstare potest.*

7 *Ad Pontificem pertinet libros canonicos à non canonicis, seu apocryphis discernere: & Scripturas canonicas in puritate conseruare.*

8 *Ad eundem Pontificem spectat Symbolum Fidei ordinare, aut de nouo edere.*

Quatuor in Ecclesia symbola extant: Apostolicum, Nicænum Constantinopolitanum, & Athanasii.

9 *Symbolum Fidei articulis suis, iisque quatuordecim constat.*

10 *Hæreses emergentes cognoscere, & condemnare Summi Pontificis officium est.*

IMprimis notandum est, quòd Fides alicui proponi potest vel ab ipsa Ecclesia, vel saltem capite Ecclesiæ, seu summo eius Magistratu: vel ab Ecclesiæ Ministris supremam autoritatem non obtinentibus.

1 Assertiò I. Ecclesiæ Ministri, v.g. Parochi, & Episcopi singuli (excepto Summo Pontifice) non tantùm ipsimet in rebus Fidei errare possunt, ac falli: sed etiam errores suos aliis proponere. Hæc est communis. Quia nullum vel ex Scriptura, vel ex Patrum traditione priuilegium scimus concessum singulis Ecclesiæ Ministris, (excipio Apostolos, & Apostolorum Principis in vniuersali potestate successorem) quo minùs, secundùm humanam imbecillitatem, in rebus Fidei & falli, & alios fallere possint. Dixi autem singulos errare posse. Nam vt omnes Doctores, & Pastores in rebus Fidei errent, fieri non posse videtur: quandoquidem populus Doctoribus, & Pastoribus suis adhærebit; ideóque tota Ecclesia in errorem inducetur, quod fieri non potest, sicuti ratiocinatur Bannes 2.2. q.1.a.10.du.1.concl.3.

Assertio II. Probabilius est, quòd Summus Pontifex, quo ad suam personam in hæresin etiam notoriam incidere possit, ob quam dignus sit, vt ab Ecclesia deponatur, vel potius vt præcisus declaretur. Ita Caiet. opusc. de auctor. Papæ, c.18. & seqq. Turrecrem. l.2. Sum. de Ecclesia, 112. ad 6. Canus l.6. de locis, c. vlt. ad 11. Azor t.2. l.5. cap.5. Valent. ci. q 1. p.7. & q.6. §.39. Bannes ci. a.10. du.2. contra Albert. Pighium l.4. de Ecclesf. hierarch. c.8. cui fauet Bellarm. l.2. de Pontif. c.30. & l.4. c.2. & 6. Probatur assertio: Quia eiusmodi Priuilegium à Christo summis Pontificibus concessum nec ex Scriptura sacra, nec ex Patrum traditione colligitur: Ergo asserendum non est. Prior pars ex eo ostenditur, quòd promissiones à Christo factæ S. Petro non possunt ad alios summos Pontifices transferri, quatenus priuatæ personæ sunt, sed vt successores Petri in pastorali potestate docendi, &c. Posterior pars probatur: Quia ex Patrum scriptis & decretis potiùs contrarium colligitur: non quidem, quòd Romani Pontifices de facto aliquando hæretici fuerint: (id enim haud facilè ostendi potest) sed quòd persuasio fuerit, fieri posse vt in hæresin labantur; ideóque, si tale quid accidisse videatur, ad reliquos Episcopos pertinere, vt rem examinent, iudicent, sicuti videre est in sexta Synodo. Action. 13. Septima Synodo, act. vlt. Octaua Synodo, act. 7. in epist. Hadriani: & Concil. 5. Romano sub Symmacho Papa, *A multis antecessoribus nostris synodaliter decretum; atque firmatum est, vt oues Pastorem suum nec reprehendere; nisi à Fide exorbitauerit, præsumant.* Et c. si Papa, d.40. ex Bonifacio Archiepiscopo refertur: *Cunctos ipse iudicaturus à nemine est iudicandus, nisi fortè deprehendatur à Fide deuius.* Et ipsemet Bellarmin. l.2. c.30. ita scribit: *Non possumus negare, quin Hadrianus cum Concilio Romano, imò & tota Synodus Generalis VIII. senserit, in causa hæresis posse Rom. Pontificem iudicari.* videri potest Melchior Canus li. 6. de locis Theologicis, c. vlt.

Nota autē, licet ponamus, summum Pontificē, vt priuata persona est, hæreticum fieri, ideóque desinere esse verū Ecclesiæ membrum: (cùm Ecclesia sit fideliū congregatio: hæretici autem quilibet, eo ipso quod veram Christi fidem abiecerunt, neq; fideles, neq; veri Christiani existant, teste S. Augustino in enchirid. cap. 5.) tamen quādiu Papa ab Ecclesia toleratur, & vt Pastor vniuersalis publicè agnoscitur, tamdiu etiā Pontifici potestate re ipsa præditus est, vt omnia eius decreta non minorē vim & autoritatem habeant, quàm si verus fidelis esset; sicuti bene notat Dom. Bann. q.1. a.10. du.2. ad 3. Suar. l.4. de l. c. 7. Ratio est: Quia id pertinet ad conuenientē gubernationem Ecclesiæ: sicuti etiam in alia bene constituta Repub. tamdiu acta publici Magistratus valent, quamdiu in tali munere relinquitur, & publicè toleratur, iuxta l. Barbarius. ff. de officio Prætorum.

Assertio III. Summus Pontifex ob Dei prouidentiam errare non potest in decretis Fidei vniuersalibus seu, quæ toti Ecclesiæ proponit, quamuis sine Episcoporum Cōcilio: neq; in præceptis morum, versantibus circa res ad salutem necessarias, vel quæ per se bonæ, aut malæ sunt. Ita DD. Communiter apud Cai. opusc. de autorit. Papæ. Bann. ci. q.1. a.10. du.2. Bellar. l.4. c.2. Probatur primò ratione: Si Summus Pontifex in vniuersalibus Fidei, aut morum decretis erraret, tunc tota Ecclesia in errorē contra Fidē, aut doctrinā Christianā induci posset: consequens est impossibile: ergo & antecedens. Minor est certa ex promissione Christi Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Et verbis Apostoli 1. ad Timoth. 3. vbi Ecclesiam appellat *columnam & firmamentum veritatis.* Maior probatur: Quia Ecclesia reliquo Summo Pontifici, tanquam membra capiti, tanquā oues pastori suo adhærere tenetur: ergo si ille falsum aliquid contra Fidem, aut doctrinam Christianam proponeret, aut credi iuberet, Ecclesia tota in errorem induceretur. 2

Probatur secundò ex testimoniis Patrum: S. Cyprian. lib.1. epist.3. ad Cornelium, *Petri Cathedram vocat Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est: atque eos esse Romanos, quorum Fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Similia habet S. Hieron. lib.3. Apol. aduersus Ruffinum: Et ipse Ruffinus in expositione symboli, quæ habetur apud Hieron. to.2. rationem reddit, cur in Ecclesia Romana nulla vnquam verborum adiecto Symbolo Apostolorū facta fuerit, quia *nulla hæresis ibi sumpsit exordium.* Idémque Hier.

in Epist. ad Damasum ita scripsit: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior: super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, prophanus est: si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio.* Petrus Chrysologus Epist. ad Eutychen. *Hortamur te, frater, vt his, quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede viuit, & præsidet, præstat quærentibus Fide veritatem.* Gelasius in Epist. 10. ad Anastas. Augustum, *Hoc est, quod sede Apostolica magnopere cauet, vt quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima prauitatis, nulla prorsus contagione maculetur. Nam si (quod Deus auertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proueniret, vnde cuiquam resistere auderemus errori?* S. Ber. ep. 190. ad Inn. II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula queque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de Fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarcire damna Fidei, vbi non possit Fides sẽtire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis: Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua?*

Porrò notandum est primò: Licet dicta assertio non ita certa sit, vt contraria sit error in fide, quandoquidẽ non defuerunt Doctores, vt Adrianus in 4. q. vlt. de Confirmat. Gerson part. 1. tract. de examinat. doctrin. & alij Parisienses, qui in solo Concilio generali constituerunt infallibilitatem iudicij de rebus Fidei: tamen si quis generalem definitionem Papæ circa Fidem, aut mores falsitatis argueret, aut ei se opponeret, contra eum meritò, tanquam suspectum de hæresi, aut schismate introducendo, procedi posset. Excepto, si Summus Pontifex manifestum errorem contra Fidem Ecclesiæ proponere, seu obtrudere conaretur. Nam id nihil repugnare graues Doctores docent, inter quos Gerson consid. 1. Turrecremata lib. 2. de Ecclesia, cap. 112. ad 7. & lib. 4. part. 2. cap. 16. modo 17. & indicat Syl. ver. opinio, in fine. Corduba cit. qu. 1. prop. 10. limit. 2. Valent. qu. 1. p. 7. qu. 6. §. 39. Qui etiam rationem afferunt: Quia tunc Ecclesia, non versabitur in periculo: cùm non teneatur Pontificem, docentem aliquid contra Fidem receptam in Ecclesia, vt pastorem sequi: sed potiùs tanquam lupum apertè grassantem auersari. Quare etiam Bellarm. l. 4. c. 2. non sine causa ex communi Catholicorum sententia ita loquitur: *Pontificem in re dubia statuentem ab omnibus fidelibus obedienter audiendum esse.*

Deinde accidere potest casus, vt licet summus Pontifex re ipsa verum doceret, tamen aliquis per inuincibilem ignorantiam sibi persuaderet, doctrinam Ecclesiæ propositam manifestò esse contra sacram Scripturam, & Fidem Christianam: quo modo credibile est S. Cyprian. cum LXXX. Episcopis Africanis deceptum fuisse in quæstione de rebaptizandis hæreticis: antequam dogma, quod Stephanus Papa Ecclesiæ tradidit, & imperauit obseruandum (vt videlicet hæretici in forma SS. Trinitatis ritè baptizati, sine alio baptismo ad Ecclesiam reciperentur) generali Concilio confirmatum esset. Qua de re videri potest S. August. lib. 2. contra Donatistas, cap. 4. & l. 4. ca. 6. Cæterùm postquam doctrina, aut definitio Sum. Pontificis, etiam sine generali Concilio tradita, ab Ecclesijs communiter recepta fuit tunc apertè hæreticus censeri debet, qui ei pertinaciter contradicere, aut in dubium reuocare audet: cùm certa Fide constet, Ecclesiam vniuersam errare non posse.

Secundò notandùm est, quod in assertione dixi: Pontificem errare non posse in decretis morum circa ea, quæ ad salutem necessaria, vel per se bona, aut mala sunt: v. g. vt doceat vsuram esse licitam, iniustè ablata non esse restituenda. Nam interim nihil obstat, quin Pontifex leges condat, aliáve statuat, quæ per se quidem siue ex obiecto mala non sunt: tamen propter adiunctas circumstantias minùs Ecclesiæ expediunt: vt si in censuris, aliísve pœnis ferendis nimis securus: vel contrà in indulgentijs, aut dispensationibus concedendis nimis facilis sit: propterea eiusmodi decreta Pontificum, si Ecclesiæ minùs vtilia appareant, à successoribus eorum quandoque reuocantur.

Assertio IV. Summus Pontifex, etiam vt publica persona, errare potest in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ plerumque de facto sunt. Ita ex communi Corduba lib. 4. quæstionar. q. 1. prop. 10. limit. 3. Ban. cit. quæstione. 1. dub. 6. conclusione 4. Bellarmin. libro 4. de Pontifice, cap. 2. Ratio est, quia assistentia, & directio sancti Spiritus promissa est Petro, & successoribus eius in ordine ad Ecclesiam, ne eam in errorem inducant: cuius rei periculum nullum est in decretis particularibus, seu non ad vniuersam Ecclesiam attinentibus. 3

Assertio V. Certa Fide apud Catholicos constat, quòd in generali Episcoporùm Concilio, tanquam ad Fidem, vel bonos mores pertinens, definitum fuerit, errori, aut falsitati subiectum esse non posse. Probatur ex eo: Quia Ecclesia vniuersa errare non potest, sicuti constat ex ca. 16. & 18. Matth. 1. Timoth. 3. Episcopi autem ex vniuerso orbe, quatenus commodè fieri potest, congregati, cum capite suo, qui est summus Pontifex, vniuersam Ecclesiam repræsentant: Quandoquidem, vt S. Syprianus ait lib. 4. Epist. 9. *Ecclesia est in Episcopo.* Et Euseb. libro 3. de vita Constantini, Concilium Episcoporum Nicæę habitum vocat, *Conuentum orbis terrarum.* Et S. August. lib. 1. de Baptis. cap. 18. *totius Ecclesię consensum.* Ergo quæ in tali Concilio, circa Fidem aut mores (modo suprà explicato) decreta fuerint, errori obnoxia non sunt. Vide quę dixi l. præced. c. 7. §. 2. 4

Corollarium I. Ad Summum Pontificem propriè pertinet generalia Concilia congregare. Probatur imprimis ratione: Ad eum pertinet Concilium generale indicere, qui omnium nationum Episcopis cum autoritate imperare potest: Hic autem est solus Romanus Pontifex, tãquam aliorum Episcoporum, totiúsque Ecclesiæ caput, sicuti appellatum reperies in Concilio Ephesino Generali tom. 2. cap. 15. & in Chalcedonensi Act. 1. & in eodem Act. 3. in Epistola Synodica ad Leonem I. Probatur secundò ex traditione, & praxi Ecclesiæ: Sic enim testatus est, euicítque Iulius Papa Romanum apud Athanasium Apol. 2. Socratem lib. 2. cap. 13. Sozomen. libro 3. capite 7. & 9. Nicephorum libro 9. cap. 10. Extare canonem Ecclesiæ, quo autoritas omnis derogetur, quæ præter Romani Antistitis sententiam, decreta essent. Et Damasus Papa Epist. 4. ad Episc. Aphricanos cap. 1. *Vt nostis, Synodum sine eius* (Romani Pontificis) *autoritate fieri non est Catholicum: nec Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica vocatione, congregata, definitè damnari potest: neque vlla vnquam Concilia rata leguntur, quę non sunt fulta Apostolica autoritate.* Et Lucencius Legatus Romanus in Chalcedonensi Concil. Act. 1. *Synodum ausus est facere,* Dioscorus Alexandrinus Archiepiscopus, *sine autoritate Apostolicæ sedis, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Ægypti Episcopi in epist. ad Felicem II. *canonibus iubentibus, absque Romano de maioribus causis nos nihil debere decernere* Episcopo. Et infrà: *Scimus in Nicæna magna Synodo communiter ab omnibus esse roboratum, non debere absque Romano Pontifice Concilia celebrari, nec Episcopos damnari.* His adde Leon. I. epistol. 15. ad Ephesin. pseudosynodum, & epistol. 24. ad Theodos. Augustum. Actionem I. Concilij Chalcedon.. aduersus Nestorii audaciam, Episcopos Ephesum conuocantis. Pelag. II. epist. quæ incipit *manifesto*, ad Episcopos, qui conuocatione Ioannis Episcopi Constantinopolin conuenerunt. Pulcheriam Augustam in epistol. ad Leonem I. ante Concil. Chalcedonense. Denique in Concil. VI. Oecumenico Act. 18. testantur Patres, omnia 5

etiam

etiam antecedentia Concilia Oecumenica Romani Pontificis autoritate habita & conclusa fuisse.

Sed vt sigillatim ostendamus, Concil. I. Nicænum à Syluestro indictum, & congregatum fuisse, præter Patres Concil. VI. testantur Episcopi Romani II. sub Damaso apud Sozom. lib. 6. c. 23. Theodor. lib. 2. ca. 22. Gelasius Cyzicenus lib. 2. act. Concilij Nicæni c. 12. *Sancta & magna, & generalis Synodus sanctorum Patrum Nicæa congregatorum, per B. Hosium, Episcopum ciuitatis Cordubę in Hispania, tenentem locum Episcopi Romani, cum eiusdem Sedis Presbyteris.*

De Concil. Constantinopolitano, præter Patres Concil. VI. satis indicant ipsimet Episcopi Orientales in ep. ad Damasum apud Niceph. lib. 12. c. 16. quæ verba mox referam n. seq.

De Concil. Ephesino generali testantur literæ Cælestini Papæ ad Theodosium, & Valentinianum Imperatores, quæ habentur in actis Concil. Ephes. t. 2. c. 17. & meminit Euagrius libro 1. cap. 4. quòd Cælestinus Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo vices suas congregandi & disponendi in Oriente Synodum commiserit, donec Legati ex Vrbe aduenirent. Postea verò quàm Legati Apostolici aduenissent, quo modo omnia eorum autoritate acta fuerint, atque Nestorius damnatus, videre licet in eiusdem Concil. actis tom. 2. cap. 15. edit. Commelin.

De Chalcedonensi Concil. Generali constat ex Epist. Valentiniani & Martiani Imperator. ad omnes vbique reuerendissimos Episcopos, & alia Epist. quam suprà allegaui, scripta ad Anatolium: & qua ratione omnia autoritate Legatorum peracta sint, & Dioscorus iudicatus, appareat ex Actione I. *Beatissimi, & Apostolici viri Papæ Vrbis Romæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum, præcepta habemus præ manibus.* Et postea contra Dioscorum: *Synodum ausus est facere*, &c. quæ verba suprà allegaui.

De Cornelio V. Oecumenico videri potest Baron. Anno 553. n. 219. & 225.

De VI. Oecumenico quæ scripta sunt Act. eius 18. & in epist. ad Agathonem. Plura de Concilijs apud Gratianum d. 16. cap. sancta, & seqq. Eius tamen error cauendus est, cùm Antiochenum I. Concilium ab Eusebianis celebratum inter legitimas Catholicorum Synodos recenset. Vide de hoc S. Athanas. apolog. 2. & Innoc. I. in epist. ad Clericos Constantinopol. in causa Chrysostomi.

6 Nihil autem dictis obstat, quòd in Concil. VI. generali cit. Act. 18. Imperatorum quoque mentio fiat; *Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis magnam, atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Non enim Imperator, vt auctor Concilij, illud congregabat: sed priùs à Romano Pontifice monitus, atque rogatus, vt tanquã Ecclesiæ vniuersæ patronus, suam quoque ad Synodi locum euocandi ac deducendi Episcopos, opem præsidiáque conferret, vti videre est in ep. Synodali ad Damasum apud Niceph. l. 12. c. 16. *Sed enim tum fraternam vestram erga nos pietatem conseruantes, & dilectionem exhibentes, indicto Romæ de voluntate Dei Concilio, nos quoque vt membra vestra propria eò conuocaueritis.* Et paulò post: *Conuenimus Constantinopolin, literis proximis adducti, quas Reuerentia vestra post Synodum Aquileiensem, ad Dei amantissimum Imperatorem Theodosium dedit.* Eiusdémque consuetudinis mentionem facit. Martianus Imperator in epist. ad Leonem Papam, valentinianus & Martianus in epist. ad Anatolium, quæ habentur t. 2. Conciliorum, Denique Patres Concilij VI. Oecumenici in epist. ad Agathonem Papam: *Acquiescentes veræ confessionis literis, à vestra paterna beatitudine ad piissimum Imperatorem missis: quas vt à summo Apostolorum vertice diuinitus perscriptas agnoscimus.* Plura leges apud Bellarm. l. 1. de Concil. ca. 12. & 13. Videri etiam potest Baron. Anno Christi 314. de tractoria siue annonæ prouisione, quam Imperator Episcopis ad Concilium vocatis facere solebat.

Neque Imperator, eiúsue Legatus, vt Iudex, aut cum potestate sententiam suam in Ecclesiasticis negotiis dicendi, intererat, sed vt præsentia, & autoritate sua cohonestaret, ac defenderet Synodum: atque si opus esset, auxilia externa præstaret, sicut S. Ambros. testatur lib. 5. Epist. 32. ad Valentinianum Imper. *Si conferendum de Fide, Sacerdotum* (id est, Episcoporum, tanquam Ecclesiæ Principum) *debet ista esse collatio, sicut factum est sub Constantino Augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges antè præmisit, sed liberum iudicium dedit Sacerdotibus.* S. Athanas. in Apol. 2. *Præclari Eusebiani, quo veritatem, scriptaque sua obliterent, nomen Synodi suis actis prætexunt: cùm res ipsa negotium Imperatorum, non Synodale haberi debeat; quippe vbi Comes præsideat, &c.* Et in epist. ad solitariam vitam agentes: *Quando à condito æuo auditum est, quando iudicium Ecclesiæ autoritatem suam ab Imperatore accepit? aut quando vsquam hoc pro iudicio agnitum est? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ sunt: sed neque Patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, ne Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum præbuit.* Et Hosius Episc. apud eundem Athanas. in eadem epist. ita Constantinum alloquitur. *Desine, quæso, & memineris te mortalem esse, reformida diem iudicii, serua te in illum diem purum, nec te misceas Ecclesiasticis, neque nobis in hoc genere præcipe: sed potiùs ea à nobis disce.* Idque planè etiam agnouerunt atque professi fuerunt Catholici Imperatores: vt Constantinus Magnus apud Ruffinum lib. 1. c. 1. vbi ita alloquitur Patres Nicææ congregatos: *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur.* Similia habet Honorius Imper. in in Epist. ad Arcadium, & Gratianus Imperator in epist. lecta Aquileæ, quarum verba retuli lib. 1. tr. 4. c. 7. num. 10. Theodosius item & Valentinianus in Epist. ad Synodum Ephesinam, quæ habetur in ea t. 1. c. 32. *Candidianum præclarissimum religiosorum domesticorum Comitem ad sacram vestram Synodum abire iussimus: sed ea lege & conditione, vt cum quæstionibus & controuersijs, quæ circa Fidei dogmata incidunt, nihil commune habeat. Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum Concilio inscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus se immiscere.* Simile testimonium Valentiniani Imperatoris legere potes apud Sozom. l. 6. c. 7.

Corollarium II. Ad summum Pontificem pertinet 7 etiam definire, quinam libri sacræ Scripturæ tanquam veri & canonici in Ecclesia recipiendi sint: qui verò pro apocryphis habendi. Est communis doctrina, quæ fermè etiam ex suprà dictis intelligitur. Pro pleniore autem intellectu nota primò, quòd non infrequens sit acceptio canonis pro eo, quod certo numero, aut limite definitum est. Sic enim lib. 10. Cod tit. 23. certa numero definita pēsio, *canon* appellatur: Et qui in album Sanctorum, vel defunctorum Episcoporum referuntur, in canone poni dicuntur. Eodem igitur sensu libri canonici dici solent, qui in sacrarum Scripturarum numero censentur, per autoritatem, & definitionem Ecclesiæ, cuius caput est Romanus Pontifex: ita vt sine ipso nulla talis definitio fieri possit. Hoc sensu dixit Toletanum I. Concilium in exposit. Fidei: *Si quis dixerit vel crediderit, alias Scripturas esse canonicas præter eas, quas Catholica Ecclesia recipit, anathema sit.* Et S. Hieronymus præfat. in librum Iudith, *Quia hunc librum Synodus Nicęna in numero sanctarum Scripturarum legitur computasse acquieui.* Et S. Augustinus l. 2. contra Crescent. c. 31. *Salubri vigilantia canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omnes iudicare non audemus: & secundùm quos de cæteris fidelium, vel infidelium libris liberè iudicemus.* Inuenies autem Canonem sanctorum librorum apud Gelasium Papam in Concil. 70. Episcoporum, Innocent. I. Epistol. 3. ad Exuperium, & in Concil. Carthaginensi VI. cui etiam S. August. interfuit,

vbi Episcopi testantur, se canonem hunc Scripturarum à Patribus accepisse, vt in Ecclesia legerentur, to.1. Cōcil. Seuerini Binij, in fine dicti Concil. Quamuis fateri debemus, ante ea tempora de quibusdam libris dubitatum fuisse, vti apparet ex Concilio Laodiceno, cap. vlt. Verùm sicuti Nicænum Concil. statuit, vt liber Iudith pro canonico & indubitato haberetur, teste S. Hieronymo præfat. in Iudith, ita postea in Ecclesia statutum, vt alij dubitati, v.g. liber Sapientiæ, liber Tobiæ pro indubitatis agnoscerentur, vti videre licet in Trident. sess. 4. vbi additur; *Si quis autem libros ipsos integros, qui enumerati sunt, cum omnibus suis partibus*, id est, capitibus, seu sectionibus, *prout in Ecclesia Catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, &c. anathema sit.*

Libri vero Apocryphi dicuntur, qui quòd eorum origo, & autoritas obscura sit, ab Ecclesia approbari, & in canonem diuinarum Scripturarum relati non sunt; imò plerumque saltem quoad aliqua, reprobati. Sic enim S. Augustinus lib. 15. de ciuit. cap. 23. *Omittamus earum scripturarum fabulas, quæ apocryphæ dicuntur, eò quòd occulta eorum origo non claruit Patribus, à quibus vsque ad nos autoritas veracium Scripturarum certissima, & notissima peruenit.* Lege Nicol. Serarium cap. 8. Proleg. Bibliac. q.12.

His adde, ad Summum quoque Pontificem, cũ aliorum Ecclesiæ Pastorum auxilio, pertinere, vt aduigilet, quò canonicæ Scripturæ ab omni, quatenus fieri potest, mendo liberæ conseruentur, & posteritati tradantur. Eam enim ob causam Patres, vt S. Irenæus lib. 3. contra hæres. cap. 3. S. Cyprianus in lib. de vnitate Ecclesiæ, S. August. l. de vtil. credendi cap. 17. & 18. monuerunt, necesse esse ad vnitatem Fidei seruandam, vt Ecclesiæ aliæ, atque fideles omnes principalioris Ecclesiæ Romanæ doctrinis se conforment, & adhærescant: quandoquidem illa ab Apostolis Petro & Paulo instructa, traditiones illibatas conseruauit, iuxta Domini promissionem, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. Ea propter post Trident. Concilium, plurium Summorum Pontificum vigilantia, sacræ Scripturæ editio Latina, multis antè seculis vsitata, ac vulgata, adhibitis viris doctissimis, & inspectis antiquissimis exemplaribus, quæ vndecunque in Vrbem illata fuerunt, nec non Sanctorum Patrum commentarijs, &c. accuratissimè emendata, ac denique Anno Domini M.D.XCIII. à Clemente VIII. in lucem data est, vt deinceps tanquam alij Latinis editionibus correctior, in scholis prælegeretur, commentarijs illustraretur. Non quòd hæc editio omnibus etiam leuissimis mendis careat, quæ vel librariorum incuria, vel alia de causa irrepserunt: sed quòd nullum errorem contineat aduersus Fidem, vel bonos mores. Videri potest Vega libro 15. in Tridentinum capite 9. Canus libro 2. de locis, cap. 13. Serarius in proleg. Bibliac. cap. 19. qu. 11.

8 Corollarium III. Symbolum Fidei ordinare, aut de nouo edere ad Summum Pontificem spectat. Ita S. Th. 2. 2. q.1. a.10. & probat: *Quia noua editio Symboli necessaria est ad vitandum errores. Ad illius ergo autoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius autoritatem pertinet finaliter determinare ea, quæ sunt Fidei, vt ab omnibus inconcussa Fide teneantur; hoc autem pertinet ad autoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referuntur.* Et paulò post; *Vna Fides debet esse totius Ecclesiæ secundùm illud* 1. ad Corinth. 1. *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, quod seruari non potest, nisi quæstio Fidei de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest: vt sic eius sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur: & ideo ad solam autoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli: sicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiusmodi.* Confirmatur ex praxi Ecclesiæ: siquidem illa Symbola Fidei, quæ in Concilijs à Summo Pontifice non approbatis edita sunt, v.g. in Synodo Sirmiensi, Ariminensi, vbi DC. Episcopi conuenerant, nullam in Ecclesia autoritatem obtinuerunt.

Pro cuius doctrinæ pleniore intellectu nota primò: Symbolum Fidei dictum videri, quasi quædam militaris tessera sit, siue professionis nota, per quam Christiani ab infidelibus discernantur, sicuti explicat Ruffinus præfat. in exposit. Symboli, & Isidor. lib. 9. Originum, capite 19.

Secundò: Quadruplex in Ecclesia Symbolum haberi: I. Apostolicum. II. Nicænum. III. Constantinopolitanum IV. Athanasianum. Illud, quod Apostoli composuerunt, Fidei Christianæ capita præcipua simpliciùs, ac breuiùs proponit. Alia verò eandem Apostolicæ Fidei doctrinam contra hæreticorum postea exortos errores, vberiùs explicant, sicuti S. Th. notauit resp. ad 1. *In doctrina Christi, & Apostolorum veritas Fidei est sufficienter explicata: sed quia peruersi homines Apostolicam, & cæteras Scripturas, & doctrinas peruertunt ad suam ipsorum perditionem, sicuti dicitur* 2. *Petri vlt. ideo necessaria fuit temporibus præcedentibus explicatio Fidei cōtra insurgentes errores.* Et a. 9. ad 6. rationē reddit, cur Symbolum Patrum (videlicet Constantinopolitanum, quo Nicæna fides explicata erat) publicè in Missis cantari soleat: Apostolicum verò submissè tantū dici in prima, & Completorio: Quia Symbolum Patrum est declaratiuum Symboli Apostolorum, & quia conditum Fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente: at verò Symbolum Apostolorum, tanquam feruente persecutione conditum, iuxta primam suam originem, quasi occultatur.

Tertiò. Symbolum Fidei articulis suis constat: Dicitur enim articulus, sectio & quasi membrum quoddam totius Symboli, continens in se peculiarem, & distinctam reuelationem à Deo Ecclesiæ factam, ad vitæ æternæ consecutionem. Quare tria requiruntur ad articulum Fidei strictè & propriè sumptum: I. Vt contineat Dei verbum Ecclesiæ publicitus propositum. II. Vt contineat distinctam, & propriam credendi difficultatem, quæ per reuelantis Dei autoritatem superanda sit, auctore S. Th. a. 6. vbi rationem adfert, cur diuersi sint articuli Passionis, & Resurrectionis Dominicæ, quia diuersam credendi difficultatem habent: Vnicus autem articulus Christi passi, crucifixi, mortui, ac sepulti: quia hæc vnicam credēdi difficultatem habent, vt vno eorum per Fidem suscepto, non sit difficile alia suscipere. III. Vt contineat veritatem Fidei per se & non per accidens reuelatam. Cùm enim finis reuelatæ à Deo Fidei sit viatorum salus, ac vita æterna (siquidem Fides est *hypostasis*, siue fundamētū *rerū sperandarū* Heb. 11. *Et quæcūq; scripta sunt, ad nostrā doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem Scripturarum, spem habeamus*, Rom. 14.) ideo rectè Symbolum Fidei distinguitur per capita, siue articulos, quibus per se, ac directè ordinamur ad consecutionem vitæ æternæ, ideòque omnibus ad credendum proponi debent: v.g. quòd Deus sit vnus & trinus: Filius Dei homo factus: quòd in Ecclesia sit peccatorum remissio, per Sacramenta, &c. Alia verò, quæ indirectè tantùm, ac per accidens, videl. ob aliorum intelligentiam, reuelata sunt v.g. quòd Abraham duos filios habuit: quòd ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus, &c. strictè, ac propriè loquendo non censentur articuli, quamuis ad Fidei articulos reducantur, testante S. Th. cit. art. 6. ad 1. Quia tamen certissima etiam fide credi debent, vt hæreticus sit, qui ea pertinaciter negat, ideo latè loquendo, articuli (id est, propositiones) Fidei non malè dicuntur. 9

Quartò: Licet pro numero Apostolorum, per quorum ministerium Fidem accepimus, duodecim Fidei articuli vulgò numerentur: tamen secundùm numerum rerum credendarum, quatuordecim à Doctoribus distinguun-

guuntur, vt videre est apud S.Th.a.8. Septem ad diuinitatem pertinent: I. ad vnitatem diuinæ naturæ, *Credo in vnum Deum*: tres sequentes ad Trinitatem personarum, *Credo in Deum Patrem*, Et *in Iesum Christum*, *& in Spiritum sanctum*: tres alij ad triplicem operationem Dei, tribuentis creaturis rationalibus esse naturæ per creationē: *Creatorem cæli & terræ*: esse gratiæ per iustificationem, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, *Sanctorum communionem*, *remissionem peccatorum*: esse gloriæ per glorificationem, *Carnis resurrectionem*, *& vitam æternam*. Alij septem articuli Christi incarnati opera explicant: 1. *Conceptus est de Spiritu sancto*, 2. *Natus ex Maria virgine*. 3. *Passus sub Pontio Pilato crucifixus, mortuus, & sepultus*. 4. *Descendit ad inferos*. 5. *Resurrexit à mortuis*. 6. *Ascēdit ad cælos*. 7. *Venturus est iudicare viuos & mortuos*.

Porrò quædam reuelatæ Fidei veritates sunt ad salutem nobis necessariæ, quæ dictis articulis implicitè continentur; v.g. animæ immortalitas eo articulo, *Credo vitam æternam*; Item Sacramenta eo articulo, *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, *Sanctorum communionem*, *remissionem peccatorum*.

Corollarium IV. Ad summum Pontificem etiam pertinet, de hæresibus in Ecclesia surgentibus cognoscere, easdémque condemnare. Constat assertio ex suprà dictis, & traditur à Ruperto Thuitiensi lib. 2. de diuinis offic. c. 22. *Romana Ecclesia super Apostolica Fidei petram altiùs fundata firmiter stetit, & tam Græciæ, quàm totius orbis hæreticos semper confutauit, & de excelso Fidei tribunali datâ sententiâ iudicauit*. Et Platina in vita Bonifacij III. *Meritò Sedes Romana ceteris antefertur: cuius integritate & constantia cunctæ hæreses confutatæ sunt, & explosæ*. Rectè tamen notat Bellarm. lib. 1. de Concil. cap. 9. hæreses nouiter ortas ordinariè cognitas, & damnatas fuisse in Concilio generali, Romani Pontificis autoritate, ob eam causam coacto.

CAP. VIII.

An, & quatenus Fides diuina, ac supernaturalis viatoribus necessaria, sit necessitate medij ad salutem.

SVMMARIVM.

Fides diuina alia est habitualis, alia actualis: & hæc vel explicita, vel implicita.

2 *Alia est necessitas medij, & alia necessitas præcepti.*

3 *Explicita supernaturalis cognitio Dei vnius, est medium ad salutem necessarium omnibus adultis.*

4 *Post lapsum humani generis Fides actualis in Christum redemptorem, saltem implicita, adultis necessarium medium ad salutem fuit.*

5 *Post Euangelij promulgationem explicita Fides in Christum, & Sanctorum Trinitatem necessaria est, saltem necessitate præcepti.*

1 SVpponendum I. quod etiam cap. 1. dixi. Duplex est Fides diuina, supernaturalis, ac Theologica: Vna habitualis, ac permanens: altera actualis & transiens. Illa à Deo infusa, inest omnibus fidelibus, non solùm iustis, sed etiam peccatoribus: itémque infantibus, ac amentibus, qui baptizati sunt. Fines autem actualis solis ratione vtētibus competit.

Supponendum II. Fides actualis Theologica iterum Duplex est: Vna explicita, siue expressa, per quam Fidei aliqua propositio in se ipsa speciatim creditur, v.g. Quòd Deus trinus: Anima rationalis est. Altera verò est implicita, per quam Fidei propositio non in se ipsa speciatim, sed in aliqua alia, in qua implicitè continetur, generatim creditur: v.g. Qui credit verum esse, quidquid Ecclesia Catholica credendum tradit, is mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, & alias Fidei veritates implicitè credit. Ita Gabr. in 3. d. 25. quæst. vn. art. 1. notab. 2. Azor. to. 1. libro 8. ca. 6. in fine, Tolet. libro 4. capite 2. Sanchez lib. 2. moral. cap. 2. numero 2. Valentia tom. 3. disput. 1. q. 2. part. 3.

Supponendum III. Duobus modis dicitur aliquid necessarium ad salutem: Necessitate medij, & necessitate præcepti. Necessitas medij est, quo destitutus homo, quamuis sine vlla culpa sua, secundùm ordinariam Dei legem saluari non potest. Quomodo Baptismus, v.g. re ipsa susceptus necessarium medium est infantibus ad salutē: Et pœnitentia adultis necessaria est in peccatum mortale lapsis, vt suis locis dicam. 2

Necessitas verò præcepti est, sine cuius executione homo saluari non potest, si exequendi facultas & occasio suppetat: secùs, si propter ignorantiam, vel aliam impotentiam à præcepto, & consequenter à culpa excusetur.

Assertio I. Fides habitualis à Deo infusa, omni tempore, ac hominum statu, tam paruulis, quàm adultis necessarium medium fuit ad salutem. Est communis doctrina: quæ traditur in Trident. sess. 6. cap. 7. Ratio est, quam Gabriel affert art. 2. conclus. 1. Anima non est accepta Deo, supernaturalium bonorum largitori, nisi suprà naturæ vires eleuata, secundùm intellectum ornata sit habitu supernaturalis cognitionis, aut Fidei: secundùm voluntatem verò habitu supernaturalis amoris, seu Charitatis.

Assertio II. Actualis, & explicita vnius Dei Fides supernaturalis, omni tempore, ac hominum statu, necessarium medium ad salutem fuit adultis, ac ratione vtentibus. Ita Trident. sess. 6. c. 7. & S. August. serm. 38. de tempore. S. Th. cit. d. 25. q. 2. art. 1. quæstion. 1. Gabr. cit. q. vn. a. 2. Sotus lib. 2. de natura & gratia, c. 11. & alij communiter apud Sanchez libro 2. moral. c. 2. n. 3. Ratio est, quam Apostolus dat ad Hebr. 11. Quia *Fides est sperandarum rerū substantia*: id est, sperandæ salutis fundamentum. Quare, *sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est*. Quæ ratio aliter etiam formari potest: Deus homines adultos saluare non vult, nisi cum eorum cooperatione: atqui cooperatio hominis ad salutem vtilis non est, sine Fide supernaturali: cùm sine ea operatio nullam proportionem, aut eleuationem habeat ad finem beatitudinis supernaturalis: Ergo secundùm ordinatissimam Dei dispositionem, Fides supernaturalis actibus est necessarium medium adultis ad salutem. Vide S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 3. 3

Vsus autem sum in hac probatione vocabulo *cooperationis*, & non meriti. Etsi enim regulariter homines adulti sine proprijs meritis non saluentur, fingi tamen potest casus, in quo homo adultus absque vllo merito ex condigno, salutem æternam consequatur: vt si Catechumenus, ac credens, qui de peccatis suis imperfectum duntaxat dolorem habuerat, in phrenesi postea baptizetur, & moriatur, salutem æternam consequetur sine meritis ex condigno: sed non sine supernaturali fide, spe, pœnitentia.

Secundò in assertione dixi, necessariam esse Fidem *supernaturalem*: quod intellige non tantum ex parte principij, seu auxilij diuini, quo potentiæ nostræ adiuuantur: *Non enim sufficientes sumus aliquid cogitare à nobis tanquā ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, ait Apost. 2. ad Cor. 3. sed etiā ex parte obiecti: quia non satis est Deū cognoscere auctorē naturæ, & largitorē naturaliū bonorū, sed necesse est cognoscere, ac credere, quòd Deus auctor sit supernaturaliū rerū, gratiæ, & vitæ æternæ largitor: cū talis cognitio sit fundamentū accessus nostri ad Deū. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 2. a. 3. Med. l. 4. de recta fide, c. 8. Val. ci. q. 2. p.

2.&p.3.assert.1.Bannes q.2.a.8.du.1.San.ci.c.2.con.1.& 3. &colligitur ex Apostolo cit. cap.11. ad Hebræos, vbi Fidem vocat *argumentum rerum non apparentium*. Ratio est, quia Fides hominem viatorem dirigere debet ad finem non naturalem: sed supernaturalem beatitudinis æternæ.

4 Assertio III. Post lapsum humanigeneris peccatum, tam sub lege naturæ, quàm sub lege Mosis, fides actualis in Christum redemptorem, saltem implicita, necessariũ medium fuit ad salutem omnibus adultis ratione vtentibus. Ita docet S. Bernard. Epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, Magister in 3. d. 25. S. Bonau. ibid. a.1. q.2 Rich. a.3. q.2. S. Thom. 2. 2. q.2. a.7. ad 3. Sotus in 4. d. 5. a.2. §. hic primum omnium. Valentia cit. q. 2. p. 4. Sanchez conclus. 4. Probatur ex sacra Scriptura, Act.4. dicitur: *Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, sub quo oporteat nos saluos fieri.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Ad Galat.2. *Scientes, quòd non iustificetur homo ex operibus legis, nisi per Fidem IESV Christi.* Vult dicere, Neminem hominem ex operibus secundùm vires naturæ, aut legem Moysis iustificari posse: sed necessariam esse Fidem in Christum.

Secundò ratione: Sicuti in statu naturæ integræ adulti saluari non potuissent sine cognitione Dei creatoris, & sanctificatoris: ita in statu naturæ lapsæ saluari non possũt sine aliqua saltẽ confusa cognitione Christi redemptoris, ac restauratoris. Vult enim Deus, vt homines cooperando ad salutem suam, desiderent, ac quærant animarum suarum Medicum: sed non possunt desiderare, ac quærere nisi illum aliquo modo cognoscant: videlicet per Fidem in vita præsente.

Dixi autem, Necessariam fuisse, necessitate medij, Fidẽ supernaturalem saltem implicitam, quæ tunc habetur, cùm homines suæ naturæ infirmitatem, atque ad peccandum pronitatem agnoscentes, credunt Deum esse auctorem supernaturalium donorum, in remedium animarũ. Sin verò loquamur de obligatione præcepti, debebant habere explicitam, saltem confusam, Fidem de Christo redemptore, secundùm modum reuelationis, ac prædicationis ipsis factæ, vti dicam cap. seqq. assert.2.

Assertio. IV. Incertum est, an post sufficientem Euãgelij promulgationem explicita Fides in SS. Trinitatem & Christi incarnationem necessarium medium ad salutẽ sit adultis & ratione vtentibus. Affirmatiuam partem probabiliter defendunt Gabr.cit. quæst. vnic. a.2. concl. 2. Valent. 2. 2. quæst. 2. p. 4. & 5. Ludou. Molina p. 1. quæst.1. a. 1. disp. 2. Ioan. Malderus 2. 2. quæst. 2. a. 8. Becanus c.12. quæst.2. conclus.3. Sanchez cit. c.2. concl. 6. & alij apud Victoriam relect. de Indis Insulanis, num. 33. Probari solet tum ex Scriptura sacra, Ioan. c. 3. *Misit Deus filium suum, &c, vt saluetur mundus per ipsum: Qui credit in eum, non iudicatur: Qui autem non credit, iam iudicatus est.* Et apud S. Matth. c. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium* (de Christo Dei Filio Saluatore, &c.) *omni creaturæ: Qui crediderit* (Euangelio) *& baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Tum verò ratione: Sicuti in Lege veteri, cùm mysterium humanæ redemptionis implicitè & obscurè propositum erat, Fides in Christum saltem implicita necessarium medium ad salutem fuit: ita in Lege gratiæ, cùm Euangelium sufficienter promulgatum, & mysteria redemptionis humanæ, ac sacrosanctæ Trinitatis explicata sunt, Fides explicita in Christum, & SS. Trinitatem, necessarium medium ad salutem existit.

Si objiciatur: Multi Gentiles sunt, & fuerunt, quibus cùm Euangelium enuntiatum non esset, inuincibili Fidei ignorantia laborârunt: cur igitur ad ignem æternum propter defectum Fidei explicitæ in Christum damnatur? Respondent ex doctrina S. Thom. q.10. a.1. Non damnari eos propter infidelitatis peccatum, sicuti obiectio conuincit: sed propter alia peccata contra naturæ legem Cùm enim Deus facienti, cum gratiæ diuinæ auxilio, quod in se est, vlteriorem gratiam non deneget: Fides autem actualis, & explicita in Christum supernaturale donum gratiæ sit, absolutè necessarium homini adulto: sequitur, si infideles auxilio diuinæ gratiæ, quod omnibus hominibus sufficienter præstò est, rectè vtantur; &, sicuti ratio naturalis eis dictat, iustè viuẽdo, ad maiora dona gratiæ se disponant, benignissimũ Deũ illis porrò lumen Fidei explicitæ in Christum Deum & hominem communicaturum esse. Ex quo colligi posse aiunt, eos, qui inter Gentiles in inuincibili infidelitate, seu ignorãtia Christianæ Fidei decesserunt, gratia Dei non rectè vsos fuisse; sed contra Dei legem grauiter peccasse: ob quæ ipsorum peccata Deus Fidei lumen in iustam pœnam ipsis negauit, atque in damnationem labi permisit.

Contraria tamen sententia, quòd explicita Fides de SS Trinitate, & incarnatione Christi, neque post factam Euangelij promulgationem, necessaria sit necessitate medij, seu ad veram iustitiam, seu ad gloriam æternam consequendam; non minùs probabilis, & facilè defendi posse videtur. Eam tenent Richard. cit. d. 25. a. 4. q. 1. Sotus in 4. d. 5. q. 1. & lib. 2. de natura & gratia, cap. 12. licet ibi dubius sit: Barthol. Medina lic. 1. instruct. c.14. §.2. ver. sextò, Michael Medina lib. 4. de recta in Deum fide c. 10. Vega lib. 6. super Trident. c.17. & 20. Sa verb. fides, n. 1 Luisius Turrianus in 2. 2. disp. 27. dub. 4. & 8. Quia necessitas illa medij, post factam Euangelij promulgationẽ, neque ex rei natura, neque ex sacra Scriptura, aut Patrũ traditione ostendi potest. Non ex rei natura: nam Gentiles inuincibili ignorantia mysteriorum Fidei Christianæ laborantes, quia ipsis Euangelium prædicatum nunquam est, possunt tamen cum diuinæ gratiæ auxilio, vnum Deũ auctorem supernaturalium donorum credere, in eum spẽ suam collocare, & super omnia diligere; atque ita iustitiam coram Deo, & consequenter ius gloriæ æternæ consequi; quamuis non sine implicita Fide in Christum, *quẽ Deus proposuit propitiationem per Fidem*, Rom.3. *Vt sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes viuificentur.* 1. Cor.15. Loca autem Scripturæ, sicuti & Patrum testimonia, quæ adduci solent, plus ostendere non videntur, quã necessitatem præcepti, post factam Euangelij promulgationem omnibus communiter incumbentis, vt explicitè credant Christianæ Fidei mysteria, postquam ipsis sufficienter proposita sunt: alioquin, propter hoc ipsum infidelitatis suæ peccatum, damnationem æternum mereantur.

Confirmatur hæc sententia primò: Quia etiam inter Christianos reperiuntur homines adeo rudes, vt mysteria Incarnationis, ac sacrosanctæ Trinitatis vero conceptu non apprehendant, consequenter non credant explicitè, sicuti inter alios notauit Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 2. Sa ver. fides, num. 1. Secundò: Quid dicemus de ijs, qui à natiuitate surdi, ac muti sunt? quos inter fideles numeramus, iisque baptizatis, si rationis compotes sint, ac desiderent, Sacramenta reliqua ministramus, vti dicam lib. 4. c. 4. num. 4. Et tamen mysteria SS. Trinitatis, & incarnationis Christi, ab ijs vero conceptu apprehendi, ac credi, vix credibile est, nisi ad speciale miraculum confugere velimus.

Qui hanc sententiam defendere volet, respondere debet ad loca Scripturæ; ex ijs rectè ostendi, non quidem necessitate medij absolutè, sed præcepti ijs incumbentis, quibus Euangelium annunciatum est. Ad rationem respondetur: Si loquamur de necessitate medij, sub omni lege suffecisse Fidem in Christum implicitam, sicuti docet Richard. cit. a. 4. quæst. 3. & 4. Sin verò loquamur de necessitate præcepti; tunc locum habet distinctio, quòd in Lege veteri fideli populo communiter sufficiebat Fides confusa de Christo, seu Messia venturo, vt suprà ex

prà explicatum: In noua autem Lege requiritur explicita, & distincta, videlicet esse hunc Dei Filium, vnum in natura cum Patre, & Spiritu sancto, discretum personaliter.

Alia porrò sententia est de hac re minùs probabilis Cani relect. de sacrament. in genere, p. 2. quæst. 2. Bannes 2. 2. quæst. 2. a. 8. quæst. vlt. Quòd Fides explicita in Christum hodie necessarium medium sit non quidem ad iustificationem; sed ad vitam æternam. Quæ distinctio frustra, & sine fundamento affertur: cùm iustis omnibus vita æterna, tanquam præmium ac merces, debita sit.

Cap. IX.

Quæ fides, aut rerum diuinarum cognitio necessaria sit, necessitate præcepti.

SVMMARIVM.

1. *Hominibus præceptum diuinum impositum est, supernaturali Fide credendi vnum Deum, & Christum Saluatorem, idque secundum modum ac mensuram reuelationis, aut prædicationis ipsis factæ.*
2. *In lege Euangelij omnibus adultis ex præcepto necessaria est explicita Fides articulorum, qui in Vulgato Symbolo continentur, saltem secundùm ipsorum substantiam.*
3. *In omni hominum statu necessitate præcepti ea cognosci, vel credi debent, quæ vel Fidei exercendæ, vel piè viuendi causa ad salutem requiruntur.*
4. *Extat Ecclesiasticum præceptum, obligans saltem sub veniali, discendi orationem Dominicam, salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum.*

1 ASsertio I. Certum est, hominibus impositum esse à Deo præceptum de actu Fidei supernaturalis. Incumbit enim ipsis naturalis lex, & obligatio tendendi ad finem suum, in quem à Deo creati sunt: Initium autem huius viæ, qua tendimus ad finem, qui est Deus & beatitudo æterna) Fides existit, teste Apost. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, &c.* Quapropter sanct. Thom. obseruauit 2. 2. quæst. 16. a. 1. Præceptum de habenda Fide, siue credendo in vnum verum Deum, non esse in Decalogo comprehensum; sed tanquam fundamentum ac principium præsupponi ante decem legis præcepta, sicuti videre est Exodi cap. 20. Deuter. cap. 5.

Assertio II. Certum etiam est, hominibus impositum esse à Deo præceptum de credendo Mediatore, & propitiatore Christo, secundùm modum ac mensuram reuelationis, aut prædicationis, pro temporum aut personarum varietate, factæ. Cùm enim Christus à Deo Patre hominibus constitutus sit Caput, Dux, Via, Medium ad vitam æternam: conueniens est, vt hoc Caput, hunc Ducem, Viam, ac Mediatorem suum agnoscant, & per hanc Fidei agnitionem Corpori eius mystico, siue Ecclesiæ militanti inserantur. Verum rectè monet S. Th. cit. quæst. 2. a. 7. Quantò homines remotiores fuerunt à tempore Christi, tantò difficiliùs, & obscuriùs mysteria Fidei Christianæ communiter credidisse, videlicet secundùm modum reuelationis ipsis factæ. Etenim, dum mysteria redemptionis humanæ ante Christi aduentum figurarum velamine occultata manebant, satis erat fidelibus generatim & confusè credere, affuturum aliquem (seu Deum, seu Angelum, seu purum hominem) qui humanum genus peccati seruitute liberatum, cœlorum sedibus restitueret: neque opus erat speciatim credere, fore hunc Dei Filium, hominémque moriturum, resurrecturum, &c. ijs exceptis, quibus Deus incarnationis, ac redemptionis mysterium explicitè, & distinctè reuelasse putatur, videlicet Adamo in Paradiso: itē Henoch, Iobo, & alijs gentilibus, teste S. Thom. cit. a. 7. S. Bonau. d. 25. a. 2. q. 1. Rich. art. 3. q. 1. & 2. Gabr. q. vn. a. 2. concl. 3. Imò valde credibile est, nullo vnquam tempore defuisse viros præclaros, Deóque familiares, Patriachas videlicet, & Prophetas, vnóque verbo Maiores Ecclesiæ, qui explicitè, ac speciatim Christum Dei Filium pro humani generis salute moriturum, adeóque SS. Trinitatis, & Incarnationis Verbi mysteria, secundùm reuelationis suæ mensuram, crediderint, sacrificijs figurarint, & populo sub vmbris & velaminibus, Deo iubente, annunciarint: nam exinde constans semper fama, & persuasio de futuro mundi redemptore emanauit. Quò respexit S. Greg. l. 2. moral. c. 17. explicans illud Iob. cap. 1. Boues arabant, & asini pascebantur iuxta illos: id est, Ex Sapientum hominū illustratione ac meditatione rudè vulgus pabula sumpsit. Et videri potest Hugo de S. Victore lib. 1. de sacrament. part. 10. c. 5. & 6.

At verò post Christi aduentum omnes tum Maiores, tum Minores, ad quos Euangelicæ veritatis promulgatio sufficienter peruenit, Christianæ Fidei mysteria explicitè credere obligati sunt, vt mox dicam.

Assertio III. in noua lege adultis omnibus & ratione vtentibus ad salutem necessaria est, necessitate præcepti, actualis & explicita Fides articulorum, qui in vulgato Symbolo continentur, saltem secundùm ipsorum substantiam, vt vero conceptu, quamuis imperfecto, & confuso, apprehendantur & credantur. Ita Theologi in 3. distinct. 25. S. Thom. 2. 2. quæst. 2. ar. 5. Armilla verb. credere, num. 2. Nauar. c. 11. man. num. 22. §. sextò peccat. Azor lib. 8. cap. 6. q. 2. & cap. 7. q. 3. Tolet. lib. 4. c. 2. Valent. cit. q. 2. p. 3. assert. 2. Becanus super 2. 2. c. 12. conclus. 2. Sanchez lib. 2. moral. c. 3. num. 6. Vasquez 1. 2. dis. 121. c. 2. Sumitur ex cap. 28. Matth. & 16. Marci locis citatis suprà. Et confirmatur primò ratione: Quia status, & professio hominis Christiani haud dubiè exigit, vt sūma, ac præcipua Christianæ Fidei capita, siue articulos cognoscat, & credat. Secundò ex perpetua Ecclesiæ praxi, ad Baptismum, in quo Fidei professio editur, neminem adultum admittentis, nisi Symboli articulos calleat, & credat, sicuti constat ex Catechesibus Patrum, Ambrosij, Cyrilli Hierosolym. Augustini, & ex c. symbolū, c. baptizando, c. non liceat, d. 4. de consecrat. Vide Suar. 3. p. q. 71. in comment. a. 2. Sanchez lib. 2. c. 3. in fine. Quare erronea est sententia Rosellæ ver. fides, num. 1. & quorundam Canonistarum, apud Syl. eod. ver. q. 3. Nau. c. 11. num. 22. & Sanchez cit. cap. 3. num. 3. Hominibus rudibus satis esse, si Fidei nostræ articulos, siue præcipua capita credant implicitè, credendo nimirum quidquid credit sancta mater Ecclesia. De qua re præter citatos, vide Valent. vbi suprà. Azor lib. 8. c. 6. quæst. 1. Bannes 3. 2. quæst. 2. a. 8. dub. 8. §. superest. Martinum Becanum cit. c. 12. num. 14. 2

Aduertendum tamen: Quandoquidem Ecclesia articulos & mysteria Fidei Christianæ partim verbo coram publica concione, partim solemni ceremonia quot annis fidelibus proponere solet: rarò accidit, Christianum inter Christianos degentē, adeò ingenio hebetem esse, vt, (nisi rerum ad Fidem pertinentium negligentissimus, adeóque à culpa non immunis sit) eorum cognitionem, quatenus ipsi necessaria est, non facilè assequatur. Si tamen aliqui Christiani vel ob instructorum penuriam, vel ob nimiam ruditatem, inuincibili ignorantia mysteriorum laborant, eos à culpa excusatos saluari posse, improbabile non esse suprà dixi. quamobrem etiam S. Thom. q. 2. a. 7. & 8. agēs de necessitate credendi eiusmodi fundamentalia mysteria solùm loquitur de obligatione præcepti.

Porrò Maiores Ecclesiæ Prælati, Doctores, Presbyteri, qui ratione officij, dignitatis, aut status sui quouis tempore parati esse debent ad rationem Fidei reddendam poscenti, 1. S. Petri cap. 3. ij maiorem Fidei, ac rerum ad Ecclesiæ statum pertinentium cognitionem habere debēt, vt rudem populum docere, & Fidem orthodoxam contra Aduersarios defendere possint. Qua de re S. Thom. q. 2. a. 6. Dur. in 3. d. 25. q. 1. Rich. a. 5. q. 1. Gabr. cit. q. 1. con-

clus. 4. Sotus in 4. d. 25. q.1. a. 4. Azor lib. 8. c. 6. q.10. Eman. Rodriq.p.1. sum. c.88.n.2.

3 Assertio IV. In omni hominum statu, necessitate præcepti, cognosci, vel credi ea omnia debent, quæ vel Fidei exercendæ, vel honestè viuendi causa, ad salutem requiruntur. Qua ratione semper necessariũ erat credere, Animam hominis esse immortalem, arbitrij libertate præditam, æternæ beatitudinis capacem. Post lapsum verò hominis in peccatum credere oportebat, quòd omnes à prima natiuitate indigeant gratia Dei, & iustitia, quòd pro ea impetranda ante legem Moysis debuerint parentes suis paruulis aliquem cultum externum erga Deum adhibere. Sub lege Moysis pari modo necessaria erat cognitio Circumcisionis, Phase, &c. In lege verò noua, quæ ad sacrificium Missæ, & septem Sacramenta pertinent, vt religiosè colantur, ac dignè suscipiantur, cùm ea suscipere, vel necessitas salutis, vel libera pia voluntas suadet. De qua re Valent. cit. q.2, p.5.

Eadémque ratione fideles obligati sunt ad cognoscendas petitiones orationes Dominicæ: item præcepta Decalogi, & Ecclesiæ: consequenter tenentur ea addiscere: si non verbo tenus, saltem secundùm eorum substantiam docet Angelus & Syl. ver. scientia, Sa ver. fides, num.2. Michaël Medina lib.4. de recta in Deum fide, cap.6. Nau. c.11. num.22. Valentia cit. q.2.p. 4. in fine, Sanchez lib. 2. cap.3. num.16. Idémque sentiendum de alijs legibus, & obligationibus, quorum notitia ad cuiusuis Christiani hominis statum, vel officium requiritur. Adde, quòd attinet ad orationem Dominicam, salutationem Angelicã,
4 & Symbolum Apostolorum: esse Ecclesiasticum præceptũ longa consuetudine firmatum, vt ea memoriter ediscantur, sicuti colligitur ex c. vos ante omnia, distinct.4 de consecrat. & docet Palud in 4. distinct. 15. quæst. 5. a. 1. Nau. l. c. §. septimò. Lopez cit. cap. 3. num. 19. vbi tamen admonent, huiusmodi obligationem memoriæ mandandi esse solùm sub peccato veniali.

Corollarium. Parentes obligati sunt, vt liberos suos talia edoceant, multóque magis Parochi, aliíque Curati vt plebem sibi commissam in doctrina Christiana erudiãt, sicuti notauit Nauar. cit. num. 22. Sa ver. fides, num. 2. Atque ab Ecclesiasticis Prælatis etiam censuris compelli posse, testantur Eman. Rodriq. cit. cap.88. nu. 3. Sanc. cap. num.15.

Cap. X.

Quo tempore præceptum Fidei diuinæ obliget?

SVMMARIVM.

1 *Præceptum negatiuum non dissentiendi Fidei mysterijs, postquam sufficienter proposita sunt, omni tempore obligat.*
2 *Affirmatiuum præceptum exercendo Fidei actualis non semper obligat, sed in certis casibus.*
3 *Si homini post accuratam considerationem, Christiana Catholica Religio credibilior, quàm alia secta; appareat, ob notas, quibus eam Deus ornauit, tenetur eam acceptare.*

DVo sunt præcepta Fidei, secundùm actum internum, de quo hîc loquitur. Vnum affirmatiuum, vt credamus mysteria Fidei à Deo reuelata: Alterum negatiuum, vt non dissentiamus Fidei mysterijs, nec de eorum veritate dubitemus.

1 Assertio I. Negatiuum præceptum non dissentiendi de articulis Fidei, postquam sufficienter nobis propositi sũt, tanquam à Deo reuelati, omni tempore & respectu omnium obiectorum Fidei nos obligat, ita vt si vel minimũ Fidei Christianæ dogma pertinaciter aliquis inficietur, aut in dubium reuocet, etiamsi alia omnia credere se dicat, infidelis & hæreticus sit, vti iterum dicam c. 13.n. 6.

Assertio II. Affirmatiuum præceptum exercendi Fidei internum actum non omni tempore obligat; sed in certis tantùm casibus: Cùm primùm alicui Fidei mysteria ad credendum sufficienter proposita sunt, non debet is longiorem moram trahere, quin propositis veritatibus assentiatur. Ita Valentia cit. q.2. num.5. Azor to. 1. lib.8.c. 27. q. 8. Sanchez lib. 2. moral. c. 1. num. 3. Et probatur inde; Quia naturali, ac diuino iure ad statum & officium viatoris pertinet attendere, dum in via est, vt ad propositum sibi finem tendat, atque ab eo non aberret. Id autẽ præstare non potest, nisi finem suum, qui Deus est, ac beatitudo, & quæ adhuc finem consequendum necessaria ipsi proponuntur, cognoscat & credat. Ergo postquam ea homini rationis vsum adepto sufficienter proposita sũt non debet is diu assensum differre, ita vt in re tanti momenti, arbitrio viri prudentis, notabilis mora censeatur, ait Sanchez l.c. Vbi bene ait, pueros plerumque excusari à præcepti huius transgressione, quia accidit, vt diu rationis vsum habeant, Fidei tamen mysteria ipsis non proponantur tanquam diuinitus reuelata, cum credendi obligatione. 2

Tunc autem mysteria siue articuli Fidei homini sufficiẽter propositi censeri debent, cùm argumenta, ac notæ eidem propositæ sunt, ex quibus mysteriorum credibilitas adeò appareat, vt secundum regulas prudentiæ moueri debeat ad Fidem acceptandam, seu credendum. Ita colligitur ex S. Th. 2. 2. q.1. a. 4. ad 2. iun. Caiet. §. dicendũ est igitur; & docet Victoria relect. de Indis insulanis, n. 34. Vasq. 1.2. disp. 120.c.5. Azor cit. lib.8.c.7.q.6. Sanch. cit. c.1. num.4.

Quæres. Quando existimandum sit, Fidei credibilitatem adeò alicui apparere, vt secundum regulas prudentiæ credere teneatur? Respondeo primò. Quòd attinet ad fundamentalem Fidei articulum: *Deum esse, & largitorem nostrum esse, &c.* Homines ratione præditi credere tenentur, cùm & vniuersitatis machinam tam admirabili ordine, & relatione cuiusque rei ad finem suum, tum suæ naturæ ab aliquo superiore adiutore dependentiam: imò etiam omnium gentium perpetuam de Deo, mundi gubernatore, hominúmque saluatore Fidei persuasionem animaduertunt. Huic enim communi persuasioni, nixæ tam solida credibilitatis ratione, nemo hominum sine temeritate contradicere potest. Accedit, longè securius esse fidem hanc, quòd Deus sit, & inquirentibus se remunerator sit, acceptare: nec si non acceptetur, nihil muneris, sed pœnam potiùs ab eo homo consequatur.

Secundò, quod attinet ad eos, qui athei non sunt, sed aliquem fidei persuasionem habent de diuinitate: animæ rationalis immortalitate: verùm alijs orthodoxæ Fidei propositionibus contradicunt: vti sunt Hæretici, Turcæ &c. imprimis certum est, quamdiu eorum secta, quam profitentur, credibilior, vel æquè credibilis, seu probabilis ipsis apparet: non debere eos, imò nec posse, sine nota imprudentiæ, atque inconstantiæ, sua deserta, nostrã Religionem amplecti. Nam *qui citò credit, leuis corde est,* ait Ecclesiast. cap. 19. Verùm interim tales sectarij, cùm de nostra ipsis opposita Religione, eiúsque argumentis audiunt, formidare sæpe incipiunt, atque etiam dubitare, num fortè in errore ipsi versentur, & nostra vera doctrina sit: tunc sanè obligati sunt, rem diligenter inquirere, vtrinque facta collatione argumentorum. Quòd si facta diligente inquisitione, Religio nostra ob notas suas, siue argumenta, quibus eam Deus ornauit: (puta signa, ac miracula: consensionem tot hominum per tot secula vitæ sanctitate, & sapientia præstantium, &c.) credibilior, seu probabilior, quàm aliæ omnes sectæ, ipsis manifestò appareat: tunc existimo obligatos fore ad sectam suam deserendam, nostramque Fidem amplectendam. Quia ratione naturali manifestum est, & ferme ex terminis notum, illam religionem præ alijs acceptandam, seu credendam esse, quæ præ alijs verisimilior est. Accedit, quod

quòd secundùm rectam philosophiam impossibile videtur inter duo opposita hominem assentiri illi parti, quæ ipsi minus verisimilis apparet; vel eligere id, quod ipsi minus bonum apparet. Aut igitur sine vlla omnino religione tales viuere debent: aut illam amplecti, quæ ipsis, post diligentem perquisitionem, probabilior apparet. Atque ita etiam docet Bannes 2. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. concl. 3. & 4.

Nihilominus hanc sententiam reijciunt Sánchez lib. 2. c. 1. num. 6. & Ioan. Malderus 2. 2. quæst. 2. a. 7. in fine, existimantes, hominem extra mortis necessitatem (quo tempore ob animæ periculum partem tutiorem amplecti oportet) non esse obligatum; vt sectam suam cum nostra orthodoxa Religione commutet, etiamsi huius maiorem probabilitatem, seu credibilitatem cognoscat: Tum quia talis adhuc prudenter iudicat, persistere se posse in sua secta, quæ probabilis ipsi apparet; licet altera probabilior: tum quia tempus magis cognoscendæ veritatis opportunum expectare potest.

Sed hæc non obstant: Ad I. Respondeo cum Bannes loco suprà cit. Licet tali homini sua religio speculatiuè probabilis adhuc appareat: practicè tamen, seu in ordine ad operationem, vt eam retinere, aut sectari licitum sit: non posse videri probabilem, dum altera probabilior, ac credibilior iudicatur: quin potiùs in ordine ad praxin, vt eam sectari, aut retinere possit, nihil probabilitatis habet: cùm euidens sit, illam religionem præ alijs acceptandam esse, quam esse, Deus maioribus notis, seu argumentis adornauit. Accedit, quòd impossibile, intellectum iudicatiuum retinere fidem, quæ ipsi post diligentem inquisitionem minùs verisimilis apparet, quàm eius opposita. Quia fides, præsertim diuina, ratione, ac prudentia niti debet: nulla autem est ratio inter duas contradicentes assentiendi parti, quæ minùs probabilis videtur. Lege quæ dixi lib. 1. tract. 1. c. 5. num. 5. Ad alterum non nego; hominem posse ac debere rem diligenter considerare: sed, si omnibus diligenter consideratis, Religio nostra ipsi probabilior & verisimilior, ob extrinsecas notas, siue argumenta liquidò appareat: tunc dico, prudentiam euidenter dictare, talem religionem intellectu acceptandam esse per piæ voluntatis inclinationem, adiutam supernaturali lumine, ac cooperatione Spiritus sancti: per quam Fidei actus firmissimus, & omnimodè indubitatus fiat, vt suprà dixi cap. 3. Quare licet fortasse talis homo formidet, aut dubitet de veritate Fidei nostræ, antequam eam acceptauit: at verò quando eam voluntariè acceptauit: cooperante Spiritus sancti gratia, tunc nullo modo dubitat, cùm Fidei assensus firmissima mentis adhæsio sit.

Alter casus, quo Fidei exercendæ præceptum obligat: Cùm grauis contra Fidem tentatio incidit, quam superare non posse videaris, nisi contrarium actum Fidei eliciendo: cuiusmodi præceptum maximè obligat in mortis articulo, cùm molestiores Dæmonis infestationes ingruunt, sicuti bene docet Valent. q. 2. p. 5. §. superest secunda quæstio.

Tertius casus est, cùm præcepti necessitas homini incumbit ad eliciendos actus Spei, Charitatis, Religionis, Pœnitentiæ: propterea quòd Fides fundamentum sit reliquarum virtutum, quæ suis actibus Deum aliquo modo attingunt. Verùm hæc obligatio exercendi actum Fidei solùm est per accidens, siue propter aliud: quare neque transgressio eius peccatum est contra Fidem: sed contra illam virtutem, cuius actus exercendi medium necessarium intermittitur.

CAP. III.

De præcepto, siue obligatione externæ Fidei confessionis.

SVMMARIVM.

1 *Nullo casu licitum est externa voce, aliòve signo veram Fidem negare: aut falsam profiteri.*
2 *Fidem veram exterius profiteri non semper obligati sumus: sed interdum tacere: aut dissimulare licitum est.*
3 *Priuatum hominem sciscitantem ex me, num Christianus, aut Catholicus sim, repellere possum dicendo: Quid tua interest, &c. Sed non possum ficto animo negare, me Christianum, aut Catholicum esse.*
4 *Ob grauem necessitatis causam licitum est fideli se vestire Iudaico, aut Gentilium more, vt incognitus lateat, & periculum effugiat.*
5 *Licitum est inter Hæreticos carnem comedere die interdicto: ne, si Catholicus agnoscatur, graue periculum vitæ fortunarum &c. incurrat: cùm lex Ecclesiastica tali casu non obliget.*
6 *Magistratus hæretico, in odium religionis Catholicæ, præcipienti vt subditi Catholici conuentus seu conciones hæreticas accedant, obedire nefas est.*
7 *Ante prouisionem beneficij curati, vel canonicatus in Ecclesia Cathedrali, Fidei professionem facere oportet.*

Assertio I. Nullo casu licitum est externa voce, aliòve signo veram Fidem negare, aut falsam profiteri. 1
Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 3. a. 2. & latè Valent. quæst. 3. p. 2. Sanchez cit. lib. 2. cap. 4. Ioan. Molanus de fide hæreticis seruanda, lib. 4. c. 9. Et sumitur ex verbis Christi apud S. Matth. cap. 10. *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Et ex Apostolo ad Roman. 10. *Si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris, quia Deus suscitauit illum à mortuis, saluus eris: Corde etiam creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem.* Quibus verbis indicat Apostolus, interprete S. August. lib. de fide, & Symbolo, cap. 1. non tantùm fidem internam: sed etiam externam eius confessionem adultis necessarium esse ad salutem, & vitam æternam consequendam: illam quidem necessitate medij, iuxta ea, quæ cap. 8. dicta sunt: hanc verò necessitate præcepti, quod quatenus negatiuum est, *Ne Fidem veram abneges; Ne falsam profitearе*, semper obligat: cùm hęc sit conditio præceptorum negatiuorum, quæ iuris naturalis sunt, vti ibid. S. Thom. notauit. Et confirmatur exinde: Vel enim aliquis seriò, siue ex animo Fidem orthodoxam abnegat, falsam ve profitetur, & tunc verè ac propriè in peccatum infidelitatis, exteriùs quoque consummatum, labitur, Fidémque amittit. Vel ficto animo simulat se à vera Religione alienum, aut alterius falsæ religionis sectatorem esse; & tunc licet fidem internam non amittat, neque verè hęreticus, aut apostata fiat, sicuti ex communi docet Sanchez lib. 2. c. 7. num. 8 & 10. mentitur tamen in re grauissima: quippe contra veritatem diuinitus nobis reuelatam & datam: quare Christus Luc. 9. dixit: *Qui me erubuerit, & sermones meos hunc Filius hominis erubescet.* cuiusmodi peccatum S. Petrus commisit, Christum ex timore negando, de quo vide Sanctus Augustinus tract. 66. in Ioan.

Assertio II. Fidem veram exteriùs confiteri non est semper necessarium: sed interdum tacere, aut dissimulare licitum. Ita S. Thom. loc. cit. quod probat: quia præceptum de confessione Fidei est ex numero affirmatiuorum, quæ non obligant secundùm omne tempus: sed in certis tantùm casibus, seu concurrentibus debitis circumstantijs. 2

Casus autem in quibus præceptum veræ Fidei palam profitendæ obligat, numerantur ab eodem S. Thom. Si nimirum ita necesse videatur ad Dei honorem, ac cultum vel ad spiritualem proximi vtilitatem: vel denique (vt alij adiungunt) ad ipsius confitentis propriam salutem tuendam. Siquidem hoc commune est omni virtuti, vt eius actus in præcepto sit, cùm necessarius esse incipit ad finem charitatis erga Deum, erga seipsum, vel erga proximum. Nam *finis præcepti est charitas*, ait Apost. 1. ad Timoth. 1. Quapropter si ex taciturnitate, dissimulatione, fuga tua, Religionis Catholicæ contemptus, proximorum scanda-

lum, ſeu ſpiritualis ruina ſecutura putetur, Fidem palam profiteri debes, ſicuti ex communi docet Becanus 2. 2. c. 9. q.4.num.9. Tol.lib.4.c.2. Similiterque, ſi ex publica profeſſione tua magnū augmentum Religionis, aut cultus diuini ſecuturum ſit, cui ſalus corporalis meritò poſtponenda ſecundùm charitatis ordinem: denique etiam, ſi tibi ipſi periculùm immineat, ne Fidem abneges, niſi eam oblata occaſione palam profitearis.

Cæterùm ſine ratione neceſſitatis, aut ſecuturæ vtilitatis fidem ſuam apud hæreticos, alióſve infideles, cum eorundem perturbatione profiteri, temerarium potiùs, quàm laude dignum eſt, teſte S. Th. cit.a.2.ad 3. Tol.cit. c. 2. Armilla ver. fides, n.7. Sanchez cit. c. 4. n. 2. Vide quæ dicam lib. ſeqq. tract.3. de iuſtit. part.3. cap. primo. num.6.

Porro ſupponenda hîc eſt communis doctrina, quam latiùs explicabo lib. 4. tract. 3. de iuram. c. 13. Simulare quod non eſt, ſiue falſitatem, nunquam licitum eſſe: cùm id ſit mendacium intrinſecè malum, teſte S. Th. 2 2.q. 111. a. 1. in corp. & ad 4. Diſſimulare verò quod eſt, ſiue veritatem; & ob id verbis, aliíſue ſignis ambiguis ac indifferentibus vti, quandoque licitum eſſe; ſi videlicet interroganti aut rem cognoſcere volenti manifeſtare non tenearis, ſed iuſtam celandi, ſiue diſſimulandi cauſam habeas.

3 Exinde ſequitur I. Si priuatus & vilis homuncio ex me Fidei rationem expoſcat, ſciſcitando, num ſim Chriſtianus Catholicus, aut Pontificius: grauiter me peccaturum contra externam Fidei confeſſionem, ſi negem me Chriſtianum, vel Catholicum eſſe: Attamen à peccato immunis ero, ſi taceam: vel interroganti reſpondeam, *Quid tua intereſt?* aut, *Cur me talia rogas?* Vel denique, ſi ſermonis ambiguitate Fidem meam ob iuſtam cauſam diſſimulem, quando nulla eam profitendi neceſſitas cogit, ſicuti docet Nau. comment. c. humanæ aures, q.3. in fine. Azor.to. 1. lib. 8. c.27. q.1. Valent. cit. q.3. p. 2. dub. 3. & 4. Sanchez cit. c.4. n.6. in fine, Becanus cap.9. q. 4. Alia verò ratio eſt, ſi perſona publica, ſiue Magiſtratus, quantumuis iniqua intentione, de Fide, ac Religione examinet; tunc fas non eſt Fidem diſſimulare, aut interrogantem ſermonis ambiguitate deludere: quia talis diſſimulatio cum aliorum ſcandalo, & Chriſtianę orthodoxę Religionis detrimento eſſe ſolet, ſicuti notarunt Lopez, Azor, Valentia, Sanchez, Becanus, Ioan. Molanus locis ſuprà citatis.

Sequitur II. Contra externam Fidei confeſſionē mortaliter peccari, ſi vel ficto animo dicat quiſpiam ſe Turcā, Caluiniſtam, vel alterius falſæ religionis ſectatorem eſſe, vel quocunque alio ſigno alienam religionem ſimulet, v. g. idolo genua flectat, thus adoleat. Quæ eſt communis doctrina, contra Adrianum in 4. de Baptiſmo q. 1. a. 1. ad 5. Nam ſicuti virtus veritatis obligat nos affirmatiuè, vt, cùm opus eſt, vel circunſtantiæ ita requirunt, veritatem non celemus, ſed ſincerè aperiamus: negatiuè verò, vt nullo vnquam tempore oppoſitam falſitatem, ſeu verbo, ſeu facto mentiamur, aut ſimulemus. Ita virtus Fidei diuinæ multò adhuc ſtrictiùs & grauiùs obligat, affirmatiuè quidem, vt veritates diuinitus nobis reuelatas, cùm opus eſt, & circumſtantiæ ita exigunt, palàm profiteamur. negatiuè verò, vt oppoſitam Fidei falſitatem nullo vnquam tempore, ſeu verbo, ſeu facto mentiamur, aut ſimulemus.

Neque obſtat locus ſcripturæ 4. Regum, cap. 5. Non enim Eliſæus permiſit Naaman Siro: vt idolum adoraret, ſed vt adorante Domino ſuo, atque inniti volente ſuper Naaman, ipſequoque procumberet: non idoli, ſed Domini honorandi cauſa, ſicut Liranus, & Abulenſis ibid. explicant, Azor quoque lib.8. c.27. q.7 Sanchez lib 1. c. 7. n. 21. Rodriq. p. 1. ſum. c. 119. concl. 5. Multò minùs obſtat locus 4. Regum. c.10. vbi Rex Iſraël Iehu, vt ſacerdotes Baal, occidere poſſet, ſimulauit ſe idolum colere velle. Nam licet ſimulationem hanc commendet S. Hieron. cap. 2. ad Galat. rectiùs tamen reprehendit S. Aug. lib. contra mendacium, c. 2. S. Th. 2. 2. q. 111. a. 1. ad 2. vbi addit: *Commendatur tamen Iehu, & remuneratur à Deo non pro ſimulatione, ſed pro Zelo, quo deſtruxit cultum Baal.*

Porrò propter hæc multi Doctores, nominatim Caiet. 2.2. q.3. a. 2. Nau. c. 11. n. 27. Philiarchus to.1. p. 2. lib. 3. c.9. Tol. lib.4. c.2. Becanus 2.2. c.9. q.5. dub.6. n. 35. exiſtimant, eſſe mortale peccatum contra Fidei confeſſionem geſtare in publico veſtimenta, quibus ſoli infideles vti, & ab alijs hominibus diſcerni ſolent: puta, ſi quiſpiam in terris Turcarum vtatur pileo, & ligamine Turcico, vt ſecurus pertranſeat: vel Romæ, more Iudæorum, geſtet ſignum flauum in pileo, vt dum ad necē quæritur, incognitus effugiat. Nunquam enim licitum eſt, falſam ſectam ſimulare, vt ſuprà dictum: talis autem eo veſtimenti genere, quod Turcarum, vel Iudæorum proprium eſt, ſimulat ſe Iudęum, aut Turcam eſſe, &c.

Contraria tamen ſententia probabilior eſt, quam docet Angelus ver. infidelitas, num.9. Azor cit. cap.27. quæſt. 4. Bannes 2.2. quæſt. 3. a.2. dub. 2. Lopez cit. cap. 41. §. peccat mortaliter, Sa ver. fides, num. 5. Sanchez lib. 2. cap.4. num.11. & 19. Rodriq. to 1. Sum. cap. 119. concl. 5. Ob grauem cauſam, v.g. mortem euitandam, aut iuſtā ab hoſte victoriam reportandam, id licitum eſſe. Ratio eſt: Quia huiuſmodi veſtes per ſe propriè, ac directè non ſunt ſigna poteſtatiua falſæ religionis: (alioquin peccarent etiam Iudæi v. g. talem pileum geſtantes, quin & Magiſtratus Catholicus eoſdem ad talem habitum compellens) ſed ſunt res ſecundùm ſe indifferentes, qualibus vti per ſe malum, aut veræ Fidei confeſſioni oppoſitum non eſt.

Sed neque id ſimulationem aliquam continet, ſiue mendacium: ſi talem veſtitum gerens non intendatſe fingere, aut ſimulare Iudæum, Turcam; ſed ſolùm intendat diſſimulare ſe Chriſtianum eſſe eo loco, ac tempore, quo Fidem, ac ſtatum ſuum profiteri non tenetur. Eodem prorſus modo, quo Sacerdos, vel Religioſus iter faciens per terras hæreticorum, induit ſe veſtibus hominis laici, aut ſecularis: non ea intentione, vt ſe laicum eſſe ſimulet (id enim mendacium foret) ſed vt ſacerdotem, aut Religioſum eſſe celet, ac diſſimulet. Cùm enim obligatus non ſit ſuum ſtatum veſtimento prodere, ſed occultandi ius habeat: ideo ad hunc finem conſequendum alieno veſtimento ſe induere iure poteſt, permittendo interim, vt alij fallantur, exiſtimantes eſſe ipſum ex illorum hominum genere, qui tale veſtimentum communiter gerunt.

Atque hîc diſcrimen obſeruandum eſt inter ſigna verborum, & veſtes: Nam verba hunc ſolum, finémque habent, quòd ſint ſubordinata concepti bus ad rem aliquam ſignificandam ſecundùm determinationem inſtitutionis humanæ. Quare ſi quis dicat ſe religione Mahometanum eſſe, cùm Chriſtianus ſit; vel laicum ſe eſſe, cùm Sacerdos ſit: aliud exteriùs ſignificat, quàm re ipſa eſſe cognoſcit, ideóque vterque mentitur, ac peccat: & prior quidem etiam contra Fidei confeſſionem mortaliter; poſterior verò ſimplici mendacio, vti notauit Caiet. in ſum. verbo habitus, in fine, Azor cit. cap.27. quæſt.2. Sanchez cit. cap. 4. num.10.

Eadémque ratione ſuprà dixi, non eſſe licitum coram idolo thus adolere, vel genu flectere: quia huiuſmodi actio, per circumſtantias loci, temporis, perſonarum determinata, vnam ſolam moralem ſignificationem cultus idololatrici habet: quam proinde actionem ita vſurpans, exteriùs profitetur, ac ſimulat falſi Dei. At verò veſtimēti genus, tametſi lege aliqua, aut conſuetudine ſignificet gentem Iudaicam, aut laicorum ſtatum, interim tamen non amittit vſum, ac commoditatem, quam ſuapte natura habet, tegendi, vel ornandi corpus: vt proinde aſſumit

sumi possit ab eo, qui proprium habitum, sui status occultandi causa, iure mutare potest.

Simili modo Sanchez num. 22. & 23. defendit Christianos, qui in mari nauigantes signis Turcarum vtuntur, ne tanquam hostes à Turcis inuadantur, aut captiui abducantur: item Christianos milites, si vexillis, habitu, ac sermone Turcarum, vel Gentilium proprio vtantur, vt ea ratione incogniti hostem incautum inuadere, atque opprimere possint. Excipit tamen cum Azorio cit. cap. 27. quæst. 6. Bannes cit. dub. 2. conclus. 2. nisi in vestibus, aut vexillis imago Mahometis, Martis item, aut Mercurij depicta sit: eiusmodi enim symbolo professio fieri videtur religionis falsæ, quod per se malum, ac nunquam licitum est. Verùm hanc professionem, generatim loquendo, non cogimur agnoscere: quandoquidem etiam apud Christianos eiusmodi signa, puta Mercurij, Veneris, &c. tanquam fabulosa, ornatus gratia adhibentur. Igitur non damnarem milites nostros, si js tanquam indifferentibus, insidiarum causa in bello vterentur.

Præterea ex communi Doctorum sententia respondendum: Fas non esse occultis Catholicis inter hæreticos ipsorum cœnam, ob metum pœnarum sumere: Quia licet talis cœna, si absolutè & præcisè spectetur, res indifferens sit, cum etiam naturalem vsum famis, sitisve sedandæ habeat; tamen per circumstantias personarum, loci, temporis, adiunctorum verborum, &c. determinatur ad significandum cultum, ac professionem religionis hæreticæ: vt proinde fideles eam sumere non possint, absque simulatione falsæ fidei.

5 Vlterius resoluit Sanchez num. 25. Azor cit. cap. 27. quæst. 3. & cap. 29. quæst. 7. in fine. Martinus Becanus cap. 9. quæst. 5. dub. 5. Non peccare Catholicum, si inter hęreticos die interdicto carnes comedat, cognita Religionis suæ professione, periculum vitæ, vel bonorum incurrat. Neq; enim delinquit contra Ecclesiasticam ieiunij legem, quippe quæ in tali necessitate non obligat; neque contra legem diuinam non abnegandi veram Fidem, & non profitendi alienam: Quia carnium esus die interdicto secundùm se non est nota, aut professio hęresis: neque huiusmodi interdictum ab Ecclesia propter talem finem institutum est, vt Catholicæ Fidei professio, aut Orthodoxorū ab aliis internotio fiat: Quare inter Catholicos etiam reperiuntur, qui die interdicto carnes comedunt, vel iusta causa excusati, vel interdum cupiditate ac intemperantia superati. Neque obstat, quòd hęretici ex hoc signo colligere soleant, aliquem suæ fidei sectatorem, aut à Romana Religione alienum esse: quia hanc ipsorum deceptionem, ob grauem causam, interdum permittere fas est: dummodo absit scandalum, & Religionis orthodoxæ contemptus.

Dixi autem comestionem carnium die interdicto *secundum se* rem indifferentem esse: quia non nego per circūstantias personarum, loci, temporis, verborum, &c. determinari posse, vt sit hæreticæ sectæ professio. Quo modo intelligi potest Valent. t. 2. disp. 7. quæst. 5. part. 6. casu. 4. Exemplum habes, si hæretici in hospitio tempore quadragesimæ eadem mensa cum Catholico considentes, ad explorandam huius fidem dicant: *Qui Euangelicus est, & Papæ inimicus, ex hoc carnium ferculo sumat, & comedat*: peccabit Catholicus grauiter contra Fidei professionem, si cum ipsis comedat, nulla vtens protestatione contraria: videlicet, hoc non oportere esse signum explorandæ religionis, cùm multi etiam Romanæ Fidei sectatores ob iustas causas in quadragesima carnes comedant. Deinde rectè monet Beccanus loc. cit. Si Catholicus sit apud Lutheranos, à quibus plerumque non graue periculum, sed solùm irrisio aliqua timeri potest, si quis inter eos à carnibus abstineat; tali casu abstinendum esse, legémque Ecclesiasticam obseruandam.

Denique eadem ratione dicendum est: Non peccare Catholicum, si hæreticorum concionem adeat, ex iusta causa: v.g. vt dominum suum comitetur, sicuti Naaman Sirus, de quo suprà dictum: vel hæretici Ministri errores notet ad confutationem, permittendo interim falsam persuasionem, quæ in aliquorum animis oriri potest, talem accedentem hæreticum esse: dummodo scandalum absit. Ita docent Azor cit. c. 27. q. 5. Becanus c. 9. q. 5. du. 2. & 3. Vide etiam Valent. cit. dub. 4. §. & per hoc, Sanch. num. 26.

Sed quæstio est, si publico hæretici Magistratus edicto, 6
sub grauissima pœna, præcipiatur omnibus subditis, vt ad hæreticos conuentus accedant: vtrum Catholici parere possint? Negandum id est, sicuti constat ex bina responsione Pauli V. Pontif. ad Anglos Catholicos, apud Sanchez cit. cap. 4. numer. 27. Cùm enim tale edictum directè atque ex proposito tendat ad hæreticæ religionis augmentum, atque cogendos Catholicos, vt à Fide vera desciscant, vel saltem inter eos, & hæreticę prauitatis sectatores internotio appareat, manifestum est, Catholicos subditos tali edicto obedire non posse sine animi mutatione, falsæ religionis professione exteriùs apparente: ex quo multorum etiam scandalum, & nostræ Religionis vilipensio consequitur.

Quamuis verò aliquis apud Azor cit. c. 27. q. 5. existiment, hoc malum scandali atque peccati euitari posse, si aliquis publicè protestetur, se ad hæreticorum templa & conuentus accedere, non vt hæreticam sectam profiteatur, sed solùm, vt Magistratui ita iubenti satisfaciat: attamen talis protestatio vel inutilis erit ad pœnam euadendam, vel saltem non omne scandalum, aut propriæ salutis periculum auferet, sicuti fusè declarat Sanchez l. c. n. 27. idémque notauit Luisius Turrianus 2. 2. disp. 35. du. 7. in fine. Atque simili modo, licet Catholicus cœnā hæreticorum sumere non prohibeatur cum protestatione publica, facta non coram solo Ministro, seu Prædicante, sed toto populo: se tantùm sumere vt prophanum & communem panem, &c. tamen talis protestatio plerumque nihil proderit ad intentum finem, videlicet pacem cum incolis retinendam, edicti pœnam fugiendam.

Ad extremum notandum est, quod in Trident. Synodo 7
sess. 24. c. 12. de reformat. decernitur: *Vt prouisi de beneficijs quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali eius Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ Fidei publicam facere professionem: & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac iurent. Prouisi autem de canonicatibus & dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu eius Officiali: sed etiam in Capitulo idem facere teneantur, alioquin prædicti omnes prouisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur,* puta ad præscribendum spatio triennii, sicuti explicat Sanchez lib. 2. c. 5. n. 11. & 12. Veruntamen si aliquis ob decreti huius inculpatam ignorantiam, vel inconsiderationem, Fidei professionem facere intermiserit, in conscientię foro à dicta pœna immunis censeri debet: quippe cùm pœnæ locus non sit, vbi nulla culpa est: sed in externo foro excusatio iuris adeo clari non admittetur. Ita Nau. lib. 1. consil. 2. & 3. de Sum. Trinit. edit. 1. & lib. 2. consil. 11. & 12. de iureiur. edit. 2. Sanchez n. 13. Rodriq. t. 2. Regul. qq. q. 72. a. 3. & t. 1. Sum. c. 119. concl. 2. Azor t. 1. l. 7. ca. 2. q. 2. Porrò decretum hoc Concilii Trident. Pius IV. in quadam constitutione, quæ incipit *Iniunctum* apud Nau. cons. 10. de iureiurando. edit. 2. extendit ad Regularium Prælatos: illam tamen non in omnibus Religionibus receptam esse, monet Sanc. ci. c. 5. n. 4.

Insuper Pius V. in motu proprio, qui incipit *In Sacrosancta*, apud Rodriq. ci. q. 72. a. 2. decreuit, vt eandem Fidei professionē facere teneantur Doctores, Magistri, Regētes, & alii cuiuscūq; artis, aut facultatis Professores, tū clerici, tum laici. Vbi etiam continetur excommunicatio latæ sententiæ, & priuatio omnium beneficiorum in eos,

qui aliquem ad eiusmodi gradum, vel Cathedram, non præuia Fidei professione promouent.

CAP. XII.

De infidelitate, eiúsque speciebus.

SVMMARIVM.

1 *Infidelitas alia est materialis tantùm, & alia formalis.*
2 *Infidelitatis peccatum grauius est, quàm alia, quæ ad mores pertinent.*
3 *Inter infidelitatem merè negatiuam, ideoque omnino inculpatam: & infidelitatem formalem, ac propriè dictam, media est infidelitas, quæ Fidei priuatiuè opponitur. Videlicet culpabilis ignorantia, vel error in rebus Fidei, sed sine pertinacia.*

1 DVplex est infidelitas, auctore S. Th. 2. 2. q. 10. art. 1. Vna materialis, & secundùm puram negationem, quæ peccatum non est, sed magis pœna peccati. Etenim infidelitas materialis dicitur, quæ inuincibilis est, id est, nulla adhibita diligentia tolli potest, vel certè tolli non debet: aut quia de fide Christiana nihil vnquam aliquis audiuit: quò spectat illud Apost. ad Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Aut quomodo audient sine prædicante?* Et illud Domini apud S. Ioan. c. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent: Nunc autem excusationem non habent de peccato.* Aut tametsi aliquis audierit, tamen post diligentem considerationem (quam quisque infidelis adhibere tenetur, cùm de veritate sectæ suæ, quam profitetur, prudenter dubitare incipit) non deprehenderit sufficientia argumenta, quibus ad Fidei acceptationem, & assensum prudenter moueatur, sicuti suprà dixi cap. 10. num. 3. & docet S. Th. 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. ibid. Caiet. Victor. relect. de Indis Insulanis, n. 34. & seqq. Bannes 2. 2. q. 10. art. 1. dub. 1. Azor to. 1. l. 8. ca. 7. q. 6. Becanus cap. 13. q. 1. Vasq. 1. 2. disp. 120. cap. 3. Sanc. lib. 2. moral. cap. 1. num. 4. Qui rectè notat num. 7. ex Caiet. cit. art. 4. §. *Dicendum est igitur*, sæpenumero fieri, vt si eadem Fidei nostræ expositio pluribus fiat, vnus eam acceptare teneatur, alius non: propterea quòd credibilitas propositionum Fidei non sit præcisè ex parte rei: sed quatenus ea ab intellectu videtur, siue apprehenditur. Est tamen, vt dixi, hæc materialis infidelitas pœna peccati, iuxta ea, quæ dicta sunt suprà cap. 8. num. 5. ver. si obiiciatur, & colligitur ex Apost. ad Rom. 1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei* (quod vnus sit creator, & sanctificator, &c.) *in iniustitia detinent*: cùm peccatis suis Deum impediant, quo minùs veritatis lumen hominibus ad salutem necessarium ipsis ostendat. Et ad Ephes. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.*

Altera est infidelitas formalis, & secundùm contrarietatem adeóque peccatum formaliter ac contrariè Fidei diuinæ oppositum. Cuius tres species sunt, auctore eod. S. Th. q. 10. a. 5. Aut enim infidelitas aduersatur Fidei priùs susceptæ, aut non susceptæ: Si primum, vel aduersatur Fidei susceptæ solùm in typo, seu figura: & est Iudaismus: Vel denique aduersatur Fidei cum veritate susceptæ & est Apostasia, ac Hæresis: quæ inter se ea ratione differunt, quòd illa diuinæ Fidei veritates vniuersim: hæc ex parte abiiciat.

2 Comparando infidelitatem cum aliis peccatis, ait S. Th. q. 10. a. 3. Eam grauitate superare omnia peccata, quæ ad mores pertinent. Nam peccati ratio consistit in auersione mentis à Deo: infidelis autem maximè remotus à Deo est, cùm nec veram eius cognitionem assecutus sit. Confirmatur ex eo, quia peccatum infidelitatis directè impedit remissionem aliorum peccatorum, iuxta verbum Christi, Ioan. 8. *Si non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro*: propter quòd Fides sit fundamentũ, & radix iustificationis, sine qua nemo Deo placere, & ad filiorum eius consortium peruenire possit, sicuti ait Trident. sess. 6. c. 8. Interim notat idem S. Th. ad 2. quòd ignorantia Fidei (ea nimirum, quæ cum pertinacia iuncta non est) excusationem aliquam meretur, teste Apost. 1. ad Timoth. 3. *Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

3 Porrò inter infidelitatem merè negatiuam, & omnino inculpatam: atque infidelitatem formalem ac propriè dictam, statuenda est media infidelitas, quam dicere possumus Fidei priuatiuè oppositam. Eáque aliud non est, quàm ignorantia, vel error in rebus Fidei, culpabilis quidem, sed sine pertinacia: Puta, si Catholicus aliquis, siue Romam orthodoxam Religionem professus, ex vincibili ignorantia opinionem aliquam veræ Fidei repugnantem teneat, paratus tamen eam mutare, si contra Ecclesiæ sensum, aut definitionem esse sciret.

Videri autem posset alicui, eandem esse rationem de eo, qui inter hæreticos natus, & educatus, postquam de religionis suæ falsitate suspicari cœpit, ideo tamen eam non deserit, quia orthodoxæ Religionis argumenta, & credibilitatem cognoscere culpabiliter intermittit. Sed non ita est: quin potiùs discrimen istud, quòd prior ille simpliciter & absolutè fidelis, atque Catholicus censeri debet: tum quia Fidem habitualem retinet, tum quia reliquas Fide propositiones, ac veritates Fide diuina credit, quippe retinens regulam, per quam credenda à non credendis certò deprehendere possit: quæ est infallibilis Ecclesiæ autoritas. At verò posterior, qui à communione orthodoxæ Ecclesiæ alienus, in falsæ religionis professione, per culpabilem crassam ignorantiam persistit, infidelibus atque hæreticis formalibus annumerandus videtur. Qui enim Ecclesiæ auctoritati se opponit per ignorantiam crassam, is contumax, seu pertinax censetur esse, arg. c. 2. de Constit. in 6. consequenter eius infidelitas est formalis, & propriè dicta, per quam Fidei habitum in Baptismo infusum demeritoriè perdit, & dum in tali dispositione versatur, dignus non est diuina supernaturali Spiritus sancti motione ad actum supernaturalem Fidei eliciendum: ideóque reliqua etiam dogmata, quæ ipsi cum Catholicis communia sunt, v. g. de SS. Trinitate, Verbo incarnato, propria tantùm libertate, ac humana persuasione, non Fide supernatuli credere conuincitur. Quam doctrinam ex S. August. accepi lib. 4. de Bapt. contra Donatistas cap. 16. vbi hoc discrimen clarè cõstituit his verbis: *Constituamus duos isto modo; vnum eorum v. g. sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, & in eius hæresi baptizari extra Ecclesiæ Catholicæ communionem: alium verò hoc idem sentire: sed in Catholica baptizari, existimantem ipsam esse Catholicam Fidẽ: Istum nondum hæreticum dico: nisi manifestata sibi doctrina, Catholicæ Fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit: quod antequam fiat, manifestum est, illum qui foris baptizatus est, esse peiorem. Itaque in hoc sola falsa opinio: in illo autem etiam ipsa diuisio corrigenda est: sed in neutro ipsorum Sacramenti veritas repetenda.*

Cæterùm, si qui seu à Catholico, seu ab hæretico Ministro ritè baptizati, postea inter infideles, aut etiam hæreticos educentur, apud quos de Fide & Religione Romana Catholica, vel omnino nihil, vel non nisi obscura quædam, nefaria & abominanda audiant: Papam esse Antichristum, bestiam: quæ sicuti Deus colitur, &c. fieri potest, & interdum solet, vt tales inuincibili Catholicæ veritatis ignorantia laborantes, Fidei in Baptismo infusum habitum retineant: quippe qui non nisi per actum Fidei supernaturali formaliter oppositum excluditur. Deinde eas Fidei veritates, quas nobiscum communes retinent, v. g. de sancta Trinitate, Verbi incarnatione, Fide dinina & supernaturali credere possunt, cum Dei auxilio, & extrinsecorum motiuorum adminiculo: quare tales homines saluari nihil prohibet. Vide Sanchez libro 2. capite 1. numero 8. & S. Augustinus Epist.

Epist.162. relatum in suprà citato c.dixit Apostolus, 24. quæst.3. *Qui sententiam suam quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt: præsertim quam non audacia suæ præsumptionis pepererũt: sed à seductis, atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

CAP. XIII.

DE HÆRESI.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis est error contra veritatem Fidei diuinæ, iunctus cum pertinacia in eo, qui Fidem suscepit.*

2 *Qui ignorat, quamuis crassa ignorantia, opinionem suam Ecclesiæ Catholicæ repugnare, is pertinax non est, ideoque nec hæreticus.*

3 *Omnes hæretici Ecclesiæ vniuersali, cuius caput Romanus Pontifex est, se opponunt: illiúsque infallibilem autoritatem in proponendis Fidei dogmatis negant.*

4 *Qui à secta Lutheri, Caluini, &c. quam professi sunt, recedere cupiunt, si examinati, probabili, vel saltem moraliter non culpabili ignorantia laborasse videantur, à locorum Parochis absolui possunt, nisi consuetudo diœcesis aliud exigat.*

5 *Qui circa Fidei articulum seu propositionem deliberatè dubitat, is hæreticus est.*

6 *Qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, essentialiter ab hæretico non differt.*

7 *Qui agnoscit v.g. Christum verum hominem esse, negat tamen propositionem Theologicam, v.g. quòd Christus ridendi naturalem facultatem habet, is hæreticus non est.*

HÆresis est secta, siue sententia in rebus Fidei, quam aliquis, contra Ecclesiæ sensum, propria persuasione elegit. Clariùs sic definitur. *Error contra aliquam Fidei veritatem, cum pertinacia iunctus, in eo, qui Fidem suscepit.* Nomine eius, qui Fidem suscepit, aliqui etiam Catechumenos comprehendunt, vt & ipsi hæretici dicendi sint, si postquam credentes facti, Fidem abiiciant. Ita Bãnes 2.2.q.11.a.2.§. vltima particula: Suar.de censuris, disp. 21.s.2. Becanus c.14.q.2. Alij verò negant Cathechumenũ propriè dictum hæreticum fieri, si Fidem abijciat: cùm nunquam Ecclesiæ membrum fuerit. Ita Arrag.2.2.q.11. a.2.du.3. Tolet.lib.4.c.3.§.adhuc opus est. Sanchez libro 2.cap.7.num.34. Respondeo & dico I. Esse hanc quæstionem de nomine. Nam hæreticus propriè dicitur, qui ab Ecclesia, cuius membrum erat, diuersum pertinaciter
1 sentiendo, se segregat: Catechumenus autem, licet per Fidem inchoatiuè membrum Ecclesiæ factus sit, non tamen formaliter & completiuè, cùm Fidem in Baptismo professus non sit: Ecclesia enim spectabilis Christi Respublica, est congregatio fidelium solemniter professorum. Interim fateri debemus, quòd Catechumenus à Fide Christi recedens, essentialiter non differt ab hæreticis: sicuti etiam rectè dicimus, quòd Æthiops essentialiter non differt ab alijs hominibus, qui Æthiopes non sunt.

2 Dico II. Id certum esse, quòd Catechumenus à fide recedens, Ecclesiasticis hæreticorum pœnis minimè obligatur.

Denique quod ad hæresin requiratur pertinacia, habetur apud S. August. epist.162. relatum in c. dixit Dominus, 24.q.3. & lib.18. de ciuit. c.5. relatum in can.31. ead.q.3. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque sentiunt, si correpti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt cõtumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt.* Item docetur in Clem. vn. de S. Trinit. & Clem. vn. §. si quis, de vsuris, & à S. Thom. quæst. 11. art.2. ad 3. aliísque communiter: qui etiam aiunt, pertinaciam in eo consistere, quòd quis sciens, suam sententiam esse contra Ecclesiæ vniuersalis autoritatem, ac definitionem, nihilominus eam teneat: idque culpabiliter: Sin verò aliquis ignoret, suam opinionem Ecclesiæ Catholicæ aduersari, quantũuis crassa sit ignorantia, & à peccato mortali aduersus Fidem non excuset: propriè tamen hæreticum non esse, neque Ecclesiasticis hæreticorum pœnis subiectum. Ita docet Turrecrem. libro 4. Sum. part.2. cap.13. Canus lib.12. de locis, cap.9. Castro lib.1. de iusta hæretic. punit. cap.9. Nau c.11. num.22. §. octauò, Azor t.1. lib.8. cap. 9. quæst. 7. Corduba lib.1. quæstion.17. §.7. Sairus lib.2. cap.9. nu. 34. P. Nau. lib.2. de restit. cap.4. num.2. Rodr. t.1. cap. 130. conclus.1. Sanchez libro 2. c.7. num.20. Vasq. 1.2. disp.126. cap.2. Becanus cap.14. quæst.2. num.15. contra Sotum in 4.d.22. quæst.2. art.3. post.5. conclus. Addunt Vasq. & Sãchez ll.cc. etiam ignorantiam affectatam, ob discendi tædium, vel similem causam, ab hæresi excusare: secùs si ideo quis res Fidei ab Ecclesia propositas ignorare affectet, quia proponentis autoritatem minoris æstimat. Ratio traditæ doctrinæ est: Quia quamdiu aliquis erga Catholicam Ecclesiam rectè affectus est, agnoscens in ea infallibilem autoritatem res Fidei proponendi, paratus ab ea corrigi: tamdiu non est pertinax, seu Ecclesiæ se opponens, aut ab ea se separans: Qui autem ex ignorantia crassa, vel etiam affectata, propter inquirendi tædium, &c. errorem aliquem contra Fidem tenet, eum statim derelicturus, si intelliget Catholicæ Ecclesiæ repugnantem esse, talis erga Ecclesiæ autoritatem bene affectus est, consequenter non est pertinax, neque hæreticus. Secùs, si ideo Fidei veritates ab Ecclesia propositas ignorare velit, aut inquirere prætermittat, quia autoritatem Ecclesiæ minoris æstimat: ideóque minùs rectè erga eam affectus est.

Verùm hîc aduertendum est, Doctores suprà citatos, cùm dicunt, errantes contra Fidem ex ignorantia etiam crassa, aut affectata, hereticos non esse, tantummodo loqui de ijs, qui Fidem Catholicam Romanam profitentur adeóque in ea infallibilem autoritatem agnoscunt. Verũ, si loquamur de his, qui alienam ab orthodoxa Ecclesia, puta Lutheri, Caluini, Zvvinglij sectam profitentur, ex crassa, vt sæpe fieri solet, ignorantia credulitatis tum aliorum Catholicorum dogmatum, tum etiam huius ipsius, quod est de infallibili autoritate Ecclesiæ, discernentis credenda à non credendis: hos, inquam, hæreticis annumerandos, eorundemque censuris obligatos esse censeo. Nam quicunque veram Christi Ecclesiam, in cuius Fide baptizatus fuit, oppugnat, eius auctoritatem culpabiliter negans, is contra Ecclesiam inobediens, contumax, ac proinde ab ea separatus, &, vno verbo, hæreticus censeri debet.

Corollarium I. Omnes hæretici vniuersali Ecclesiæ, cuius caput Romanus Pontifex est, se opponunt, illiúsque 3
infallibilem in proponendis Fidei dogmatis autoritatem contumaciter negant. Si enim eam agnoscerent, aut ab Ecclesia corrigi parati essent, si fortè à veritate deflecterent, hæretici non forent. Ita Gab. in 3.d.25.q.vn.a.2. corol.1. Ioan. Lopez tract. de hæresi, §.4.n.6.

Corollarium II. Quia à secta Lutheri, Caluini, &c. quam professi sunt, recedere volunt, si examinati, inuincibili, vel 4
saltem moraliter non culpabili ignorantia laborasse videantur: ij, post sufficientem instructionem, editam quoque, si id fieri possit, coram testibus Fidei professionem à locorum Parochis absolui possunt: Nisi quòd aliquarum Ecclesiarum consuetudo exigit, vt tales etiã materiales hæretici ad eos mittantur, qui ab hæresi absoluẽdi potestatẽ habent: vel Episcopi, aut Vicarij eius examini atq; iudicio relinquantur. Deniq; verò in absolutione horũ hominũ non oportet hac forma vti; *Absolute ab excõmunicatione, quam incurristi propter hæresin*: tamen ad cautelam ita dici potest ab eo, qui potestatem habet: *Absolue te à vinculo excommunicationis, & speciatim ob hæresim,*

si incurristi, in quantum possum, & indige.

Nota autem, quod dixi de sufficiente instructione præmittenda: Ea enim omnino requiritur, antequam eiusmodi reuertentes (siue formales, siue materiales tantũ sectarij fuerint) ad sacram Confessionem admittantur. Alioquin multi fictè accedent, ob timorem Magistratus, aliámve causam: ex quo multa incommoda orientur, quòd multi inconstantes ac dubitantes in fide Catholica diuturno tempore permanebunt, vel apertè etiam ad pristinos errores reuertentur. Quare ante omnia Confessarius quærat ex eiusmodi conuersis, & primò ipsi confitentibus: Vtrum ex animo firma Fide credant ea, quæ Catholica Romana Ecclesia credenda proponit: & vtrum in hac Fide semper perseuerare & mori parati sint? Si affirmare nolint, vlteriùs non procedat ad peccatorum narrationem faciendam: sed dimittat eos, denegato testimonio factæ Confessionis: ne si schedam testimonij accipiant, tanquam veri fideles habeantur, & ad sacram Eucharistiam admittantur. Neque enim hîc periculum est violandi sigilli sacramentalis: cùm enim tales homines veram Fidem Catholicam profiteri nolint, ideóque Sacramentalem Sacerdotis absolutionem parui facientes: non ex animo expetant, illorum accessus Sacramentalis non est, sed fictitius & simulatus. Quæ omnia incommoda magna ex parte vitabuntur, si antea bene instructi, & catechizati, priùs etiam Fidei professionem coram testibus facere compellantur, quàm ad Sacramenta nostra admittantur.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum verè ac formaliter hæreticus sit, qui de articulo aliquo fidei, quem scit ab vniuersali Ecclesia propositum, aut definitum esse, deliberatè dubitat? Negat Canus lib. 12. de locis c. 9. Sanch. lib. 2. c. 7. n. 12. Ioan. Malderus in 2. 2. qu. 12. a. 1. mem. 2. Nam hæresis est error, adeóque assensus falsus contra Fidem, cum pertinacia iunctus. Dubitans autẽ nec assensum, nec dissensum habet: Ergo qui in Fide dubitat, hæreticus nõ est.
5 Sed contraria sententia communis est: quam docent Caiet. 2. 2. q. 11. art. 2. Turrecrem. lib. 4. Sum. part. 2. capite 12. Sa ver. hæresis num. 1. Azor cit. lid. 8. c. 9. quæst. 5. Tol. l. 4. c. 4. Nã vt dicitur in c. 1. de hæreticis: *Dubius in Fide infidelis est*: & consequenter hæreticus, si homo baptizatus sit, & de articulo ab Ecclesia proposito dubitet. Ratio est: Quicunque aliquem Fidei orthodoxę articulum, quem ab Ecclesia receptum & fidelibus propositum scit, incertum esse iudicat, is verè ac formaliter hæreticus est: sed quicũq; de eiusmodi Fide articulo deliberatè dubitat, is seu explicitè iudicat eũ incertũ esse. Ergo verè & formaliter, seu implicitè hęreticus est. Ex quo patet respõsio ad fundamentum prioris sententię: Intellectum verè & propriè dubitantem non merè negatiuè se habere: quia ideo proposito sibi obiecto assensum negat, quòd ipsi incertum appareat: ideóque seu expresè, seu implicitè de eius incertitudine iudicat.

Excipiendi tamen hinc sunt ij, qui inter hæreticos nati & educati, orthodoxam Religionem ignorant: his enim dubitare interim licet, donec instruantur, & argumenta siue credibilitatem nostrę Fidei rectè apprehendant, sicuti suprà dixi, & colligitur ex verbis S. Aug. cit. Ep. 162. & docet Valent. t. 3. dis. 1. q. 10. p. 4. Sanc. l. 2. c. 1. n. 8. Ratio huius exceptionis est, quia dubitatio, & virtuale iudicium de incertitudine, in talibus cum pertinacia iunctum non est. Porrò simili modo docent Henr l. 13. c. 17. nu. 3. lit. Z. Sanch. lib. 2. c. 7. num. 30. verè hęreticum esse, qui falsò existimans aliquid ab Ecclesia definitum esse, contrarium pertinaciter defendit.

Id obiter hîc annotare placuit, eximendum esse scrupulum ijs, qui de Fide Catholica dubitare se arbitrantur, eò quòd hæreticę aut blasphemæ cogitationes ipsis occurrere solent. Cùm enim eas seriò detestentur, & nunquam in animam venire exoptent, insuper protestationẽ faciant nunquam eis consensum prębituros, non possunt culpę imputari: sed magis merendi apud Deum materiam præbent. Quare præstat plerumque tales cogitationes seu tentationes contemnere, tanquam inefficaces ad consensum impetrandum apud eos; qui Dei gratia muniti sunt. Verùm in quibusdam hominibus eiusmodi tentationes à Deo permittuntur propter vitam eorum sceleratam, præsertim impuritatis vitium: quibus proinde suadendum, vt se corrigant; tum fidem eorum atque fiduciam in Deum constantiorem fore.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum hæreticus sit, qui 6
diuinę reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, habens sufficientia iudicia reuelationem à Deo esse? Aliqui negant apud Sanch. l. 2. c. 7. n. 13. Alij autem affirmant, ex quibus Vega super Trident. l. 9. c. 3. & Sanch. l. c. idque probant: Qui negat Fidei articulum ab Ecclesia omnibus propositum, is verè ac formaliter hæreticus est: qui autem reuelationi diuinę priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, is, saltem virtualiter, negat pręcipuum Fidei Catholicæ articulum, videlicet Deum in dicendo veracem esse. Confirmatur: Secundùm communem doctrinam tres tantùm sunt infidelitatis species, de quibus præced. c. dixi: Cùm igitur talis homo, qui Fidem in Baptismo susceptam totaliter non abijcit, sed solùm reuelationi à Deo specialiter factæ dissentit, infidelis sit, non apparet, quam aliam infidelitatis speciem incurrat, nisi hæresin.

Ad q. respondeo, & dico I. Talem verè ac formaliter infidelem esse. Ita omnes. Nam sicuti omnis ille, qui ob autoritatem Dei reuelantis, tanquam vnicum formale credendi motiuum, reuelatam sibi propositionem prudenter ac piè credit, Fidei diuinæ actum elicit: ita huic formaliter oppositum actum infidelitatis exercet, quicunque reuelationi sibi à Deo factæ imprudenter ac pertinaciter dissentit.

Dico II. Talis infidelis essentialiter non differt ad hæretico. Hæc videtur esse mens Vegæ l. c. Azor t. 2. l. 8. c. 9. q. 4. Ratio est, quia reuelationem à Deo publicè, aut priuatim fieri non ad essentiales (vti Sotus arbitratus est li. 3. de natura & gratia, c. 11. in 3. argu.) sed ad accidentales tantùm Fidei, & consequenter infidelitatis, differentias pertinere videtur.

Dico III. Si propriè & vsitatè loquendum, ita dissentiens reuelationi speciali nec hæreticus appellari, nec hæreticorũ pœnis subiectus censeri debet. Ita docet Cord. li. 1. q q. 17. §. 1. du. 2. Nã hæresis est error contra Fidẽ Catholicã: siue hæreticus propriè dicitur, qui in sententijs siue dogmatibus Fidei ab Ecclesia contumaciter recedit. Ad fundamentũ cõtrariæ sententiæ, quo nititur San. respõdetur; Eũ, qui dissentit reuelationi sibi à Deo obscurè factæ ita, vt neq; rei reuelatæ, neq; ipsius reuelãtis clarã & intuitiuã notitiã habeat, non ideo negare Deũ in reuelando veracẽ esse: (sic enim atheus omnino, & apostata esset, quippe ipsã formalem rationẽ ac fundamentũ fidei abijciens) sed negare reuelationẽ sibi factã, verã, aut certã esse, quã tamẽ sufficientibus indicijs cognoscere posset à Deo profectã esse. Ad confirmationẽ verò respondetur: Ea rectè probari, eiusmodi infidelitatem ab hæresi essentialiter nõ differre: ideóque ad eandem speciem reducendam esse.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrũ hæreticus cẽsendus sit, 7
qui negat propositionẽ Theologicã, quæ ex vna propositione naturaliter nota, & altera de Fide, per euidentẽ illationẽ sequitur: Vt si aliquis agnoscat, quòd Christus verus homo est, neget tamẽ, quòd risibilis. Affirmãt Canus l. 12. de locis c. 9. Valent. q. 1. p. 1. diffic. 3 Talẽ saltẽ indirectè & reductiuè hæreticũ esse. Sed nõ placet hæc sententia: Quia vel agnoscit veritatem præmissarũ, nec non illationis euidentiã: & tũc impossibile est, vt conclusioni dissentiatur. Vel non agnoscit propositionis, siue principij naturalis veritatem: videlicet? *Quod omnis homo necessario risibilis est*: aut si agnoscat, tamen ingenio tam habes, vt illationis necessitatem non percipiat: tunc hæreticus minimè

mè censeri debet: cùm non sit pertinax circa aliquā Fidei propositionem: sed paratus corrigi, si conclusionem ex Fidei articulis necessariò colligi intellexerit. Ita Bannes 2. 2. q. 11. a. 2. §. circa hoc. Corduba ci. q. 17. dub. 3. notab. 3. §. id etiam, Sanchez citato c. 7. num. 33.

CAP. XIV.

De excommunicatione lata in hæreticos, eorumque credentes, fautores, &c.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici formales, si hæresin externo actu prodant, excommunicationem Papæ reseruatam incurrunt.*

2 *Qui hæresin, quam animo conceptam gerit, in somno, vel ebrietate profert, excommunicationem propterea non contrahit.*

3 *Neque qui consilij, aut instructionis capiendæ causa hæresin suam alteri manifestat: cùm talis manifestatio mortaliter mala non sit.*

4 *Si hæreticus opere, vel omissione operis, spectatis circumstantiis suam hæresin sufficienter profiteri censeatur, excommunicationem incurrit.*

5 *Hæreticorum credentes, fautores, ac receptatores eandem excommunicationem Bullæ Cœnæ Domini contrahunt.*

Fautores tamen, aut receptatores excommunicationem incurrere non videntur: nisi exinde malus effectus consequatur, videlicet vt hæreticus Iudicis manus euadat, hæresis eius magis diffundatur, &c.

1 Assertio I. Hæretici formales, qui hæresin animo conceptam externa voce, aliáve actione mortaliter mala asserunt, aut profitentur, excommunicationem incurrunt, Papæ hodie reseruatam. Habetur in prima excommunicatione Bullæ cœnæ Domini, quam explicat Nau. cap. 27. n. 55. Tol. lib. 1. c. 19. Suar. de censuris, dis. 21. s. 2. Sanchez lib. 2. moral. c. 9. Viuald. in explanat. Bullæ, casu. 1.

Circa quam assertionem nota: Quatuor conditiones requiri ad hanc excommunicationem incurrendam. Primò, Vt aliquis sit verus & formalis hæreticus: non materialis, & obiectiuè tantùm, id est, qui propositionem Catholicæ doctrinæ aduersantem ex inuincibili ignorantia defendat: vel etiam vincibiliter, sed non pertinaciter quippe animo paratus illam deponere, cùm primum Catholicę Ecclesiæ, cuius infallibilem autoritatem agnoscit, aduersari intellexerit. Talis enim, sicuti verè hæreticus non est, ita neque excommunicatus, vt suprà dictum.

Secundò requiritur; Vt aliquis hæresin animo conceptam exteriùs significet; Nam hæretici purè mentales, id est, qui hæresin nulla externa actione sufficienter significante exprimunt, excommunicati non sunt: quare à quouis exposito Confessario absolui possunt. Et nota, quod dico *sufficienter*: id enim omnino requiritur ad excommunicationem incurrendam, vt verba, aliáve signa vel suapte natura aut institutione, vel consideratis circonstantijs personarum, loci, temporis, &c. sufficienter manifestatiua sint internæ hæresis. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. de legibus, c. 4. assert. 2.

Ex quo colligitur primò: Si quispiam, dum mente hanc hæresin fouet: *Christus non est verus Deus*, exteriùs talia verba proferat: *Non est verè Deus*: purè mentalē hæreticum, & non excommunicatum censendum esse. Quia verba illa non sufficienter hæresin indicant, vt Ecclesia de ea cognoscere & iudicare possit: quandoquidē, qui talia verba profert, non exprimit de quo subiecto loquatur, nisi ex adiunctis colligi possit, sicuti notauit Castro lib. 2. de hæret. punit. c. 18. Vasq. tract. de benef. c. 4. num. 90. Sanchez libro 2. c. 8. num. 8. & 10. vbi addit, idem eadem cautione dicendum esse, si quis hæresin mente assertam scribat caracteribus, qui à nemine, præter ipsum, intelligi possunt: ideóque, qui scripsit, ex tali Scriptura ab Ecclesia conuinci, aut iudicari nequeat.

Colligitur secundò: Si internus hæreticus exteriùs dicat, se hæresin Lutheri aliquando sectatum esse: vel habere propositum amplectendi, non idcirco excommunicationem incurrere: quamuis iustè puniri possit. Ita docet Simanca de Cathol. instit. tit. 42. nu. 9. & 10. Azor tom. 1. lib. 8. c. 10. quæst. 6. Sanchez cit. c. 8. num. 21 & 22. Sairus de censuris lib. 3. cap. 4. num. 31. Ratio est: Quia talis, vt ponimus, præsentem hæresin non indicat, aut profitetur: sed præteritam, aut propositum futurę: quo cum consistere posset, vt, qui ita loquitur, veram tunc Fidem retineret, vti Sanchez cit. num. 22. notauit. 2

Colligitur tertiò: Neque eum excommunicationem incurrere, qui hæresin, quam animo conceptam gerit, in somno vel ebrietate profert. Discrimen enim est inter homicidium & similia peccata, quæ opere externo consummantur: & hæresin, cuius malitia animo perficitur: Quòd qui in ebrietate hominem occidit, cùm sciret se rixari & verberare solitum, & ob id à vino temperandum sibi esse: irregularitatem, & excommunicationem incurrere possit: non item qui in ebrietate hęresin profert, licet sciuerit, se, cùm vino repletur, de Fide disputare, & hæreticas suas sententias effutire solitum esse. Ratio discriminis est: Quia hæresis in intellectu consistit & essentialiter perficitur: per verba autem exteriora tantùm manifestatur: Consequenter prolatio hæretici dogmatis nō est peccatum externum hæresis, nisi ab interna intellectus hæresi procedat, & exprimatur; At verò in ebrio nō procedit ab hæresi mentali sed ex imaginatione & consuetudine. Homicidiū autem in externo opere consistit, ac perficitur: ideóque verum est peccatum externum homicidij, tametsi fiat ab ebrio, qui tunc nihil aduertit, siue intelligit: modò priùs aduerterit: cùm causam præbuit ob quam indirectè atque imputatiuè ipsi voluntariū cēsetur. 2

Tertiò requiritur, vt actio externa per quā hæresis interna significatur & proditur, mortaliter mala sit, sicuti notauit Sa ver. hæresis, n. 2. Sanc l. 2. c. 8. n. 7. Becanus c. 15. q. 1. n. 8. Quapropter excommunicatus non est, qui hæresin animo conceptam alteri manifestat consilij, vel instructionis capiendæ causa. Quia huiusmodi manifestatio non malus, sed bonus actus est, qui ab Ecclesia puniri non potest. Atque ita docet Simanca nu. 9. Azor qu. 5. Sanch. n. 20. Corduba l. 4. q. 13. circa 3. opin. §. tertiò corollariè, contra Bannes q. 11. a. 2. dū. 2. concl. 2. arg. 5. 3

Quartò requiritur, vt aliquis hæresin suam exteriùs manifestet animo eam asserendi, vel profitēdi, sicuti rectè notauit Azor ci. l. 8. c. 10. q. 7. Corduba loco suprà citat. Sanch. n. 7. & 17. Ratio est: Quia dicta excommunicatio lata est propter externum hæresis peccatum: non est autem peccatum externum hæresis, nisi quod ad externa hæresi informatur, dum eam aliquis exteriùs asserere, astruere, vel profiteri intendit.

Ex quo resoluitur quæstio: Vtrum excommunicationē incurrat, qui Lutheri hæresin animo occultè fouens, idcirco à Missæ sacrificio, vel sacra Synaxi abstinet: aut corā venerabili Sacramento genu non flectit, caput non denudat? Respondeo ex doctrina Cai. 2. 2. q. 11. a. 4. Azor ca. 9. vlt. q. vlt. Sanch. n. 16. Tol. 1. c. 19. §. tertium est: Si attentis circumstantijs personæ, loci, temporis, &c. talis omissio censeri possit virtualis professio sectæ hæreticæ, excōmunicationem incurri: Secus, si tales circumstantiæ adsint, vt huiusmodi omissio obliuioni, aut alteri iustæ excusationi probabiliter adscribi possit: licet re ipsa ex hæretico animo proficiscatur. Ita intelligendus Azor. lo. ci. 4

Simili ratione resolui potest: Vtrum excommunicationem contrahat, qui lapsus in hæresin Lutheri, die ab

Eccleſia interdicto carnes comedit, quippe exiſtimans huiuſmodi interdictionem illegitimam, & Chriſtianæ libertati repugnantem eſſe. Reſpondetur enim: Carnis comeſtionem in die interdicto, ſecundùm ſe rem indifferentem eſſe, & non proteſtatiuam hęreticæ fidei, ſicuti dixi ſuprà cap. 11. num. 5. attamen per circumſtantias loci, temporis, &c. determinari poſſe ad hæreticæ ſectę profeſſionem.

Limitat verò Sanchez num. 17. *Si quis motus hæreſi interna, qua putat licere eſum carnium diebus prohibitis, tantillum carnium ederet, vt eſus ratione paruitatis materiæ venialis eſſet, non fore hæreticũ externũ, & excommunicatum*: Sicuti neque excommunicationem incurrit Clerici percuſſor, ſi percuſſio legis & venialis tantùm ſit: eſto mortalis exiſtat ſola relatione ad malignum effectum, ſeu propoſitum percutientis. Sed hæc limitatio non vniuerſim & omni caſu vera eſt: ſiquidem nihil prohibet tales circumſtantias concurrere, vt etiam exigua carnis comeſtio ſufficiens ſit proteſtatio hæreſis, puta ſi hac expreſſa intentione inter alios cibos etiam carnis ferculum proponatur, vt qui Lutherani ſunt à Catholicis diſcernantur: nã caſu occultus hęreticus, ſi ſine contraria proteſtatione vel modicum ex eo comedat, peccat quidem venialiter contra Eccleſiaſticam legem, ex temperantię motiuo latam: at verò mortaliter delinquit, & excommunicationẽ incurrit, quatenus hæreſin ſuam ſufficienter manifeſtat, ac profitetur. Quare diſcrimen aduertere licet inter externum peccatum percuſſionis & peccatum externum hęreſis: quòd illud in maligni propoſiti executione: hoc verò in externæ animo complete hæreſis manifeſtatione conſiſtat, ſicuti notauit Viualdus in explan. Bullæ, caſu 1. num. 3. Quare ſicuti excommunicationem incurrit, qui propoſitum percutiendi Clericum ſufficiẽter exequitur: ita etiam incurrit, qui hæreſin animo conſummatum ſufficienter ſignificat & profitetur: ſecùs, ſi inſufficienter, & imperfectè.

5 Secundò loco, in eadem Bulla cœnæ Domini excommunicantur hæreticorum *credentes*, id eſt, qui hæreſin implicitè profitentur, dicendo v.g. vera eſſe dogmata, quæ Lutherus, aut Caluinus contra Romanam Eccleſiam docuit, ſe pro ijs mori paratos: licet in particulari neſciant, quænam ea dogmata ſint. Etſi verò huiuſmodi credentes verè ac formaliter hęretici ſint; ſicuti etiam Catholici cenſeri debent, qui Fidei articulos implicitè credunt, credendo quicquid Eccleſia Catholica credit) tamen, ne quis de horum excommunicatione dubitare poſſet, eorũ etiam ſpecifica mentio in Bulla facta eſt. Videri poteſt Palud. in 4. d. 13. quæſt. 3. a. 1. Iac. Simanca de Cathol. inſtit. c. 15. num. 2. Nauar. c. 27. num. 55. Tol. lib. 1. c. 19. §. ſecundum genus. Suar. t. 5. diſ. 21. ſect. 2. n. 6. Sanc. l. 2. c. 10. n. 2. Sa ver. hæreſis, n. 11.

Tertio loco excommunicantur hæreticorum receptatores, fautores, & quilibet defenſores, conuenienter c. ſicut, 1. &c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis. Debent autem illa verba formaliter accipi, vt eos ſolùm comprehendant, qui fauorem vel auxilium hæretico præbent, quatenus hæreticus eſt: ſiue, vt hæreſim ſuam faciliùs docere, defendere, aut latiùs diffundere poſſit, ſicuti explicat Sotus in 4. diſt. 22. quæſt. 2. a. 3. poſt 5. concluſ. Nau. cit. num. 5. in fine, Suarez cit. ſect. 2. nu. 8. Rodriq. tom. 1. regul. qq. queſt. 30. a. 9. Quamuis ad hoc non requiratur formalis, atque directa intentio propagandi hęreſin: ſed ſufficiat indirecta ſeu imputatiua: puta, ſi Iudex, cùm ipſi ex officio incumbit, non capiat, aut non puniat hæreticos, ſiue ex affectu amicitiæ, aut conſanguinitatis erga illos, ſiue ex tædio laboris, &c. ſicuti docet Syluest. verb. hæreſis, 1. quæſt. 7. §. fautores, Viualdus in explanat. Bullę caſu 1. num. 4. Caſtro lib. 1. de hæretic. punit. cap. 9. Item, ſi quis hæreticum, propter amicitiam vel conſanguinitatem, recipiens in domum ſuam, cauſa ſit, quo minùs à Magiſtratu capiatur, & puniatur, ſicuti ex communi docet Syluest. ibid. Viualdus num. 7. Tol. ci. cap. 19. §. tertium eſt, Vgolin. de cenſuris Papæ reſeruatis, parte. 2. cap. 1. ver. receptatores, §. 1. num. 3. Iacob. Simanca cit. c. 15. num. 20. Sairus in theſauro libro 3. cap. 5. numero 3. contra Caiet. ver. excommunicatio, capite 1. Sanchez libro 2. cap. 10. numero 5. qui requirunt in receptatore, vel fautore hæretici, formale motiuum ſiue intentionem fauendi, aut promouendi hæreſin, vt excommunicationem incurrat. Quo modo vix vlli eſſent hęreticorum receptatores, vel auxiliatores, niſi ſimul etiam hæretici: cuius contrarium communiter DD. docent. Accedit, re ipſa & in effectu aliquem tali receptatione ad conſeruandam, vel promouendam hæreſin concurrere poſſe, ideóque verè ac propriè hæretici receptatorem eſſe: quamuis id non faciat ex formali ſeu directa intentione. Confirmatur ex l. 2. ff. de Receptator. vbi dicitur: Receptatorem latronis, causâ affinitatis, vel conſanguinitatis, puniendum eſſe, tametſi mitiùs: ex quo colligitur, huiuſmodi verè ac propriè inter receptatores numerandos eſſe. Quod verò ibi dicitur de pœna mitiganda, id ad Eccleſiaſticam excommunicationem, ſimpliciter in hęreticorum receptatores latam, transferri non debet: præterquam quod aliqui valde probabiliter docent: Receptatorem perſonæ coniunctiſſimæ, puta patris, filij, vxoris, vel etiam fratris, ne in manus Inquiſitorum v.g. deueniat: licet aliquando peccet, excommunicationem tamẽ non contrahere. Quia perſona tam coniuncta alicui, quaſi eadem cum ipſo reputatur, quam non defendere valde difficile ſit. Ita Simanca numero 21. Viualdus numero 8. §. ex quibus, Azor tom. 1. libro 8. capite 15. quæſt. 4.

Id verò magis probabiliter dicit Sanchez cit. c. 10. numero 9. Cenſuram excommunicationis non incurri ab hæretici receptatore, auxiliatore, defenſore, niſi malus effectus ſequatur: vt videlicet hæreticus, ob tale ipſi auxilium præſtitum, manus Iudicis euadat, aut hæreſin magis diffundat. Cùm enim in Canonibus Eccleſiaſticis faciens alicuius rei principaliter excommunicatur: acceſſoriè autem mandans conſulens, aut fauens: tunc hi excomnicationem non contrahunt, niſi ſecuto effectu, ſecundùm receptam DD. ſententiam; Atqui hac prima Bullæ excommunicatione principaliter excommunicantur hæretici; acceſſoriè verò, & ſecundùm quandam extenſionem ipſorum receptatores, fautores, & defenſores, vti etiam Suarez docuit cit. ſect. 2. num. 8. Ergo iſti non incurrunt excommunicationem, niſi ex fauore ſiue auxilio malus effectus ſequatur. Licet contraria ſententia probabilior viſa ſit Sairo ci. l. 3. c. 5. n. 4. §. dubium autem eſt, Graffis p. 1. deciſ. l. 4. c. 18. n. 14.

CAP. XV.

De excommunicatione Bullæ lata in eos, qui libros hæreticorum legunt, &c.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationem Bullæ incurrit, qui librum hæreticis legit de Religione tractantem.*

2 *Libro Catholicorum, quibus ſcholia quædam hæreticorum inſerta ſunt, hac cenſura non comprehenduntur.*

3 *Qui vnam hæretici epiſtolam, vel concionem de Religionis materia ſcriptam ſcienter legit, videtur excommunicatus, licet aliqui negent.*

4 *Libri hæreticorum hiſtorici, poetici iuridici, medici, etſi obiter hæreſin permixtam habeant, his regionibus non prohibentur.*

5 *Paruitas materiæ, puta ſi quis paucos verſus in libro hæretico legat, à cenſura excuſat.*

6 *Qui alteri v.g. famulo ſuo librum hæreticum legendum tradit, vt ex illius ore audiat, excommunicationem Bullæ incurrit.*

7. Quis

7 *Qui librum hæreticum retinent, imprimunt, aut quomodolibet defendunt, simili excommunicatione ligantur.*
8 *Index librorum prohibitorum duas classes continet.*
9 *Hæreticorum libros comburendi antiquissimus mos est in Ecclesia Catholica.*

1 ASsertio. Excommunicationem Sum. Pontifici reseruatam incurrunt, qui hæretici librum hæresin continentem, vel de Religione tractantem, sine Apostolicæ Sedis auctoritate, scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodolibet defendunt. Ita habetur in prima excommunicatione Bullæ cœnæ Domini: vnde colligitur, quatuor conditiones requiri, vt excommunicatio ex hoc capite contrahatur: I. Vt liber ab hæretico scriptus sit, siue vno ex recentioribus, siue ex veteribus ab Ecclesia damnatis: nisi quòd scripta Tertulliani & Origenis, licet errores contra Fidem contineant, propter eruditionem, & quia nullum iam ab illis periculum in Fide timetur, ab Ecclesia permittuntur. Qua de re vide Azor lib. 8. c. 16. q. 16. Deinde nihil refert, vtrum liber sit typis excusus necne; dummodo ab hæretico scriptus. Non autem excommunicatio incurritur, si quis hæreses Scriptoris hæretici in libro Auctoris Catholici ad verbum insertas, quamuis praua intentione hæresin discendi, legat, sicuti ex communi docet Nau. c. 27. n. 56. Sanch. lib. 2. c. 10. n. 23. Sairus cit. c. 5. n. 13. Azor cit. lib. 8. c. 16. q. 2. Quia lege canonica non punitur affectus, sed factum legentis librum hæretici: iste autem non legit librum hæretici.

2 Idémque dicendum, si in Catholici Scriptoris libro, vel quouis alio, hac Bullæ excommunicatione non comprehenso, legas adiecta scholia, seu annotationes Auctoris hæretici: Quia talis liber non censetur esse commentantis hæretici: sed Catholici, à quo scriptus est. Ita ex communi Nau. l. c. Graffis p. 1. decisionum, lib. 4. c. 18. n. 43. Sanchez n. 25. Suarez to. 5. disp. 21. s. 2. n. 11. qui tamen non improbabiliter limitat: *Nisi tales, vel tam copiosi essent commentarij, vt iam censeretur liber potiùs ex eis, quàm ex textu constare.* Denique, licet in libro Catholici Scriptoris, vel qui publicè Catholicus existimatur, manifestæ hæreses contineantur: tamen excommunicationẽ hanc non incurret, qui illum legit, aut imprimit, teste Vgolino, & Graffis ll. cc. Sanch. n. 24.

Sed dubium est: vtrum excommunicationem Bullæ contrahat, qui epistolam ab hæretico de causa, Religionis scriptam, vel hereses continentem scienter legit, imprimit, retinet? Ita affirmat Vgol. de casibus Papæ reseruatis, p. 2. ver. ac eorundem libros, in princ. num. 2.
3 Quia Bulla idcirco mentionem facere libri videtur, quia hæreses frequentiùs libris comprehendi, ac propagari solent: cùm autem legislator vnius ex pluribus mentionem facit propter frequentiorem eius vsum, non ideo alia exclusisse putandus est: sed speciem præcipuam pro genere posuisse, quæ sentẽtia valde verisimilis est: licet contrariũ doceat Sanch. cit. c. 10. n. 29. Non incurrere excommunicationem, qui vnam hæretici hominis epistolam, aut concionem in formam tractatus non redactam legit, vel imprimit: tum quia hæc nomine libri propriè & visitatè comprehendi non solent; verba autem legis pœnalis strictè ac propriè accipienda sunt: tum quia ratio disparitatis afferri potest, quòd tractatus siue liber latiùs diffundi, ac diutiùs conseruari soleat, quàm vna sola epistola.

Altera conditio est: Vt liber vel hæresin in se cõtineat, vel de Religione tractet, puta sacram Scripturam interpretando, Theologicas quæstiones decidendo, de cultu Dei & Sanctorum, statu Clericorum vel Monachorum disputando. Circa quam conditionem duo extra controuersiam esse debent: Primum, Non esse prohibitos hæreticorum libros philosophicos, medicos, iuridicos, historicos, poeticos, si nullam hæresin contineant. Alterũ Prohibitos esse hæreticorum libros, qui ex professo de Religione tractant; etsi certum sit, nullum errorem contra Fidem orthodoxam in ijs contineri.

Sed dubium est de illis hæreticorum libris, quibus ex instituto non de Religione tractantibus obiter aliqua hæresis inserta est, vtrum hac Bullæ censura comprehendantur? Negant Sairus cit. c. 5. n. 12. Graffis n. 40. & 42. Contrarium verò docent Suar. p. 3. t. 5. disp. 21. s. 2. n. 10. Sanchez cit. c. 10. n. 34. quorum sententia verbis Bullæ conformior est: siquidem in ea disertè distinguitur: si aut liber hæresin contineat, aut de Religione tractet. In alternatiuis autem sufficit alterutrum verificari. Veruntamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris hæc constitutio secundùm talem rigorẽ recepta non est. Multi enim frequenter prodeunt hæreticorum libri iuridici, medici, historici, quibus plerumque reperias vnam vel plures hæreses obiter admixtas: & tamen passim in Catholicorum bibliothecis asseruantur, leguntur. Dummodo hinc excipias eorum hæreticorum historias, v. g. Ioannis Auentini, Ioan. Sleidani, Sebast. Münsteri, quibus satis apparet præcipuum institutũ fuisse, Romanam Ecclesiã, Clericorum & Monachorum statum conuellere ac denigrare: quorum proinde nomina in indice librorum prohibitorum disertè posita sunt. Quamobrem horum etiã historicorum libri in diœcesi hac meritò prohibentur. De alijs verò presertim remotioribus diœcesibus non satis mihi constat. Ait autem Mert. Becan. 2. 2. c. 15. q. 8. n. 5. *Vbi Bulla Cœnæ Domini, vel index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros hæreticos.* 4

Præterea, licet in Regula VIII. Indicis librorum prohibitorum præcipiatur, vt libri, quorum principale argumentum bonũ est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresin, seu impietatem, diuinationem, seu superstitionem spectant, à Catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgentur: quia tamẽ in Germania nostra Inquisitores non sunt, ideo hoc præceptum in obseruationem non deducitur: quamuis consultum sit obseruare, & eiusmodi libros viris Theologis expurgandos tradere.

Tertia conditio est: Vt aliquis eiusmodi librum *scienter* legat, imprimat, &c. Quare ab ista censura immunes sunt, qui ignorant, quamuis crassa ignorantia, librum hæretici esse, aut de Religione tractare. Nam quotiescunque lex pœnalis scientiam requirit, excusat ignorantia, etiam crassa, Qua de re videri potest Sanchez lib. 2. moral. c. 10. n. 38. & lib. 9. de matrim. disp. 32. n. 36. & 39. Porro haud requiritur ad censuram hanc praua legentis intentio, seu affectus hæresin concipiendi: sed sufficit etiam sola curiositas.

Quarta conditio est: Vt id, quod legitur, materia notabilis sit, atque sufficiens ad peccatum mortale, sicuti præter alios docet Azor cap. 16. q. 3. Sairus cit. c. 5. n. 12. Sanchez lib. 2. cap. 10. n. 31. Cùm enim in alijs rebus paruitas materiæ à mortali excuset: cur non item in hac? præsertim cùm hæc lex Ecclesiastica sit, grauissimam excommunicationis pœnam inferens. Quare audiendus non est. Toletus, cùm ait n. 4. etiam vnam vel alteram lineam sufficere ad excommunicationis censuram: eò quòd perfecta hæresis etiam vnico versu contineri possit. Sed respondetur: In lege, præsertim pœnali, spectari id, quod plerumque, non quod rarò vsu venit: plerumque autem non imminet graue periculum ex tam modica hæretici libri lectione. Quare Sanch. post Viualdum in explan. Bullæ Cœnæ, casu 1. n. 11. Rodriq. addit. ad Bullam cruciatę, §. 6. n. 68. Sa veteris edition. ver. excommunicatio Bullæ, num. 2. ausi sunt dicere: vnam paginam, tametsi liber sit ex maioribus voluminibus, non esse sufficientem materiam contrahendæ excommunicationis. Quæ nimis magna quidem Bullaris excommunicationis limitatio esse videtur: Nihilominus inseruire poterit hæc sententia Confessario, vt secundùm eam interdum presumere possit, legentem bono aliquo fine: vel etiam ex curio- 5

ſitate, vnam ſolam paginam non peccaſſe mortaliter, ideóque Bullæ excommunicationem haud incurriſſe, ſicuti Sairus loc. cit. notauit. Vt taceam caſum accidere poſſe, quo aliquis vir prudens ac doctus in Germania nihil peccabit, ſi locum aliquem contradictionis in hæretico auctore quærat, certò ſperans, eo exhibito, alterum ad Fidem Catholicam ſe perducturum eſſe: tunc enim lex naturalis charitatis erga proximum vincere debet legem Eccleſiaſticam. Quam cauſam eſſe arbitror, cur in aliquibus prouincijs lectio librorum hæreticorum non tanta ſeueritate prohibita cenſeatur, vt ſuprà ex Becano audiuimus: quia ad confines hæreticos conuincendos neceſſarium putatur, eorum libros legiſſe.

Denique rectè monent Vgol. cit. num. 1. Sanch. cit. c. 10. num. 30. Incurri excommunicationem, etſi quis procemium duntaxat, vel epiſtolam ad Lectorem, vel annexum Indicem, ſufficiente quantitate legat. Sunt enim hæ partes libri: & procemium quidem, atque epiſtola ad Lectorem, mentem Auctoris, eáque, quæ in toto libro tractanda ſunt, explanant, index verò ſummam rerum in libro contentarum complectitur.

Sed controuerſia eſt inter Doctores, an excommunicationem incurrat, qui librum hæretici non ipſemet legit: ſed alteri legendum tradit, mandat. Negant Sanch. num. 48. Vgolin. §. 1. num. 4. Quia cenſura lata contra facientes non comprehendit mandantes, niſi exprimantur: cùm lex pœnalis strictè interpretanda ſit. Sed placet magis ſententia Azorij c. 16. q. 4. Sairi n. 14. Graffis num. 45. quæ in duabus aſſertionibus conſiſtit: Prima eſt contra Sanchez: Qui famulo v. g. librum hæreticum legendum tradit, vt ex eius ore audiat, excommunicationem
6 Bullæ incurrit. Quia talis, moraliter rem æſtimando, librum legit, quamuis per alterius miniſterium: Quod enim quis per alium facit, perinde eſt, ac ſi ipſemet faciat. Neque dubito mentem SS. Pontificum eſſe, vt etiam talis comprehendatur: nam alioquin cuilibet in fraudem legis agere, & excommunicationem effugere perquam facile eſſet. Non eſt autem ad strictam verborum interpretationem confugiendum, cùm de mente legiſlatoris rationabiliter dubitari non poteſt. Quare in hoc caſu tum legens (modo intelligat, quæ legit) tum is cui legitur, non item alij auſcultantes excommunicationem contrahent, ſicuti Azor notauit. Ad fundamentum Sanch. reſpondetur, quòd talis, qui legentem ſibi audit, non incurrat excommunicationem tanquam mandans, ſed tanquam legens, moraliter rem æſtimando, vt dixi.

Secunda. Qui alteri librum hæreticorum tradit, vel eius lectionem ſuadet, mandat, non vt ipſi auſcultet, & quaſi per ipſum legat, excommunicationem non incurrit. Ratio eſt, quam Sanchez ſuprà attulit; Quia cenſura lata in facientes non cenſetur comprehendere ſuadentes, ac mandantes, niſi exprimantur. Verùm, ſi ex eiuſmodi ſuaſione, vel mandato malignus effectus hæreſis ſequeretur, tunc excommunicatio contraheretur, quatenus ea in hæreticorum fautores decreta eſt.

7 Vlteriùs, quod attinet ad retinentes librorum hæreticorum, quædam addenda ſunt: I. Nihil referre, & vtrum quis in ſua, an aliena domo: item num ſuo, an alieno nomine: denique vtrum cauſa legendi, necne, talem librum retineat, ſiue aſſeruet. Quia Pontifex ſimpliciter prohibet libros aſſeruari, volens eos penitus exterminari. Ita ex communi Graffis n. 48. Sanch. n. 52. Sairus n. 16. Vgol. ver. aut retinentes, vbi monet cauendum eſſe bibliopolis ac bibliopegis, ne retinendo libros hæreticos ad vendendum, vel compingendum excommunicationem contrahant. II. Requirit temporis ſpatium notabile, quo aliquis librum hæreticum retineat. Non. n. incurrit excommunicationem, qui breui tempore retinet, tametſi in eo occaſionem habuerit tradendi Inquiſitori, aut Theologo, adeóque non ſine aliqua negligentia, ſed non mortali, librum interim retinuerit. Ita Sanch. n. 55. III. Si quis etiā longiore tempore librum apud ſe retineat, donec opportunum tempus tradendi offeratur, excommunicationem non incurret, neque peccabit, ſi ſcandalum abſit. Ita Graffis n. 47. Sairus n. 16. Sanch. cit. n. 55.

Quod attinet ad *Imprimentes*, ſciendum eſt, hoc nomine omnes comprehendi, qui ad libri impreſſionem propinquè cooperantur: Videl. Qui librum imprimendum tradit, Typographus qui ſuſcipit, qui typos ordinat, denique qui imprimunt. Ita Sanch. n. 57. Sairus n. 17. Graffis. n. 50. Vgol. ver. imprimentes.

Denique quod attinet ad *quomodolibet defendentes*, eo nomine comprehenduntur ij, qui librum hæretici, quatenus hæretici opus eſt, commēdant, ſicuti explicat Tol. cit. c. 19. n. 9. Sair. n. 17. Sanch. n. 58. Vgol. verſ. quomodolibet defendentes. Atque hæc dicta ſufficiant de prima excommunicatione Bullæ Cœnæ.

Quibus ad extremum ſubijciam annotanda quædam ex Indice librorum prohibitorum auctoritate Pij IV. Sixti V. & Clementis VIII. edito. I. Duplicem eſſe librorū prohibitorū claſſem: In prima ponuntur auctores omnes hæretici, vel de hæreſi publicè ſuſpecti: quorū omnes libri de Religione tractantes, vel hæreſin continentes, tùm editi, tum impoſterum edendi prohibentur. Additur verò in regula 2. Hæreſiarcharum, id eſt, qui hæreticorum Capita, aut Duces ſunt, omnes omnino libros, cuiuſcunque nominis, tituli, vel argumenti ſint, penitus interdictos eſſe. De quo tamen parùm ſoliciti eſſe debemus: cùm vix aliquis liber extet ab Hæreſiarcha noſtri temporis ſcriptus, niſi de materia Religionis. Ad alteram verò claſſem pertinent libri, qui doctrinam non ſanam, ſuſpectam, vel moribus fidelium repugnantem continere iudicantur; tametſi à Catholicis Auctoribus prodierunt. 8

Inter has duas librorum claſſes, duo diſcrimina ſunt: Primum. Quòd primæ claſſis prohibitio ſit propter Auctores hæreticos, quorum proinde omnes libri ſcripti de materia Religionis prohibentur; tametſi eorum aliqui fortaſſe nullū manifeſtū errorē contineant. Quia damnato auctore in certo genere, puta Religionis, damnata cenſentur omnia eius ſcripta de Religione, arg. c. fraternitatis, de hæreticis, vbi hanc regulam Abb. tradit. Alterius autem claſſis prohibitio eſt propter errores, ſiue doctrinas falſas, quæ in quibuſdam libris etiam Catholicorum auctorum, deprehenſæ fuerunt: cuiuſmodi tamen libri non antè prohibiti cenſentur, quàm ſpeciatim in Indicem relati fuerunt. Alterum diſcrimen eſt. Quòd libri primæ claſſis prohibentur ſub excommunicatione Papæ reſeruata, per Bullam Cœnæ Domini: Libri autem ſecundæ claſſis ſub excommunicatione non reſeruata. Quamuis, quod attinet ad prohibitionem librorum ſecundæ claſſis, Index Romanus apud nos in Germania receptus non ſit: quia nemo eſt, qui in obſeruationem cum auctoritate deducat.

II. Libri cuiuſcunque Auctoris, res obſcœnas, ſeu laſciuas ex profeſſo tractantes, penitus prohibentur regula 7. indicis; ijs exceptis, qui ab Ethnicis, v. g. Poëtis, conſcripti ſunt, atque ob ſermonis elegantiam, ac proprietatem permittuntur: ſed pueris prælegendi non ſunt, niſi expurgati.

III. Libri omnes & ſcripta magica planè reijciuntur, reg. 8. Indicis. Verùm, ob lectionem librorum magicorum, ſicuti & obſcœnorum, vel ſimilium, excommunicationis cenſura non contrahitur; ſed ſolùm peccatum mortale, ſi materiæ grauitas adſit. Vide regulam 10. in fine.

IV. Regula quarta Indicis prohibetur, ne fideles ſacra biblia vulgari idiomate, ſine Epiſcopi aut inquiſitoris licentia, legant, aut habeant. Quæ tamen prohibitio his noſtris regionibus recepta non eſt. *Non puniuntur*, inquit Nicol. Serarius in prolegom. bibliac. c. 20. q. 3. *ſed laudantur, qui in Germania noſtra: nulla diſertè petita facultate, biblia*

biblia vulgata & vernacula Eccxij, vel Dietembergij legunt. Versio autem Germanica Lutheri, & aliorum hæreticorum prorsus interdicta est: imò etiam versiones hæreticorum Latinæ, præsertim noui testamenti, cuiusmodi sunt Sebastiani Munsteri, Oecolampadij, Tigurina Leonis Iudæ, Vatabli nomine inscripta, Castalionis Basileæ inscripta, Tremelli Geneuæ edita, &c.

Ad extremum annotare libet: Immeritò conqueri de nobis huius temporis hæreticos, quòd eorum libros populo prohibeamus, quin & igni tradamus. Cùm id in antiqua etiam Ecclesia vsitatissimũ fuerit, vti testatur Clemens lib. 1. Apost. Constitut. c. 7. Alexander Episc. Alexandrinus in epist. ad Alexandrum Episc. Constantinopolitanum, apud Theodor. lib. 1. hist. c. 4. & to. 1. Concil. Seuerini Binij fol. 281. Constantinus Imperator in Epistola ad Episcopos, & populum, apud Socratem lib. 1. historiæ, c. 6. Porphyrij *impia scripta deleta penitus, & extincta fuisse: atque similiter visum, si quid opus ab Ario conscriptum reperiatur, illud cremandum esse.* Et addit pœnam: *Vt si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus fuerit & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur.* Fuerat autem hoc de Arij libris igne absumendis decretum in Concil. Nicæno apud Niceph. lib. 8. histor. c. 18. Atque olim in more positum fuisse, vt si hæreticus ad Fidem Catholicam rediret, libros à se hæreticè scriptos comburendos traderet, colligitur ex Socrate lib. 1. cap. 24.

Theodosius quoque & Valentinianus Impp. in l. 3. Cod. de S. Trinit. *Iubemus, facta huiusmodi scripta* (quæ Nicænæ & Ephesinæ Synodis non conueniunt) *potissimũ, autem, quæ Notorij sunt, comburi, & perfectissimo interitui mancipari: ita vt in nullius cognitionem venire possint. his, qui talia scripta, aut tales libros habere, aut legere sustinuerint, vltimum supplicium experturis, de cætero nulli patente licentia.* Iidémque Impp. in epist. ad Leontium, l. vlt. de hæreticis, Cod. Theodos. *Nec impios libros nefandi sacrilegij Nestorij aduersus venerabilem orthodoxorum sectam, decretaque sanctißimæ cœtus Antistitum Ephesi habere scriptos, aut legere, aut describere quisquam audeat. Quos diligenti studio requiri, & publicè comburi decernimus.*

Verumtamen tempore necessitatis permissum fuit Episcopis, vt hæreticorum libros legerent, ad eorum errores refutandos: vti constat ex Concil. Carthag. IV. can. 16. & Hormisda Papa in epist. 56. ad Possessorem Episcopũ Eodémque modo intelligenda, quæ de Dionysio Alexandrino Episcopo, libros hæreticos legente, scribit Euseb. lib. 7. histor. c. 6.

Denique fuisse antiquissimam consuetudinem libros vanos, aut noxios publicè comburendi, testis est S. Lucas Act. 19. *Multi ex eis, qui fuerant aut curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Fuerunt enim hi libri magici, quos igni tradendos esse, legimus apud Vlpian. l. 4. §. tantundem, ff. famil. hercisc. & plura videre potes apud Baron. Anno 56. n. 40. & Anno 302. n. 20. vbi ex Arnobio refert: Christum & eius sectatores, ob miracula, quæ faciebant, à Gentilibus magos existimatos esse; ideóque iussum, vt libri eorum igne cremarentur; & qui eos detinerent, vltimo supplicio afficerentur. Hinc traditores sacrorum librorum dicti, qui cruciatuum metu, eos Magistratui tradebant. Quamuis multi etiam eos occultabant, vti in Romano Martyrol. 2. Ianuar. legitur: *Romæ commemoratio plurimorum SS. Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperat. edicto, quo tradi sacri codices iubebantur potius corpora Carnificibus, quàm sancta dare canibus maluerunt.*

Cap. XVI.

De Apostatis, eorumque, hæreticorum pœnis.

SVMMARIVM.

1 *Triplex est apostasia: à Fide, ab obedientia, ab ordine sacro vel religione.*
2 *Apostasia à Fide differt ab heresi, sicuti maius à minore, extensius à minus extenso.*
3 *Pœnæ Apostatis decretæ etiam ab hæreticis contrahuntur: sed non vice versa.*
4 *Pœnæ variæ hæreticos iure canonico decretæ reperiuntur.*

Triplex est Apostasia: secundùm S. Th. 2. 2. q. 12. a. 1. Gl. in c. 1. de Apostatis. Prima est à Fide, altera ab obedientia, tertia ab ordine sacrò, vel Religione. Apostasia à Religione est criminosa & mortifera recessio à religiosi Ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Ita Caiet. super cit. art. 1. Rodriq. to. 1. regul. qq. q. 30. a. 1. Dicitur *criminosa & mortifera*: nam apostata non est, qui cum licentia Prælati egreditur, vel Ordinis obseruantia liberatur; aut secundùm canones ad Episcopalem dignitatem transfertur, iuxta Clem. 1. de elect. *A religiosi Ordinis instituto*: quod intelligi debet vniuersim siue ab omni instituto: Enimuero qui ab Ordine, quem professus est, sine licentia Prælati, ad alium laxiorem religionis Ordinem transit, quamuis peccet, & excommunicationem incurrat extrauag. 1. de Regular. atque ad priorem Ordinem redire debeat: c. intelleximus, de ætat. & qualit. tamen apostata non est, sicuti notauit. Gl. in c. vlt. de apost. ibid. Abb. in fine Caiet. in cit. a. 1. §. In eodem. Syl. ver. Apostata, q. 4. Rodriq. cit. q. 30. Sanchez lib. 6. mor. c. 8. *Sine reuertendi proposito.* Si enim reuertendi animum retineat, vagaturus ad tempus, fugitiuus censedus est, atque etiam excommunicatus, si habitum penitus abiecit, c. 2. Ne Clerici, vel Monachi in 6. & videri potest Abb. in c. Deus qui, de vita & honestate Cleric, n. 4. non item propriè apostata, sicuti notauit Caiet. cit. a. 1. Lud. Miranda in man. Prælat. t. 1. q. 11. n. 1. concl. 1. Syl. cit. q. 4.

Porrò ad apostasiæ crimen hoc nihil refert, vtrum quis habitum religiosum abijciat necne, teste Caiet. & Miranda ll. cc. Valent. to. 3. disp. 1. q. 12. p. 1. quare, si quis Religiosus sine Prælati legitima facultate, & absque reuertendi proposito, in seculo vagetur, habitum religiosum retinens, verus apostata censetur; ita, vt qui eum recipit, occultat, aut defendit, excommunicationem latæ sententiæ incurrat, iuxta priuilegia Ordinum Regular. de quibus Miranda c. 2. & videri potest Sanchez lib. 6. moral. cap. 8. q. 3.

Apostasia à sacro ordine est: Cùm quis à perfectiore statu clericali, quem in manu Episcopi, edito etiam continentię voto, assumpserat, ad statum coniugij, vel laicæ conuersationis, dimisso suo habitu, propria temeritate se transfert, c. vlt. de vita & honestate Clericorum. Talis ipso iure infamis est, c. beatus, 3. q. 4. Et, si monitus se non correxerit, deponendus, c. præcipimus, 21. q. 4. & docet Syl. q. 8. Porrò qui minoribus tantùm ordinibus initiati sunt, liberam ad nuptias, vel statum laicorum transcundi facultatem habent: dummodo, si quæ obtinent Ecclesiastica beneficia, derelinquent, sicuti colligitur ex c. Ioannes, de cleric. coniugatis. Vide Caiet. ver. Apostasia.

Apostasia *ab obedientia*, si latè accipiatur, in omni peccato mortali reperitur, teste S. Th. cit. a. 1. Syl. n. 3. Strictiùs verò, cùm quis iustis pręceptis Prælatorum suorum se opponit, obedire penitus recusans: cuius præcipua species est schisma, de quo infrà tra. 3. c. 11.

Apostasia à Fide, (quæ omnium grauissima) dupliciter considerari potest: Primò, secundùm ordinem ad terminum à quo; quatenus est discessus à vera Fide: Et sic differt ad hęresi tanquam maius à minore, extensius à minùs extenso. Nam apostata dicitur, qui Christum & Fidem Christianam, quam suscepit, penitus abnegat, hæreticus verò non omnino, sed secundùm vnum aut aliquos 2

articulos. Quamobrem omnes pœnæ, quæ in iure hæreti-
3 cis decretæ reperiuntur, etiam ab apostatis contrahuntur non autem vice versa, sicuti docent Canonistæ in c. 1. de Apostat. Syl. ver. Apostasia, n. 2. Caiet. eod. ver. Azor t. 1. lib. 8. c. 21. q. 7. Valent. to. 3. disp. 1. q. 12. p. 1. Sanchez lib. 2. moral. c. 7. n. 8. qui rectè monet. n. præced. licet peccatum Apostasiæ videatur non specificè, sed tantùm accidentaliter differre ab hæresi; tamen hanc circumstantiam, siue qualitatem in sacra Confessione necessariò explicandam esse, cui consentiunt ea, quæ dixi lib. 1. tract. 2. c. 10. num. 3.

Secundò considerari potest apostasia secundùm ordinem ad terminum ad quem, qua ratione spectat vel ad Iudaismum, vel Paganismum, vel Atheismum: quæ specie differentes infidelitates sunt, ideóque haud dubiè à redeuntibus ad Ecclesiam in sacramentali Confessione explicandæ.

Pœnæ apostatis, & hæreticis canonico iure decretæ
4 sunt hæ. I. est excommunicatio maior, quæ habetur in c. ad abolendam, c. excommunicamus 1. de hæreticis, c. quicunque, eod. in 6. Eáque nunc Summo Pontifici reseruatur in Bulla Cœnæ Domini, vt suprà dictum fuit. Vide Sanchez lib. 2. moral. cap. 9.

II. Pœna est irregularitas, sicuti colligitur ex c. saluberrimum, c. conuenientibus, 1. q. 7. Qua de re vide quæ dixi lib. 1. tract. 5. de censuris p. 5. c. 4. n. 12.

III. Pęna est iuris infamia, sicuti colligitur ex c. 2. §. hæretici, & c. vt commissi, §. priuandi, de hæreticis in 6. Quæ pœna extenditur ad eorum filios vsque ad secundam generationem ex linea paterna: & vsque ad primam ex linea materna, c. statutum, 15. eod. in 6. Item ad hæreticorum fautores, cit. §. hæretici. Vide Azor t. 1. lib. 8. cap. 13. §. pœna septima. Sanchez lib. 2. c. 26. n. 1. qui putant, ad hanc pœnam requiri Iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis.

IV. Confiscatio omnium bonorum à die commissi criminis, c. cum secundùm, de hæreticis in 6. *Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata.* Qua de re Syl. ver. hæresis, 1. n. 14. Sanch. lib. 2. moral. cap. 14. & seqq. Iac. Simanca de Cathol. instit. tit. 9. n. 7. Vasq. 1. 2. disp. 169. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8. Valent. quæst. 11. p. 3. Becanus c. 15. q. 5.

V. Hæretici, eorúmque fautores, si per annum excommunicatione persistant, fiunt intestabiles: vt neque testandi liberam facultatem habeant, neque ad hæreditatis successionem admittātur, sicuti habetur in c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis. Cuiusmodi etiam pœna percussori Cardinalis S. Ecclesiæ Romanæ decreta est in c. felicis, de pœnis in 6. Requiritur tamen sententia criminis declaratoria: ante quam, si testamentum ab hæretico factum fuerat, valet: licet superueniente postea sententia infirmetur: ad eum modum, sicuti etiam donationes, & aliæ alienationes factæ ab hæreticis, & similibus criminosis, quorum bona ipso iure confiscationi subiacēt ante condamnationem de hæresi valent, licet postea rescindantur ac reuocentur. Ita Sanchez lib. 2. moral. c. 24. n. 3. Becanus cit. q. 5. & c. 16. q. 2. concl. 3. Mol. to. 1. tr. 2. de iust. disp. 95. licet contrarium sentiat Couar. Clem. si furiosus, p. 1. §. 1. n. 6. vbi tanquam probabilius defendit; Sodomitam, cùm infamis sit, & omnium bonorum domino priuatus, etiam ante condemnationem testari non posse.

VI. Est priuatio patriæ potestatis in liberos, etiam ante sententiam Iudici declaratoriam criminis, iuxta c. 2. §. vlt. de hęret. in 6. iun. Glos. ver. desierint. Qua ratione etiam serui, aliíque subditi personali obligatione soluuntur, sicuti docet Sanch. cit. cap. 24. & habetur expressè in c. vlt. de hæreticis: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis dominij, & totius obsequij, quicunque lapsis manifestè in hæresin aliquo pacto, quacunque firmitate vallata, tenebantur.* Sed hæ & aliæ eiusmodi pœnæ locū non habent in Lutheranis Confessionistis, qui licet ab Ecclesia Romana recesserint, tamen ob fœdus cum illis initum, summo Pontifice permittente, & tacitè consentiente, liberos suos in potestate retinent, aliisque iuribus & immunitatibus ciuilibus, non item Ecclesiasticis, vnà cum Catholicis pacificè gaudent.

VII. Priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum, ac dignitatum; item publicorum officiorum, c. vt commissi, §. priuandi, de hæret. in 6. Quæ pœna priuationis ipso iure incurritur secundùm communiorem sententiam, quam docet Nau. lib. 5. consil. 6. de hæreticis, edit. 2. Flaminius de resignat. benefic. lib. 3. q. 1. n. 32. Rodriq. t. 1. Sum. c. 130. n. 3. Azor to. 1. lib. 8. c. 13. q. 8. Sanchez lib. 2. c. 26. n. 6. Quamuis contrarium non improbabiliter doceat Iac. Simanca de Cathol. instit. tit. 46. n. 72. Castro lib. 2. de hæretic. punitione, c. 9. Vasq. 1. 2. disp. 172. c. 2. n. 11. arg. cit. c. vt commissi.

Ciuilis autem pœna in hæreticos & hæresin abiurare nolentes aut relapsos iustè decerni solita, est mortis supplicium, vti videre licet in Cod. Theodosiano, l. 56. de hæret. & testantur DD. apud Iulium Clarum lib. 5. sent. §. hæresis. n. 7. Quia hæresis est crimen perturbans Reipublicæ pacem & tranquillitatem, non minùs, quàm furtum & homicidium, sicuti fusè ostendit Becanus cap. 15. quæst. 6.

Cap. XVII.

De communicatione Christianorum cum infidelibus, puta Iudæis, ac Paganis.

SVMMARIVM.

1 *Communicatio familiaris cum infidelibus, præsertim Iudæis, canonico iure prohibita est.*
2 *Pagani & Iudæi ad Fidem Christi amplectendam cogi non possunt: alia verò ratio est de apostatis, & hæreticis.*
3 *Fas non est Gentiles exteros bello persequi propter idololatriam, vel similia peccata, quæ ipsis Christianis, vel aliis innocentibus iniuriosa non sunt.*
Qui autem Christiano Magistratui subditi sunt infideles, ij cogi possunt ad naturæ legem seruandam.
4 *Ritus Gentilium, sicut & hæreticorum exercitia in terris Catholicorum toleranda non sunt; nisi ita necesse videatur ad maius malum vitandum.*
5 *Iudæis in Christianorum terris habitatio, & rituum Iudaicorum exercitium permitti potest.*
6 *Permitti non debet, vt Pagani, vel Iudæi de nouo acquirant ius dominij vel iurisdictionis in fideles: quod autem antè acquisiuerunt dominiū, non amittunt, si eorū subditi Christiani fiant: Nisi quòd infideles subiecti Christiano Principi priuari possunt dominio in seruos suos: si hi ad Fidē Christianā trāseāt.*

QVæstio Prima. An, & quatenus Ecclesia prohibeat 1
Christianis politicam communicationem cum infidelibus, præsertim Iudæis? Respondeo ex doctrina S. Th. 2. 2. q. 10. a. 9. Communicationem cum infidelibus ex duplici causâ ab Ecclesia fidelibus prohiberi posse: Primò in pœnam spiritualem: qua ratione excommunicantur hæretici & apostatæ, cùm sint subditi Ecclesiæ, qui modus erga Paganos & Iudæos locum habere non potest. *Quid enim mihi est*, inquit Apostolus 1. ad Corinth. 5. *de iis qui foris*, id est, nullo modo ad Ecclesiam pertinentes *sunt, iudicare? Nam eos dominus iudicabit.* Monet tamen S. Th. in respon. ad. 2. Infideles, qui Christianorum Principum iurisdictioni subiecti sunt, posse interdum propter speciales eorum culpas, hac tanquam temporali pœna affici, vt ipsis communicatio cum fidelibus prohibeatur, sicuti constat ex c. postulasti, de Iudæis. & c. post miserabilem, de vsuris, vbi Papa vult, Iudæis à sæculari Magistratu omne commercium cum Christianis interdici, donec vsuras restituant.

Altera

Altera verò causa eiusmodi prohibitionis esse potest periculum peruersionis: qua ratione Ecclesia præcipuè interdicit fidelibus assiduam conuersationem, seu familiaritatem cum Iudæis; quippe qui difficiliùs conuertuntur ad peruertendum autem paratiores sunt, quàm gentiles, ait Syl. ver. Iudæus, q.3. quare prohibitum est in c. nullus, & c. omnes 28. q.1. Ne quis seu clericus, seu laicus cum Iudæis habitet: eorum aliquem ad curandam infirmitatem accersat, aut medicinam ab eo accipiat, aut eorum azyma comedat, vel eodem balneo, aut conuiuio cū eis vtatur. quod intellige, si formaliter vt socij conueniant; secus, si per accidens, & præter intentionem, sicuti notauit Sanch. lib. 2. moral. c.31. n.17.

Item in c. multorum, Iudæi, 2. c. adhæc, de Iudæis, Ne quisquam Christianorum Iudęo seruiat, aut famuletur: Operas tamen Iudæo locare fas est, si assidua conuersatio non accedat, vti sumitur ex citatis iuribus, & docet Syl. q.2. dicto 2. Angelus n.2. Azor t.1. lib.8, c.22. q.7.& 8. Sanch. lib. 2. moral. c. 31. n. 21. Quare permissum esse Iudæo habere Christianum colonum adscriptitium, vel originarium: non autem seruum, vti habetur cit. c. multorum, & notat Abb. aliique communiter.

Præterea in cit. c. etsi Iudæis, de Iudæis, seuerè nutricibus prohibetur, ne infantes Iudæorum in ipsorum domibus nutrire præsumant: Imò nec extra domum Iudęi talem nutritionem concessam esse, existimant Syl. ver. Iudæus q.2. dicto 3. Angelus n.4. Armilla n. 8. Sanchez n.19. Azor cit. c.22. q.9. Quod tamen plerique limitant; Nisi munus hoc ita obiri possit, vt interim familiaritas cum Iudæis euitetur: præsertim in aliqualis necessitatis casu. Vide Abb. in cit. c. adhæc.

Duo hoc loco annotanda sunt: Primum, Cùm finis harum prohibitionū sit, partim vt dignitas Religionis Christianæ conseruetur, partim vt peruersionis periculum caueatur: ideo si finis iste ab Ecclesia intentus grauiter læ datur, mortale peccatum committitur: Vt si cum Iudæo intra eandem domum Christianus habitet: aut Paschali tempore cum ipso azyma comedat: vel idolothyta cum Pagano: Item si Iudæus ad publicum officium, aut dignitatem inter Christianos assumatur, quod seuerè etiam prohibetur, l.17. C. de Iudæis. Veniale autem peccatum censeri debet, si finis non nisi leuiter lædatur; contemptus verò atque contumacia absit: vt si Christianus semel comedat cum Iudæo cibos non discretos. Ita docet Caiet. ver. Iudæorum conuersatio. Armilla ver. Iudæus, n. 3. Sanch. num.26.

Alterum est. Sicut in alijs Ecclesiasticis legibus excusat grauis necessitas corporalis, aut spiritualis, ita etiam in his: dummodo absit contemptus, siue vilipensio Religionis Christianæ. Quare culpa vacat, cum Iudæo cibum sumere, si alius grauiter esurienti non suppetat: Vel Iudæum medicum adhibere, alius medendo morbo idoneus haberi non possit. Similiter fas est Christianis in Fide confirmatis, qui in conuersionem Iudæorum incumbunt, cum ipsis familiariter agere: atque cibum capere, sicuti colligitur ex c. quàm sit, de Iudæis S. Th. q.10. a.9. ad 3. & docet Sanch. n.16.

Porrò de excommunicatione ijs decreta, qui arma aliáue subsidia in[illegible]elibus, vel hæreticis ad impugnandos fideles deferunt, videri potest c. ita quorundam, c. significauit, c. quod olim, de Iudæis excom. septima. Et dixi aliquid libro præced. tractatus 4. capite 22. in fine.

Qvæstio Secvnda. Vtrum Iudæi ac Pagani
2 corúmque peccata à Christianis toleranda sint? Respondeo & dico I. Fas non est Christianis ciuilem Magistratū gerentibus Pa[illegible]nos, ac Iudęos ad Christi Fidem amplectendam directè cogere, instituto v. g. contra eos bello; vel proposita pœna mortis, carceris, bonorum spoliationis, &c. Ita habetur in c. sicut, de Iudæis, & docet S. Th. quæst. 10. a.8. aliique communiter. Ratio est, quia potestas & iurisdictio secularium Principum ad finem tantùm temporalem se extendit: non autem ad ea, quę supernaturalis ordinis sunt: cuiusmodi est Christiana Fides & susceptio Baptismi. Quare etiam praxis Ecclesiæ ostendit, Dei voluntatem non esse, vt homines ad Fidē Christi audiendam, vel amplectendam directè compellantur: quandoquidem ad diuinum honorem & suauem Euangelij propagationem, Ecclesiæque ædificationem valde interest, vt Christi Fides liberè suscipiatur, eóque constantiùs retineatur.

Addidi autem in assertione voculam *directè*: Quia indirectè permissum est Principibus Christianis, infideles ad Fidem Christianam compellere: idque duobus modis, sicuti annotauit Becanus cap. 13. quæst. 4. num. 4. Primò: Negando illis ius habitationis in regione Christiani Principis, nisi Euangelij prædicationem audire velint: quandoquidem habitandi ius illis non debetur, sed absolutè negari posset. Secundò: Imponendo illis maiora, quam alijs subditis tributa (modò intra iustitiæ limites) donec Christiani fiant: idque sumitur ex c. iam verò, 23. q. 6. & docet S. Anton. p.2. tit.13. c.2. §.1.

Dico II. Neque Ecclesiasticis Prælatis concessum est, infideles illos, qui Fidem Christianam nunquam professi ideóque Ecclesiasticæ iurisdictioni subiecti non sunt, spiritualibus pœnis ad Fidem compellere, sicuti ex Apost. colligitur 1. ad Corinth. 5. Alia verò ratio est de hæreticis & Apostatis: hi enim, cùm Christi Fidem in Baptismo professi, & per hanc veluti ianuam in Ecclesiam ingressi, eiusdem iurisdictioni se subdiderint: ab eadem postea impiè recedentes, ad obsequium Fidei, & obedientiam Ecclesiæ meritò compelluntur, sicuti habetur in c. de Iudæis, d. 45. c. excommunicamus, de hæreticis. Adeò quidem, vt qui relapsi, vel incorrigibiles repetiuntur, seculari Magistratui traditi, pœna mortis afficiantur, iuxta c. ad abolendam, §. illos, & cit. c. ex communicamus §. 1. de hæreticis, & docet S. August. lib. 2. retract. c. 5. tract. 11. in Ioan. c. 3. lib. 1. contra Epist. Parmen. c. 7. Epist. 48. ad Bonifacium: etsi aliquando aliter senserat.

Dico III. Fas non est Christianis Principibus inuadere 5
aut bello persequi Paganos exteros, suæque iurisdictioni non subiectos, propter infidelitatem, idololatriam, & similia illorum peccata, Christianis aut alijs innocentibus non iniuriosa. Ita excommuniore docet Victoria relect. d. Indis Insulanis, p.1. num. 39. 40. Couar. reg. peccatum part.2. §. 10 num.4. Valent. t.3. disp.1. quæst. 10. pun.7. Becanus cap.13. quæst.6. Molin. to.1. tr.2. disp.106. contra Castrum de iusta heretic. punit. lib.1. cap.14. S. Anton. 3. p. tit. 22. c.5. §. 8. Ratio est: Quia ad omnem punitionem aut vindictam iustam requiritur vel iurisdictio, vel illata iniuria. Ergo vbi vtraque deest, iusta punitio seu offensio inferri non potest.

Cæterùm, propter peccata, quę iniuriam continent, licitum est quandoque infideles bello prosequi. Primò, Si impijs suis ritibus innocentes iniquo damno afficiant, v. g. rapiendo infantes: atque moniti à Christianis desistere nolint. Qua de re Molin. cit. disp. 106. Secundò, si Christianam Fidem contumeliis, atque blasphemijs proscindant, aut Christianos peruetere conentur: idque colligitur ex c. in nonnullis, de Iudæis & Saracenis. Tertiò, Si Christianis Euangelij Prædicatoribus, cùm ex Dei voluntate atque imperio mittuntur, (vt in omnem terrā exeat sonus Euangelicæ doctrinæ, secundùm Christi promissionem Matth. 24. v. 14. & cap. 28. v. 19.) aditum in regiones suas patefacere, vel suis subditis Fidem ex Prædicatoribus audiendi, & amplectendi liberam potestatem concedere recusēt; iustæ hæ erunt causæ bellos illos persequendi, sicuti docet S. Tho. q. 10. a. 8. Victoria relect. de Indis part. 2. num. 15. Becanus cap. 13. q. 4. conclus. 3. vbi rectè ait: *Ecclesiam posse concedere alicui Principi Christiano curam & potestatem introducendi, & conseruandi idoneos Prædicatores in prouincijs infidelium, & vlciscendi iniurias hu-*

iusmodi Prædicatoribus ab infidelibus illatas: imò etiam titulo belli occupandi infidelium prouincias, in quibus non permittitur libera Euangelij prædicatio.

Locutus sum autem in assertione de infidelibus exteris & iurisdictioni non subiectis. Qui enim subditi sunt Magistratui Christiano, ij compelli possunt, vt naturæ legem obseruent, ideóque abstineant à falsorum Deorum cultu: & omni impietate sacrilega, sicuti constat ex l. nemo. C. de Paganis, Clemen. 1. de Iudæis & Saracenis; S. August. Epist. 48. ad Vincentium, atque docet S. Thom. quæst. 10. a. 11. Molina cit. disp. 106. conclus. 2. Valent. to. 3. dis. 1. q. 10. puncto 6. ad 4. Item fas est Christiano Principi Paganos, atque Iudæos, propter similia peccata contra legem naturæ, & ne Christiani damna ab illis patiantur, terris suis omnino expellere.

4 Quæstio Tertia. Vtrum ritus infidelium in regionibus fidelium tolerandi sint? Respondeo & dico I. Ritus Gentilium (sicut & hæreticorum exercitia) in terris Christianorum toleranda non sunt: nisi, prudenter consideratis omnibus, id omnino necessarium iudicetur vel ad maius malum, puta dissidij aut perturbationis Reipub. impediendum; vel ad maius bonum, puta ipsorum infidelium certum conuersionem, promouendum. Ita expressè S. Th. cit. a. 11. quod ibid. explicat Caiet. & Valent. cit. quæst. 10. pun. 7. in principio, Becanus 2. 2. cap. 16. quæst. 4. Ioannes Molanus de fide hæreticis seruanda, lib. 1. Iac. Simanca de Cathol. instit. tit. 11. quid id de hæreticis inter Catholicos non tolerandis probant veterum Patrum, & Christianorum Imperatorum testimonijs: & confirmari potest ex Apostolo ad Tit. 3. *Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem, deuita.* Et 2. ad Timoth. 2. *Sermo eorum vt cancer serpit:* quandoquidem sub specie pietatis ad alios subuertendos mirè idonei sunt. Quamobrem libertas religionis hæreticis permissa, multóque magis promissa, adeò perniciosa est saluti animarum, atque cuiuis Reipublicæ, quippe quæ sine consensione fidei ac religionis diu in pace consistere ac conseruari non poterit, vt talis fidei libertas inter mala maxima Reipublicæ numerari debeat: ideóque Catholicis Principibus, rectè omnia considerantibus, & in Deum confitentibus, non facile malum aliquod grauius videri possit, cuius vitandi causa hæreticis subditis suis libertatem excercitij religionis promittere, aut iuramenta confirmare liceat: præsertim, cùm eiusmodi pactio cum hæreticis semel inita, postea omnino seruanda sit, sicuti infrà dicam tract. 3. c. 12. n. 15. ver. Ex dictis.

5 Dico II. Christiani Principes Iudæis permittere possunt, vt in ipsorum terris habitent, veteres suas synagogas restaurent: non autem nouas ædificent, iuxta c. consuluit, de Iudæis. Item, vt Iudaicos ritus Testamentum exponitur: non autem quibus Christiana Fides oppugnatur. Ita S. Thom. cit. a. 11. iuncto Caiet. & habetur in c. qui syncera, d. 45. & apud S. August. lib. 18. de ciuit. cap. 46. Tali enim immunitate Iudæos gaudere conuenit: quia ritus Iudaici Euangelicam veritatem figura adumbrant, eidémque testimonium præbent. Quæ causa est, cur Deus gentem Iudaicam non penitus deleri voluerit; sed tanquam veritatis, ac iustitiæ exemplum toto orbe dispergi. Quamobrem à S. August. in Psal. 58. in fine concio. 1. Iudæi vocantur *Christianorum librarij*, & lib. 12. contra Faustum c. 23. ait: *Quid est aliud hodie gens ista, nisi quædam scriniaria? baiulans legem & prophetas, ad testimonium assertionis Ecclesiæ, vt nos honoremus per sacramentum, quod nuntiat illa per literam.* Et Psal. 40. ad finem: *Capsarij nostri studentibus nobis codices portant.*

Corollarium. Iudæorum causæ seu controuersiæ ciuiles decidi debent apud Iudicem Christianum, secundùm legem ipsorum Mosaicam, v. g. vt filius excludat filiam ab hæreditate patris, vti colligitur ex c. 27. Numer. iun. Gl. ordinaria. Sin verò casus lege Mosaica determinatus non est: vel si Iudæus cum Christiano litigat, tum controuersia dirimi debet secundùm ius Cæsareũ, seu commune regni, l. Iudæi. C. de Iudæis.

Quæstio Quarta. Vtrum infidelibus Iudæis, ac Paganis competere possit ius dominij aut prælationis super fi- 6
deles? Respondeo & dico I. Permitti non debet, vt infideles de nouo acquirant aliquod dominium aut iurisdictionem in fideles. Ita S. Th. q. 10. a. 10. & habetur in c. ùm sit, c. ex speciali, de Iudæis, c. constituit, 17. q. 4. & l. vlt. C. de Iudæis. Quia id cederet in scandalum, & periculum Fidei: quamobrem etiam Apostolus 1. Corinth. 6. vetuit, ne fideles coram Iudice infideli in iudicio contenderent.

Dico II. Infideles dominio iurisdictionis in subditos non ideo priuantur, quòd subditi fidem Christi amplexi sunt. Sumitur ex S. Petro Ep. 1. c. 2. S. Paulo 2. ad Titum, c. 3. vbi iubent Christianos obedire dominis ac Magistratibus, qui eo tempore infideles erant. Idémque docet S. Thomam & probat: quia dominium, & prælatio introducta sunt iure humano & gentium: distinctio autem fidelium & infidelium prouenit ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione: Ideo distinctio fidelium & infidelium non tollit dominium, & prælationẽ infidelium super fideles. Ita etiam Duran. in 2. d. 44. q. 3. & alij.

Dico III. Ecclesia, & Principes Christiani possunt infideles sibi subditos priuare dominio in seruos suos, si hi Christiani fiant. Ita S. Th. l. c. & probatur ex praxi Ecclesiæ, quæ dudum statuit in c. fraternitatem, d. 54. & c. 1. & 2. de Iudæis, vt serui Iudæorum tum vernaculi, tum empti ad seruitutẽ, liberi fiant eo ipso, quòd Fidem Christi suscipiunt: Sin autem empti sint ad mercationem, teneatur dominus eos intra tres menses venum exponere, vt à Christianis emi possint. Ratio est: Quia princeps Reipub. potest subditos suos priuare dominio non tantùm rerum, sed & personarum, si id ad bonum publicum necessarium esse videatur. Adde, si serui infidelium, etiam non subiectorum Christianis Principibus, periculum peruersionis patiantur, posse à dominio suorum dominorum Ecclesiastica potestate absolui: Tunc enim directè tantùm exercetur iurisdictio in ipsos fideles: indirectè autem & per accidens in ipsos infideles, quatenus id necessarium est ad tuendum finem Ecclesiasticæ potestatis à Deo concessæ.

TRACTA-

TRACTATVS SECVNDVS. DE VIRTVTE SPEI, ET OPPOSITIS VITIIS.

CAP. I.

QVID SIT SPES VIRTVS Theologica.

SVMMARIVM.

1 *Spes Theologica, sicuti & Fides, in viatore tantùm locum habet, non in comprehensore.*

2 *Spes Theologica, quatenus consideratur in ordine ad omnes eius actus, pro materiali obiecto habet omne bonum, quod supernaturali lumine nobis diuinitus prouenire cognoscimus. Pro formali verò obiecto habet summam Dei erga nos bonitatem ac benignitatem.*

3 *Inter Fidem, & Spem Theologicam magna analogia seu proportio est.*

4 *Quatenus Spes Theologica strictè accipitur, in ordine ad actum sperandi propriè dictum, formale illius obiectum sub quo, est summa Dei promittentis fidelitas.*

5 *Rectè docuit S. Thom. obiectum formale spei strictè sumpta, esse auxilium diuinum nobis promissum ad beatitudinem consequendam.*

6 *Spes definitur: Expectatio certa beatitudinis, ex Dei gratia, & nostris meritis.*

7 *Gratia Dei principalior causa sperandi est, quàm nostra merita: cùm ea ipsa sint ex Dei gratia.*

8 *Certitudo Spei, siue infallibilis expectatio beatitudinis non est absoluta: sed conditionalis, si iustè certauero, & vsque ad finem perseuerauero, quod cum Dei mihi promisso auxilio præstare possum.*

9 *Datur tamen in hominibus pijs moralis certitudo Spei, anxietatem excludens.*

1 NOTANDVM est primò: Cùm duæ hominis potentię sint, quæ supernaturalibus donis ac virtutibus ornari ac perfici debent, vt Deo homo gratus & acceptus fiat: inter Theologicas virtutes vnica *Fides* intellectum ornat ac perficit: duæ reliquæ *Spes*, & *Charitas* voluntatem. Ratio est, quia viator absoluta cognitione non potest complecti Deum sicuti est: sed solùm cognoscere cum analogia ad creaturas, testante Apostolo 1. ad Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* Amore autem voluntatis in Deum tendere possumus non tantùm cum ordine ad nos quatenus nobis bona promittit, ac largitur: (qui est amor concupiscentiæ suapte natura imperfectus) sed insuper etiam Deum absolutè amare possumus: quatenus in se bonus atque perfectus est, qui est amor amicitiæ. Quod S. Apostolus cit. loco expressit: *Charitas nunquam excidit*: quia eadem manet in via, & in patria: propterea quòd amor Charitatis cùm imperfectam in hac vita, tum perfectam in altera vita cognitionem sequi possit. Quemadmodum etiam inter homines non tantùm eos amore amicitiæ prosequi possumus, quorum virtutes perspeximus: sed etiam de quibus audiuimus, etsi nunquam eos viderimus, siue secundùm faciem agnouerimus: *Cùm autem venerit*, subiungit Apostolus; *quod perfectum est*, videlicet clara & absoluta Dei visio, *euacuabitur, quod ex parte est*, id est, imperfecta & obscura Fidei cognitio desinet. Et paulò post: *Nunc cognosco ex parte*, puta per Fidem imperfectam: *tunc autem* in vita beata *cognoscam sicuti & cognitus sum* à Deo clarè: Quia. vt S. Ioan. Epist. 1. cap. 3. ait, *cum apparuerit, similes ei erimus.* Quare concludit S. Paulus: *Nunc manent tria hæc, Fides, Spes, Charitas: maior autem horum est Charitas*: quia, vt dixi, perfecta est, vt etiam in vita æterna permanere possit: non item Fides: sed nec Spes, saltem secundùm primarium actum suum, quæ est expectatio beatitudinis, vt infrà dicam.

Notandum secundò: Quòd habitus Spei Theologicæ 2
duobus modis considerari potest: Primò adæquatè in ordine ad omnes actus ab ipso procedentes: sic pro materiali obiecto habet omne bonum, quod supernaturali lumine nobis diuinitus prouenire cognoscimus: cuiusmodi imprimis est ipse Deus, tanquam supernaturalis finis & beatitudo nostra: tum verò media supernaturalia ad hũc finem conducentia: ac denique bona naturalia seu temporalia. Horum enim auctorem Deum esse supernaturali Fide credimus: ergo etiam ab eo per supernaturalem spei actum desideramus, expectamus, & tanquam à Deo prouenientibus delectamur. Etenim actus Spei virtutis Theologicæ, iuxta hanc considerationem, plures sunt videlicet amor boni nobis à Deo prouenientis, eiusdem desiderium, & expectatio, si nondum acceptum est: gaudium siue delectatio de eo, si acceptum, & possessum, vti ostendit Suarez de virtut. Theolog. tractat. 2. disput. 1. s. 1.

Secundò considerari potest habitus spei in ordine ad vnum tantùm eius primarium actum, qui est expectatio certa beatitudinis æternæ, per media diuinitus ordinata, quomodo communiter à Scholasticis accipi & definiri solet in 3. d. 26. Eodemque sensu ait S. Th. 2. 2. q. 18. art. 2. Quòd Spes, sicuti & Fides, euacuatur in patria, & in beatis esse non potest: cùm interim valde probabiliter dicatur, habitum Spei secundùm substantiam manere in altera vita, & quosdam actus exercere posse: videlicet amorem, ac delectationem de beatitudine, quatenus bonum ipsorum est: item desiderium & expectationem corporis gloriosi, vti docet idem Suar. ci. dis. 1. s. 8.

Notandum tertiò: Inter Fidem & Spem Theologicam magna analogia seu proportio est: I. Quia ambæ, si 3
secundùm se præcisè spectentur, carent perfectione simpliciter dicta: cùm non exerceant actus potentiæ optimos: quandoquidem feruntur in Deum non secundùm se, sed cum ordine ad creaturam, sicuti docet S. Th. 2. 2. q. 23. a. 6. *Semper id quod est per se, maius est eo, quod est per aliud. Fides autem, & Spes attingunt Deum, secundùm quod ex ipso prouenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: Sed Charitas attingit ipsum Deum, vt in ipso sistat, non vt ex eo aliquid nobis proueniat: & ideo Charitas est excellentior Fide, & Spe.* Quæ ipsa causa est, quòd actibus Fidei, ac Spei æternam gloriam apud Deum non mereamur sine charitatis imperio, vt infrà dicam tract. seq. c. 1. n. 2.

II. Sicuti Fides in viatore tantùm locum habet, ita ferme etiam Spes, saltem secundùm primarium actum suũ, à quo & nomẽ accepit: quare vtraq; tum Fides, tũ Spes, circa obiectum nõ apparẽs versatur, sicuti docet Magister

in cit.d.26. & sumitur ex Apost.ad Roman. 8. *Spes quæ videtur* (sumit nomen spei pro re sperata) *non est spes:nã quod videt quis*, tanquam pręsens sibi, *quid sperat? si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.* Quibus verbis apparet, Spem ab Apostolo considerari, prout est boni absentis, & nondum possessi, videl. æternæ beatitudinis expectatio.

III. Quemadmodum Fides Theologica duplex obiectum habet: materiale, & formale. Materiale obiectum continet omnia reuelata à Deo, quorum primum ac præcipuum est Deus ipse, auctor omnis gratiæ, ac gloriæ, conuenienter illi Ioann. cap. 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus.* Alterum locum tenent, quæ nobis reuelata sunt diuinitus, tanquam media per se ordinata ad finem beatitudinis consequendum, videlicet qui in symbolo Fidei articuli continentur: vltimum verò locum tenẽt, quæ per accidens, seu ad aliorum declarationem reuelata sũt: vt *quòd Abraham duos filios habuit, quòd ad tactum ossium Elisæi suscitatus est mortuus*, ait S. Th. 2.2. quæst. 1. a. 6. Formale autem Fidei obiectum est summa Dei in dicendo seu reuelando veracitas. Ita secundùm proportionẽ Spes Theologica duplex obiectum habet; materiale, & formale. Materiale continet bona omnia, quę nobis à Deo proueniunt, quorum primum ac præcipuum est Deus ipse, secũdùm illud Gen. 15. *Ego merces tua magna nimis.* Et S. Ioan. cap. 17. *Hæc est vita æterna*, seu felicitas, *vt cognoscant te solum verum Deum.* Ad hoc porrò præcipuum obiectum Spei reliqua referuntur, seu tanquam media per se ordinata, videl. gratia Dei per Christum: item propria merita, aliorum hominum ac beatorum preces, quatenus tamen & hæc in Dei gratia ac misericordia, Christique meritis fundantur: seu tanquam media per accidens, iuxta Dei prouidentiam ac dispositionem, subseruientia cuiusmodi sunt temporalia bona, quæ à Deo ad animæ nostrę salutem desideramus, ac petimus: & accepturos nos speramus, atque acceptis delectamur. Formale autẽ obiectum Spei secundùm generalitatem suam, seu in ordine ad omnes actus spectatæ, est summa Dei erga nos bonitas, seu benignitas.

4 IV. Si Spem consideramus, vti communiter à Scholasticis strictè accipitur, quatenus est expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, &c. maior adhuc analogia inter eam, & Theologicam Fidem cernitur. Nam sicuti Fidei obiectum materiale adæquatum sunt omnia à Deo reuelata cum ordine ad ipsum Deum, qui est præcipuum reuelatum: ita Spei obiectum materiale adæquatum sũt omnia à Deo nobis promissa, cum ordine ad ipsum Deũ, tanquam præcipuum promissum. Deinde sicuti Fidei obiectum formale, siue ratio ac motiuum credendi est summa Dei in reuelando veracitas, qui nec falli potest, cùm sit sapientissimus; nec fallere potest, cùm sit verissimus: ob quam causam Fides Theologica infallibilem credendorum certitudinem obtinet, quippe innixa primæ & certissimæ regulæ veritatis. Simili modo Spei obiectum formale, siue ratio & motiuum sperandi, est summa Dei promittentis fidelitas: qui, quod promisit, certò nobis præstaturus est: cùm & possit præstare, quia omnipotens & velit præstare, quia benignissimus, ac fidelissimus: eiúsque rei causa Spes Theologica constantem, & infallibilem certitudinem obtinet, quippe innixa diuinæ promissioni, tanquam certæ & infallibili regulæ, vti docet Trident. sess. 6. c. 13. *In Dei auxilio firmissimam spem collocare omnes debent.* Et Apost. ad Hebr. 6. *Volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iuramentum: vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Et ad Titum cap. 1. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, quam non mentitur Deus.*

Notandum quartò: Ex dictis facile esse conciliare doctrinas S. Tho. de obiecto formali Spei Theologicæ. Quatenus enim ea cõsideratur in ordine ad omnes actus suos, apertè indicat 2.2. qu. 23. art. 6. in corp. quòd *Spes attingit Deum, quatenus ex ipso nobis prouenit adeptio boni*, sensit itaque Deum, quà bonum nobis, seu benignum, esse obiectum formale Spei. Et q. 17. a. 8. *Perfectus amor est, quo aliquis secundum se amatur: puta cum aliquis secundum se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum. Imperfectus amor est, quo quis amat alicui non secundum seipsum, sed vt bonum illud sibi proueniat, sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, qua inhæret Deo secundum seipsum: sed Spes pertinet ad secundum amorem: quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit:* vbi vides S. Doctorem formale obiectum Spei statuere bonum diuinum amabile amore concupiscentiæ.

At verò si Spes consideretur secundùm primarium 5
actum in viatore, quæ est expectatio certa beatitudinis æternę, sic idem S. Th. ait, formale obiectum Spei esse auxilium diuinum nobis promissum ad beatitudinem consequendam: seu quod eodem recidit, obiectum formale esse fidelitatem Dei omnipotentis in promisso nobis auxilio. Ita enim apertè sentit in qq. disputatis, q. de Spe, a. 1. in corp. *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo obiecta: scil. vitam æternam, quam quis sperat: & auxilium diuinum*, vel potiùs Deum auxiliantem, *à quo quis sperat.* Et paulò post: *Sicut formale obiectum Fidei est veritas prima, per quã, sicuti per quoddam medium assentit his, quæ creduntur, & sunt materiale obiectum Fidei: ita etiam formale obiectũ Spei est auxilium diuinæ potestatis, propter quod tendit motus Spei in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum Spei.* Similia habet in summa 2.2. q. 17. a. 1. 2. 5. 6. Nam in 6. art. ad 3. ait: *Spes facit tendere in Deum, sicuti in quoddam bonum finale adipiscendum, & sicut in quoddam adiutorium efficax ad subueniendum*, quam ponit vt vltimam formalem rationem Spei. Et art. 5. ad 4. Quòd *Spes respicit arduum, alterius auxilio assequendum.* Et a. 1. ad 3. & in corp. a. 2. indicat, quòd Spes virtutis perfectionem aliquam & constantiam habet, quia attingit Deum, tanquam propriam regulam: cuius promisso auxilio nititur ad vitam ętemam obtinẽdam: sicuti etiam Fides virtutis perfectionem aliquam & certitudinem obtinet, quia innititur primæ veritati, tanquam propriæ regulæ instructionis nostræ ad vitam æternam.

Quo loco alia analogia seu proportio inter Fidem, & Spem obseruari potest: Quòd sicuti Deum, & æternam beatitudinem nobis reuelatam credimus propter reuelationem, ipsam autem reuelationem Fide diuina credimus quatenus à prima veritate procedit; ita simili modo Deũ & æternam beatitudinem expectamus ac speramus ob auxilium tanquam formale expectandi seu sperandi motiuum, vti locis citatis expressè S. Thom. tradidit, & sequitur Durand in 4. d. 26. art. 2. quæst. 2. ad 2. Vasq. 1. p. q. 84. c. 1. disp. 235. Turrianus 2.2. disp. 60. dub. 2. Ipsum verò diuinum auxilium expectamus & speramus, quatenus à Deo fidelissimo promissore nobis proueniet.

Sed cõtra hanc sententiã non pauci Doctores sentiunt, auxilium diuinum seu Deum vt auxilium, non posse esse formale obiectũ Spei Theologicę, vti videre licet apud Suar. de virtutibus Theol. tr. 2. dis. 1. s. 3. sent. 2. Coninck de actibus supernatur. dis. 19. du. 4. Nam auxilium diuinũ, cùm sit medium à Deo ordinatum ad beatitudinem æternam à nobis consequendam: non potest esse ratio formalis amandi, appetendi, consequenter nec sperandi beatitudinem: quandoquidem finis prior est intentione, quã media; imò ratio formalis, propter quam media appetuntur.

Respondeo. Bonum absolutè amare, illud desiderare, & expectare seu sperare, esse actus diuersos, propter formalẽ rationẽ diuersam tendendi in obiectũ. Nam bonum amamus amore concupiscentiæ, quatenus nobis absolutè conueniens: desideramus verò, quatenus hoc idem nobis conueniens bonum, absens est, vbi vides, absentiam non posse

posse esse rationem formalem amoris absoluti, quamuis sit ratio formalis desiderij, quod fertur in bonum, quatenus absens est. Expectamus autem seu speramus bonũ, quod arduum est, assecuturos nos, propter mediorum efficacitatem; quamuis enim media non sint ratio amandi, & appetendi absolutè, imò nec intendendi finem: sũt tamen formalis ratio, propter quam finem seu bonum arduum nos assecuturos speramus. Sic etiam in humanis amamus rem absolutè, quia nobis conueniens est: desideramus eam, quia absens est: intendimus, quia possibilis est acquisitu per media: expectamus autem & speramus eã, quatenus arduum bonum est, attamen superabile & re ipsa acquirendum, propter mediorum efficacitatem, siue operandi facultatem propriam, vel alienam. Etenim rationes istæ formales actuum voluntatis proueniunt ab antecedente iudicio intellectus; Is autem iudicat aliquid absolutè amandum esse, quia bonum seu conueniens est: iudicat desiderandum esse, quia nondum habitum, seu absens est: iudicat per media intendendum esse, quia per ea acquisitu possibile est: denique iudicat expectandum seu sperandum esse, quia arduum quidem ac difficile, sed ob mediorum efficacitatẽ, seu ob vires proprias, vel alienas, acquirendum est. Quamuis igitur voluntas rem bonam propter media non intendat, nec simpliciter appetat vel desideret: tamen propter eorum aptitudinem, seu virium facultatem, rem desideratam sperat: Quemadmodum, vt suprà dixi, propter absentiam voluntas rem bonam non amat absolutè: tamen propter absentiam rem amatam desiderat.

Aduerte tamen, quòd nomen amoris, vel appetitionis, interdum latè accipitur, vt sit veluti genus comprehendens sub se amorem absolutum, desiderium, spem, &c. Hac verò acceptione negandum est, quòd auxilium diuinum non possit esse ratio amandi, appetendi: si sensus sit, eiusmodi rationem repugnare amori, seu appetitioni quandoquidem ratio speciei non debet repugnare generi.

Quæres. Vtrum actus Spei Theologicæ, quos dixi esse amorem concupiscentiæ boni diuini, eiusdem desiderium expectationem seu spem, & delectationem, essentialiter differant? Respondeo, sicuti suprà de actibus Fidei tr. 1. cap. 4. respons. ad 2. Fortasse absurdum non esse, fateri, quòd ab eodem habitu infuso diuersæ spiciei actus prodeant. Verùm faciliùs, & probabiliùs dicitur; diuersitatem esse tantùm accidentalem. Tametsi enim actus spei seu expectationis, quà talis est, essentialiter differat à simplici v.g. desiderio, sicuti ex eorundem definitionibus apparet: tamen secundùm substantiam actus videntur conuenire, propter eandem communem formalem rationem sub qua, quæ est fidelitas Dei, promittentis nobis beatitudinem æternam.

6 Superest, vt explicemus definitionem Spei Theologicæ, iuxta strictiorem eius acceptionem, traditam à Scholasticis cum Magistro in 3.d.26. *Expectatio certa beatitudinis, ex Dei gratia, & nostris meritis.* Cùm dicitur *expectatio*, nota, hos voluntatis actus subordinatos esse, qui sunt amor, desiderium, intentio, expectatio. Nã amor latiùs patet, quàm desiderium: amamus enim cùm absentia, tum præsentia: desideramus tantùm absentia, desiderium latiùs patet intentione & expectatione: quia desiderium boni absentis aliud est simplex, quo desideramus etiam ea, quæ valde difficilia, aut impossibilia acquisitu iudicamus, ideóque desperamus, nec consequi intendimus: quo modo reus supplicio afficiendus vitam longiorem desiderat, quam tamen desperat, & interdum obtinere non intendit. Aliud verò est desiderium efficax boni absentis: seu nondum possessi, quod, quatenus per media acquisitu possibile iudicatur, dicitur intentio: quatenus verò arduum, tamen re ipsa acquirendum iudicatur propter mediorum efficacitatem, seu propter facultatem propriam, aut alterius adiutoris, dicitur expectatio. Ex quo apparet, quòd actus expectationis, seu spei modum quendam firmitatis superaddat actui intentionis, propter perspectam obtinendi facultatem.

Beatitudinis, in Dei clara visione consistentis: quandoquidem hoc est primarium materiale obiectum Spei, ad quod reliqua sperata referuntur, vt suprà explicaui, & docet S.Th.2.2.q.17.a.2.ad 2. Nota hîc, perinde esse, siue dicas, Deum esse obiectum Spei, vt à nobis comprehendendum: siue dicas, obiectum Spei esse comprehensionem fruitionémque Dei. Nam Deus est obiectum *quod*, comprehensio obiectum *quo*: quandoquidem amor concupiscentiæ, in quo Spes veluti in subiecto fundatur, non fertur in obiectum, nisi cum ordine ad comprehensionem, adeptionémve: v.g. miles desiderat, & sperat pecunias ad apprehendendum seu prædandum

Certa, seu infallibilis: quia fundatur in infallibili Dei promissione, quam per diuinam, itidem infallibilem, Fidem accepimus. Ad quem modum Apostolus ad Rom. 4. de Patriarcha Abraham dixit: *In repromißione Dei non hæsitauit diffidentia*: eiúsque rationem mox adiunxit: *sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenißimè sciens, quia quæcunque promisit, potens est & facere.*

Nota autem hoc loco; quòd certitudo & infallibilitas, si propriè loquendum, ad intellectum pertinet: ideóque Fidei propria affectio est: voluntati autem, & actui eius, quæ est expectatio, conuenit secundùm quandam participationem, vti loquitur Dur.cit.q.26.q.5.a.1. Richar.a. 4.qu. 2.in corp. Et aliud non est, quàm firmitas & constantia voluntatis adhærentis, & prosequentis bonũ, iuxta illud Psalmi 72. *Mihi autem adhærere Deo bonum est ponere in Domino spem meam.* Et Apost. ad Hebr. 6. vocat spem *anchoram animæ firmam*, propter voluntatis adhæsionem seu determinationem; & *tutam*, quia, vt dicitur ad Rom.5. *Spes non confundit.* Porrò eiusmodi certitudinẽ, seu potiùs firmitatem in humani auxilii promissione, quippe suapte natura incerta & fallibili, collocare non possumus. Id enim esset confidere in mendacio, ac vanitate: atque maledictioni Dei se subiicere: quia *maledictus homo, qui confidit in homine*, Hier.c.17. Et Dauid Psal.145. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus*: id est, à quibus certa salus non prouenit: cũ ob inopiam suam non possint nos adiuuare: & ob inconstantiam, aut malitiam, interdum nolint adiuuare. Similiter neque in propriis viribus, neque in vlla alia re creata tanquam ex se sufficiente ad beatitudinem nobis conferendam, spes collocari sine graui præsumptionis scelere potest: sed in solo Dei omnipotentis ac fidelis promisso auxilio.

Denique additur, *Ex Dei gratia, & propriis meritis.* Circa quæ verba aliquæ doctrinæ explicãdæ sunt: Prima. Spes omnis circa bonum arduum versatur, vti docet S.Th. 1. 2.q.40.a.1.& 2.2.q.17.a.1.& 5. Richard.ci.d.26.a.4.q.1. Duran. q.1.n.5. Id est, circa tale bonum, quod difficultatẽ obtinendi habet, & tamen obtinendum iudicatur, propter promptitudinem seu facultatem propriam, vel alienam, vti expresse docet S.Th. 1.2.q.42.a.3.ad 2. licet contrariũ placuerit Vasq.1.2.disp.40.c.2. Turriano 2.2.q.60. dub. 1. At verò spes Theologica, cùm circa beatitudinẽ æternam ac supernaturalem versetur, respicit arduum, vt alterius, videlicet Dei, auxilio assequendum, ait S.Th.ci.a. 5.ad 4. Beatitudinem inquam, obuenturam nobis speramus non naturæ nostræ viribus, aut facultate: sed Dei potentia, gratia, ac misericordia: conuenienter illi Oseæ 9. *Perditio tua ex te, Israel, tantummodo in me auxilium tuũ.*

Altera. Licet hæc duo, *gratia Dei, & propria merita*, coniunctim adultis necessaria sint, veluti media à Deo ordinata ad æternam beatitudinem assequendam: tamen principalior est gratia Dei, quæ per merita Christi nobis cõmunicatur: quãdoquidẽ ab ea merita nostra depẽdẽt, vim & efficaciã accipiũt. *Deus est enim*, inquit Apost. ad Philip. 2. *qui operatur in nobis & velle, & perficere, pro bona volũtate*, 7

seu beneplacito. Et Christus apud S. Ioan. c. 15. *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est.* Et postea: *Vos palmites, &c. quia sine me nihil potestis facere*, quod vel ad iustitiam coram Deo, vel ad vitam æternam consequendam vtile sit. Item Apostolus in Epist. ad Roman. & ad Galat. sæpe inculcat, hominem nec iustificari, nec saluari posse sine fide in Christum, & gratia Dei per Christum.

Exinde etiam intelligitur, quomodo in nostris operibus sperare seu confidere possimus: videlicet non quatenus præcisè ex nobis, aut viribus naturæ sunt: sed confidere aliquo modo possumus in nostris bonis operibus, quatenus ea ex Dei gratia proficiscuntur, ideóque & ipsa Dei dona sunt, ac media misericorditer ordinata ad vitã æternam, sicuti docet S. August. lib. de gratia & libero arbitrio, c. 6. & de ver. Apost. serm. 13, & Trident. Concil. sess. 6. c. 16. *Licet bonis operibus in sacris literis tãta tribuãtur, absit tamen, vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*: siquidem id magis exaltat Dei misericordiam, & Christi merita, quòd eorum virtute consequamur, vt & ipsi salutem nostram ministerialiter operemur. Qua simili ratione egregiè notauit S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 1. ad 3. in homine iusto aut beato sperare nos posse, *non sicuti in principali autore salutis: sed sicuti in adiuuante ministerialiter sub Deo.* Qui enim ita confidit in creatura, quatenus est instrumentum siue medium salutis nostræ à Deo assumptum is in Deo potiùs confidit: sicuti qui homines amat propter Deum, & in eorum salute lætatur propter gloriam Dei, is Deum ipsum potiùs amat.

8 Tertia: Cùm Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, vt vita æterna non sit tantum gratia, sed etiam merces & corona iustitiæ: *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certauerit*, ait Apostolus 2. ad Timoth. 2. hinc consequens est, quòd certitudo Spei, seu infallibilis expectatio beatitudinis non sit absoluta: *Nemo*, inquit Trident. Concil. sess. 6. cap. 13. *sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur.* Quia Spes & expectatio nostra tanquam fundamento nititur promissione Dei, quæ nobis facta non est absolutè, sed conditionatè: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, Matth. 19. Item: *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, Matth. 10. Luc. 24. At verò nemo, sine speciali reuelatione, certus est se in gratia Dei constitutum, legis mandata obseruare, & nullo etiam occulto peccato mortali teneri: *Nescit homo* inquit Ecclesiastes cap. 9. *vtrum amore, an odio dignus sit: sed omnia in futurũ seruantur incerta.* Et Dauid Ps. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, domine, & ab alienis parce seruo tuo.* Et Paulus Apostolus 1. ad Corinth. 4. *Neque me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Quia sæpe euenit, vt etiam ignorantes peccemus, ait Theodor. ibidem, & S. Hieronym. lib. 2. dialog. aduersus Pelag. Similiter de perseuerantię dono nemo hominum sine peculiari reuelatione certus esse potest, teste S. August. lib. 11. de ciuit, capite 12. Nam *qui se existimat stare*, inquit Apost. 1. Corinth. 10. *videat ne cadat*; & consequenter nemo, sine speciali reuelatione, absolutè certus est, se vitam æternam consecuturum, sicuti docet Trident. sess. 6. c. 9. 13. & can. 13. & seqq. Quãobrem monet Apost. ad Philippenses cap. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quod sapienter Deus instituit: quia vtilis timor iste humilitatem continuã seruat, vti notauit B. Prosper l. 2. de vocat. gentium; nec non solicitudinem parit, ac cautionem, maiorémque diligentiam seruiendi Deo, vti notauit S. Hieronymus in S. Ioa. c. 3. Et in epist. ad Celantiam, quòd quamdiu in vitę huius agone versamur, nec peccator desperare debet: cùm vno die se iustum efficere possit: nec sanctus, id est, qui nullius culpæ sibi conscius est, securus esse debet, ne de præterita iusticia confidens, remissior efficiatur; sed exemplo Apostoli ad Philip. 3. Quæ retro sunt obliuiscens, ad ea, quæ priora sunt se extendat. Et S. August. l. de corrept. & gratia c. 13. *Propter huius vtilitatem secreti, (ne fortè quis extollatur, sed omnes etiam qui bene currunt, timeant dum occultum est, qui perueniant) credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseuerandi vsque ad finẽ: in fide, quę per dilectionem operatur, incipere viuere, & aliquamdiu fideliter ac iustè viuere, & postea cadere.*

Ex quibus denique consequens est, absolutum iudicium hoc: *Certa & infallibili fide credo, me vitam æternam consequuturum*, non esse actum fidei Theologicæ: sed falsam hæreticorum nostrorum persuasionem: in qua non Theologica virtus Spei, sed inanis præsumptio fundatur, Fides autem diuina, in qua veluti basi ac fundamento Spes fundatur, hæc esse debet: *Credo Deum promisisse, & re ipsa præstiturum beatitudinis coronam legitimè certantibus vsque in finem, cum eiusdem Dei auxilio, quod omnibus sufficienter præstò est.*

Quamuis autem nemo, sine speciali reuelatione, om- 9
nimodè certus sit, se vel legitimè certare, vel vsque in finem certaturum esse: tamen tantò firmiorem persuasionem, & interdum quasi moralem certitudinem, & quæ inde nascitur maiorem spem ac consolationem quisque fidelium habere potest, quantò tum Dei singularem circa ipsum prouidentiam, gubernationem, ac spiritualia beneficia, tanquam signa prædestinationis animaduertit: tum verò nullius mortalis peccati, in quo animus hæreat, sibi conscius, firmiùs Deo etiam imposterum seruiendi propositum in se experitur. Quare S. Bernard. serm. 1. in Septuag. *Quis potest dicere, Ego de electis sum: Ego de prædestinatis ad vitam: ego de numero filiorum? reclamante Scriptura: Nescit homo si sit dignus amore, an odio. Certitudinem vtique non habemus: sed Spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur.* Vide etiam S. Bonauent in 3. distinctione 26. art. 1. quæst. 5. S. Antoninus p. 4. tit. 9. cap. 4. §. 4. Nauar. in ca. si quis, num. 34. dist. 7. de pœnit.

CAP. II.

De peccatis contra Spem.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum sperandi certis casibus obligat, sicuti & præceptum fidei exercendæ.*
2 *Spei secundùm excessum aduersantur peccata præsumptionis.*
3 *Præsumptio est vna ex speciebus peccatorum in Spiritum sanctum, quæ irremissibilia dicuntur.*
Virtuti Spei secundùm defectum opponitur desperatio.
4 *Amissa fide per apostasiam vel hæresim, amittitur etiam spes: non autem amissa spe semper perditur fides.*
5 *Peccata contra spem non possunt esse venialia ex obiecto, siue materiæ paruitate.*

PEccata contra virtutem Spei alia in commissione cõ- 1
sistunt, & alia in omissione. Illa repugnant præcepto affirmatiuo sperandi in Deum, cuiusmodi præceptum hominibus impositum esse docet S. August. tract. 83. & facilè probatur hac ratione. Nam omnis actus, qui ad æternam salutem necessarius est necessitate medii, est etiã necessarius necessitate præcepti diuini: sed actus Spei supernaturalis ac Theologicæ est necessarius hominibus adultis necessitate medii ad salutem æternam. Ergo, &c. Maior est clara. Minor sumitur ex Apost. ad Hebræos 10. & 11. & eodem modo probari debet, sicuti tract. 1. capite 8. assertio 2. ostensum est, supernaturalem actum Fidei in vnum Deum adultis necessarium medium esse ad salutem æternam. Nam Deus homines adultos saluare non vult sine eorum voluntate, ac cooperatione supernaturali: hęc autem cooperatio, supposita fide

non

non fit sine actu Spei : siquidem per spem voluntas viatoris incipit accedere, & appropinquare Deo.

Notandum verò hoc loco est; Fieri posse, vt puer in infantia baptizatus, circa temporalia, & quæ sensui obuia sunt, rationis discursum obtineat; & ob id contra naturæ legem peccet venialiter, v. g. mentiendo; & tamē nondum intellectum instructum habeat, vt Deum vnum, tanquam supernaturalium rerum auctorem credat, & in eum sperare possit, talis puer, si in hoc statu moriatur, haud dubiè saluabitur: quippe constitutus in Dei gratia, quam in Baptismo accepit, & nunquam amisit: cùm mortaliter non peccauerit, vt ponimus. Quare talem puerū non inter adultos, sed inter paruulos numerare debemus quibus habitualis iustitia ad salutem æternam sufficit: cùm ad actualiter cooperandum saluti suæ incapaces sint.

Præceptum Spei affirmatiuum ferme iisdem casibus obligare videtur, sicuti de Fide dictum fuit tract. præced. c.10. num.2. Primus est: Cùm primùm homini rationis vsum assecuto, Deus & beatitudo tanquam finis, ad quē bonis actibus tendere debet, sufficienter propositus est: tunc longiorem moram trahere non debet, quin ad hunc finem per actum spei feratur. Cùm alioquin nec iustitiā consequi: nec, si in infantia per sacramentum Baptismi iustificatus fuit, in accepta iustitia, sine fidei, spei, & charitatis actu, diu persistere: neque vllum omnino actū meritorium gloriæ æternæ exercere possit. Quare hunc primum casum obligationis affert Ban.2.2.q.22.a.1. dub.2. & alii Thomistæ apud Sanchez lib.2. moral.c 33.n.3. quāuis ipse contradicat cum Valentia tom. 3. disput.2. quæ. 4.p.1.

Secundus casus: Cùm quis in periculo desperandi versatur, à quo eripi non posse videatur, nisi animum contrario actu spei Theologicæ confirmet. Quo casu idem præceptum spei obligans hominem ad non desperandum, obligat etiam ad sperandum, tanquam medium necessarium ad desperationis barathrum vitandum. consequēter ad idem numero peccatum pertinebit non sperare, ac desperare: qua de re Valentia & Sanchez il.cc. Aliquando verò præceptum spei per accidens obligat; cùm vel actus charitatis, orationis, pœnitentiæ, &c. in præcepto sunt, qui sine præuio actu spei exerceri non possunt: Vel cum tentatio contra aliam virtutem, v.g. castitatem incidit, quàm te superare non posse existimes, nisi in animo spem suscites, diuinum auxilium tibi præsto fore. Quamuis in his casibus omissio sperandi actus non est peccatum diuersum ab eo, cuius causa est: ideóque in sacra Confessione speciatim non explicandum, sicuti in simili dixi tract. præced. de Fide c.10. in fine.

Circa peccata commissionis contra Spem aduerte: Sicuti in moralibus virtutibus accidit, vt vni virtuti duo vitia opponantur, vnum secundùm excessum, & alterum secundum defectum, v.g. liberalitati prodigalitas & auaritia: sic etiam Spei Theologicæ secundùm excessum aduersatur peccatum præsumptionis: quod duplex est, auctore S.Thom.q.21.a.1. Vnum si quis confidat se Dei gratiam, iustitiam, aut beatitudinem æternam consecuturum ex seipso, aut naturæ suæ viribus: cùm tamen id creaturæ facultatem excedat. Contra quod peccatum, Deo valde displicens, dicitur Iudith cap. 6. *Præsumentes de se humilias.* Et prouer.12. *Qui confidit in cogitationibus suis, impiè agit.* Et cap.28. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Alterum est. Si quis confidat ex Dei misericordia consecuturum se remissionem peccatorum sine operibus pœnitētię: aut cœlestem gloriam sine propriis meritis ex Dei gratia factis. Atque hæc præsumptio, inquit S.Th. cit. a.1. propriè est species peccati in Spiritum sanctum: de quo peccato Christus Matth.12. ait: non remitti neque in hoc
3 seculo, neque in futuro. Ratio est: Quia Deus iustus & misericors, secundùm ordinatissimum decretum suum, in sacris literis passim non promulgatum, non remittit peccata hominibus adultis, nisi pœnitentibus: neque dat mercedem gloriæ, nisi operantibus. Huic autem diuinæ iustitiæ ordinationi homo se opponit, cùm pœnitentiam vel bonorum operum meritum excludit: ideóque impedit Deum, quo minùs per Spiritum sanctum ipsi peccata remittat, vel gloriam æternam tribuat. Quare in Apostol. constitut. libro 2. capite 27. legitur: *Si quis ex acie (instructa aduersus Deum) peccet, tentans Deum, quasi non insequatur pœnis improbos; is veniam quidem non merebitur.*

Eadémque dici possunt de priore præsumptionis specie, excludente gratiæ diuinę auxilium, sine quo tamen nihil seu ad iustitiam, seu ad vitam æternam vtile homo præstare potest: Imò verò commune hoc est omnibus peccatis in Spiritum sanctum: quæ ideo etiam sic appellantur, quia Spiritui sancto aditum pręcludunt: dum media, aut dispositiones, puta spem, timorem, dolorem à se remouent, sine quibus secundùm ordinariam legem Spiritus sanctus peccatores non iustificat: quamobrem eiusmodi peccata irremissibilia dicuntur, quòd difficilis & rara sit eorum remissio, licet non absolutè impossibilis, sicuti docet S.Th.2.2.q.14.a.3. in corp. ad finem, S.Bonau. in 2.d.43.a.2.q.2. S.Anton.p.2.tit.8.§.3. in fine. Nau.c.23. man. in fine, Suar.3.p.t.4.disp.8 s.1.n.19. Ex quo etiam intelliguntur verba Christi superiùs citata. Cùm enim Iudæi diuina & supernaturalia opera, quæ Spiritus sanctus speciali prouidentia ad Fidem conseruandam, & peccatores conuertendos in Christo operabatur, malo Spiritui adscriberent: contestatus est Christus, eorum peccatum difficilè remitti posse: Sicuti si medicus ægroto medicinā abominanti diceret, sanari eum non posse, quia respuit medium, per quod sanari deberet, vti benè explicat Dur. in 2.d.43.q.2.

Secundum defectum virtuti Spei opponitur desperatio: cùm quis desperat, se remissionem peccatorum, & gloriam æternam consecuturum esse: ideóque omnem conatum intermittit. Quod proinde peccatum plenissimè repugnat Spei: quippe tum à fine seu scopo illius, quæ est cęlestis beatitudo, hominē auertens: tum etiam media omnia, puta diuinæ gratiæ auxilium, & propriam cooperationem abiiciens; quare inter alia peccata maximè periculosum est, teste S.Th.q.20.a.3. & Isidoro l.2. de sū. bono, c 14. vbi ait: *Perpetrare flagitium mors animæ est: desperare autem descendere in infernum.*


Ad extremum tria aduertenda sunt: Primum. Licet Magister in 2.d.43. cúmque secutus S.Th. in ci.q.14.a.2. Sex tantùm peccata in Spiritum sanctum numerent: *Desperationem, præsumptionem, impœnitentiam, obstinationem, impugnationem veritatis agnitæ, & fraternæ charitatis inuidentiam.* Tamen negari non potest, quin pręter hęc odium Dei sit grauissimum peccatum in Spiritum sanctum: quia directè opponitur Charitati Dei, per quam peccatorum remissio fit, sicuti notauit Valent. dis.3.q.11.p.2.§. atque hinc. Sed ideo reliquis annumerandum non fuit, quia odium Dei grauissimum scelus est quasi mensura aliorū peccatorum, vt in specificam aliorum communicationem venire non soleat, sicuti indicat S.Thom.2.2.quæst.34.a. 2.ad 1.

Secundum. Cùm Fides ordine generationis antecedat Spem, tanquam hypostasis siue fundamentum: hinc est, quòd, amissa Fide per Apostasiam, 4
vel hæresin, simul etiam necesse est amitti Spem: Contrà verò, amissa Spe per actum ipsi directè, per se, ac perfectè oppositum, (cuiusmodi est actus desperationis) non semper etiam amittitur Fides. Fieri enim potest, vt tametsi aliquis in vniuersali, ac veluti speculatiuè credat, quod certa fide credendum est, omnibus hominibus ex Christi meritis, & auxilio Dei sufficiente, remissionem suorum peccatorum, & vitæ æternæ consecutionem absolutè possibilem esse: attamen in particulari, propter adiunctas circumstantias,

& corruptam æstimationem ex passione acediæ, luxuriæ, &c. liberatio à peccatis, & beatitudinis consecutio admodum difficilis alicui appareat: atque vt existimet, se de facto saluandum non fore, ideóque animum despondere omnémque conatum intermittere velit. Quæ est doctrina S. Th. suprà cit. q.20.a.2. Tol. lib.4. cap.7. §. desperatio Sanch. lib.2.c.33.n.6. Becani 2.2.c.17.q 9. in fine, Valentiæ t.3. disp.2.q.3.p.2.

Interim verò negari non debet, desperationem si non ex infidelitate, saltem ex aliqua fidei infirmitate proficisci: vt rectè monet Gabr. in 3.d.26.q.vn.a.1. animum hominis, qui in desperationis barathro versatur, ante omnia in fide confirmandum, erigendúmque esse ad considerandam misericordiam & dilectionem Dei, qui nos, cùm peccatores essemus, prior dilexit, & proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, ad Roman. 8.

Tertium. Peccata tum præsumptionis, tum desperationis, licet venialia esse possint ob defectũ deliberationis, sicuti & alia omnia: semper tamen mortalia sunt ex parte materiæ: sicuti & odium Dei, blasphemia, & similia, quæ alicui Dei attributo, puta veritati, bonitati, misericordiæ, aut iustitiæ directè aduersantur, saltem secundùm prauæ voluntatis affectionem: & interdum etiam secundũ erroneum intellectus iudicium. Nam, vt rectè notauit Tolet. lib.4. c.7.n.5. ad finem, Becanus 17.q.12.n.2. Sanc. lib.2.c.33.n.8. aliquando huiusmodi peccata cum errore & hæresi intellectus iuncta sunt, v.g. fiducia Lutheranorum, qui sine cooperatione ac meritis se saluari posse existimant: & Pelagianorum, qui iustitiam, & præmium æternum solis etiam naturæ viribus à Deo obtineri posse iudicant. Aliquando verò dicta peccata sine hæresi sũt: cùm intellectus nullum quidem de Deo erroneum iudicium speculatiuè format; nihilominus practicè iudicat, vtile, aut delectabile esse homini, si ita voluntate erga Deum, eiúsve attributa affectus sit, eum odiendo, blasphemando, de eius misericordia nimis præsumendo, &c. perinde ac si odio, seu contumelia dignus, aut non iustus peccatorum punitor esset.



TRACTATVS TERTIVS. DE CHARITATE, MISERICORDIA, ATQVE OPPOSITIS VITIIS.

CAP. I.

QVID SIT CHARITAS.

SVMMARIVM.

1 *Charitas est virtus perfectißima, ac veluti forma aliarum, & regina.*

2 *Vt aliarum virtutum opera in homine iusto meritoria sint augmenti gratiæ & gloriæ æternæ, requiritur præuius actus seu imperium Charitatis.*

3 *Gratia sanctificans, & habitus Charitatis infusæ, secundùm probabilem sententiam, sunt vna qualitas realiter.*

4 *Dantur actus in indiuiduo indifferentes, secundùm rationem meriti ac demeriti.*

5 *Ad meritum singulorum operum bonorum non sufficit, si homo iustus initio diei omnia generatim Deo offerat.*



1 CHARITAS non est aliud, quàm excellentissimus amor: quare cùm amoris obiectum sit bonum, siue finis, sequitur, quòd obiectum primarium Charitatis sit summum & excellentissimum bonum, atque vltimus finis supernaturalis, Deus, qui secundùm se, & propter se diligendus est: & propter quem, siue in ordine ad quem, reliqua diligenda sunt.

Corollarium I. Charitas inter omnes virtutes excellentissima est, teste S. Th. q.23.a.9. & Apost. 1. ad Corinth. 15. ad Colos. 3. Quia circa perfectissimum obiectum versatur: & quidem perfectiore modo, quàm aliæ virtutes, quæ suis actibus Deum etiam attingunt, vti constat ex præced. tract.

Corollarium II. Charitas est forma reliquarum virtutum, puta Fidei, Spei, Temperantiæ, Iustitiæ: adeò vt sine Charitate non sint simpliciter dictæ virtutes hominis, quatenus is consideratur (sicuti à Theologo considerari debet) cum ordine ad supernaturalem beatitudinis finem, sicuti docet S. Th. 2.2. q. 23. a. 7. & 8. & in 3. d. 30. q. 1. a. 5. in qq. disputatis, q. 6. quæ est de miraculis Dei, a.9 & alij Scholastici in 3. d.36. vbi S. Bonau. a. 1. q. 6. Gabr. q.1. a. 2. p.3. & 4. & sumitur ex S. Aug. lib.1. de moribus Ecclesiæ c. 15. & lib. 4. contra Iulianum, c. 3. Nam virtus hominis est, quæ operationes eius ordinat ac dirigit, vt conuenienter fiant ad finem suum, vti tradit S. Th. 1.2. q. 55. Finis autem vltimus hominis, considerati non præcisè secundùm vires naturæ, sed secundùm dona gratiæ, est æterna beatitudo & coniunctio cum Deo: ad hanc autem promerendam, & consequendam viatores opera congruentem proportionem non habent sine Charitate, per quam solam vniuntur Deo. Idque ex sapientissima Dei ordinatione, passim in sacris literis declarata; quòd meritum vitæ æternæ ex Charitate tanquam radice dependeat: vt sicuti finis hominis summus & excellentissimus est, ita etiam acquiri non possit sine præstantissima virtute, quæ est Charitas. Qua simili ratione S. Th. 1. p. q.62. a.4. ad 2. dixit; quòd Angeli sola naturali conuersione ad Deum, beatitudinem mereri non potuerunt; sed conuersione charitatis, quæ est per gratiam.

Quamuis verò Doctores omnes in eo consentiant, reliquarum opera sine Charitate meritoria non esse gloriæ æternæ: disceptant tamen, qualenam sit hoc subsidium seu influxus Charitatis, ad meritum ex condigno necessarius.

Prima sententia est: Quòd quibuscunque bonis operibus homo ex condigno mereatur gratiæ augmentum, & & vitam æternam, modò in gratia Dei constitutus, & habitu Charitatis præditus sit. Vasq. 1.2. dis. 127. c. 4. Sed est cõtra cõmunẽ ferme Theologorũ doctrinã: quia vt actus merito-

meritorius sit vitæ æternæ, debet habere habitudinem ad finem supernaturalem; vt sit proportio inter meritum ac præmium: atqui actus moralium virtutum, v. g. Misericordiæ, Iustitiæ, non habent habitudinem ac proportionem cum supernaturali fine: quandoquidem secundùm se spectati non superant naturæ vires; neque suapte natura referuntur ad Deum, vt supernaturalem hominis finem. Ipsa verò habitualis Iustitia, siue Charitas moralium virtutum actibus talem proportionem seu habitudinem conferre non potest; cùm non sit relatiua operum in Deum, tanquam finem supernaturalem, nisi in actum seu operationem transeat. Confirmatur: Ex hac sententia sequitur, si puer baptizatus, cùm primùm rationis vsum adeptus est, opus moraliter bonum, v. g. obedientiæ erga parentes, aut misericordiæ erga pauperem exerceat, quòd augmentum gratiæ, ac gloriæ mereatur, licet adhuc nullum supernaturalem Fidei actum elicuerit: id autem absurdum videtur, quòd Deus eius hominis opera ad supernaturalem gloriam acceptet, qui nondum de ipso cognitionem aliquam consecutus est.

Altera sententia est: Quòd homo iustus quibuscunque bonis operibus ex condigno mereatur gratiæ, & gloriæ augmentum: modò procedant ex motiuo aliquo supernaturali, v. g. Fidei, aut Spei Theologicæ; quamuis nullus Charitatis actus antecesserit. Ita docet Suarez de gratia diuina, lib. 12. c. 8. & 9. & de Fide, disp. 6. c. 7. num. 16. Hæc sententia longè probabilior est, quàm prior. Sed mihi non placet: Primò, quia repugnare videtur Apostolo ad Galat. 5. *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed Fides, quæ per Charitatem operatur.* quibus verbis significat, neque ipsam Fidem vtilem esse ad vitam æternam promerendam, nisi ex Charitate tanquam radice pullulet: qua similitudine radicis vtitur S. August. lib. 1. de gratia Christi, cap. 18. S. Th. 2.2. q. 23. a. 8. ad 2. & 1.2. q. 114. a. 4. ait, opera Fidei, Patientiæ, &c. non esse meritoria vitæ æternæ, nisi ex Charitate procedant: id autem actualem aliquem Charitatis influxum significare manifestũ est. Et 1. ad Corinth. 13. postquam dixisset Apostolus; Quòd neque prophetia, nec Fides, nec opera misericordiæ quicquam absque Charitate prosint, intellige ad vitam æternam: statim subiungit, quomodo per Charitatis imperium, adeóque præuiam actualem operationem, vtilia fiant. *Charitas patiens est, benigna est,* &c.

Secundò: Constat ex sacra Scriptura, & est communis Theologorum sententia, vt opus bonum hominis meritorium sit vitæ æternæ, fundatum esse debere in Charitate & amicitia cum Deo; ita vt fiat propter Deum; siue, quod eodem recidit, ad implendam gloriam Dei, amplificandum nomen Dei: Atqui hoc ipso, quòd opus bonum ita exercetur propter Deum seu ob amicitiam cum Deo, ex imperio & actuali motione Charitatis prouenit: vt si quis pauperi panem porrigat propter Christum, seu quia Christi discipulus est: sicuti si quis filio donet propter patrem, seu intuitu patris, & in gratiam patris.

Tertiò: Homo iustus iisdem bonis operibus meretur gloriam æternam, quibus meretur gratiæ, & Charitatis augmentum: sed non videtur conueniẽs, Charitatem habitualem augeri, nisi per actus aliquo modo ab ea procedentes: cùm neque alij habitus aliter augeantur. Loquor autem de actibus virtutum non dependentium aut connexarum: quemadmodum si quis actum Temperantiæ exerceat, tunc habitus Iustitiæ non augetur: & simili ratione si quis actum Fidei exerceat, augmentum virtutis Spei à Deo non impetrat: quia Fidei actus Spem connexam non habet. At verò neque Fides, neque Spes à Charitate pendent: sed illarum actus sine Charitate exerceri possunt: ergo tunc non est credibile, Charitatem augeri. Alia verò ratio est de ipsa Charitate, quæ cùm sit regina virtutum, ac vinculum perfectionis, cum eius augmento aliarum etiam supernaturalium virtutum augmentum meritò coniunctum est.

Tertia sententia est: Quòd primus, & vnicus actus Charitatis, quo homo se, & omnia sua, etiam cõsequentia opera, in Deum refert, tanquam summum bonum, & vltimum supernaturalem finem suum, sufficiens sit, vt sequentibus bonis operibus in gratia Dei factis, vim merendi tribuat, tametsi ab eo nullo modo nec elicitiuè procedant. Ita docent Sotus lib. 3. de natura & gratia, c. 4. Valentia to. 2. disp. 8. q. 6. p. 3. Barthol Medina 1.2. q. 114. a. 4. Et est probabilis sentẽtia: quia rectè intelligi potest, quòd clementissimus Deus opera bona hominis iusti, qui se, & omnia sua in Deum, vt vltimum supernaturalem finem, retulit, talémque voluntatem nunquam mutauit ad iustitiæ augmentum, & gloriam æternam conferẽdam acceptet, propter interpretatiuam operum reuelationem ad Deum: quandoquidem talis operans ita dispositus est vt si ei in mentem veniret, opera virtutum actualiter in Deum per Charitatem referret. Sed non sequor hanc sententiam, quia, vt mox ampliùs patebit, sacræ literæ, & Doctores actualem Charitatis operationem siue imperiũ requirũt, vt opera aliarum virtutum meritoria vitæ æternæ fiant, quamobrem non sufficit relatio interpretatiua.

Quarta sententia quam veram iudico, est S. Th. 1.2. q. 114. a. 4. & 2.2. q. 23. a. 8. ad 3. & in qq. disputatis, q. de miraculis, a. 9. & in 4. d. 30. q. 1. a. 5. Durand. in 2. d. 40. q. 2. S. Bonau. d. 41. a. 1. q. 3. Scoti ibid. q. 1. Gabr. a. 3. d. 2. Richar. in 3. d. 30. a. 1. q. 4. Palud. in 3. d. 23. q. 4. a. 3. Bellarmini lib. 5. de iustific. c. 15. vbi eandem communiorem appellat: Quòd nullum opus hominis iusti meritorium sit gloriæ æternæ, & augmenti iustitiæ in hac vita, nisi vel eliciatur à Charitate, vel ab eadem imperetur, atque in Deum vti finem vltimum supernaturalem referatur; siue id fiat per præsentem Charitatis actum, (quod est actualiter referri) siue per præteritum Charitatis actum, quod est virtute referri: v. g. si proposuisti summam pecuniæ pauperibus propter Deum erogare: & postea oblata occasione vi illius propositi eroges, tametsi tunc nihil ampliùs de Deo cogitans; opus hoc eleemosynæ virtute in Deũ refertur, atque à Charitate imperatur. Probatur hęc sententia ratione S. Th. cit. a. 4. Nã ita sapientissimus Deus ordinauit, vt finem vitæ æternæ, quæ in comprehensione ac fruitione summi boni cõsistit, homo viator non mereatur, nisi per motum liberæ voluntatis proportionatum; videlicet quo fertur in vltimum finem summúmque bonum per modum vnionis & amicitiæ: atqui iste motus proprius est actus Charitatis: ergo *meritum vitæ æternæ*, inquit S. Doctor, *primò pertinet ad Charitatem: ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quòd earũ actus à Charitate imperantur.* Et in cit. a. 9. ait, quòd omnes aliæ virtutes *habent efficaciam merendi à Charitate, quæ nos vnit Deo, à quo meremur.*

Huc etiam spectat, quod ex communi Theologorum sententia suprà dictum est, Charitatem esse formam reliquarum virtutum omnium; non quòd aliæ virtutes sine Charitate veram in suo genere virtutis rationem non habeant: quandoquidem etiam in infidelibus reperiuntur; teste S. Th. 1.2. q. 65. a. 2. Durando in 3. d. 36. q. 1. S. Bonauent. ibid. q. 6. n. 46. sed quia ad promerendam vitam æternam inutiles, ac steriles sunt: à Charitatis autem motione & imperio vim, valorem, dignitatémque apud Deum obtinent. Eodémque recidit, si dicas cum S. Th. reliquas virtutes hominis sine Charitate profectas non esse, sed perfectionem à Charitate accipere, quando eius imperio ad supernaturalem finem diriguntur: quo sensu etiam Apostolus dixit ad Colos. 3. *Super omnia Charitatẽ habete, quod est vinculum perfectionis.* Exempli causa, qui per virtutem Spei circa Deum versatur, præcisè vt remuneratorem bonorum, is eo actu per se ac directè non Dei honorem, gloriam; sed propriam vtilitatem, oblectationémque quærit: quare dignus non est æternæ cum Deo

coniunctionis remuneratione. Nisi actus Spei ex motione siue imperio Charitatis procedat: vt beatitudinem, & alia Dei dona spiritualia desideremus, & expectemus propter Dei amorem, gloriam: quippe cùm beatitudinis expectatio, & consecutio nostra Deo placeat, & ab ipso præcipiatur.

Rectissimè etiam secundùm traditam sententiam explicantur varia Scripturæ loca: Videlicet, cur Christus Matth. cap. 10. & 19. atque aliàs sæpe mercedem gloriæ operibus bonis non simpliciter promittat, sed si fiant propter nomen eius, vel si exerceantur erga iustum in nomine iusti: id est, quia Dei seruus, Christi discipulus, à Deo dilectus est. Item cur Apostolus Iacobus in epist. c. 1. dixit, quòd *coronam vitæ promisit Deus* non quibuscunque, sed *diligentibus se.* Et cur Apostolus Paulus 2. ad Corinth. 10. tam solicitè monet. *Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ad Colos. 3. *Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo*, seu glorificantes Deum. Denique cur ab eodem Apost. ad Roman. 6. vita æterna *gratia Dei* appelletur, quia vt S. August. ait in lib. de correptione & gratia, cap. 13. *redditur meritis, quæ contulit gratia.* Et epist. 105. ad Sixtum, *omne meritum in nobis non facit nisi gratia, & cùm coronat Deus merita nostra, nihil aliud coronat, nisi munera sua.* Quòd verò S. August. nomine gratiæ intelligat sanctificantem, quod tanquam principio homo inclinatur ad actus meritorios exercendos, patet ex eodem S. August. in lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 5. vbi explicans illud Apostoli 1. ad Corinth. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ita inquit: *Nihil huic sensui tam contrarium est, quàm de suis meritis sic quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei: sed gratia, quæ bonos discernit à malis: non gratia, quæ communis est bonis & malis.*

3 Neque refert hoc loco, siue existimes, gratiam sanctificantem realiter eandem esse cum habitu Charitatis infusæ: quamuis differat ratione: dicitur enim gratia in ordine ad subiectum, quod sanctificat: Charitas autem in ordine ad operationes, ad quas animam & voluntatem promptam, expeditamque reddit, quæ est valde probabilis sententia Magistri in 2. d. 26. ibid. Richar. a. 1. q. 1. Duran. q. 1. Scoti. q. 1. §. Hîc quæritur: Henric. quodlib. 4. q. 10. Bellarm. lib. 1. de gratia, & lib. arbit. cap. 6. Salmeronis to. 15. in epist. ad Galat. c. 3. Siue existimes cum S. Th. 1. 2. q. 110. a. 3. esse qualitates distinctas: quia gratia bene afficiat animam secundùm se; Charitas verò afficiat voluntatem ad operationem. Nam etiam secundùm hanc sententiam, gratia & Charitas inuicem subordinatæ sunt in ratione meriti: quia, vt S. Th. ait in 3. d. 30. q. 1. a. 5. ad 1. *gratia facit meritum sicuti principium remotum, constituens nos in esse spirituali, sine suo non possumus mereri: sed Charitas est sicuti proximum merendi principium.*

4 Corollarium I. Licet nullus actus plenè rationalis ac deliberatus in indiuiduo indifferens sit, secundùm rationē bonitatis ac malitiæ moralis, sicuti dixi lib. 1. tr. 2. c. 8. n. 3. Sunt tamen in homine tum peccatore, tum etiam iusto actiones indifferentes secundùm meritum ac demeritum vitæ æternæ, vti bene distinguit Durandus cit. d. 40. q. 1. & 2. Si videlicet homo opera bona virtutum exerceat, sine vlla seu actualiter præsente, seu præterita & virtualiter manente Charitatis relatione in Deum. Aduerte tamē cum S. Th. cit. q. 6. quæ est de miraculis, a. 9. Durando in 4. d. 15. q. 3. Adriano in 4. de Sacram. Pœnitentiæ, vbi de satisfactione, q. Discusso an vnum mortale: Quòd opera virtutum etiam moralium, atque ex motiuo moralis tantùm honestatis præstita, ob quandam congruitatem secundùm beneplacitum Dei mereri possint temporalem aliquā prosperitatem: quo modo legimus Deū in veteri Testamento sæpe remunerasse opera virtutum, etiam à peccatoribus præstita.

5 Corollarium II. Non sufficit homini iusto ad promerendum singulis actionibus bonis augmentum gratiæ, ac gloriæ æternæ, quòd principio anni, mensis, hebdomadis diei, v. g. manè postquam è lecto surrexit, totum se Deo ex charitate offerat, cum proposito omnia ad ipsius gloriā operandi: sed necesse est, vt propositum hoc efficax sit, id est, verè causa operum subsequentium existat. Tametsi enim homo principio diei omnia agere proponat ob amorem Dei; fieri tamen solet, vt postea multa agat non vi eius propositi: sed ex motiuo merè humano, aut etiam moralis solùm honestatis: vt si parentibus obtemperet, ne ab illis verberetur: vel quia id secundùm morum honestatem decens est. Signum autem erit, tales actiones non prouenire ex motiuo & proposito Charitatis antecedente; si facta hypothesi, quòd tale propositum non antecesserit, nihilominus actiones illæ eodem modo exercitæ fuissent: quia aliud sufficiens agendi motiuum habuerunt, vti dixi. Sin verò propositum operandi propter Deū quamuis aliquo modo generale, verè causa existat subsequentium operum, adeò quidem, vt absque præcedente Charitatis intentione exercita non fuissent: tum rectè dicitur, ea ex præuia motione & imperio Charitatis, virtualiter adhuc manente, prouenire, ideóque in homine iusto meritoria esse vitæ æternæ. Ita præter alios docet S. Bonau. in 2. d. 41. a. 1. q. 3. Bellarm. lib. 5. de iustific. c. 19. & optimè explicat Ioan. Busæus in viridario virtutum vbi de intentione recta, c. 4. Ad meritū boni operis *requiritur, vt vel tunc cùm fit, actui imperetur à Charitate, atque in Deum vt finem supernaturalem ac vltimum referatur, vel certè nascatur ab actu imperato à Charitate, atque in Deum antè relato, quod est virtute referri. Tunc enim dicitur opus aliquod virtute in Deum relatum, cùm intentio antegressa verè est causa illius, vt fiat. Quare si quis generali tantùm intentione initio anni, mensis, vel diei omnia futura opera ad gloriam Dei offerat, vt quidam laudabiliter faciunt, non ideo dicetur virtuali intentione obtulisse, singulisque bonis operibus, licet in gratia sit constitutus, vitam æternam promeruisse.*

Dicere itaque debemus, quod propositum initio hebdomadis, aut diei conceptum, ob Dei amorem omnia opera in gloriam eius agendi, secundùm se actus Charitatis, ac Religionis sit, tantò præstantior, magisque meritorius, quantò extensius obiectū habet. At verò, vt opera sequentia ex tali actu meritoria fiant supernaturalis iustitiæ, aut gloriæ, necesse est, vn sint effectus illius. Exempli causa: Aliquis ob amorem Dei, & ad gloriam eius, constituit peregrinationem instituere: quascunque deinde in via actiones exercet, aut labores perfert, meritoria ipsi sunt apud Deum, si fiant ex vi ac necessitate propositi illius, nunquam reuocati.

Eodémque modo de Religioso ratiocinandum est, si ob amorem Dei per Obedientiæ reliqua voluntaria vota veluti holocaustum se Deo obtulit: omnia quæ ex necessitate illius obligationis, in qua voluntariè persistit, seu opera exercentur, seu labores perferuntur, apud Deum meritoria fieri: tametsi intentio ob Dei gloriam aut amorem operandi, perferendi, non repetatur aut renouetur. Quemadmodū etiam in humanis, si quis opus aggrediatur in principis viri obsequium ac honorem: quæcūque in illo opere proficiendo veluti necessaria agit, Princeps remunerare debet, tanquam quæ sui gratia facta sint.

Veruntamen etiam Religiosi (& non tantùm personæ seculares, quæ non ita Deo obligatæ sunt) interdū actiones aliquas liberas exercent, ad quas vi status aut professionis suæ non obligantur: ideo tum ob hanc causam, tum etiam quia specialis & actualis intentio, seu relatio operis in Deum, certior, & aptior est ad promerendum, quàm generalis, aut virtualis: ideo omnibus tum Religiosis, tum secularibus suadendum est, vt initio actionis cuiusque mentem in Deum eleuent, cuius amore, & ad cuius gloriam operaturi sunt: vel quod magis consultum, ad imitationem veterum Christianorum dicant versiculum Dauidis; *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto,* &c. vt

&c. vt eâdem opera & Dei sibi necessarium auxilium petant, & ob ipsius amorem ac gloriam operi decernant.

Cap. II.

De Præceptis charitatis.

SVMMARIVM.

1 *Duo sunt præcepta charitatis: de Deo diligendo, ac proximo.*
2 *Præceptum dilectionis Dei primum ac maximum est.*
3 *Iubemur Deum super omnia diligere, secundùm maiorem æstimationem, non actus intensionem.*
4 *Nefas est Deum diligere propter mercedē vitæ æternæ, tanquam finem principalē: sed causa adminiculans & impellens ad diligendum potest esse spes præmij, sicuti & timor pœnæ.*
5 *Præceptum dilectionis Dei, licet à nobis secundùm omnem perfectionem impleri non possit: potest tamen eo modo, sicuti ad viatorem pertinet.*
6 *Præceptum negatiuum de non odiendo Deo, semper obligat; sed affirmatiuum diligendi certis tantùm casibus.*
7 *Præceptum de proximo diligendo dicitur secundum, & affine primo.*
8 *Præcepta charitatis in Decalogo non expressè; sed virtualiter continentur, tanquam principia in conclusionibus.*

1 DVo sunt præcepta Charitatis: Primum de Deo: alterum de proximo diligendo. Præceptum de diligendo Deo super omne bonum traditur in Deuter. c. 6. apud S. Matth. c. 22. Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Sensus verborum est: Quòd homo diligere Deum debet ex omnibus facultatibus suis, quarum quatuor præcipuæ sunt: Vna intelligendi, altera appetendi, tertia sentiendi, quarta loco mouendi: vt proinde nihil sit in intellectu, nihil in voluntate ac desiderio, neq; in sensu, neque in externa operatione, quod non Deo subijciatur, siue in Deú referatur. Ita enim interpretatur S. Aug. lib. 1. de doct. Christiana c. 22. *Cùm ait, toto corde, tota mente, &c. nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum præbere, vt re alia fruatur: sed quicquid aliud venerit in mentem, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Vide etiam S. Th. 2. 2. q. 44. a. 5. Gabr. in 3. d. 27. q. 1. a. 1. notan. 5.

2 Præceptum hoc de diligendo Deo primum ac maximũ dicitur Matth. c. 22. quia est de excellentissimæ virtutis primario actu, eóque imprimis necessario ad salutem Nam *Charitas est*, inquit S. August. in ep. S. Ioan. tr. 5. c. 3. *sine qua nihil prodest, quodcunque habuerit: quam si solùm habeat, sufficit tibi.* Et Apost. ad Colos. 3. *Super omnia Charitatem habete: quod est vinculum perfectionis*: Siquidem Charitas Facultatibus atque virtutibus alijs imperans, earum actiones ad Deum refert, tanquam finem vltimum summúmque bonum: vt proinde, qui præceptum Charitatis erga Deum obseruat, facilè etiam & consequenter non solùm proximos propter Deum diligat, sed etiam reliquas Christianas virtutes acquirat, legémque vniuersam impleat: quare dixit Apost. ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Et 1. ad Cor. 13. *Quid diligit me, sermonem meum seruabit.* Et S. Ioan. epist. 1. cap. 2. *Quid seruat verbum eius, vere in hoc Charitas Dei perfecta est.*

Alio modo hoc ipsum ostendit S. Th. q. 44. a. 1: Eatenus aliquid est in præcepto, quatenus debiti rationem habet: In vnoquoque autem genere magis debitus est finis, quàm media, quæ sunt ad finem: (quia illud quod est per se, potiùs est eo, quod est per accidens, siue propter aliud) v. g. Medico per se primò requiritur vt sanet: per accidens secundariò, vt medicinam tribuat: Atqui finis vitæ spiritualis, ad quem homo tanquam ad propriam perfectionem tendere debet, est, vt vniatur Deo, quod fit per Charitatem. Reliquæ autem virtutes cùm Theologicæ, tum morales sunt de operationibus, quibus homo ad Charitatis perfectionem disponitur, testante Apost. 1. ad Timoth. 1. *Finis præcepti est Charitas*: quia nimirum ad Charitatis perfectionem reliquæ virtutes ordinantur. Ergo cùm de alijs virtutibus præcepta extent, multo magis de Charitate.

Porrò pro pleniore huius præcepti intellectu tria notanda sunt: Primum. Quod iubemur Deum super omnia, 3
id est, magis quàm esse omnes creatas, diligere, id intelligi debet secundùm maiorem æstimationem (siue vt alij dicunt appretiationem) Dei, diuinique amoris & amicitiæ: non autem intelligi debet secundùm maiorem amoris intentionem. Etenim licet decens sit, & ad maiorem Charitatis perfectionem spectet, vt summum bonum intensiore ac vehementiore amore: quàm alia bona creata, amemus, id tamen in præcepto de dilectione Dei super omnia non continetur, sicuti ex communi docet Gabr. cit. d. 27. q. 1. a. 1. notan. 6. & a. 2. conclus. 7. Nau. c. 11. n. 19. Suar. 3. p. t. 4. disp. 4. s. 4. n. 7. Tol. lib. 4. c. 9. §. Deus. Gregor. Valent. to. 3. disp. 3. q. 4. p. 1. & 2. Sanchez 2. moral. cap. 35. num. 2. contra Scotum in 3. d. 27. q. 1. art. 3. §. de primo dico. Etenim sicuti fieri solet, vt aliquis catulum v. g. feruentiùs ac teneriùs amet, quam proprium filium, non tamen firmiùs, aut magis æstimatiuè: quod inde cognoscitur, quia si vel catulus, vel filius amittendus foret, vtique canis relinqueretur, & filio posthaberetur; ita etiam fieri potest, vt aliquis sine culpa teneriùs, atque intensiùs amet creaturam; puta vxorem, liberos, vel amicum, quàm creatorem: non item firmiùs, & magis æstimatiuè, si animo paratus sit creaturam deserere, eiúsque amicitiam dissoluere potiùs, quàm vt amicitiā cum Deo soluat. Quare, quod Dominus ait apud S. Matth. c. 10. *Qui amat patrem, vel matrem plus quàm me, non est me dignus*: id secundùm maiorem appretiationem siue æstimationē intelligi debet.

Alterum. Etsi nefas sit Deum diligere propter merce- 4
dem vitæ æternæ, tanquam finem principalem, & causam propriè finalem; nam hic amor mercenarius est, cuius ratio finalis ac principalis est, vt merces acquiratur: quare qui ita Deum diligit, plus se, quàm Deum diligit: Fas tamen est diligere Deum propter mercedem vitæ æternæ tanquam finem minùs principalem, & causam impellētem, teste Dauid. Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Rectè inquam, ac meritoriè agit, qui spe vitæ æternæ, vel timore inferni excitatus ac commotus, in Deum diligendum fertur: non propter aliud, v. g. proprium: commodum: sed propter ipsum Deum, sicuti tradit S. Th. 2. 2. q. 27. a. 3. vbi ait: Pari ratione nos ex beneficijs ab amico acceptis, vel accipiendis disponi ac moueri ad eundem diligendum: quem tamen non propter beneficia, (nam talis amor concupiscentiæ esset) sed propter virtutē amore amicitiæ diligimus. Consentit Gabr. in 3. d. 26. q. 1. a. 3. dub. 6. Syl. ver. charitas. q. 7. Nauar. cit. cap. 11. n. 20. Sanchez cit. c. 35. n. 3. Tolet. lib. 4. cap. 9. §. cum igitur.

Quòd verò Sanch. l. c. ait; Tunc dilectionem mercenariam ac prauam esse, *quando, nisi ea præmij spes adesset, non diligeremus*; id dupliciter intelligi potest: Vel de actuali voluntatis affectione, secundùm quam homo, instar mercenarij, operam vel obsequium suum domino exhibentis nollet Deum diligere, eiúsque mandata implere, seclusa mercede: & sic rectè loquitur Sanchez. Vel intelligi potest de habituali voluntatis dispositione, ac infirmitate; secundùm quam homo agnoscit, ac dolet, ita comparatum se esse, vt, nisi vel spe præmij æterni, vel timore inferni ad Deum diligendum, & mandata eius seruanda incitaretur, nequaquam ea præstiturus esset: & in hoc nihil culpæ committitur, sicuti etiam dixi lib. 1. tr. 2. c. 6. num. 9.

Tertium. Etsi præceptum de diligendo Deo ex toto 5
corde, tota mente, &c. secūdùm perfectionem simpliciter dictam in hac vita impleri nequeat; potest tamen ita per-

fectè impleri, ſicuti ad viatorem pertinet. Ita S. Aug. lib. de perfect. iuſtitiæ, reſp. ad 16. S. Th. q. 44. a. 6. S. Bon. in 2. d. 27. a. 2. q. 6. Richar. ibid. a. 8. q. 2. Gabr. q. vn. a. 3. Valent. tom. 3. diſp. 3. q. 19. p. 1. Mol. tract. 3. de iuſt. diſp. 59. in fine, & alij communiter. Prior pars explicatur: Nam diligendi perfectio ſimpliciter dicta conſiſtit in actuali cõtinua voluntatis vnione cum Deo, & relatione omnium actionum in ipſum: huiuſmodi autem dilectio non in via vitæ huius mortalis, ſed in ſalutis termino haberi poteſt, teſtante Apoſt. ad Philip. 3. *Non quòd iam acceperim, aut perfectus ſim: ſequor autem, ſi quomodo comprehendam.* Ratio eſt, quia Beati in cœlo Deum ſummum bonum ſuum, per claram eius viſionem, continuò ſibi propoſitum habent: vt nulla vnquam ratio adſit, cur volũtas eorum non continuè in Dei amorem rapiatur. At verò in hac vita, præſertim poſt lapſum humani generis in peccatum, propter inſitam naturæ infirmitatem, mentis ignorantiam: effugere non poſſumus, quo minùs ab actuali Dei conſideratione & amore ſæpe abſiſtamus, & ad creaturas amandas deſcendamus: interdum verò eas amemus, ac deſideremus non cum ordine ad Deum, adeóque actum otioſũ, aliúdve veniale peccatum cõmittamus: quod licet diuinæ Charitati & amicitiæ non animo repugnet, ſed cum eadem conſiſtere poſſit: tamen imperfectionem aliquam voluntatis & amoris ſecum adfert. Et hoc eſt, quod aiunt Doctores, peccatum veniale non eſſe contra Deum, cùm eius amicitiã non diſſoluat, ſed præter Deum, & ob hanc ipſam cauſam peccatum, ac malum: quandoquidem nihil vnquam hominem deliberatè agere oportet, quod nõ in Deum aliquo modo referatur. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 3. cap. 5.

Poſterior verò pars probatur ex epiſt. 1. S. Ioan. c. 2. *Qui ſeruat verbum eius, verè in hoc Charitas Dei perfecta eſt.* Et c. 5. *Hæc eſt Charitas Dei, vt mandata eius cuſtodiamus & mandata eius grauia non ſunt*: igitur nec impoſſibilia. Et Matth. 11. ait Chriſtus, *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meũ leue.* In hoc autem conſiſtit impletio præcepti Charitatis in via: vt viator finem ſuum cognoſcat, ad quem tendere debeat, eumque rebus alijs omnibus appretiatiuè anteponat: deinde impedimenta ſalutis, quæ ſunt peccata, à ſe remouere ſtudeat: & nunquam ſe ſatis perfectum agnoſcat, ſed in dies magis ad Charitatis perfectiorem peruenire contendat, ſecundùm Apoſtolum ad Phil. cit. cap. 3. Videri poteſt S. Auguſt. in lib. de perfect. iuſtitiæ.

6 Quæritur nunc, quibus temporibus præceptum dilectionis Dei obliget? Reſpondeo & dico I. Præceptum negatiuum de non odiendo Deo, nihilque agendo, quod eius dilectioni & amicitiæ contrarium ſit, ſemper obligat.

Dico II. Præceptum affirmatiuum de Deo ſuper omnia diligendo certis tantùm temporibus obligat. Ita omnes. Sed quænam ſint illa obligationis tempora, difficile eſt definire. Valentia diſp. 3. q. 19. p. 1. in fine ſeptem recẽſet ex Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 22. & lib. 2. de iuſt. q. 3. a. 10. Sanchez verò lib. 2. c. 35. ex iiſdem, & alijs Auctoribus nouem enumerat: ſed pleraque reijcit, quia incerta ac dubia ſint. Quatuor tamen mihi certiora vidẽtur, quorum duo priora continent obligationem per ſe alia per accidens. Pirmum eſt: Cùm primùm homo vſum, rationis adeptus, Deum tanquam vltimum finem ſupernaturalem per lumen Fidei ſufficienter propoſitum ſibi habet, tunc obligatus eſſe videtur, vt longam moram non trahat, quin eum voluntate acceptet, & ſua omnia opera in eum referat, ſicuti docent Doctores apud S. Th. in qq. diſp. q. 28. a. 3. ad 4. & ipſemet S. Th. 1. 2. q. 89. a. 6. Bannes 2. 2. q. 10. a. 1. dub. 2. Sotus & Valentia locis citatis. Nau. c. 11. man. num. 8. & ſumitur ex ijs, quæ dixi ſuprà tract. 1. c. 10. & tract. 2. c. 2. num. 1. Quia ad ſtatum & officium viatoris pertinet, vt ad finem ſuum, qui Deus eſt, ſe conuertat, eum rebus omnibus creatis præferendo cùm alioquin neque iuſtitiam conſequi, aut in Baptiſmo acceptam longo tempore retinere, neque per bona opera iuſtitiæ augmentum, & gloriam æternam promereri poſſit. Confirmatur ex doctrina S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 3. ad 1. Quòd præceptum de diligendo Deo prærequiritur tanquam neceſſarium principium ad ſeruandas leges naturæ in Decalogo contentas: ergo non debet homo diu morari, quin principium hoc ponat.

Intelligitur autem quòd dixi, vt longam moram non trahat morali rerum æſtimatione: poſteaquam præceptum hoc diligendi, tanquam ad ſalutem neceſſarium, homini propoſitum fuit. Quod fieri deberet à Parentibus, Parochis, Confeſſarijs, vt pueros, ac rudes admoneant, cogitare à quo creati, & cur in hoc mundo poſiti ſint: nimirum, vt Deo rerum omnium Auctori ac Domino ſeruiant, ad ipſum tanquam finem ſuum actionibus tendant, qui in perpetuum vniti eſſe debent. Addit verò Suarez de Charitate diſp. 5. ſect. 3. in fine: quòd homo ſæpius etiam in vitæ decurſu, actum eiuſmodi Charitatis erga Deum elicere obligatus ſit.

Secundum tempus. Cùm ingruente graui tentatione, periculum homini impendet, ne in odium Dei labatur, niſi contrarium diuinæ Charitatis actum eliciat.

Tertium. Cum quis actum contritionis exercere tenetur, v. g. moriturus, aut ſacrificaturus, vel ſacramentum miniſtraturus, ſi conſcius peccati mortalis, Confeſſarij copiam non habeat. Nam actus contritionis, cùm ſit dolor de offenſa Dei ſuper omnia dilecti (ſicuti dicam lib. 5. tract. 6. c. 1. num. 6.) actum Charitatis neceſſariò includit.

Quartum. Si quis exiſtimet grauem tentationem, præſertim mortis tempore, ſe non ſuperaturum, niſi per amorem in Deum conuertatur. Verùm rectè obſeruat Valentia cit. q. 19. p. 1. §. dico ſecundò, & Sanch. cit. c. 35. num. 4. Interdum ſatisfieri præcepto Charitatis, ſi Deus ſuper omnia diligatur amore naturali, ſeu vt eſt auctor naturæ lapſæ, lumine naturali cognoſcibilis; quando v. g. tentatio peccati tali dilectione ſufficienter ſuperari poteſt: quamuis neque hîc ipſe actus Charitatis ſine actuali auxilio diuinæ gratiæ exerceri queat, teſte Valẽtia ibid. Vide etiam Suarez de Charitate, diſp. 5. ſect. 3.

Secundum atque ſimile primo Charitatis præceptum eſt: *Diliges proximum tuum, ſicuti te ipſum*, Matth. 22. Luc. 10. Appellatur ſecundum, quia eſt de ſecundario & minùs principali Charitatis obiecto. Appellatur ſimile, ſiue affine primo, quia ex eo conſecutione quadam oritur, iuxta illud S. Ioan. ep. 1. c. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Siquidem diuina bonitas ratio & cauſa eſt, cur homo ex Charitate diligere poſſit, ac debeat imprimis ipsũ Deum, deinde proximum propter Deum. Nomine autem *proximi* oportet intelligere eum, quem per lumen Fidei cognoſcimus diuinorum bonorum, gratiæ inquam & amicitiæ, atque cœleſtis gloriæ nobiſcum participem: videlicet Angelos, homines beatos, viatores, etiam animas in purgatorio detentas: non item malos dæmones, homines damnatos creaturas irrationales, ſicuti docent DD. in 3. d. 28. S. Bonauent. a. 1. q. 1. & 2. & d. 29. a. 1. q. 3. S. Thom. 2. 2. q. 25. & q. 44. a. 7. vbi monent: Quod iubemur proximum, diligere ſicuti nosipſos, non eſſe intelligendum ſecundùm æqualitatem (quia ordo Charitatis poſtulat, vt quiſque ſe ipſum potiùs diligat, quàm proximum ſuum, ſicut dicam cap. ſeq.) ſed ſecundùm ſimilitudinem, quæ in eo conſiſtit, vt ſicuti nobis ipſis, ita & proximis noſtris amemus ac deſideremus ea omnia, quæ ad amicitiam vnionémque cum Deo, ac beatitudinem æternam pertinent, vel conducunt. 7

Denique aduerte cum S. Thom. 1. 2. quæſt. 100. a. 3. in corpore, & ad 1. Duo præcepta de Deo, ac proximo diligendo, idcirco in Decalogo non fuiſſe numerata: quia ſunt prima practica principia, quæ omnibus ſtatim innoteſcunt, ſeu per naturalem conſiderationem, ſeu per Fidem 8

dem: vt proinde necesse non fuerit ea foris scribi, & populo Israelitico in tabulis proponi. Quamuis præcepta dilectionis in decem præceptis virtute continentur, tanquam principia in conclusionibus siquidem, vt suprà dixi omnia aliarum virtutum præcepta ordinantur ad Charitatem tanquam ad finem. Ita docet idem S. Thom. cit. q.44.a.1. ad.3

CAP. XII.

De ordine charitatis.

SVMMARIVM.

1 *Non omnia, quæ ex Charitate diligenda sunt, æquè diligenda, sed cum ordine.*

2 *Propriæ animæ salus nulli alteri bono creato posthaberi potest.*

3 *Proximo in extrema necessitate spirituali versanti succurrendum est, cum certo periculo propriæ vitæ.*

4 *Pastores autem animarum etiam in graui spirituali periculo constitutis succurrere tenentur, posthabito proprio periculo corporali.*

4 *Propriam vitam pro aliena vita exponere ordinariè non est licitum.*

5 *Vitam hominis innocentis præferre oportet vitæ nocentis, si cætera paria sint.*

6 *Qui nobis coniunctiores sunt, magis diligendi, ac iuuandi, quàm alij.*

1 SVppono primò; Non omnia, quæ ex Charitate diligenda sunt, pariter siue æqualiter diligenda esse; sed Charitatis ordinem seruandum. Ita docent Scholastici in 3. d. 29. vbi S. Bonau. a. 1. q. 2. & 3. Richar. a. 1. S. Thom. 2. 2. q. 26. allegans illud Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me Charitatem.*

Suppono secundò; Cùm diligere aliud non sit, quàm alicui bonum velle, ideo ad duo nobis attendendum esse, vt Charitatis ordinem reperire possimus: videlicet ad personam, quæ diligitur, & ad rem, quæ in illa diligitur, vel illi desideratur. Quod ad primum horum attinet; Quatuor ex Charitate nobis diligenda sunt, hoc ordine. Primum est supra nos, DEVS: Alterum sumus, nos ipsi: Tertium est iuxta nos, proximus: Quartum est infra nos, corpus hominis. Ita docent Scholastici in 3. d. 28. vbi Richard. a. 1. Gabr. quæst. vnic. S. Thom. 2. 2. q. 25. a. 12. ex S. August. lib. 1. de doctrina Christiana, c. 23. 26. 27.

Prouenit autem ordo iste diligendorum ex diuerso modo sortiendi formalem dilectionis rationem, quæ est diuina bonitas. Cùm enim ea in Deo per se primò, & secundùm essentiam insit; ideo Deus primò, præcipuè, ac maximè diligendus est, tanquam fons omnis boni, atque fundamentum & causa omnis bonæ ac ordinatæ dilectionis, sicuti docet idem S. Thom. quæst. 26. a. 3. Postremum locum obtinet corpus hominis, quippe quòd diuinorum bonorum, gloriæ, ac beatitudinis cœlestis per accidens tantùm capax est, videlicet secundùm beatitudinis fructum, ac veluti dotem ex anima beata redundantem, sicuti docet S. Thom. quæst. 25. a. 5. ad 2. & quæst. 26. a. 5. Gabr. cit. distinct. 28. quæst. vnic. a. 2. conclus. 8. Quæ verò intermerdiæ sunt intellectuales creatæ substantiæ, beatitudinis per se capaces, ex ex vno capite tantò magis diligendæ sunt, quantò magis ad similitudinem ac participationem bonitatis ac perfectionis diuinæ accedunt: Ex altero vero capite potior ac vicinior est ratio diligendi seipsum, quàm alterum: sicuti prior est vnitas siue identitas, quàm coniunctio seu societas. Seipsum enim quisque ex Charitate diligit, quia diuinorum bonorum particeps esse potest: proximum verò, quia eorundem comparticeps & socius: vt proinde hîc locum habeat doctrina Aristot. lib. 9. Ethic. cap. 8. & 9. quòd appetibilia alijs sunt ex appetibilibus sibi. Ex quo eodem capite prouenit, quòd eos qui nobis coniunctiores sunt, potiùs quàm alios diligere debeamus, vt infrà dicam. Videri potest S. Bonau. in 3. d. 29. q. 3. Rich. a. 1. q. 3. Gabr. q. vn. a. 2. conclus. 4.

Quod ad alterum attinet: Tria sunt bonorum genera; quæ vel nobis ipsis, vel alteri velle possumus: Primum continet spiritualia bona, gloriam, gratiam, & virtutes: Alterum bona corporalia: vitam & sanitatem corporis: Tertium bona externa, famam, honorem, ac diuitias.

Conclusio. Ordo diligendi ex Charitate ita obseruandus est, vt quisque primò omnium ac maximè diligat Deum: secundò, seipsum secundùm bona spiritualia: tertiò, proximum secundùm bona spiritualia: quartò, seipsum secundùm bona corporis; quintò, proximum secundùm bona corporis: deinceps se ipsum, ac proximum secundùm externa bona. Intelligitur hæc assertio ex dictis.

Corollarium I. Nunquàm licitum est, cuiuscunque boni assequendi causâ, Charitatem Dei abijcere, vel spiritualem propriæ animæ iacturam per peccatum, quantumuis exiguum, sibi velle aut optare. *Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* ait Christus apud S. Matth. cap. 18. Et Matth. 22. dilectio sui ipsius ponitur tanquam regula & norma dilectionis erga proximum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Regula autem prior & potior est, quàm regulatum, teste S. Thom. q. 26. a. 4. Quo sensu intelligi debet illud vulgatum, *Charitas incipit à se ipsa.* Et *Proximus sum egomet mihi.* Item, *Qui sibi nequam cui bonus erit?* Eccles. 14. 2

Neque obstat illud Moysis cap. 32. Exod. *Dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Nec illud S. Pauli ad Rom. 9. *Optabam* (ηὐχόμην) *ego ipse anathema*, idest, separatus seu maledictus, *à Christo esse pro fratribus meis.* Nam respondetur: Hæc dicta esse per exaggerationem, ex magna confidentia erga Deum: quomodo amico dicere solemus, *potiùs me occidas, quàm vt facias, quod proposuisti.* Vel dic, quòd voluntas Moysis & Apostoli non fuit absoluta, spoliandi se æternæ beatitudinis consecutione: sed tantùm velleitas quædam: vellem & optarem, nisi Dei voluntati atque ordinationi repugnaret, in perpetuum excidere atque separari à Christo; cœlestique gloria, si ita opus foret ad fratrum meorum salutem; qui est actus perfectissimæ Charitatis, quem ipsum Sancti illi susceperunt primò ac principaliter non propter aliorum hominum salutem, sed propter diuinæ gloriæ augmentum. Vide S. Chrysost. Theodoretū, & inter recentiores Cornelium de Lapide in cap. 9. ad Rom. Greg. Nazianzen. orat. 44. de Pentecoste; Cassian. collat. 23. c. 6. Adde, locum illum S. Pauli referri à quibusdam ad tempora Iudaismi, quando ex zelo & amore erga Iudæos & ceremonias Iudaicas, Christum persequebatur, vt videre licet apud Vasq. 1. p. quæst. 24. a. 3. Suarez de Charitate, disp. 9. s. 5. num. 4.

Corollarium II. Proximo versanti in extrema & moraliter insuperabili necessitate spirituali, succurrendum est cum certo periculo propriæ vitæ: dūmodo spes æquè certa proximum iuuandi affulgeat, nullumque grauius damnum inde secuturum putetur. Ita S. August. lib. de mendacio ad Consentium, cap. 6. S. Th. q. 44. a. vlt. ad 2. Adrianus in 4. q. de correct. fraterna. Nau. c. 24. ad finem, conuenienter S. Ioan. epist. 1. c. 3. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quare si infans absque Baptismo moriturus sit, nisi à me ministretur: teneor illum baptizare, etiam cum vitæ meæ periculo: idque colligitur ex S. August. l. c. & docent Nauar. in man. cap. 24. n. 9. Valent. disp. 3. q. 4. p. 3. assert. 5. & alij contra Sotum lib. de tegen. secreto, mem. 2. q. 2. concl. 6. Item si populus in infidelitatis errore versetur, aut pestis contagione laboret, omni Sacerdote destitutus: multóque magis, si hæreticæ prauitatis minister hæresin alicubi diffundat, debebo cum propriæ vitæ periculo remedium adhibere, si pos- 3

sim. Vide plura apud Valent. l. c.

His adde, quòd ij, qui ratione officij ex iustitia obligati sunt ad prospiciendum spirituali aliorum saluti, non tantùm in extrema, sed etiam graui spirituali necessitate cõstitutis auxilium ferre debent, cum propriæ vitæ corporalis discrimine. Quapropter tempore pestis Parochus fugere non potest, ac populum deserere: Nam, *bonus pastor animam suam dat pro ouibus*, Ioan. 3. Excepto, si alteri æquè idoneo officiũ suum cum Ordinarij consensu committat, aut resignet, sicuti ex communi docent Valent. cit. p. 3. Ioan. Chapeauille de modo ministrandi sacramenta tempore pestis c. 1. q. 4. vbi rectè tamen monet, dum Pastor beneficium curatũ, altero substituto, retinet, licet corpore absens sit, animo tamen & prouidẽtia præsentem esse debere, vt nihil necessarij ad salutem ouibus suis desit.

Cauere etiam Parochus debet, ne dum pestis tempore vnius non grauiter indigentis spirituali vtilitati consulere intendit, plures alij ex ipsius occubitu grauiorem iacturã spiritualem patiantur. quare, si solus sit, non facilè ministrare debet cum vitæ suæ periculo Sacramenta, quæ non admodum necessaria sunt, vel secundùm se, vt extrema vnctio; vel respectu personarum, quarum bonum statum Confessarius probabiliter cognitum habet, quia nuper earum confessiones exceperat. Denique quotiescunque ab aliqua persona, quam verisimilibus coniecturis Sacerdos credit non habere conscientiam peccati mortalis, vel per contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, probabilissimè timetur periculum contagionis: in tali casu maius bonum publicæ necessitatis præferendum priuatæ alicuius vtilitati. Qua de re Suarez 3. p. t. 4. de extr. vnctione in fine, Chapeauille cap. 3. q. 2. & 18. Ioan. Maior in 4. dub. 23. q. 1.

Præterea, quod dixi de obligatis ratione officij, similiter dicendum de obligatis ex delicto, vt & ipsi damnum spirituale alicui illatum, si graue sit, cum mortis suæ periculo resarcire teneantur: Exempli causa, si obstetrix infantem inualidè baptizauit. Quo loco occurrit casus, qui in praxi difficultatem habet: Obstetrix quædam, pauper mulier, confitetur Sacerdoti, se 40. circiter infantes baptizasse in nomine Zabulon: quibus postea à Parocho, sine alio baptismate, ceremoniæ tantùm adhibitæ fuerũt. Personæ autem illæ non rectè baptisatæ partim mortuæ sunt, partim adhuc viuunt: sed ferme per varia oppida, vel etiam regiones dispersæ: vt, consideratis omnibus, nullus modus excogitari possit, quo illis defectus Baptismi significetur, nisi mulier Magistratui se prodat, & extremum suppliciũ subire debeat. Quæritur, quid Confessario hîc agendum?

Respondendum videtur: quòd Confessarius imprimis mulieri explicare debet grauitatẽ peccati sui, & spirituale damnum, quod hominibus à se perperam baptizatis accidit: inducere etiam ad renuntiandum Diabolo, si cum eo (quod verisimile est) pactum habeat: Quòd si eam semel, iterum, vel sæpius, si opus sit, instructam & catechizatam, rectè dispositam existimet, & verum propositum concepisse non solùm abstinendi imposterũ ab eiusmodi sacrilegijs: sed etiam satisfaciendi, & præstandi ea, ad quæ Confessarius eam obligatam esse iudicauerit: tunc si hæc promiserit mulier, à peccatis absoluenda est.

Deinde verò seu in ipsa Confessione, seu postea, tempore magis opportuno, Confessarius operam dare debet vt in muliere excitet desiderium plenè satisfaciendi pro peccatis suis, & reparandi spirituale magnum damnum, quod innocentibus intulit, & eapropter extremum supplicium corporis libenter sustinendi ad salutem animæ suæ & aliorum, séque ipsam ad hoc offerendi. Quòd si autem Confessarius ab isto tam heroico facto mulierem suapte natura infirmam, planè abhorrentem conspiciat, non illam vrgendam multùm arbitror, dicendo v.g. aliter saluam fieri non posse; ne omnino in desperationem agatur, & in retia Diaboli recidat: sed contentus esse debet, si mulier imposterum à peccatis & sacrilegijs eiusmodi abstinere firmiter proponat. Licet enim, casum istum speculatiuè considerando, probabilissimũ videatur, quòd hæc mulier teneatur seipsam Magistratui prodere: quia salus corporis ex lege Charitatis postponenda est saluti animæ, præsertim non vnius, sed plurium personarum: Imò hæc obligatio ex iustitia esse videtur: quandoquidẽ ipsamet mulier homines illos innocentes in salutis suæ discrimen per summam iniuriam coniecit: Tamen hic ipse discursus fortasse non tam certus est, vt à nemine in dubiũ reuocari possit: propterea quòd licet maius in genere suo absolutè consideratum sit spirituale in hoc casu maximũ & certissimum est, non item spirituale; cùm homines illi per contritionem saluari possint. Sed quidquid sit de hac responsione: saltem mulier, vt ponimus, obligationem hanc seipsam prodendi & ad mortem offerendi non agnoscit: edocere autem illam probabiliter ignorantem in re non omnino euidente, consultum non est, si Confessarius arbitretur, se non persuasurum, sed magis obfuturum, vti dicam lib. 5. tract. 6. c. 13. num. 5.

Corollarium III. Ordinariè licitum non est, vitam propriam postponere vitæ alienæ. Quia, cæteris paribus, quisque, secundùm Charitatis ordinem, magis propensus esse debet ad diligendum se, quàm alterum. Nihilominus multi docent, nominatim Victor. relect. de homicidio, num. 26. & sequentibus. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 6. Bannes 2. 2. quæst. 26. art. 4. dub. 2. Sairus in claui regia lib. 7. cap. 9. dub. 5. & 6. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 6. num. 29. & sequentibus. Molin. tract. 3. de iust. disp. 14. & 18. Becanus 2. 2. cap. 19. quæst. 2. num. 18. §. tertiò, ex Aristotele lib. 9. Ethic. cap. 8. Licitum, atque laudabile esse, vitam suam certo periculo exponere, pro seruando amico, ex motiuo honestatis & amicitiæ: quandoquidem honestas virtutis maius bonum est, quàm vita propria corporalis. Quare licitum esse aiunt, amico peste laboranti inseruire cum æquè certo mortis periculo: & in communi naufragio tabulam socio cedere. 4

Hæc sententia propter Doctorum auctoritatem, & bonorum virorum persuasionem, valde probabilis est. Eam tamen non malè impugnat P. Nauar. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 41. & sequentibus. Si enim virtus Charitatis, & ordo dilectionis præcipit, vt propriam quisque vitam præferat alienę: sequitur, nullam honestatis laudem esse, si quis occumbere velit, vt vitam alienam seruet. Quare secum ipse pugnat, qui fatetur, secundùm Charitatis ordinem, vitam propriam præferendam esse vitæ proximi, & nihilominus in eo honestatis laudem quærit, si vitam propriam alienæ posthabeat. Alia verò ratio est de bonis fortunæ ac famæ: cùm enim horum dominus sit, facultatémque habeat de ijs arbitratu suo disponendi: potest ea ex rationabili causa, videlicet proximi iuuandi, negligere, aut dimittere, non autem propriam vitam. Quare S. August. lib. de mendacio ad Consentium, cap. 6. ait: *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit: non est iam diligere illum sicuti seipsum, sed plùs quàm seipsum, quod sanæ regulæ repugnat.*

Dixi autem in Corollario, *Ordinariè id licitum non esse.* Nam pro salute & incolumitate personæ publicæ, ex qua multùm pendent Reipub. commoda: quemadmodum & pro ipsa Republica: multóque magis pro Fide, ac Religione Catholica, bona temporalia relinquere: quin & propriam vitam periculo exponere, non tantùm laudabile, sed interdum necessarium est. Nam bonum quantò vniuersalius est, tantò maius ac dignius: quare sicut in naturalibus pars vna corporis periculo se exponit pro seruando toto corpore: ita & in politicis particulare Reip. membrum pro seruanda tota Republica, sicuti docet S. Thom. quæst. 26. a. 4. ad 3. Deinde ad impediendam spiritualem æternam damnationem iniusti aggressoris, cùm illum occidere iure possis, potiùs permittere ac tolerare mortem

re iure possis, potiùs permittere ac tolerare morte propriam corporalem, abundantioris Charitatis opus est, sicuti bene docent Caiet. 2.2.q.64.art.7. P. Nau.l.2.c.3. nu. 16. Victoria numero 24. relect. de homicidio. Sairus cit. dub. 6.

5 Corollarium IV. Vitam hominis innocentis præferre debemus vitæ nocentis. Quare probabilior est sententia Victor. de homicidio, num. 25. Nauar. in cap. non inferenda, 23. quæst. 3. num. 10. Molin. tract. 3. disp. 18. Occidendum esse latronem v. g. vt ex manibus eius homo innocens liberetur: cui consentire videtur Sapiens Prouerb. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Et Ecclesiast. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo suo.* Sed excipe primò: Si vitam innocentis liberare non possis, absque propriæ vitæ, aliòve graui discrimine, sicuti notat P. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 424. Secundò; Si latronis aggressio, vel occisio tibi homini imbelli, ac pugnis non assueto valde difficilis accidat. Tertiò; Si Martyr malit pro Christi Fide mortem oppetere, quàm liberari, sicuti notauit Sa ver. Martyrium, numero 2. Mol. tractatu 3. disp. 18. numero 6.

Corollarium V. Ea dilectione, quam comitatur complacitum seu gaudium in bono alieno possesso: item honor, cultus, reuerentia: ij magis diligendi sunt, qui meliores, Deóque similiores existunt, teste S. Thom. eadem quæst. 26. a. 7. 8. & 9. Ob eandémque rationem parentes magis, quàm filij & vxor: magisque benefactores, quàm ij, quibus benefecimus: quia maiorem illi cum Deo communi omnium parente ac benefactore similitudinem gerunt. Ea verò dilectione, qua desideramus alteri bonum nondum possessum, & quam comitatur misericordia & beneficentia, ij magis diligendi sunt, qui nobis coniunctiores existunt. Quare S. Augustinus libro 5. de doctrina Christiana, cap. 28. *Cùm omnibus prodesse nō possit, his potiùs consulendum est, qui pro locorum ac temporum, vel quarumlibet rerum opportunitas, strictiùs tibi quasi quadam sorte iunguntur.*

6 Corollarium VI. Qui nobis coniunctiores sunt, alijs præferri debent secundùm ea bona, in quibus coniunctio vel amicitia fundatur: quia communicatio bonorum est fundamentum amicitiæ ac Charitatis. Quare in bonis pertinentibus ad naturam & vitam corporis, illi præ alijs diligendi, qui nobis sanguine sociati sunt. Et quidem, si cætera paria sunt, in his primò omnium quisque opitulari debet vxori suæ, cum qua est veluti vna caro: Secundò filijs; quibus naturali iure plùs parentes obligati sunt ad prouidendum, quàm vice versa: *Non enim debent filij parentibus thesaurizare, sed parentes filijs*, ait Apostolus 2. ad Corinth. 12. & docet S. Thom. a. 9. Tertiò parentibus; magis patri, quàm matri: quia ille excellentiorem principij rationem obtinet, sicuti notauit S. Hieronym. in c. 44. Ezech. S. Thom. quæst. 26. art. 10. Richard. dist. 29. a. 1. quæst. 8. Imò in casu extremæ necessitatis, parentibus ante omnes alios, etiam vxorem ac proprios filios, succurrendum esse, existimat S. Thom. a. 9. & a. 11. ad 2. Quia debitum erga illos tum antiquius, tum nobilius est: siquidem ipsi nobis existendi causa & principium fuerunt; quare æquitas postulat, vt in extrema necessitate ab interitu eos liberando, tantundem rependamus. Idque etiam reuerentia postulat, quam præ alijs omnibus debemus parentibus, vt in extrema necessitate constitutos alijs non posthabeamus. Vide etiam Richard. in 3. d. 37. a. 3. quæst. 1. Henricum quodlib. 11. quæst. 16. vbi resoluit; Patri infideli potiùs succurrendum esse, quàm extraneo fideli. Quartò fratribus, sororibus, alijsque cō. sanguineis, domesticis ac familiaribus, conuenienter Apost. 1. ad Timoth. 5. *Si quis suorum, maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit.* Adde, quod Bannes q. 26. a. 8. docet insigni amico aut benefactori potiùs ex Charitatis lege subueniendum esse, quàm consanguineo non valde propinquo, vel de nobis non bene merito. Similitérque fratribus spiritualibus magis, etiam in temporalibus bonis, subueniendum videtur, quàm cognatis non valde propinquis: quandoquidem bona spiritualia, in quibus spiritualis societas fundatur, aliquo modo dependent à temporalibus, tanquam subseruientibus.

Corollarium VII. In rebus pertinentibus ad ciuilem communicationem, conciues nostri: in rebus bellicis commilitones alijs præferri debent: In spiritualibus verò auxilijs eorum maior habenda est ratio, qui nobis secundùm spiritum filij, patres, aut fratres censentur. Bañes tamen cit. loco non improbabiliter docet, parentes carnales etiam in spiritualibus rebus præferendos esse: partim quia eorum nobiscum coniunctio etiam in his fundata est: partim quia coniunctio carnalis, aliarum coniunctionum fundamentum ac basis, suapte natura prior ac stabilior est, sicuti monet S. Thom. in corp. a. 8. Richard. cit. a. 1. q. 9. Gratia autem Charitatis inclinationem naturæ non destruit: sed perficit, & ad finem supernaturalem dirigit, teste eod. S. Th. a. 7. Et quod dictū est de parentibus, eadem ratione dici debet de filiis, ac fratribus carnalibus, comparatione filiorum, vel fratrum spiritualium.

Corollarium VIII. Secundùm ea bona, quæ in præcepto non sunt, nihil alienum à ratione est, proximum sibi ipsi anteponere: v. g. beneficium dignitatem, aliúdve temporale bonum à se reijcere, vt alteri obueniat: item Religionis ingressum differre, vel intermittere, ob alterius seu spiritualem seu temporalem vtilitatem, qua de re Valentia quæst. 4. p. 3. assert. 1. Quin etiam beatitudinis dilationem optare, vt pluribus prosis, exemplo S. Martini: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Et Apostolus ad Philippens. 1. *Coarctor è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos.*

CAP. IV.

De dilectione peccatorum, atque inimicorum.

SVMMARIVM.

1 *Inimici, quatenus proximi nostri sunt, ex Charitate diligi debēt: quamuis vt peccatores detestari eos conuenit.*
2 *Inimicis nostris præstare tenemur beneficia, & signa dilectionis generalia: non item specialia, per se loquendo.*
3 *Opus Christianæ Virtutis in consilio positum est, specialibus beneficiis inimicum sibi conciliare.*
4 *Superior subditum peccantem, correctionis causa, etiam communibus signis amore priuare potest.*

ASsertio I. Peccatores atque inimici ex Charitate diligendi sunt, quatenus proximi nostri, id est, eiusdem naturæ consortes, & beatitudinis æternæ capaces sunt. Ita S. Thom. q. 25. ar. 6. & 8. & quæ. 83. ar. 8. & alii Scholastici in 3. distinct. 28. vbi S. Bonauent. art. 1. quæst. 3. & in d. 30. vbi Gabr. quæst. vnic. art. 2. Sumitur ex ca. 5. S. Matth. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos.* Verùtamen, quod in illis est malum peccati, odisse ac detestari conuenit, (exemplo Dauidis Psalm. 118. *Iniquos odio habui*) idque per emendationem tollere, si ipsimet iure possimus: vel optare vt à Deo, aliòve legitimo Magistratu puniatur: Quin & in eiusmodi punitione lætari possumus, nostra, vel aliorū causa: è contrario verò tristari, si peccatoribus conatus suos feliciter succedere videamus. Quare Psalmista inquit Psalmus 103. *Deficiant peccatores à terra, ita vt non sint.* Et Apostolus ad Galat. 5. *Vti-* 1

Nam & abscindantur, qui vos conturbant. Et S. Gregor.l. 22. moral.c.11. *Euenire plerumque solet, vt non amissa Charitate, & inimici nos ruina lætificet: & rursus eius gloria, sine inuidiæ culpa, contristet: cùm & ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente eo quosdam iniustè opprimi formidamus.* Siquidem Reipublicæ interest, vt mali affligantur atque è Communitate tollantur. Neque refert, etsi interdum spiritualis eorum ruina timeatur: ne v.g. relegatus ad hæreticos transeat; siquidem malum eiusmodi permitti debet maioris mali vitandi causa. Accedit, quòd ipsis quoque peccatoribus plerumque prosit, vt paupertate, infirmitate, aliísque calamitatibus afflicti & exercitati, ad saniorem mentem redeant: vel morte præuenti, suam ipsorum damnationem peccando augere desinant.

2 Assertio II. Ex Charitate obligati sumus prestare inimicis nostris beneficia & signa dilectionis generalia, (id est, quæ communiter omnibus eiusdem status ac conditionis hominibus præstare solemus) non item specialia. Ita S. Thom. quæst.25. art.8. & 9. iuncto Caiet. Richardus in 3. distinct. 30. art. 1. quæst.1. Gabr. quæst. vn. art.2. Nauar. c.14. num. 25. Prior pars assertionis declaratur exemplis: Si pro tota aliqua Communitate ores, vel eleemosynam in omnes ciuitatis pauperes distribuas, cognatos omnes ad cœnam inuites, omnes in vicinia, Collegio, Monasterio obuiam tibi factos salutare soleas, nefas est solum inimicum ab eiusmodi beneficio, vel dilectionis signo excludere. Ratio est: Quia talis exclusio vindictæ cupiditatem indicat, quæ priuatis personis interdicta est, iuxta illud Leuit. 19. *Non quæres vltionem, neque eris memor iniuriæ ciuium tuorum.* Loquor de priuatis, siue ijs qui vindicandi, puniendíve ius nullum habent. Alia verò ratio est de Parente, Prælato, &c. qui subditos in se peccantes à communibus beneficijs, vel amoris indicijs excludere possunt, correctionis causa.

Posterior pars declaratur etiam exemplis: Inimicum ægrotum inuisere, mœstum solari, hospitio accipere, obuiam factum salutare, per se loquendo, non teneris: nisi is in necessitate aliqua positus sit, id est, eiusmodi beneuolentia vel auxilio specialiter indigeat, sicuti docent S. Thom. cit. a. 9. S. Bonau. in 3. d. 30. a. 1. q. 5. Richar. ibid. a. 1. q. 1. Ratio est: Quia præceptum affirmatiuum de exhibenda speciali dilectione aut beneficentia non obligat semper, sed in casu necessitatis, iuxta illud Prouerb. 23. ad Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum.* Quamuis interim quisque semper animo paratus esse debet speciatim subuenire inimico, cùm is indiguerit.

Dixi autem *per se loquendo*: At verò ob accidentarias circumstantias aliter euenire potest: Primò, ratione scandali vitandi, si negando specialia signa amoris, quæ antea prestare solitus eras, maius erga te hominis odium, vel iram concites. Secundò, Si salutatione, vel simili beneuolentiæ signo animum inimici tibi ac Deo facilè conciliaturum arbitreris, sicuti notauit Azor to.2. lib.11. c.3. q. 3. Tertiò, Si ad depellendum odium, quod aduersus hominem geris, necessarium esse existimes, specialia amoris effecta ipsi præstare, sicuti præter alios monet Nau. l. 5. consil.3. n.6. de pœnit. edit.2. Denique inimicum salutantem vicissim salutare necesse est, veniam petenti tribuere, & alia tunc amoris indicia exhibere, quæ declarent simultatem depositam, & amicitiam redintegratam esse, sicuti docet S. Th. 2.2. q. 83. a. 8. Nau. ca.14. man. nu. 9. Quod limitari debet, sicut suprà: Nisi Superior, iustæ correctionis aut vindictæ causa, reconciliationem differendam esse arbitretur.

3 Atque hæc intelligenda sunt de obligatione præcepti. Interim verò magnæ Christianæ perfectionis opus & eximiæ Charitatis indicium est, quod Apostolus monet ad Rom.12. *Non solum non vinci à malo: sed vincere in bono malum:* id est, non tantùm non moueri odio hominis, ad reddendum ipsi odium, ac vindictam: quod illicitum est: sed contrà, exhibendo amoris ac beneuolentiæ signa, extinguere malum hominis odium, & congerere carbones ignis charitatis super caput inimici, quibus emollitus odium deponat. Quamquam interdum, si inimicus ita animo ac moribus comparatus esse videatur, vt singulari beneuolentia affectus deterior fiat, intermittenda sunt specialia amicitiæ signa, ac beneficentiæ opera.

Assertio III. Qui ab inimico iniuria affectus est, nullum odium inimicitiæ concipere, sed offensam ex animo cōdonare tenetur, vt vindicare ipsemet nolit. Sumitur ex c. 6. S. Matth. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Ratio est, quòd odiū personæ, seu odium inimicitiæ per se malum, & nunquā licitum sit. Dixi autem *ex animo condonandum esse* iniuriam: Nam ex phantasia, ac memoria eandem pellere valde difficile, & quibusdam impossibile est, vti notauit Syl. ver. charitas, q.6.

Deinde actionem iniuriarum tam ciuilem, quàm criminalem, qui iniuriam passus est aduersus inimicum instituere iure potest, non ex odio: sed illam quidem, vt illatum damnum compensetur, vel pro iniuria parti læsæ satisfiat: hanc verò publicæ iustitiæ amore, ne crimina impunita maneant, cum Reipub. incommodo, sicuti præter alios docet Rich. in 3. d. 30. a. 1. q. 2. Abb. in c. 1. n. 6. de Maledicis. Gabr. in canon. Missę, lect. 73. propos. 3. Gouar. in lib. 2. resol. cap. 10. n. 7. Martin. Nauarrus lib. 5. consil. 1. de accusat. & consil. 3. de pœnit. & remiss. num. 2. edit. 2. cum Gl. recepta in cap. si quis contristatus, d. 90. Quamuis ferme periculo non vacat, actionem criminalem aduersus inimicum instituere: quòd pauci reperiantur, qui ea in re iustitiam & commune bonum syncerò animo spectent, & non etiam propriæ vindictæ cupiditatem explere velint. Vide etiam Gabr. in can. Missæ lect. 76.

Ex dictis resolui potest iste casus. Iuuenis contra parentum voluntatem indigno matrimonio se copulauit, & non paruo dedecore familiam affecit: eapropter parentes & fratres hominem ad colloquium suum admittere, eique veniam petenti ignoscere constanter recusant; quæritur an à Confessario absolui possint? Resp. Quòd pater, offensus à filio, in locum pœnæ, reconciliationem ipsi ad tempus negare possit: & idcirco reliquis suis liberis totique familiæ præcipere, vt hominem, qui ita deliquerat, ad domum vel consortium suum non admittant, quovsque delicto conuenientes pœnas luisse censeatur: & familia hac in re præcipienti parere potest, veluti ministri, & executores iustæ vindictæ paternæ.

Quare Confessarius in hoc casu duo exquirere atque perpendere debet: I. Vtrum pater, vel fratres ex animi odio procedant; an solùm iustam vindictam spectent ad ipsius delinquentis emendationem, familiæ honorem, & aliorum maiorem cautelam procurandam. II. Vt vindicta siue pœna, quæ delinquenti irrogatur, non excedat mēsuram delicti: quare in perpetuum non poterunt illi reconciliationem denegare: sed tantùm ad tempus differre: quovsque videbitur conueniens ad punitionem, & fines bonos, qui propositi sunt, consequendos.

CAP. V.

De actibus charitatis.

SVMMARIVM.

1 *Actus Charitatis sunt dilectio, gaudium, pax.*
2 *Gaudium, & pax in hac vita perfectè obtineri non possunt.*

Primus ac præcipuus Charitatis actus internus est *dilectio*, per quam alteri bonum volumus, secundùm affe- 1

affectum amoris ac communicationis eius boni (videlicet beatitudinis, vel alterius conducentis ad illam) in quo amicitia, seu amor Charitatis fundatur. Quare S. Th.q.27. a.2. ex Arist.9. Ethic. cap.4. aduertit, propter affectum vnionis, amatum reputari, quasi eundem cum amante, vel ad ipsum pertinentem. Vide etiam S.Dionys. c.4. de diuinis nominibus.

Porrò, huic interno actui charitatis, quatenus ad proximum tendit, respondet externus actus, ac veluti executio illius, quæ dicitur *beneficentia*. De vtroque actu extat præceptum epi.1.Ioan.c.3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*: id est, tum animo, tum externa exhibitione.

Præter actum dilectionis alios inde consequentes numerat S.Paulus ad Galat.5. *Fructus autem Spiritus sunt, Charitas* (id est actus dilectionis) *gaudium, pax* Gaudium est quies animi in bono præsente, ac possesso: qua de re S.Th.q.28. a.1. Dupliciter autem de Deo, tanquam bonorum optimo, & præcipuo Charitatis obiecto gaudere possumus: Primò, cùm lætamur de diuinis bonis, quatenus secundùm immutabilem, & infinitam perfectionem in Deo sunt. Secundò, cùm lætamur de Deo ipso, veluti amico nobis præsente, ac vnito, secundùm nobilissimum eius effectum, gratiæ videlicet ac Charitatis donum: de quo Christus apud S. Ioan. c. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus; & mansionem apud eum faciemus*. Et epist.1.Ioan.c.4. *Qui manet in Charitate in Deo manet*.

2 Verùm rectè monet S.Thom. a.3. gaudium huius vitæ nonnisi imperfectum esse: siquidem viator finem suum, ac beatitudinis bonum nondum possidet: sed motu Spei ac desiderij ad illud tendit, conuenienter Apostolo ad Roman.12. *Spe gaudentes*. Accedit, peccata, quibus vel nos ipsi infestamur, vel proximi nostri obnoxij fiunt, sæpe nobis iustam tristandi causam præbere: tristitia autem repugnat gaudio. Ita notauit Sanctus Thomas articulo 2.

Porrò gaudium, quatenus ad proximum tendit, versatur circa bona ipsius, quibus ad cœlestem beatitudinem promoueri potest: vel eâdem iam fruitur, si beatus sit.

Pax definitur à S. Thom. quæst.29. art.1. ex S. August. lib.13. de ciuit. cap.13. *Tranquillitas ordinis*. Consistit autē in eo, vt voluntas nostra diuinæ voluntati adhæreat, ad eámque reliquas interiores appetitiones, tanquam regina & motrix aliarum facultatum, accommodet: vt rectè dictum sit Psal.118. *Pax multa diligentibus legem tuam*: Deinde verò vt eadem voluntas cum proximi voluntate consentiat in ijs, quæ ad communem beatitudinis finem pertinent.

Rectè tamen monet S. Thom. pacem in hac vita non nisi imperfectam esse: plenam autem ac perfectam in patria expectari, secundùm illud Dauidis de cœlesti Hierusalem loquentis Psal. 147. *Qui posuit* (Deus) *fines suos pacem*. Nam in hac vitâ multa necessariò occurrunt, quæ rectè voluntati aduersantur; tum in ipso homine, *Caro enim concupiscit aduersus spiritum*; ad Gal.5. tum extra hominem: quia ob multarum rerum ignorantiam, sæpenumero inter homines opinionum diuersitas oritur, & exinde non rarò diuersitas in electione voluntatis, vt diuersis diuersa placeant, quod licet salua pace accidere possit: quia, vt Arist. ait lib.9. Ethic.c.6. ad amicitiam non pertinet concordia in opinionibus intellectus speculatiui; (nam amici sæpe inter se dissentiunt v.g. in Scholasticis quæstionibus) sed magis concordia voluntatis in deligendis bonis conferentibus ad vitam, Christianus addet, *æternam*: dissentire autem in electione bonorum paruorum, ac indifferentium, seu quæ in præcepto posita non sunt, quasi non videtur esse dissensus: tamen negari non potest, talibus mutuis dissensionibus pacem nostram aliquo modo imperfectam reddi. Vide S.Th.a.3. ad 2.

CAP. VII.

De misericordia & Eleemosyna corporali.

SVMMARIVM.

1 *Misericordia virtus est charitati affinis.*
2 *Misericordia est de aliena miseria, aliquo modo inuoluntaria, quæ vt propria æstimatur, patienti autem indecens.*
3 *Eleemosyna duplex est, spiritualis, & corporalis.*
4 *Eleemosynæ præceptum oritur vel ex parte dantis habentis bona superflua: vel ex parte accipientis: si in necessitate extrema, aut graui positus sit.*
5 *Probabilius est, quòd ex superfluis bonis eleemosyna danda sit communem inopiam patientibus: quamuis hæc obligatio censenda non sit sub mortali.*
6 *Qui mutuo, aut venditione succurrere potest necessitati proximi, non tenetur donare.*
7 *Illicitè acquisita, si proprio domino restitui debent, aliis in eleemosynam dari non possunt: secus est, si quæ malè aut turpiter acquisita, tamen in acquirentis dominium transierunt.*

Misericordiæ virtus Charitati valde affinis est, quippe ex qua proximè nascitur, teste S.Ioan.Epist.1.c.3. 1
Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo? Definitur à S. August. lib. de ciuit.c.5. *Alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua vtique si possumus, subuenire compellimur.* Illi secundùm excessum opponitur nimia cordis mollities siue indulgentia; secundùm defectum verò cordis durities atque crudelitas.

Ad actum misericordiæ tria requirit Aristot.2. Rhet. c.8. I. Vt sit de aliena miseria, æstimata quasi propria: quod duobus modis accidit, teste S. Thom. q.30. a. 2. Primò, Propter vnionem affectuum, quam amor amicitiæ parit: amicus enim, vt suprà dixi, æstimat amicum tanquam alterum se, & ideò malum eius quasi propriū: quare idem Arist. 9. Eth. c. 4. inter amici officia numerat, amico dolenti condolere. Et Apost. ad Ro. 12. *Gaudere cum gaudentibus; & flere cum flentibus.* Secundùm, Propter realem communicationem miseriæ seu actualē, seu potentialem: siquidem homo misericors, ob naturæ societatem, eadem sibi accidere posse arbitratur, quæ in misero homine videt, ideóque ipsius miseretur ac condolet. 2

Hinc existit primò, Quòd infirmi, senes, ac sapientes cùm propriam naturæ imbecillitatē cognoscant, ad miserendum propensiores sunt, quàm insipientes, potentes, & qui se felices, fortes, & à miseris immunes iudicant. Existit secundò, quod Apostolus ad Hebr. 2. de Christo annotauit: *Debuit per omnia* (excepto peccato & ignorantia) *fratribus assimilari, vt misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum*: id est, vt miserias nostras in se ipso expertus, pronior fieret ad miserendum, & pro nobis apud Deum Patrem intercedendum.

II. Requisitum est: Vt miseria patienti aliquo modo inuoluntaria, ac necessaria sit. Qui enim sponte miser est, misericordia dignus non æstimatur, v. g. diues qui ob auaritiam, vel robustus qui ob pigritiam miserè victitat. Veruntamen Christo Domino & Martyribus eius meritò compatimur, quia licet passionis fructum sponte ac libenter amplexi sint: tamen repugnantiam & tristitiam propter dolores experti, sicuti Dominus de se in horrore testatus est: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Matth.c.26. Nam miseriam, quatenus miseria & malum quoddam est, vnusquisque naturaliter abhorret.

III. Requisitum est, Vt malum seu miseria æstimetur

aliquo modo esse contra dignitatem personæ patientis. Quare experimur, minui, aut penitus extingui commiserationis affectum, cùm iudicamus eum, qui patitur, ita meritum esse. Contrà verò, tantò magis miseremur, quantò digniorem, vel innocentiorem personam æstimamus, quæ miseriam patitur. Ex quo etiam fit, superbos, sicuti ad alios contemnendos, damnandósve procliues ita ad miserendum tardos esse.

3 Externus actus siue opus misericordiæ à Græcis dicitur Ελεημοσύνη. Cùm autem homo animo & corpore constet, quorum vtroque miseriam in hac vita pati potest: ideò duplex eleemosynæ species est: Vna spiritualis, altera corporalis: de quibus S. Th. q. 32. a. 2. Nau. c. 2. 4. n. 3.

Definitur Eleemosyna apud S. Th. q. 32. *Opus quo datur aliquid indigenti ex commiseratione, propter Deum.* Quæ definitio potissimùm assignata videtur eleemosynæ corporali; quamuis etiam spirituali eleemosynæ accommodari possit. Additur autem *propter Deum*: quia sermo est de operibus misericordiæ, quatenus à Charitate Dei imperantur, atque æternam mercedem merentur, sicuti notat S. Thom. a. 1. ad 1. Videri etiam potest Nau. in c. quamobrem, d. 1. de pœnit. n. 6. & 7.

De corporali eleemosyna extat præceptum ab Apostolo commendatum 1. ad Timoth. c. vlt. *Diuitibus huius seculi præcipe, facilè tribuere*: apud S. Ioan. Ep. 1. c. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi*, &c. apud sanctũ Matth. c. 25. *Esuriui enim, & non dedistis mihi*, &c. Prouerb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit & non exaudietur*, Ezec. 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia & saturitas panis, & manum egeno & pauperi non porrigebat.*

Intelligendum verò istud est præceptum respectu omnium proximorum indigentium, etiam peccatorum, infidelium, & inimicorum, iuxta illud Apost. ad Rom. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi.* In quo imitamur Deum Patrem nostrum cœlestem; *qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Matth. 5. Quare etiam Christus dixit Luc. 6. *Omni petenti te tribue.*

Notat tamen Becanus c. 21. dub. 10. n. 23. reprehendi non posse Magistratus illos, qui ex ciuitatibus suis pauperes peregrinos expellere solent: si id faciant primò, Quia pauperes domestici peregrinis præferendi sunt, si vtrisque satisfieri non possit. Secundò, Quia peregrini sæpe inferunt morbos, corruptelas, hæreses, contentiones, proditiones. Tertiò, quia multi ex illis sano & integro corpore sunt, qui exclusi, de victu per labores honestè acquirendo cogitabunt. Nam eiusmodi robusti, qui cibum manuum labore acquirere possunt, à mendicitate arcendi sunt, iuxta tit. C. de mendicantibus validis lib. 11. Vide tamen, si placet, Medinam C. de eleemos. q. 7. & 8.

4 Porrò, cùm præceptum dandæ eleemosynæ affirmatiuum sit, non omni tempore obligans, notanda est doctrina S. Th. a. 5. Palud. in 4. d. 15. q. 3. a. 2. Obligationem faciendæ eleemosynæ corporalis ex duplici capite oriri: Primò, ex parte dantis, si habeat bona superflua: siue ea sint superflua naturæ, id est, non necessaria ad vitam suam, vel suorum sustentandam: siue sint superflua personæ, id est, non necessaria ad personæ statum ac dignitatem tuendam. Secundò, Ex parte accipientis, si in necessitate positus sit, quæ triplex esse solet: Vna extrema, cui nisi succurras, homo vita periclitabitur. Altera grauis, cui nisi succurras, vitam ægrè ac difficulter sustentabit: vel statu ac dignitate sua priuabitur. Tertia ordinaria siue communis, qualis ferme eorum est, qui ostiatim mendicant, vel in hospitalibus aluntur.

His positis, quædam extra controuersiam esse debent: Primò, De necessarijs naturæ non extat præceptum faciendæ eleemosynæ: quia suam suorúmque vitam & incolumitatem quisque potest, imò etiam debet alienæ vitæ & incolumitati anteponere. Ita S. Th. cit. q. 32. 5. vbi rectè excipit casum, Si quis *subtrahendo sibi daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respub. sustentaretur: quia pro talis personæ liberatione, se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret: cùm bonum commune sit proprio præferendum.*

Secundò, De necessarijs personæ siue statui conseruando, facienda est eleemosyna homini extremam naturæ necessitatem patienti. Nam ordo Charitatis postulat, per se loquendo, & cæteris paribus, vt proximi vitam pluris faciamus, quàm dignitatem propriam. Ita videtur sentire S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 24. in fine, & expressè docent Syl. ver. eleemosyna, q. 1. conclus. 5. Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 7. conclus. 2. Nauar. in man. cap. 24. n. 5. Azor t. 2. lib. 12. cap. 7. q. 5. Valent. t. 3. disp. 3. q. 9. p. 4. Sa ver. eleemos. num. 1. Med. C. de eleemosyna, q. 3. P. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 361. Caiet. 2. 2. q. 32. a. 6. Bannes ibid. vbi explicant S. Th. qui cit. a. 6. contrarium sensisse videtur.

Dixi autem *per se loquendo*. Quia nemo tenetur pro seruanda pauperis vita statu suo excidere, si maius id damnum videatur quàm illius mors, sicuti rectè notauit Sa n. 5. Nemo item tenetur magnam pecuniæ summam dare pauperi, ad emẽdam necessarium quidem medicinam, sed exquisitissimam magnique pretij: cùm neque ipsemet infirmus, tametsi pecunias haberet, eiusmodi medicinam sibi comparare deberet: sufficit enim adhibere communia remedia, ait Sa n. 4.

Tertiò, Proximis constitutis in graui necessitate succurrendum esse videtur etiam cum modico, & vix æstimabili proprij status detrimento. Ita significant S. Th. q. 32. a. 6. in corpore. Valent. cit. p. 4. prope finem, §. secundò controuersum. Bannes q. 32. a. 6. dub. 4. P. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 361. & alij communiter, contra Rosel. ver. eleemosyna, Gabr. in 4. q. 16. d. 4. a. 2. concl. 2. Abb. in c. si verò, n. 6. de iureiur.

Quartò, In communem pauperum necessitatem opes suas cum notabili status detrimento profundere, vt v. g. officium Consulis, dignitatem Doctoris deinceps sustinere non possis; plerumque non expediens, neque licitum est; nisi quis velit ad perfectiorem paupertatis Euangelicæ statum transire, secundùm consilium Christi, Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni sequere me.* Idque notauit S. Th. cit. a. 6. Palud. in 4. d. 15. q. 3. a. 2. Syl. l. c. conclus. 2. Bellar. in lib. 3. de bonis operibus c. 8. Videri etiam potest. Nauar. c. 24. n. 6. vbi explicat, quæ dicantur pertinentia ad statum personæ; videlicet, quæ necessaria sunt sustentandis filijs, filiabus, famulis, hospitibus: item ad conuiuia, donationes honestas: ex quo colligit, non ita frequenter iudicandum esse, homines seculares plura in bonis suis habere, quàm ad statum eorum necessarium sit.

Quintò, Ex superfluis naturæ ac personæ danda est eleemosyna non tantùm extremam, sed etiam grauem necessitatem patientibus: si duæ conditiones adsint: I. Si talem pauperum necessitatem perspectam habeas: nam inquirere quibus subuenias, nõ teneris, sicuti S. Ambrosius indicat lib. 1. de offic. c. 31. *Grandis culpa est, si sciente te, fidelis egeat: si scias eum fame laborare, ærumnam pati, præsertim, si mendicare erubescat*: quibus postremis verbis eos indigitat, qui honestis parentibus nati, sæpe grauiore paupertate premuntur, quando pub'icè mendicare eos pudet. II. Si nemo alius adsit, qui miseriæ pauperis subuenire possit, ac velit: si enim alius opem laturus est, non est pauper in necessitate positus, sicuti notauit S. Th. cit. a. 5. ad 3. 5

Exinde rectè colligunt Syl. ver. Aduocatus n. 11. Less. lib. 2. cap. 31. dub. 7. Aduocatũ ex Charitatis lege obligari, vt gratis patrocinetur pauperi, cui nemo alius patrociniũ præstiturus

præstitutus est, non tantùm si ille in extrema necessitate constitutus sit: sed etiam si in graui: vt si putetur iniustè damnandus ad triremes, ad publicam flagellationem, &c. nisi in iudicio defendatur. Similia habet Suar. de Charitate, dis. 7. s. 4. n. 5.

Controuersum autem est inter Doctores: Vtrùm ex superfluis naturæ, ac personæ largiendum sit communẽ inopiam patientibus? Negant Alex. de Hales in 4. p. q. 113. mem. 1. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 24. §. vlt. Gabr. in 4. d. 16. q. 4. art. 2. conclus. 5. Maior l. c. Summa Confessorum lib. 3. tit. 8. q. 4. Vasq. tract. de eleemos. cap. 1. dub. 3. & 4. Sed contraria sententia est S. Thom. 2. 2. q. 66. ar. 7. & cit. qu. 32. a. 5. vbi concludit: *Dare Eleemosynam de superfluo est in præcepto: & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate*: quæ verba non copulatim, sed copulatiuè accipienda sunt, vt duobus casibus præceptum eleemosynæ obliget, sicuti clarè indicat idem S. Tom. 2. 2. q. 118. art. 4. ad 2. & de malo, quæst. 13. art. 2. ad 4. & in 4. d. 15. q. 2. a. 1. q. 4. Primò, Si quis habeat superflua: quo casu nunquam deesse solent pauperes, si non extrema, aut graui, saltem communi seu ordinaria penuria laborantes, quibus subueniri possit. Secundò, Si proximus in extrema necessitate constitutus sit: quo casu ex bonis etiam non superfluis, quæ tamen absolutè necessaria non sunt, subueniendum est. Ita S. Thom. explicat Caiet. in cit. a. 5. & to. 2. opusc. tract. 5. de præcepto Eleemosynę, eandémque sententiam tenent Richar. in 4. p. 15. art. 2. q. 2. & 5. Paludanus ib. q. 3. a. 2. Sotus lib. 5. de iust. q. 3. a. 4. Cou. 3. resc. c. 14. n. 5. Valent. ci. p. 4. §. quæ sint controuersa, Bellarm. l. 3. de bonis operibus c. 7. Ban. 2. 2. q. 32. a. 6. du. 1. & 2. Azor t. 2. lib. 12. c. 7. qu. 4.

Nunc probatur responsio; Quia Charitas quemlibet obligat ad subueniendum proximo in quauis miseria cōstituto, si facilè tolli aut subleuari possit: Debet enim quilibet diligere proximum, sicuti seipsum. Et, *Cuius Deus mandauit de proximo suo*, Eccles. 17. Sed qui diuites sunt, & bona superflua habent, facilè atque sine æstimabili incommodo suo, multorum pauperum communem inopiam ac miseriam subleuare possunt: Ergo ad id obligantur. Accedit, hanc esse Dei prouidentiam ac voluntatem, terrenas diuitias inæqualiter distribuentis, vt qui eis abundant, per opera misericordiæ: qui autem carent, per patientiam æternæ gloriæ mercedem sibi comparent vt proinde tam paupertas, quàm diuitiæ dona Dei sint, de quibus & pauperes & diuites rationem ipsi reddituri, an illis secundùm diuinum propositum ac voluntatem vsi fuerint.

Quæres: Vtrum ista obligatio sit sub culpa mortali, an veniali? Respondeo. Cùm pauperum communis miseria leuis ac tolerabilis esse soleat, auxilium aliquod denegare si cōmodè afferri possit, & nulla negãdi ratio adsit, videtur esse culpa tantũ venialis. Porrò hæc ipse rogātibus pauperibus eleemosynam iusta negandi causa esse solet, si diues propositum habeat aliis dandi, loco aut tempore commodiore, vel magis indigentibus, vel si superflua quę habet, ad alium pium vsum conferre velit, vt Medina notauit q. 3. de Eleemosyna, §. videtur secundò. At verò, si abũdans diuitiis nulla rationabili excusatione motus, omnes à se mendicos & pauperes inhumaniter repellat, is nimis inordinato diuitiarum amore affectus, & Dei ac proximi charitate exutus, idcóque in malo statu versari videtur, iuxta verbum Christi Matth. 6. *Non potestis Deo seruire & Mammonæ.* Quamuis Confessarius absolutionem à peccatis diuiti non facilè negare debeat, quòd communes pauperum miserias per eleemosynam subleuare monitus recuset: tum quia de obligatione hac, an & qualis sit, Doctores non consentiunt: tum quia moraliter vix accidit, diuitem nullam, saltem in speciem, causam afferre posse, cur eleemosynas dare non soleat; Et ita notauit Medina quæstione 3. in fine, Sanum. 2. Luisius Turrianus 2. 2. disp. 82. du. 2. in fine. Vide etiam Suar. de Charitate, s. 3. dicto 3. & 4.

Deinde notandum est cum Bellarmino l. c. Vasq. tr. de eleemosyna c. 1. dub. 6. Si proximi egestas, qualiscunque ea sit: alia ratione, v. g. mutuo, venditione tolli possit: quia egens alio loco pecunias depositas habet, vel paulò post artificio acquisiturus est: tali casu non obligatur diues ad donandum, præsertim quantitatem notabilem. Quod ostenditur exemplo Tobiæ c. 5. qui pecunias Gabelo non donauit, sed mutuò dedit. Et Ioseph i c. 41. Gen. qui frumentum Ægyptiis non donauit, sed vendidit: vterque tamen misericordiæ officium præstitit. *Iucundus* enim *homo qui miseretur & commodat*, ait Dauid Psal. 111. Et Ecclesiastic c. 19. iubet *proximo fœnerari*, id est mutuò dare, *in tempore necessitatis illius*. 6

Accidit etiam interdum, vt proximus indigeat tantùm vsu alicuius rei, non ipsa re: tunc satis erit illam commodare postea restituendam: vt si ei, quem hostes spoliarunt, vestes commodem, donec domum suam reuersus sit. Qua de re Nau. c. 17. n. 61. Med. qu. 5. de eleemos. Becanus c. 21. du. 5. Turrianus disp. 82. du. 6. §. pro explicatione, Vasq. l. c. P. Nau. lib. 3. c. 1. n. 366. Suar. de Charitate, dis. 7. s. 5. 7

Denique quæritur; Vtrum de illicitè acquisitis eleemosyna danda? Resp. cum Alensi 4. p. q. 110. me. 3. S. Th. q. 32. a. 7. S. Bonau. in 4. d. 15. a. 2. q. 1. Richar. ibid. a. 2. q. 5. & Dico I. Si illicitè acquisita obnoxia sunt restitutioni faciendæ certæ personæ, aut Ecclesiæ, tunc pauperibus erogari non possunt: quia ex alieno liberalem esse species furti est.

Dico II. Si illicitè acquisita obnoxia sint restitutioni ipsis pauperibus faciendæ, v. g. cùm dominus illorum ignoratur, tunc erogari quidem debent; Sed hoc non est propriè opus eleemosynæ, cùm ex iustitia debitum sit, sicuti notauit S. August. Ep. 54. ad Macedonium, relatus in c. vlt. 14. q. 5. Vide testimonia plura, quæ ad vtramque assertionem confirmandam congerit Gratianus ead. q. 5. & Bellarm. cit. lib. 3. c. 9. Rectè autem monet Pet. Naua. lib. 4. c. 2. n. 60. Etiam in hac distributione bonorum incertorum, quæ ex iuris positiui dispositione, sicuti & legatorum, quæ ex testatoris iussu pauperibus fieri debet, seruandum esse ordinem Charitatis: ita, vt si qui sint in extrema vel graui necessitate constituti, his prę aliis pauperibus tribuatur: qua in re consultum est prudentis Parochi, vel Confessarii consilium adhibere.

Dico III. Si illicitè acquisita restitutioni obnoxia non sint, eò quòd non ipsa acquisitio, siue acceptatio illicita fuit, sed opus propter quod acquisita, cuiusmodi sunt turpia sordida lucra lenonũ, meretricum, histrionum: ex his eleemosyna pauperibus rectè fieri potest. Attamen Ecclesia talium oblationes ad altare, vel pro Missæ sacrificio non acceptat: partim ob seruandam reuerentiam rerum sacrarum: partim ob scandalum vitandum; ne parte lucri ex his operibus recipiẽdo, approbare videatur: partim ad imitationem legis veteris, qua prohibitum erat Deuter. 23. ne offerretur merces prostibuli in domo Domini, quia abominatio est apud Deum. Plura de eleemosyna. videl. à quibus personis fieri possit, vide lib. seq. tr. 4. c. 12. n. 6.

CAP. VII.

De correctione fraterna.

SVMMARIVM.

1 *Fraterna correctio actus quidam est misericordiæ virtutis.*
2 *De eo extat præceptum Christi, Si peccauerit in te frater tuus corripe eum. Matth. 18.*
3 *Obligatio hæc suopte genere est sub mortali, sed sæpenumero*

tantum venialis efficitur, vel propter indispositionem eius qui corripere debet, vel propter materiæ, seu peccati emendandi paruitatem.

1 Correctio fraterna est actus misericordiæ spiritualis, quo per conuenientem sermonem, proximum à malo peccati ad bonum honestatis conuertere nitimur, secundùm illud Psal. 140. *Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me.* Tametsi enim peccatum libera voluntate suscipitur; pœnæ tamē reatū, quē peccator refugit, necessariò adiunctum habet. Deinde propter naturæ infirmitatem, passionem, vehementiam, intellectus cæcitatem, inueteratam peccandi consuetudinem, plerumq; peccator quodam veluti peccati vinculo constringitur, quo illum exoluere seu admonendo ne in peccatum, cuius periculum ipsi impendet, consentiat, seu admonendo, vt ex peccato, in quo positus est, exurgat: magnum spiritualis misericordiæ opus est.

De correctione fraterna habemus præceptum Christi
2 apud S. Matt. c. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum. In te*, idem est, quod contra te: siue id fiat directè, siue indirectè. Nam etiam qui in se ipsum, vel contra Deum peccat, vidente aut sciente te, is scandalum tibi, vel saltē iustam indignandi causam præbet. Quare S. August. serm. 16. de verbis Domini, dictum præceptum de omni peccato proximi, quod in alterius notitiam deuenit, accipiēdum esse docet. Idémque sentiunt S. Bonau. in c. 17. Lucæ Gl. in c. si peccauerit, 2. quæst. 1. Valentia t. 3. dis. 3. q. 10. p. 2. & alij.

Frater tuus. Quo nomine comprehenduntur omnes Christiani, siue qui Ecclesiæ membra sunt, vti colligitur ex verbis sequentibus, *Si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Eodemque sensu hoc nomen accipitur Matth. 13. *Omnes vos fratres estis.* Notat verò Gabr. super canon. Missæ lect. 74. aliter corripiendum esse inferiorem, aliter æqualem, & aliter superiorem. Nam inferior plerumque priùs increpandus, postea mansuetè hortandus est: vt vulnus correptionis asperæ homini inflictum, mox mansuetudinis veluti emplastro sanetur, monente Apost. ad Gal. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Æqualis verò amicè commonendus, secundùm eandem Apost. 2. ad Thessal. 2. *Nolite quasi inimicum æstimare: sed corripite vt fratrem.* Superior denique humiliter rogandus est, teste eod. Apo. 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaueris: sed obsecra vt patrem.* Quod limita: Nisi Superior, vel Prelatus infirmorū laqueus & scandalum in rebus Fidei existat: tunc publicè à subdito redarguendus erit. Vide S. Th. q. 33. a. 4. Ga. cit. lect. 74.

Corripe eum. Quod verbum præceptum continet, quāuis non omni tempore obligans, sed certis circumstantiis concurrentibus, vt videre licet apud S. Th. q. 33. a. 2. Rich. in 4. d. 19. a. 2. q. 1. Gabr. l. c. Ioan. Gersonem p. 2. operum, opusc. de corrept. proximi, Adrianum in 4. de confess. q. de correct. fraterna, §. Sed quia principaliter. Prima circūstantia est: Si scias peccatum fratris: at verò inquirere in aliorum vitam, nemo, etsi superior, debet Secunda: Si nō credas fratrem iam emendasse, vel mox per se emendaturum esse delictum, vel saltem non repetiturum, quæ verba ideo addo, quia valde probabilis est sententia Gl. in c. si quis peccauerit, 24. q. 1. Syl. ver. correptio, q. 1. in fine, Turriani 2. 2. disp. 86. dub. 2. peccatum merè præteritum, si non subsit periculum recidendi, non cadere sub obligationem præcepti correptionis: quandoquidem neque ipsimet peccanti obligatio incumbit, peccatum præteritum per pœnitentiam statim delendi, sicuti ex communi dicā l. 5. tr. 6. c. 2. n. 5. Quare rectè dixit Ecclesiasticus c. 19. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Tertia est, Si nemo alius adsit æquè idoneus, qui emendaturus existimetur. Quarta, Si spes fructus ex correptione affulget: Nam finis huius est proximi emendatio, quæ si desperetur, medium correptionis frustro adhibetur: At verò *frustra niti, & nil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est:* Et Salom. Prouerb. 6. *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* videri potest Palud. in 4. d. 38. q. 6. in fine. Quinta, Si locus, tempus, aliæque circumstantiæ ad corrigendum opportunę sint. Qua de re vide differentem S. August. libro 1. de ciuit. Dei, capite 9. S. Thomam Adrianum & alios suprà citatos, Caiet. verb. correctio fraterna. Nau. cap. 24. man. numer. 12. *Inter te & ipsum solum.* Hęc & sequentia verba explicata reperies lib. 3. tract. 3. de iustit. p. 3. cap. 4.

Dubitatur: Quanta sit præcepti huius obligatio? Respondeo, & dico I. Qui commodè ac facilè impedire, vel 3
tollere potest grauem spiritualem miseriam proximi, videlicet peccatum mortale, quamuis ex malitia patrandū, sed ob mali temporalis timorem, vel boni temporalis cupiditatem, quæ in eius animo fraternæ Charitati præponderat, id facere negligit, mortaliter peccat: sicut constat ex dictis c. 2. & 5. & videri potest S. Aug. & D. Thom. ll. cc. Abbas in capite nouit, numero 37. de iudicijs.

Dico II. Qui propter passionem timoris, verecundiæ, pusillanimitatis tam strictè se ad hoc obligatum esse non aduertit: vel in eiusmodi affectione constitutum minùs idoneum se existimat ad fratris delictum emendandum, quamuis huiusmodi timor & existimatio inanis sit: plerumque tamen corripiendi negligentia culpam venialem non excedit. Ita S. Thomam quæstione 33. articulo 2. ad 3.

Dico III. Probabilior mihi videtur sententia Caiet. ver. correctio, in fine primi c. Valen. d. 3. q. 10. p. 10. p. 2. in fine, contra Syl. ver. correctio, q. 1. Bannes 2. 2. q. 33. art. 2. du. 2. Turrianum 2. 2. dis. 86. dub. 2. quamuis sub veniali peccato obligatum esse ad corrigenda leuia siue venialia proximi peccata, si facillimè possit. Id enim lex Charitatis postulat, vt quoduis proximi malum, quantumuis in suo genere exiguum, impediamus vel tollamus, si facillimè & sine vllo incommodo nostro possimus.

Quod ipsum fortasse Christus mysticè repræsentauit, cùm Ioan. 13. *discipulorum pedes lauit*, id est, venialium peccatorum sordes, illorum affectibus adhærescentes, ante Venerabilis Sacramenti institutionem ac communicationem, abstersit: & protinus dixit: *Et vos debetis alter alterius lauare pedes:* id est, inordinatos affectus, & veniales noxas tollere. Nam *qui locutus est*, siue à mortalibus peccatis mundus, *non indiget nisi vt pedes lauet*, id est, leuiorum affectuum maculas abstergat, sicuti explicant S. Aug. tra. 56. in Ioan. Beda in ci. c. 13. Ioan.

Cæterùm, quia plerumque impedimentum aliquod interuenit, siue ex parte corripiendi, ne iniquo animo correptionem accipiens, deterior fiat: siue ex parte corripientis, quem sæpe naturalis verecundia constringit, vt difficilè in animum inducat proximum arguere aut monere, nisi admodum familiaris sit: ideo rarior est hæc obligatio emendandi peccata venialia proximorum, quibuscum viuimus. Excipio eos, qui ratione officij, aut gubernationis peculiarem aliorum curam gerere debent, v. g. Religionum Prælati. Imò fieri potest, vt hi sub mortali peccato veniales subditorum culpas impedire, ac tollere teneantur, si exinde religiosæ disciplinæ vigor minuatur, & impunitas venialiter peccandi passim inualescere incipiat, cum magno Religionis detrimento. Atque eadem ferme ratio est de patrefamilias, præsertim erga liberos suos.

Ad extremum notandum est; Licet is, qui in simili, aut maiore peccato constitutus est, minùs idoneus ad corripiendum alterum existat. quamobrem munus corripiendi iustorum magis proprium esse significatur Psal. 140. *Corripiet me iustus.* Peccatori verò dicitur illud Luc. 4. *Medice, cura teipsum.* Attamen neque iste omnino ab obligatione huius præcepti liber est: quanquam non super-

perbè obiurgando, sed congemiscendo, propriámque culpã fatendo, id agere debeat: quò pertinet illud Matth. cap. 7. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autẽ in oculo tuo non vides?* Et mox: *Hypocrita, eijce primùm trabem de oculo tuo.* Tunc enim peccator trabem, id est, maius peccatum suum ex oculo eijcit siue deponit, cùm illud non tanquã hypocrita tegit ac dissimulat; sed agnoscit, palam fatetur, & ante oculos ponit. Nonnunquam verò, si peccator fratrem, correptione sua grauissimè indigentem, sine scandalo aliter corripere & emendare non possit, nisi priùs peccatum proprium per pœnitentiam ac vitæ emendationem abijciat: ad hoc ipsum ex misericordiæ ac charitatis lege obligatus esse videtur. Qua de re Valent. cit. quæst. 10. p. 3. §. vnde verè, Nau. cit. c. 24. num. 12. Verùm hanc obligationem raram esse, rectè docet Suarez de Charit. disp. sect. 4. num. 7.

CAP. VIII.

De odio Dei ac Proximi.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est odium: Vnum personæ, quod & odium inimicitiæ dicitur: alterum qualitatis; aliàs odium abominationis vocatur.*
2 *Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum, est peccatum mortale ex genere suo: quippe Charitatis virtuti directè oppositum.*
3 *Odium inimicitiæ erga Deum est omnium peccatorum grauissimum.*
3 *Odium Dei in omni peccato mortali virtualiter continetur.*
4 *Odij peccatum inter capitalia non numeratur: cùm sit potius complementum peruersionis.*
5 *Odium abominationis erga Deum semper malum est: non item odium abominationis erga hominem.*
6 *Maledictio est actus odij imperatus.*
7 *Hominibus malis maledicere ex odio abominationis: quandoque licitum est.*
8 *Sine iusta causa proximo maledicere, Charitati repugnat: interdum verò, si contumeliam contineat, virtuti iustitiæ aduersatur.*

1 ODium directè opponitur amori, seu Charitati. quare, sicuti duplex est amor: Vnus beneuolentiæ: siue amicitiæ, alter cõcupiscentiæ: ita duplex quoque est odiũ. Vnum dicitur *odium personæ*, aliàs *odium inimicitiæ*, quo personæ alicui, quæ nobis displicet, malum volumus, quatenus absolutè ipsi malum est. Alterum dicitur *odium qualitatis*, aliàs *odium abominationis*, quo personam auersamur, non secundùm seipsam, sed secundùm malum ipsi adiacens, quatenus id vel nobis, vel alteri, vel Communitati repugnat.

Assertio I. Fieri potest, vt homo in hac vita Deum odio habeat, Ita S. Thom. q. 34. a. 1. Probatur & explicatur: Etsi in Deo summo ac infinito bono, secundùm se atque intrinsecè, apprehendi non possit malum, ratione cuius alicui displiceat, & ob id aliquid aduersitatis ipsi accidere velit: extrinsecè tamen in effectibus ab eo procedentibus quatenus vel difficilia iubet, vel legum suarum transgressores punit, apprehendi potest in Deo malum, ratione cuius alicui displiceat, & ob id saltem simplici affectu ac voluntate optet, vt Deo aliqua aduersitas eueniat, v. g. vt dispereat. Neque refert, quòd ratio ac veluti occasio huius odij inimicitiæ aliunde accepta sit, videlicet ex molestia proueniente à Deo, quem homo odit: Sicuti nihil refert ad amicitiæ amorem, quo personam secundum se, siue propter se prosequimur, rationem ac veluti occasionem nos accepisse ex beneficijs ab eadem persona profectis. Similiter etiam euenit, vt homo ex molestijs, quas à proximo passus fuit, moueatur, vt ipsum secundùm se, & absolutè odio prosequatur.

Dixi autem simplici affectu hominem velle & optare posse, vt Deo aliqua aduersitas accidat: ad eum modum sicuti optare aliquis potest per aëra volare, manibus cœlũ tangere. Nam voluntas efficax; siue desiderium haberi non potest eius rei, quam impossibilem iudicamus, teste Arist. 3. Eth. c. 2. Qui autem Dei summi boni veram cognitionem habet, is possibile esse scit, vt ipsi malum siue aduersitas aliqua eueniat: ergo odisse eum efficaci voluntate non potest.

Assertio II. Odium inimicitiæ tum erga Deum, tum erga proximum per se & intrinsecè malum, & ex genere suo mortale peccatum est. Sumitur ex Psal. 73. *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Et lib. Numer. cap. 10. *Dissipentur inimici tui: & fugiant, qui oderunt te.* Et 1. Ioa. 2. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est.* Probatur ex eo, quia odium inimicitiæ directè opponitur maximæ virtutum Charitati, de qua præcipuum mandatum habemus. Etenim, sicuti per Charitatem volumus Deo ac proximo bona, & de eisdem gaudemus; proximo autem maiora etiam desideramus; dolemus verò de malis proximi: Ita è contrario per odium inimicitiæ tristamur de bonis Dei ac proximi: volumus autem vel desideramus eis mala: insuper gaudemus, cùm proximo malum accidisse cognoscimus. 2

Assertio III. Odium inimicitiæ erga Deum est omniũ peccatorum grauissimum. Ita S. Thom. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 8. c. 3. §. 4. aliíque communiter. Probatur. Optimo opponitur pessimũ: Sed odium inimicitiæ erga Deũ directè opponitur amicitiæ & dilectioni diuinæ, in qua maxima hominis viatoris perfectio consistit, sicuti cap. 1. dictum est: Ergo odium inimicitiæ erga Deum est pessimum scelus, viatorem maximè dedecens. Confirmatur: Quod est per se, potius est eo, quod est per aliud, aut per participationem: Ratio autem peccati, quæ est voluntaria auersio à Deo, per se primò reperitur in odio Dei, cũ sit actus quo voluntas à Deo per se auertitur: sicuti per amorem Deo per se adhæret: In alijs vero mortalibus peccatis auersio voluntatis à Deo non directè, formaliter ac per se reperitur: sed indirectè, virtualiter seu interpretatiuè. Nam in peccatis mortalibus contra virtutes morales puta fornicatione, iniustitia, &c. dum homo ad creaturam voluntariè conuertitur contra legem & voluntatẽ Dei, indirectè etiam ac consequenter auertitur à Deo legislatore, cuius mandatum, gratiam, & amicitiam creaturæ postponit. In peccatis verò contra Fidem ac Spem maior quidem à Deo auersio cernitur: quia per infidelitatem auertitur homo à diuinis reuelatis veritatibus: per desperationem auertitur à supernaturalibus donis & auxilijs Dei: attamen neque his ipsis aut similibus peccatis voluntas Deum directè ac per se refugit aut detestatur, sicuti per odium: sed tantùm indirectè atque imputatiuè. 3

Ex quibus colligitur primò, quod docet Caietanus super quæst. 34. a. 2. Odium Dei virtualiter ac participatiuè reperiri in omni peccato mortali: siue, vt alij dicunt, omne mortale peccatum esse contra Charitatem & amicitiam Dei. Quia, vt suprà explicaui, in omni peccato mortali continetur aliquo modo auersio à Deo, summo & infinito bono; propter quam diuinæ gratiæ & charitatis amissionem, pœnámque infinitam meretur. Cuiusmodi tamen auersio per se primò cernitur in odio Dei, quippe quod Charitati Dei formaliter ac directè contrarium est: reliqua verò tantùm indirectè, ac virtualiter aduersantur. Qua simili ratione ostendit sanct. Thom. a. 4. odium proximi esse grauissimum inter peccata, quæ erga proximum committuntur: si illud consideretur ex parte operantis, cuius voluntatem, quæ est radix peccati erga proximum directè aduersatur. Quamuis peccata quædam exteriora contra proximum, si considerentur ex parte nocumenti, grauiora sint, vt adulterium, homicidium.

Colligitur secundò; Cur odium Dei ac proximi inter peccata capitalia non numeretur, sicuti videre est apud

4 S. Gregor. lib. 31. moral. c. 31. Quia non est tale, ex quo tanquam fonte seu capite reliqua oriuntur: sed potiùs in quod reliqua terminantur. Nam in ijs, quæ contra naturam fiunt, paulatim fit processus à minore ad maius, ait S. Thom. a. 5. Odium autem, quod Charitati opponitur, cùm ipsum amorem boni, qui maximè homini naturalis, destruat: est maximè contra naturam hominis, quatenus rationalis est: Ergo odium Dei & proximi non capitale, sed vltimum potiùs peccatum est. quæ doctrina principaliter locum habet in odio Dei, summi & infiniti boni: secundariò verò in odio proximi, participatam bonitatem seu perfectionem habentis. Siquidem homo ob amorem creaturarum legem Dei frequenter transgrediendo: ipsu postea Deum, quatenus legislator & peccatorum vindex est, odisse & auersari incipit, quod est abominationis odiu: denique verò eò peruersitatis peruenit, vt ipsum Deum secundùm se & absolutè execretur, & odio habeat, quod est odium inimicitiæ altero multò deterius, ac simpliciter pessimum. Simili ferme modo, postquam homo erga proximum, respectiuè seu propter accidentalia eius malè affectus fuit irâ, inuidiâ, &c. denique ad odium inimicitiæ peruenit, vt ipsum secundùm se odio prosequatur, absolutè illi malum optando, sicuti notat S. Thom. art. 6. ad 3.

Est verò discrimen etiam inter odium inimicitiæ erga proximum; quòd illud, si deliberatè fiat, semper est peccatum mortale, cùm qualecunque malum etiam leuissimum, quod Deo optatur, destruat eius infinitam bonitatem. At verò odium erga proximum ex leuitate materiæ fit veniale; puta si ex displicentia aliqua personæ exiguum malum illi optes, sicuti notauit Turrianus 2.2. disp. 91. dub. 1.

Assertio IV. Odium abominationis erga Deum per se & intrinsecè malum, & ex genere suo peccatum mortale est: At verò odium abominationis erga proximum
5 interdū culpa vacat, & laude dignum est. Prior pars assertionis sumitur ex S. Matth. cap. 19. *Quis enim bonus nisi solus Deus?* Ipse enim infinitè bonus est, vt in eum nulla malitia siue defectus intrinsecè, vel extrinsecè cadere possit, ob quem abominatione atque odio dignus sit. Quod alijs verbis dici potest, Deum & in seipso omnimodè bonū esse: & omnia, quæ ab ipso procedunt, bona esse: quare ex omni parte reperiri causam cur ametur, honorificetur; nullam autem omnino, cur odio haberi, vel abominationi esse meritò possit.

Posterior pars probatur: Quia odium abominationis erga proximum non semper Charitati aduersatur: sed interdum fundatur in amore beneuolentiæ seu Charitatis erga Deum, vel nos ipsos, vel ipsum; quem odimus, aut alterum proximum: vt proinde eiusmodi odium, si debito ordine instituatur, ex virtute Charitatis proueniat. Consistit autem ordo in eo, vt minus malum proximo euenire (saltem simplici & inefficaci voluntate) optemus quò malum maius siue nostrum, siue alienum euitetur. Contrà verò, si maius malum v. g. corporis mortem proximo, quamuis simplici affectione desideremus, vt nos ipsi vel alius minore malo, v. g. particulari damno fortunarum liberetur: odium hoc malum erit, quippe ordini Charitatis repugnans, iuxta ea, quæ dixi suprà cap. 2. & 3.

6 Restat quæstio; Vtrum maledictio, qua alicui homini malum imprecamur, sit actus odij, & an semper peccatum? Respondeo & dico I. Maledictio siue imprecatio mali non est actus odij elicitus, sed imperatus. Nam, vt S. August. docet lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. S. Thom. 2.2. q. 76. a. 1. Maledicere est malum alicui dicere: quod elicitiuè ad intellectum pertinet: non ad voluntatem. Veruntamen, cùm maledictio fiat per modum imprecandi, v. g. fulmine, laqueo pereas: aliud non est quàm expressio voluntatis auersæ ab altero: ideóque ab odio imperatur.

7 Dico II. Hominibus malis seu peccatoribus interdum licitum est maledicere ex odio abominationis: v. g. furi, vel latroni, qui Reipub. noxius est, vt laqueo suspendatur: non quidem id optando, quatenus malum ipsius absolutè est; (sic enim ad odium personæ pertineret) sed quatenus boni rationem habet, quia per illud maiora mala impediuntur, sicuti docet S. Thom. cit. a. 1. Loquor autem de maledictione simplici & inefficaci: nam maledicere peccatoribus per modum causalitatis, seu imperij efficacis, eisdémque malum inferre, ad eos solùm pertinet, qui ius habent noxios puniendi, sicuti notauit Mol. tract. 4. de iust. disp. 22. num. 7. Multò verò magis hominibus, & spiritibus damnatis maledicere possumus, quatenus Dei inimici sunt, ab eóque maledicti. Ad illud verò Ecclesiastici 21. *Deum maledicit impius Diabolum, maledicit ipse animam suam*, respondet S. Thom. ad 4. Cùm Diabolo maledicendum sit non secundùm naturam eius, sed secundùm culpam, ideo dum impius Diabolo maledicit, seipsum quoque maledictione dignum iudicat: quo sensu etiam Apostolus dixit ad Roman. 2. *In quo iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, qui iudicas.*

Dico III. Proximo, sine iusta causa, maledicere, Charitati repugnat, & ad peccatum odij pertinet; interdum verò iustitiæ aduersatur, & ad contumeliam spectat. quas rationes siue species peccatorum exactè in sacra Cōfessione perpendere oportet. Nam interdum ambæ reperiuntur in maledictione; vt si quis ex animo, adeóque ex odio alicui homini maledicat in faciē, non sine cōtumelia, siue honoris iniusta læsione: hic duplex peccatū cōmisit; vnū contra Charitatem, & alterum contra Iustitiam, quorum vtrumque ex genere suo mortale est; licet vel ex considerationis imperfectione, vel ex materiæ leuitate veniale fiat, vt Caiet. docet cit. q. 76. Interdum verò peccatur contra Charitatem sine contumelia: si quis alicui seriò & ex animo maledicat: tamen absenti, & sine vlla honoris aut bonæ apud alios existimationis detractione. Interdum vice versa, committitur peccatum contumeliæ contra Iustitiam, vel Pietatem: non item peccatum odij contra Charitatem: videlicet, si quis alicui in faciem maledicat, sed non ex animo, quasi id euenire optet. Et est tantò grauior contumelia, vel impietas (si fiat erga parentes, vel eos, quos parentum loco habere oportet) quantò excellentior persona est, vel à nobis magis reuerenda: quare legimus Exod. 21. *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.*

Denique interdum accidit, vt verba maledictionis erga hominem, v. g. subditum sibi, neque Charitati, neque Iustitiæ notabiliter repugnent: sed ferme solùm Mansuetudinis virtuti, ac Patientiæ, ideóque culpam venialem non excedant, sicuti docet Nauar. c. 23. num. 17. Mol. l. c. Puta, si parens filio, hera ancillæ malum imprecetur non ex animo vt ita eueniat, atque etiam sine notabili honoris imminutione: Imò arbitratur Molina, tametsi aliquis ex ira, vel obiurgationis causa, grauem alioquin maledictionem in alterum effundat, v. g. vt diabolus illum rapiat: sed sine animo ac voluntate, vt id eueniat, atque sine notabili contumelia, spectata personæ qualitate, aliísque circumstantijs: non fore peccatum mortale: verùm, si seipsum aliquis ex ira Dæmoni deuoueat, quamuis sine animo vt ita eueniat, à mortali excusandum non esse, ob fœditatem, horrorem, ac peruersitatem rei.

CAP. IX.

De peccato acediæ.

SVMMARIVM.

1 *Acedia est tristitia de bono diuino à nobis participando cum labore & difficultate.*

2. est

2 *Est ex genere peccatorum mortalium, quippe repugnans Charitati & amicitiæ Dei.*
3 *Acedia est vnum ex vitijs capitalibus.*
4 *Expellitur acedia non cedendo: sed resistendo.*

1 ACedia definitur ex S. Thom. quæst. 35. Tristitia de bono diuino, à nobis participando, quod propter obtinendi, vel conseruandi difficultatem, nobis malum videtur: & idcirco animus in teporem & ignauiam cadit. Pro cuius intellectu, repetendum quod suprà dixi cap. 5. num. 2. De Deo duplex gaudium à nobis concipi posse: vel cùm lætamur de diuinis bonis, quatenus in Deo insunt: vel cùm lætamur de Deo nobis secundùm gratiæ effectus præsente: Ita duplex est tristitia gaudio opposita: Vna de diuino bono; quatenus in Deo est: cuiusmodi tristitia longè pessima ad Dei odium pertinet. Altera de bono diuino (puta gratia & gloria) quatenus à nobis participari debet. Etsi enim tristitia concipi non possit de bono spirituali secundùm se, siue vt est animæ perfectio; quia nemo bonum, quatenus bonum: odisse aut de eo tristari potest: tamen concipi potest tristitia per accidens, quatenus eius acquisitio aut conseruatio cum corporis labore iuncta est, carnísque oblectationes impedit, eámque ob causam malum nobis quoddam videri potest.

Quapropter peccatum acediæ aliud non est, quàm tristitia animi de gratia Dei acquirenda, conseruanda: seu
2 de gloria cœlesti obtinenda per actiones nostras cum labore ac difficultate iunctas. Est ex genere suo peccatum mortale, quia Charitati & amicitiæ Dei repugnat, teste S. Thom. art. 3. S. Anton. part. 2. tit. 9. cap. 1. princ. Quamquam, si tristitia siue horror diuinorum bonorum in appetitu tantùm sensitiuo hæreat, cui ratio & voluntas resistat, nullum peccatum est, sicuti colligitur ex Apostolo ad Galat. 5. *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum; & spiritus aduersus carnem: hæc enim sibi inuicem aduersantur.* Sin verò spiritus, siue ratio hominis superior languidè resistat, committitur peccatum veniale, sicut notauit S. Thom. cit. a. 3.

Quamuis acedia fermè oriatur ex nimio rerum temporalium affectu, & seculi huius amore, atque oblectamentis; nihilominus inter vitia capitalia numeratur.
3 Cùm enim homo in tristitia, sine vlla delectatione, diu permanere non possit; fit, vt qui rerum spiritualium horrorem ac tædium concepit mox ad noxium creaturarum amorem, & illicitas cupiditates atque delitias animum conuertat: quibuscum spiritualia bona, & quæ ex his percipiuntur, synceræ oblectationes consistere haud possunt. Ita notauit S. Thom. art. 4. ad 2. ex Aristot. 10. Ethic. cap. 6.

Porrò præter acediam Charitati oppositam, de qua hactenus dixi, sunt etiam aliæ tristitiæ noxiæ, quæ virtutibus singulis aduersantur: videlicet, si quis tristetur, quòd orare debeat, quòd eleemosynam dare, debitum reddere, &c. Quanquam huiusmodi acediæ diuersa peccata non sunt ab ijs, quę opponuntur virtutibus, de quarum bono aliquis tristatur, sicuti docet Caiet, in summa ver. Acedia, Nauar. c. 23. num. 124. Quamobrem tali genere acediæ nunquam peccatur, nisi cùm actio virtutis sub præceptum cadens, ob sui difficultatem omittitur; vel negligentiùs, quàm par est, exercetur, sicuti notârunt Caietan. & Nauar. ll. cc. Tolet. de peccatis mortal. c. 68. & indicat S. Thom. a. 3. ad 2.

4 Expellitur autem acedia non fugiendo, sed resistendo, atque opus salutis fortiter aggrediendo: partim, quia difficultates in opere seu exercitio virtutum non tam vehementes sunt, quàm falsa apprehensione ac timore ab inexpertis ęstimantur: partim quia rerum spiritualium studium, quantò magis exercetur, tantò auidiùs retinetur, secundùm illud Sapientis de sapientia loquentis cap. 8. *Non habet amaritudinem conuersatio illius, neque tædium conuictus illius: sed lætitiam & gaudium:* Delectatio autem retinet operantem in opere.

CAP. X.

De Peccato inuidiæ.

SVMMARIVM.

1 *Inuidia est tristitia de bono alieno, quatenus inuidenti malum æstimatur, videlicet ipsius excellentiam innuens.*
2 *Affectiones quædam similes inuidiæ, interdum bonæ sunt: vt zelus, indignatio, &c.*
3 *De prosperitate proximi tristari licet, non quatenus ipsi commoda est, sed quatenus nobis noxia: Item de infortunio hominis, v.g. parentis morte, gaudere aliqua ratione malum non est, v.g. quatenus filio hæreditatem adfert.*
4 *Christus moriturus habuit duas voluntates: Vnam de vitâ seruanda inefficacem, & virtute conditionalem: alteram de morte obeunda absolutam & efficacem.*

INuidia dicta est à nimie videndo siue intuendo in prosperitatem alterius. Definitur ex Arist. 2. Rhet. c. 9. & 1
10. S. Thom. q. 36. a. 1. Tristitia de bono alieno, quatenus id malum inuidentis æstimatur, tanquam propriam ipsius excellentiam immuniens. Peculiare vitium pusillanimorum, quibus aliena omnia grandia videntur, quia se facilè superari posse formidant: quare in lib. Iob. c. 5. legimus, *Paruulum occidit inuidia.* Est ex genere suo peccatũ mortale: quia opponitur virtuti Charitatis, cuius actio est gaudere de bono ac prosperitate proximi. Porrò licet inuidia ex superbia, & inanis gloriæ cupiditate ortum ducat: est tamen etiam ipsa fons siue origo aliorum scelerum, quæ recenset S. Anton. p. 2. tit. 8. c. 1. §. 4. Valent. q. 13. p. 2. Tolet. cap. 67. Vt proinde inter vitia capitalia meritò numeretur.

Sciendum autem, tres alias tristitiæ affectiones esse, 2
quæ cum inuidia similitudinem genere videntur, de quibus S. Thom. a. 2. ex Arist. 2. Rhet. c. 9. & 11. Prima est indignatio, siue Nemesis, per quam bona temporalia impij atque indignis obuenire tristamur. Cuiusmodi tristitia vitiosa est, si considerentur ea bona vel prout absolutè proximi sunt, quem ex Charitate amare, & de cuius bonis gaudere potiùs debem': vel quatenus ex ordinatissima Dei dispositione ob certũ finẽ indignis etiam proueniũt: Siquidẽ volũtas nostra voluntati diuinæ in valito formali nunquã repugnare debet, vt postea dicam. Quare contra hanc tristitiã Dauid ait Ps. 36. *Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.* Laudabilis autem est hæc tristitia, si bona illa considerentur, prout indigno humana voluntate ac potestate, aduersus distributiuam, aut vindicatiuam iustitiam, obueniunt: vel prout eis indignus ad peccandum abutitur. Vide S. Anton. ci. c. 1. in princip. Caiet. cit. a. 2. & in summa ver. Nemesis, Nauar. c. 23. num. 118.

Altera est Æmulatio siue zelus, per quam tristamur de bono alterius, non quia ipsius est, sed quia nos eo caremus. Cuiusmodi tristitia si versetur circa bona animi, scientias ac virtutes, laudabilis est: quippe, dicendi, ac proficiendi studium excitãs, conuenienter illi Apost. 1. ad Corinth. 12. *Æmulamini charismata meliora.* Et S. Hieronym. Epist. ad Lætam: *Habeat socias, cum quibus discat, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur.* Quinetiam circa tẽporalia bona laudabilis est æmulatio, si ea æmulanti conuenientia sint: vt si opifex tristetur, cùm videt alios sui similes ex opificio familiam alere: se non alere. Non item bona est æmulatio, si rusticus tristetur, cùm videt nobiles emere ac possidere pagos & castra, sibi talia deesse. Multùm re ipsa differt æmulatio ab inuidia: nam per inuidiam tristatur homo de bonis proximi: quamuis non absolutè, (id enim ad odium pertinet) sed cum ordine ad inuidentem, qui ea re superari se existimat. Per æmu-

lationem verò homo non tristatur de bonis proximi: sed de sua penuria, quam comparando cum alterius abundantia magis animaduertit.

Tertia affectio similis inuidiæ est: cùm tristamur de bono proximi, quia ex eo occasionem accepturus putatur nobis, vel alteri nocendi. Quæ tristitia bona est, si non temere, sed prudenter timeamus, ne ille ex felicitate ansam accipiat affligendi innoxios: Vitiosa autem est, si temere ac imprudenter sinistram talem suspicionem, aut iudicium de proximo concipiamus. Bona item hæc affectio est, quando non temere & sine causa timemus, ne proximus collatam sibi potestatem, vel officium malè administret: Vitiosa verò, si ideò collatam ipsi potestatem vel munus dolemus, quia nobis vel alijs malè agentibus debitas pœnas irrogabit. Est autem manifesta ratio, cur hæc affectio interdum bona: inuidia verò semper mala sit: quia iusta causa est tristandi de proximi felicitate, quòd is inde peccandi occasionem accipiat. Nunquam autem iusta est causa tristandi de prosperitate proximi, quòd ea tuæ excellentiæ obesse, eámque quasi obumbrare videatur: cùm ex proximi felicitate tibi propter Charitatis & amicitiæ vnionem, potiùs aliquid excellentiæ accedat.

3 Pro pleniore intellectu eorum, quæ dicta sunt; aduerte, velle, & nolle; amare, & odisse; lætari, ac tristari non esse actus contrarios, nisi circa idem obiectum, sub eadem formali ratione, versentur. Quare imprimis fieri potest, vt quamuis voluntas hominis de aliqua re sub vna ratione licitè tristari non possit, sed potiùs gaudere debeat tamē sub alia ratione de eadem re iure ac meritò tristetur: v. g. Caupo, cùm videt plurimos hospites ad vicinum suū diuertere, tristari licitè non potest de concursu isto, quatenus proximo commodus est; sed quatenus in suum detrimentum cedit. Præterea, de morbo tuo, vel parentis tui meritò tristaris, quatenus malum quoddam personæ est, quam amas: Tristari autem non licet de morbo secūdùm eam rationem, qua Deus homini eum accidere vult videlicet vt corrigatur, & peccatum eius puniatur, emendetur. Hoc enim est, quod Theologi dicunt in 1.2. quæst. 19. a.10. Voluntatē hominis cum diuina voluntate semper debere conformari in volito formali, ita vt nunquam rem, quā Deus vult, homo nolit sub ea ratione qua Deus vult: licet sub alia ratione eadem rem homo nolle possit, saltem simplici & inefficaci affectu: quomodo filius rectè tristatur patrem sibi charum & vtilem mori, tametsi sciat Dei prouidentia ac voluntate, quæ nunquam ipsi displicere debet, mortem euenire.

Optimum verò huius rei exemplum habemus in Christo Domino, qui imminente passione ac morte, duas voluntates habuit. Vna erat voluntas efficax, per quā maximè desiderabat pro salute humani generis mori, sicut ipsemet expressit Luc.12. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vsque dum perficiatur?* Eandémque voluntatem sciebat voluntati diuinæ conformē esse, ideóque vocauit eam Patris voluntatem. Altera autem in Christo erat voluntas simplicis affectionis, per quam viuere cupiebat, & à morte abhorrebat, tanquam malā humanæ naturæ, quā veraciter gerebat & ostendebat: atque idcirco vocauit hanc suam voluntatem, quia ipsi vt homini naturalis erat. Matth. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen, non sicut ego volo, sed sicut tu,* Luc. 12. *Non mea voluntas, sed tua fiat.*

Notandum etiam ex Vasq. 1.2. disp.72. c.4. & 3. p. t. 1. disp.73. c.3. Quòd voluntas simplicis affectionis virtute in se contineat efficacem voluntatem conditionalem; quæ in Christo talis erat: velle mortem declinare, nisi eā, secundùm Dei Patris voluntatem, redemptio humani generis exposceret. Cuiusmodi quoque voluntatem rectè habet filius mortuo parente: Vellem patrem meum diutiùs viuere, si Dei voluntas esset: cui tamen repugnare non debeo.

Hanc ipsam pugnam duarum in Christo voluntatum, quarum vnam dixi inefficacem & virtute conditionalem de seruanda vita: alteram verò absolutam, & priori dominantem de morte, secundùm voluntatem Dei Patris, appetenda, expressit etiam Dominus Ioan. cap. 12. *Nunc anima mea turbata est,* ancipiti cogitatione, & affectione hinc vitæ seruandæ: illinc mortis vltro appetēdæ. *Et quid dicam?* Verba hæc sunt deliberantis & consilium inquirētis: *Pater saluifica me ex hac hora*: id est, volóne dicere, vt Pater cœlestis me ex huius horæ angustijs, & morte imminente liberet? *Sed propterea veni in hanc horam: Pater clarifica nomen tuum.* Quibus verbis priorem voluntatem reijcit, & inefficacem ostendit: quia ideo in mundum venerat, vt hanc mortis horam pro hominum salute sustineret, & ea in re Patris voluntati obsecundaret, nomenque eius clarificaret.

Deinde verò fieri etiam potest, vt quamuis voluntas hominis de aliquo obiecto sub vna ratione gaudere iure non possit, sed potiùs tristari debeat: tamen sub alia ratione meritò gaudeat. Exempli causa: De morte parentis gaudere non est licitum, quatenus ea malum personæ est: nam id ad hominis odium spectat: attamen fas est gaudere de morte parentis, quatenus ea tibi cōmoda est, propter hæreditatem, sicuti bene docet Nauar. in man. c.15. num. 10. & c.20 num. 21. Id enim non est præferre proprium temporale commodū vitæ patris corporali, sicuti imaginatus est P. Nau. lib. 2.c.3. num.214. quin potiùs hæc duo inter se comparando, mallet filius patrem adhuc viuere, quàm hæreditatem eius habere: nihilominus quādo mors euenit, de qua alijs rationibus dolet, hac tamen ratione licitè gaudere potest, quatenus ipsi hæreditatem parit: cùm, vt sic spectata, bonum quoddam illius sit per accidens.

Multò magis gaudere licet de morte parentis, quatenus cogitas, illam ex Dei voluntate atque prouidentia euenisse: Siquidem omnis complacentia, & vno verbo, omnis voluntatis nostræ actus bonus & conformis rationi est, qui versatur circa obiectum diuinæ voluntatis sub eadem ratione, qua illud Deus vult, vel non vult. Quin hæc erit bona pars felicitatis in cœlo, quando voluntas nostra in omnibus voluntatem diuinam sequetur: quod etiam in hac vita, quatenus id possibile est, euenire precamur: *Fiat voluntas tua, sicuti in cœlo, & in terra.* Atque secundùm hæc explicandus S. August. in Enchiridio, c. 101.

CAP. XI.

De discordia, contentione, ac schismate.

SVMMARIVM.

1 *Discordia est dissensio voluntatum circa bonum, quòd ex Charitate velle debemus.*
2 *Contentio est impugnatio veritatis, cum confidentia clamoris.*
3 *Oppugnatio falsitatis, puta disputatio de rebus Fidei cū hæreticis, propter circumstantias interdum vitiosa, aut noxia redditur.*
4 *Schismatis peccatum est, si quis ab Ecclesiæ vnitate se segregat.*
5 *Schisma vel est purum, Charitati & Paci oppositum: vel etiam cum hæresi iunctum.*
Omnis hæreticus schismaticus etiam est: sed non vice versa:
6 *Schisma est vnum ex peccatis, quæ opere externo perficiuntur: in quo differt ab hæresi, quæ in mente consummatur: ideóque hæretici occulti verè ab Ecclesia segregati sunt: licet exteriùs Ecclesiæ membra esse videantur.*
Schismatici non sunt vera Ecclesiæ membra.
7 *Schismatici in Bulla Cœnæ Domini excommunicati sunt.*

Discordia definitur ex S. Thom. q 37. a.1. Dissensio voluntatum circa bonum, quod ex Charitate velle debemus. Dicitur *dissensio*: quia sicuti concordia & pax in voluntatum consensione consistit, *Circa bonum*: Nam discor- 1

discordia circa malum non vitiosa, sed laudabilis est: quo sensu dixit Christus Matth. 10. cap. *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrē suum*, &c. vt doceret, ne parentibus quidem aut cognatis obediendum esse, cùm à bono honestatis impedire volũt. *Quod ex Charitate velle debemus*: Non enim discordiæ peccatum est dissentire ac discordare in bono, si in eo cōcordare obligati non simus: vt si socio rogante v. g. vt cum ipso peregrineris, aut Religionem ingrediaris, sequi eum recuses, sicuti notant S. Th. l. c. Caiet. ver. discordia. Nauar. cap. 23. man. n. 33. Vel si nobis consentire, vt proximus bonum aliquod, ipsi non debitum consequatur; non quia ipsi bonum non cupis, sed quia propriam, vel alterius hominis commoditatem præfers. Adde, interdũ ex ignorantia etiã inculpata dissensionē voluntatũ oriri: dũ vnus hoc, alius aliud medium ad Dei honorem, vel proximi salutem conuenientius probabili ratione iudicat: qualis erat dissensio inter Paulum & Barnabam, de qua Actorum 15. & notauit S. Antoninus part. 2. tit. 4. cap 8. princip.

2 Contentio definitur à S. Thom. q. 38. a. 1. *Impugnatio veritatis cum confidentia clamoris*. Veritas dupliciter impugnari potest secundùm Caiet. cit. a. 1. Vel intentione formali, si quis agnitam veritatem impugnet: Vel intētione virtuali, si quis doctrinam oppugnet, non curans siue ea vera sit, siue falsa. Eadéque ratio est de eo, qui veritatem oppugnat, per culpabilem ignorantiam existimās esse falsitatem: quo modo plerique hæretici fidei Catholicæ dogmata oppugnare solent, sicuti Valentia notauit q. 14. p. 2. Loquimur autem de veritatis opugnatione, quæ seriò fit; nam si exercitij causa, vel ad explorandam alterius doctrinam cum debitis circumstantijs instituatur laudabilis esse solet.

Porrò contentio seu veritatis oppugnatio, siue directè, siue indirectè voluntaria sit, est ex genere suo peccatum mortale: quippe oppositum Paci ac Charitati per quam debemus cum proximo consentire in bonis ipsi necessarijs: Veritas autem sæpe proximis, tum ijs quibuscũ contendimus: tum alijs, qui audiunt, necessaria est ad animæ salutem, vel corporis incolumitatem, vel bonam ipsorum famam seruandam: Ergo eam impugnare & contentiosè tollere velle, peccatum est Paci ac Charitati oppositum. Quod etiam ex Apost. confirmatur ad Gal. 5. Vbi inter opera carnis, spiritui contraria, & à regno cœlesti excludentia: *contentiones* numerat. Et ad Rom. 1. quos Deus in reprobum sensum tradidit, *repletos* ait *omni iniquitate, contentione, dolo*.

3 Additur autem in definitione, *cum confidentia clamoris*: quod licet ad essentiam peccati contētionis non pertinet; est tamen circumstantia accidentaliter aggrauans, quæ plerumque cum vitiosa contentione coniuncta esse solet.

Monet verò S. Thom. etiam falsitatis oppugnationē, quæ ex genere siue obiecto bona ac laudabilis est, interdũ vitiari inordinato modo clamoris, gestuum: item ex circumstantijs personarum, loci, temporis non congruentibus: vt saltem veniale peccatum sit; imò interdum mortale, ratione scandali, sicut notat etiam S. Anton. p. 2. tit. 4. c. 9. §. 2. Quomodo sæpe accidit, vt contentio, siue disputatio de rebus Fidei illicita sit: Primò ex parte disputantis, si non sit satis doctus, & in scriptura, ac Fidei controuersijs versatus, qualémque Apost. requirit ad Titum cap. 1. *Vt sit potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Quamobrem in c. 2. §. inhibemus, de hæret. in 6. sub pœna ferendæ excommunicationis prohibetur laicis, ne publicè, vel priuatim de fide disputent: quòd tales plerumque in rebus Theologicis non satis versati sint. Quamuis hæc prohibitio locum non habet in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis, si laicus doctus sit, ait Sanch. lib. 2. moral. cap. 6. n. 7. Insuper in regionibus, vbi hæretici inter Catholicos viuunt, consuetudo viget, vt Laici saltem priuatim de Fide cum hæreticis disputent, sicuti notauit Valent. t. 3. disp. 10. p. 4. §. alij etiam. Becanus 2. 2. c. 15. q. 7. n. 6.

Secundò, Illicita fit ex parte eorum, coram quibus disputatio de Fide instituitur, si sint homines simplices & indocti, atque in Fide Catholica inconstantes, vti notauit S. Th. 2. 2. q. 10. a. 7. Quia tales sæpe magis vim obiectionem penetrant, quàm earum solutionem intelligant: vt proinde consultum quoque non sit, in concionibus eiusmodi Fidei controuersias apud populum Catholicum mouere: nisi homo valde doctus ac disertus sit, qui etiam simplicibus auditoribus satisfacere possit, vti monet Caiet. cit. a. 7. Valen. cit. p. 4. §. sin autem, & videri potest Iacob. Simanca de Cathol. institut. c. 20.

Tertiò, Illicita fit ex parte eorum quibuscum disputatur, v. g. hæreticis de sensu Scripturæ, quem illi proprio arbitrio fingunt, & pertinaci animositate defendunt: vt plerumque talis *congressio Scripturarum nihil proficiat, nisi vt aut stomachi quis ineat euersionem, aut cerebri*, ait Tertulian. lib. de præscript. contra hæret. cap. 17. Et cap. 15. *Scripturas* hæretici *obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigāt infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt*. Et Sysinnius vir doctus ac valde exercitatus apud Sozom. lib. 7. cap. 12. *auctor fuit Catholicis, vt fugerent institutas cum hæreticis disputationes, vtpote rixarum atque pugnarum fomites sed ex ipsis quærerent, reciperéntve eos, qui ante Ecclesiæ distractiones interpretes atque doctores fuissent Scripturæ sacræ. Etenim si horum testimonia reiecerint, inquit, à suis ipsorum consortibus explodentur. Sin verò sufficere eos ad controuersias decidendas arbitrabuntur, produci oportet illorum libros*.

Veruntamen hæreticos non rarò, posthabitis & spretis Patribus, propriam sapientiam & Scripturarũ intelligentiam iactare solitos, testis est de Arianis Alexander Episcopus Alexandrinus in epist. ad Alexan. Constantinopol. Episc. apud Theodor. lib. 1. histor. cap. 4. Et de Eutyche hæretico, quòd suffugij causa à Patribus ad Scripturam prouocârit, videri potest apud Baronium Anno Christi 448. num. 31. Quare Vincentius Lirinensis in opusc. suo contra hæreses, cap. 35. *Hæretici nihil vnquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur*. Et cap. 36. *Ideo Saluator clamabat: Attendite vobis à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium. Quid est vestitus ouium, nisi Prophetarum & Apostolorum eloquia?* Et S. August. tract. 18. in Ioan. *Neque enim natæ sunt hæreses, & quædam dogmata peruersitatis, illaqueantia animum, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur, etiam temere & audacter asseritur*.

Cæterùm si alicubi auditores ab hęreticis, aliísve infidelibus seducti, aut solicitati sint, tunc expedit, & interdum necesse est, eos, qui in Fidei controuersijs instructi, atque exercitati sunt, spirituale auxilium adferre, tum in publicis concionibus seductos instruendo, titubantes cōfirmando: tum etiam eorum seductores hæreticos publico congressu redarguendo; quod cum fructu plerumque fiet, si doctrinæ illorum inconstantia, contrarietates, mēdacia, falsationes ostendantur: & tanquam rei conuincantur. Vide Becanum cit. c. 15. q. 7.

Denique addo ex doctrina S. Thom. cit. q. 38. a. 1. Cùm bonum ex integra causa, malum autem ex quouis defectu existat: consequens esse, vt bonæ ac laudabilis contentionis talis discriptio sit: *Impugnatio falsitatis, cum debito acrimoniæ modo, congruo loco, tempore, &c. instituta*.

Schismatis peccatum committitur, cùm aliquis se segregat ab vnitate Ecclesiæ, prout ea est corpus mysticũ, ex diuersorum statuum fidelibus tanquam membris inter se, & cum vno capite Christo, eiusque in terris Vicario connexis. De quo corpore Apost. ad Roman. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: alter autem alterius membra*. Vide eundem 1. ad Corinth. 12. ad Eph. 4. ad Coloss. 2.

Duplex est modus schismatis, teste S. Th. q. 39. a. 1. iun. Caiet. §. aduerte: Primus, Cùm aliquis se separat ad Ecclesiæ visibili capite, seu summo Pontifice, debitam ei obedientiam ac subiectionem, quà talis est, denegando. Dico *quà talis*; id est, fungens vniuersali potestate Ecclesiam gubernandi, à Christo concessa. Sin verò aliquis Pontifici obedire recusat ratione rei præceptæ, quòd ea difficilis ac molesta appareat; in alijs obedire paratus: vel ratione offensionis, quam ob specialem causam aduersus hunc Pontificem gerit, alioquin contra ipsam Sedem siue potestatem Pontificiam non rebellis: denique si ideo subesse quis renuat, quia probabiliter existimat, non esse hunc verum Pontificem, vel saltem rationabiliter dubitat: tales pro Schismaticis habendi non sunt, sicuti docent S. Anton. p. 2. tit. 5. cap. 11. §. 6. & 10. Syluest. ver. Schisma in principio, Caiet. eod. ver. in fine: Azor. t. 1. lib. 8. cap. 20. quæst. 4. Vgol. de censuris Papæ reseruatis, p. 2. c. 1. ver. nec non Schismatici, n. 4. Iac. Simanca de Cath. instit. tit. 58. n. 9. Valent. q. 15. p. 1. Sanchez lib. 2. cap. 36. n. 3.

Alter schismatis modus est: cùm quis se separat à reliquis Ecclesiæ membris, siue fidelibus in Religionis cultu, oratione, Sacramentis, alijsque spiritualibus functionibus, atque seorsim per se, vel cum alijs agit, tanquam Ecclesiæ membrum non sit. Quamuis rectè aduertit Valent. cit. p. 1. colum. 6. Cùm caput & reliqua Ecclesiæ membra inter se connexa ac subordinata sint: eos, qui à membris Ecclesiæ expressa voluntate se separant, virtualiter etiam à Capite se separare: & vice versa: vti etiam S. Cyprianus docuit lib. 4. epist. 9. ad Florentium Puppianum, relatus in c. scire debes, 7. quæstion. 1.

5 Iterum diuiditur schisma in purum, & iunctum cum hæresi. Purũ schisma, charitati solùm atque paci oppositum, in ijs est, qui cùm credant vnam esse sanctam Ecclesiam, sub visibili capite, Summo Pontifice constitutam: tamen ex malitia voluntatis nolunt Pontifici subiecti, vel reliquis Ecclesiæ membris vniti esse: idque vel sola intentione, quod est schisma merè internum; vel operis etiam executione, cùm quis exteriùs se gerit, ac si non esset Ecclesiæ membrum, vel in spiritualibus Pontifici non subiectus: quod est schisma externum, & opere consummatum. Ita Caiet. & Valentia ll. cc. Neque tamen ad schisma requiritur directa siue expressa intentio se subtrahendi à Pontificis obedientia, vel aliorum membrorum communione: sed sufficit indirecta & interpretatiua: Si nimirum aliquis externum opus schismatis exerceat, licet non ex formali intentione separandi se ab Ecclesia, aut membris eius: Puta, si Episcopi generalem Synodum, absque Summi Pontificis auctoritate, congregare præsumant, sicuti Caiet. loc. cit. notauit. Vel si Catholici v. g. in Anglia Regi suo in spiritualibus, tanquam Ecclesiæ capiti, obedientiam iurent, aut præstent: sicuti docet Suarez t. 5. disp. 21. s. 2. num. 13. Sanchez cit. c. 36. num. 14.

Ex quo obiter intelligitur discrimen inter peccatum hæresis & schismatis: quòd illud in mente interna perficitur, & exteriùs solùm significatur, ideóque requirit actualem intellectus, eúmque pertinacem errorem contra fidem, sicuti explicaui suprà hoc lib. tract. 1. cap. 14. num. 2. At verò schisma externo opere consummatur: ideóque sufficit ad id voluntarium indirectum, & imputatiuum: sicut & ad homicidium, & alia eiusmodi peccata.

Schisma cum hæresi iunctum est, si aliquis pertinaci animo negat Summum Pontificem totius Ecclesiæ Caput & Pastorem esse: vel Ecclesiæ sanctæ communionem atque ob eam causam se segregat.

Corollarium I. Sicuti ruente Fide, ruit etiam Charitas, non vice versa: ita hæresis secum ducit schisma, non vice versa. Igitur omnis hæreticus verus ac formalis schismaticus est, teste S. August. in lib. 2. contra Cresconiũ Gramaticum, vbi hæresin vocat *Schisma inueteratum*. Non item omnis verus schismaticus etiam hæreticus est: versatur tamen in via ac dispositione ad hæresin: quandoquidem Schismatici non diu puri manent: sed, nisi resipiscant in hæresin etiam cadere solent, sicuti notauit S. Hier. relatus in c. inter hæresin, 24. q. 3. S. Thom. cit. a. 1. ad 3. S. Anton. p. 2. tit. 3. c. 11. ante §. 1. Eiusque rei exempla habemus in Nouatianis, Græcis, & pluribus alijs.

Corollarium II. Schisma merè internum, præsertim si purum sit, & in sola voluntate consistens, non est propriè dictum schisma; neque eo infectus propriè schismaticus: cùm & secundùm fidem internam Ecclesiæ membrum existat, & externa specie ab ea non segregatus. Alia verò ratio est de occultis hæreticis: hi enim amissa fide verè præcisi sunt ab Ecclesia; licet exteriori specie membra Ecclesiæ videantur. Cùm enim Ecclesia sit fidelium visibilis congregatio, sequitur duo necessaria esse, vt aliquis Ecclesiæ membrum sit: fidem, ac communionem. Defectu primi in Ecclesia non sunt hæretici: defectu autem secundi in Ecclesia non sunt excommunicati, & schismatici externi: quandoquidem à communione Ecclesiæ segregati sunt. 6

Dubitari autem solet; Vtrum schismaticus sit, qui ab Episcopo suo, vel particulari aliqua Ecclesia se segregat: interim volens esse subiectus summo Pontifici, & cum alijs membris Ecclesiæ vniuersalis communicare? Affirmant Bellarm. lib. 3. de Ecclesia, cap. 5. in fine, Valentia cit. p. 1. post. 3. proposit. Sed placet magis sententia Vgolini de censuris Papæ reseruatis, p. 2. c. 1. vers. nec non schismatici, n. 3. Sanch. l. c. n. 6. Tales esse schismaticos secundùm quid, & impropriè: ideóque schismaticorum canonicis pœnis non subiectos, sicuti etiam sentit Azor c. 20. q. 4. Nam schisma propriè ac simpliciter significat separationem ab Ecclesia vniuersa, eiúsve visibili in terris capite, siue Pastore: Certum autem videtur, posse aliquem ex maligno affectu separare se ab Ecclesia sua particulari, eiusve pastore: interim intendens, ac palàm protestans, se manere in communione Ecclesiæ vniuersalis, & sub obedientia Summi Pontificis: Igitur talis non erit propriè ac simpliciter schimaticus: cùm etiam Ecclesię vniuersalis membrum permaneat.

Pœnæ Schismaticorum sunt: *Excommunicatio Bullaris*, 7
quæ tamen non extenditur ad eorundem fautores, receptatores, &c. sicuti ea, quæ contra hæreticos decreta est. Itẽ inhabilitas ad Ecclesiastica beneficia: quin etiam post schismatis abiurationem, actámque pœnitentiam, sine dispensatione admitti non posse, colligitur ex c. quia diligentia, de elect. & docet ibid. Abb. n. 7. Azor cit. c. 20. q. 8. Sanch. in 18.

CAP. XII.

De bello.

SVMMARIVM.

1 *Differunt bellum, seditio, ac rixa, quòd bellum sit multitudinis contra extraneos: Seditio multitudinis contra multitudinem eiusdem communitatis: Rixa paucorum, vel singulorum contra paucos aut singulos.*

2 *Bellum aliud est iustum, & aliud iniustum: Bellum iustum duplex est: defensiuum, & offensiuum.*

3 *Ad belli offensiui honestatem tres conditiones requiruntur: Legitima auctoritas, causa iusta, recta intentio.*

4 *Bellum offensiuum propria auctoritate gerere ad eum duntaxat Magistratum pertinet, qui superiorem nullum agnoscit.*

5 *Causa iusta belli semper est iniuria accepta, eáque grauis, quam vel pro ea satisfacere pars aduersa recuset.*
Bellare non voluntatis, sed necessitatis est.

6 *Infideles in belli societatem adsciscere contra Christianos plerumque illicitum est.*

nem à Tyranno postulat. Ad eum modum, sicuti si aliquis bonis suis à latrone spoliatus, eundem rogaret, vt si nollet restitutionem facere, saltem partem aliquam pauperibus erogaret: tunc pauper non malè, ageret, qui à latrone eleemosynam ex eiusmodi bonis peteret. Ex quo sequitur primò: Acta & sententias eiusmodi Tyranni, si aliam iniquitatem non continent, validas esse; quippe ex tacito populi consensu profectas. Sequitur secundò: Inferiores à Tyranno constitutos Iudices nihil peccare, si iurisdictionem exerceant cui præsunt; cùm in eorum potestate non sit, vt tyrannis deponatur: posito autem quòd tyrannis dominetur, populus consentit, vt iustitia administretur, sicuti notauit idem Less. num. 75.

Verùm posteriori sententiæ, quam veram esse censeo, exceptio adhibenda est: Quòd licitum sit suadere minus peccatum, si id sit pars formaliter, vel virtualiter inclusa in maiore peccato, quod alter perpetrare certò decreuit. Tunc enim suadens non inducit hominem ad peccatum, sed abducit à parte peccati, cùm à toto auertere non possit: Et suadet malum minus, non quà malum, sed quà minus, seu diminutio mali, quæ bona est; quia formaliter, & non comparatiuè, opposita malo. Exempla sunt: Si quis animo decreuit adulterium committere; suaderi potest ei, vt potiùs cum soluta fornicetur: quia malitia fornicationis formaliter in adulterio continetur, tanquam pars in toto. Simili ratione volenti Titium bonis omnibus per iniuriam spoliare, suaderi potest, vt minore aliqua rapina contentus discedat. Præterea volenti me, vel alium innocentem occidere, suadere possum, vt pugnis cædat, vel fuste, aut manum amputet: quia huiusmodi læsio corporis virtualiter continetur in hominis occisione. Vide Azor. 5. 17. q.

Debet tamen in his cautio adhiberi, vt tali suasione nullum damnum seu corporale, seu spirituale tertiæ personæ inferatur. Exempli causa, volenti adulterium committere, suadere non licet, vt cum certa persona fornicetur. Neque volenti à Titio furari 100. aureos, suadere licitum est, vt furetur 50. à Caio: nisi in hoc casu suasor damnum Caio inferendum resarcire proponat. Alioquin verò perinde esset, ac si Caio bona eriperes vt indigentiori tribuere posses, quod nefas est: nam de alieno liberalem esse furti species censetur. Et ita docent DD. communiter, licet contrarium senserit Vasq. cit. a. 7. dub. 2. in fine.

Denique verò rectè inquit Valentia cit. q. 21. p. 4. §. & hoc ipsum, Commissuro maius peccatum, si inde abduci alia ratione non possit, licitum esse offerre materiam siue occasionem minoris peccati: non suadendo, sed permittendo, iuxta ea, quæ suprà dixi assert. 2.

8 Assertio III. Scandalum merè passiuum seu acceptum ex nostra operatione, quæ neque in se, neque specie externa illicita est, interdum permitti non potest: interdum permitti potest: interdum permitti etiam debet. Ratio est: Quia permissio scandali passiui repugnat præcepto affirmatiuo virtutis misericordiæ, vt spiritualem proximi ruinam impediamus, vel tollamus: id autem non semper obligat, sed concurrentibus certis circumstantijs. Verùm cùm assertio tres partes habet, per singulas declaratur: Primò, permitti non potest scandalum passiuum, sed impediri debet, quotiescunque nulla ratio necessitatis, aut vtilitatis propriæ vel alienæ cogit nos agere vel omittere aliquid, ex quo alterum occasionem ruinæ spiritualis accepturum putamus, seu ex ignorantia, vel infirmitate: seu ex malitia. Quia charitatis & misericordiæ lege obligamur sicut ad alia proximi incommoda, ita & ad peccata eius impedienda vel tollenda, si facilè possimus. Quapropter licitum non est, à Sacerdote excommunicato etiam tolerato, vel concubinario petere, vt sacrificet, sacramenta ministret, si nulla ratio necessitatis vel vtilitatis cogat, quia alius Sacerdos haberi potest, qui decenter & sine peccato id peracturus sit. Similiter fas non est nulla poscente necessitate, aut vtilitatis ratione, ab vsurario petere vt mutuò det: aut ab infideli, vt iuret: quia sine iusta causa materiam peccandi offero.

Secundò; Fas est talia, quæ enumeraui, ob causam necessitatis vel vtilitatis ab altero petere, quæ rectè & sine peccato præstari possunt, tametsi is, qui petit alterum malè & non sine peccato præstaturum existimet: v. g. vsurarium cum vsura mutuaturum esse, qui tamen sine ea mutuò dare posset: infidelem per Deum falsum iuraturū qui tamen aliter iurare posset; Parochum concubinarium non præmissa confessione & contritione, quam tamen præmittere posset, sacrificaturum; vel excommunicatum toleratum, non petita priùs absolutione, vel si petere tūc non possit, etiam sine contritione & proposito postea petendi, sacramenta subditis ministraturum. Talia enim eorum peccata permitti possunt, quando iusta causa adest cur opus aliquod petatur, quod sine eiusmodi peccatis præstari posset, sicuti colligitur ex doctrina S. Th. 1. 2. q. 78. a. 4. & docent Richard. in 4. d. 38. a. 10. q. 2. Na. c. 14. man. n. 39. & in c. 1. §. Sacerdos, num. 5. d. 6. de pœnit. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 9. n. 8.

Est verò hîc aduertendum, maiorem aliquam causam vrgentis necessitatis requiri, vt permitti possit scandalum passiuum proximi, quod prouenit ex ignorantia aut infirmitate eius, cui plerumque condescendendum & ignoscendum est: minorem verò aliquam causam sufficere, vt permittatur scandalum ex mera malitia. Notant verò S. Thom. q. 43. a. 7. Ioan. Gerson p. 2. operum, in reg. moral. §. ille dicitur; Scandalum ex ignorantia, post debitam admonitionem & instructionem veritatis, fieri Pharisaicum, cuius nulla plerumque ratio habenda est.

Tertiò: Interdum obligati etiā sumus ad operandum, tametsi sciamus, proximum inde ansam peccati, quamuis ex propria infirmitate vel ignorantia, accepturum esse si videlicet ex operis nostri intermissione vel propriæ salutis detrimentum, vel aliud graue damnum, quod impedire debemus, præsertim Communitati, euenturum putatur: quia ratione in bene constituta Repub. hæretici, aliique peccatores obstinati, spreta eorum spirituali ruina, ac damnatione, ob maius Communitatis bonum, morte afficiuntur. Huc spectat etiam illud S. Greg. hom. 7. in Ezechielem: *Si de veritate scandalum accipitur, vtilius permittitur, quàm vt veritas relinquatur*, quando ad augmentum Fidei interest, vt veritas propaletur.

Quamobrem in hac scandali passiui materia diligenter consideranda, atque inter se conferenda sunt: hinc grauitas damni, quod ex operis intermissione proueniet: illinc verò grauitas peccati siue scandali passiui. Si enim damnū graue sit, quod necessitate quadam sustinendum putatur, nisi peccatum, libera alterius voluntate patrandum, permittatur, tunc meritò permittitur. Sin verò peccatum, quod à proximo committendum timetur, multùm in genere suo superet quantitatem damni nostri, tunc lex Charitatis postulat, vt opus intermittamus, & proprium damnum temporale maiori spirituali damno proximorū post habemus: dummodo scandalum non ex mera malitia proueniat.

Ex tradita doctrina resoluitur primò: Quòd Abraham Patriarcha à peccato excusandus sit, qui vt vitam propriā, impendendi periculo eriperet, Saræ vxori suæ dixerat, Genes. 12. Dic obsecro, quòd soror mea sis. Nam Sara aliàs Iesca, non solùm vxor fuit, sed & neptis ex fratre Aran, vti docet S. August. lib. 16. de ciuit. c. 12. & lib. 22. contra Faustum, c. 35. Quamuis solo paterno, etiam materno sanguine iuncti, vti significatur Gen. c. 20. Consuetum autem erat Iudæis, vt consanguineos suos appellarent fratres & sorores, vti ostendit August. locis citatis, & constat ex Euangelio de fratribus & sororibus Domini: quare sicut Abram Lothum nepotem suum ex Arā, fratrem suum vocauit Genes. 13. *fratres enim sumus*: eo-

dem iure, absque mendacio, dissimulando vxorem esse Saram, sororem appellari iussit: Idque cogente necessitate, *Vt benè sit mihi propter te, & viuat anima mea, ob gratiã tui*: Interim permittens, vt Ægyptij occasionem caperẽt mulierem rapiendi, quippe cuius pudicitiæ ille confidebat, quòd in adulterium consensura non esse: multóque magis Dei prouidentiæ, qui eam ex periculo liberare posset, sicut & euentus ostendit. Quam doctrinam leges apud S. August. cit. lib. 16. de ciuit. c. 19. *Vxorem abram tacuit, non negauit, coniugis tuendam pudicitiam committens Deo, & humanas insidias cauens, vt homo: quoniam si periculum, quãtum caueri poterat, non caueret: magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo.* Et infra: *Absit, vt credamus, alieno concubitu fuisse pollutam: quia multò est credibilius, hoc Pharaonem facere afflictionibus magnis non fuisse permissum.* Vide eundem lib. 22. contra Faustum cap. 36 & Rupertum Tuitiẽsem lib. 5. in Gen. cap. 7. accedit, quod etiam S. August. ex Hieronymo annotauit tom. 4. q. 26. super Genes. *Non esse consequens, vt cùm aliquos dies apud Regem Ægypti Sara fuerit, etiam eius concubitu credatur esse polluta: quoniam mos erat regius, vicibus ad se admittere mulieres suas, & nisi fomentis & vnguentis diu priùs accurato corpore, nulla intrabat ad Regem. Qua dum fierent, afflictus est Pharao manu Dei.*

Resoluitur secundò ex doctrina S. Thom. 2. 2. q. 43. a. 7. Palud. in 4. d. 38. q. 6. a. 3. conclus. 2. Duran. q. 4. S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4. §. 5. Quamuis propositum Religionis ingrediendę, propter scandalum ex parentum aliorúmve consanguineorum infirmitate, aut ignorantia profecturum, omnino intermitti non debeat; quia hæc grauis iactura spiritualis censetur; spe tamen differendum est, donec illi propositis rationibus instruantur. Postea verò, si resistere pergant, incipit esse scandalum Pharisaicum, quod minùs curandum, quàm scandalum infirmorum.

9 Resoluitur tertiò cum eod. S. Thom. a. 8. & in 4. d. 38. q. 2. a. 4. q. 3. Palud. conclus. 3. S. Anton. p. 2. tit. 8. c. 4. §. 6. Prælatus non solùm potest, sed interdum etiã debet iurium & bonorum Ecclesiæ vel Monasterio debitorum exactionem differre, ob scandalum ignorantium, & infirmorum euitandum; quo ad ij edoceantur, & scandalum non ampliùs ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia prouenire videatur: cuius vitandi causa temporalium bonorum repetitio, quæ alicuius momenti sunt, intermitti non debet: & verò ab Ecclesiæ Prælato intermitti non potest: cùm non sit absolutus dominus illorum, vt arbitratu suo remittere aut donare possit: sed administrator tantùm, curator & custos. Quare idem sentiendum est de pupillorum tutoribus: & quouis alio bonorum alienorum administratore. Verùm, quod ad Ecclesiæ Prælatum attinet, monent S. Anton. l. c. Caiet. cit. a. 8. Valent. q. 18. p. 4. Si animaduertat, rem ita comparatam esse, vt tametsi populo rationem reddiderit, nihilominus scandalum oriturum, & spiritualis fructus iacturam; tum gratius Deo obsequium facturum, si Ecclesiæ consensum procuret: vt debitum condonetur: quã si exactionem faciat cum spirituali iactura populi, cuius ratio est (inquit Caietanus) quia temporalia propter spiritualia instituta sunt: contra, spiritualia propter temporalia. Qua tamen in re nihil generatim definiri potest, sed in particulari attendi debet: hinc quidem quàm graue scandalũ oriturum sit, & num ex infirmitate aut ignorantia; an verò ex mera malitia, quæ sæpe magis exasperatur & augetur, si quis cedat, conniueat. Quare S. Th. a. 8. ait: *Propter scandalum Pharisaicum non sunt temporalia dimittenda: quia hoc & noceret bono Communitatis: daretur enim malis occasio rapiendi, & noceret rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.* Illinc verò attendi debet, quanta sint bona temporalia, quorum exactio ob scandalum intermitti debeat, & quàm necessaria Ecclesiæ. Vide etiam Gandauensem quodlibeto, 4. quæst. 29.

Resoluitur quartò cum S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4. §. 4. Nauar. c. 14. num 30. Medina 1. 2. q. 74. a. 6. ad 3. Azor t. 2. lib. 12. c. vlt. q. 12. Less. lib. 4. c. 4. dub. 14. nu. 113. Quòd mulier semel aut iterum, non tamen longo tempore & cum magna difficultate sua, domi se continere debeat, si sciat ex suo foras prodeuntis aspectu adolescentẽ ob infirmitatem vel ignorantiam scandalum passurum: quod intellige, si alicui particulari personæ, ob specialem eius dispositionem, ruina spiritualis timeatur. Nam alioquin propter timorem scandali absolutè fore videlicet vnum aut plures è Communitate, qui ea occasione lapsum patientur, non sunt omittenda opera alioquin vtilia, si nec in se mala sint, neque speciem mali habeant: quomodo intelligi potest Caietan. 2. 2. q. 154. ad. 4. in fine, & q. 169. a. 2. dub. 5. Armilla ver. ornatus, num. 3. & expressè notant Less. l. c. Vasq. de scandalo, in q. 43. a. 8. dub. 2. Becanus c. 27. q. 6. Esset enim id nimis difficile, & scrupulorum materiam præberet, si mulier honesta, quæ nullius ruinam intendit, proprio iure ac libertate priuari deberet, quo minùs ex iuxta causa ad fenestram accedere, honesto vestitu foras egredi ei liceret; ne ex eius aspectu vel aliqui è populo scandalum patiantur. 10

Deinde limitat Vasq. cit. a. 8. dub. 1. eúmque secutus Becanus cit. c. 27. q. 5. Nisi præcepti alicuius necessitas vrgeat, v. g. vt mulier festo die Missam audiat. Putant enim, nullum vnquam etiam positiuum præceptũ omittendum esse, propter vitandum scandalum passiuum, quamuis ex infirmitate vel ignorantia prouenturum; & probant auctoritate Innocentij in c. 2. de noui operis nuntiatione, S. Th. q. 43. a. 7. Maioris in 4. d. 38. q. vlt. concl. 3. Syluest. ver. scandalum, q. 3. Armillæ num. 5. & aliorum dicentium: Quæ sunt de necessitate salutis nunquam omittenda esse propter scandalum: Atqui præcepta etiam positiua, v. g. de Missa audienda, ieiunio seruando, sunt de necessitate salutis: Ergo, &c.

Verùm hæc sententia ita vniuersim prolata est contra communem aliorum, qui docent: Quòd fœmina v. g. omittere debet confessionem eius peccati, ex quo intelligit Confessarium (si alteri confiteri non liceat) graue scandalum ob infirmitatem vel ignorantiam passurum esse, sicuti docet Adrianus in 4. de confess. q. 4. Maior in 4. d. 17. q. 5. Nauar. c. 7. num. 4. & alij citandi lib. 4. tract. 6. c. 8. casu 5. Item, quòd coniugata possit intermittere ieiunium præceptum, si intelligat maritum ægrè laturum, & occasionem grauis dissidij ex ignorantia vel infirmitate accepturum, sicuti docent Doctores, quos referam lib. 4. tract. 8. c. 5. n. 4. Ratio est; Quia concurrente duplici præcepto, vno legis naturalis de impedienda spirituali ruina proximi; altero positiuo de ieiunando, aut confessionis integritate seruanda: maius & fortius est naturale.

Ad probationem autem Vasquezij respondetur; In ea id assumi, quod probandum erat: videlicet in tali casu præceptum ieiunij, vel audiendæ Missæ obligatorium, & de necessitate salutis esse. Quamobrem neque auctoritate Innocentij, aut S. Thomæ & aliorum Doctorum aliquid ostendi potest, quin potius contrarium. Fatentur enim communiter, bona spiritualia, quæ non sunt necessaria ad salutem, tantisper occultanda, vel etiam differenda esse, dum durat periculum scandali passiui, ex alterius infirmitate vel ignorantia: idque haud dubiè dictante iure naturali propter charitatem proximi. Quare huic iuri naturali aduersaretur lex Ecclesiastica de audienda Missa in die festo, vel ieiunando in quadragesima; si tali rigore lata esset, vt non obstante quocunque scandalo passiuo Missa audiretur, ieiunium seruaretur. Quare accidere potest casus, licet rarò, vt mulier debeat etiam festo die auditionem Missæ intermittere, si propter circumstantias breui tempore mutandas, intelligat infirmum adolescentẽ lapsurum esse in aspectu ipsius. Et simili ratione domi die festo continere te debes, si propter circũstantias

7 *Bello iusto captis vitam condonare æquum est: nisi de crimine v.g. perduellionis specialiter conuicti sint.*

8 *Subditi in dubio de iustitia belli, pro principe ad bellum eos vocante, præsumere, eique parere possunt: sed extranei ac voluntarij milites iustitiam causæ magis examinare tenentur.*

9 *Milites hosti damna inferre possunt, secundum iustam Ducis supremi voluntatem, expressam vel tacitam.*

10 *In bello iusto insidiis uti licitum est, modo mendacium absit.*

11 *Innocentes per se & ex intentione occidere nunquam licet: sed interdum per accidens eorum mors permittitur, si ita necessum sit ad victoriam & pacem obtinendam.*

12 *Innocentes, si sint membra Reipublicæ nocentis, bonis aut libertate spoliare concessum est.*

13 *Milites in terra hostili etiam innocentes subditos spoliant, si id necessarium sit ad finem belli.*

Represaliæ sine necessitate concedendæ non sunt: & qui contra Ecclesiasticas personas represalias concedunt, excommunicationem incurrunt.

14 *Mobilia ab hostibus accepta, gentium iure militum capientium sunt: immobilia si occupentur, ad supremum belli Ducem spectant: quatenus iustam compensationem, aut pro illata iniuria satisfactionem non excedunt.*

15 *Fides data quibuscunque hostibus publicis, etiam infidelibus atque hæreticis, omnimodè seruanda est.*

16 *Capti, etiam in bello iusto ex parte capientium, cessante scãdalo, & speciali manendi pollicitatione, fugere possunt: capti autem in bello iniusto ex parte capientium, non solùm fugere, sed etiam bona hostium secum auferre in compensationem damni, aut iniuriæ illatæ.*

17 *Peregrini Christiani, dum inter Turcas versantur, non possunt eos bonis suis spoliare.*

18 *In bello plurima ingentia peccata committi solent.*

19 *Clericis iure Ecclesiastico prohibitum est propria manu pugnare: excipiuntur autem qui in minoribus tantùm sunt, & Ecclesiasticum beneficium non habent.*

20 *Clerici, qui spiritualis auxilij causa bello intersunt, spoliorum iure non minùs, quàm alij milites, gaudent.*

1 BEllum, seditio, ac rixa inter se differunt, auctore S. Th. q. 42. a. 1. Anton. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 1. Quia bellum est multitudinis contra extraneos: Seditio est multitudinis contra multitudinem in eadem Republica, siue Cõmunitate: Rixa est paucorum vel singulorum, contra paucos vel singulos. Præterea differt seditio à bello & rixa; quòd hæc actualem pugnam seu conflictum propriè significant: seditio verò non solùm pugnam, siue bellum ciuile ac intestinum, sed etiam præparationem animorum ad pugnandum: est enim seditio *tumultus populi concitati ad pugnam.*

Rixa verò definitur ex S. Th. q. 41. *Verborum contradictio, orta plerumque ex ira, & procedens vsque ad verbera,* iuxta illud Prouerb. 17. *Vir iracundus prouocat rixas.* Quapropter rixa priuatum quoddam bellum est, ex genere suo peccatum mortale, quippe Charitati ac Paci oppositum: vt rectè ab Apostolo ad Gal. 5. inter ea numeretur, quæ à regno cœlorum excludunt. Dixi autem ex genere suo: Fit enim interdum veniale, vel ob passionis vehementiam, & animi præcipitationem: vel ob materię leuitatem: v.g. cùm pueri leuiter inter se rixantur, sicuti notauit Valentia q. 12. p. 1. Molina to. 3. poster. tr. 3. disp. 51. in fine, vbi rectè monet, pueros leuiter secundùm personarum circumstantias inter se rixantes non incurrere canonis excommunicationem.

Seditio verò, si plerumque accidit, iusta ratione subnixa non sit, tantò grauius est peccatum quàm rixa, quãtò maius est bonum publicæ quietis, & politicæ concordiæ, quæ per seditionem violatur, quàm concordiæ & pacis paucorum, quam rixa violat.

2 Bellum denique aliud est iustum, aliud iniustum. Bellum iniustum est graue peccatum, tum Charitati ac Paci; tum etiam Iustitiæ oppositum. Iustum verò bellum Charitati & Paci potiùs inseruit, quia finis belli est pax, & securitas, teste S. August. Epistol. 207. ad Bonif. *Non pax quæritur, vt bellum excitetur: sed bellum geritur, vt pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vtilitatem bellando perducas.*

Duplex est bellum iustum; Vnum defensiuum, & alterum offensiuum. Bellum defensiuum est, quo vis per iniuriam illata repellitur, quod non solùm publica, sed etiam priuata autoritate cuiuis omni iure permissum est, vti habetur in l. 3. ff. de iust. & iure. Bellum offensi- 3
uum est, in quo vis infertur, iniuræ vindicandæ causa: quapropter vindicatiuæ iustitiæ actus est. Ad eius honestatem tres conditiones requiruntur: Legitima autoritas, causa iusta, & recta intentio, vt videlicet amore iustitię, aut iustæ indemnitatis, non ex odio, aut priuatæ vindictæ cupiditate suscipiatur, sicuti inter alios docet P. Nau. l. 2. c. 3. n. 268.

Assertio I. Bellum offensiuum non nisi publica auto- 4
ritate Principis, vel Magistratus superiorem nullũ agnoscentis geri debet. Est communis doctrina apud S. Th. q. 40. a. 1. Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 4. a. 1. Victoriam de iure belli, num. 2. ex S. August. libro 22. contra Faustum, numero 75. *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas penes Principes sit.* Probatur & explicatur: Discrimen est inter Magistratus, quòd alij superiorem nullum agnoscant (vt Imperator, Reges, & Respublicæ liberæ, qualis est Venetorum, Genuensium, Helueticorum) hi non tantùm pericula repellendi, præsentésque iniurias arcendi potestatem habent: sed etiam præteritas vindicandi, puniendíque. Oportet enim quamuis Rempublicam ita comparatam esse, vt sibi sufficiat ad publicum statum ac quietem seruandam; quam tamen seruare non potest, nisi externorum etiam infestationes, atque iniurias vindicare ac bello persequi liceat. Alij verò Magistratus non supremi sunt, sed superiorem aliquem agnoscentes: (v. g. Duces, ac Ciuitates Imperij) hi licet durante necessitate seu periculo, vim atque iniurias aliorum repellere possint, cum moderamine inculpatæ tutelæ: cessante tamen necessitate ac periculo, mox & ipsi cessare debent; & vindicandæ iniuræ iustitiam, ac sententiam, eiusdémque executionem à Principe, vel supremo Magistratu suo petere. Nam iste secundùm Apostolum ad Roman. 13. *gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram.* Quapropter in l. hostes, ff. de captiuis, & postliminio reuersis, & in l. hostes, ff de verb. signif. prædones atque latrunculi appellantur, qui in Imperio, sine consensu & autoritate Imperatoris, bellum offensiuum suscipiunt. Monet tamen Victor. numero 9. Molanus tom. 1. tractat. 2. 2. de iustitia, disputatione 100. Becanus 2. 2. capite 25. quæstione 4. numero 3. Si supremus Princeps, seu Magistratus negligat, vel non audeat illatas iniurias vindicare: quòd in tali casu necessitas licentiam tribuat bellum inferendi hostibus, eósque pro meritis puniendi: ne improbitas impunita maiores animos faciat.

Adde, prohibita quoque esse conuenticula & confœderationes, quę sine Principis, seu Imperatoris autoritate fiunt, l. denuntiamus, C. de his qui ad Ecclesiam, &c. præterquam ad necessariam defensionem contra iniquos aduersarios. qua de re Mynsing. cent. 6. obser. 2.

Assertio II. Vnica, eaque generalis causa iusta belli offensiui est *accepta iniuria.* Ita S. Augustinus in libro qq. 5
super Iosue quæstione 10. relatus in capite Dominus, 23. quæstione 2. *Iusta bella definiri solent, quæ vlciscuntur iniurias, si qua gens, vel ciuitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum: vel reddere, quod per iniurias acceptum est.* Et videri potest Victoria relect. de iure belli, numero 13. Cùm enim Respublica vel Princeps, contra quem bellum offensiuum geritur, superiorem Iudicem non habeat, à quo ad iniuriæ satisfactionem damnique compensationem compellatur, ideo in defectum proprij iudicis, ac vincis, ipsamet Respubl. vel Princeps, qui, cuius subditi iniuriam passi sunt, iudicandi, vindicandique

X

sceleris potestatem naturali, ac gentium iure consequuntur.

Quòd si non ipsemet Princeps, vel Respublica aliena, sed eius subditi dãnum vel iniuriam intulerunt, tunc qui ex altera Repub. iniuriam passi sunt, non priùs bellum inferre, ac de malefactoribus vindictam sumere debent, quàm Principem vel Rempublicam monuerint, vt à suis subditis pœnam exigat, eósque ad damni compensatione͂ cogat. Si autem Princeps, seu Magistratus id facere negligat, tunc contra ipsum quoque bellum moueri potest ab eo, qui in Republica, quæ iniuriam passa fuit, auctoritatem habet.

Oportet autem iniuriam grauem, ac magni momenti esse, ob quod publicum bellum instituere fas sit: quippe in quo tot hominum, etiam innocentium, cædes fiunt, regiones vastantur: & ipsamet, quæ bellum infert, Respublica periculum adit: nam *belli exitus incerti sunt.* Quare Princeps, eiúsque Consiliarij, si sine graui causa bellum decernant, mortali iniuria non solùm alienam, sed etiam propriam Rempub. afficiunt: quando eam periculis exponunt, tributis grauant, publicum ærarium exhauriunt. Et verò maximè Catholicus Princeps animaduertere debet, vtrum occasione belli, quod secundùm se iustū est, Ecclesia & Fides Catholica incrementū, an verò detrimentum passura sit. Si enim spes amplificandæ Ecclesiæ affulgeat, aggredi debet bellum iustum, etsi alioquin intermitteret. Si autem periculum sit scandali, seu spiritualis ruinæ multorum, intermittere debet bellum, quod alioquin iure instituere posset, sicuti notauit Vict n. 33. Mol. to. 1. de iust. tr. 2. dis. 107. Et videri potest Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 20. ad finem.

Assertio III. Particulares iustæ causæ belli suscipiendi sunt hæ: I. Vt subditi rebelles ad obedientiam redigantur.

II. Vt recuperetur prouincia, aut ciuitas Principi aut Reipubl. alicui iure debita, quam recuperare boni communis multùm intersit.

III. Ad vindicandam grauem contumeliam Principi, vel Reipub. illatam: cuius rei exemplum habes 2. Regum, c. 10.

IV. Vt vltio sumatur de gente, vel Principe, qui hosti iniustum bellum gerenti auxilium præbet: quo iure Romani multas prouincias sibi subegerunt: & in veteri Testamento exemplum habes 2. Reg. 8.

V. Vt repellantur ij, qui iniustè prohibent ne nocentes puniantur, quos puniri Reipublicæ multùm interest: exemplum habes c. 20. Iudic.

VI. Vt animaduertatur in eos, qui cum Principe, vel Republica initum fœdus violarunt, non sine graui damno, iniuria, aut dedecore illius: cuius rei exemplum habetur 4. Reg. 3.

VII. Vt impetrentur ea, quæ iure gentium permissa sunt, & per iniuriam denegantur: cuiusmodi est v.g. transitus sine mora & sine nocumento ex vna regione in alteram, sicuti habetur in c. vlt. 23. q. 2. Eóque sensu Cæsar dixit, *Arma tenenti omnia dat, qui iusta negat.*

VIII. Vt socijs auxilium iustum afferatur, quòd si verò ab hostibus infestentur auxiliarij, tunc & ipsi ius acquirunt per se bellum inferendi aduersarijs: qua item ratione à Romanis imperium amplificatum fuisse, testatur Victor. n. 17. Eiusdémque rei exemplum habemus Gen. 14.

IX. Si populi subiecti idololatræ sint, iusta erit causa eos bello persequendi, iuxta ea quæ dixi tr. 1. c. 17. num. 3. Vel si in hæresin aut infidelitatem lapsi, alios secum trahant: atque ita dissensionem in regno vel prouincia excitent. Idémque dici debet, si Rex, vel subditi vnius regni à vera Fide deficientes, subditos vicini regni ad eandem defectionem pertrahere conentur, iustam causam habet Rex vicinus bello se defendendi & illatam iniuriam vindicandi, sicut docet Becanus c. 25. q. 5.

Denique rectè addit S. August. in suprà cit. c. Dominus: *Etiam hoc genus belli sine dubitatione licitum est, quod Deus imperat, apud quem non est iniquitas, & nouit, quid cuique fieri debeat.*

Monet verò Becanus 2. 2. c. 25, q. 7. Bellum interdum formaliter iustum esse respectu Principis, non item respectu Consiliariorum, aut eorum, qui Principem, vel Consiliarios informant de varijs circumstantijs causæ. Si enim informatio re ipsa falsa, vel consilium erroneum sit, tamen Princeps rationabilem causam non habeat suspicandi de falsitate, aut deceptione: practicè conformare iudicium suum poterit informantium allegationibus, & consilijs virorum doctorum minimè suspectorum.

Assertio IV. Postquam iusta belli causa perspecta est, debet ea parti aduersæ proponi, priusquam bellum instituatur. Quòd si illa competentem satisfactionem offerre parata sit, acceptari debet, bellúmque intermitti, aut cœptum reuocari, sicuti dixi lib. 1. tr. 1. cap. 5. §. 3. n. 25. 26. & ex communi docet Cajet. ver. bellum, §. fac ergo Confessor, Mol. t. 1. tr. 2. disp. 103. atque consentit illud Deuteron. cap. 20. *Si quando accesseris ad ciuitatem oppugnandam, offeres ei primum pacem.* Ratio est: Quia *bellare non voluntatis, sed necessitatis est*, c. noli, 23. q. 1. propter ingentia mala, quæ cum bello coniuncta esse solent.

Dubitant verò Doctores, an etiam post mutuam aggressionem & conflictum, quando iam aliqui ceciderunt ex parte eius, qui iustum bellum gerit; si aduersarius condignam satisfactionem offerat, acceptari debeat, & bellū intermitti? Responsio debet esse affirmatiua, ex hypothesi, si condigna satisfactio offeratur. Quia verò id in bello vindicatiuo fermè impossibile est: nā totus exercitus, qui bellum iustum gerenti se iniustè opposuerat, in mortem tradi deberet, quod nunquam facere consentiret: ideo rectè negant Doctores apud Molinam disp. 103. §. dubium est; Bello actualiter cœpto, Principem iustè pugnantem ex iustitia obligari, vt bello absistat, & oblatam sibi satisfactionem acceptet. Plerúmque tamen ex charitate acceptare obligabitur, etsi in ipsomet conflictu, aut post conflictum, pars aduersaria offerat satisfactionem, quam moraliter exhibere potest ac debet: videlicet, vt iniustè ablata restituat: belli expensas, & æstimationem periculi, illatæ iniuriæ Principi iustum bellum gerenti refundat, auctores etiam iniuriæ, qui specialiter digni morte sunt, tradat. Qua item in re naturalis æquitas, & lex charitatis postulat, vt Princeps Christianus multùm de summo iustitiæ rigore remittat.

His adde primò: Etsi, negata ab initio satisfactione cōpetente, possit Princeps, bellum iustum gesturus, quoscunque, etiam infideles in belli societatem vocare, per se loquendo, sicuti rectè docet Bannes q. 40. a. 1. dub. 3. Tamen per accidens ratione scandali, & secuturi nocumenti publici, plerunque illicitum erit, Iudæos vel Turcas in belli societatem contra Christianos adsciscere: de qua re videri potest Becanus c. 25. q. 6. 6

Adde secundò: Etsi bello iusto captos vel sponte deditos, si culpabiliter antè pugnando, mortem meruerant, omnes occidi possint, spectato iustitiæ rigore; præterquam, si ante deditionem de securitate pacti sint: æquitas tamen & lex charitatis postulat: vt Dux belli, habita ratione boni communis, in clementiam potiùs declinet, & multitudini parcat: cùm consueto more, & quasi gētium iure post partam victoriam & redditam securitatem captiuis etiam nocentibus vita condonetur. Excepto, si de peculiari crimine, puta perduellionis, læsæ Maiestatis, &c. conuicti aut damnati sint. qua de re Victor. de iure belli, n. 49. 7

Quinimò id ordinarium esse solet, vt si Communitas vel multitudo hominum deliquit, mitiùs puniantur, exceptis ijs, qui commissi delicti auctores, vel executores fuerunt, sicuti notauit Abbas in capite latores, num. 3.

numero 3. de cleric. excommunic. Clarus libro 5. sent. § pract. criminal. quæst. 60. num. 30. Mol. tr. 3. de iust. disp. 34.

Accedit hîc specialiter, quòd tota nocentium Communitas plerumque occidi non possit sine multorum etiam innocentium cæde, aut damno, quod iniquum est, sicuti colligitur ex S. Ambros. epist. 28. ad Theodos. Imper. de Thessalonicensium cæde, præterquam, si id opus esse videatur ad stabiliendam securitatem contra valde pertinaces ac desperatos hostes: tunc enim id malum occisionis innocentium, &c. si à Duce belli omnino impediri non possit, vt minus malum permittitur, sicuti notauit Victoria de iure belli, num. 48. Becanus cap. 25. q. 10.

8 Assertio V. Subditi, qui de belli iustitia dubitant, Principi aut Magistratui ita iubenti meritò parent, ac militant. Ita Victoria de iure belli, num. 31. Caiet. ver. bellum, Gabr. in 4. d. 15. quæst. 4. art. 2. Maior. ibid. q. 20. Nauar. rubr. de iudic. num. 106. Molina disp. 123. Ratio est: *Quia in dubio quisque obedire debet Principi vel superiori suo*, sicut notauit Gloss. in c. quid culpatur 23. q. 1. Quare idem quoque dicendum de conductitio milite, si illi postea bellum imperetur, de cuius iustitia dubitat. Quamobrem S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 75. relatus in cit. c. quid culpatur, ita loquitur: *Vir iustus, si forte sub Rege, homine etiam sacrilego, militet, rectè potest illo iubente bellare, si quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est: vel vtrum sit, certum non est: ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi: innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi.* Etenim simili ratione Carnifex mercede conductus ad iustitiæ officium exequendum, latam à Iudice sententiam iustè exequitur: etsi de eius iustitia dubitet; quandoquidem ad ipsum non pertinet discurere.

Assertio VI. Milites extranei, atque voluntarii vocati ad bellum, de cuius iustitia dubitant, vt in neutram partem prudenter assentiantur, militare plerumque non possunt. Ita Caiet. l. c. Gabr. concl. 4. Maior §. istis notatis, Syl. ver. bellum, 1. q. 9. prope finem, Molina disp. 114. Valent. quæst. 16. p. 2. aliique communiter, contra Suar. de Charit. disp. 13. s. 6. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. n. 288. Ratio est, quia nulla cogente & excusante obediendi necessitate, exponunt se periculo grauissimæ iniuriæ inferendæ. Addidi tamen voculam *plerumque*: limitari enim assertio debet: Nisi causa bellandi speculatiuè quidem dubia videatur; præsumptio tamen sit, Principem cum Consiliarijs suis examinata priùs diligenter causa, ideóque bona fide, & probabili opinione ductum ad bellum procedere, sicuti annotauit Adamus Tanner in disp. de bello, assert. 32. Ex quo sequitur, si pro vtraque parte præsumi possit, quòd bona fide & iure practicè probabili ad bellandum procedant: damnari non posse milites, si de iustitia belli dubitantes, seu huic, seu alteri parti pro stipendio militent.

Quare inter milites Principi aut Magistratui subiectos, & extraneos hoc discrimen est: Quòd illi iustitiam belli examinare non tenentur, quamdiu nulla probabilis ratio in contrarium occurrit, quę ipsos positiuè dubitantes reddit: tunc enim eo ipso, quòd subditi sunt, pro Principe præsumere possunt. At verò extranei seu voluntarij milites inquirere debent de iustitia belli: &, facta inquisitione, saltem probabile iudiciũ ferre, Principem, cui bellaturi sunt, bellum formaliter iustum gerere. Neque valet argumentatio P. Nauar. numero 277. In dubio de iustitia belli Principem, etiam non superiorem, peccati damnare non debeo: ergo bellantem sequi, ac iuuare possum. Nam sicuti ad hominem iudicandum, damnandum requiruntur indicia ac præsumptio iniustitiæ: ita etiam ad hominem iuuandũ, cum aliorum præsertim tam graui præiudicio, requiri debent indicia, vel presumptio, illum ius agendi habere.

Illud verò apud omnes in confesso est: Milites paratos sequi quemcunque ad bellum vocantem, seu iustum sit, seu iniustum; dummodo stipendium præbeat: in malo statu versari, vt nisi propositum corrigant, à Confessario absolui non possint.

Dixi hactenus de ijs, quæ pertinent ad intelligendam causam & iustitiam belli. Eâ verò intellectâ, videndum nunc est, quæ sint obligationes militantium in bello; & consequenter quæ, & qualia peccata ab ijs committi soleant.

Quæstio prima. Quanta damna hostibus milites inferre iure possint? Respondeo & dico; quicunque in bello 9
iusto pugnant, progredi possunt, secundùm iustum mãdatum aut voluntatem Ducis sui expressam vel tacitam, ad agrorum vastationem, pagorum euersionem, hostiũ spoliationem, nocentium cædem, vti docet Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 101. Cùm enim milites omnes ac singuli veluti ministri sint, seu executores iustæ sententiæ ac vindictæ, quam supremus Princeps vel Respublica in hostes decernit; satis liquet, omnem potestatem, quam milites siue exercitus in hostes exercet, à supremi Ducis voluntate pendere, atque inde conueniente ordine, per subordinatos belli ductores, singulos gregales milites deriuari, vt proinde peccent, si præter Ducis voluntatem aliquid in hostes moliantur.

Verùm considerare milites debent, ob quam causam belli Dux, seu Princeps hostibus damnum inferri nolit, aut prohibeat. An quia eis consultò parcere vult? Tunc contra iustitiam peccant milites, si damna inferant, ad eorúmque restitutionem obligantur. An solùm, vt militaris disciplina seruetur, & exercitus ab hoste tutus sit? Tunc peccabunt quidem non obediendo iusto mandato Ducis; fermè tamen non mortaliter: nisi vel se ipsos, vel exercitum in graue periculum temerè conijciant.

Vt verò intelligant, quousque supremi Principis potestas ac voluntas hostibus nocendi, eorúmque ciuitates occupandi, vastandi, incendendi iure se extendat; attendere oportet, cur bellum contra hostes instituatur: An solùm defensionis causa, seu vt periculum arceatur? Tũc ea solùm agere fas est, quæ ad præstandam pacem & securitatem ab hostibus necessaria sunt qua de re Victoria de iure belli num. 55. An ad persequendam iniuriam tantùm materialem & culpa carentem? v. g. ad recuperandam ciuitatem, quæ iure Principis debetur, sed ab altero per inuincibilem ignorantiam alieni iuris possidetur. Tunc ea duntaxat agere licitum est, quæ ad occupãdam ciuitatem necessaria videntur: & quidem, quatenus fieri potest, cum minimo hostiũ & incolarum damno. Neque belli expensæ tunc exigi debẽt: multò minus vindictæ loco aliquid contra hostes decerni: quandoquidem nec in iudicio pars, quæ causa cadit, ad expensas alteri parti præstandas condamnari solet, nisi litigando in dolo vel culpa fuerit, sicuti notauit Mol. dis. 102. §. in hoc secundo. An denique ad vindicandã iniuriam formalẽ, ac propriè dictam? Tunc iustitiæ vindicatiuæ modũ seruare oportet, vt iniuriæ quantitatẽ pœna seu vindicta non excedat. Quare, si Galli, inquit Victoria, n. 56. irruentes in terrã Hispanorum, iussu Regis sui, pagum incendissent, non ideo fas erit Hispanis integrum regnũ Galliæ occupare; sed solùm quatenus iustitia & æquitas permittit Gallorũ illam iniuriam vindicare, adductis etiam belli expensis, & æstimatis damnis, quæ Hispani passi sunt: non laboribus, ac periculis, quibus se exposuerunt, quæ õnia eò vsq; interdũ accrescere possunt, vt, si bellũ iustè cœptum, hostibus resistentibus, & satisfacere recusantibus, diu continuerunt, totã illorum prouinciã, aut etiam regnũ occupare liceat, quamuis ex nõ admodum magna iniuria bellum originem sumpserit, sicuti notauit Mol. disp. 117.

Quæstio secunda. Vtrum licitum sit in bello insidijs vti? Responsio est affirmatiua cum S. Thom. q. 40. a. 3. 10
S. August. tom. 4. lib. qq. 6. super Iosue, quæst. 10. Cum

iustum quis bellum susceperit, vtrum aperta pugna, an insidiis vincat, nihil ad iustitiam interest. Cùm enim in bello iusto fas sit hostibus nocere: fas etiam erit occultando ipsis consilia, efficere, vt decepti nocumentum patiantur; modò absit mendacium, quod neque in bello licitum est. Exemplum habemus Iosue cap.8.vbi legimus, Iosue collocato exercitu in insidijs contra ciuitatem Hai cum suis fugiendo, metum simulasse, quod intelligi debet secundùm communem loquendi modum: licet non fuerit propriè dicta simulatio, quæ est falsi, ac species mendacij, iuxta S. Thom.2.2.quæst.111.a.1. Cùm enim fugere siue recessus sit operatio homini naturalis, non determinata ad metum seu terrorem animi significandũ: quandoquidem etiam ob alias causas institui potest: ideo Iosue propriè non simulabat falsum: sed naturalem actũ recessus exercendo data opera permisit, vt hostes decepti falsam metus opinionem conciperent.

Porrò, tametsi simulare aliquid verbo vel facto, quod non est, causa fallendi hostes, nunquam licet: cùm id mẽdacium existat: si tamen talis simulatio extra fœdera & promissiones fiat erga hostem, cui nocendi ius habeas, nõ est peccatum graue & mortale. Sic enim sæpe exploratores & alij milites, mentiuntur v.g. socios, aut amicos se esse: cùm nocendi animo veniant: & plura talia stratagemata in militia commendantur, quæ tamen propter mendacium aut simulationem falsi omni culpa non carent: quamuis propter inuincibilem ignorantiam quia rectè se agere tales homines existimant, excusari possint. At verò in promissionibus seu pactis initis cum hoste quocunque per simulationem aliquid dicere aut facere, aliud in animo gerendo, & aliud verbis promittẽdo, est mendacium iniuriosum; ideóque ex genere suo peccatum mortale, sicuti bene docet Ioan. Molanus de fide hæreticis seruanda lib.1.c.15.Becanus 2.2. c.16. qu.1. num.9.

11 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum liceat in bello innocentes occidere? Respondeo & dico I. Innocentes per se atque ex intentione in bello occidere nunquam licitum est. Quia potestas gladij Magistratibus à Deo data est aduersus eos, qui malè agunt: non contra innocentes. Quare Exodi 23.dicitur; *Insontem & iustum non occides.* Et Deuteronom.20. *Percuties omne, quod in eis est, masculini generis, præter infantes.* Cùm autem innocentes vnà cum nocentibus ab Israelitis occidi debuerant, id ex speciali mandato Dei prouenit, vt Iosue 6.1.Reg.15. Porrò innocentium numero censentur imprimis infantes, etiã Turcarum, hæreticorum, &c. Deinde peregrini, Clerici, Religiosi, homines simplices ac rusticani, iuxta c. innouamus, de treuga & pace: Idque secundùm iuris præsũptionem, donec contrarium de illis ostendatur. Per accidens verò, si bellum geri, & victoria ab hostibus obtineri non possit, nisi vnà cum nocentibus etiam innocentium mors permittatur, euersione vrbium, conflagratione ædium, &c. licitum id est, quando ratio communis boni ita exigit, teste Vict. numer.34.Syl.& Caiet. verbo bellum. Cou.regula peccatum, p.2.§.3.n.4.Mol.dis.119. Becano q.11.

12 Dico II. Quod attinet ad bonorum spoliationem: interest, vtrum innocentes sint partes Reipub. contra quam iustum bellum geritur: tunc enim, quia tota Respub. seu Communitas, quæ deliquit, hostis censetur, fas est per se, atque ex intentione omnia eius membra in bonis fortunæ punire: v.g. bonorum spoliatione, imposito generali ac perpetuo tributo, vel abductis in captiuitatem mulieribus, ac infantibus, sicuti constat ex l.si quid bello, & l.hostes, ff.de captiuis. Quamuis quod ad captiuitatem spectat, ea solùm locum habet in infidelibus: At verò Christiani à Christianis capti, serui eorum non efficiuntur: ob diuturnam consuetudinem, vim legis obtinentem: sed interdum pecunia, tanquam in prẽmium victori oblata, redimi solent, sicuti notauit Mol. dis.117. concl.4.

Porrò ad hoc, quòd tota Communitas deliquisse cẽseatur, ac puniri possit: necesse est, vt maior seu potior eius pars, quę alioquin ad decernendum aliquid Communitati sufficeret, delictum aliquod fieri collegialiter decreuerint, vel impedire per traditam sibi potestatem neglexerint: tunc si delictum valde graue sit, v.g. proditionis, apostasiæ à Fide, propter quale peccatum à parentibus commissum etiam filij puniri solent, multò magis quicunque ex Communitate illa sunt, quamuis innocentes, puniri possunt bonorum spoliatione, libertatis, vel ciuitatis amissione, imposito tributo, &c. qua de re Mol.tr.3.disp.35.

Loquor autem de punitione, quæ per se ac directè propter crimen commissum infertur Communitati, plerumque post partam victoriam. Sin autem aliquis quærat de spoliatione, & vexationibus, quas milites in terra hostili incolis inferre solent, licet sciant eos innocentes esse: quia solus eorum Princeps deliquit aut iniuriam intulit; Respondendum est: Posito, quòd eiusmodi spoliationes fiant cum expresso, vel tacito consensu Ducis bellum iustum gerentis, à peccato tunc excusari, si necessariæ esse videantur ad finem belli consequendum: seu quia hoc modo vires partis aduersæ diminuẽdæ erunt: seu quia alio modo iusta vindicta sumi, aut debita satisfactio impetrari non poterit à Capite Reipu. contra quod bellum institutum est: nisi inuadendo, & spoliando subditos eius: præsertim si etiam ipsis subditis expedire videatur, vt à iurisdictione Principis sui, puta infidelis, aut hæretici Caluinistæ, iusto bello extrahantur. Veruntamen in tali casu Princeps ille, qui causam damni inferendi subditis suis dedit, ad eius compensationem in conscientia obligatus est. 13

Atque huc spectant literæ, quas vocant represaliarum, quibus Princeps, vel Respublica subditis, aut militibus suis damnum iniustum passis potestatem facit inuadendi terram eorum, qui damnum intulerunt; & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, donec iusta damni compensatio fiat: dummodo priùs Communitas, vel is, qui Communitati præest admonitus, compensationem facere, aut imperare neglexerit: *Vt si Galli,* inquit Victor. de iure belli, num. 41. *fecerint prædas in agrum Hispanorum: & Rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionem, cùm possit, possunt Hispani autoritate Principis spoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantumcunque innocentes: quia licet fortè à principio Respub. aut Princeps Gallorum non fuerit in culpa: iam est in culpa, quia negligit vindicare.*

Sunt autem represaliæ species quædam belli, ideóque sine necessitate non concedendæ: cùm sint periculosæ & occasionem præbeant rapinarum, ait Victor. ib. Insuper ne contra personas Ecclesiasticas, vel bona earum represaliæ concedantur, aut extendantur, prohibitum est sub pœna excommunicationis ipso iure lata in personas singulares, interdicti verò in Communitatem, nisi talem præsumptam licentiam intra mensem post diẽ concessionis, aut extensionis reuocent, c.vn. de iniuriis in 6. Vide etiam Sylu. Caiet. Sa verbo represalia, Ioach. Mynsing.cent.6. obser. 1. qui casus numerat, in quibus represaliæ iure peti possint.

Dico III. Quod attinet ad eos, qui non censentur partes Reipublicæ nocentis: quales sunt peregrini, Clerici, ac Religiosi: eos non nisi per accidens bonis spoliare licitum est, si alia ratione finis, qui est victoria, pax, & securitas, commodè obtineri nequeat. Quamobrem fas est eiusmodi innocentibus auferre naues, arma, equos, frumentum, pecunias, si probabilis suspicio sit, quòd alioquin iniusti hostes talibus ad bellum sustinendum vsuri sint. Verùm transacto bello, quæcunque ab Ecclesijs, Clericis, ac peregrinis abstracta sunt, eisdem restitui debent, nisi bona fide in belli vsum absum-

absumpta fuerunt. Alia verò ratio est de innocentibus subditis; ij enim, vt suprà dictum, bonis quandoque spoliantur in odium aut vindictam Principis sui, contra quem bellum geritur: quare ad ipsum pertinet compẽsationem damni facere. Modò hinc etiam excipias illos subditos Principis, aut Reipub. delinquentis, qui quatenus in ipsis erat, ausis restiterunt, atque Principi bellum iustum gerenti adhæserunt; nam hos quoque ab omni damno per se atque ex intentione inferendo, immunes esse oportet.

QVÆSTIO QVARTA. De spoliis, ac prædis, quatenus iustę sint, & ad quos pertinere debeant? Respondeo & dico I. Non tantùm fas est eos, contra quos bellum iustum geritur, bonis spoliare, sicuti suprà dixi: sed etiam interdum, si culpa & iniuria hostium id mereatur, totam eorum ciuitatem militi in prædam ac direptionem dare, sicuti docet Syl. ver. bellum 1. q. 10. Victor. de iure belli, num. 52. Mol. disp. 122. Cæterùm quia cum tali deprædatione grauissima crimina coniuncta esse solent: puta innocentium cædes, virginum & matronarum stupra, templorum spoliationes, &c. quæ licet à Duce prohiberi & impediri debeant: quia tamen propter impetum militum, in tali casu sæuientium, omnino impedire non possunt: ideo per accidens peccat Dux belli, si eiusmodi generalem vrbis direptionem permittat sine causa necessitatis, aut magnæ vtilitatis: cuiusmodi est v. g. vt hostes pertinaces ac desperati tandem frangantur, vt militum alioquin languentium ardor excitetur, vt bellum denique expediri, & pax iusta siue securitas obtineri possit.

Dico II. Mobilia ab hostibus accepta gentium iure
14 militum capientium fiunt. Ita docet Nauar. lib. 1. consil. 3. de restitut. spoliat. edit. 2. Victor num. 53. Couar. regula peccatum, p. 2. §. 11. Mol. disp. 117. conclus. 4. & cõstat ex l. si quid bello, ff. de Captiuis, & §. item ea, Instit. de rerum diuisione: *Quæ ex hostibus capimus, iure gentium statim nostra fiunt: adeò quidem, vt & liberi homines* (non Christiani) *in seruitutem nostram deducantur.* Idque hodie etiam seruari solet: præterquàm si alicubi consuetudo, vel lex vigeat, vt spolia omnia seu prædę ad Ducem afferantur, à quo pro cuiusque meritis, ac dignitate distribuantur, iuxta c. militare, dist. 1. Illud etiam monet Victoria l. c. cum Syl. ver. bellum, 1. q. 9. Eiusmodi prædas siue spolia rerum mobilium, cùm gentium iure capientium fiant, non esse computanda in compensationem debiti principalis, quod iustum bellum gerens ab aduersa parte iure exigere potest.

Dico III. Si ab hostibus, contra quos bellum iustum geritur, abstrahantur mobilia, quæ ipsi ab aliis antè, quamuis iniustè, ceperant: ea similiter secundùm ius Cæsareum capientium fiunt, neque pristinis dominis restituenda sunt, posteaquam in locum tutum deportata fuerunt. Ita docent Innoc. c. sicut, 3. de iureiur. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 11. Nau. suprà cit. consil. 4. Mol. disp. 118. §. his ita explicatis, Becanus c. 25. q. 14. §. quæres secundò: Puta, si hostes iniquum bellum gerentes, spolia à nostris abegerunt, eáque postea à militibus nostræ partis recuperantur, cùm primùm ad locum tutum spolia deportata pacificè possidere incipiunt, eorum domini efficiuntur. Ratio est, quia id ad similitudinem iuris Romani cit. l. si quid bello consuetudinem introduci potuit, boni communis causa: tum ad militum animos excitandos, tum ad innumeras lites tollendas, quæ alioquin oriri possent. Sed excipi debent, quæ postliminij iure gaudẽt, vt currus, & naues onerariæ, quibus commeatus & similia pro vsu belli aduehuntur, ea pristinis dominis restituenda, posteaquam ab hostibus liberata, post limen ipsorum reducta sunt, l. nauibus, ff. de Captiuis, & postliminio reuersis.

Dico IV. Immobilia, quæ occupantur, quatenus iustam damni compensationem, vel pro iniuria satisfactio nem non excedunt, pertinent ad Principem seu supremum Ducem belli, l. si captiuus, §. 1. ff. de Captiuis. Si verò ab hoste, cui erepta sunt, iniustè possessa fuerant, pristinis dominis restituenda erunt, sicuti ex communi Cou. p. 2. §. 11. Valentia p. 3.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum hosti, quamuis 15
iniustè vexanti; seu iniustum bellum gerenti fide publica seruanda sit? Responsio est affirmatiua S. Thom. qu. 40. a. 3. Couar. in 4. decret. p. 2. §. 4. num. 22. Ioan. Molani de fide hæreticis seruanda, lib. 1. cap. 16. & aliorum, ex S. August. epist. 205. ad Bonifacium Comitem, qui refertur in c. noli, 23. quæst. 1. *Fides quando promittitur, etiam hosti seruanda est; contra quem bellum geritur* S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 29. *Quanta iustitia sit, ex hoc intelligi potest, quòd nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quæ etiam hosti reseruatur.* Et paulò post: *Liquet igitur etiam in bello fidem, & iustitiam seruari oportere: nec vllum decorem esse posse, si violetur fides.* Loquimur autẽ de fide publica: id est, quæ à publico Magistratu, vel Communitate datur. Ratio assertionis est; quia fœdera publica gentium iure introducta sunt, quod omni generi humano commune est, c. ius gentium, d. 1. iuncto, §. ius gentium, Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili. Idque propter necessitatem: quia nisi fœdera publica seu inter diuersos Principes, aut Respublicas, seu inter Principem aut Magistratum, & subditos eius, v. g. rebellantes, inita, omnimodè seruanda essent, nulla pax aut societas inter humanum genus consistere posset. Intelligũtur tamen hæc, dummodo fœdus ex obiecto malum non sit: consequenter nec obligatorium.

Neq; verò tergiuersationi locus est: quòd pars altera ad fœdus ineundum per vim iniustam adacta sit: quod in bellis, quippe quæ ex altera parte ferme iniusta sunt, plerumque accidit. Cùm enim paciscentes superiorem Iudicem non habeant, qui causa cognita ipsis ius dicat: pars quælibet paciscens postea causari posset, ac dicere, sibi vim iniustam illatam esse: ideóque fœdus à se rescindi posse. At verò si priuatus aliquis alteri priuato, vim iniustam inferenti, promissionem faciat metu adactus: licet eiusmodi pactio siue fœdus mero iure valeat, tamen propter æquitatem rescindi potest, iuxta Prætoris edictum; *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo*, l. 4. ff. tit. 2. Idque locum habet, si paciscentes Magistratui alicui subsunt: præsertim ille, qui vim iniustam intulit: potest enim, ac debet à suo Iudice compelli, vt promissionem iniquè extortam, quamuis iurata fuerat, remittat & non exigat.

Deinde tergiuersationi locus non est, etiamsi postea appareat, fœdus publica autoritate initũ, Principi, aut Reip. paciscenti perniciosum esse; dummodo, vt dixi, ex obiecto malũ, seu iniquũ non sit. Alia verò ratio est de fœdere priuato, seu quod priuati pepigerunt cũ altero priuato, vel alia Republica aut Principe; si enim tale fœdus cedere videatur in proprij Principis, aut Reipublicæ perniciẽ, rescindi poterit: quandoquidẽ in omni promissione intelligi debet exceptũ ius Superioris: quippe cui subditus præjudicare nõ potest, c. venientes, de iureiur. Sin verò fœdus aut promisso alieno Principi, aut Reip. facta in publicã perniciẽ non cedat: vt si quis Tyranno reditum, vel redẽptionis pretiũ iuratus promisit, fides seruãda est; sicuti docet Cou. l. c. Ioan. Mol. l. 1. c. 17. & 29. eiúsque rei exemplũ habemus apud Cicer. l. 1. de Officijs de M. Attilio Regulo, quem laudat S. Aug. l. 1. de ciu. c. 15. & 24.

Ex dictis iudiciũ ferri potest de doctrina Ioan. Mol. l. 3. de fide hæreticis seruãda, c. 14. *Respondeo*, inquit, *Romani Põtificis autoritatem nullã esse ad destructionẽ, sed ad ædificationẽ. Quia autẽ absq; magna destructione nõ posset dispensare, vt fides publica à Cõcilio, aut Principe data violetur, ideo dispẽsationis eius autoritas & potestas cò se nõ extẽdit. Neq; vllũ hactenus extitit, aut vnquã extabit huius rei exẽplũ. Nã si Romanus Pontifex semel in fidei publicæ transgressione dispẽsaret,*

quòd hæc non foret legitima dispensatio, sed potiùs dissipatio, probatur: Quia deinceps nemo posset esse securus habito à Rege, aut alterius tituli Principe saluo conductu, aut solemni iuramento: quòd semper periculum foret, ne regia potestas in via dispensationis extorqueat, quod semel concessum esse nouit.

Mihi in hac re dicendum videtur primò: Fœdus publicum, quod v.g. duo Reges Catholici inter se pepigerunt, non potest vlla potestate, ne Ecclesiastica quidem directè dissolui per dispensationem, aut iuramenti relaxationem. Nam soluendi potestas Prælatis Ecclesiasticis data est in ædificationem, non in destructionem: at verò talis relaxatio fidei aut fœderis publici tenderet contra ius gentium, adeóque cederet in magnum detrimentum societatis humanæ, & grauissimum alterius partis præiudicium. Ergo, &c.

Dico II. Si fœdus publicum inter partes Catholicorū quamuis legitima potestate initum, successu temporis cedat in magnum Ecclesiæ Christianæ detrimentum, tunc Summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ fœdus indirectè rescindere posset, cogendo alteram partem, vt remittat obligationem fœderis in publicum Ecclesiæ detrimentum cedentis: vel eo recusante, propria autoritate relaxando. Probatur: tum quia id postulat bonum regimen Reipub. Christianæ, vt supremus eius Pastor tollere possit ea, quæ in perniciem grauem Ecclesiæ Christi cedunt: tum quia ipsi Catholici Reges ac Principes, cùm sint Ecclesiæ filij, non alia conditione sua fœdera constituere censentur, nisi vt salua interim sit Ecclesiæ Christi incolumitas.

Dico III. Si à Christiano v.g. Rege cum infidelibus, seu non baptizatis publicum fœdus fiat, nulla vnquam ratione seu directè, seu indirectè Summus Pontifex relaxare potest. Ratio est: Quia cederet in maximum detrimentum ac contemptum ipsiusmet etiam Ecclesiæ: siquidem nihil tam indecorum Christianæ Catholicæ Religioni, & nihil ipsis Catholicis Regibus, ac populis adeò noxium esse potest, quàm si fidem publicè datam non seruare, seu fœdera violare censeantur. Profectò fidem fallere, & multis modis decipere proprium est insigne, seu nota infidelium, præsertim hæreticorum: cùm enim hi fidem Deo in baptismate datam abiecerint, quid mirum, si neque hominibus fidem seruent? Quamobrem si quando fœdus à Catholico Rege cum infidelibus legitima potestate constitutum, cedere postea videatur in Ecclesiæ Catholicæ detrimentum, à Christo, supremo eius Rectore & defensore auxilium sperandum, petendúmq; & nunquam alicuius perfidiæ remedium adhibendum est.

Dico IV. Si Catholici cum hæreticis publicum fœdus ineant, non potest per auctoritatem Pontificiam solui, aut relaxari. Hæc est doctrina à Ioanne Molano præcipuè intenta. Probatur: Licet enim, si quædam præcisè spectetur, videlicet quòd hæretici, propter Baptismum, Ecclesiasticę iurisdictioni subiecti sunt: ob odium ac pœnam ipsorum, iure compellantur ad remissionem fœderis in Ecclesiæ detrimētum cedentis: aut, si recusent, ipsis etiam inuitis, relaxatio fieri queat per supremam Ecclesiasticam potestatem: attamen, spectatis omnibus, ideóque absolutè negari debet, id à summo Pontifice fieri posse. Quandoquidem is non habet potestatem dispensandi aut relaxandi in detrimentum Ecclesię: talis autem relaxatio cederet in grauissimū Ecclesiæ detrimentum: quia cùm hæretici Catholicę Fidei hostes, in omni fœdere cum Catholicis inito exclusam velint Papalem relaxandi potestatem: ideo apud ipsos, & omnes nationes infideles blasphemabitur nomen Domini, & Religio Catholica in contemptum veniet, & plura mala indigentia sequentur, si dicatur, nos cum Pontificis nostri consensu, fœdera publica, contra ius gentium, erga hostes nostros violare. Hoc autem tam graue malum est, vt nullum incommodum seu detrimentum Ecclesiæ Catholicæ, ex fœderi obseruatione inferendum, ita magnum videri debeat, sperantibus in Deo, & Christo summo Ecclesiæ defensore, qui auxilium fert in tempore opportuno.

Verùm hæretici huius temporis Caluinistæ egregiè astuti sunt. Vt enim impunè ipsis liceat pacta cum Catholicis inita violare, causam prætexunt, quòd Iesuitę, & alii Catholici doceant, fidem hæreticis (quales se esse conscientia ipsis dictat) seruandam non esse: talibus autē, qui fidem violare parati sunt, fidem seruari non oportere: cùm tamen interim fidem publicam à Catholicis violatam fuisse, nullo exemplo ostendere possint: multò minùs quòd Catholici Doctores in ea, quam dicunt, sententia sint: *Fidem hæreticis seruandam non esse.* Ecce enim tam Iesuitæ, quàm alii Doctores Catholici contrarium apertè profitentur ac docent; Fidem publicam hæreticis datam, inuiolabiliter, & sine vllo dispensationis, aut absolutionis remedio seruandam esse, quamdiu ipsi seruare parati sint.

Obijciunt nobis Concilium Constantiense, in quo saluum conductum Ioanni Hussio datum, violatum esse aiūt; sed probare non possunt. Nam Patres Hussio saluum conductum dedisse non legimus: Sigismundus autem Imperator dedit saluum conductum: at non violauit. Primò: Quia dedit in forma iuris communis, id est, salua executione iustitiæ, quo ipso modo Patres sess. 6. Hieronymo Pragensi dederunt *omnem saluum conductum à violentia, iustitia semper saluâ.* Secundò: Quia Hussius post datum saluum conductum fugam arripuit, quæ ipsi sub pœna capitis ab Imperatore prohibita erat, vti ostendit Martinus Becanus in opusculo de fide hæreticis seruanda. Tertiò: Ipsamet Synodus Constantiensis sess. 19. optime demonstrat, à seculari, ipsáque Imperatoria potestate per saluum conductum alicui datum, Ecclesiasticę (quippe omnino distinctæ, atque superiori iurisdictioni) nullum præiudicium generari posse, quo minùs de personarum erroribus inquirere, & contra pertinaces ad punitionem procedere possit.

QVÆSTIO SEXTA. Vtrum in bello captis fugere licitum sit: & res hostium asportare? Respondeo, & 16
dico I. Non est improbabile, quòd capti in bello, etiā iusto ex parte capientiū, iniusto autem ex parte aduersariorum, ad suos fugere possint, absque peccato: modò scandalum, & specialis permanendi pollicitatio absit. Ita docent Sotus l.4. de iust. q.2. a.2. concl.3. Cou. 1. rel. c.2. n.10. & regula peccatum part. 2. §.11. n.6. Vasq. 1.2. t.2. dis. 174. c.1. num.8. P. Nau. l.3. de restit. c.1. num.200. Ioan. Malderus in 2.2. q.40. art.1. dub.7. contra Gloss. in c. ius gentium, dist.1. S. Anton. p.3. tit.3. c.6. §.4. Nauar. c.17. num. 103. Molin. tom. 1. tract.2. disput.37. Nam iure gentium introductum esse videtur, vt capti iustè ab hostibus, si fugiendo ad suos perueniant, libertatem consequantur. Id enim ius postliminij est, l. in bello, l. nihil interest, ff. de Captiuis, & §. item ea, quæ ex hostibus, Instit. de rerum diuis. Accedit, quòd hæc pœna perpetuę seruitutis naturali propensioni admodum repugnet, vt eam sustinere, si effugere quis possit, valde difficile sit, vti dixi l.1. tract.4. cap.15. numero 10. & tradit Petrus Nauar. lib.3. c.1. num. 201. vbi consequenter ait, quòd bello captus fugere possit non tantùm in patriam, sed etiam in aliud regnum distinctum: neque domino suo restitui debeat.

Non obstat his, quòd tales fugitiui, si ex fuga reducantur, priusquam ad suos peruenerunt, puniri solent, sicuti colligitur ex l.3. C. de seruis fugitiuis: Quia etiam dānati ad mortem, si ex captiuitate fugiant, grauiter puniuntur: licet secundùm probabilissimam Theologorùm sententiam fugiendo nihil peccàrint; vti dictum est cit. n.10.

Dico II. Capti bello iniusto ex parte capientium, v.g. Christiani à Turcis, non tantùm licitè fugere possunt (secula

(seclusa speciali permanendi promissione, iuramento firmata) sed etiam in compensationem damni illati, vel debitæ mercedis propter præstita seruitia, res illorum, qui iniuriam intulerunt, propria auctoritate auferre. Ita docet Molin. tract. 2. tom. 3. poster. disput. 693. conclus. 1. Ratio est: Quia, si nemo adsit, qui iustitiam administraturus est, potest quilibet, si scandalum cesset, per seipsum clam vel palàm accipere, quæ sibi liquidò debentur. Neque refert, tametsi inter Turcas v. g. & Christianos induciç, vel pax constituta sit: Ea enim ad id solùm se extendit, vt à neutra parte Reipublicæ damnum alteri inferatur: non verò, vt qui hactenus iniustè oppressi fuerunt, ius suum ac debitum recuperare non possint.

17 Dico III. Cùm Christiani inter Turcas versari, vel peregrinari permittuntur ex pacto cum ipsis inito, si quid palàm, vel clam ab illis auferant, furti vel rapinæ crimē committunt, cum restituendi obligatione. Ita Molin. loc. cit. conclus. 4. Ratio est: Quia Turcæ veri domini sunt mobilium bonorum suorum: ergo illis spoliari non possunt: nisi vel iure belli in iustam vindictam, vel in iustam compensationem liquidi debiti naturalis. Hìc autem ponimus vtramque causam cessare: Nam imprimis, licet ponamus, bellum eo tempore cum Turcis esse: peregrinantes tamen non possūt ipsis damnum inferre: tum quia prohibentur pacto seu fide ipsis data, quæ etiam hosti seruanda est: tum quia præsumere non possunt esse voluntatem Principis Christiani contra Turcas bellum gerentis, vt à peregrinantibus hostile damnum inferatur. Quod verò ad alterum attinet, si Turcæ à Christianis inter ipsos commorantibus per iniustitiam aliquid extorserunt, v. g. pretium redemptionis suæ, vel tributum ob permissam ipsis peregrinationem, tunc fatetur Molina, licitè tantūdem à Turcis auferri, si id clam sine vllo scandalo fieri possit.

Dico IV. Si Turcæ per terras Christianorum peregrinentur cum consensu Principum, vt fieri solet tempore induciarum, aut pacis, nefas est quidquam damni eis inferre. At verò tempore belli, nullâque ipsis promissa securitate, possunt hauddubiè bonis spoliari, in captiuitatem trahi, &c. non solùm à Principe, bellum contra eos gerente, sed etiam à quouis eius subdito, ex præsumpta Principis voluntate. Ita docet P. Nauar. lib. 4. c. 1. n. 54. & colligitur ex doctrina Molin. loc. cit.

18 Quæstio Septima. Quibus modis in bello peccari soleat? Plurima & ingētia peccata sunt, quæ bello, quamuis alioquin iusto gerendo, committi solent. Imprimis Dux supremus seu Magistratus, cuius auctoritate bellum geritur, grauiter peccat, si iusta stipendia militibus non prouideat: ex quo ipsi ad iniustas rapinas, aliáque damna innocentibus inferenda stimulantur; ad quorum proinde restitutionem Princeps obligatur. Deinde peccat, si disciplinam militarem seruare intermittat, milites ab iniustis incursionibus, rapinis, stupris, &c. propositis pœnis non coerceat: atque etiam exinde restituendi obligationem contrahit: cùm ex iustitia obligatus sit ad eiusmodi damna, quatenus potest, impedienda.

Nota autem, quod dico *quatenus potest*: Imprimis enim considerandum hîc est, vtrum Princeps vltro ad bellum iustum gerendum accedat, v. g. occupandæ ciuitatis, aut prouinciæ causâ, quæ ipsi iure debita denegatur: tunc persuadere sibi debet, quòd bello rectè sustinendo idoneus futurus sit: videlicet diuitijs tam potens, vt militibus, quamdiu bellum geritur, stipendia soluere: & tam potēs auctoritate, vt eosdem per subordinatos Duces in officio continere possit: alioquin bellum plerumque intermittere debebit. At verò necessitate coactus ad bellum, præsertim defensiuum, v. g. contra incursus infidelium, aut hæreticorum aggrediatur: tunc accidere potest, vt sine culpa Ducis aut Principis diuturnum bellum gerentis, stipendia militibus tardiùs aut tenuiùs proueniant, quàm ipsi merentur: quo in casu necessitas (si sumptus quamuis omni possibili studio quæsiti & collecti non sufficiant) partim ipsos milites, partim verò incolas, boni publici causâ, aliquā incōmoda tolerare necesse est. Contingere etiam potest, vt etsi maximè belli Dux supremus disciplinam militarem seruare cupiat, non tamen possit: quia milites, eorúmque Capitanei secessionem ad aduersarios apertè cogitant, si cum supplicij seueritate à prædis omnino arceantur: quo casu interdum minora eiusmodi, mala permitti, & ab incolis æquanimiter perferri debent, vt grauiora incommoda vitentur: modò alia pericula re verâ subsint, & non vana excusatione prætendantur.

Accedit: quod ad stipendij solutionem attinet, etiam consuetudinem spectandam esse: Nam quibusdam regionibus mos est, vt milites in partem stipendij sui pannum accipere cogantur, eo pretio auctiore, quo mercatores fœneratores Principi vendiderunt. Plerísque verò locis consuetum est, vt trium, vel quatuor plerumque mensium stipendia militibus seruentur: fortasse ob eam causam, vt dum hanc debitam sibi pecuniam apud Ducem quasi depositam habent, à fuga, & secessione retrahantur: quòd si autem ex militibus aliqui moriantur, hæredibus eius nihil soluitur. Sin autem dimissio militum fiat, aliquid debiti ipsis stipendij detrahitur, tanquam in pœnam, quia multas contra Ducis voluntatem rapinas abegerint: esto, multi eorum in hac re innocentes sint. Hæc & similia interdum probabiliter excusantur: vt saltem à Confessarijs, tanquam manifestò iniusta damnari non possint: partim ob necessitatis rationem, quia pecuniæ non sufficiunt ad bellum necessarium gerendum, vel continuandum: quare priuata militum iactura posthabetur bono publico: partim quia milites, dum militiæ nomen dant, scientes eiusmodi consuetudinem, sponte in eam consentire videntur.

Peccata Ducum supremo subordinatorum, præter alia, quæ ex supra dictis colliguntur, hæc esse solent: I. Si milites suos absque necessitatis causa temerè exponant certæ internecioni. II. Si nulla cogente necessitate in locis palustribus, & valde insalubribus castra figant, cum periculo morbi, seu contagionis. III. Si in solutione stipendiorum iniustis, & vsurarijs cambijs, seu permutationibus pecuniarum vtantur. IV. Si pecunias accipientes pro maiore militum numero, eum non complent, cum ingenti interdum Reipublicę damno. V. Si dimissis veteranis, & exercitatis, in eorum locum nouos inexpertos minore stipēdio substituunt. VI. Si stipendium militibus subtrahentes, permittant eos à rusticis & alijs innocentibus extorquere, quæ sibi necessaria sunt. VII. Si dum per prouinciam exercitum ducunt, à pagis & ciuitatibus pecuniam accipiant, ad redimendam vexationem: vt videlicet exercitus non ad ipsos, qui pecunias obtulerunt: sed ad alios adducatur. Hæc enim omnia cedunt in iustum damnum subditorum. Vide Molin. disp. 117. Becanum q. 15. Nau. lib. 2. c. 3. n. 285.

Alij porrò Officiales in exercitu peccant: I. Si victualia exercitui necessaria conuehi negligant: aut per auaritiā vel negligentiam militi cibum, potúmve corruptum præbeant, ex quo morbi oriantur. II. Si pulueri tormentario alienam materiam admisceant, lucri sui gratia. III. Si pro cibo, potu, & similibus plus, quàm debeant, à militibus accipiant. IV. Si à domibus pro redempta vexatione, seu subleuato onere, quòd in eas nullos milites hospitij causa mittant, pecuniam accipiant: præsertim si propterea alios incolas plùs grauari accidat.

Denique milites omnes, ratione stipendij, quod accipiūt, ex iustitia, adeóque sub culpa mortali obligati sunt. I. vt Duci, ac Præsidi militiæ obtemperent, in acie, & pugna consistant, & non facile fugiant, aliísque timorē inijciant iuxta l. omne delictum. ff. de re militari. II. Vt stationem seruent, arcem sibi commissam defendant, etiā cum vitæ periculo, quamdiu spes defendendi indi superest:

alioquin capite plectuntur, iuxta l. 3. ff. ad l. Iuliam Maiest. III. Vt sine Ducis sui consensu à castris, vel exercitu non discedant: quandoquidem tali pacto à belli Duce milites conducti censentur, vt illi liberum sit, eos cùm voluerit, persoluto stipendio dimittere: ijs verò liberum non sit, cùm voluerint, discere. Qua in re aduertere etiã debet miles, quantum damnum ex discessione, aut fuga sua sequatur, seu quòd alius miles non nisi longo tempore, magnisque expensis adduci possit: seu quòd periculũ sit, ne paucorum exemplum alij plures secuti, castra, vel etiam aciem aduersus impetus hostiles non satis instructã deserant: vt meritò eiusmodi delicto capitis supplicium decretum sit in l. omne, §. qui in facie, ff. de re militari & l. 3. ff. ad l. Iuliam Majest. IV. Milites suis stipendijs contenti esse debent, vt S. Ioan. Baptista illis præcepit Lucæ 3. ideóque homines innocentes, per quorum terras non hostiles transeunt, vel apud quos hospitantur, insolitis atque indebitis exactionibus non grauare.

Sed etsi milites in solutione stipendij iniustam imminutionem aut dilationem patiantur: non ideo ipsis licitũ est subditos, aut accolas innocentes spoliare: quia bona aliena non sunt oppignerata militibus pro stipendio, ait Caiet. ver. bellum, prope finem. Neque dissimulatio, vel auctoritas Ducis sui ipsos excusat: nisi id fiat in pœnã iustè infligendam nocentibus, aut membris Reipub nocentis. Alioquin verò Princeps stipendia militibus dare debet ex prouentibus totius prouinciæ, aut regni secundùm proportionem facultatum singulorum: & non particulares personas, puta agricolas, &c. præ alijs grauare. Excipitur tamen primò, si consuetudo loci obtineat, vt hospites militibus habitationem, ligna, paleas, & si nilia gratis dent: tunc enim per accidens & quasi fortuitò accidit, vt vna pars prouinciæ plùs, quàm altera oneretur. Excipitur secundò, Si grauissima necessitas cogat milites ad spoliandum innocentes: quo tamen casu belli Princeps in conscientia obligatus erit ad damnum, quatenus moraliter potest, resarciendum, si iniusta stipendiorum detentione causa eius extitit: Sin verò sine culpa extitit, non ampliùs obligatur, quàm inde locupletior redditus est, sicuti in materia de restitut. apparebit lib. seq. tract. 2. de iustit. c. 3.

Quis verò modus seruandus sit in restitutione facienda alicui Communitati, tradit Less. lib. 2. c. 14. num. 31. Vt didelicet totus valor rerum restituendarum, si magni momenti sit, loci Magistratui mittatur: à quo per edictũ conuocari omnes debeant, qui spoliati fuerant: vt examinentur, vbi, quando, quibus & qualibus rebus iniustè spoliati sint.

Quæstio Octaua. Vtrum Clericis licitum sit pugnare?

19 Respondeo: Clericis iure Ecclesiastico prohibitum est extra necessitatis casum propria manu pugnare. Constat ex c. clericum, c. de his clericis, c. eos qui, 20. q. 3. c. quicunque clericus, c. clerici. c. quicũque ex clero, 23. q. 8. c. ex multa, §. vlt. de voto, & docet S. Th. q. 40. a. 2. Quia indecens est, vt qui spirituali militiæ se tradiderunt, arma vel negotia secularia tractent, iuxta Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus.* Accedit, quòd ordines Clericorum ordinantur ad ministeriũ altaris, in quo repræsentatur passio & mors Christi: ergo non oportet Clericos alienum sanguinem fundere: sed potiùs paratos esse ad sanguinis sui pro Christo effusionem, vt imitentur opere, quod gerunt ministerio. Quã obrem ab Ecclesia institutum est, vt quicunque hominem, extra necessitatis casum, occidunt vel mutilant, irregulares fiant: quamuis cum discrimine, quòd laici hanc irregularitatem, quæ dicitur ob defectum lenitatis, sine peccato contrahant, sed Clerici cum peccato.

Dixi autem iure Ecclesiastico, non naturali prohibitũ esse Clericis pugnare, sicuti rectè docent Bannes cit. q. 40. a. 2. Mol. disp. 108. contra Valentiam to. 3. disp 3. q. 16. p. 4. controu. 1. §. contrariam. Quandoquidem Papa in hac re dispensare potest cum Clerico, ipsique facultatem dare manu propria pugnandi in bello iusto: qua quidem licentia concessa omne etiam irregularitatis incurrendæ periculum à tali Clerico auferre præsumitur, teste Syl. ver. homicidium, 3. q. 6. Couar. in clem. p. 2. §. 3. nu. 2. Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 6. n. 65. Mol. l. c. & tr. 3. dis. 8. n 1. Auila p. 7. de censur. disp. 6. s. 3. dub. 2. conclus. 2. Confirmatur ex veteri Testamento, Exod. 32. vbi Leuitæ laudantur à Moyse, quòd contra Idololatras pugnârint Machabæi summi Pontifices simul & supremi belli duces erant, propria manu pugnantes, sicuti constat ex Machab. libris.

Secundò dixi, *propria manu*: Quia interim Clerici cum consensu Superioris sui expresso vel rationabiliter præsumpto, absque peccato & irregularitatis nota, interesse possunt iusto bello, vt pugnantibus spirituale consilium auxilium afferant, sicuti docet S. Th. cit. a. 2. & Gratianus super cit. c. quicunque ex clero, Gl. in c. quod in dubijs, de pœnis, vbi monet: cùm ibi Innocentius III. sub pœna depositionis Sacerdotibus prohibet, ne alios ad pugnandum incitent; intelligendum esse *in bello iniusto*: Si enim bellum iustum sit, licitum est Clerico milites hortari ad pugnandum fortiter pro patria, pro iustitia, Religione: dummodo non dicant *occide, macta*, sicuti monent Nau. c. 27. n. 215. Mol. cit. disp. 108. §. his non obstantibus, Becanus c. 25. q. 25. n. 5.

Quinimò probabiliter docent Henriq. lib. 14. c. 12. n. 4. lit. r. Auila cit. dubio 2. & videtur idem sentire Nau. in man. cap. 27. n. 215. iuncto consilio 4. & 6. de homic. posse Clericum sine irregularitatis periculo, milites in bello iusto hortari generatim ad percutiendum & occidendum hostes: modò in particulari neminem occidi suadeant, aut iubeant, cùm talis concursus ad homicidium directus & valde propinquus existat.

Deinde, licet Clerici propria manu pugnare non debeant, possunt tamen alijs bellum iustum suadere, teste S. Th. cit. a. 2. ad 3. & colligitur ex c. omni tempore, & seq. 23. q. 8. II. Possunt Principem secularem in subsidium inuocare ad bellandum contra infideles in defensionem Ecclesiæ, exemplo Maximiani Episcopi apud S. Aug. Epist. 50. ad Bonifac. & refertur c. Maximianus, 23. q. 3. III. Clerici, qui temporalem iurisdictionem obtinent, quales sunt Episcopi Germaniæ, bellum legitima cum auctoritate indicere, exercitum conscribere, Ducem belli præficere, arma ad pugnandum militibus dare non prohibentur, sicuti constat ex c. Episcopus, Ne clerici vel Monachi, &c. in 6. Quamuis exercitus Doctores ipsi esse non debeant, propria præsentia ius & auctoritatem bellandi militibus præstantes, sine Pontificia dispensatione, aut necessitatis ratione, sicuti constat ex c. sententiam, extra, eod. tit. vbi id Abb. notat.

Tertiò dixi, *Extra necessitatis casum*: Nam in quibusdam casibus, quos ipsum ius naturale dictat, Clerici propria manu pugnare possunt, etiam non obtenta priùs dispensatione, quos numerat Mol. cit. disp. 108. §. sunt verò aliqui, Becanus cit. q. 25. concl. 3. Ioan. Malderus 2. 2. q. 40. a. 2. I. Si id necessarium sit ad defensionem proximi innocentis, præsertim qui Reipublicæ valde vtilis aut necessarius est, teste Caiet. quæst. 40. art. 2. III. Si necessarium sit ad defensionem patriæ, aut ciuitatis contra iniustos inuasores, argum. cap. 2. de immunit. Eccles. IV. Si necessarium sit ad consecutionem iustæ victoriæ, ex qua salus Ecclesiæ, vel Reipublicæ Christianæ multùm pendet. Ordinariè autem talis necessitas in bello præsertim offensiuo non occurrit: cùm plerumque milites laici adhiberi possint.

Restant duo dubia: I. An omnibus Clericis in bello pugnare prohibitum sit; Ad hoc Molina, eúmque secuti Malderus 2. 2. quæst. 40. a. 2. Becanus cit. quæst. 25. n. 9. ita respondent: Vel sunt Clerici in maioribus constituti, & hi pugnando mortaliter peccant. Vel sunt Clerici in

in minoribus, non gaudentes priuilegio fori; & hi nihil peccāt, consuetudine id eis permittente. Vel sunt Clerici in minoribus, gaudentes priuilegio fori & canonis, iuxta decretum Trident. Concilij sess. 25. c. 6. de reform. & hi pugnando peccant venialiter. Vel denique tales etiam beneficium Ecclesiasticum obtinent; & timendum est, ne mortaliter delinquant, sicuti etiam docet Nauar. lib. 3. cons. 3. n. 3. de vita & honest. clericorum edit. 2.

Ex his quatuor dictis, duo priora extra controuersiam esse videntur. De duobus verò posterioribus dubitari potest: Quandoquidem Couar. Clem. si furiosus, p. 2. §. 3. n. 2. Val. q. 16. p. 4. paulò post princip. vniuersim dicunt, Clericos in minoribus non prohiberi, quo minùs propria manu pugnent. quamuis autem hinc excipi debeant beneficiati: non tamen peccati mortalis semper damnandi sūt, si eorum beneficia residentiam non postulent, & nihil obligationis, quod beneficijs eorum incumbit, negligatur; maximè si bellum contra infideles, aut hæreticos institutum sit. Quod ideo assero, quia hoc in quibusdam Germaniæ diœcesibus vsitatum est, vt Canonicis nondum Capitularibus, neque reditus Capitularium habentibus interim permittatur, quocunque ipsis lubitum est, etiam ad bellum proficisci. Si tamen accidat beneficiariū propria manu in bello aliquem occidere, vel mutilare; beneficium resignare debet, vel dispensationem super irregularitate impetrare.

20 Alterum dubium est; Vtrum Clerici, qui non pugnādi, sed spiritualiter adiuuandi causâ bello intersunt, spolia hostium non minùs, quàm alij milites accipere & retinere possint: Affirmandum est cum Molina cit. disp. 108. prope finem: Nisi de contraria supremi Ducis voluntate constet. Quia tales Clerici sunt exercitui vtiles, imò & pars exercitus; ideóque gaudere debent commodis belli, sicuti etiam periculis expositi sunt.

Cap. XIII.

De scandalo.

SVMMARIVM.

1 *Scandalum est dictum, vel sanctum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*

2 *Duplex est scandalum: Vnum per se, siue datum: alterum per accidens, siue merè acceptum. Illud vel est propriè actiuum; siue inductiuum ad peccatum consilio, iussu: Alterum impropriè inductiuum, videlicet obiectiuè tantùm, vel materialiter.*

3 *Nullo casu licitum est alterum iussu, vel consilio inducere ad id, quod ab eo sine peccato fieri nequit.*

4 *Ad peccatum materialiter tantùm cooperari licitum est, si certæ conditiones adsint.*

5 *Cooperatio materialis ad peccatum, quantò remotior est, tantò faciliùs ob rationabilem permittitur.*

6 *Qui exemplo suo alios v.g. ad furandum mouet, duplici peccato se obstringit: quare talis circumstantia scandali seu inductionis in Confessione explicanda est.*

7 *Minus peccatum suadere non licet, ut vitetur maius: nisi illud minus sit pars formaliter, aut virtualiter contenta in maiore peccato.*

8 *Scandalum passiuum, seu merè acceptum ex nostra operatione permittere possumus, si rationabilem operandi causam habeamus.*

Scandalum ex malitia minùs curandum est, quàm si ex infirmitate, vel ignorantia proueniat.

9 *Prælatus Ecclesiæ interdum debet exactionem debitorum differre ob scandalum infirmorum: non ita verò propter scandalum ex malitia.*

10 *Mulier aliquando tempore domi se continere debet, & die etiam festo semel aut iterum à Missæ auditione abstinere, si sciat, ex aspectu sui adolescentem aliquem, ob infirmitatem, scandalum passurum esse.*

11 *Excessus in corporis ornatu, per se loquendo, est peccatum tantùm veniale: per accidens autem frequenter mortale.*

1 ΣΚάνδαλον; quod periculum, seu pedis impactionem vertit S. Hieron. in c. 15. Matth. definitur à S. Th. q. 43. a. 1. Alensi in 2. p. quæst. 189. mem. 2. & alijs Scholasticis in 4. d. 38. *Dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem spiritualis ruinæ.* Dicitur *dictum, vel factum*, quia externa tantùm, & non interna occulta hominis operatio alterum ad peccandum mouere seu inducere potest. Nomine autem dicti vel facti, seu externæ operationis, intelligi etiam debet omissio externa, sicuti notat ex cōmuni Azor t. 2. l. 12. c. 16. q. 1. Additur *minùs rectum*: quia necesse non est, operationem vel omissionē secundùm se, siue ex obiecto malam aut prohibitam esse; sed sufficit speciem mali habere, & idcirco eâ saltem habitudine siue circumstantia minùs rectam, ideóque malam fieri, quia alteri occasionem peccandi præbitura est. Exemplum habes in clerico, qui domi suæ alit mulierem populo suspectam: quamuis ponamus nihil subesse peccati, neque etiam periculum peccandi; tamen ad amouendum publicum scandalum & malum detractioni, &c. obligatus est Clericus sub culpa mortali, mulierem deponere, sicuti colligitur ex Trident. sess. 25. c. 14. de reform. & docet Pet. Sotus de vita Sacerdotum, Lect. 4. Sa ver. Clericus n. 27. & alij, conuenienter Apostolo 1. ad Thessal. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos.*

Duo insuper obseruanda; I. Operatio secundùm se venialiter tantùm mala, fit tamen mortalis per circumstantiam siue habitudinem ad alterum, cui occasio præbetur peccandi mortaliter, sicut notauit Becanus c. 27. q. 2. in fine: Vt si Religiosus verbum iocosum proferat coram fœminis, talibus circumstantijs, quibus occasione m accipere possint peccandi mortaliter: Vel adolescens verbum amatorium insinuet mulieri, audiente eius marito valde Zelotypo, ex quo probabiliter secutura putatur magna dissensio inter coniuges.

II. Licet operatio, vel omissio in se non mala, speciem mali gerat, vt alicui occasio lapsus esse possit: tamen si eam, quantum in te est, remoueas, edocendo, cur iustā agendi, vel omittendi causam habeas: aliquando cessat esse scandalum datum, & fit merè acceptum. Sic Parochus v.g. qui die festo legitimè impeditus est sacrificare, atque alium substituere non potest: debet populum edocere, cur Missa intermittatur: quòd si scandalum nihilominus sequatur, ipse extra culpam erit. Vide Richar. In 4. d. 38. a. 10. q. 2. in corp. Maior. ead. d. vlt. q. 5. Contra secundam partem.

Duplex est scandalum, sicuti colligitur ex doctrina S. Th. cit. a. 1. ad 4. Vnum per se, quod dicitur *datum*, & suprà definitum est: alterum per accidens, quod dicitur *acceptum*, siue *merè passiuum*. Scandalum datum iterum duplex? Vel enim est propriè in genere moris actiuum, seu inductiuum in peccatum consilio, iussu: Vel est impropriè actiuum seu inductiuum; si quis eiusmodi operationem exerceat, quæ suapte naturâ apta est alteri occasionem peccati præbere; idque vel obiectiuè tantùm vt si coram alijs die interdicto carnes comedas: vel in genere causæ materialis, vt si Principi bellum iniustum gesturo pecunias mutuò des, sine expresso aut tacito consilio, iussione. Neque verò opus est ad peccatū scandali vt ruina proximi re ipsa sequatur: sed sufficit, quòd suapte natura ex opere cum circumstātijs considerato sequi possit, teste S. Th. a. 2. Vt in proposito exemplo, si die interdicto coram alijs carnes comedas, quamuis ob aliquam causam occultam excusatus sis, peccas tamen scādali peccato, si qui præsentes sunt occasionem inde accipere possunt vel legem Ecclesiæ violandi, vel Fidei iacturam faciendi; esto, re ipsa nihil tale accidat. 2

Scandalum per accidens, siue merè passiuum, merè acceptum est, cùm & præter operantis intentionem, & præter naturam seu conditionem operis, alter ex eo peccandi occasionem accipit. Diuidi potest in scandalum pusillorum, quod ex hominis ignorantia, vel infirmitate prouenit: & in scandalum Pharisæorum, quod ex mera malitia ortum habet.

Assertio I. Nullo casu licitum est aliquem inducere
3 iussione, aut consilio, expressè vel tacitè ad agendum id, quod ab eo sine peccato fieri non potest. Est communis doctrina, quam tradit S. Anton. p.2. lit.1. c.9. §.14. Na. c.17. man. n.26. Suar. 3. p. to. 3. disp.18. s.1. Ægid. Coninck in 3. p. D. Th. q.64. a.6. dub. 2. conclus. 4. Sumitur ex illo apud S. Matth. c.18. *Væ homini illi, per quem scandalum venit*: Hoc autem, de quo in assertione dixi, est scandalum per se, propriè datum & actiuum. Ratio est: Quia repugnat præcepto negatiuo iuris naturæ. *Ne proximum in peccatum inducas*: Quare talis inductio semper mala, & speciale peccatum scandali est, virtuti Charitatis ac misericordiæ oppositum.

Exinde resolues, non esse licitum à malefico petere, vt maleficium maleficio soluat: nec ab vsurario, vt cum vsura mutuet: nec ab infideli, vt per falsum Deum iuret: nec à Sacerdote qui iurisdictione caret vt à peccatis absoluat: nec licitum esse alterum inuitare ad bibendum vsque ad ebrietatem. Quia hæc omnia opera sine peccato fieri non possunt. Neque refert, tametsi huiusmodi homines per se ipsos ad peccandum parati sint: nam licet tunc minùs grauiter contra charitatis legem delinquas: tamen à peccato (eóque mortali, si ad mortale inducas; veniali autem, si ad veniale) immunis es, quia licet causa non sis interni mali propositi, quod est peccati principium; causa tamen es peccati secundū executionem, vel continuationem: sicuti notauit Maior. in 4. d.15. q.4. prope finem, Caiet. 2.2. q.78. a.4. Nau. c.21. n.26. Mol. t.2. to.2. d.335. Sanc. l.1. mo.c. 6. n.14.

4 Assertio II. Ad peccatū concurrere seu cooperari materialiter tantùm exhibendo obiectum, vel ministrando materiam ac facultatem peccandi, non semper malum, ac prohibitum: sed interdum licitum est, si tres conditiones adsint: I. Vt cooperatio secundùm se mortaliter bona, vel saltem indifferens sit. II. Vt bona intentione, siue ex motiuo alicuius virtutis fiat: & nequaquam intentione mouendi alterum ad peccatum. Quare rectè à quibusdam dicitur: nefas esse cooperari alterius peccato formaliter, vt peccatum est: fas tamen esse interdum materialiter cooperari operi, quod peccatum est. III. Vt proximi peccatum impedire nequeas, vel saltem impedire non debeas; sed ob aliquam causam permittere possis. Vide de hac assertione Maiorem in 4. d.15. q.35. Adrian. quodlib. 3. a. 2. Caiet. 2.2. q.147. a.4. Nau. cap. 21. num. 24. Azor. t. 2. lib.12. c.18. q.4. & 8.

Nunc probatur & declaratur exemplis: Imprimis, licet Deus Opt. Max. ad opus peccati nec physicè, nec moraliter quemuis inducat: *Deus enim intentator malorum est* ait Apost. Iacob. cap.1. Nam alioquin auctor peccati existeret, quod dicere nefas est: Nihilominus, secundùm generalem & quodammodo debitam dispositionis ac prouidentiæ suę legem, in genere causæ efficientis concurrit, non præueniendo, sed concomitando, ad omne opus materiale peccati, quod ab homine exercetur: cùm sit prima causa influens in omnem effectum causæ secundæ: qua de re S. Th. lib.2. sentent. d.37. q.2. a.1. & 2. Nau. in ma. prælud.7. n.14. Sic etiam coniunx coniugi voto castitatis obstricto coniugij debitum ex iustitia reddere cogitur, si eum exigentem à proposito auocare non possit. Attamen peccauit mulier, si sciens viri votum castitatis cum eo contraxit: quia talis desponsatio, ad quam mulier actiuè concurrit promissionem acceptando, Deo iniuriosa est, iuxta c. nos nouimus, 17. q.2. vbi ad notat Gl. ver. sciēs, Nau. c.22. man. n.73. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 11. n.11. Et Parochus Eucharistiæ sacramentum ministrare debet peccatori, etiam excommunicato, vel hæretico occulto, si publicè petat. Imò Confessarius etiam priuatim petenti sacram communionem præbere debet, si eius indispositionem ex sola sacramentali confessione cognitam habet, sicuti dicam lib.5. tract.4. c.6. n.6.

Deinde in casu, quo matrimonium Catholici cum hæretico, vel ob consuetudinem loci, vel ob summi Pontificis consensum ac dispensationem, ob rationabilem causam concessum est, sponsus Catholicus licitè ministrabit sacramentum Matrimonij sponso hæretico, etiam notorio. Licet enim minister publicus seu Sacerdos, cui ex ordinatione & officio suo incumbit sancta custodire, & non projcere canibus, sacramenta publicè ac notoriè indignis ministrare non debeat: alia tamen ratio esse videtur de priuato ministrante in sacramento Matrimonij: præsertim cùm vtatur iure naturali contractus celebrandi, cui sacramenti ratio accessoriè coniuncta est.

Præterea in ciuitatibus, quibus id permissum est maioris mali vitandi causa, fas est meretricibus domos locare ad habitandum: interim permitendo, vt opus meretricium exerceant: quàm verò periculosa sit eiusmodi permissio, ideóque dissuadenda, videri potest apud Nau. c. 17. n. 195. Mol. to. 2. disp. 500. Fas item est amicum, qui violandi ieiunij causa ad cauponam diuertere cogitur, domum tecum abducere, & cœnam ministrare hospitalitatis causa, sicuti probabiliter docent Caiet. 2. 2. q. 147. a. 4. Nau. c. 21. n. 24. Angles de ieiunio q. 7. diffic. 4. quamuis cōtrarium sentiat Vasq. de scandalo a. 1. dub. 3. Fas etiam est in ciuitate, qua Catholici cum hæreticis permixti viuunt, die interdicto carnes in caupona apponere postulantibus: Fas est Iudæorū Synagogas, hæreticorum templa, permittente legitimo magistratu, restaurare, aut ædificare: de quibus videri potest Nauar. lib. 5. consil. 1. de Iudæi, edit. 2.

Hæc omnia tunc maximè locum habent, si tametsi tu materiam seu facultatem peccandi non ministrares, nihilominus tamen peccatum committeretur; quia alij non deerunt, qui ministraturi sunt, videlicet ædes locaturi, cibos, carnes vel pocula præbituri, murarij hæreticorum templa ædificaturi: Si autem materiam seu facultatem te non ministrante, peccatum non committeretur, sed impediretur; tunc grauior & vrgentior causa siue necessitas requiritur, ob quam peccatum impedire non tenearis, sed permittere possis.

Maior item causa & vrgentior necessitas requiritur, si peccatum, ad quod materialiter cooperaris, aduersus iustitiam siue perniciosum sit: quamuis etiam tunc cooperari liceat, si grauissima necessitas cogat, v. g. furi scalam applicare, ensem homini irato vel furioso præbere, si alioquin te occisurus sit, iniustum bellum gesturo pecunias mutuò dare, si sine maiore periculo tuo negare non possis. Et similis ratio est in causa Fidei, seu Religionis, Puta, si Catholicus oppidum, vel pagum vendat homini hæretico, à quo subditi peruertentur, & ad hæresin transire cogentur. Talis enim venditio, siue alienatio à peccato scandali excusari non poterit, nisi grauissima necessitas vrgeat: cùm maior habenda sit ratio spiritualis salutis proximorum, præsertim eorum, qui in alicuius subiectione & obedientia hactenus perstiterunt: quàm temporalium commoditatum.

Denique tantò grauior causa, cæteris paribus, requiritur, quantò cooperatio materialis ad peccatum magis 5
per se, siue propinquior est: minor autem causa requiritur, si cooperatio sit tantùm per accidens, siue remota: v. g. fundere cāpanā, aut characteres æneos, facilè cuiuis cōcessum est, etsi his aliqui abusuri sint ad hæresim propagādā: longè autē grauior causa atq; necessitas requiritur, vt liceat alicui pulsare campanam, qua hæreticorum concio congregetur: vel ordinare characteres ad hæreticorum librorum impressionem: quia tale opus valde propinquè, ac per se ad hæresim ordinatur. In necessitate tamen admodum graui, si etiam alia scandala & Catholicæ Religionis contemptus absint, tale quippiam ab breue tempus præstari posset: v. g. si filius typographi hæretici ad Fidem Catholicam conuertantur, qui sine grauissimo suo detrimento patrem tam citò deserere non possit. Siquidem hæreticū scriptum typis ordinare, sicuti & transcribere,

scribere, per se malum non est, si malo fine non fiat, neque lex Ecclesiastica id prohibens in tam graui necessitate obligat.

Simili ratione si Æditúus, qui hactenus in Ecclesia ab hæreticis occupata seruiuit, ad Fidem Catholicã conuertatur, sed graui necessitate pressus seruitio suo statim abscedere non possit: puto cogendum non esse, sed absoluendum, si promittat, quòd seruitium suum deseret, cùm primum rerum statu immutato, potuerit: modo absit scandalum, atque falsæ religionis virtualis professio: si nimirum vel ex aperta Æditui coram populo protestatione, vel alijs rationibus manifestum sit, quòd ab illo ministeria pulsandi, ecclesiam aperiendi, claudendi, panem & vinum afferendi, &c. solùm fiant materialiter, & vt actus secundùm se indifferentes sunt: & nequaquam fiant, quatenus ordinantur ad exercitia hæretica: quippe quæ hominem illum detestari, palàm constat.

Vlteriùs ex suprà dictis resolues primò: Quòd Christianis captiuis concessum esse videtur in Turcarum, vel hæreticorum triremibus contra Catholicos remigare, vel propugnacula ædificare: item sarcinas, machinas, & arma ad bellum necessaria afferre. Nam ex vna parte magna necessitas & metus verberum ac mortis ipsos cogit: ex altera verò parte licet peccatum, ad quod materialiter cooperantur, valde perniciosum sit, tamen & cooperatio illorum non admodum propinqua est: & sine illa dãnum ac iniuria nihilominus inferretur: quia illis detrectãtibus, alij non deessent, qui hunc laborem obirent. At verò si eo loco constituta res esset, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Christianos eriperent, vel victoriam ipsis conferrent; tunc fateor, lege charitatis eos obligari ad bonum Reipublicæ Christianæ anteponendũ propriæ vitæ. Ita probabiliter docent P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 62. Less. li. 2. c. 9. n. 122. Lopez p. 1. instruct. c. 60. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 155. conclus. 3. Vasq. de scandalo, a. 8. d. 7. Sanch. lib. 1. moral. c. 7. n. 18. contra Nau. c. ita quorundam, notab. 11. n. 10. de Iudæis, & in man. c. 27. n. 63. in fine, Tol. lib. 1. c. 24. in fine.

Secundò resolues: Incolas prouinciæ, quam Tyrannus expulso legitimo Principe iniustè occupauit, posse inter iniquos possessores manere, eósque, cogente imperio, fossione, excubijs, & contributione aliqua iuuare: non quidem intentione bellandi contra legitimum Magistratum: sed quatenus opera illa secundùm se indifferentia sunt, quæ si ab incolis recusentur, maiora pericula & incommoda imminent: vt videlicet bonis suis omnibus spoliati, prouincia eijciantur, & alij ad nocendum promptiores substituantur: quamobrem existimandum etiam est, legitimum Principem consentire, vt eiusmodi obsequia à subditis interim exhibeantur: vel etiam iuramento promittantur, quatenus ita opus est, & ipsi etiam vtile ad grauiora mala cauenda. Quę autem in maius legitimi Principis & Reipub. damnum, aut Catholicæ Religionis opressionem cessura sunt, ea subditi à Tyrãno adacti præstare non possunt: multò minùs se iuramẽto obligare: qua de re Ioan. Molanus lib. de fide & iuramento, qui est vltimus opusculorum.

Tertiò resolues; Fas esse Patrifamilias, famulo, vel filio, quem de furtis suspectum habet, pecuniam apponere; vt eum deprehensum efficaciter emendet, vel grauiori malo occurrat, sicuti docet Pet. Nau. lib. 3. restit. c. 4. n. 127. licet contrarium sentiant Sa ver. peccatum, n. Sanch. lib. 10. disp. 12. n. 53. Probatur autem ex eo, quia id non est formaliter cooperari ad peccatum; sed materiã & occasionem peccati ministrando, illud permittere: non quòd permittens intendat malum pecati fieri: sed potiùs graue aliquod malum impedire: qua ratione Deus plurima peccata permittit, etiam materiam eorum suppeditando: quo maiora inde bona resultent. Quamuis rectè aduertit Pet. Nau. id homini ordinariè concessum non esse: cùm ipse non sit dominus rerum absolutus & vniuersalis.

Quartò resolues; Fas non esse Patrifamilias die ieiunij cœnam familiæ ministrare, si constet, vel valde credibile sit, eos lege ieiunij obligari, sicuti notauit Gabr. in 4. d. 16. q. 3. a. 3. dub. 6. Maior in 4. d. 15. q. 4. §. dubitatur. Nau. c. 21. n. 26. Nam & cooperatio hæc satis propinqua est: & sine ea, vt ponimus, peccatum probabiliter intermittetur. Ob eandémque rationem licitum non est famulo, aut cauponi in ciuitate Catholica carnes die interdicto coquere heretico postulanti: nisi grauis necessitas minarum v. g. vrgeat, & absit scandalum, atque periculum alterius maioris mali.

Quintò resolues: Fas non esse Pharmacopolæ venenum vẽdere quibusuis postulantibus: sed ijs tantùm, quos verosimile est ad alium humanum vsum, v. g. medicinæ aut colorum confectionem vsuros esse. Sin verò tale venenum sit, quod alijs vsibus quàm hominis occisioni deseruire non potest, eius venditio interdicta est, l. quod sæpe, §. veneni, ff. de contrah. empt. & ita docent Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 15. §. contra ista, Mol. to. 2. disp. 340. in fine, Sanchez cit. cap. 7. num. 17. lib. 1. moral.

Sextò resolues; Fas esse famulo fœminam, cum qua herus peccaturus est, per ianuam intromittere, facem præferre, lectum sternere, sicuti docent Sanch. cit. c. 7. n. 14. Nau. Rodriq. Azor ll. mox citandis. Quia huiusmodi materialis cooperatio satis remota est, & sine ea peccatũ nihilominus committeretur. At verò vt meretricem, quãuis per se paratam, vel etiam conductam, famulus è domo eius euocet, & per plateas ad herum deducat: vel literas ad turpia concitantes ab hero ad mulierem deferat, permittendum non videtur: cùm hæc vix fieri posse videantur sine aliqua inductione mulieris ad peccatum: ideóque speciem quandam lenocinij contineant, sicuti rectè docet Angles in tract. de ieiunio, q. 7. in fine, contra Nau. lib. 5. consil. 5. de pœnit. edit. 2. qui huiusmodi etiam famulorum obsequia, si ob iussum heri absque prauo affectu fiãt à mortali peccato excusari posse, ait: eúmque ex parte secutus est Rodriq. t. 1. sum. c. 205. concl. 3. Azor t. 2. lib. 12. c. vlt. q. 8.

Porrò circa scandalum datum (de quo hactenus egi) prima quæstio est: Vtrum qui alterum iussu, consilio, malóve exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat, peccet tamen speciali peccato scandali, aduersus charitatem, ac misericordiam: Ita affirmant Ioan. Maior in 4. d. 38. q. vlt. §. Tertiò principaliter. Nauar. in man. cap. 6. n. 19. & in c. consideret, §. animaduertere, d. 5. de pœnit. Syl. ver. scandalum, q. 3. S. Anton. p. 2. tit. 7. c. 4. §. 4. P. Sotus lect. 9. de confes. prope finem. Valent. tom. 3. disp. 3. q. 18. p. 2. Suar. de Charitate, disp. 10. s. 2. Nam etiam in alijs omnibus peccatis, quæ ex damno proximi malitiam accipiunt, voluntarium indirectum, siue implicitum ac virtuale æquiparatur explicito seu directo. Præterea, si quis sine necessitate exerceat actionem secundùm se non malam, sed ideo tantùm quia alter exinde scandalum accipiet: talis, licet non habeat intentionem pertrahendi ad peccatum, tamen peccat, non alio peccato nisi scandali dati.

Contrariam tamen sententiam docere videtur S. Th. q. 34. a. 3. Palud. in 4. d. 38. q. 6. a. 2. concl. 2. Duran. q. 3. a. 3. Vasq. 1. 2. disp. 102. c. 4. Azor lib. 4. c. 7. q. 1. Sanch. lib. 1. c. 6. n. 5. Becan. 2. 2. c. 27. q. 2. existimantes, eum, qui suo exemplo, aut consilio alterum ad peccandum cõmouet, non ea directa intentione, vt in spiritualem ruinam præcipitet, sed alio fine: non committere peccatum speciale scandali, sed delinquere eo genere peccati, in quod alter labitur: quare aiunt, si quis coram alijs furãdo, illum quoque exemplo suo ad furandum pertrahat, duplici peccato furti se obstringere: vno proprio, & altero alieno. Secundùm quam sententiam peccatum speciale scandali rarissimè committitur: quia hæc affectio alterum in spiritualem ruinam præcipitandi Dæmonum propria est, & rarò in hominibus expresse ac formaliter

repetitur, ſicuti notauit Valentia cit. part. 2. §. accedit quartò.

Tametſi verò prior ſententia probabilior videatur, tamen quod ad praxin attinet, vix quicquam inter vtrãque intereſt, ſi hæc obſeruentur, quæ ab omnibus ferme probantur: I. In ſacra Confeſſione neceſſariò exprimenda eſt ſpecies peccati mortalis, ad quod exemplo, ſuaſione, aut iuſſu alterum induxeras: inſuper etiam exprimendus numerus perſonarum, quas ad tale peccatum traxiſti, vel probabiliter trahere potuiſti, ſicuti ex communi docet Nau. cit. n. 19. Azor t. 2. lib. 12. c. 16. q. 2. & 4. Sanch. cit. c. 6. & ſeqq.

6

II. Non ſemper peccatum ſcandali committitur, ſi quis coram alijs peccet: ſed tunc ſolùm, quando probabile periculum eſt alterum quoque ad peccandum commouendi; ſæpe autem euenire ſolet, peccantem coram alijs tam prauis moribus & mala fama laborare vel aſpicientes tam prudentes & in virtute conſtantes eſſe, vt nemo eorum prauo peccantis exemplo moueatur. Itẽ fieri ſolet, vt præſentes per ſe ipſos maximè ad peccandum parati & inſtructi ſint: ideóque exemplum alterius ad aliorum peccatum nihil conferat, ſicuti Nauar. notauit in cit. c. conſideret, §. animaduertere, n. 9. d. 5. de pœnit. Sanch. n. 7. Denique interdum circumſtantia ſcandali, inductionis ad peccatum ideo in Confeſſione explicanda non eſt, quia eam Confeſſarius facilè intelligit: vt ſi aliquis confiteatur ſe cum fœmina fornicatum eſſe: quanquam, ſi eam non paratam precibus vel ſuaſione induxerat, talis circumſtantia aperienda: quia eſt notabiliter augens eſſentialem malitiam ſcandali ſiue inductionis in peccatum: cùm aliquis non tantùm cauſa exiſtit alieni peccati ſecundùm executionem, ſed etiam ſecundùm internum propoſitum, ſicuti ſuprà dixi n. 3. & videri poteſt Azor t. 2. lib. 12. c. 16. q. 5. Sanchez cit. c. 6. num. 14.

III. Qui alterum exemplo ſuo induxit ad furandum, aliúdve damnum iniuſtum inferendum, non obligatur ad eius compenſationem: ſicuti nec irregularitatem incurrit, qui exemplo ſuo alterum pertrahit ad rixam, & inde conſequentem hominis cædem. Secus verò dicendum, ſi iuſſio aut ſuaſio efficax anteceſſit: item ſi quiſpiam materialiter tãtùm, præſertim propinquè, ad iniuſtum damnum cooperatus fuit, v. g. enſem, pecunias ſuppeditando niſi grauis ac juſta neceſſitas excuſet: qua de re videri poteſt Leſſ. lib. 2. c. 13. dub. 3. num. 31. Ratio dati diſcriminis eſt, quòd qui ſuo exemplo alterum pertrahit ad peccatum furti, homicidij, &c ſolùm peccat propriè contra Charitatem: Qui verò iubet, ſuadet, vel materialiter cooperatur alteri ad furandum, alioquin non furaturo, is non ſolùm contra Charitatem peccat peccato ſcandali aduerſus eum, cui iubet, ſuadet, cooperatur, vti ſuprà ex probabiliore dixi: ſed etiam contra Iuſtitiam aduerſus eum, cui furto damnum infertur. Atque ita docet Valent. diſp. 5. q. 21. p. 4. col. penult. Sanch. c. 7. n. 19. Vaſq. de ſcandalo. ſuper a. 8. dub. 6.

Simile quiddam eſt, ſi quis, dum hominem occultè occidit, ſuſpicetur fore, vt alteri innocenti mors planè per accidens imputetur; comparatione eius videtur tantùm peccare contra Charitatem, occaſionem illam & quaſi materiam iniuſtæ vexationis præbendo: Sin verò homicidium illud vel ex intentione operantis, vel ſaltem ex natura & conditione operis, (ſi v. g. enſe alterius vſus fuit) per ſe eò ordinaretur ac tenderet, vt alteri imputandum eſſet: tunc malefactor etiam comparatione huiusinnocentis peccaret contra Iuſtitiam, ideóque omnia damna ei prouenientia reſarcire deberet. de quo videri poteſt Mol. tract. 3. diſp 86.

7 Altera quæſtio celebris eſt circa ſcandalum propriè actiuum: Vtrum habẽti certum propoſitum committendi peccati grauioris, ſi aliter à propoſito aduci non poſſit, quàm ſuggerendo ac ſuadendo illi peccatum aliquod minus, ſuadere id licitum ſit? Affirmant Abb. in c. ſuper eo, num. 4. de vſuris, Adrianus quodli. 1. a. 3. & quodlib. 9. a. 3. Nau. c. 14. n. 40. & c. 17. n. 263 Sotus lib. 6. de iuſt. q. 1. a. 5. Bartol. Medina 1. 2. q. 76. a. 4. in fine, Rodriq. t. 1. ſum c. 12. concl. 9. Mol. tom. 2. diſ. 335. Sanch. lib. 7. de matrim. diſp. 11. n. 15. Becanus c. 27. q. 4. Vaſq. opuſc. de ſcandalo ſuper q. 4. a. 1. dub. 1. Fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſuaſor abſolute non ſuadet malum ſiue peccatum: ſed ſub conditione: Si omnino peccare decreuiſti, ſuadeo tibi, vt, derelicto peccato maiore, v. g. vxoricidio, aliud minus peccatum committas, videlicet aliã vxorem ſuperinducas. Ergo abſolutè ſuadetur quòd bonum eſt: ſiquidem ex duobus malis, ſi alterum eligendũ ſit, bonum eſt eligere minus. Confirmatur primò auctoritate S. Auguſtini lib. 2. de adult. coniugij, c. 15. & refertur in c. ſi quod verius, 33. q. 2. *Si facturus eſt quod non licet iam faciat adulterium, & non faciat homicidium: vt viuente vxore alteram ducat, & non humanum ſanguinem* (vxoris) *fundat.* Confirmatur ſecundò ex eo, quòd omnes DD. fatentur, licitum eſſe à Tyranno petere iuſtitiæ adminiſtrationem: quia licet is peccet ſententiam dicendo, cùm legitima iuriſdictione careat: præſtat tamen, ſiue minus hoc malum eſt, quàm ſi tyrannidem deſerere nolens, interim iuſtitiam iacere & innocentes opprimi ſinat, ſicuti docent Caiet. Armilla, Sa ver. Tyrannus, Nauar. c. 14. num. 41 Leſſ. lib. 2. c. 29. dub. 9.

Contrariam verò ſententiam tenent Caiet. 2. 2. q. 78. a. 4. notab. 3. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 3. dub. 14. Azor ſuprà cit. c. 16. q. 8. Couar. in 4. decret. p. 1. c. 4. in princ. num. vlt. Valent. t. 3. diſp. 5. q. 21. p. 4. Sa ver. peccatum, n. 8. Ratio eſt; Quia inducere aliquem ad peccatum iuſſu vel ſuaſione per ſe malum & nunquam licitum eſt, ſicuti dixi in 1. aſſert. Si autem alicui habenti determinatum propoſitum faciendi maius peccatum, v. g. vxoricidium, vt ab eo aduertatur, ſuades facere minus peccatum, puta adulterium, inducis hominem, quantum in te eſt, in peccatũ, ideóque auctor huius peccati exiſtis. Ex quo patet reſpõſio ad fundamentum prioris ſententiæ: Negari enim debet ſi homo commiſſurus ſit maius peccatum, bonum ipſi eſſe committere minus: nam minus peccatum etiam peccatum & malum quoddam eſt: conſequenter illicitum illud ſuadere, vel eius auctorem exiſtere. Quod verò additur, Ex duobus malis, quod minus eſt, eligendum eſſe, id locum non habet in peccatis, quæ voluntariè ac liberè acceptantur: ſed in ijs tantùm malis, quorum vnum ſuſtinendi neceſſitas incumbit.

Ad auctoritatem S. Auguſt. rectè reſpondet Gl. ver. adulterium: Non fuiſſe id conſilium S. Auguſtini, ſed cõparatiuam permiſſionem: ſi alterutrum peccatum committendum ſit, potiùs ſe permiſſurum adulterium: quamuis neutrum ſuadeat: quamobrem ſtatim ſubiungit: *Quòd ſi eſt vtrumque nefarium* (videl. vxorem occidere, & ea viuente alteram ducere) *non debet alterum pro altero perpetrare: ſed vtrumque vitare.*

Eadem ratione explicari poſſunt verba Loth, quæ c. 19. Gen. locutus eſt ad Sodomitas, vt eos à grauiſſimo ſcelere auerteret: *Habeo duas filias, quæ necdum cognouerũt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis: dummodo viris iſtis nihil mali faciatis:* fuiſſe hoc non conſilium, aut ſeriam inductionem ad peccandum: ſed comparatiuam permiſſionem: *potiùs filias meas vobis proſtituerem:* quàm vt id fieri videam: quo ſenſu etiam dicere ſolemus *potiùs me occide, quàm vt agas quod meditaris.* Ita hunc locum explicant Caiet. Delrius, & Sa in cit. c. 19. Valent. l. ſuprà cit. Sanch. cit. diſp. 11. n. 28. Mol. cit. diſp. 335. Quamuis S. Auguſt. Abulenſis & Lyranus exiſtimarint peccaſſe in ea re Loth: ſed minùs grauiter, ob animi perturbationem.

Ad alteram confirmationem reſpondeo; Interim dum Tyrannus tyrannidem deſerere recuſat, Communitatem velle & conſentire, vt iuſtitiam ab eo contra malefactores adminiſtretur: conſequenter rectè illum agere, qui iuſtæ populi voluntati ſe conformans, iuſtitiæ executionem à

stantias breui mutandas, intelligas ex aspectu tui inimicum graue scandalum ex ignorantia vel infirmitate passurum esse.

Simili exemplum affert Angelus ver. ornatu, num. 10. Excessum in ornatu muliebri, si probabiliter credatur, aliquos ad libidinem prouocatum iri, non excusari à mortali. Verùm huic sententiæ alij Doctores repugnant: Pro cuius intellectu notandum; Ornatum corporis secundū se rem indifferentem esse, ideóque ex fine aliísque circumstantijs bonis cohonestari posse: puta quia conditio status talem vestium ornatum postulat, secundùm patriæ consuetudinem. Deinde mulieres coniugatæ ornare se possunt, etiam ad puchritudinem conciliandam, vt placeant viris suis, sicuti testatur S. Th. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 4. Atque similiter innuptæ, sed nubiles, vt commodius matrimonium consequantur. Quapropter S. august. Ep. 73. ad Possidium ait: *Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas inhibendo sententiam: nisi in eos, qui nec coniugati, nec coniugari cupientes, cogitare debent quomodo placeant Deo.*

11 Excessus verò in corporis ornatu, consideratâ qualitate personæ, loci, &c. ad insolentiam & luxum pertinet: quod tamen, per se loquendo, veniale tantùm peccatum est, sicuti & excessus in apparatu conuiuiorum, ædificiorum, & similium, vti docent S. Th. cit. a. 2. in corp. S. Anton. p. 2. tit. 4. c. 5. §. 7. & 8. Caiet. 2. 2. q. 169. a. 1. Nau. c. 23. man. num. 18. & sumitur ex generali regula, quam tradit Less. lib. 4. c. 4. n. 110. *Quando aliquid non est per se malum, sed indifferens, excessus in appetitu, vel vsu illius (seposita omni malitia extrinseca) non est nisi peccatum veniale.*

Extrinsecus autem finis, aliæve circumstantiæ prauæ, ex quibus corporis ornatus malitiam accipere potest, variæ sunt: I. Ex cupiditate vanæ gloriæ, si aliqua persona se ornet, solùm vt formosa alijs appareat.

II. Si ex ea re corporis delitias sectetur, nam cultus corporis ad vtrumque deseruire potest; videlicet vt ornamentum ad vanam gloriam, & vt fomentum ad delitias. Vtraque tamen deordinatio venialis tantùm est, sicuti ex dictis colligitur.

III. Negari non potest, quin corporis cultus luxuriæ etiam incitamentum esse soleat: quare dissuaderi debet, præsertim adolescentibus, qui ea re emolliuntur & effœminantur; à bonis artibus ac virtutibus retrahuntur, vt non rarò exinde periculum mortalis peccati immineat.

IV. Circumstantia est damnum extrinsecum, si aliquis superfluos sumptus in vestes, &c. se, & suos honestè alere non possit, quod charitati repugnat, sicuti præter alios annotauit Nau. l. c.

V. Est circumstantia simulationis ac mendacij, si mulier fucis ac pigmentis vtatur: ad pulchritudinem mentiendam: quod esse peccatum tantùm veniale (cùm non sit mendacium pernitiosum) docet S. Th. cit. a. 2. ad 2. & Caiet. ibid. ad 3. dub. Nau. c. 23. n. 20. Nullum autem peccatum est, si alienus fucus, seu ornatus adhibeatur ad dissimulandum corporis defectum, v. g. capillatura ad caluitiem celandam. Deinde rectè monet Less. n. 111. plerumque mulieres à mendacio excusari posse, quæ ascititijs facis, & capillaturis vtuntur, ad maiorem pulchritudinem conciliandam: quia non faciunt animo simulandi: cùm plerique sciant, non esse colorem natiuum, aut capillaturam naturalem.

VI. Est circumstántia scandali: cultus enim muliebris viros ad lasciuiam prouocat, ait. S. Th. cit. a. 2. in corp. ex cap. 7. Prouerbiorum. Verùm, si mulieres non intendant alicuius turpem amorem seu lasciuiam prouocare, scandalum huiusmodi non imputari ipsis ad peccatum mortale, docent DD. communiter, S. Anton. cit. §. 8. Caiet. 2. 2. q. 169. a. 2. & ver. ornatus, Armilla eod. ver. n. 5. Sa n. 1. Azor t. 2. lib. 12. c. vlt. q. 12. Nau. c. 14. n. 37. Sanch. lib. 1. moral. c. 6. n. 17. Less. cit. c. 4. n. 113. Quia est scandalum potiùs acceptum, quàm datum: quando quidem corporis ornatus, sicuti & naturalis eius pulchritudo, per se ac directè non prouocat ad luxuriam. Excipe primò cum Nau. n. 30. Sanchez, Less. ll. cc. Si in speciali & raro casu probabile periculum sit, ne particularis persona spiritualiter ruat, quando mulier ita ornata comparet; tunc ex lege charitatis abstinere cogitur, si sine difficultate possit. Secundò, Si ornatus seu habitus corporis sit admodum turpis, & per se ac directè ad libidinem prouocatiuus: puta qui mēbra verenda non tegat, aut nimis tenuiter tegat, sicuti notauit Nau. c. 23. n. 19. Less. n. 112. Tertiò, Si quis consuetudinem introducat alicuius vestimenti, cuius occasione probabile sit, multos scandalum passuros esse: v. g. vt pectora nuda, vel non nisi tenuitur tecta aspiciantur. Licet enim Doctores communiter, Caiet. Nauar. Azor, Lessius & alij cit. locis, fœminas ita incedentes in locis, vbi talis consuetudo viget, à peccato mortali excusant: tamen de nouo introducere talem non laudabilem consuetudinem, graue peccatum est, ait Less. cit. n. 112.

Denique verò virum vestimento muliebri vti, aut fæminam virili, per se non est peccatum: sed causa iusta cohonestari potest, v. g. in comœdijs, vel ad sui occultationem: si autem ex leuitate fiat, est peccatum, sed veniale tantùm, sicuti indicat S. Th. cit. q. 169. a. 3. ad 3. & docet ibid. Caiet. ad 2. dubium, in fine, Nauar. n. 22. quãuis ob circumstantiam mortale fieri possit. Hæc de Theologicis virtutibus, ad gloriam SS. & indiuiduæ Trinitatis. Amen.

THEOLOGIÆ
MORALIS
LIBER TERTIVS.
DE
IVSTITIA ET IVRE,
CÆTERISQVE
CARDINALIBVS
VIRTVTIBVS.

AVCTORE

PAVLO LAYMANN, SOCIETATIS IESV
THEOLOGO.



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus PETRI BILLAINE, viâ Iacobæâ,
ſub ſigno Bonæ Fidei.

M. DC XXVII.



LIBRI TERTII PARTITIO.

Liber iste quinque sectiones continet. PRIMA est de Virtute morali generatim. SECVNDA de Prudentia, quæ inter Cardinales virtutes prima est. TERTIA de Fortitudine, & oppositis vitijs. QVARTA de Temperantia, & vitijs oppositis. QVINTA de Iustitia, & iure: quæ pars alijs copiosior, in plures tractatus distinguetur.

SECTIO PRIMA.

De virtute morali generatim.

SVMMARIVM.

1 *Virtus hominis dicitur ea dispositio, qua & ipse bonus, & propria eius operatio bona efficitur.*
2 *Virtutes aliæ intellectuales sunt, & aliæ morales.*
3 *Virtus moralis est habitus electiuus secundùm mediocritatem, quatenus prudens definierit.*
4 *Virtus in medio consistit, vitia autem ad extrema tendunt. Maior est vitiorum, quàm virtutum multitudo.*

1 VIRTVS vniuersim significat cuiusque rei vigorem, bonámue dispositionem, quæ subiectum, cui inest, in suo genere bonum, perfectúmue; eiusque operationem aliquam excellentem reddit. Ita enim Aristot. 2. Ethic. c. 6. definit: *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit.* Sic oculi v. g. virtus est bona videndi acies: Equi virtus est promptitudo currendi, portandi: nam ob ista commendantur; & bonus oculus appellatur, qui videndi acie; bonus equus, qui currendi, portandi facultate pollet.

2 Igitur humana virtus, siue hominis virtus dicenda est ea dispositio seu habitus, quo homo ipse bonus efficitur, ipsiúsque propria operatio bona & excellens redditur. Cùm autem homo, quà homo, id est, secundùm rationalem animam, duplici operandi facultate præditus sit: Vna intelligendi, quæ dicitur *mens*, siue *intellectus*; & altera volendi, quæ dicitur *voluntas*, ideo virtutes aliæ mentis sunt, seu intellectuales, perficientes hominem in cognitione veri: videlicet ars, scientia, prudentia, sapientia, & intellectus, de quibus Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 3. Aliæ verò virtutes sunt voluntatis, seu morales, perficientes hominem in affectione ad bonum honestum; videlicet Iustitia, Fortitudo, Temperantia: sub quibus aliæ continentur, vel ad illas reuocantur.

Inter virtutes morales, id est, morum siue humanarum actionum institutrices; & virtutes illas intellectuales, quæ ad formandos mores non pertinent, hoc discrimen tradit S. Th. 1. 2. q. 56. a. 3. & 2. 2. q. 47. a. 4. quòd illæ nomen virtutis magis propriè, ac simpliciter merentur; hæ verò secundùm quid, & imperfectè. Nam virtus est, quæ hominem bonum facit, & opus eius bonum reddit: A morali autem virtute; prudentia, iustitia, &c. homo simpliciter bonus est, ac dicitur: Idem enim homo bonus, qui & prudens, iustus. Non item à virtute intellectuali homo simpliciter bonus est, ac dicitur; sed cum addito, bonus Rhetor, bonus Philosophus; qui tamen malus homo esse potest. Accedit, quòd, vt S. Th. monuit cit. a. 3. Virtus intellectualis, v. g. ars, præbet quidem bene operandi facultatem, vt Rhetorica bene dicendi; non tamen præstat boni operis vsum, id est, non inclinat voluntatem, vt arte vtatur, siue secundùm artem operetur: cùm fieri possit, bonum artificem, v. g. Rhetorem, data opera malè perorare, non secundùm regulas artis: tunc verò non reprehenditur vt malus artifex, nec vitium eius arti imputatur, sed potiùs voluntati. Quamobrem dixit Arist. lib. 6. Eth. c. 5. Eum, qui sua sponte peccat in arte, excusationem mereri; non verò eum, qui contra moralem virtutem, puta imprudenter, iniustè agit. Cuius ratio est: Quia virtus moralis, ipsáque prudentia non solam facultatem bene operandi præstat; sed rectificans rationalem appetitum, eo ipso efficit, vt facultate bene vtatur, siue secundùm virtutem operetur. Quare homo iniustus v. g. magis etiam culpandus est, si data opera iniuriam inferat.

Ea propter idem Aristot. in cit. cap. 5. aliud discrimen inter artem ac prudentiam assignat; quòd artis sit virtus, prudentiæ non sit. Cùm enim ars, v. g. Rhetorica non dirigat, neque applicet voluntatem ad vsum seu exercitium artis; ideo prudentia ac morali virtute opus est ad hoc, vt Rhetor non tantùm sciat ac possit bene dicere; sed etiam velit, quando & vbi oportet. Pru-

dentia autem, & aliæ virtutes morales, cùm non tantùm bene operandi facultatem præstent; sed etiam dirigant & moueant voluntatem ad honestè operandum, non indigent alterius virtutis subsidio.

Huc pertinet, quod Doctores aiunt: Virtute neminem abuti posse; sed arte quemuis abuti posse: vt proinde morali virtute homo indigeat, partim vt vtatur arte, quando, & vbi oportet; partim ne abutatur. Denique huc spectat illud Arist. in 2. Eth. c. 4. Ad scientias & artes præcipuum requisitum esse, ipsum scire: ad virtutes autem scire parùm condùcere: sed magis velle agere, quod agendum intelligitur: quamobrem virtutes non tam per doctrinam, sicuti artes & scientiæ: quàm per assuetudinem acquiruntur: non, inquam, vir bonus est, qui bene viuendi regulas scit, aliosque edocere potest, sed qui bene viuere consueuit.

5 Virtus moralis in voluntate tanquam subiecto posita, definitur ex Aristotele 2. Ethic. cap. 6. *Habitus electiuus, in mediocritate consistens, quatenus prudens definierit.* Dicitur *habitus*, id est, primæ speciei qualitas acquisita, inclinans potentiam constanter ad operandum. Nam virtus non est naturalis potentia, sicuti visus, intellectus, &c. Quandoquidem has qualitates, quas Philosophi in secunda specie ponunt, priùs assequimur, quippe à natura inditas: posteà iis operamur. Virtutes autem, sicuti & artes, naturâ non suscipimus, sed idonei sumus ad suscipiendum: operandi autem assuetudine postea acquirimus, quando sæpe citharam pulsantes citharœdi efficimur: & sæpe iusta agentes, iusti: fortia agentes, fortes, ait Arist. 2. Ethic. cap. 1. Quod etiam inde confirmatur: Quia fieri non potest, vt contra potentiam naturalem assuetudo gignatur: neque enim si lapis, cui sua natura competit deorsum ferri, millies assuefaciendi causa sursum iaciatur, euehi vnquam assuescet. Homo autem frequenter operando ea, quæ virtutis honestati contraria sunt, veluti iniustè, timidè agendo, contrarias vitiosas assuetudines, siue habitus acquirit: Ergo virtutis non est naturalis potentia.

Neque etiam virtus dici potest tertiæ speciei qualitas, videlicet mentis affectio, aut motio: cuiusmodi est amor, timor, &c. Non enim ob timorem, aut iram v.g. aliquis simpliciter laudatur, aut vituperatur; cùm bene, & malè fieri possint: ob virtutem autem, aut vitium quisque per se dignus est laude, aut vituperio. Deinde affectio & actio in motu actuali consistit: virtus autem non est actualis motio; sed permanens dispositio mentis: quandoquidem dormiens & nihil agens, dispositus tamen ad agendum iusta, fortia, iustus, fortis appellatur.

Electiuus: Quia loquimur de virtutibus in voluntate sitis, quibus homo assuefactus est ea eligere & agere, quæ conuenientia iudicantur ad morum honestatem: quam veluti propositam suarum actionum metam homo virtute præditus spectat, testante Arist. 3. Ethic. cap. 7. quòd honestas sit finis virtutis. Id verò vt pleniùs intelligatur, quædam aduertenda sunt: I. Virtus quælibet moralis, & ipsa prudentia, veluti principij loco requirit synteresin, vniuersim dictantem ea, quæ ad hominis actiuam felicitatem pertinent; videlicet, bonum honestum esse amplectendum, inhonestum verò fugiendum, sicuti dixi lib. 1. tract. 1. cap. 1. Præterea requirit, vt appetitus rationalis rectè affectus sit ad virtutis honestatem, omnibus numeris absolutam; desideret, inquam, & proponat iustè, fortiter, temperatè viuere, iuxta doctrinam eiusdem Arist. 6. Eth. cap. 12. & S. Thom. 2. 2. quæst. 47. a. 6.

II. Quemadmodum corporis sanitatem, bonámve dispositionem lædunt & multum; & parum, vt si plùs iusto exercearis, comedas, &c. aut si minùs iusto: Mediocritas verò in his sanitatem conseruat. Quæ autem sit mediocritas corporalis exercitationis, aut cibi, vir sapiens decernere debet. Sed & in artefactis vituperari solet & quod nimium, & quod parum; mediocritas verò commendatur. Ita enim dicere solemus, orationem tanto artificio compositam esse, vt neque addere ei quicquam possis, quod desideretur; neque demere, quod supersit, sicuti notauit Arist. 2. Eth. c. 6. 4
Simili modo virtus moralis, quæ omni arte exactior est, contraria sibi habet; videlicet, quod in affectibus, actionibúsque nimium; & quod parum: quæ proinde vituperantur. Quare vitia ad extrema tendunt, excessum inquam, & defectum: amat verò & consectatur virtus, quod inter vtrumque extremum, medium est, siue mediocre; ideóque laudari solitum. Exempli causa: Qui facile omnia metuit, vbi & quando non oportet, nihilque aggredi audet, tanquam timidus reprehenditur. Qui autem quæuis aggredi audet, etiam vbi, & quando non oportet, neminémque timet, is vt audax culpatur. Inter quos medius est vir fortis, qui confidit ac metuit, quando & vbi oportet. Similiter, qui omni voluptati indulget, nullam excipit, intemperans est: qui autem omnem voluptatem fugit, nullam admittit, agrestis: Temperans autem ab vtroque extremo declinans, medium tenet.

Exinde colligit Arist. in cit. loco; Maiorem vitiorum, quàm virtutum esse multitudinem: Qui à medio tanquam scopo aberrare variis modis contingit; rectè agere, mediúmque attingere, vnico modo: quare illud quidem facile est, hoc autem difficile. Sicuti etiam in corpore humano plures sunt ægritudinum, quàm sanitatis species, siue modi: siquidem vno modo harmonia siue mediocritas humorum continetur; multis autem modis inde absceditur. qua similitudine vsus est S. Th. 1. 2. q. 73. a. 2. & 3.

III. Etsi appetitus rationalis rectè affectus sit erga honestatem, virtutisque mediocritatem; velit, inquam, ac desideret secundùm rectã ratione agere, ac proinde non plùs irasci, nõ plùs voluptate affici, nõ plùs minúsve dolere, & angi, quàm oportet; tamen prudentiæ virtute opus est, quę in singulis affectionibus, & operationibus, spectatis omnibus circumstantiis, mediocritatem honestatémque definiat: hæc ira, iste esus, hæc tristitia mediocris est, nec maior, nec minor, quàm oportet, comparatione mei, operantis hoc loco, tempore, &c. Vide S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 7. Atque ex his intelliguntur vltima verba definitionis; *In mediocritate consistens, sicut prudens definierit.*

SECTIO SECVNDA.

De Prudentia, & vitiis ei oppositis.

SVMMARIVM.

1 *Quatuor sunt Cardinales virtutes; Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia.*
2 *Prudentia est virtus intellectus; ideóque moralium actionum non elicitiua, sed directiua.*
3 *Prudentiæ tres sunt actus: Bene consultare, rectè iudicare, & præcipere executionem.*
4 *Prudentia alia est monastica, & alia gubernatrix.*
5 *Iterum; Alia est prudentia perfecta ac simpliciter dicta, alia verò imperfecta & secundùm quid.*
6 *Est etiam prudentia falsa: cuius species quædam, astutia: eiusque executio est dolus, & fraus.*
7 *Species imprudentiæ moralis peccati rationem sortiuntur, quatenus efficacem causam, vel saltem periculum præbent malæ electionis, operationisve.*

S. Thom. 1. 2. q. 61. art. 2. Magister & alij Doctores in lib. 3. sent. dist. 33. ex S. August. lib. 83. qq. q. 31. & S. Gregorio lib. 2. moral. quatuor præcipuas virtutes morales numerant; Prudentiam, Fortitudinem, Tem- 1

perantiam, Iustitiam, quæ etiam *Cardinales* dicuntur, quòd his, veluti cardinibus, totius humanæ vitæ honesta institutio vertitur, ac vniuersa boni operis structura nititur.

2 Tametsi verò Prudentia non sit moralium actionum elicitiua; cùm non in voluntate, sed intellectu consistat. quod & vocabuli etymon ostendit: dicitur enim prudens quasi prouidens, seu procul videns, quod opus intellectionis est, vti notauit S. Thom. 22. q. 47. art. 1. Est tamen moralium actionum directiua: quippe circa quas versatur, vt proximam materiam ac finem, dictans & præscribens, quid in quauis particulari actione honestum & amplectendum; quid verò turpe & aspernandum sit, sicuti prosequitur Arist. 6. Eth. c. 5. & breuiter definit S. Basil. hom. 12. ad populum, quæ est in princip. Prouerb. Salom. *Prudentia vera est eorum, quæ agenda & non agenda sunt, cognitio.*

Corollarium. Licet prudentia essentialiter non sit moralis, sed intellectualis virtus; est tamen dux & regina omnium moralium virtutum, sine qua nulla earum consistere potest. Siquidem voluntas per se ipsam, quod honestum est, seu virtutis medium prosequi non potest, nisi ratio ostendat: hæc autem ratio ostendens prudentia est. Quibus planè consentit S. Bernardus serm. 49. super cantica: *Est ergo discretio* (seu prudentia) *non tam virtus* (moralis) *quàm quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrix affectionum, & morum doctrix.* Ob eámque causam prudentia inter virtutes morales non rarò numerari solet, vti annotauit S. Thom. 1. 2. quæst. 58. a. 3. ad 1.

3 Prudentiæ tres actus veluti integrantes sunt, auctore S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 8. in corp. Bene consultare, rectè iudicare, & præcipere executionem. Bona consultatio est, quando mens proposito honestatis fine, accuratè examinat secundùm omnes circumstantias, quæ actiones ad finem illum, tanquam media, magis, minúsve inseruiant. Huic opponitur inconsideratio, præcipitatio: quando mens absque sufficiente negotij totius consideratione, deliberationéque, ad sententiam seu iudicium de agendis festinat. Videri potest S. Anton. p. 2. tit. 5. c. 10.

Rectum iudicium est mentis conclusio, siue sententia de particulari opere honesto agendo, aut turpi fugiendo: sequitur bonam consultationem, & antecedit voluntatis electionem, sicuti constat ex iis quæ dixi lib. 1. tract. 2. c. Huic parti aduersari videtur mentis inconstantia, per quam homo ob passionum impetum, aut leues rationes, à recta mentis sententia semel concepta dimoueri se sinit, sicuti docet Lessius lib. 1. cap. 2. dub. 4. n. 19. etsi S. Thom. 2. 2. q. 53. art. 5. & S. Anton. p. 2. tit. 5. cap. 12. velint, inconstantiam esse defectum vltimi actus prudentiæ, de quo iam dicam.

Præcipere executionem præcipuus prudentiæ actus est, voluntatis exercitium dirigens: per quem actum intellectus à voluntate antea motus, practicè iudicat, ac veluti imperat, hîc & nunc executioni mandandum esse, quod in consilio mentis decretum, & à voluntate acceptatum fuerat. Huic actui specialiter aduersatur negligentia: quando id, quod à ratione & voluntatis consensu decretum est, ob passionum repugnantiam, operandi tædium, homo exequi intermittit: contra quod est prudentum consilium apud Arist. 6. Eth. c. 9. *Deliberandum diu, sed quod deliberatione conclusum, incunctanter exequendum esse.* Vide Richar. in 3. d. 33. a. 2. q. 6.

4 Prudentia diuiditur primò in monasticam, & gubernatiuam. Monastica est, qua quisque sibi prospicit, quid in actionibus singulis decens ac honestum sit. Gubernatiua subdiuiditur in Oeconomicam, quæ totius familiæ honestam institutionem tuetur: Ciuilem, seu Iurisprudentiam, quæ bonum commune ciuitatis, seu Reipubl. spectat. Hæc iterum duplex est, auctore Arist. 6. Ethic cap. 8. Vna veluti architectonica, seu principatum gerens, per quam leges cum auctoritate decernuntur ab iis, qui Reipubl. præsunt. Altera ministerialis, quæ in particularibus negotiis ac litibus publicis, quod rectum & iustum est, ob Reipublicæ commodum definit: éstque propria eorum, qui Rempublicam administrant: quare & administrans vocari solet.

Secundò diuiditur prudentia in perfectam ac simpliciter dictam; & imperfectam ac secundùm quid, auctore S. Thom. 2. 2. q. 47. a. 13. Vera, perfecta, & simpliciter dicta prudentia est, quæ proposito vero fine totius vitæ humanæ deliberat, iudicat, & præcipit, quid ad eum finem accommodatè agendum sit. Prudentia imperfecta ac secundùm quid est, quæ, proposito fine speciali, consentaneè ad illum finem deliberat, iudicat, & præcipit: quo modo dicitur prudens medicus, prudens nauta, prudens mercator; qui tamen potest esse malus homo. Qui autem simpliciter prudens, idem & bonus homo est. 5

Est etiam prudentia falsa seu fucata, eáque duplex secundùm S. Thom. 2. 2. q. 55. a. 3. Vna, quæ proposito fine falso, siue fucato, v. g. carnis commoditate, conuenientia media ad talem finem inquirit, ac decernit. Ab Apostolo ad Rom. 8. appellatur hæc *prudentia carnis*: éstque peccatum mortale, si incommoditate carnis principalis & vltimus humanæ vitæ finis statuatur, sicuti Apostolum explicans docet idem S. Thom. cit. q. 55. a. 2. ad 1. Altera est, quæ proposito fine vero, aut apparente, excogitat, & decernit media non propriè instituta ad talem finem, sed fallacia & fucata; diciturque Astutia ad decipiēdum accōmodata: cuius veluti executio siue actus externus est *dolus*, & *fraus*: quæ differunt, secundùm S. Th. a. 5. in corp. *quòd dolus pertinet vniuersaliter ad executionem astutiæ, siue fiat per verba, siue per facta*: cui consentit definitio Iureconsl. in l. 1. §. dolum. ff. de dolo malo, quòd dolus malus dicitur omnis *calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum alterum* non iure *adhibita.* Quare doli mali species sunt mendacium, & illicitæ æquiuocationes, de quibus dicam lib. 4. tract. 3. cap. 13. *Fraus autem*, inquit S. Tho. *propriè pertinet ad executionem astutiæ, secundùm quod fit per facta.* Porrò astutiæ vitium alio nomine cordis duplicitas appellatur: quia vir astutus ad finem consequendum non recto ac simplici tramite, per media ordinata, aggreditur; sed veluti per cuniculos, & ambages, ad alterius circumuentionem, sicuti habetur. Ecclesiast. cap. 2. *Væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus vijs.* Salomon Prouerb. c. 28. *Qui ambulat simpliciter, saluus erit: qui peruersis graditur viis, semel concidet.* Eius rei duæ causæ ex diuina prouidentia reddi possunt: Primò; Quia Deus veritas est, protector eorum, qui in ipso sperantes, veritatem, fidémque sectantur. Astuti autem ac dolosi homines, cùm in cogitationibus suis confidant, impiè agunt, & à Deo deseruntur. Secundò; Quia iusto Dei iudicio accidit, vt dum astuti ac mendaces homines sibi ipsis prodesse alijsque nocere desiderant, contrarium prorsus eueniat, vti Dauid Psalm. 7. annotauit, *Lacum aperuit, & effodit eum: et incidit in foueam, quam fecit.* Ecclesiast. c. 37. *Est vir astutus multorum eruditor, & animæ suæ inutilis.* Videri potest Caiet. ver. fraus, & ver. astutia. Less. lib. 1. c. 2. dub. 4. num. 24. vbi notant Astutiam ad alterum decipiendum directam, adeóque dolum, fraudem, mendacium, verbi æquiuocationem nulla iusta necessitate nixam; esse ex genere suo peccatum veniale; sed ratione nocumenti directè, aut indirectè voliti, si id graue sit, mortale effici. 6

7 Ad extremum notandum est ex S.Thom.2.2.q.53.a.2. Quemadmodum Prudentia in se quidem atque essentialiter virtus intellectualis est; causa tamen ac veluti ratio siue forma generalis moralium virtutum: sic & imprudentia, licet in se vitium speciale sit intellectus; est tamen causa influens in omnia vitia moralia: quandoquidem nullum peccatum moris committi potest sine iudicio rationis dictante agendum, quod agere non oporteret; vel non agendum, quod agere oporteret. Cui consentit. Sap. Prou. 14. *Errant, qui operantur malum.* Et Prou.13. *Animæ dolosæ errant in peccatis.* Et Arist.3.Ethic.c.1. *Omnis prauus ignorat, quæ agere oportet.* Videri etiam potest Caiet. 1.2. q.77.a.2. Vasq. disp. 128.

Corollarium. Species imprudentiæ, quæ sunt secundùm defectum, videlicet inconsideratio, præcipitatio, negligentia, &c. licet ex parte intellectus diuersæ sint; tamen in genere moris, & vt in Confessione sacramentali explicari debent, eam solùm peccati rationem habent, quòd efficacem causam, vel saltem periculum malæ electionis, actionisve præbeant. Quapropter, qui hominē pro fera incautè occidit, non duo peccata committit, quorum vnum sit incautæ circumspectionis, vel negligentiæ; alterum verò homicidij; sed vnicum homicidij: propterea quòd consideratio, & cautio adhibenda sit ea solùm de causa, vt homicidium euitetur. Videri potest Caiet.2.2.q.53.a.2.ad 3. Vasq. 1.2. disp.119. c.2. Less. lib.1.c.2. num. 20. Neque illæ species imprudentiæ, quæ secundùm excessum sunt, videlicet prudentia carnis, astutia; rationem moralis peccati in Confessione explicandi habent, quatenus præcisè sunt vitia intellectus; sed quatenus efficacem causam, aut saltem periculum præbent prauæ electionis, operisve, cum quo velut forma cum materia, vnum numero peccatum in genere moris constituunt.

SECTIO TERTIA.

De Fortitudine, & oppositis ei vitijs.

SVMMARIVM.

1 *Virtus Fortitudinis consistit in mediocritate circa timores & audacias.*
2 *Martyrium est excellentissimus actus Fortitudinis.*
3 *Ad martyrium requiritur, vt mors alicui inferatur odio Fidei Christianæ, & vt voluntariè acceptetur propter Fidei veritatem tuendam.*
4 *Paruuli tamen Baptismo sanguinis speciali Dei priuilegio saluantur, sine propria voluntate.*
5 *Qui ob motiuum honestatis moralis mortem subit, martyr non est: sed requiritur causa pia, quæ per Fidem supernaturalem cognita est.*
6 *Martyrium instar Baptismi fluminis delet omnem culpam & pœnam; sed non absque imperio & motione Charitatis in hominibus adultis.*
7 *Baptismus sanguinis quadam ratione etiam superat Baptismum fluminis.*
8 *Timiditas Fortitudini opposita, est peccatum dumtaxat veniale, per se loquendo; per accidens interdum mortale. Idemque de audacia & aliis oppositis vitiis dici potest.*

FOrtitudinis ac Temperantiæ virtutibus id commune est, quòd ambæ occupantur in moderandis passionibus animi, ne mentem ab honesto auocent, iuxta ea quæ dicam infrà tract. 1. de iust. cap. 1. num. 2.

Fortitudo duobus modis accipitur, teste S.Thom.2.2. quæst. 123. art. 2. Primò, pro animi firmitate & constantia adhærentis honestati virtutis, non obstantibus quibuslibet cōtrariis: quo modo est generalis conditio cuiusque virtutis, saltem in gradu perfecto, & heroicè consideratæ. Cuiusmodi virtutem qui vnam habet, reliquas omnes facilè consequitur: quippe cùm connexæ sint in generali firmissimo & constantissimo proposito honestatis sectandæ, seu nihil vnquam in quocunque genere agendi, quod ab honestate deficiat.

Secundò accipitur fortitudo pro speciali virtute moderante animi timorem, ac fiduciam. Quamobrem ab Aristot. 3. Ethic. cap. 6. definitur: *Mediocritas circa timores, et fiducias.* Et cap.7. Quòd vir fortis est, qui honestatis causa nunc quidem cum fiducia pericula aggreditur & tolerat, quando, vbi, sicuti ratio dictat: nunc verò ingruentia mala timet, aut tolerat, quæ, & quando, & gratia cuius tolerare oportet. Valentia verò tom. 3. disp. 8. quæst. 1. p.1. sic describit: *Fortitudo est virtus moralis, per quam animus erga ea, quæ acerba & terribilia sunt, rectè se habet, vt nec prauè timendo, nec temerè audendo ab officio desciscat.* 1

Fortitudinis virtus vel maximè ostenditur occurentibus malis, seu periculis repentinis, iisque maximis, puta quæ mortem inferunt, maximè in bello, testante Aristot. 3. Ethic. cap. 6. Neque enimuero vir fortis absolutè dici debet, qui omnia alia huius vitæ pericula honestatis causa subire paratus est; non item mortem, quæ est terribilium omnium terribilissimum.

Exinde colligit S.Thom.2.2.q.124.a.2. Martyrium excellentissimum Fortitudinis actum esse: nam Martyres propter seruandum bonum veritatis Fidei, ipsam vitam profundere non perhorrescunt. Quare de his dicitur ab Apost. ad Hebr. 11. *Fortes facti sunt in bello, non inuadendo, sed tolerando.* Et S. Cypr. lib. 2. Epist. 6. *Quibus vos laudibus prædicem, fortissimi Martyres? robur pectoris vestri, & perseuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Tolerastis vsque ad consummationem gloriæ durissimam quæstionem: nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs supplicia cesserunt.* 2

Ad martyrium hæ conditiones requiruntur. Prima. Vt mors alicui inferatur odio Fidei, seu doctrinæ Christianæ. Ex quo sequitur primò: Non esse propriè ac perfectè martyres, qui in vincula coniecti multa patiuntur, nisi etiam mortem perferant, teste S.Thom. cit. quæst. 124. art. 4. Quia non satis re ipsa testantur, se omnia temporalia propter Fidem Christi contemnere, nisi vitam ipsam, quæ maximum bonum est, derelinquant, iuxta illud Iobi cap. 2. *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua*, id est, vita corporali. 3

Sequitur secundò. Quòd hæretici martyres esse non possint: si enim occidantur propter fidem quam profitentur, cùm ea Christi non sit, sed ipsorum propria: ac proinde non supernaturalis, sed humana & acquisita; sequitur, eos neque occidi, neque occisionem acceptare propter Fidei veritatem. Quare S. Augustinus ait conc. 2. in Psal. 24. *Martyrem non pœna, sed causa facit: pœna enim communis est latroni & Martyri, hæretico & Catholico; sed causa dispar.*

Altera conditio. Vt mors voluntariè acceptetur propter Fidei veritatem tuendam. Loquor autem de adultis, qui voluntarium testimonium veritati Christianæ dare possunt. At verò in paruulis, qui odio Fidei occiduntur, reperitur testimonium seu martyrium duntaxat materiale: sicuti indicatur in collecta de SS. Innocentibus: *Deus, cuius præconium Innocentes martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt.* Et auctor sermonis de stella, & Magis, inter opera S. Cypriani: *Testimonium, quod nondum pote-* 4

rant sermone; perhibebant passione: & sufficit causa testimonio, licet non eloquio distinguatur. Quare ab Origene homil. 3. in varios locos Euang. *primitiæ martyrum* appellantur. Et S. Augustinus ait lib. 3. de libero arbitrio: *Eos in honorem martyrum receptos, veneratur Ecclesia.* Quia speciali priuilegio, propter causam Fidei occisio est ipsis instar Baptismi. Videri potest S. Thom. cit. quæst. 124. art. 1. ad 1. Richard. in 4. distinct. 4. art. 2. quæst. 3. Suarez 3. p. t. 3. disput. 29. sect. 1.

Quod verò ad adultos attinet, ex dicta conditione sequitur primò: Si quis dormiens occidatur in odium Fidei Christianæ, cùm ante nihil cogitârit, ideóque nec consenserit in mortem, martyrem censendum non esse, sicuti docet S. Thom. cit. art. 1. ad 1. Suarez sect. 2. ver. in hac re. Lessius lib. 3. cap. 1. num. 24. Sin verò aliquis in vincula coniectus, statuit apud se mortem potiùs oppetere, quàm Fidem Christi negare, & postea dormiens occidatur, verus martyr erit: sicuti & Baptismi sacramentum suscipit in somnis, qui antea illud desiderârat, vti dicam lib. 5. tract. 2. cap. 6. num. 2. In infantibus autem, cùm propriam voluntatem afferre non possint, eam specialis gratiæ priuilegium supplet.

Secundò sequitur: Martyres non esse, qui pro Fide contra hæreticos vel infideles pugnando, occiduntur. Quia non voluntate, sed potiùs necessitate mortem oppetunt: neque Christi patientis similitudinem gerunt, qui *cùm pateretur non comminabatur*, 1. Pet. 2. & tanquam ouis coram tondente se obmutuit, sicuti Isaias prædixit cap. 53.

5 Tertiò sequitur: Quòd causa martyrij debet esse pia, quæ per Fidem supernaturalem innotuit. Nam martyr dicitur, qui excellentissimam, quam potest, confessionem ac testimonium, voluntaria morte sua, præbet veritati Fidei Christianæ, secundùm verba Christi Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me, &c.* Notat autem S. Thom. cit. quæst. 124. art. 5. in corp. eo ipso, quòd aliquis patitur pro opere virtutis, cum ordine ad doctrinam Christi: id est, dum opus bonum deserere recusat, quia consentaneum est Fidei Christianæ; aut opus malum patrare non vult, quia contrarium est Fidei Christianæ; & ob id mortem sustinet, verè martyrem esse, quia testimonium, ac confessionem præbet veritati Fidei. cuius rei exemplum habemus in S. Ioanne Baptista, qui pro adulterij reprehensione mortem sustinuit.

6 Tertia conditio Martyrij à Scholasticis antiquis afferri solet; Vt sit opus Charitatis, siue ex Charitatis imperio procedat. Ita enim docet S. Thom. cit. quæst. 124. art. 2. ad 2. *Martyrium est actus Charitatis, vt imperantis: Fortitudinis autem, vt elicientis.* Et mox: *Quòd autem sit meritorium martyrium, hoc habet ex Charitate, sicuti & quilibet virtutis actus: & ideo sine Charitate non valet* ad æternam salutem, iuxta verba Apost. 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Et 3. part. quæst. 66. art. 12. ad 2. *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine Charitate: ex quo patet, quòd Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, & non è conuerso: vnde ex hoc ipso probatur perfectior* esse, quàm Baptismus flaminis, seu contritionis. Alexander Alensis part. 4. quæst. 21. memb. 5. a. 1. in resp. *Baptismus sanguinis præsupponit Charitatem: aliter nihil valeret ad salutem.* Et paulò pòst: *Baptismus sanguinis gratiam gratum facientem non tribuit; sed conseruat.* Eadem verba habet S. Bonauent. in 4. distinct. 4. part. 2. art. 1. quæst. 2. num. 51. & infrà num. 54. ait: *Quamuis Baptismus sanguinis non auferat culpam, aufert tamen communem possibilitatem ad culpam, quod maioris perfectionis est.* Durandus eadem distinct. 4. quæst. 8. ad 3. *Martyrium non tantùm habet efficaciam à Charitate patientis, licet illa requiratur secundùm Apost.* 1. ad Corinth. 13. *sed ex causa patiendi, & ex conformitate ad passionem Christi, propter quæ virtus passionis Christi æquè plenè, vel pleniùs communicatur martyrio, quàm in Baptismo.* Palud. eadem distinct. 4. quæst. 3. a. 1. conclus. 1. *Baptismus sanguinis deficit in duobus à vero Baptismo: scilicet in charactere, quem Martyr non habet; quia habet rem sacramenti, sine sacramento. Item deficit in alio, scilicet quia ad istum* Baptismum sanguinis *non sufficit attritio; sed requiritur contritio: ad illum verò* Baptismum fluminis *sufficit attritio. Et causa est, quia ille iustificat ex opere operato; iste ex opere operante: & ideo nisi sit contritio, non saluat.* Vide etiam S. Bernard. epist. 77. ad Hugonem de S. Victore, Melchiorem relect. de pœnit. p. 3. Vasq. 3. p. tom. 2. disput. 153. c. 1. vbi testatur, hanc esse communem SS. Patrum, & antiquorum Scholasticorum doctrinam.

Contrariam tamen sententiam multi recentiores defendunt, vti videre licet apud Suarez cit. disput. 29. sect. 2. & 3. Lessius cit. lib. 1. cap. 1. dub. 4. Valent. tom. 3. disput. 8. quæst. 2. part. 2. verb. contrà verò: Quòd actus martyrij, siue mors voluntariè acceptata propter veritatem Fidei supernaturalem, habeat vim ex opere operato delendi omnem culpam, & pœnam; ideóque hominem vi sua iustificandi, ex Christi meritis ac promissione. Probant primò, auctoritate S. August. lib. 13. de ciuit. cap. 7. *Quicunque etiam non suscepto generationis lauacro, pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad remittenda peccata, quantum si ablueventur sacro fonte Baptismatis.* Tertullianus in Apologet. *Quis non pati exoptet, vt totam Dei gratiam redimat, vt omnem veniam ab eo, compensatione sui sanguinis expediat? omnia enim huic operi delicta donantur.* S. Thom. 3. part. quæst. 87. art. 1. ad 2. *Passio pro Christo suscepta obtinet vim Baptismi: & ideo purgat ab omni culpa & veniali, & mortali; nisi actualiter peccato inuenerit inhærentem.* Secundò ratione: Quia alioquin Baptismus sanguinis non esset distinctus à Baptismo flaminis, seu dilectionis diuinæ; nisi absque ea vim haberet iustificandi ex opere operato: modò homo dispositus sit per actum supernaturalis Fidei, ac pœnitentiæ, saltem imperfectæ, quæ dicitur attritio. Deinde si martyrium non habet vim delendi peccata, nisi propter inclusam dilectionem Dei, sequitur non omnem semper in martyrio pœnam aboleri: cùm neque per actum dilectionis seu contritionis penitus deleatur, nisi perfectissimus sit. Consequens autem est contra persuasionem Ecclesiæ, quæ pro nullo Martyre orat, teste Innocentio III. in cap. cùm Marthæ, de celeb. Missar. sed omnes pro beatis habet, absque inquisitione, num fuerint iusti, ac Dei dilectione præditi, nécne.

In hac quæstione vnum certum est, & alterum controuersum. Certum est, quòd martyrium in sua essentiali ratione non includat dilectionem Dei: cum rectè intelligi posit, aliquem veritatem Christianam vsque ad sanguinis profusionem tueri, alio motiuo, quã Charitatis diuinæ; v.g. propter spem vitæ æternæ, timorem gehennæ. Interim piè credendum est, nunquam hominem voluntariam mortem pro Christi Fide oppetere, nisi ardentis Charitatis actu præcedente: cùm enim ista voluntas moriendi pro Fide reuelata, ex obiecto præstantissimus, & suapte natura difficillimus actus sit, quadam congrua necessitate impetrat à Deo vberiorem gratiam, per quam disponatur ad Charitatis operationem, sicuti annotauit Durandus cit. qu.

8. num. 10. *Alioquin Deus*, inquit, *deficeret in neceſſariis: cum maior gratia ſit neceſſaria ad difficiliorem actum*. Profectò communis eſt Doctorum, fideliúmque omnium perſuaſio, morituris omnibus valde conuenientem & prope neceſſarium eſſe dilectionis actum: cur itaque non exiſtimemus, Deum opitulatione gratiæ ſuæ, (vti S. Auguſtinus ait lib. 13. de ciuit. cap. 17.) mentem hominis diſponere ad hunc actum, ſi pro veritate Fidei animam ſuam poſiturus ſit? Idque etiam hiſtoriæ teſtantur, & multorum experientia comprobauit, eos qui in carcere tantùm detenti, vel quippiam paſſi ſunt pro Fidei Catholicæ veritate, ardentiſſima in Deum charitate flagraſſe. Vide in hac re bene diſcurrentem Caiet. 2.2.q.124.a.2.

Controuerſum autem eſt; Vtrum martyrium poteſtatem illam abolendi omnem culpam & pœnam, inſtar Baptiſmi fluminis, habeat vi propria, ob ſpeciale priuilegium ſeu promiſſionem Chriſti; an verò propter imperium ac motionem antecedentis Charitatis. In qua controuerſia placet mihi prior ſententia: cùm ſit generalis perſuaſio Apoſtoli & SS. Patrum, quòd opera virtutum reliquarum abſque Charitatis imperio ad hominis ſalutem, & gloriam æternam non ſufficiant. Atque ſingulare illud martyrij priuilegium, ſine Charitatis actu homines iuſtificantis, nec ex Scriptura, nec ex Patrum traditione colligitur: ideo aſſerendum non eſt. vti bene oſtendit Vaſq. cit. diſp.153. c.5.

Ex Scriptura ſacra habemus verba Chriſti Matth. 10. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Sed hoc intelligitur, ſi confiteatur, ſicuti Chriſti diſcipulum decet; propter ipſum, ſeu amore ipſius, vti verbis mox ſequentibus explicatur: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.* Id enim eſt mori pro Chriſto, ſeu propter Chriſtum, ex affectu dilectionis erga ipſum: nam *maiorem hac dilectionem nemo habet, niſi vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis*, Ioan. 15. Maximum igitur dilectionis non tantùm argumentum, ſed etiam actus eſt, mori propter Chriſtum.

Quod autem ad Patres attinet, illi tribuerunt martyrio parem Baptiſmo fluminis, imò etiam præſtantiorem vim delendi penitus peccata; ſed non ſine Charitatis actu, quem ſemper includere debet, vt ad ſalutem proficiat. Cùm enim S. Cyprianus in epiſtola ad Iubaianum opinionem ſuam, quòd extra Eccleſiam verum Baptiſma non conferatur, eo argumento confirmare vellet, quia etiam extra Eccleſiam Martyrium, ſeu ſanguinis Baptiſmus non eſt: *Numquid poteſt vis Baptiſmi eſſe maior, aut potior, quàm confeſſio, quàm paſſio? vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur?* Ad hanc obiectionem reſpondet S. Auguſt. lib. 4. de Baptiſm. contra Donatiſtas, c. 17. *Hoc veriſſimum eſt: erga Eccleſiam quippe occiſus, Charitatem non habuiſſe conuincitur, de qua Apoſtolus dicit? Etſi tradidero corpus meum vt ardeam, Charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Hoc autem Apoſtoli teſtimonium de imperio actualis Charitatis accipiendum eſſe, dixi lib. præced. tract. 5. c. 1.

7 Ad rationem poſterioris ſentent. reſpondetur: Licet Baptiſmus ſanguinis includat in ſe Baptiſmum flaminis, ſiue dilectionis, vti expreſsè ait S. Thom. 3. p. quæſt. 66. art. 12. ad 2. tamen ab eodem diſtingui ſolet, propter peculiares excellentias, quas Baptiſmus ſanguinis ſiue mors voluntaria pro Chriſto ſuperaddit; ob quas prærogatiuas non ſolùm Baptiſmum flaminis ſecundùm ſe ſpectatum, ſed ipſum etiam Baptiſmum fluminis quibuſdam rationibus ſuperare videtur, vti docent Scholaſtici locis ſupra citatis.

Nam primò in Baptiſmo ſanguinis valde copioſa gratia ſanctificans infunditur, propter excellentiſſimæ charitatis actum: cùm homo plus Dei amore præſtare non poſſit, quàm vt vitam ipſam profundat, ſicuti docet Durand. cit. q. 8. num. 10. Gratiæ autem ſanctificanti correſpondet par eſſentialis beatitudinis præmium in cœlo.

Secundò, Baptiſmus ſanguinis in pleriſque quidem effectibus conuenit cum Baptiſmo fluminis: quia & omnem culpam mortalem delet, propter incluſum actum dilectionis; & omnem venialem, propter virtualem repugnantiam erga peccata, incluſam in actu excellentiſſimo, quo homo vitam ſuam, qua nullum temporale bonum charius eſſe ſolet, ob Dei amorem contemnendo, etiam aliarum omnium temporalium rerum inordinatam affectionem excludere cenſetur; excepto, ſi actualiter peccato inhæreſcat. Deinde omnem etiam pœnam peccatis debitam Baptiſmus ſanguinis extinguit. Cùm enim certum ſit, hominem propter Deum patiendo, ſatisfacere pro peccatis ſuis, neceſſariò conſequens eſt, cum pleniſſimè ſatisfacere, omnémque pœnam abolere, ſi tantum patiatur, vt plus non poſſit, ſiue ſi totum corpus, & animam ſuam pro Dei amore impendat.

Superat verò hic Baptiſmus, quia non tantùm peccata penitus tollit, ſed etiam omnem poſſibilitatem peccati, hominémque actualiter introducit in alteram beatam vitam. Præterea ſuperat, quia continet veram ac realem imitationem, repræſentationemque paſſionis Dominicæ, ex qua omnis vis noſtræ ſalutis promanat: cùm Baptiſmus fluminis tantùm contineat repræſentationem figuralem, vti notat S. Thom. cit. art. 12. in corp. idémque reperies apud Clementem Romanum lib. 5. Conſtitut. Apoſtolicarum, cap. 6. Denique Baptiſmo ſanguinis non tantùm correſpondet præmium eſſentiale in cœlo, propter actum præſtantiſſimæ Charitatis, quæ eſt radix omnis meriti; ſed etiam accidentalis gloria, quæ Martyrum aureola vocatur, propter actum excellentiſſimæ Fortitudinis: ita tamen, vt ſicuti accidentalis illa gloria in cœlo ſupponit eſſentialem, in eáque fundatur; ita etiam meritum gloriæ illius accidentalis ſupponat meritum principale Charitatis, ab eóque dependeat.

Ex dictis etiam apparet, cur fideles pro beatis habeant eos omnes, qui pro Fidei veritate mortem oppetiuerunt, quia hoc opus indicium eſt maximæ dilectionis Dei, quæ ſola in adultis peccata mortifera extra Sacramenta extinguit. Quòd ſi tota Eccleſia aliquem Martyrem vt beatum, ſeu ſanctum colat, tunc etiam Fide certum eſt, in Dei gratia deceſſiſſe: cùm Eccleſia propter directionem S. Spiritus errare non poſſit. Et hæc de Martyrio, tanquam excellentiſſimo Fortitudinis actu.

Vitium Fortitudini oppoſitum per exceſſum timoris dicitur *timidus*: quod per ſe loquendo, veniale tantum peccatum eſt, quando per libertatem arbitrij non corrigitur, ſi corrigi poſſit. Interdum per accidens fit mortale, ſi ob timorem ſinas te moueri in conſenſum peccati mortalis, qua de re S. Tho. 2.2. q. 125. a. 3. Caiet. in ſum. ver. timor, Viguerius in Inſtit. Theolog. cap. 6. §. 2. ver. 1. Leſſ. lib. 3. c. 1. n. 61.

Vitium oppoſitum Fortitudini per defectum timoris dicitur *animi ſtupiditas*, nulla mala ſeu pericula formidantis, quando, vbi formidare, & cauere oportet: eſtque peccatum hoc graue aut leue, pro grauitate aut leuitate mali, quod declinare aliquis debet, & conſultò negligit, ſicuti docet S. Thom. q. 126. Caiet. ver. intimiditas. Vitium verò oppoſitum Fortitudini per exceſſum fiduciæ, dicitur 8

audacia, siue temeritas in aggrediendis periculis, quando, vbi, quomodo non oportet. Denique vitium oppositum Fortitudini per defectum fiduciæ, dicitur *ignauia* animi nihil audentis, quando, vbi aggredi vel sustinere oporteret. Vide S. Thom. q. 127. art. 1. Caiet. ibid. & in sum. ver. audacia, Viguerius c. 6. §. 2. & 3. Less. n. 66.

De virtutibus annexis Fortitudini; atque earum oppositis vitiis.

SVMMARIVM.

9 *Virtutes Fortitudini annexæ sunt; Animi securitas, Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Constantia. Vide etiam n. 15. & 16.*

10 *Magnanimitati secundùm excessum opponuntur Præsumptio, ambitio & Vana gloria.*

11 *Ambitio est inordinatus appetitus honorum.*

12 *Inanis gloria est inordinatus appetitus humanæ laudis.*

13 *Honorem, laudem, &c. desiderare, vel acceptare, ob virtutem, seu honestatis causa, est opus bonum Magnanimitatis: secùs, si honor vel laus humana propter se appetatur.*

14 *Magnanimitati secundùm defectum opposita est pusillanimitas.*

9 AD Fortitudinis virtutem reuocantur:

I. *Securitas*, quæ est tranquillitas animi bene fidentis: Ei opponitur nimia animi *solicitudo*, *anxietas*. Videri potest S. Th. q. 128. iuncta q. 129. a. 7. Valent. t. 3. disp. 8. q. 5. p. 1.

II. *Magnanimitas*, quæ magna & excelsa bona spectat, parua & humilia contemnit: Quare cùm in hac vita nihil præclarum sit, præter virtutem; illius proprium munus est ad virtutum opera, eáque non quælibet, sed quæ eximia, magnóque honore digna sunt, contendere, sicuti docet Aristot. 4. Ethic. c. 3. S. Th. q. 129. art. 1. Enimuero, cùm res omnes huius mundi, excepta virtute, fluxæ & caducæ sint: ideo magnanimus eas facilè contemnit; ipsum quoque mundanum honorem, & hominum existimationem, si secundùm se præcisè spectentur: vt proinde neque prosperis huius mundi euentibus multùm extollatur, neque aduersis deijciatur. Vide Less. libro tertio cap. secundo dub. 2.

10 Magnanimitati secundùm excessum opponuntur Præsumptio, Ambitio, & Vana gloria. *Præsumptio est*, qua homo aggreditur opus arduum, facultatem suam excedens, teste S. Th. 2.2. q.130. a. 2. ad 1. S. Anton. p. 2. tit. 3. c. 6. Veluti, si imperitus artis medicæ corporibus; imperitus rerum ad conscientiam pertinentium, animis hominum mederi præsumat: si Sacerdos iurisdictione carens à peccatis absoluat: Iudex secularis de Ecclesiasticis causis decernat: si in via virtutis incipiens opera perfectorum meditetur; videlicet ante passiones edomitas assiduæ meditationi vacare, alios arguere, cum mulieribus confidenter agere audeat. Est autem præsumptionis peccatum per se veniale; sed sæpe mortale efficitur, ratione nocumenti, irreuerentiæ, &c. Vide Caiet. in sum. ver. præsumptio, Nauar. c. 23. n. 14. Tol. de peccatis mortalib. c. 22. Less. lib. 3. c. 2. dub. 3. Viguer. cit. cap. sexto §. 4. ver. 2.

11 *Ambitio* est inordinatus appetitus honorum. Tribus ferme modis contingit, vti videre est apud S. Anton. p. 2. tit. 3. c. 5. I. Si appetas honorem, qui tibi non conuenit, vel maiorem, quàm conuenit: vt si honorari cupias ob doctrinam, generis nobilitatem, qua cares: si aspires ad dignitatem, officium, quo indignus es vel si dignioribus præferri cupias: aut si ob meras diuitias magnos tibi honores deferri velis. II. Si appetas honorem ex re illicita, puta tyrannide, rebellione, &c. III. Si honoris acquirendi, vel consequendi causa non verearis malum admittere: vt si diuinos honores ambias: Si Episcopatum per Simoniam; regnum aut prouinciam bello iniusto compares. Etsi verò ambitionis peccatum per se veniale sit, sæpe tamen mortale efficitur vel ratione nocumenti, quod alicui infertur; vel materiæ mortaliter illicitæ, ex quo honor desideratur; vel denique si honor vt summum bonum, seu finis vltimus appetatur. Videri potest S. Th. & Caiet. 2. 2. q. 131. a. 1. & 2. Nau. comment. de finibus humanorum actuum, n. 56. 59. Viguer. cit. cap. sexto §. quarto vers. 3. Lessius lo. cit. Tolet. c. 25.

Inanis gloria est inordinatus appetitus humanę existimationis ac laudis. Accidit I. Si de fucata aut simulata virtutis vel doctrinæ excellentia laudem vel famam quęras, quæ est hypocrisis. II. Si maiorem de te opinionem aut famam desideres, quàm merearis; vel ex rebus malis, puta commisso homicidio, stupro: aut ex indifferentibus, puta diuitiis, corporis viribus, pulchritudine, quæ claram famam non merentur. & hæc est iactantia. III. Si famam, aut laudem quæras apud eos, qui iudicare nequeunt: vt si de rebus altissimis coram imperita plebe disputes. Est autem inanis gloria peccatum ex se veniale; per accidens sæpe mortale, vt supra de ambitione dictum. Legi possunt S. Th. q. 132. a. 3. Caiet. ver. gloriæ inanis appetitus, Nau. c. 23. n. 12. Viguer. c. sexto §. quinto Lessius cap. secundo. dub. tertio qui num. 25 rationem adfert, cur vana gloria à S. Gregor. lib. 31. moral. cap. 31. S. Thom. quæst. 132. art. 4. & 5. inter capitalia vitia numeretur: Quia ea vitia, (veluti aliorum radices & propagines esse solent, quæ circa obiectum valde appetibile versantur, vt circa gloriam, (sub qua etiam honor & fama comprehenditur) diuitias, voluptates gustus & tactus: quorum causa plerique homines parati sunt multa mala facere & pati: Item ea vitia, quæ versantur circa obiectum valde molestum saltem in imaginatione, cuius pellendi causa multa etiam contra honestatem homines facere consueuerunt: Ex priore enim radice nascuntur vanæ gloriæ cupiditas, auaritia, gula, & luxuria; ex posteriore verò inuidia, ira, ac tristitia.

Cæterùm honorem, gloriam, laudem, & fauorem hominum, quæ meritus sis ex virtutis opere, desiderare, & acceptare, non est peccatum; sed potiùs magnanimitatis opus: dummodo non propter se, in iis sistendo, sed honestatis causa expetantur aut amentur, quatenus honor, gloria, &c. sunt veluti vmbræ siue signa virtutis, & sæpe incitamenta, teste S. Thom. 2. 2. quæst. 131. art. 1. ad 3. & quæst. 132. art. 1. ad 3. Caiet. in sum. ver. gloriæ appetitus. Interdum etiam vtilia ad alia bona externa, puta dignitatis officia, quibus Deo & Reipublicæ seruire possumus, consequenda; vel aliorum salutem spiritualem, & inprimis Dei gloriam promouendam, iuxta verbum Domini Matth. quinto: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem*, &c. Videri potest S. Anton. p. 2. tit. 4. c. 1. prope finem, Nau. ca. inter fratres, concl. 5. n. 45. & 57. & comment. de finibus humanarum actionum, num. 55. Syl. ver. vana gloria, Viguerius §. quarto ver. 5. 12

Non placet autem, quòd Lessius ait cit. cap. 2. dub. tertio num. 22. Si honor appetatur ex re bona, etsi nullus alius finis spectetur, non esse peccatum: cùm obiectum indifferens sit. Nam hoc ipso, quòd honor & existimatio hominum obiectum indifferens est, eius appetitio est inordinata, si ad nullum finem honestum referatur, sicuti optimè notauit Nauar. in cit. comment. de finibus, numer. 57. & sumitur ex doctrina

S. Thom. quæst. 132. art. 1. in corp. vbi posito principio, quòd appetere quodlibet vanum vitiosum sit, iuxta illud Psal. *Vt quid diligitis vanitatem*, &c. subsumit, inter alios modos, quibus gloria vana est, vnum esse ex parte ipsius, qui gloriam appetit, si non referat ad debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi salutem. Qua simili etiam ratione appetitus pecuniæ in nullum alium finem formaliter aut virtualiter relatus, malus & inordinatus est, sicuti colligitur ex eodem S. Thom. q. 118. in corp. a. 1.

Eidem magnanimitatis virtuti secundùm defectum opponitur *Pusillanimitas*, qua sibi quis diffidens, bonum aliquod, tanquam superans propriam facultatem, frustra detrectat: vt si idoneus ad docendum populum, curandas animas, delatum vel imperatum sibi munus, quod vtiliter administrare posset, ob animi deiectionem respuat, sicuti videre est apud S. Thom. q. 133. art. 1. & 2. Huc etiam spectat, si delatum tibi honorem, laudem, quem recta ratio ad conseruationem status, augmentum dignitatis, boni publici causa, necessariam vel vtilem iudicat, ex animi deiectione respuas, sicuti docet Less. cit. dub. 3. n. 28. Viguer. cit. c. 6. §. 4. ver. 8. Et est peccatum veniale: nisi mortale fiat vel ratione nocumenti, vel specialis materiæ, circa cuius neglectum versatur.

14 III. *Magnificentia*, quæ est promptitudo animi ad faciendos magnos sumptus: vbi recta ratio expedire iudicat. Continet in se pecuniæ contemptum, seu vilipensionem, vti videre est apud S. Thom. q. 134. Differt à liberalitate, quòd hæc circa sumptus mediocres & ordinarios; illa circa maiores occupatur, auctore Aristot. 2. Eth. c. 6. & 4. Eth. cap. 2.

Magnificentiæ secundùm excessum, opponitur *pecuniarum profusio*: si maiores expensas facias, quàm ratio dictat: Sicuti mercator ille, inquit Less. c. 2. dub. 4. n. 35. qui hyemis tēpore ex cinnamomo ignem in camino excitauit, conuiuas tū calefaciendi, tū exhilarādi gratia. Secundū defectum aduersatur, *paruificentia*: cū quis, pre animi angustia, cæpto magno operi, v. g. Cœnobij, Ecclesiæ ædificandæ, fundandæ, non pares seu decentes sumptus exhibet. de qua re S. Thom. q. 135. Vtrumque est peccatum veniale, sicuti prodigalitas & auaritia, quæ cum his similitudinem gerunt: per accidens verò mortalia fiunt vel ratione iniusti nocumenti: vel ratione intentionis, puta si adeò pecunias desideres, vt earum causa paratus sis legem Dei grauiter transgredi. Ita de auaritia docent S. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 4. Syluest. Caiet. ver. auaritia, Tol. de peccatis mort. cap. 25. De profusione ac prodigalitate Nauar. c. 23. man. n. 69. Less. lib. 2. c. 47. dub. 8. n. 61. 62.

15 IV. *Patientia*, quæ in rebus aduersis animi mœrorem temperat, ac mala præsentia æquanimiter tolerat, ne quicquam contra honestatis decorem agatur, vti docet. S. Thom. quæst. 136. art. 4. Huic per excessum opponitur *impatientia*: & est peccatum veniale, per accidens quandoque mortale ratione euentus, puta scandali, aut mali quod impatientia victus admittit, vel admittere proponit, sicuti docet Viguer. c. 6. §. 6. ver. 4. Per defectum verò opponitur *durities*: si ob animi stuporem nec propriis, nec alienis malis moueare: & est peccatum ex genere suo veniale, teste Less. cit. c. 2. dub. 5. n. 41.

16 V. *Perseuerantia* & *Constantia*, per quam non obstante temporis diuturnitate, difficultate, molestiis, homo persistit in bono opere, quamdiu recta ratio dictat, vti docet S. Thom. quæst. 137. Illi secundùm excessum opponitur *pertinacia*, quæ est firmitas animi retinentis proprium sensum, vel agendi propositum, quando, vbi non oportet, vel plus, quàm oportet, teste Aristot. 7. Ethic. cap. 9. S. Thom. quæst. 138. a. 2. Est peccatum plerumque veniale: interdum mortale, si versetur circa aliquod perniciosum: v. g. quæ sunt contra Fidem, vel quæ grauiter nocent proximo, sicuti notat Caiet. ver. pertinacia. Secundùm defectum verò opponitur *inconstantia*, qua leuiter aliquis à bono proposito absistit: Et est peccatum mortale, si graui obligatione tenearis ad propositum exequendum, v. g. votum circa rem magni momenti: veniale, si obligatio leuis sit. Quòd si nullo modo obligatus sis, non esse vllum peccatum, ieiunandi, eleemosynæ dandæ, Religionis ingrediendæ, profitendæ bonum propositum mutare: nisi fiat ex inordinata passione, vel cum propinquo peccandi periculo, docet Less. in fine lib. 3. & significat Caiet. ver. inconstantia. Sed ego malo dicere, semper esse peccatum inconstantiæ ex genere suo veniale, sine causa à proposito bene cœpto desistere: cùm hęc sit inordinatio mentis, quod bene consultatum, iudicatum, & acceptatum est, leuiter & sine vlla rationabili causa derelinquere.

SECTIO QVARTA.

De temperantia, & oppositis ei vitiis.

SVMMARIVM.

1 *Temperantiæ tres species sunt; Abstinentia, Sobrietas, Castitas.*

2 *Gula est inordinatus appetitus, vel vsus ciborum, causa voluptatis.*

Per se loquendo, est peccatum veniale; per accidens quandoque mortale.

3 *Carne humana vesci, extra casum extremæ necessitatis, est peccatum mortale.*

4 *Ebrietas est excessus in potu, causa voluptatis, donec vsus rationis adimatur: si deliberatè fiat, est peccatum mortale.*

5 *Inebriare se non causa voluptatis: sed valetudinis recuperandæ, si in raro aliquo casu necessarium medium censeatur, non videtur esse illicitum.*

6 *Alterum prouocare, seu inducere ad illicitam ebrietatem semper est peccatum, ex genere suo mortale.*

7 *Virginitas est perfectissima species Castitatis.*

8 *Quæ animo corrupta, sed carne integra est, virginitatem per pœnitentiam recuperare potest; atque inter sacras virgines velari.*

Probabile est, etiam eas consecrari posse, quæ voluntaria pollutione fœdatæ sunt.

9 *Mulier, quæ occultè, vel per vim violata fuit, à sacro virginitatis velo abstinere debet.*

Quòd si sine sui manifestatione abstinere iam non possit, Episcopus eam consecrare potest, vsurpando vocem Virginitatis pro voce Castitatis.

10 *Simplex fornicatio, & omnis impudicitia inter personas legitimo fœdere non coniunctas, est ex genere suo peccatum mortale.*

11 *Oscula, amplexus, tactus inter sponsos de futuro videntur excusari à peccato mortali, si absit periculum pollutionis, & consensus in copulam; neque per se siue ex obiecto turpes sint.*

12 *Tactus inter coniuges, si fiant solùm voluptatis causa, & non in ordine ad copulam coniugalem, culpæ non vacant: sed non excedunt venialem, per se loquendo.*

13 *Impudici tactus pertinent interdum ad peccatum mollitiei, vel adulterij, &c. pro diuersitate personæ, qua cum exercentur.*

14 *Delectatio, quæ capitur ex aspectu, faciliùs à peccato excusatur, quàm delectatio ex tactu.*

15 *Directè & efficaciter in se ipso, vel in alio procurare pollutionem semper est mortale peccatum.*

16 *Qui causam pollutioni per accidens præbet, non peccat mortaliter; sed neque venialiter, si actio, ex qua pollutio oritura putatur, per se honesta sit, & finis eius honestus.*

17 *Pollutionem permittere, vel simplici affectu desiderare ob causam v. g. sanitatis, non est peccatum.*

18 *Pollutionis nomine non comprehenditur distillatio, seu fluxus humoris qui semen non est, quamuis similitudinem humani seminis habeat.*

19 *Voluntaria pollutio etiam inter coniuges est mortale peccatum.*

VIRTVS Temperantiæ versatur in moderandis voluptatibus corporis, iis nempe quibus gustus & tactus afficitur, circa esculenta, poculenta, & Venerea, sicuti ostendit Aristot. 3. Ethic. c. 10. & S. Th. 2. 2. q. 141. a. 4. Atque hinc tres eius species existunt; Absti- 1

nentia, Sobrietas, Castitas ipsáque Virginitas.

Virtus abstinentiæ est, quæ secundùm rationis regulam moderatur appetitum, vsúmque ciborum oblectantium. Regula autem ac mensura cibi, potus item, ac somni capiendi, continetur corporis ac vitæ humanę necessitate ac vtilitate, teste eod. Aristot. cap. 11. & S. Hieron. in cap. 44. Ezechiel. super illa verba: *Et dices ad exasperantem:* Tunc ista *circumcidimus*, inquit, *cùm non ad delitias & ad luxuriam, & ad inertiam: sed ad necessitatem naturæ & corporis istius sustentationem cuncta facimus.* S. August. lib. 10. confess. c. 31. & lib. de moribus Ecclesiæ, c. 19. & c. 21. vbi ait: *Habet vir temperans in huiusce modi rebus mortalibus, et fluentibus vitæ regulam vtroque Testamento firmatam: vt eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ huius atque officiorum necessitatem, quantum satis est, vsurpet, vtentis modestia, non amantis affectu.*

2 Abstinentiæ peculiariter aduersatur Gula, quæ est, Inordinatus appetitus, vel vsus ciborum, voluptatis causa. Gulæ vitium quinque modis exercetur: *Si plus iusto comedas*, vel *ante tempus*, vel *voraciter*; vel *cibos nimis exquisitos*; vel *nimis exquisitè paratos*, sicuti ex S. Gregor. lib. 30. moral. c. 27. docet S. Thom. 2. 2. q. 148. a. 4. Syl. ver. Gula, S. Anton. p. 2. tit. 6. cap. 1. §. 4. Nau. c. 23. n. 119. Valent. t. 3. disp. 9. q. 3. p. 1. Addidi autem *voluptatis causa:* Si enim ob alium finem plus comedas, quàm corporis constitutio, seu valetudinis ratio postulat, intemperans non es: neque peccas, si finis intentus eiusmodi sit, vt ob eum corporis aliquod incommodum meritò subeas: v.g. si ad hospitem, vel ægrotum prouocandum comedendo præeas, licet cibi tunc non indigens.

Porrò tametsi vitium gulæ inter capitalia numeretur quòd aliorum origo esse soleat, sicuti docet S. Thom. q. 148. a. 5. per se tamen & absolutè veniale duntaxat peccatum existit, teste Caiet. ver. gula, Nau. c. 23. n. 119. Fit autem mortale primò; Ratione peruersæ intentionis, si homo adeò inhæreat oblectationibus ciborum, &c. vt ob eas paratus sit legem Dei grauiter transgredi; ideóque in cibo, aut potu vltimum suum finem constituat, iuxta Apost. ad Philip. 3. *Quorum Deus venter est*, & tradit Th. cit. q. 148. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 2. Tolet. de peccatis mort. c. 60. Secundò fit mortale ratione grauis incommodi, si id homo corpori suo aduertenter afferat, sicuti docet Caiet. ibid. Tol. l. c. Tantum autem cibi capere, vt vomitus sequatur, non audeo peccati mortalis damnare: licet non parua, sed venialis deordinatio sit, per se loquendo.

3 Vesci autem carnibus humanis, ferinum, & crimen mortale est, secundùm S. Thom. cit. q. 142. art. 4. ad 3. & alios communiter. Ratio esse videtur: Quia ordo naturæ postulat, vt aliquis vescatur alimento secundùm substantiam inferiore, ac indigniore; quod proinde, tanquam sui alendi causa conditum decerpere, vel occidere possit: videlicet gramina, fructus, iumenta. Repugnat igitur præstantiæ humanæ naturæ corpore humano vti in alimentum. Deinde si persuasio esset occisorum hominum carnibus vesci licitum esse, perinde ac carnibus brutorum, consequens videri posset; vnum hominem propter alterum conditum esse, vt ipsi sit in alimentum: Et rursus, vnum hominem ab altero perinde vt bestiam occidi posse, alimenti causa.

Sed quæstio est: Vtrum saltem in extrema necessitate famis licitum sit humana carne vesci? Negant Victoria relect. de temper. n. 6. Valent. t. 3. disp. 9. q. 3. p. 1. Azor. t. 1. lib. 7. c. 22. q. 4. quòd id iuri naturali repugnet, ideóque intrinsecè ac per se malum sit. Contrarium docet Caiet. 2. 2. q. 148. art. 2. ad 2. Abulensis 4. Regum cap. 6. q. 32. Nauar. 23. n. 122. Tol. c. 60. Less. l. 4. c. 3. dub. 2. Sa ver. comedere, n. 1. Sanchez lib. 1. moral. cap. 18. n. 12. Quę sententia benignior ac probabilior est. Quare respondeo ad fundamentum prioris: Quædam absolutè spectata, esse quidem à natura hominis aliena, siue naturali iuri repugnantia, quæ tamen in extrema necessitate permissa sunt: v.g. se inebriare, sibi ipsi brachium abscindere, si ita necesse sit ad propriam vitam conseruandam. Quemadmodum enim in his casibus non inhonoratur natura humana, quando leuius nocumentum postponitur maiori nocumento: ita etiam in priore casu non inhonoratur natura humana; sed potiùs videtur honorari, quando assumitur emortua, vt altera è morte liberetur.

Porrò, etiam extra necessitatem extremam, ad morbum depellendum licitum est vti medicamentis ex humana carne confectis, sicuti docent Valent. Sanchez & alij. Eadémque videtur esse ratio effusi humani sanguinis, quem caduco morbo laborantibus prodesse aiunt: Item lacte fœmineo, quod phtisicis prodesse Medici docent. Mirum autem non est, quòd faciliùs licitum sit sanguine, aut lacte humano vesci, quàm carne: quia sanguis & lac humanâ animâ informata nunquam fuerunt; adeóque humanam naturam non ita participant, sicuti caro. Denique etsi quis iure possit humanis carnibus tempore extremæ necessitatis vesci, vt suprà dixi: non tamen ad id tenetur, sed potest etiam emori malle: Tum quia potest se conformare priori sententiæ, tanquam probabili: tum etiam quia nemo tenetur vitam suam conseruare, vel prorogare medio admodum difficili, & à quo natura valde abhorret: Tali autem medio, videlicet humanarum carnium esu vitam conseruare, multis admodum difficile apparebit.

Sobrietas moderatur inordinatum appetitum, vsúmque potionis vim inebriandi habentis, auctore S. Tho. 4
q. 149. art. 1. Ei aduersatur ebrietas, quæ est excessus in potu inebriante, causa voluptatis, donec vsus rationis adimatur. Est peccatum mortale secundùm Apost. ad Galat. 5. S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 2. & alios DD. communiter, contra Abb. in c. à crapula, n. 2. de vita & honestate clericorum. Quia grauis deformitas censetur magnúmque malum, abiecta rationis potestate, qua nihil in homine præstantius, ad brutorum stoliditatem, voluptatis gratia, vltro se abijcere. Qua de re videri potest S. Basilius homil. in ebrietatem.

Dixi autem *Voluptatis causa*; Nam si ob alium finem bonum ac honestum, v.g. sanitatis recuperationem, haustus vini vsque ad ebrietatem, prudentis Medici iudicio, necessarius sit, tunc non absurdum iudicat recta ratio, ad breue tempus vsu rationis destitui, vt recuperata sanitate, munera rationis meliùs præstentur; quemadmodum etiam dormientibus contingit: quare culpa vacat talis voluntaria ebrietas, teste Syl. ver. ebrietas, q. 3. Caiet. super q. 150. a. 2. & in Sum. ver. ebrietas. Tolet. cap. 61. 5

Ex qua doctrina non improbabiliter Lessius infert cit. cap. 3. dub. 4. Licitum esse inebriari mortis vitandæ causâ, quem tibi aliquis per violentiam minatur, nisi propinanti respondeas; modò scandalum absit, neque cedat in contemptum virtutis temperantiæ à Christianis seruandæ. Probatur. Si enim ad redimendam vitam à Tyranno fas est sibi ipsi manum vel pedem amputare; cur non etiam rationis vsum ad breue tempus sibi adimere? Repugnat tamen Caiet. 2. 2. q. 150. art. 2. ad 3. imò & S. Aug. serm. 232. *Etiamsi ad hoc veniretur*, inquit, *vt tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, vt caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur.* Quamuis Lessius respondeat, S. August. id dixisse propter ea, quæ per accidens coniuncta esse solent.

Deinde addidi, *donec vsus rationis adimatur.* Ex quo colligitur, tunc hominem peccati mortalis damnandum, si pergat bibere posteaquam aduertit periculum probabile secuturæ priuationis rationis, nisi desistat:

esto quòd mentis spoliatio post vnam aut alteram horam, cùm in liberum aërem progrediendum erit, proventura sit. Ceterùm si homo post vini haustum discernere possit inter bonum & malum, honestum ac turpe; tametsi phantasia nonnihil turbata sit, atque idcirco vel lingua titubet, vel pedes vacillent, vel oculi duplicata aspiciant, vel caput in gyrum agi videatur, imperfecta hæc est ebrietas, & peccatum duntaxat veniale: quãuis vnum ex grauioribus, si deliberatè committatur, vti notat Caiet. ver. ebrietas.

6 Porrò, si ebrietas voluptatis causâ volita per se mala est, & peccatum mortale: sequitur, simile peccatum esse ad eiusmodi ebrietatem iussu, aut consilio inuitare, atque inducere: quare Patres, vt S. August. serm. 231. & seq. Ambros. de Elia & ieiunio, cap. 13. & 14. grauiter tales reprehendunt, qui ad vini haustus se mutuò prouocant, vero similiter prouidentes in se, vel altero, ebrietatem secuturam esse. Nota autem, quod dico, inducere & prouocare ad bibendum vsque ad ebrietatem esse peccatum, idque mortale: nam vinum alteri apponere relicta illi libertate quantum bibere velit: etsi putes illum ad ebrietatem vsque bibiturum: non est semper illicitum: cùm talis cooperatio materialis tantùm sit, sicuti constat ex lib. præced. p. 3. c. vlt. n. 4.

Sed quid, si grauissimum malum; v. g. proditionis, quod alterum meditari intellexisti, alio modo impedire non possis, quàm hominem inductiuè inebriando, vtrum id licitum sit? Affirmat Less. lib. 4. c. 3. dub. 4. n. 33. Quia licitum est, inquit, suadere, & inducere ad minus malum (peccati) vt impediatur maius: atque hîc nihil aliud fit. Ergo, &c. Sed respondeo & dico I. Licitum esse tali homini offerre vinum fortissimum, cuius virtutem ipse cognitam non habet: & ad illud bibendum inuitare, vt sic præter intentionem ac propositum suum inebrietur. Ratio est, quia tali haustu homo ille non est peccaturus: ergo ad eum inuitare non est scandalum actiuum, seu prouocatio ad peccatum. Damnum verò ebrietatis, seu emotæ mentis huic homini inferre, vt malum longè grauius, animo eius propositum, euitetur, non est alienum à recta ratione.

Dico II. Illicitum est talem hominem iussu, vel suasione inducere seu prouocare ad voluntariam ebrietatem. Probatur ex regula communiter recepta: Nunquam licitum esse aliquem inducere ad actionem, quæ ita intrinsecè mala est, vt sine peccato fieri non possit. Sed voluntaria ebrietas, voluptatis causa suscepta, ita intrinsecè mala est, vt sine peccato fieri non possit: perinde vt mentiri, blasphemare. Ergo, &c. Ad fundamentum Lessij resp. Veram esse illam propositionem: si inductio fiat ad peccatum minus, quà minus est: ita vt alteri suadeas, non totum peccatum, quod certo animo concepit, committere: sed partem duntaxat formaliter aut virtualiter inclusam in toto, vti videre licet in aliis exemplis, quæ ibidem Lessius congerit. Tunc enim non suades homini, vt malum peccati faciat: sed vt saltem aliquam partem peccati non faciat, si à toto abduci non possit. Falsa autem est propositio, quòd liceat inducere hominem ad peccatum minus committendum, quod ille committere nec formaliter, nec virtualiter decreuerat: cùm hæc sit vera inductio ad malum peccati, & scandalum actiuum per se intrinsecè malum, quippe repugnans naturali præcepto negatiuo: Ne inducas alterum in peccatum: Siue, ne alteri auctor sis peccati cuiusquam.

Castitas moderatur inordinatum appetitum, vsúmque Venereorum. Est duplex: Vna perfecta & simpliciter dicta, quæ omnem cupiditatem, vsúmque Venereorum firmo voluntatis proposito in perpetuum excludit. Alia imperfecta, & secundùm quid, quæ vel ad certum tempus, videlicet nuptiarum, ab illicitis voluptatibus carnis honestatis gratia abstinet: vel in statu coniugij concessis voluptatibus moderatè, & secundùm rationis præscriptum vtitur. quæ coniugalis castitas dici solet apud S August. lib. de sancta virginitate cap. 13. Eadémque virtus interdum pudicitia appellatur, quatenus se extendit ad cohibendos impudicos aspectus, oscula, tactus.

Virginitas autem est perfectissima castitas, continens firmum propositum integritatis ac puritatis perpetuò conseruandæ, gratia honestatis. Eam definit S. August. cit. c. 13. quòd sit *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Differt à castitate: quòd illa etiam in coniugatis: atque corruptis & pœnitentibus locum habere possit: virginitas non item: sed semel amissa per consensum voluntarium, irreparabilis est, sicut docet S. Basil. lib. de vera virginit. S. Hieron. Ep. 22. ad Eustochium de custodia virginit. S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3. ad 3. Maior in 4. d. 30. q. 2. Syl. ver. virginitas, Less. lib. 4. c. 2. dub. 14. Præterea propositum seruandæ integritatis vsque ad tempus nuptiarum non est virtus virginitatis, sed solius castitatis, secundùm doctrinam S. Th. cit. q. 152. a. 1. Syl. ver. virginitas, q. 1. contra Maiorem lo. cit. 7

Duplex autem est virginitatis integritas: vna carnis, ac veluti materialis: altera animi ac propositi, ideóque formalis. Quare virgo alia integra est sola carne, alia integra est sola mente, alia denique tam carne, quàm mente, sicuti docet S. Thom. in 4. d. 33. quæst. 3. art. 1. & cit. quæst. 152. art. 1. ibid. Palud. quæst. 2. art. 1. S. Anton. p. 3. tit. 2. cap. 2. §. 1. Syluest. ver. virginitas, quæst. 2. Virgo integra animo & proposito, violata autem per stuprum, virginitatis laudem ac præmium retinet: sed à velo consecrationis, (quod xxv. ætatis anno virgines professæ accipiunt, iuxta c. placuit, 20. q. 1.) humilitatis ac maioris decoris causa, perinde atque aliæ corruptæ, abstinere tenetur, arg. c. si quis non, 15. q. 1. & c. illæ, c. de pudicitia, 32. q. 5. & docent S. Thom. in 4. d. 38. q. 1. a. 5. ad 4. Syl. ver. cõsecratio virginum, q. 1. Palud. lo. cit. Nauar. lib. 3. consil. 2. de statu Monach. edit. 2. Armilla ver. virginum consecratio. Ad Prælaturam quoque ascendere, seu velum prælationis, corruptæ, etiam per vim, sine Summi Pontificis dispensatione, accipere non possunt, sicuti docet Rodriq. t. 1. regular. q. 64. art. 4. Vide eundem de quintuplici velo, a. 1. post Palud. in 4. d. 38. a. 3. concl. 2. S. Anton. p. 3. tit. 2. cap. 2. §. 2. Videlicet, Velum professionis: velum ordinationis, quod hodie in vsu non est, vt separatim conferatur: velum consecrationis, quod à solo Episcopo accipitur: velum prælationis: & velum continentiæ. 8

Virgo integra carne, violata autem animo, vel proposito, virginitatis decorem ac meritum coram Deo omnino perdit. Duo tamen commoda habet. I. Quia virginitas sola voluntate amissa, non item opere externo per carnalem commixtionem, aut voluntariam pollutionem, acta pœnitentia, integrè recuperatur, sicuti docet S. Th. in 4. d. 33. q. 3. a. 1. Syl. ver. Virginitas, q. 2. Caiet. ver. virginum consecratio. II. Quòd talis quæ carne integra est, coram Ecclesia virgo habeatur, ideóque inter virgines consecrari atque velari possit.

Sed dubium est, an etiam si voluntaria pollutione, absque viri concubitu, fœdata fuit? Respondeo & dico I. Voluntaria pollutione seu seminis emissione virginitas verè ac simpliciter amittitur, vt per pœnitentiam reparari nunquam possit. Ita S. Thom. cit. q. 152. a. 1. ad 4. Caiet. 2. 2. q. 154. a. 6. dub. 3. Less. cit. dub. 6. n. 119. & alij communiter. Ratio est: Quia in hac seminis præter naturæ ordinem effusi, carnali voluntaria delectatione potissimùm consistit peccatum externum & consummatum luxuriæ, sicuti indicat S. Thom. ait art. 1. in corp. & a. 3. & bene docet Armilla, ver. virginitas, n. 2.

Dico

Dico I I. Probabile est, quòd mulier voluntariè polluta post pœnitentiam inter virgines consecrari, atque velari possit. Ita docet Caiet. ver. virginum consecratio, Armilla eod.n.3. Sa ver. consecratio n. 6. Less. n. 110. contra Rodriq. t. 1. regul. q. 64. art. 3. Nau. c. 16. man.n.3. §. interrogatus. Ratio est: Quia licet coram Deo virgo, seu incorrupta non sit, neque virginitatis laureolam in cœlo habitura; quia tamen claustrum virginitatis illæsum seruat, apud homines, censetur virgo: quare licet non sit virgo virtute; retinet tamen virginitatis statum coram Ecclesia; adeò quidem, vt qui talem violaret, virginis stuprator diceretur.

9 Aliud dubium: Vtrum mulier occultè violata inter virgines consecrari & velari possit? Responsio est negatiua S.Thom.in 4.d.38.q.1. 25. ad 5.Palud.ibid.q. 5.a. 3. concl.7. Caiet. ver. virginum consecratio, Syl. ver. consecratio virginum, q.1.Nau.c.16. n.3. Sa ver. consecratio,n.6. qui dicunt, talem occultè violatam, etiam per vim, peccare si velum consecrationis inter virgines ab Episcopo petat, vel accipiat, corruptione sua dissimulata: quamuis aliqui apud Syl. & Sa oppositum senserint, quibus fauere videtur Sotus in 4. d.19. art.5. in fine, & Henriq.l.10.c.24.lit.m. Sed cōmunis doctrina probatur: quia non leuis irreuerātia est, si in sacramentis vel sacramentalibus falsitas interueniat. Queadmodum enim sacrilegium esset v.g. salis aut aquæ consecrationi supponere, quod sal aut aqua non est; ita multò magis, si vt virgo consecrari se patiatur, quæ virgo non est. Confirmatur. Sicuti qui occultè bigamus est, quia corruptam duxit, ordinari non potest; ita neque quæ per vim, vel in occulto corrupta: cùm in his habeatur ratio sacræ significationis, sicuti habetur in c. acutiùs, d.26. vbi Gl. quærit verb. consecrari: Cur Episcopus, qui concubinam habuit, consecrari possit; non autem mulier quæ ante, vel post Baptismum corrupta est, inter virgines consecrari? cùm tamen dignior sit consecratio Episcopi. Respondet: Quia sacra virgo significat Ecclesiam triumphantem, in qua non est macula, neque ruga.

Quapropter quod Syl. Nauar. Sa, & alij dicunt; Episcopum dispensare posse, vt occultè fornicata consecretur, id intelligi non debet per se, ac directè: cùm in sacris vniuersalibus canonibus Episcopi dispensare non possint; præsertim in talibus rebus, quæ ad sacram significationem pertinent; vt nec Papa dispensare soleat: Sed intelligi debet, propter rationem necessitatis: si Sanctimonialis professa, quæ antea occultè fornicata, aut per vim corrupta fuerat, à velo consecrationis abstinere non possit sine scandalo, vel sui infamatione. hoc casu Episcopum dispensatiuè permittere posse, vt talis consecretur, mutato inter consecrandum nomine *Virginitatis*, in nomen *Castitatis*, vel *continentiæ*. Verùm Nauarrus in cit. consil. 2. de statu Monachorum edit.2. rectè aduertit, non satis hoc modo consultum fore famæ mulieris: cùm semper aliquæ personæ intercsse soleant, quæ talē vocis mutationē intelligant. Quare ipse præstare putat, *Vt Episcopus hoc casu pronunciet verba consecrationis, quæ virginem, aut virginitatem sonant, accipiendo illa intra mentem tanquam significantia castitatis, vt & scandalum absit, & mendacium.* Cui addo, quòd etiam communi sermone virgines sine mendacio appellamus, quas scimus occultè corruptas esse: quare hanc sententiam defendit etiam Henriq. cit. c. 24. lit. m. Rodriq cit. quæst. 64. a. 3. contra Caiet. ver. virginum consecratio.

Ex dictis colligitur pro praxi; Quòd Confessarius mulieri, quæ occultè fornicata, aut vim passa est, si quærat, vtrum Monasterium Virginum ingredi possit, veritatem apertè dicere debeat: Posse ingredi & profiteri, ita tamen, vt si Monasterium ingrediatur, in quo consuetudo viget consecrandi virgines, ab eo velo abstinere debeat, contenta velo continentiæ, seu obseruantiæ. Quia certum est, talem seu occultè, seu notoriè corruptam benedici posse benedictione viduali, mutato nomine *viduæ*, in nomen *innuptæ*, *Deo deuotæ*, vti tradit Nau. cit. cons. 2. Sin verò mulier solum suū propositum Confessario aperiat, nihil quærens & dubitans; tunc interdum dissimulare poterit prudens Confessarius, si ingressum mulieri valde vtilem fore intelligat: quandoquidem ingressus & professio mulieri corruptæ prohibita non sunt: de velo autem consecrationis accipiendo, vel non accipiendo Confessarius Monasterij iudicare poterit. Accedit, quòd sententia Henriq. l. c. non improbabilis videri possit; Mulierem occultè corruptam, quæ iam velum professionis accepit, posse consecrationis velum non quidē petere, sed oblatū acceptare; ne alioquin se ipsam infamet. Quare interrogata de carnis integritate respondere potest, secundùm hanc sententiam, se virginem esse, intelligendo coram Ecclesia, siue apparenter statum virginitatis seruare, vt suprà dictum.

Castitati aduersatur luxuria, quæ est inordinatus appetitus, vel vsus Venereorum. Dupliciter hoc peccatū contingit: Primò secundùm substantiā actus; & sic est mortale, teste Apost. ad Gal. 5. vbi inter opera carnis, luxuriā numerat, dicens, quòd *qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Eius sex species numerantur à S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 1. ex c. lex illa, 36. q. 1. *Simplex fornicatio; adulteriū, incestus, stuprū, raptus; vitiū contra naturā*: quibus addi potest septima species; *concubitus sacrilegus*.

Secundò contingit luxuria quo ad modum & circumstantiā accidentalem: qua ratione in coniugio peccari potest, vt dicam in l. 5. tract. vlt. p. 3. num. 1. De adulterio quoque incestu, stupro, raptu, & fornicatione sacrilega alijs locis dicendum erit. Quare hîc tantùm agam de simplici fornicatione, & vitio contra naturam.

Simplex fornicatio est carnalis commixtio soluti cum soluta. Esse peccatū mortale certa fide constat ex Apost. 10
1. ad Cor. 6. ad Ephes. 5. ad Gal. 5. & docet S. Tho. q. 154. a. 2. Ratio est; Quia valde repugnat naturali instinctui, qui brutis quoque animantibus, quantò magis homini inditus est, opus generationis non exercendi extra coniugale fœdus, ob meliorem prolis conceptionem, natiuitatem, educationémque: quæ naturæ lex, cùm circa materiam grauem versetur, sub culpa mortali obligat ex cōmuni sententia Doctorum in 4. d. 33. vbi videri potest Palud. q. 1. a. 3. contra Durandum q. 2. vbi sentire videtur, fornicationem legibus tantùm positiuis veteris, ac noui testamenti prohibitam esse.

Quin imò rectè docuit Richard. in ead. d. 33. a. 2. q. 2. quòd nec per Dei dispensationē fieri possit, vt fornicatio licita sit: quia fornicatio significat accessum ad mulierē non suam, seu cuius corporis potestatē vir non habet. Si autē Deus vniuersorū dominus alicuius mulieris potestatem faciat viro, tum accedet ad suam, seu cuius potestatē accepit. Quare inquit Richard. ad 3. *Deus non dispensauit cum Osea, vt fornicaretur: sed mandauit vt acciperet mulierem priùs fornicariam, & hoc mandando fecit illam esse Prophetæ vxorem, Propheta consentiente.*

Porrò ad peccatum fornicationis reuocari debent amplexus, oscula, tactus qui impudici sunt, id est, instituti causa Venereę delectationis, consurgentis ex commotione spirituum generationi inseruiētium circa partes corporis Venereas, sicuti explicat Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 46. num. 5. Neque refert, quòd ad carnalem copulā intentione operantis sæpe non referantur: quia suapte natura eò spectant ac tendunt, tanquam viæ, dispositiones, inchoationes: ideóque mortalia peccata esse solent inter personas nullo legitimo coniugij, aut sponsaliorum fœdere iunctas, sicuti docet S. Th. 2. 2. q. 154. a. 4. ibid. Caiet. & tom. 1. opusc. tract. 14. de delect. morosa, & in sum. ver. impudicitia, S. Anton. p. 2.

tit. 5. c. 1. §. Armilla eod. ver. num. 1. Nau. c. si cui, d. 1. de pœnit. num. 8. Valent. to. 3. disp. 9. q. 5. prope finem, Rodriq. t. 1. sum. c. 203. num. 2. Graffis p. 1. decis. lib. 2. c. 75. num. 10. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 46. concl. 1. Philiarchus t. 1. p. 2. lib. 4. c. 18. dub. 5. Sa ver. luxuria, num. 15. Tol. lib. 5. cap. 14. & alij communiter, quibus consentit Apost. ad Gal. 5. & ad Ephes. 5. cum fornicatione pariter iungens *impudicitiam, & immunditiam*: adijciens, quòd qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Videri etiam potest Auctor commentar. in Epist. S. Pauli apud Ambrosium super illa verba 1. ad Thessalon. cap. 5. *Salutate fratres in osculo sancto: Sancta oscula sunt, inquit, in salutatione Christiana, cætera carnalia sunt. Quia quicquid sine Christo fit, carnale est, ac per hoc & mortale.*

Quædam hic addenda sunt: I. Oscula & amplexus, si fiant non causa delectationis Venereæ; sed vt signa amicitiæ, aut beneuolentiæ, v. g. secundùm patriæ consuetudinem, culpa vacant, vti colligitur ex cit. cap. 5. ad Thessalon. Similiter si placeat tactus, aut visus corporis proprij, vel alieni, ob solam proportionem seu connaturalitatem cum organo tactus, aut visus, per se loquendo, culpa non est: cùm tactus rei blandæ, & visus rei pulchræ organa visus, ac tactus naturaliter delectent, ait Sanchez lib. 5. moral. c. 6. num. 13. Denique si oscula, amplexus, &c. proficiscantur ex ioco, aut animi leuitate, non causa delectationis Venereæ, culpam tantùm venialem habent, per se loquendo. Ita DD. communiter apud Reb. p. 2. de obligat. iust. lib. 3. q. 19. sect. 3. Sanchez num. 3. & 10. qui tamen rectè excipit, nisi tactus, (vel etiam aspectus) valde impudicus sit, videlicet partium verendarum inter personas sexus diuersi, quamuis ex sola curiositate fiat; excusari non posse à mortali: quia & per se siue ex obiecto magnam deformitatem habet, & graui periculo hominem exponit: cùm suapte natura ad Veneream delectationẽ tendat, eámque valde excitet. Sed inter personas eiusdem sexus putat Sanchez num. 12. eiusmodi tactum ex sola curiositate habitum, interdum excusari posse à mortali peccato: quod tamen rarum est, saltem propter adiunctum periculum. Aspectus verò partium verendarum inter personas eiusdem sexus ex sola curiositate faciliùs à peccato mortali excusatur. idemque sentiendum de aspectu sui ipsius ex curiositate: Quæ sumpta sunt ex eodem Sanchez numero 27. 28.

11 II. Oscula, amplexus, & tactus inter sponsos de futuro videntur excusari à culpa mortali, licet fiant causa delectationis sensitiuæ: dummodo absit periculum pollutionis, aut consensus in copulam, & non per se atque ex obiecto suo turpes, ac impudici sint. Ita docet Caiet. in sum. ver. sponsalia, & 2. 2. q. 154. a. 4. Nau. c. 14. man. num. 18. & c. 16. num. 11. Philiar. de officio Sacerdotis, t. 1. p. 2. lib. 4. c. 18. Sa cit. num. 15. Lopez p. 1. instruct. c. 54. §. peccant parentes, & cap. 75. prope finem, §. contra, Sanch. cit. disp. 46. num. 48. Ratio afferri solet: Quia sponsalia sunt initium matrimonij; quibus proinde aliquale ius sponsæ in corpus sponsi acquiritur; non quidem ad ipsam copulam, sed ad dictos corporum tactus: quamuis venialis culpa sit, si fiant ob delectationem; & sæpissime mortale, propter pollutionis præuisum periculum.

12 III. Tactus turpes inter coniuges, si fiant vt præparationes, seu incitamenta ad copulam coniugalem, vacant culpa: quia cui concessus est finis, concessa etiam sunt media ad finem ordinata, sicuti ex communi docet Sanchez lib. 9. disput. 44. Sin verò fiant solius voluptatis causa, culpabiles sunt; sed non mortaliter: quia cùm eiusmodi tactus inter coniuges secundùm se indifferentes sint; & non prohibiti; ideo eorum excessus aut inordinatus vsus propter voluptatem, non excedit culpam venialem, vti docent Caiet. & Armilla ver. impudicitia, Sanch. num. 12. & alij contra Anton. p. 3. tit. 1. c. 20. §. 6. Syluest. ver. debitum, q. 7. Sin verò coniunx ob solam voluptatem Veneream, & non coeundi causa, se ipsum tangat, arbitror esse mortale, etiam cessante pollutionis periculo, sicuti notauit Vasq. 1. 2. disput. 113. num. 4. Armilla ver. impudicitia, num. 3. Quia coniunx non habet ius in proprium corpus ad vsum Venereum, nisi per accidens, vt possit copulari cum coniuge: ergo extra hunc casum tactus Venereus sui ipsius non est indifferens; sed per se illicitus, & ordinatus ad pollutionem, ideóque peccatum mortale: quamuis contrarium sentiat Sanch. cit. disp. 44. num. 16.

IV. Impudici seu Venerei tactus, amplexus, oscula inter personas eiusdem sexus grauiora peccata mortalia sunt, quàm inter personas solutas diuersi sexus: quia illa suapte natura tendunt ad peccatum mollitiei, quod grauius est fornicatione simplici, sicut notauit Sanchez num. 18. Præterea, si actus impudici exerceantur à persona coniugata, vel cum coniugata, pertinet id ad speciem adulterij. Quare tales circumstantiæ personarum in confessione explicari debent, sicuti rectè monet idem Sanch. num. 19. Addit Ioseph. Mascardus conclus. 46. num. 1. Oscula impudica esse veluti partes adulterij, eiúsq; in foro externo aliquam præsumptionem afferre: præsertim si alia etiam adminicula concurrant. de qua re vide Sanch. l. 10. disp. 8. num. 47. Denique & seipsum contrectare aut confricare causa delectationis Venereæ, si fiat cum plena deliberatione, est peccatum mortale, sicuti ex communi Armilla loc. cit. Nota autem quod dico, *causa Venerea delectationis*. Non enim omnis pruritus, etiam circa membra verenda, Venereus; aut omnis extinctio eius per fricationem luxuriosa delectatio censeri debet, vti notauit Gerson part. 2. operum tract. de pollut. diurna, notab. 2. Quia sicuti in aliis mẽbris; ita etiam in verendis homo pruritum ex sanguinis affluxu sentire potest. Est autem pruritus ille, si membra genitalia vtpote teneriora inuadat, admodum vehemẽs, vt à fricatione continere se difficillimum sit. Quamobrem existimat Sanchez l. 9. disp. 45. num. 9. Non esse peccati damnandum, qui eiusmodi molestissimum pruritum fricatione sedare conatur, quamuis cum periculo pollutionis; tamen sine periculo consentiendi in illam. 13

V. Turpiloquium, turpis cantio, literæ amatoriæ, si Venereæ voluptatis gratia instituantur inter personas omnino solutas, mortalia peccata sunt, sicuti ex communi docet S. Anton. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 8. Nauar. c. 16. num. 14. Armilla ver. impudicitia, Sanch. num. 59. Si verò ex animi leuitate, curiositate, venialia tantùm sunt, per se loquendo: at verò ratione scandali, vel periculi labendi in mortale, frequenter mortalia esse solent. Idémque sentiendum de turpibus spectaculis, vel comediis. Quamobrem mortaliter etiam peccare censendi sunt, qui turpes libros cantilenas, aut comœdias scribunt, vel publicè exhibent; qui turpes imagines pingunt, ac publicè edunt, vel proponunt: cùm hæc fieri vix possint sine aliquorum legentium, vel spectantiũ spirituali iactura. Vide Sãch. l. 9. disp. 46. q. 3.

VI. Discrimen inter tactum, & visum afferre solent Doctores, Caietan. cit. opusc. 14. quæst. 3. & ver. impudicitia, ibid. Armilla num. 1. Nau. c. 16. man. num. 11. & in c. si cui, d. 1. de pœnit. num. 11. Medina 1. 2. q. 74. a. 8. dub. 5. Philiarchus cit. dub. 3. Sanch. cit. disp. 46. nu. 22. Quòd tactus, puta amplexus, oscula, &c. magis propinquè tendunt ad concubitum; ideóque delectatio sensibilis quæ ex tactu voluntariè percipitur, ordinariè est Venerea ac mortalis. At verò visus, seu aspectus mulieris propinquè non tendit ad concubitum: & delectatio, quæ ex aspectu pulchritudinis percipitur, potest & sæpe solet esse non Venerea: vt si quis mulieris pulchritudinem contempletur ob solam curio- 14

sitatem, erit culpa venialis: sin verò ideo contempletur, vt Dei auctoris potentiam admiretur, nullum peccatum erit, per se loquendo. Sæpenumero tamen ex eiusmodi aspectu oritur & commouetur delectatio Venerea, cum spirituum generationi inseruientium commotione: in quam delectationem deliberatò consentire, est peccatum mortale, sicuti rectè docet Anton. p.3. tit.16.c.1. §. 10. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 14. dub. 3. Syl. ver. delectatio, q. 4. Nauar. c. 16. num. 11. Armilla ver. impudicitia, num. 1. Graffis supra cit. c. 75. num. 10. Quare Iob. cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Sin verò aspectus ex sola curiositate deliberatè captatus, valde impudicus sit; videlicet aspicere concubitum viri cum muliere, vel partes verendas diuersi sexus, non videtur posse excusari à mortali; vt suprà etiam dictum est, & notat Sanch. num. 23. & 29. Si tamen aspectus, aut etiam tactus verendarum fiat ex necessitate à Medicis v.g. aut Chirurgis, excusari potest à peccato. de quo Nau. cit. c. si cui, num. 13.

Vitium contra naturam sub genere luxuriæ grauissimum est. Pro cuius intellectu notandum ex doctrina S. Thom. q. 154. a. 11. Actum Venereum eo tantùm modo fieri oportere, quem & ipsius actus naturalis conditio requirit, & natura omnia animalia docuit: sin autem alio modo exerceatur, tunc aduersus ordinem naturæ peccatur, quod quatuor modis contingit: Primò, si absque concubitu profusio seminis procuretur, quæ mollities dicitur, & peccatum pollutionis. Secundò, si concubitus fiat cum alterius speciei supposito, videlicet cum bestia, quæ proinde dicitur bestialitas: quò etiam reuocatur concubitus cum Dæmone in forma hominis, vel bruti. Tertiò, si concubitus fiat cum persona eiusdem speciei ac sexus, maris cum mare, fœminæ cum fœmina. quæ dicitur sodomia. Quartò, si inter personas eiusdem speciei & diuersi sexus non seruetur naturalis concumbendi modus: qua de re Caiet. cit. q. 154. a. 1. resp. ad 4. §. ad 2. de modo, & cit. a. 11. ad 4. Syl. ver. debitum, q. 4. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 16. vbi ex communiore sententia generalem regulam tradunt: Quocunque modo ac situ coniuges copulentur, seruato tamen legitimo vase, & secluso probabili pollutionis, aut seminis effundendi periculo, non esse culpam mortalem, sed venialem, quamuis grauem; nisi necessitas aliqua excuset: & verò hanc esse sufficientem necessitatem, ait Sanchez, quòd coniugi instanter talem inordinatum concumbendi modum exigenti, alter reddere compellitur.

15 Nunc aliis prætermissis, speciatim tantùm dicam de peccato pollutionis, de qua sit ista assertio. Directè, & efficaciter intendere, vel prouocare pollutionem, seu seminis humani effusionem in seipso, vel in alio, semper est mortale peccatum contra naturam; idque non tantùm, si Venereæ voluptatis causa fiat; sed etsi sanitatis recuperandæ, vitæ conseruandæ, vel alia quacunque causa. Quæ est omnium Doctorum sententia, teste Sanchez lib. 9. disp. 17. conclus. 5. Contra quam ita quispiam obijcere potest. Vitæ liberandæ causa licitum est pedem vel manum sibi resecare: ergo ob similem causam etiam semen effundere. Respondent Doctores apud Less. lib. 4. c. 3 dub. 14. negando consequentiam. Cùm enim alia membra ad conseruationem indiuidui pertineant, non est à natura alienum ea negligere vel abijcere, proprij suppositi seruandi causa: semen autem, cùm ad generationem, conseruationémque speciei referatur, natura non permittit, indiuidui seruandi causa, abijcere, speciémque negligere.

Porrò vt hæc ratio efficacior sit, aliam adiungit Sanchez, cur à natura animalis, ipsiúsque hominis alienum sit, quocunque etiam necessitatis casu, extra naturalem concubitum, seminis profusionem prouocare. Si enim animali, ipsique homini inditus esset instinctus, aut dictamen in aliquo casu extra naturalem concubitum semen profundendi; cùm in ea ipsa re voluptas sentiatur, facilè ac pronum esset eiusmodi facultate abuti, & extendere ad plures alios casus, cum maximo speciei detrimento. Non ita verò euenit, quando animali ipsique homini inditus est instinctus vel dictamen abscindendi membrum aliquod, corporis seruandi causa: cùm enim à membri abscissione, tanquam re secundùm se molesta, appetitus animalis horreat, non facilè homo tali potestate abutetur, aut vltra casum necessitatis extendet. Quæ ipsa etiam ratio dari debet, cur ad conseruandam matrem licitum sit expellere genituram nondum animatam; non ita verò propter eandem vitæ seruandæ causam, liceat seminis effusionem procurare. Confirmatur. Minùs à natura abhorret effusio seminis in fornicatione, quam in pollutione procurata: illa autem nullo in casu licita est: Ergo neque hæc.

Dixi autem primò, *directè intendere* pollutionem semper esse peccatum mortale. Nam de indirecta intentione seu voluntate, cùm nimirum aliquid agitur, ex quo agens prouidet pollutionem naturaliter secuturam, distinctione opus est. Vel enim actio, ex qua, tanquam causa, pollutio sequetur, per se turpis est, atque ordinata ad rem Veneream: cuiusmodi sunt impudicæ cogitationes, amplexus, oscula, quæ propter voluptatem fiunt. tunc mortaliter peccat, qui eiusmodi pollutionis causam sciens ac volens præbet, ideóque hanc circumstantiam euentus in confessione explicare debet, sicuti docet Nauar. cap. 16. num. 6. Sanchez l. 9. disput. 45. conclus. 1. & indicat Caietan. in sum. verb. pollutio, & tom. 1. opuscul. 22. de pollut. ex audit. confessionis, Philiarcus cit. cap. 18. in fine. Ratio est: Quia perinde esse censetur, siue effectus procedat ex natura ac necessitate operis voluntariè exerciti; siue fiat ex intentione operantis: nam *explicitè, & implicitè eadem est vis.* Sicuti qui multum vini bibit, ex quo scit naturaliter sequi ebrietatem, is implicitè censetur velle ebrius fieri; licet explicitè non intendat: Ergo simili ratione, qui actum impudicum exercet, ex quo, spectata corporis sui constitutione, prouidet pollutionem per se ac naturaliter secuturam, implicitè censetur velle pollutionem, quamuis eam explicitè non intendat.

16 Vel causa, seu actio per se & suapte natura non ordinatur ad pollutionem, sed alium finem vtilitatémque habet, etiam ex operantis intentione; quamuis præter intentionem & per accidens pollutio oritura videatur. tunc iterum distinguendum est: Vel enim actio talis secundùm se honesta est, & finis eius honestus, v.g. confessiones mulierum audire, vel eas secundùm morem patriæ amplecti, quando sine graui offensione intermitti non potest à laicis secularibus: huiusmodi actiones licitæ sunt, non obstante periculo pollutionis inde naturaliter secuturæ, sicuti tradit S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 5. Caietan. in sum. verb. pollutio, Nauar. cap. 16. man. num. 7. Sanchez cit. disput. 45. num. 8. Idque probatur ex generali regula: Si ius habeas aliquid agendi, ex quo indirectè & per accidens secuturus existimatur effectus, quem directè ac per se intendere non licet; non ideo cogeris abstinere ab actione, quotiescunque ex ea maior vtilitas speratur, quàm sit incommodum euentus, qui permittitur: seclusa tamen speciali prohibitione, pacto, &c. Sic enim in bello iusto v.g. fas est arces diruere, etsi innocentium mors secutura sit, quam directè intendere nunquã licet. Atqui pollutio, quæ ex actione tua, aliam vtilitatem finémque habente, per accidens sequitur, exiguum ac pene nullum incõmodum affert tum tibi ipsi, tum humanæ speciei, vt ostẽdit idem Sanchez cit. disp.

45.num.15. Ergo non teneris talem actionem intermittere. Vide quæ dixi lib.1. tract.3. cap. 6.

Vel denique actio, ex qua pollutio secutura putatur, secundùm se, vel ratione circumstantiæ illicita, otiosa, vel minùs necessaria est, v. g. nimio cibo, aut potu se ingurgitare, inutiliter confabulari, vnde pollutionem secuturam existimas, quam tamen minimè intendas: tunc veniale tantùm peccatum contra castitatem committitur, etiamsi causa, ex qua pollutio sequitur, in se mortalis sit, v. g. ebrietas, sicuti docet idem Sanchez num.17. Vasquez 1. 2. disput. 115. num. 9. Suarez 3. part. tom.3. quæst. 8. in comment. art. 7. Nauar. cap. 16. num.8. Non enim esse mortale peccatum luxuriæ, inde probatur: Quia ex parte operantis abest affectus Venereæ oblectationis, vt ponimus: ex parte verò operis seu euentus, non adest grauis inordinatio, seu naturæ incommodum, quando pollutio per se intenta aut procurata non est; sed potiùs ex naturæ impulsu prouenit. Esse autem peccatum saltem veniale, præter Doctorum consensum, etiam ratio ostendit. Habet enim hæc passio aliquam inordinationem, mentem conturbat, ad malum incitat: vt proinde causa illi neque per accidens præberi, sed euitari debeat, si commodè possit.

17 Secundò dixi in assertione; pollutionem esse peccatum, *si efficaciter intendatur*. Vbi notandum est primò: Etsi pollutioni actiuè cooperari nũquam fas sit; prouenientem tamen, v.g. in somnis, cùm sine corporis detrimento impediri iam non potest, licitum est pati seu permittere, nullo impediendi conatu adhibito: dummodo cohibeatur omnis complacentia & consensus, sicuti ex cõmuni docet Sa ver. luxuria, num.10. Sanch. lib. 9. disp.17. num.17. vbi ait, idem dicendum esse, tametsi pollutio ex culpa orta sit.

Notandum secundò: Ob honestum finem, v.g. sanitatem, vel superandam tentationem, licitum est simplici affectu, & sine vlla procuratione, aut procurandi proposito optare, vt pollutio naturaliter eueniat; itémque gaudere de ea, quatenus ex naturalibus causis orta est, sicuti docet Gerson part. 2. operum, tract. de pollut. diurna, prop. 12. S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 5. Caietan. 2. 2. quæst. 154. art. 5. Less. dub. 14. num. 15. Nauar. cap.16. num. 7. Neque enim id insequens est, quòd ob finem honestum, liceat desiderare effectum aliquem per causas naturales euenire, & de euenientе gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare nunquam liceret. Exempli causa: Si legitimus Rex cum multorum ruina Rempublicam administrat, fas est boni communis causa simplici affectu optare, vt moriatur; aut eo mortuo gaudere: cùm tamen mortem ipsi procurare haud liceat.

Id tamen rectè admonet Gerson cit. loco; Eiusmodi simplex desiderium aut gaudium de pollutione naturaliter proueniente, quia v.g. ad sanitatem conducere videtur, esse iudicium hominis necdum castitatis perfectionem assecuti. Nam viri perfecti, ob amorem puritatis, atque timorem periculi consentiendi in carnis delectationem, quàm maximè abhorrent ab omni, quamuis naturaliter proueniente, carnis impuritate. Porro, pollutionem simplici affectu optare, vel de ea naturaliter orta gaudere, propter voluptatem, est peccatũ mortale delectationis morosæ, sicuti testatur S. Anton. part. 2. tit. 6. cap. 5. in fine, Adrian. quæst. 4. de Eucharist. Nauar. num. 8. Azor lib. 6. c. 6. quæst. 6.

18 Dixi tertiò; Pollutionis nomine intelligendam esse humani seminis effusionem. Nam hinc discernenda est distillatio, vti vocant, siue fluxus humoris quasi medij inter vrinam & verum semen, cum isto coloris ac cuiusdam viscositatis similitudinam gerens; licet verum humanum semen non sit, sicuti docet Ioan. Gerson part. 2. operum, tract. de pollut. diurna, notab. 1. Caietan. tom. 1. opuscul. tract. 22. de pollut. ex audit. Confess. quo ad secundum, in fine, Sanchez lib. 9. disput. 45. num. 2. Atque hæc distillatio siue fluxus humoris medij interdum prouenit sine commotione & sensu carnis, vti Gerson testatur: & tunc rectè dicit Caietan. non plùs ob talem fluxum anxium esse oportere, quàm de sudore. Interdum verò prouenit cum sensu carnali, & spirituum generationi inseruientium aliquali commotione, excitatâ plerumque ex cogitatione, aspectu, collocutione cum persona dilecta. Et tunc de ea sentiendum est, sicuti de aliis carnalibus & Venereis motionibus; illi cooperari, aut causam per se præbere, vel in ea proueniente voluntariè delectari, esse peccatum mortale, sicuti num. 15. de pollutione dixi, & docet Sanchez cit. disput. 45. numero 32.

Sin verò loquamur de cooperatione omnino indirecta, & per accidens, sicuti num. 16. explicaui: tunc minor eius habenda ratio est, quàm pollutionis: propterea quòd distillatio (aliqui stillicidium appellant) longè minore sensu proueniat, neque tantam deformitatem habeat, quàm pollutio: Longè item faciliùs, & in quibusdam personis leuissima quaque commotione prouenit, atque multùm promouetur imaginatione ac timore, vti annotauit Gerson propos. 8. & Caietanus in citato opusculo. Quare personæ, quæ eiusmodi passioni obnoxiæ sunt, si exercendo actiones per se honestas, ob finem honestum, eiusmodi carnis commotionem experiantur, dissimulando & contemnendo faciliùs liberabuntur, quàm estimando. Interim tamen cauere debent ab ijs, quæ per se talia irritare solent, vti sunt *lubrici aspectus* (inquit Gerson) *societas plus quàm decet amicabilis, in segerens delectationem.*

Ad extremum quæri potest: Vtrum voluntaria pollutio, & quæcunque seminis effusio extra legitimum vas sit peccatum mortale inter coniuges? Ita affirmandum est cum Caietan. 2.2. quæst. 154. art. 1. respons. ad 4. S. Anton. part. 3. tit. 1. cap. 20. §. 6. Rodriquez tom. 1. cap. 243. conclus. 20. Sanchez lib. 9. disput. 17. num. 13. Ratio est: Quia talis seminis effusio aduersatur fini generationis: ideóque est peccatum contra naturam. 19
Sed intelligi debet, si seminis extra vas effusio fiat ex proposito, v. g. ad prolem legitimam impediendam: secùs si præter intentionem, ex festinatione, aut metu. Item, si fiat ob senium, vel aliam indispositionem alterius coniugis: modò tamen probabilis spes supersit seminandi intra vas: quamuis sæpe, aut plerumque aliter eueniat: tali in casu licitum est coniugibus conari ad copulationem legitimam: etsi præter intentionem accidat, maritum semen foras effundere. qua de re iterum dicam libro 5 tractat. vltim. part. 4. cap. 11. num. 2.

Secundò loquor de pollutione, non de distillatione. Nam licet coniugibus mortale sit pollutioni præuisæ sine vlla necessitatis aut vtilitatis ratione, causam præbere per tactus, amplexus, &c. non tamen mortale est, causam ita præbere distillationi, sicuti nec alijs delectationibus & commotionibus carnis, vti Sanchez notauit disput. 45. num. vit.

Illud denique communiter notant Doctores Palud. in 4. distinct. 31. quæst. 3. art. 2. casu 5. S. Anton. cit. §. 6. Caietan. loc. cit. §. ad 2. verò casum, Sa ver. debitum, num. 17. Armilla num. 9. Sanchez disput. 19. contra Syluest. ver. debitum, quæst. 7. Cessante in vtroque coniuge pollutionis periculo, non peccare maritum mortaliter, si cœptam copulam ante seminationem abrumpat, ne proles generetur: modò id faciat vxore consentiente, aut non rationabiliter inuita. Imò ait Sanchez num. 3. si iusta causa adsit impediendi seminationem, v. g. ob paupertatem ac multitudinem prolis,

& nihilominus concumbendi ad ſedandam concupiſcentiam: omnem culpam abeſſe, ſi mutuus conſenſus accedat; dummodo etiam mulier non ſeminet: alioquin etiam maritus ordinariè ſeminare debet, ne alterius ſemen fruſtra effundatur, ſicuti etiam Paludanus & alij annotârunt.

De virtutibus annexis Temperantiæ, atque oppoſitis Vitijs.

SVMMARIVM.

20 *Virtutes Temperantiæ annexæ ſunt Manſuetudo, Clementia, Humilitas, Studioſitas, Modeſtia, Eutrapelia.*

21 *Manſuetudini ſecundùm exceſſum opponitur peccatum iracundiæ; ſecundùm defectum iræ vacuitas.*

22 *Clementiæ ſecundùm exceſſum aduerſatur crudelitas & ſæuitia; ſecundùm defectum nimia lenitas.*

23 *Humilitati ſecundùm exceſſum repugnat ſuperbia; ſecundùm defectum nimia ſui abiectio.*

24 *Studioſitati ſecundùm exceſſum curioſitas opponitur; ſecundùm defectum verò negligentia.*

25 *Modeſtiæ ſecundùm exceſſum aduerſatur petulantia & inſolentia; ſecundùm defectum, ruditas morum.*

26 *Eutrapelia eſt, quæ in ludicris ad animorum corporumque relaxationem inſtitutis decorem conſeruat; Exceſſus verò in his, ſicuti & nimius defectus, in vitio ſunt.*

20 Virtutes Temperantiæ affines hæ ſunt præcipuæ: I. *Manſuetudo*, quæ moderatur paſſionem iræ. Ira autem definitur, deſiderium vindictæ. Eſt verò ſciendum, iram non eſſe earum paſſionum genere, quæ ex obiecto malæ ſunt, vt nunquam bonæ eſſe poſſint, qualis eſt v. g. inuidia, odium inimicitiæ erga proximum; ſed ex earum genere, quæ ex obiecto indifferentes ſunt, vt & malè & bene inſtitui poſſint: puta ſi iraſcaris mediocriter vbi, quando, cui oportet, vt iuſtitia ſeruetur, vitia corrigantur, ſicuti tradit S. Thom. 2.2.q. 158. art. 1. Syluest. Caiet. ver. ira.

21 Manſuetudini ſecundùm exceſſum opponitur peccatum iracundiæ, quod duobus modis euenit: I. ex parte obiecti, ſi vindictam deſideres ei qui non meruit, vel plùs, quàm meruit, vel inferendam ſine legitima auctoritate, vel non ob rectum finem, ſed ex odio. Qua ratione ira ex genere ſuo peccatum mortale eſt, quippe iuſtitiæ vel charitati oppoſitum; fit tamen veniale aut ex imperfectione actus; ſi ira plenam animi deliberationem præueniat; aut ex materiæ leuitate, ſi vindicta iniuſta modica ſit, veluti ſi puerum nihil commeritum ex ira capillis trahas, aures eius vellices. Vide Caietanum loc. cit. II. In modo iraſcendi, ſi nimis intra te excandeſcas, vel ſignis externis plùs, quàm oportet, iram oſtendas: qua ratione ex genere ſuo eſt veniale peccatum. Fit autem mortale per accidens, ratione euentus, puta ſcandali; vel ſi ex iræ cõmotione grauiter in Deum vel proximum delinquas blaſphemijs, maledictis, iniurijs. Ita S. Thom. art. 2. & 3. Caietan. ibid. S. Anton. part. 2. tit. 7. cap. 1. §. 2. Ioan. Gerſon part. 2. operum, tract. de cognit. peccatorum mortalium & venialium, conſid. 8. Leſſius lib. 4. c. 4. dub. 4. num. 24. 25.

Secundùm defectum eidem virtuti opponitur iræ vacuitas. Cùm enim ira ſit veluti rationis ſatelles, qui poſt Principis decretum de vindicando malo, moueri debet ad exequendum, ne mala impunita maneant cum Reipublicæ detrimento; profectò à rectæ rationis ordine alienum eſt, ſattellite iſto deſtitui, vbi quiſpiam ex iuſtitiæ vel charitatis lege monendus, increpandus, caſtigandus eſt.

22 II. *Clementia*, cum manſuetudine affinitatem gerens, per quam homo poteſtate præditus; ex animi lenitate, propenſus eſt magis ad puniendum citra meritum culpæ, quatenus recta ratio permittit, quàm vltra meritum, ſicuti docet S. Thom. quæſt. 157. a. 2. Sicuti ad benignitatem pertinet, præmia conferre potiùs vltra, quàm citra meritum: quibus nos rationibus Deum clementem, ac benignum dicimus.

Clementiæ ſecundùm exceſſum, opponitur crudelitas, per quam homo ex animi quaſi cruditate ſeu auſteritate, propenſus eſt ad exigendum pœnam vltra culpæ meritum. Crudelitati affinis eſt ſæuitia ſeu feritas: differunt tamen, quòd per ſæuitiam homo in inferendis malis non conſiderat culpam eius qui affligitur; ſed potiùs ſuam delectationem. Crudelitas verò in pœna inferenda intendit culpam eius qui punitur, quamuis modum excedat, ideóque deterior eſt ſæuitas, quàm crudelitas, ſicuti tradit S. Thom. quæſt. 159. art. 2. Eſt autem tum crudelitas, tum ſæuitia contra charitatem, & iuſtitiam, ideóque ex genere ſuo peccatum mortale, teſte Caietan. ver. crudelitas.

Eidem clementiæ ſecundùm defectum opponitur nimia lenitas: quando pœna remittitur, vel mitigatur, vbi ſeueritate vtendum recta ratio dictat ad delinquentem emendandum, publicam diſciplinam ſanciendam. Eſt peccatum graue, vel leue, proportione damni, quod ex remiſſa animaduerſione prouenit.

III. *Humilitas*, quæ temperat appetitum tendendi ad excelſa, ſicuti docet S. Thom. quæſt. 161. art. 1. Ei ſecundùm exceſſum aduerſatur *ſuperbia*, ſi nominis etymon ſpectes, quaſi ſuper ſe ire, iuxta illud Pſalm. 130. *Non ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me.* Definitur ex S. Auguſtino lib. 14. de ciuit. cap. 13. Inordinatus appetitus propriæ excellentiæ ſiue celſitudinis: quando nimirum homo ex maiore, quàm par eſt, conſideratione & æſtimatione ſuarum virium inflatus, maiora & altiora ſe affectat. Videri poteſt S. Anton. p. 2. tit. 3. c. 1. Leſſ. lib. 4. cap. 4. num. 62. 23

Superbiæ quatuor ſpecies ex S. Gregorio lib. 23. moral. c. 7. numerant S. Th. q. 162. art. 4. S. Anton. cit. tit. 3. c. 2. I. Si bona tua æſtimes, quaſi ex te ipſo habeas, non à Deo acceperis. quod reprehendit Apoſt. 1. ad Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* II. Si bona à Deo accepta æſtimes tanquam propriis meritis debita. III. Si æſtimes te bona habere, quæ non habeas; vel maiora, quàm habeas. IV. Si contemptis aliis, videri velis ſingulariter habere, quæ habes.

Notat verò S. Thom. cit. a. 4. ad 1. Neceſſe non eſſe ad eas ſuperbiæ ſpecies, vt quis reuera iudicet ſe bona à ſe ipſo habere, aut ob propria merita, non ex Dei gratia accepiſſe; (talis enim hæreticus foret) ſed quòd conſideratis bonis ſuis, ſine relatione ad Deum, ex cuius miſericordia & amore erga nos omne bonum prouenit; perinde ſe gerat, & animo ſe extollat, ac ſi propria induſtria acquiſijſſet: ſicuti patet in paupere, inquit Leſſ. cit. c. 4. n. 65. qui alienis opibus affatim fruens, non aliter ſe effert, ac ſi eſſent ſuæ, vel ſua induſtria & meritis partæ; quia non meminit aut non conſiderat eſſe beneficium alterius: quod tamen ſi expreſsè interrogaretur, non negaret.

Præterea ſuperbia alia eſt perfecta, & conſummata, per quam homo adeò ſe extollit, vt Deo eiúſque diuinæ voluntati ac legi ſubiectus eſſe nolit: quod peccatum grauiſſimum eſt ac dæmonibus proprium; quippe formalem ac directam mentis à Deo auerſionem continens. de quo S. Thom. a. 6. Syl. ver. ſuperbia q. 4. Alia verò imperfecta, quæ præciſè ſiſtit in nimia æſtimatione ſui, atque amore propriæ excellentiæ; ideóque ſi abſit iniuria erga Deum vel proximum, cenſeri debet peccatum veniale, teſte Caiet. ver. ſuperbia, ad finem, Tolet. de peccatis mortal. c. 4. Leſſ. cit. c. 4. n. 68.

Differunt autem ſuperbia, vana gloria, & ambitio;

quòd superbia sit inordinatus appetitus excellentiæ propriæ; vana gloria inordinatus appetitus laudis & famæ; ambitio inordinatus appetitus honoris, sicuti notat Syl. q.7. Nau. c.23. n.5.

Eidem humilitati, secundùm defectum aduersatur nimia abiectio sui, videlicet cum contemptu aut neglectu proprij muneris, iactura status in quo quis positus est, aut incommodo eorum quibus præest: vt si Episcopus præponat sibi Presbyterum, vel Diaconum: si pater à filio, superior ab inferiore flexis genibus veniam petat, sicuti docet Less. n. 64.

24 IV. *Studiositas*, quæ moderatur naturalem appetitum sciendi, seu cognoscendi. de qua S. Thom. quæst. 166. Ei, secundùm excessum opponitur curiositas, quæ est superflua cognoscendi aut discendi cura: qui excessus seu inordinatio vel est ex parte obiecti, si cupias cognoscere ea, quæ ad te non pertinent. quò pertinet monitum Eccles. c.3. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper.* Vel ex parte modi, si rerum ad te pertinentium cognitionem assequi coneris mediis illicitis, aut intempestiuis animæ aut corpori noxiis laboribus: quod & ipsum genus quoddam intemperantiæ est, ex genere suo peccatum veniale; per accidens interdum mortale, vti docet Caiet. ver. curiositas; & videri potest S. Thom. q.167. S. Anton p.2. tit.3. c.7. Secundùm defectum verò aduersatur negligentia, quæ est voluntaria omissio eorum discendorum, quorum cognitio ad cuiusque statum, officium pertinet. Et est id peccatum graue, vel leue, prout obligatio sciendi ex lege Fidei, Religionis, Iustitiæ, Charitatis descendens, grauis aut leuis fuerit. Vide Nauar. c. 23. n. 23. Lessius cit. c. 4. dub. 11. & quæ dixi lib. 1. tract. 2. c. 4. n. 10.

25 V. *Modestia*, quæ motus & gestus corporis externos, secundùm rationis præscriptum, moderatur. Ei secundùm excessum opponitur petulantia & insolentia: veluti, si puer gestus viriles, adolescens vocem, gressum fœmineum: Religiosus mores aulicos sectetur; secundùm defectum verò opponitur morum ruditas. Hæc ex genere suo peccata venialia; per accidens interdum mortalia esse possunt, ratione scandali, nocumenti, vti docet Less. dub.12. in fine, & videri potest S. Thom. q.168. a.1.

Est & alia Modestia in cultu externo, quæ in corporis ornatu, & rerum externarum apparatu mediocritatem obseruat, vti docet S. Thom. quæst. 169. & S. Anton. p.2. tit.4. c.5. §. 1. & seqq. Contra hanc virtutem peccatur secundùm excessum dupliciter: I. Per insolentiam, id est, modum inconsuetum, singularem, non competentem in ornatu vestium, apparatu conuiuiorum, suppellectilis. II. Per affectum, externo cultu, & apparatu vtendo libidinosè, ambitiosè: quia vt S. Augustin. ait. lib.3. de doctr. Christian. c. 12. *In omnibus talibus non vsus rerum, sed libido vtentis in culpa est.* Vide quæ dixi lib. præced. tr.3. c. vlt. in fine.

VI. *Eutrapelia*, quæ in dictis & factis ludicris ad animorum recreationem, corporúmque relaxationem institutis, decorem seruat. Contra quam virtutem peccatur secundùm excessum dupliciter: vel ratione obiecti, si illiberale, immodestum, petulans, contumeliosum, iniuriosum, flagitiosum, obscœnum iocandi aut ludendi genus vsurpetur. Vel ratione circumstantiarum, si genus ludendi, aut iocandi, alioquin honestum ac liberale, exerceatur loco, tempore non debito; vel contra dignitatem personæ ludentis, iocantis, eiúsue coram qua ludus exercetur, vti videre est apud S. Thom. quæst.168. a. 3. Secundùm defectum peccatur, cùm quis ob animi austeritatem, cruditatem, morositatem, aut duritiem, tùm sibi ipsi omnem ludum ac iocum, ad animi corporisque quietem ac relaxationem honestam interdicit, tum etiam in aliis impedire conatur. Videri potest S. Thom. q.168. art.2. & 4. Lessius dub.13. Ioannes Maior in 4. d.15. q.14.





SECTIO QVINTA.

DE IVSTITIA ET IVRE.

HÆC EST PRÆCIPVA ET COPIOSISSIMA HVIVS libri pars, ſex tractatus in ſe complectens. I. De generalibus principijs iuris ac iuſtitiæ. II. De reſtitutione, ferme tantùm in genere: Nam in ſpecie poſterioribus etiam tractatibus agendum erit. III. De delictis. IV. De pactis & contractibus. V. De Teſtamentis, & alijs vltimis voluntatibus. VI. De iudicijs.

TRACTATVS PRIMVS. DE QVIBVSDAM GENERALIBVS PRINCIPIIS IVRIS, AC IVSTITIÆ.

CAP. I.

De obiecto iuſtitiæ, quod eſt *ius*, ſiue *iuſtum*.

SVMMARIVM.

1 *Ius, ſiue iuſtum interdum accipitur, vt idem ſit quod legitimum; interdum, vt idem ſit, quod æqualitas alteri debita: & hoc iuſtitiæ particularis ac propriè dictæ obiectum eſt.*

2 *Iuſtitia moderatur hominis actiones in ordine ad alterum: ſed Temperantia & Fortitudo in ordine ad ipſum operantem.*



IVSTVM (quod per ſyncopen ius dictum fuiſſe, arbitratur Sotus lib. 3. de iure & iuſtitia, q. 1. a. 1. & indicat Iſidorus cap. 2. d. 1. *Ius autem eſt dictum, quia iuſtum eſt*) græcè *δίκαιον*, idem eſt quod *æquum*.

1 Æquum autem, quatenus ad mores pertinet, duobus modis accipitur: Primò generatim, vt idem ſit quod legitimum, id eſt, conforme, commenſuratum, adæquatum legi, tanquam normæ ac regulæ omnis operationis humanæ. Secundò accipitur ſpeciatim, vt idem ſit quod *æqualitas alteri debita*: idque eſt ius particularis iuſtitiæ obiectum.

Pro cuius intellectu nota primò ex Ariſtot. 2. Ethic. c. 2. 6. 7. iuncto lib. 5. Ethic. c. 4. Omnis virtus moralis amplectitur medium, ſiue mediocritatem in operationibus humanis, ſicut recta ratio ſiue prudentia definit: vt neque plus, neque minus fiat, quàm oportet. Quare dici ſolet, *Vitia in extremis conſiſtere, virtutem in medio poſitam eſſe.*

Eſt autem diſcrimen inter iuſtitiam, & reliquas morales virtutes, Temperantiam ac Fortitudinem: quòd 2 hæ occupantur in moderandis animi paſſionibus ipſiuſmet operantis; puta cupiditate, voluptate, ira, timore, audacia, triſtitia: Et proſequuntur medium cum habitudine ac proportione ad operantem. Nam quod v. g. infirmo nimium eſt, mediam carnis libram comediſſe, duos vini aut aquæ cyathos bibiſſe; id robuſto parum eſt. Iuſtitia verò occupatur in moderandis actionibus humanis, quatenus ad alterum tendunt: & proſequitur medium rei ſine diſcrimine perſonarum: vt videlicet inter partes contrahentes, nullo habito reſpectu, ſintne perſonæ diuites, an pauperes; probæ, an improbæ, &c. ſed ex ipſius rei natura conſtituatur æqualitas dati & accepti, lucri & damni. Quemadmodum enim duæ inæquales lineæ inter ſe æquantur, cùm vni earum demitur quatenus plus æquo habet, idque alteri minus æquo habenti additur: Sic etiam per iuſti-

tiam (loquor de propriè dicta, & commutatiua) partes inter se æquantur, cùm alteri, quatenus plus, quàm oportet, lucri vel accepti habet, demitur, idque alteri minus, quàm oportet, lucri habenti, adeóque damnum siue defectum patienti, tribuitur. Vide etiam S. Thom. 2.2.q.57.a.1.& quæst.58.a.10.

Nota secundò: Iustum siue æquum, quod dixi esse obiectum iustitiæ, non est quælibet æqualitas, siue æquatio; sed æquum *debitum*, ortum videlicet habens ex aliqua obligatione voluntaria vel inuoluntaria, vt infrà tr. 3.& 4. magis patebit. Quare si duo Mercatores ad nundinas profecti sint, quorum vnus lucrum cœpit, alter verò damnum tulit; inæqualitas inter ipsos est, sed non tollenda per iustitiæ æqualitatem: nisi vel societatis pactio, & obligatio præcesserit, vel ille huic causa iniusta damni extiterit. Iterum: Si tu mihi equum tuum concessisti, ex quo vtilitatem cœpi, siue lucrum mihi accessit, tibi contrà aliquid lucri decessit: tunc si pactum reciprocum antecesserat, per iustitiam ad æqualitatem redigendi sumus, compensando tibi defectum ex meo commodo. Eapropter Iudex δικαστής, quasi mediator dictus est, quia partes inter se obligatas ad iustitiæ æqualitatem redigit; pronuntiando videlicet quid iustum, id est, æquum sit.

Porrò, præter has duas primæuas, magisque proprias acceptiones iuris, quarum vna est pro legitimo (de quo iterum dicam cap. seq.) altera pro æquo alteri debito; sunt aliæ magis impropriæ & à prioribus translatæ: Accipitur enim frequenter pro facultate aliquid agendi legitimè & inculpatè. quo sensu dicimus aliquem habere ius sepulchri, Gen. 23. *Ius cognationis* ad hæreditatem accipiendam, l. ius, ff. de pactis; & vniuersim dici solet, aliquem *iure suo vti*, cùm agendi potestatem habet. Item pro Iudicis sententia: nam Iudex est, qui partibus contendentibus ius dicit, sicuti constat ex tit. ff. de iust. & iure, & c. 2. de constit. in 6. *Extra territorium ius dicenti impunè non paretur.* Deinde accipitur nomen iuris, vt idem sit quod lex: Denique pro scientia iuris siue legum. quo sensu Vlpianus dixit in l. 1. ff. eod tit.. *Iuri* (id est scientiæ legum) *operam daturus, nosse oportet, vnde iuris nomen descendat.* Et paulò pòst: *Ius est ars boni & æqui.* Sicut enim ars medicamentorum Medicina vocatur; ita scientia siue peritia iurium ac legum, Ius appellatur.

CAP. II.

De Iustitia generali, seu legati.

SVMMARIVM.

1 *Iustitia generalis versatur circa omnia virtutum opera, ob Reipublicæ felicitatem.*

2 *Opera virtutum, quatenus per ea diuinæ legi ac voluntati conformamur, iustitiæ in sacris literis appellantur.*

HOmo in humana societate viuens dupliciter comparari potest: vel tanquam pars ad partem; ciuis, inquam, ad ciuem: vel tanquam pars ad totum; ciuis, inquam, ad communitatem. Hinc duplex ius oritur, & consequenter duplex iustitia, auctore Arist.
1 lib. 5. Ethic. cap. 1. Vna generalis, per quam quisque reddit quod iustum est, ac debitum Reipublicæ, cuius ipse pars est. Altera iustitia particularis, per quam quisque reddit, quod iustum est ac debitum comparti, siue consorti. de qua dicam cap. seq. & toto libro.

Illa autem Iustitia, *virtus generalis* dicitur ab Arist. loco cit. & S. Thom. 2.2.q.58.art. 6. quia omnes virtutes morales in se comprehendit, non quidem vniuersalitate prædicationis, (qua ratione animal continet species animalium) sed vniuersalitate causæ (qua ratione sol se habet ad alia corpora, quæ ipsius virtute illuminantur, generantur, conseruantur) quatenus reliquis virtutibus ipsa imperans illarum actiones ad Reipublicæ prosperitatem refert.

Quemadmodum enim Charitas, inquit S. Thom. loc. cit. secundùm se spectata, peculiaris atque ab aliis distincta virtus est; comparata verò ad virtutes reliquas, quarum operationes dirigit, vt propter Deum exerceantur, quasi omnium virtutum forma est, & virtus vniuersa; ac proinde perfectio & adimpletio totius legis: Sic etiam Iustitia, de qua agimus, secundùm se peculiaris, atque ab aliis distincta virtus est, quia peculiarem rationem honestatis ac laudis obtinet, quatenus per eam quisque rectè ac debitè se gerit erga Rempublicam, cuius pars est: Peculiaris etiam difficultas in hac virtute cernitur: siquidem, vt Arist. annotauit 3. polit. cap. 3. *Non eadem est virtus boni viri, & boni ciuis. Complures enim*, ait idem in 5. Ethic. c. 1. *in propriis quidem vti virtute possunt; sed in iis quæ sunt ad alium* (præsertim erga Rempublicam) *nequeunt. Et propterea sententia Biantis illa bene se habet: Magistratus virum ostendet.* Eadem porro generalis iustitia comparata ad alias virtutes, quarum actiones ad Reipublicæ prosperitatem dirigit: (pertinet enim ad Reipubl. laudem ac felicitatem, vt partes eius rectè se habeant, officiúmque præstent, sicuti ad totius corporis decorem & vtilitatem spectat, vt membra singula sanitate vtantur, & functiones rectè obeant) ea, inquam, consideratione dicitur *virtus perfecta, quæ vna in se virtutes continet omnes, vt neque Hesperus ita, neque Lucifer homines admiratione afficiat*, inquit Aristot. cit. cap. 1. Quo loco eandem virtutem, quam communem seu generalem appellârat, nouo nomine *legalem* vocat; quia versatur circa legem seu iustum legitimum, interprete S. Thom. quæst. 58. a. 5. Etenim in Republica legibus bene constituta omnia omnium virtutum officia præcipiuntur; *& ea quæ ad virum fortem pertinent; vt non deserere locum in acie, non fugere, non arma abijcere. Item quæ sunt temperantis; vt non committere adulterium, non libidine vti: Etiam quæ sunt mansueti: vt non pulsare, non conuitia dicere. Et in ceteris identidem virtutibus, atque vitiis; illa iubens, hæc vetans.*

Atque in hac significatione nomen *iuris* accepit Iureconsultus in l. Iustitia, ff. de iustit. & iure, cùm ait: *Iuris* (id est, iustitiæ legalis) *præcepta sunt honestè viuere, alterum non lædere, suum cuique tribuere.* Etenim Respublica quæuis triplici iure nititur: videlicet naturali æquitate, scripta lege, & consuetudine vetusta, sicuti colligitur ex l. 2. ff. de aqua pluuia arcenda. In sacris
quoque literis frequentissima est vsurpatio iustitię, pro quouis virtutis opere, quatenus per illud diuinæ legi ac voluntati conformamur, Matth. 5. *Beati, qui esuriunt, et sitiunt iustitiam.* Et cap. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Quemadmodum & è contrario omne peccatum iniustitia appellari solet, Ioan. 7. *Iniustitia in illo non est.* Roman. 1. *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum.* 2

Ad extremum aduertenda est doctrina S. Thom. cit. quęst. 58. art. 6. Iustitiam legalem seu generalem dupliciter se habere. Nam in principe siue Magistratu leges decernente ob Reipubl. commodum, inest quasi architectonicè: in subditis verò acceptantibus, & obseruantibus leges ob eiusdem Reipublicę commodum, inest ministerialiter, velut executioni mandantibus, quæ per Magistratum decreta sunt. Vide Arist. 3. polit. c. 3.

CAP. III.

De Iustitia particulari.

SVMMARIVM.

1 *Iustitiæ particularis proprietates sunt; Vt sit ad alterum; Vt versetur circa debitum: Vt reddat ad æqualitatem.*

2 *Inter Patrem & filium: inter dominum ac seruum: inter Maritum & vxorem non est iustitia simpliciter dictæ.*

3 *Neque religio erga Deum propriè dicta iustitia est: cùm non possit reddere ad æqualitatem.*

4 *Inter patrem & filium: Inter Maritum & vxorem: Inter Dominum & seruum, quod attinet ad bona ipsorum propria, videtur esse iustitia propriè dicta.*

PArticularis iustitia definitur ab Vlpiano in l. 10. ff. de iust. & iure. *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi.* Sensus est; Iustitiam esse habitum, siue bonam affectionem voluntatis, qua firmiter & constanter inclinamur ad tribuendum aliis, quod iustum est, siue debitum ad æqualitatem. Cui consentit definitio S. Thom. q. 58. art. 1. sumpta ex Arist. 5. Ethic. c. 2. *Iustitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate ius suum vnicuique tribuit.*

1 Porrò tum ex hac definitione iustitiæ, tum ex dictis cap. 1. colligitur, tria omnino ad proprietatem iustitiæ particularis necessaria esse. I. Vt sit ad alterum simpliciter. II. Vt versetur circa debitum. III. Vt reddat ad æqualitatem, sicut præter alios notauit Rebellus lib. 1. de prælud. iustitiæ, q. 2. s. 5.

2 Hinc infert S. Thom. 2. 2. q. 57. a. 4. ex Arist. 5. Ethic. c. 6. Inter patrem ac filium, dominum ac seruum, maritum ac vxorem, non esse iustitiam, ac iustum propriè ac simpliciter; sed secundũ quid, & per similitudinem: iustum, inquam, *paternum, herile, & Oeconomicum.* Nam iustitia particularis tendit ad alterum, id est, diuersum ab operante: & iustum particulare versatur inter partes, quæ exæquari possunt: Atqui filius non est omnino diuersus à patre; sed aliquid patris, veluti fructus ac portio decisa à patre, sicuti colligitur ex Aristot. 8. Ethic. cap. 11. Quamobrem tum commoda, tum incommoda filij in patrem redundant, ac vice versa. Seruus autem siue mancipium est possessio, & veluti instrumentum domini sui: quare quicquid acquirit, domino acquirit. Denique vxor in ijs rebus, quæ ad coniugij societatem, familiæque administrationem spectant, censetur veluti vnum corpus, siue vna caro cum marito, consentiente Apostolo ad Ephes. 5. Deinde filius parenti reddere non potest æquiualens: Nec seruus domino æquari potest: cùm, quantus est, domini sui sit. Vxor tamen marito ferme æqualis est, quippe in familiæ administratione eius socia; in iure autem coniugij omnino par: quapropter rectè dixit Aristot. 5. Ethic. c. 6. Iustum Oeconomicum magis ad proprietatem iusti accedere, quàm herile, ac paternum.

Ad traditam doctrinam tria addenda sunt: I. Licet iustum Paternum v. g. recedat à proprietate iusti, quod attinet ad æqualitatem inter diuersas partes statuendam; non tamen quod attinet ad rationem debiti. Imò maius debitum, actiórque obligatio est Pietatis, siue iustitiæ patris erga filium; & vice versa, quàm sit iustitiæ ciuilis, & simpliciter dictæ. Quod inde etiam colligimus, quia grauiùs censetur deliquisse filius, si in parentem impius & contumeliosus sit, quàm si in alium ciuem iniurius, sicut notauit Mol. to. 1. tr. 1. de iust. disp. 7.

3 Secundum. Quod Aristot. dixit de pietate filij erga parentem, deficere nimirum à proprietate veræ iustitiæ; idem nos dicere debemus de virtute Religionis erga Deum. Quamuis enim in nobis reperiatur perfectissima ratio debiti erga Deum; non tamen æqualitas, neque perfecta distinctio: Siquidem Dei opus, atque possessio sumus, eique æquiualens reddere haud possumus, sicuti Dauid indicat Psalm. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & explicat S. Thom. 2. 2. q. 80. a. 1.

Tertium, ex Soto lib. 3. q. 1. a. 4. Molina cit. disp. 7. Vasq. p. 1. disp. 85. c. 5. Rebel. loc. cit. num. 25. contra Caiet. 2. 2. q. 57. a. 4. Iustum paternum, herile, ac Oeconomicum propriè se tantùm extendunt ad ea bona, quæ filius patri; seruus domino; coniunx coniugi debent, quatenus tales personæ sunt: quod ad alia verò attinet bona, quæ inter se debent, v. g. ex aliquo contractu intercedente inter patrem ac filium emancipatum; vel etiam non emancipatum ex bonis eius castrensibus vel quasi castrensibus: item inter dominum ac seruum ex proprio peculio; & inter maritum & vxorem ex bonis paraphernis, &c. consistere potest iustum simpliciter: quandoquidem in istis se habent tanquam conciues, & partes distinctæ, quibus status ille patris ac filij; domini ac serui: vel coniugum, accidentarius est. Qua simili ratione, si ciuis cum Republica siue Communitate sua celebret emptionis v. g. cõtractum, obligantur inter se secundùm iustitiam particularem & propriè dictam: quia in eiusmodi contractu Respublica non habet se vt totum, sed vt pars ad partem. 4

Porrò exinde colligit Molina, si filius patrem in bonis temporalibus defraudet, peccare illum contra iustitiam simpliciter dictam: & non peccato impietatis, quo ius paternum violatur. Quare, inquit ille, *non tenetur filius confiteri furtum aut defraudationem factam fuisse patri: quoniam peccatum est eiusdem speciei, ac si aduersus alium factum fuisset; et quòd defraudatio in bonis temporalibus sit facta patri, non aggrauat, sed extenuat culpam.* Quæ doctrina vt vera, & secum ipsa consentiens sit, duo ei addenda esse putò: Primò. Licet inter patrem & filium, quod attinet ad eiusmodi bona, sit iustum simpliciter: non tamen omnino perfectum, sicuti notauit Bannes 2. 2. q. 17. art. 4. Cùm enim bona temporalia patris aliquo saltem modo ad filium pertinere censeantur: & vice versa, bona filij ad patrem, propter arctissimam inter eos tum naturalem, tum legalem coniunctionem: sequitur, cæteris paribus, non esse tam graue & tam perfectum peccatum iniustitiæ, si vnus alterum in bonis temporalibus defraudet: ideóque oriri quidem restituendi obligationem, sed plerumque non tam strictam, quàm si defraudatio alteri personæ facta sit. Secundò. Pœnitens interdum debet exprimere, se à patre furatum esse: si nimirum talis circumstantia faciat esse peccatum tantùm veniale, quod alioquin esset mortale: Idémque simili ratione dicendum de furtis, quæ inter coniuges fiunt: quamobrem neque in externo foro inter tales personas adeò coniunctas datur actio famosa furti: sed rerum annotarum, vt dicam infrà tract. 3. p. 1. c. 1. q. 2.

CAP. IV.

De speciebus Iustitiæ particularis.

SVMMARIVM.

1 *Duæ sunt species iustitiæ particularis: Vna commutatiua, quæ propriè est ad alterum, seu personam distinctam. Altera iustitia distributiua, quæ non est omnino ad alterum, sed totius ad partem.*

2 Iustitia commutatiua constituit perfectam, seu arithmeticam æqualitatē: distributiua verò æqualitatem geometricā seu proportionalem.
3 Iustitia vindicatiua plurimum recedit à veræ iustitiæ proprietate.

1 DVæ sunt particularis iustitiæ species, testante Arist. 5. Ethic. c. 2. & S. Thom. q. 61. a. 1. & 3. Iustitia commutatiua, & distributiua. Illa constituit iustum inter partes omnino distinctas, secundùm æqualitatem rei datæ ad rem acceptam: & dicitur commutatiua, quia in commutationibus, & potissimùm in contractibus occupatur. Hæc constituit iustum inter totum & partes, secundùm æqualitatem proportionum: & dicitur distributiua, quia occupatur in distributione communium bonorum, puta dignitatum, officiorum, &c. quæ in Republica vacantia, vel abundantia, partibus Reipubl. pro cuiusque statu, ac meritis distribui debent.

Hæc tamen diuisio iustitiæ non est in species vniuocas; sed analogas. Siquidem communis ratio ac proprietas iustitiæ particularis magis reperitur in commutatiua, quàm distributiua. Primò, quia illa propriè est ad alterum, siue personam distinctam: hæc non omnino ad alterum, sed totius ad partem: Pars autem non adæquatè siue totaliter à toto suo distinguitur.

Secundò: Illa respicit ius strictum, siue propriè dictum debitum, hæc autem ius, ac debitum latè acceptum. Strictius enim, & magis proprium ius quisque habet ad petendam rem sibi debitam, v.g. ex contractu emptionis, mutui, alteriúsue commutationis; quàm habeat aliquis qui in Republica dignior est, ad petendam dignitatem, beneficium. Quare maior quoque & strictior est iniuria illa, per quam commutatiua iustitia violatur; quippe quæ sola obligationem restituendi annexam habet, vt infrà dicam.

2 Tertiò: Iustitia commutatiua constituit medium simpliciter, videlicet perfectam & arithmeticam æqualitatem inter quantitatem rei acceptæ, & rei datæ: v.g. si æquum emi, atque accepi 20. fl. æstimatum, totidem dare debeo: & qui 30. furatus est, totidem restituere cogitur. Iustitia verò distributiua non constituit medium simpliciter, perfectum, inquam, & arithmeticam æqualitatem, qualis est inter duas quantitates, puta 20. & 20. Sed medium proportionum, quæ est æqualitas geometrica: v.g. sicut se habent 4. ad 2. ita se habent 8. ad 4. Vtraque enim proportio dupla est. Sic enim in distributione communium bonorum æquitas siue iustitia postulat, vt eadem seu æqualis sit proportio inter bona distribuenda, qualis proportio est inter status siue dignitates personarum, quibus distributio facienda est. Veluti, si dignitas vnius personæ duplo superet dignitatem personæ alterius, duplo plus illi tribui debet, quàm alteri. Quare si in distributione hostilium spoliorum v.g. militi alterum dignitatis vel meritorum gradum obtinenti 10. aurei obuenerunt: necesse est, vt ei qui in 4. dignitatis ac meritorum gradu positus est, 20. aurei obueniant. Vide de hac re Rich. in 3. d. 33. a 3. q. 1. & 4.

Iustitiæ simpliciter dictæ ac commutatiuæ duplices sunt commutationes, & inde ortæ obligationes, auctore Aristot. lib. 5. Ethic. c. 4. Aliæ voluntariæ, quæ mutuo paciscentium consensu constituuntur. Aliæ inuoluntariæ, quæ oriuntur ex delictis, quibus alteri inuito damnum iniustum infertur furto, detractione, homicidio, de quibus infrà tract. 5. Tametsi verò in hac posteriore specie iustitiæ commutatiuæ non semper ita appareat lucrum, sicut apparet damnum: (Nam qui alteri v.g. domum per iniuriam excussit, nihil lucri tulit, sed solum damnum intulit) nihil tamen hoc obstat iis quæ dicta sunt: quia nihilominus seruari potest æqualitas quasi cuiusdam commutationis; vt quantum acceptum, aut quantum damni illa tum fuit, tantundem restituatur, aut resarciatur.

3 Porrò præter has duas particularis iustitiæ species, commutatiuam, & distributiuam; tertia quædam est iustitia vindicatiua, similitudinem gerens cum commutatiua: quandoquidem secundùm quantitatem delicti, decernit & pœnam, iuxta illud Deuteron. 25. *Pro mensura peccati, erit & plagarum modus.* Re ipsa autem plurimùm deficit à proprietate, & solum fermè nomen iustitiæ commune habet. Nam commutatiuæ iustitiæ proprium est, quod acceptum, vel damnum illatum fuit, ad æqualitatem reddere ac compensare: id verò vindicatiua non præstat: siquidem pœna, quæ pro delicto infligitur, propriè non compensat, aut tollit delictum, vel damnum delicti.

CAP. V.

De iure Dominij & rerum diuisione.

SVMMARIVM.

1 *Ius aliud est in re, ex quo oritur actio realis: aliud est ius ad rem, ex quo actio personalis nascitur.*
2 *Dominium aliud est iurisdictionis, & aliud proprietatis. idque definitur: Ius perfectè disponendi de re, nisi lege quis prohibeatur.*
3 *Solæ substantiæ intellectuales dominij capaces sunt.*
4 *Homo totius spectabilis mundi propriè dominus dici non potest.*
5 *Diuisio rerum gentium iure introducta est: cùm iure primæuo ac naturali communis esset rerum possessio, ac dominium.*
6 *Quod est iuris naturalis præceptiui, mutari non potest; secus si sit iuris naturalis permissiui.*
7 *Ad acquisitionem dominij ordinariè duo requiruntur: titulus, & traditio.*
Titulus acquirendi dominij alius est verus: & alius bona fide præsumptus.
8 *Quibusdam casibus solus titulus, sine traditione vel apprehensione, sufficit ad acquirendum dominium: non item ad possessionem.*
9 *Hominis dominium tribus modis acquiri, siue seruitus constitui potest: Vel enim nascuntur serui, vel fiunt gentium iure per captiuitatem, aut ciuili iure per emptionem.*
Partus sequitur conditionem matris. Si tamen mater serua seu ancilla non sit, proles legitimè nata participat nobilitatem & familiam patris.
10 *Quod seruus acquirit, domino suo acquirit: nisi ea conditione datum sit, vt eius proprium maneat.*
11 *Serui fugere possunt à dominis suis, si in periculo animæ apud ipsos versentur.*
12 *Feræ animantes sub nullius dominio sunt: ideo primo occupanti naturali iure acquiruntur.*
13 *Si Princeps ius venandi in locis publicis, iusto aliquo titulo, proprium sibi vendicat, aliis meritò interdicit: sed venatores ob primam decreti præuaricationem corporali pœna afficere non potest.*
14 *Iniquus venator captarum ferarum dominium sibi acquirit: licet de damno illato in conscientiæ foro teneatur.*
15 *Venatio clericis prohibita est, præsertim quæ cum armis atque tumultu instituitur.*
16 *Si Princeps lege lata subditis venationem prohibeat, nulla interueniente pactione, aut renuntiatione ipsorum, obligatus est ad damna cauenda, & illata ipsis resarcienda: secùs, si per liberum populi consensum, vel simili titulo iusto Princeps ius venandi vt proprium acquisiuit.*
17 *Columbaria licita sunt, si leges & consuetudines loci obseruentur.*
18 *Ciues, siue incolæ in communibus locis ligna cædentes contra Magistratus prohibitionem, obligantur ad pœnam, si deprehendantur; non item ad restitutionem aliquam, nisi graue damnum dederint.*
19 *In publicis fluminibus non est licitum, absque Principis consensu, molendinum ædificare: in priuatis autem seu propriis fluminibus id concessum: modò per nouum molendinum antiquiori non auferatur commodum naturale. quod est aquæ deflexus. Qua tamen in re consuetudo regionis attendenda.*
20 *Quod per alluuionem fundo Titij adijcitur, ipsius fit: secùs, si per vim fluminis repentina adiectio fiat.*
21 *Rerum dominium acquiritur nobis per specificationem, accessionem, confusionem, commixtionem, ædificationem, implantationem, scriptionem, picturam.*
22 *Quæ in mare iacta ob naufragij periculum, vel incendio erepta sunt, ea proprijs dominis restitui debent, postulata laboris, & industriæ*

compensatione.

23 *Thesaurus in proprio fundo, vel in publico loco repertus ad inuentorem spectat: sed in alieno fundo casu inuentus, partim ad inuentorem partim ad fundi dominum pertinet.*

24 *Res inuentas, quarum dominus ignoratur, inuentor retinere, ac demum absumere potest, secundùm probabilem sententiam.*

25 *Bona vacantia ad fiscum deuoluuntur, & quandoque in causas pias erogari debent: si videlicet peregrinus ignotus absque testamento decedat.*

NOtandum inter alias iuris acceptiones, cap. 1. allatas, vnam esse pro *legitimâ facultate aliquid agendi, obtinendi, disponendi, vtendi, etc.* in quo si alterum absque iusta causa impedias, iniuriam ipsi inferre censeris. Exempli gratia: Si ego ius habeo ex arbore fructus colligendi, iniuriam mihi infert, qui absque iusta causa me impedit.

1 Ius secundùm hanc acceptionem duplex est: Vnum *ius in re*, & alterum *ius ad rem*. Ius in re dicitur, quod tribuit actionem realem, quæ vocatur rei vindicatio, lib. 6. tit. 1. ff. Quale ius habet Dominus in mancipio, cane, domo, veste sua. Ius ad rem dicitur, ex quo descendit obligatio & actio personalis. Vocatur autem actio *personalis*, quia proximè tendit in personam nobis obligatam ex contractu, vel delicto; puta ex mutuo, venditione, furto, &c. Quamuis autem hæc actio sit in ordine ad aliquid faciendum, & interdum ad rem aliquam tradendam, tamen cohæret personæ, ita vt contra alium rei possessorem institui non possit: v. g. si mutuò dedisti Titio 100. aureos, quos ille Sempronio donauit & tradidit. hoc casu actio personalis tibi contra Titium; nulla autem contra Sempronium competit, iuxta l. penult. C. de action. & obligat. iunct. §. omniũ autem, Instit. de actionibus. Præterea emptor ex contractu emptionis solùm agere potest aduersus venditorem ad tradendam sibi mercem, precio numerato: non item aduersus aliam personam, in cuius manus ac possessionem mers deuenit; nisi ipsi actio à venditore cedatur.

Actio autem realis dicitur, quia adhæret rei, eámque insequitur, adeò, vt in cuiuscunque possessionem res nobis obligata deuenerit, ab eodem reposci seu vindicari possit, l. officium, ff. de rei vindicat. Hæc actio realis variis modis competere potest: Primò & potissimùm ratione dominij directi, l. in rem, ff. de rei vindicat. siue illud cum vsufructu coniunctum sit, siue separatum, vt ex mox dicendis constabit.

Secundò, ratione dominij vtilis, puta vasallo, & emphyteutæ competit rei vindicatio vtilis, l. 1. iunct. Gloss. ff. Si ager vectigalis, &c.

Tertiò ratione quasi dominij, Publiciana in rem actio competit illi, qui cum titulo, & bona fide à non domino rem acceptam non omnino vsucepit: is enim Prætoria æquitate vendicare eam potest ab altero possessore; nisi exceptione se defendat, quòd legitimus rei dominus existat: vel nisi & ipse cum titulo non vitiosè rem possideat. tunc enim melior est conditio possidentis. Vide tit. ff. de Publiciana in rem actione, & §. sed istæ quidem, Instit. de actionib.

Quartò ratione seruitutis, competit Confessoria in rem actio illi, qui confitetur seu prætendit seruitutem sibi in re alterius competere, videlicet vt per alienum fundum ire, aut currus agere possit. Huic è diametro opponitur actio negatoria, per quam negamus alteri in re nostra seruitutem deberi, nisi eam demonstret. qua de re Institut. de actionibus, §. æquè, vbi Ioan. Faber annotauit; Confessoriam in rem actionem non solùm pro seruitutibus, sed simili ratione pro alijs incorporalibus iuribus competere posse: vt si quis me impediat recipere decimas, aliosve mihi debitos reditus ex re alterius; vel vti iurisdictione, iure præsentationis, iure pascuorum, quod mihi debetur.

Quintò ratione pignoris seu hypothecæ, competit actio Seruiana, per quam locator contra quemuis possessorem agit ad res, quæ à conductore scienter in rem locatam, ita vt perpetuo illic essent, inuectæ aut illatæ, sibique pro pensione & rei deterioratione tacitè obligatæ sunt. Cui affinis est actio quasi Seruiana, seu hypothecaria, per quam creditores pignora sua & hypothecas persequuntur, §. Item Seruiana, & quasi Seruiana, Institut. de action. Dicta est autem Seruiana actio à Seruio Prætore Romano, qui eius auctor erat; sicuti Publiciana à Publicio Prætore appellata fuit: cui similis ferme est Paulina, seu Pauliana actio à Paulo Iureconsulto ita vocata, per quam creditores res in fraudem alienatas à possessoribus rescissione eius quod actum est, reuocant: siquidem & hæc realis actio est respectu possessorum, à quibus res alienatæ reuocantur, §. item si quis, Instit. eod.

Hæc iuris, & inde ortæ actionis, diuisio ideo hoc loco à nobis breuiter ob oculos posita est; quia dominium, de quo ex proposito agemus, est species potissima iuris in rem; vnde propriè dicta actio realis, seu vindicatio rei nascitur.

Dominij vocem plerique à nomine *domus* deriuant: dominus enim dicitur qui familiæ præest. Petrus autem Gregor. Tholosanus lib. 1. Syntagm. cap. 12. num. 2. non congruè à verbo *domo* deducit: quia dominus vniuersim is dicitur, qui aliquid sibi subiectum habet: & dominium latè sumptum definiri potest, *facultas disponendi de aliqua re, tanquam sibi subiecta.*

Duplex est dominium: Vnum *iurisdictionis*, de quo dixi lib. 1. tract. 4. cap. 5. Alterum dominium *proprietatis*, quod solùm huc pertinet: est enim, vt dixi, species præcipua iuris in re. Nam dominus ius habet in mancipio, equo, veste sua; vt iis vti, ea alienare, & vno verbo, suo arbitratu de ijs agere ac disponere possit, nisi speciali lege prohibeatur. Porrò id notum est, quòd ius in re latiùs pateat, quàm dominium. Nam pignoris v. g. aut hypothecæ ius reale est, licet dominium rei ad alterum spectet. 2

Bartolus in l. si quis vi, §. differentia, ff. de acquirend. possessione, ita definit dominium: *Est ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Dicitur *ius*, id est, facultas, siue potestas. *Perfectè disponendi de re.* Quia Bartolo propositum fuit describere dominium plenum, siue perfectum: cuius duæ quasi integrantes partes sunt; videlicet dominium *directum* siue nuda *proprietas*, & dominium *vtile* siue *vsusfructus*. Nam rei proprietatem interdum ab vsufructu separari, manifestum est in feudo, emphyteusi, item in bonis aduentitijs liberorum, &c. de quibus suo loco. Etsi verò merus proprietarius, id est, ad quẽ sola proprietas spectat, rei dominus absolutè appellari soleat; Bartolo tamen placuit dominium non nisi plenum ac integrum, quod ex directo & vtili compositum est, definire.

Corporali. Nam rerum aliæ corporales sunt, aliæ incorporales, sicut constat ex tit. Instit. de rebus corporalibus & incorporalibus. Corporales sunt, quæ suapte natura tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: cuiusmodi sunt ea, quæ in iure consistunt, vt ius hæreditatis, vsusfructus, ius eligẽdi, ius præsentãdi. Itaque Bartolus censuit rerũ incorporaliũ, id est, iurium, non esse propriè dictũ dominiũ, sed quasi dominiũ; sicut nec propriè possessionẽ, sed quasi possessionẽ. Data opera dixi, *id est iurium.* Non enim negasset Bartolus, Deo Opt. Maximo, ratione creationis ac conseruationis, perfectissimum & maximè independens dominium in omnes, etiam incorporeas creaturas, competere: verùm ad propositum illius non pertinebat de diuino dominio agere; sed solùm de humano & politico.

Niſi lege prohibeatur. Nam interdum lex, etſi ab aliquo non auferat ipſum dominium, ſeu ius primum ac radicale diſponendi de re ſua; impedit tamen, ac veluti ligat exercitium ſiue vſum dominij. Quod aliis verbis dici poteſt; relinquere actum primum dominij, & auferre actum ſecundum. Ita enim v.g. pupillus, quamuis bonorum ſuorum dominus ſit, tamen ea arbitratu ſuo alienare non poteſt, quamdiu ſub tutoribus eſt, ſicuti notauit Apoſtolus ad Galat. 4. & videri poteſt Maior in 4. diſtinct. 15. quæſt. 11. dub. vltim. Nauar. comment. 1. de Regul. num. 12. Victoria relect. de Indis, part. 1. num. 20. Et bona maioratus ſeu primogenituræ verum dominium habent; etſi interdum vinculata ſint, id eſt, lege aliqua, vel diſpoſitione teſtatoris prohibita alienari, vt ſemper ad primum familiæ caput deuoluantur.

3 QVÆSTIO PRIMA. Quodnam ſit ſubiectum dominij? Reſpondeo; Solæ intellectuales ſubſtantiæ dominij capaces ſunt. Probatur. Dominium eſt facultas de re aliqua ſuo arbitratu diſponendi. Talis autem facultas ſine intellectu & libertate arbitrij haud conſiſtit. Ergo, &c. Hinc ſcriptum legimus cap. 1. Geneſis. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, vt præſit piſcibus maris, beſtiis terræ, &c.* Quibus verbis cauſa redditur, cur homini dominium in bruta animantia competere poſſit, quia conditus eſt ad ſimilitudinem Dei, quæ poſita eſt in intellectu, & voluntatis libertate.

Corollarium. Bruta dominium non habent ſuper terræ gramina, quibus paſcuntur: neque qui ea prohibet, iniuriam ipſis infert, ſed eorum domino. Vide S. Tho. iuncto Caiet. 2.2.q.66.a.1. Victoriam l.c.

4 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum homo totius huius mũdi corporei dominus verè ac propriè dici poſſit? Reſpondeo cum Leſſ. lib. 2. cap. 4. dub. 8. Rebello quæſt. 7. prælud. ſect. 5. Vniuerſim ita dici non poſſe. Nam earum rerum aliquis dominus eſt, de quibus arbitratu ſuo diſponere poteſt. Atqui curſus cœlorum, aſtrorum, nubium, &c. imperio ac libertati hominis ſubiectus non eſt: Ergo horum dominus verè dici non poteſt. Volatilium autem cœli, & piſcium maris, ferarúmque terreſtrium animantium licet homo in ſtatu innocentiæ dominus extiterit, iuxta verba Gen. cap. 1. *Dominamini piſcibus maris, et volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram*; (quamobrem rectè docet S. Thom. 1 part. quæſt. 96. a. 1. ad 3. ea naturali inſtinctu homini in illo ſtatu obeditura fuiſſe; ſicuti grues ducem ſequuntur, & apes regi obediunt) poſt lapſum tamen in peccatum, homini in feras propriè dominium non competit; ſed tantùm remotè, ac quaſi dominium, quatenus ius habet eas capiendi, occidendi. Cum igitur S. Thom. cit. quæſt. 96. art. 2. & 2. 2. quæſt. 66. art. 1. vniuerſim ait, *homini naturale dominium ſuper cæteras creaturas* (corporeas) *competere*; dominij nomen latè accipit, pro ſubiectione ſiue ſubordinatione rationis finis: omnes enim reliquas corporeas ſubſtantias in hominis gratiam, vtilitatémque à Deo conditas eſſe, ipſe rerum conditarum ordo ac diſpoſitio apertè demonſtrat. Quare & Ariſtot. dixit. 2. Phyſ. tex. 23. *Sumus enim & nos quodammodo finis*, puta rerum aſpectabilium & corporearum. Dicit autem *quodammodo*, quia finis earum vltimus ac ſimpliciter dictus eſt, DEVS.

Porro hoc loco non agimus de Chriſto, qui quatenus homo, diuinitati hypoſtaticè vnitus, poteſtatem & dominium ſuper omnes res creatas, ideóque ſuper vniuerſum mundum, & omnia eius regna à Patre cœleſti accepit, iuxta illud Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Ioan. 13. *Omnia dedit ei Pater in manus.* Et Apoſt. 1. ad Corinth. 15. de Chriſto ait: *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, &c.* ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Et ad Hebr. 1. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Quamuis per hoc dominium Chriſti vniuerſale, nihil decedat dominio particulari aliorum hominum. Vide Mol. t. 1. tract. 2. diſp. 28.

QVÆSTIO TERTIA. Quo iure rerum diuiſiones ac proprietates inſtitutæ ſint? Reſpondeo; Gentium iure inſtitutas fuiſſe. Nam, vt Iſidorus teſtatur in c. ius naturale, d. 1. & S. Thom. 2.2. q. 66. a. 2. ad 1. iure naturali ac primæuo communis erat rerum poſſeſſio, atque dominium: neque etiam credibile eſt, homines rerum ſibi à Deo communiter donatarum diuiſionem aliquam inſtituturos fuiſſe, niſi in peccatum lapſi fuiſſent. Siquidem in ſtatu innocentiæ admodum felici, ſummáque hominum inter ſe concordia, nulla poterat eſſe cauſa ſiue neceſſitas diuidendi: atque per ſe decens, & ad humani generis dignitatem ac magnificentiam magis pertinens eſt, vt huius mundi bona communiter poſſideantur. Verùm in ſtatu naturæ lapſæ, quando terra ſpinas & tribulos germinabat, niſi hominum labore coleretur: homines verò ad laborem ſegnes, & ſæpe debiles: inſuper pluribus cupiditatibus atque inſatiabili rerum deſiderio æſtuantes erant: omnibus gentibus expedire viſum fuit, ad communem egeſtatem, animorum diſſenſiones, atque alia cauenda mala, rerum diuiſiones ac proprietates inſtituere. Quare ſtatim Gen. 4. legimus, Abel & Cain propria peculia habuiſſe, & obtuliſſe Deo de primogenitis gregis ſui. Atque in hunc modum explicari debet, quod refertur tanquam Clementis Romani dictum in c. dilectiſſimis, 12. q. 1. *Omnis vſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, omnibus hominibus communis eſſe debuit: ſed per iniquitatem* (occaſionem præbente iniquitate primorum parentum) *alius dixit hoc eſſe ſuum, alius illud.* Videri poteſt Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 10. 5

Corollarium. Cùm in quibuſdam Regularium Communitatibus partim Prælatorum vigilantia, partim ſubditorum virtute ac obedientia fieri poſſit, ac ſoleat, vt mala omnia declinentur, quæ alioquin ex communi rerum dominio & poſſeſſione oriuntur: ideo etiam hodie expedit, atque ad maiorem ſtatus perfectionem confert, vt commune inter eos maneat bonorum dominium, ſine vlla ſingulorum proprietate.

Nunc obiectio ſoluenda eſt, quæ à multis proponitur. Quæ iuris naturalis ſunt, hominum poteſtate ac iure tolli vel mutari non poſſunt, ſicut conſtat ex Clem. paſtoralis, de re iudic. prope finem, &c. ſuper eo, de vſuris, & docet S. Thom. 1. 2. q. 94. a. 5. Atqui communis rerum poſſeſſio & dominium, iuris primæui ac naturalis eſt, vt dixi. Ergo hominum poteſtate, ſeu gentium iure tolli non potuit. Reſpondeo, cum S. Thom. cit. a. 5. ad 3. & 2.2. q. 66. a. 2. ad 1. Duobus modis aliquid eſſe poteſt de iure naturali: videlicet præceptiuè, & permiſſiuè. Illud dicitur eſſe de iure naturali præceptiuè, cuius oppoſito ius naturale reſiſtit, ideóque humana lege ſtatui non poteſt. Sic v.g. lex naturalis præcipit, ius ſuum cuique reddendum, parentes honorandos eſſe: cuius oppoſitum nulla lege, vel hominum conſuetudine decerni poteſt. Illud verò dicitur de iure naturali permiſſiuè, cuius oppoſito ius naturale non reſiſtit, quamuis etiam illud non ſtatuat: ſed permittat hominum voluntate ſuperaddi. Naturam enim lex & ars perficit. Simili quodam modo dici poteſt, nuditatem eſſe homini naturalem non præceptiuè, ſed permiſſiuè: quia natura hominem non veſtit: nec vetat tamen, ſed permittit hominẽ ab arte veſtiri: Ita etiam lignum à natura nudum & informe procreatur, formabile tamen per artem. Eadem prorſus ratione rerum communio naturalis iuris eſt non præceptiui, ſed permiſſiui: ideóque rerum diuiſio ac proprietas, licet à naturæ lege non ſit, non tamen eſt contra naturæ legem. Vide etiam Scotum in 4. d. 15. q. 2. art. 1. Nau. in c. ita quo- 6

tun-

rundam, Gloss. penult. num. 7. de Iudæis, Felicianum de Solis lib. 1. de censibus, cap. 1. num. 7.

Sed instabit aliquis: Ante rerum diuisionem, gentium placito introductam, ius naturale præcepit, neminem prohibendum esse ab apprehensione & vsu quarumcunque rerum, quibus indigebat: Post diuisionem autem ius naturale desijt ita præcipere: Ergo ius etiam præceptiuum lege humana mutatum fuit. Respondeo concedendo antecedens, & distinguendo consequens: Ius naturale mutatum non est, neque vnquam mutari potest per se, ac directè, ita vt nulla facta mutatione in obiecto, eius obligatio immutetur, aut desinat. At verò nihil prohibet ius naturale, eiúsque obligationem mutari, ac desinere indirectè, & per accidens; si videlicet apposita aliqua circumstantia, mutatio fiat in obiecto, sicuti explicat Molin. tom. 1. tract. 2. disput. 20. conclus. 2. Quemadmodum enim visionem, & cuiusque potentiæ actum suapte natura mutari necesse est, facta mutatione in eius obiecto; ita etiam mirum non est, si lex naturæ, conscientia, siue dictamen rationis nostræ varietur, facta appositione, aut variatione in obiecto illius. Sic v. g. lex naturalis dictat, bonæ fidei possessori, postquam intellexit rem à se possessam alterius esse, eidem restituendam: desinit tamen ita dictare, accedente lege humana vsucapionis, quæ boni publici causa, post certi temporis decursum, dominium rei possessori adiudicat. Item lex naturalis, præcisè spectata, præcipit matrimonium mutuo maris ac fœminæ consensu, licet clam celebratum; & voluntatem defuncti duobus v. g. aut tribus testibus confirmatam, seruari oporteré: desinit autem ita præcipere, posteaquam publica potestate eiusmodi contractus, vel testamentum iusta de causa infirmatum fuit. Qua de re vide quæ doctè disserit Adrianus in 4. de sacram. matrim. q. 1. §. Adrationes.

Pari igitur modo, stante ab initio rerum communione, ius naturale dictabat, neminem prohibendum esse ab apprehensione & vsu rerum, quibus indigebat. Introducta autem rerum proprietate, adeóque facta mutatione in obiecto, iam ius naturale contrarium dictat; videlicet furti iniuriam committere eum, qui, extra extremæ necessitatis casum, rem aliquam accipit, inuito illo, ad quem propriè pertinet. Vide Suarez lib. 2. de legibus, cap. 14. Rebel. quæst. 2. prælud. sect. 3. & 4.

Veruntamen à rerum diuisione ac proprietate excipiendus inprimis est casus necessitatis extremę, si aliquis ad vitam sustentandam, seu à morte liberandam re aliqua indigeat. Nam rerum diuisio gentium iure aliter introduci non potuit, nisi excluso hoc casu. Quare dici solet; *In extrema necessitate omnia communia esse.*

Præterea in rerum diuisione gentium iure instituta; quædam omnium consensu ac placito communia manserunt, de quibus tit. Institut. de rerum diuisione: videlicet aer, imber, & littora maris. Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur: Flumina item omnia, ac portus publica siue communia sunt: quare in his nauigandi, piscandi ius ius omnibus commune est. Riparum quoque vsus publicus est, gentium iure: ideóque naues ad eas appellere, funes arboribus religare, onus in his reponere cuiuis liberum. Quamuis eiusmodi iura propria fieri per præscriptionem temporis immemorialis, docent DD. l. vlt. ff. de vsucap.

Vniuersitatis, & non singulorum sunt, quæ in ciuitatibus sunt theatra, stadia & his similia. Denique nullius sunt res sacræ & religiosæ: *quod enim diuini iuris est, id in nullius hominis bonis est.* Feræ item bestiæ, (vt volucres, ac pisces) nullius sunt: sed simul atque ab aliquo captæ fuerint, iure gentium ipsius esse incipiunt. *Quod enim antè nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur.*

7 QVÆSTIO QVARTA. Quænam ad acquisitionem dominij seu pleni, seu non pleni requirantur? Respondeo. Ordinariè duo requiruntur; titulus, ac traditio: quorum neutrum per se solum sufficit, sicut constat ex l. 20. Cod. de pactis: *Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum; non nudis pactis transferuntur.* Et l. 31. ff. de acquirendo rerum dominio: *Nunquam nuda traditio transfert dominium; sed ita, si venditio, aut aliqua iusta causa præcesserit*, propter quem traditio sequeretur.

Titulus dicitur, quod est velut radix, origo, siue ratio fundandi dominium: v. g. emptio est titulus, id est, iusta causa comparandi dominium mercis: & legitima electio ad regnum, vel beneficium Ecclesiasticum, est titulus, siue iusta causa acquirendi dominium regni, vel quasi dominium beneficij. Cæterùm, per titulum ordinariè acquiritur tantùm ius ad rem, atque actio personalis: quare, vt etiam acquiratur ius in re, siue dominium, insuper requiritur traditio, atque apprehensio rei.

Titulus acquirendi dominij alius verus est, cuius exempla suprà dedi. Alius præsumptus, qualis est in rei alienæ bonæ fidei emptore, donatario: Possident enim rem ex præsumpto titulo donationis, emptionis: siue, vt iura loquuntur, pro donato, empto, existimantes donatorem, vel venditorem fuisse rei dominum, cui proinde alienandi ius competeret. Porro, qui absque titulo tam vero, quàm præsumpto, rem possidet, tanquam suam, is malæ fidei possessor dicitur.

8 In quibusdam verò casibus solus titulus, sine traditione apprehensionéve, ad transferendum dominium sufficit: I. Sola collatione & acceptatione (quæ inter absentes etiam fieri potest) acquiritur ius in re, & quasi dominium beneficij Ecclesiastici, ante eius apprehensionem, iuxta cap. si tibi absenti, de præbend. in 6. II. Sola aditione, siue acceptatione hæreditatis acquirit hæres dominium bonorum defuncti, ante eorum apprehensionem ac possessionem, l. cùm hæredes, ff. de acquirend. possessione. Quòd si verò aliquid legatum sit in specie indeterminatum, v. g. 100. aurei, vel sex vini plaustra: tunc legatario conceditur actio hypothecaria, ob realem obligationem quam habet in bonis defuncti, vt ex ijs legatum sibi soluatur, ad quemcunque possessorem deueniant, iuxta l. 1. Cod. communia de legatis, & docent Doctores communiter apud Molin. tom. 1. tract. 2. disput. 3. §. quando verò. III. Legatarius alicuius rei determinatæ, cùm primùm hæres hæreditatem adijt, rei legatæ dominium acquirit, iuxta l. si tibi homo, §. cùm seruus, ff. de legatis 1. & l. à Titio, ff. de furtis. IV. Si alicui donatio facta sit sub modo seu conditione, vt donatori alimenta præstentur: donatarius autem conditionem implere negligat, dominium rei donatæ absque traditione reuertitur ad donatorem, vt à quouis possessore eam vendicare possit, iuxta l. 1. Cod. de donationibus, quæ sub modo. V. Ex titulo donationis, venditionis, alióve simili, ante traditionem acquiritur dominium ciuitatibus, Ecclesiis, aliisque pijs locis, ob speciale priuilegium l. vlt. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis. Quare si fundus v. g. Ecclesiæ venditus, vel donatus, postea alteri vendatur, ac tradatur, Ecclesiæ competit rei vindicatio aduersus posteriorem emptorem: quippe cui nullum ius dominij in re empta, cum præiudicio Ecclesiæ, acquisitum fuit, sicut ex communi docet Couar. lib. 2. resol. c. 19. num. 2.

Denique certum esse debet, Principem donatione, feudi concessione, &c. posse, si velit, in donatarium rei dominium transferre, absque eius traditione, vel

apprehensione: quamuis, si id non exprimat, secundùm communes leges donatio facta censeri debet, sicuti annotauit idem Couar. num. 3. Aduerte tamen, licet in dictis casibus dominium rei acquiratur ante apprehensionem; non tamen acquiri eiusdem possessionem, sicuti constat ex cit. l. cùm hæredes; vbi generalis regula statuitur, quòd *possessio, nisi naturaliter apprehensa sit, ad nos non pertinet*. Nam, vt dicitur in l. naturaliter, ff. de acquirend. possess. *nihil commune habet proprietas cum possessione*. Fieri enim potest, ac sæpe solet, hunc quidem esse verum rei dominum; alium verò possessorem: quia dominium iuris est; possessio magis facti, vt infrà dicam. Atque hanc doctrinam leges in Gloss. l. vltim. Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, ver. in rem, & apud Andream Gall. lib. 2. obser. 152. num. 9.

9 QVAESTIO QVINTA. Quibus modis hominis dominium alteri acquiri, seu seruitus personæ constitui possit? Respondeo ex Institut. tit. de iure personarum, §. penultimo. Tribus potissimùm modis: Vel enim nascuntur serui; vel fiunt, Nascuntur ex ancillis: Fiunt vel iure gentium per captiuitatem; vel iure ciuili per emptionem.

Primus igitur titulus comparandi dominium hominis est *conditio natiuitatis*. Pro qua re regula traditur in l. partum, Cod. de rei vindicat. Quòd *partus sequitur ventrem*, seu *conditionem matris*; adeò, vt non considerato statu patris, ex serua seruus, ex libera liber nascatur, sicuti constat ex tit. Instit. de Ingenuis, cap. 1. de seruis non ordinandis, & cap. vnic. de natis ex libero ventre. Idémque indicauit Apostolus ad Galatas 4. Agar, quæ erat ancilla Abrahæ, in seruitutem generasse, siue filios non liberos Abrahæ procreasse. Ratio huius gentium constitutionis est, tum quia mater ancilla propter partum subtrahitur seruitio domini, & sæpe mortis periculo exponitur; quare æquum est, vt pro hoc damno, vel periculo damni, partus eius ad dominum ancillæ spectet, iuxta iuris regulam 55. in 6. *Qui sentit onus sentire debet commodum, & contrà*. Quamuis ob fauorem libertatis statutum sit, vt siue mater solo tempore conceptionis, siue tempore natiuitatis, siue intermedio, libera aut libertati donata extiterit, proles ingenua ex ea nascatur, Institut. de ingenuis, §. sufficit.

Quod verò attinet ad honores, nobilitatem, & familiam, proles legitimè nata sequitur conditionem patris, l. cùm legitimæ, ff. de statu hominum. Dummodo mater serua, siue ancilla non sit: cùm enim ex ea natus seruus sit, vt suprà dictum; non est capax ciuilis nobilitatis, aut dignitatis. Quia, quod attinet ad ius ciuile, *serui pro nullis habentur*, regul. 33. ff. Existimat tamen Sanchez lib. 7. disput. 24. num. 4. Natum ex patre nobili, & matre ancilla, postquam libertati redditus est, patris nobilitatem recuperare; quasi nobilitatis status, quem iure sanguinis à patre traxit, per seruitutem non sit omnino extinctus, sed interim sopitus: quod licet probabile ac pium sit, tamen neque lege decretum, nec consuetudine receptum videtur.

Alter titulus *captiuitatis* est. Nam gentium iure mancipia, seu manu capti in bello iusto, capientium *serui* efficiuntur; ideo sic dicti, quòd illos, cùm occidere domini possent, seruare maluerunt, §. serui, Institut. de iure personarum. Verùm per consuetudinem temporis diuturnitate stabilitam inter Christianos receptum est, vt si ipsi inter se bellum gerant, capti capientium serui non efficiantur. Vide etiam quæ dixi libro secundo, tractatu tertio, cap. 12. numero 16.

Tertius titulus est *emptionis ac venditionis*, de quo dicam infrà hoc lib. tractat. 4. cap. 17. num. 18. His verò adijci potest alius titulus, quo dominium in hominem alteri acquiri potest; videlicet, sententia Magistratus, qua aliquis ob delictum, tali pœna dignum, in seruitutem alterius redigitur. De quo vide Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 33. §. secundus titulus. & Gabr. in 4. distinct. 15. q. 5. notab. 3.

10 Porrò ius dominij in seruos extendit se ad omnes eorum operas, fructus, & reliqua emolumenta; vt quæcunque seruus acquirit, domino suo acquirat, sicuti constat ex §. 1. Institut. de his qui sui vel alieni iuris sunt. Præterquam, si quid seruo, ea expressa vel tacita conditione donatum aut relictum sit, vt eius proprium maneat: Vel si ipsemet dominus seruo aliquid tali modo donauit, vel aliter cum eo, vt homo quidam, pactus est, id naturali iure, atque in conscientiæ foro obseruari debet, sicuti docet Molin. disput. 38. in fine, Sanchez libro 7. disput. 24. num. 24. & colligitur ex l. is qui, ff. de manumissionibus. Præterea, licet iure antiquo Gentilium, domini in seruos suos vitæ, necisque potestatem haberent, id tamen meritò correctum, statutúmque in l. 1. ff. & Institut. tit. de his qui sui, vel alieni iuris sunt; Vt qui sine iusta causa proprium seruum occiderit, perinde puniatur, ac si alienum occidisset: sed & maior asperitas, seu sæuitia dominorum in seruos impunita non maneret.

11 Multò verò minùs potestas domini in seruum extendit se ad interiora animæ, vel spiritualem eius salutem: quare rectè docuit S. Anton. part. 3. tit. 3. cap. 6. §. 7. Gabr. in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2. dub. 3. Molin. cit. disp. 38. Seruo licitum esse à domino suo aufugere, si per eius malitiam in periculo mortaliter peccandi constituatur; neque obligari ad reuertendum, dum periculum tale perdurat. Et Syluest. ver. furtum, quæst. 6. Nauar. cap. 17. num. 103. Molin. tract. 2. disp. 37. §. ab hac conclusione, annotârunt; licet bello iusto captis, & ob pœnam in seruitutem redactis, secundùm multorum sententiam fugere non liceat, excipiendum tamen esse, nisi captiuus, v. g. fidelis, iustè captus ab infidelibus, apud eos de salute periclitaretur: quamuis etiam hoc casu fugiens aliam illis compensationem facere deberet, si posset; præterquam, si ab eis quoque vicissim iniuriam accepisset, vt deficiente legitimo Iudice, qui ipsi ius dicat, ipsemet iniuriam cum iniuria, modò ea æqualis sit, compensare possit. Vide tamen, quæ dixi libro præcedenti, tractat. 3. cap. 12. numero 16.

Porro seruorum nomine hîc non comprehenduntur serui originarij, seu ascriptitij, quia licet hi speciem quandam seruitutis gerant; propriè tamen serui non sunt, sed homines liberi, sicuti inter alios notauit Gabr. in 4. distinct. 15. quæst. 5. art. 2. conclus. 5. Quare neque ab actibus legitimis repelluntur: quamuis ad ordines non admittantur, sine consensu domini, vti dixi lib. 1. tract. vlt. c. 8. num. 2. Neque à dominis suis vendi possunt: & quæ operis suis lucrantur, sibi, non domino acquirunt.

QVÆSTIO SEXTA. Quomodo animantium, præsertim ferarum, dominium acquiratur, & retineatur? Respondeo. Inter animantes quædam suapte natura mansuetæ sunt, vt canes, &c. Et hæ tametsi longiùs à conspectu abscesserunt, aut fugerunt; emortuarum quoque carnes, pelles, & quidquid ex eis reliquum fuit, ad proprios dominos pertinet, iuxta l. Pomponius, ff. familiæ herciscundæ, & §. Gallinarum, Institut. de rerum diuisione. 12 Quædam suapte natura feræ sunt: quarum aliquæ assuetudine cicurantur: vt cerui, columbæ, accipitres. Et hæ ad proprium dominum spectant, dum animum & consuetudinem ad ipsum reuertendi retinent, vel custodia eius coërcentur. Postea verò quàm reuerti desierint, ad naturalem feritatem, libertatémque redijsse censentur, & fiunt primò occupantis. Eadémque ratio est de apum examine, spectato communi

iure. Aliæ autem feræ sunt, quæ cicurari non possunt, vt apri, pisces, & pleraque auium genera: quorum dominium quisque acquirit capiendò, retinet verò, quamdiu ipsius custodia coërcentur, vt cerui in viuariis, apes in aluearíis, pisces in lacubus, aues in cauernis. Postea verò quàm in naturalem libertatem se receperunt, vt earum consecutio difficilis sit, desinunt esse illius, & primò occupanti cedunt, nisi loci consuetudine aliter obseruetur. Videri potest Gloss. in §. singulorum, Institut. de rerum diuisione.

His adde, si custodia, qua feræ conclusæ continentur, magnæ vastitatis sit, & magis natura loci, quàm hominum industria constituta, vti sunt cerui in saltibus, pisces in stagnis, aut riuis, ideóque illorum captura difficilis, & dubia existat, tunc feras manere in naturali libertate, atque ad nullius dominium spectare, vti habetur in l.3.§.itẽ.ff.de acquirend.possess. & tradit Couarruu.reg.peccatum, part.2. §.8.num. 15. Molin. tom. 1. tract.2. disput. 41. Quare qui feras per iniuriã extrahit, propriè furtum non committit; sed iniustum damnum, ad cuius compensationem obligatur, & in foro externo, inspecta qualitate facti, puniri solet.

Illud dubitatum est, si fera bestia ab vno vulnerata, ab altero capta sit, vter eius dominus existat? Iureconsulto in l.naturalem, §. illud quæsitum, ff. de acquirend.rerum dominio, visum est, pertinere ad capientem, & non ad vulnerantem: quia multa accidere possunt, vt eam, qui vulnerauit, non capiat. Ex qua responsione colligunt DD. Mol. disp. 42. Less. lib. 2. c. 5. dub. 10. Si fera tale vulnus accepisset, vt certò constaret, percussoris manus effugere non posse, eidem tradendam esse: sin autem dubiam sit, inter vtrumque diuidendam, secundùm dubij proportionem.

Simile dubium est. Si vnus aui laqueum tetendit, alter extraxit, ad vtrum pertineat? Ad extrahentem respondet Nauar. c.17. n. 176. Couar.reg.peccatum, p.2. §.8. n.13. Sed rectiùs Sa ver.venatio. Mol.l.c. restituendam esse ei, qui laqueum posuit; si certò eam capturus fuisset, nisi alter præuenisset. Habet enim ius extrahendi auem, qui proprio eam laqueo irretiuit. Quamuis in externo foro aliter fortasse iudicabitur, propter sentẽtiã Proculi l.in laqueũ, ff.de acquir. rerũ dominio.

13 Porro ferarum animantium venatio, iure alioquin gentium omnibus concessa, duplici ex capite illicita efficitur: Primò. Si Princeps iusto aliquo titulo, tale ius vt proprium acquisiuit; puta quia populus ab initio liberè consensit, vel quia iusto bello victus, per modum pœnæ iure venandi priuatus est. Secundò, si à temporis vetustate, cuius initij memoria nulla extat, ius venandi in locis publicis Princeps, vel Magistratus sibi proprium vendicauit: tunc alij iniuriam inferunt, & iustè puniri possunt, qui contra ius & decretum Principis venari præsumunt.

Quænam autem pœna in eiusmodi venatores iustè decerni possit, disputant Doctores. Respondeo, & dico primò. Venatores ob primam decreti præuaricationem, pœna corporali affici non possunt, sed alia mitiore. Ita Sotus lib.4.de iust.q.6.a. 4. Syl. ver. venatio, in fine, Nau.c.17.n.120. Mol.t.1.tr.2.disp.46.in fine Andr. Fachinæus p.1.controu.iuris, lib.1.controu.1. Ratio est, quia crimen per se tam graue non est, vt tam magnam pœnã mereatur. Nisi fortè iniquus venator Principis insuper venatoribus, aliisue Officialibus mortem minatus, & minas exequi paratus fuerit: nam hoc casu multùm eius delictum aggrauatur.

Dico II. Si crimen non semel, sed sæpius commissum, ac frequentatum sit, vt magna temeritas, contumacia, & quasi contemptus legis appareat, pœna corporali affici poterit criminosus. Ita docet Fachin.concl.4. & indicat Nau.l.c. & confirmat praxis multorum Magnatũ. Nam crimina repetita grauiùs punienda esse, notant Gl. & DD. in l.3.c.de Episcopali audientia.

Dico III. Iniquus tamen venator in conscientiæ foro non tenetur captas feras, ante Iudicis sententiã, Principi restituere: quandoquidem earum, in locis publicis sub nullius potestate existentium, per captionem dominium acquisiuit. Ita docet ex cõmuni Sotus l.c. Maior in 4.d.15.q.10. §.tertiò circa hanc quæstionem. Medina de rebus restituendis, q.12.ad 2. Couar.regula peccatum, p.2.§.8.n.11. Mol. disp.51. Lopez p. 1. instruct. c. 148.cõcl.3. Pet.Nau.l.3.de restit.c.1.num.283. Vasq.de restit.c.5.§.2.dub.6. Nihilominus tenetur de damno illato. Quare si nullũ aliud damnum iniquus venator intulit, quàm quòd vnicum v.g. ceruum sclopo traiecit, in conscientiæ foro non obligatur ad integrum corpus, eiúsue pretium restituendũ: cùm valde incertũ sit, vtrũ Princeps ceruum hunc aliquando capturus fuisset: sed restituere debet, quantùm moraliter æstimatur spes, siue ius capiendi huius cerui, quo Principem priuauit, sicut rectè notat Couar.cit.n.11.§. præterea, Medina cit. q.12.ad.3 §.vnum tamen, Pet.Nau.cit.c.1.n.298. Mol.l. suprà cit. Eadémque ratio est de captura piscium in fluminibus, vel stagnis, contra ius alterius. 14

Porro non omni ex parte placet, quod docet Less. l. 2.c.5.dub.9.n.44. Venari in loco publico, venationi Principum iustè assignato, esse peccatum veniale; nisi graue damnum inferatur, capiendo feras multas, aut pretiosas, vel reddendo eas fugaces, vt difficilis postea capturæ existant. Si enim ius in loco publico venãdi soli Principi competit, sequitur venationem alterius esse iniustam, siue peccatum contra iustitiam, ex genere suo mortale: ipsáque iniuria hæc, seu violatio iuris Principi competentis, magni æstimari solet. Vide quæ dixi lib. 1. tr.4.c.14.n.3.

Obijcies contra dicta. Nemo per actionẽ iniuriosam ius sibi acquirit: Atqui venatio, de qua suprà egimus, est iniuriosa Principi. Ergo per eam iniquo venatori nõ acquiritur ius in captã feram. Respondeo, maiorem veram esse, si actio, per quam ius acquiri debeat, formaliter & intrinsecè sit iniuriosa: implicat enim contradictionem, vt acquisitione iniusta, quod iustum est, acquiratur; falsam autem esse maiorem, si actio sit extrinsecè tantùm iniuriosa, & non quatenus formaliter acquisitiua huius iuris. Exempla plura adduci possunt: Si enim vi aliquẽ iniusta adigas ad vendẽdum tibi equum, iniustus est ex parte tua contractus; & tamen validus, si quæ emptioni, & venditioni substantialia, adsint, videlicet mutuus consensus in mercem pro pretio, sicuti ex probabiliore dixi l.1.tr.2.c.6.n.8. Itẽ si Princeps iusta de causa prohibeat, ne quisquã frumẽtum, v.g. pro exercitu aduectũ, emat, præter milites, iniusta est emptio frumenti ab alio celebrata, & tamen valida; modò Principi animus non fuerit emptores intrinsecè inhabiles reddere ad emptionẽ; sed tantũ extrinsecè ius ipsis emẽdi adimere: quemadmodũ etiã in nostro casu Magistratus ita aliis priuatis ius venandi interdicit, vt tamen non velit eos incapaces reddere acquisitionis dominij ferarum.

Secundò prohibita est venatio Ecclesiasticis personis 15 in c.quorundã, d.34.c.1.de clerico venat. & Tridẽt.sess. 24.c.12.de reform. Quod pręcipuè intelligi debet, si venatio instituatur cũ armis, tumultu, canũ clamore, sicuti notant Abbas, & alij Canonistæ in cit.c.1. Ratio est: Tũ quia talis venatio per se dedecet statum clericalem; tũ quia à grauioribus spiritualibus occupationibus auocat, populóq; scandalũ præbet, præsertim si frequenter fiat. Aiunt verò Caiet.ver.clericorum peccata, Abb. l. c. Mol. disp. 44. Rebell. q. 14. Prælud. s. 2. n. 10. Sa ver. venatio, n. 4. §. clericis; Ex sola causa venationis, & nisi aliud adiunctum sit, non esse facilè clericum damnandum mortalis peccati. Imò, spectatis circumstantiis loci, personarum, fieri potest, vt omni culpa vacet venatio rara, & moderata à clerico

etiam cum canibus instituta; vel necessitatis, vel exercitij causa. de quo vide Abb. in cit. c. 1. de clerico venatore, Syl. ver. venatio, Maiorem in 4. d. 15. q. 14. Medinam cit. q. 12. de restit. Valentiam t. 3. disp. 5. q. 6. p. 1. q. 8. Rebellum, & Sa ll. cc. Lessium dub. 9. n. 40. Porro Religiosos adhuc magis venatio dedecet, eisque prohibita est in Clem. 1. de statu Monach. §. porro.

Quæstio septima. Vtrum Magnates, qui ius venandi feras proprium sibi vendicant, debeant cauere damna, quæ ex ferarum multiplicatione subditorum agris infecuntur, ad eorúmque compensationem in conscientia obligentur? Pro solutione notandum, variis titulis ius venandi in locis alioquin communibus alicui vt proprium competere posse. Primus est, Per legem latam iusta de causa, qualis etiam est recreatio Principis: modò prohibitio non sit generalis, seu extendens se ad omnia loca: talis enim lex inhumana esset, & noxia subditis, si eorum consensus & renuntiatio non accedat, sicuti docet Medina C. de restit. q. 12. Rebell. p. 1. lib. 1. q. 14. f. 2. Less. lib. 2. c. 5. n. 35. Azor p. 3. instit. moral. lib. 5. c. 16. q. 1. in fine. Porro talem legem venationis prohibitoriam ferre inter Regalia computatatur; id est, inter ea, quæ soli Principi, seu Superiorem non agnoscenti competunt: iisque, quibus Princeps tale ius priuilegij loco concesserit: cui addi debet præscriptio immemorialis, quippe quæ priuilegij instar censetur.

Alter titulus est, Spontaneus consensus populi, ius omne venandi feras Principi concedentis: siue id fiat gratis, ac liberaliter; siue titulo oneroso, quia v. g. Princeps subditis in compensationem huius iuris partem tributi, aut grauaminum remittit, vti annotauit Mol. to. 1. tr. 2. disp. 47. paulò post principium, Medina cit. q. 12. ver. Sed nec negandum.

Tertius titulus est, Belli iusti: Si Princeps, seu Rex prouinciam aliquam iustè occupauit, atque subegit, & expulsis, aut bonorum confiscatione punitis incolis, terras illas inter bene meritos distribuit, vel in feudum, aut emphyteusim concessit, reseruato sibi iure venandi feras in eisdem terris. Qua de re idem Mol. cit. dis. 47. ver. Item si.

16 Nunc respondeo, & dico. I. Si Princeps lege lata subditis prohibeat, ne in locis communibus, aut ipsorum propriis venentur, nullo interueniente pacto aut renuntiatione subditorum; hoc casu obligatus est ad cauenda damna, vel si quæ inferuntur, ad eorundem compensationem. Hæc est communis sententia, quam docet Caiet in tr. 17. responsionum, resp. 12. dub. 5. vbi ait: *Licet Principes possint prohibere venationes ferarum, nō tamen possunt prohibere in damnum aliorum: imò tenentur ad restitutionem de damnis, quæ inferuntur, quia non permittunt alios venari: sicuti habens bouem cornupetam, et non prouidens, tenetur de dānis subsecutis.* Ex quo patet, inquit, *quid debeant facere Confessarij Principum: cum enim iniustitia sit peccatum mortale ex genere suo, & statutum hoc sit iniquum, non debent ipsos absoluere, nisi desistant à peccato.* Et Gabr. in 4. sentent. d. 15. q. 5. a. 2. concl. 5. corol. 2. *Prohibēs subditū, ne de possessionibus suis feras, fructus depascentes expellat, fugando, etiā occidēdo causa defensionis, tenetur ad damnorū illatorū restitutionē. Patet; Quia naturali iure cōpetit cuilibet defensio rerū suarum, etiā contra homines iniuriantes: ergo magis contra feras; maximè illas, quæ in nullius sunt bonis, & naturali ratione occupanti cōceduntur.* Idem docent Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 8. num. 10. Andr. Gaill. lib. 2. obser. 68. n. 10. Molina, Rebellus, Azor, Less. ll. suprà citatis.

Dico II. Si Princeps per liberum populi consensum seu renuntiationem, ius venandi acquisiuit, non tenetur ex iustitia cauere damna, neque illata compensare, quæ ex ferarum multiplicatione proueniunt: multóque minùs ad talia obligatur, si ius venandi Princeps habuit, aut sibi reseruauit, antequā terras inter suos distribuit, aut in feudum, vel emphyteusin concessit. Ita expresè docet Mol. cit. disp. 47. & Less. cit. c. 5. dub. 7. n. 37. Ratio est: Quia hoc ipso, quòd Principi ex concessione, aut quacunque dispositione ius venandi propriè competit, eo vti, vel non vti potest sine cuiusquam iniuria, iuxta reg. 198. ff. *Nemo damnum facit, nisi qui id fecit, quod facere ius non habet.*

Hanc tamen doctrinam arbitror limitandam esse primò; Nisi fama, præsertim consuetudine, firmata sit, quòd populus ius venandi Principi proprium reliquerit, ea lege, vt damna arceat, vel illata resarciat.

Secundò: Nisi immodica damna subditis passim inferantur; ad quæ sustinenda non est credibile populum consensisse. Accedit, quòd id publicum damnum censeri debet, cuius impediendi, vel auertendi obligatio Principi ante omnia incumbit.

Tertiò: Nisi appareat, populum subiectum alioquin valde grauari tributis, aliisque oneribus; vt accedentibus eiusmodi damnis, quæ à feris inferuntur, meritò conqueri possint. Ratio est: Quia hæc seruitus, quam populus patitur, vt in locis communibus, vel ipsorum propriis feras capere ipsis non liceat; est veluti pars tributi, quod Principi pendunt: ergo necesse est, vel non nimis eos aliis tributis grauari; vel seruitutem & damnum, quod ex iure venationis Principi concesso patiuntur, eisdem imminui.

Quæres primò. Quid de hac re in terris Imperij sentiendū? Respondeo, & dico I. Valde credibile est, quòd ius venandi maiores feras Imperatori, aliisque Magnatibus, quibus ipse concesserit, à prima Imperij origine pleno iure competat, sine obligatione resarciendi damna, si quæ ex multiplicatione ferarū subditis inferuntur. Quandoquidem nulla est memoria, aut indicium alicuius legis primitus latæ, qua venatio incolis prohibita fuerit; sed à tempore immemoriali, ac perpetuo hoc ius venandi aliis interdictum inter specialia priuilegia numerabatur. Dummodo limitationes considerentur suprà positæ; videl. vt non immodica damna, & cū boni publici detrimento subditis inferantur, ad quę auertenda Charitatis lege, imò etiam ex Iustitia obligatur Princeps, tanquā Communitatis curā gerens: Et vt subditi aliis oneribus non nimis grauentur; ita, vt si hoc etiam seruitutis genus accedat, onus eis intolerabile fiat.

Quæres secundò: Quodnam immodicū damnū in hoc casu censeri debeat? Respondeo: Tunc damnum incolarum immodicū censeri, & à Principe tollendū, quando consideratis omnibus circumstantiis, & habita boni publici ratione, non tanti æstimanda est Principis recreatio, quam ex multiplicatione ferarum capit, vt propter eam permittenda sint damna multorum subditorum, quæ ipsis inferūtur; seu quòd feræ arua eorum depascantur, seu quòd pretio custodes alere debeant.

Multò verò magis subditi tutandi sunt, ne damna ab vrsis, lupis, & aliis noxiis animalibus patiantur. Profectò non video, quo iure prohiberi possint, quo minùs pecora sua contra incursus noxiarum bestiarum defendant, etiam occidendo, si opus esse videatur. Quamuis id decerni possit, vt non vnus solus agricola ad occidendum egrediatur; sed vnà cum aliis incolis, adhibitis etiam venatoribus Principis: dummodo illi adesse non morentur; & non (vt interdum fieri solet) de industria differant, cum iniusta vexatione subditorum.

Quæstio octaua. Quid de columbariis sentiendum? 17
Respondent Doctores cōmuniter, Caiet. ver. columbariū, Sa eod. n. 1. Syl. ver. restit. 3. q. 4. Salon 2. 2. q. 62. a. 3. contr. vlt. Nauar. c. 17. n. 126. Mol. disp. 48. Less. c. 5. dub. 6. n. 29. contra Maiorem in 4. d. 15. q. 28. §. Tertiò principaliter; Ea licita esse; quamuis certum sit, columbas tempore iacti seminis, ac messis, grana tritici ex agris alienis auferre. Ratio est:

Quia apud omnes ferme gentes, sine vicinorum querela, permittuntur: siue ob simplicitatem columbarum, nec ipsis erectas decipientium, nec semina terræ obruta deuorantium; sed quæ in propatulo iacent, & alioquin peritura sunt: siue quia segetibus etiam commodum adferunt, quando mala semina auferunt, ex quibus lolia, & aliæ noxiæ herbæ nascerentur.

Cæterùm postquam columbæ ad columbarium redeundi consuetudinem amiserunt, atque in naturalem libertatem se receperunt, fiunt primò occupantis: Veluti si alterius columbis se aggregârunt, & in eiusdem columbarium inuolarunt. Arte autem, vel fraude ad se attrahere alienas colūbas furti species est, ad restitutionem obligans, sicuti notauit Med. cit. q 12. Couar. reg. peccatum, p.2.§.8.n.14. Sa n.2. Quamquam in his, & similibus imprimis inspicienda est loci consuetudo; & quid leges columbariorum exigant, vel permittant.

18 Quæstio nona. Quid dicendum de pascuis, & siluis cæduis? Respondeo, cum Soto lib 4. de iust. q. 6. a. 4. Salon cit. q. 62. a. 3. contr. 2. Angles in floribus lib. 4. sent. p. 2. q. de cædentibus ligna. Mol. disp. 58. Lessio dub. 14. Rebello q. 15. Vel ea ad Communitatem pertinent, vel ad dominum particularem. Si prius, quicunque è Communitate sunt, iis frui possunt, nisi Magistratus iusta de causa prohibeat: Tunc verò, si subditi contra legis decretum ligna cædant, vel pascua depascant, puniri possunt deprehensi: sed ante Iudicis sententiam ad nullam restitutionem obligantur: neque lethaliter peccare censendi sunt; præterquam si graue damnum dederunt, vt conciuibus debita lignorum portio notabiliter minuatur. Eadémque ratio est de iure venandi, si Communitati competat, sed à Magistratu certo loco, aut tempore prohibeatur. Qua de re vide Rebell. q. 14. prælud. f. 3. Vasq. de restit. c. 5. §. 3. dub. 1. Alij verò qui ex ea Communitate non sunt, si ligna cædant, pascua depascant, furti crimen committunt, & restituere debent. Excusari tamen per consuetudinem, & tacitum consensum videntur ij Oppidani tam à culpa mortali, quàm à restituendi onere; qui cùm oppida, & siluas vicinas habeant, vicissim cædere solent, cum obligatione soluendæ mulctæ, si in cædendo deprehendantur; dummodo tamen extraordinarium damnum non inferant, vt suprà etiam dixi de ciuibus.

Si autem silua, vel pascua priuata sint, vel ad dominum particularem spectantia, tunc nemo alius absque furti crimine illis frui potest: Eadémque ratione ex locis dominorum circumseptis, puta viuariis, piscinis, &c. feras extrahere, & capere, furti crimen est, vnde tantundem restituendi obligatio contrahitur. Notandum verò est ex Couar. in pract. qq. c. 37. quòd in dubio ius pascēdi censetur pertinere ad Communitatem; non ad dominum ciuitatis, &c. quandoquidem nomine iurisdictionis non comprehenditur ius pascendi: potest tamen dominus pascuis publicis vti, sicuti alij è Communitate; nisi diuturna consuetudine, aut præscriptione aliud introductum sit.

19 Quæstio decima. Quid de molendinis sentiendum, an de nouo cuilibet ædificare liceat? Respondeo. In publicis fluminibus non est licitum ædificare molendinum, aut aliud ædificium, ne videlicet impediatur vsus publicus nauigationis: sicuti neque in via, aut alio loco publico ædificare fas est, absque Principis consensu, vti constat ex l. 1. 2. §. si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publico. In priuatis verò, aut propriis fluminibus cuilibet permissum est molendinum construere: cùm quilibet in proprio fundo, etiam cū alterius damno, ædificare possit; modò id faciat principaliter, vt sibi prosit, non vt alteri noceat, l. fluminum, §. vlt. iuncta l. seq. ff. de damno infecto, & explicant Bartolus & Iason in l. quo minùs, ff. de fluminibus.

Sed limitari debet primò; Nisi per nouum molendinum auferatur priori & antiquiori commodum naturale, ac necessarium molendi, quod est aqua, argum. l. si manifestè C. de seruit. & aqua, vbi Bartolus ait: quod *in aquæ ductu antiqua consuetudo seruanda est*. Cæterùm incommodum illud, quod ex noui molendini constructione sequetur, vt ad ad antiquiora molendina pauciores homines frumenta deferant, in æstimatione esse non debet: cùm cuilibet liberum sit frumentum suum deferre ad quemcunque voluerit: & expedit plerumque communi bono plura esse molendina, ad vitandas fraudes, & vexationes hominum malorum.

Limita secundò: Nisi regionis consuetudo prohibeat, ne nouum molendinum cum præiudicio seu damno aliorum ædificetur: tunc pristini molitores prohibere poterunt ædificationem, si ostendant exinde sibi damnum euenturum, vt docet idem Iason in cit. l. quo minùs, n. 28. Sebastianus Medices de nouation. in ver. molendinū. Verùm stante etiam cōsuetudine non ædificandi nouum molendinum, potest tamen quilibet in suo solo extruere molēdinum pro proprio tantùm frumento molendo: deriuata etiam aqua ex proprio flumine: nam ex publico deriuare non potest sine Principis licentia. Deinde stante illa consuetudine non ædificandi nouum molendinum cum præiudicio alterius, potest tamen pristinum transferri in locum commodiorem fluminis. Quod tamen iterum limitari potest, nisi nouis riuis deriuatis, cum variis aquarum dilapsibus, molendinum extruatur in aliorum magnum præiudicium: nam hoc casu veluti noua forma molendini censetur.

Quæstio vndecima. Quomodo per alluuionem dominium acquiri possit? Respondet Gaius in l. adeò, §. 1. ff. de acqui. rerum dominio. *Quod per alluuionem agro nostro flumen adycit, iure gentium nobis acquiritur. Per alluuionem autem id videtur adyci, quod ita paulatim adycitur, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adyciatur.* 20

Alia verò ratio est, *si vis fluminis* repentina *partem aliquam de tuo prædio detraxerit, & meo prædio, attulerit; palàm est*, inquit Gaius, *eam tuam permanere*. Id tamen limitari debet: Si pars adiecta *longiore tempore fundo meo hæserit; arboresque, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint, ex eo tempore videtur meo fundo acquisita esse*, cit. l. adeò, §. planè, & §. præterea, Instit. de rerum diuisione.

Quæstio duodecima. Quomodo dominium rerum acquiratur per specificationem seu formationem, per accessionem, confusionem, commixtionem, inædificationem, implantationem, scriptionem, pictionem? 21 Respondeo ex IC. Gaio in cit. l. adeò, §. cùm quis, & seqq. & dico I. Si quis ex aliena materia speciem fecerit, refert, vtrum species ad materiam reuerti possit: an non possit. Primo casu pertinebit ad dominum materiæ, v.g. ex tuo argento à me fabricatus scyphus, tuus erit. Altero casu, ad eum spectabit, qui rem formauit: v.g. qui ex lana vestem, ex vuis vinum, ex oliuis oleum confecit. Requiritur tamen, vt bona fide alienam rem adhibuerit, existimans suam esse: si enim mala fide egit, res à pristino domino vindicari poterit, l. de eo, §. si quis, ff. ad exhibendum, & videri potest Gl. in §. Cùm ex aliena, ver. ab aliquo, Instit. de rerum diuisione.

Dico II. Si quid ornatus causa alteri rei adijciatur, licet pretiosius sit, quàm id cui adijcitur, accessionis iure acquiritur domino rei, cui adiectio est facta: v.g. si purpura vesti meæ intexatur, aut margaritæ auro inserantur, l. etsi non sunt, §. perueniamus, ff. de auro & argento legato. Ratio est, quia *accessorium sequi congruit naturam principalis*, reg. 28. in 6. Succurritur tamen domino gemmæ, v.g. concessa illi actione ad exhibendum anulum, vt excludatur gemma. Alia verò ratio est

de tigno alienis ædibus iuncto; quod eximi non debet, ne publicus ædificiorum deformetur aspectus, §. cùm in suo, Instit. de rerum diuis. & l. gemma, ff. ad exhibendum. Videri potest Gl. §. si tamen, ver. pretiosior, Instit. de rerum diuisione.

Dico III. Si duorum dominorum materiæ, vtriúsque consensu, aut casu, confusæ fuerunt, totum corpus ipsis commune efficitur, cit. l. adeò, §. voluntas. & Instit. de rerum diuis. §. si duorum. Veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti, vel auri conflauerint: si ex vino & melle mulsum, ex auro & argento electrum factum sit. Cæterùm si, quæ casu confusa sunt, facilè separari possunt, v. g. plumbum ab argento, in rem actio dabitur, l. Idem Pomponius, §. sed si plumbum, ff. de rei vindicatione.

Dico IV. Si duorum dominorum corpora commisceantur, v.g. frumenta; refert, vtrum amborum voluntate fiat, tunc communicata censebuntur; an sine voluntate eorum, tunc singulis competet in rem actio, quatenus apparet, aut Iudex re cognita arbitrari poterit, in illo aceruo cuiusque esse, cit. l. Idem Pomponius, princ. Eadémque ratio est, si greges ouium permisceantur. Differt autem commixtio à confusione; quòd in illa, corpora separata inter se manent secundùm substantiam; in hac corpora in vnum coëunt, §. Quòd si frumentum, Instit. de rerum diuisione.

Dico V. Si quis in suo solo ex aliena materia ædificauerit, dominus fit ædificij: quia omne, quod solo inædificatur, solo cedit. Veruntamen diruto ædificio, materiæ dominus tam vindicare poterit, nisi antea ipsi pro materia satisfactum fuerat. Ita habetur cit. l. adeò, §. cùm in suo, & Instit. de rerum diuis. §. Cùm in suo. Contrà verò, si quis in alieno solo suâ materiâ ædificârit, illius erit ædificium, cuius & solum est. Distinguendum verò hoc casu, vtrum sciens solum alienum esse, in eo ædificârit, an nesciens. Si primum, nihil repetere in externo foro potest, etsi domus diruatur; quia aut donasse, aut temere ædificasse censetur: excepto, si ea re negotium absentis vtiliter gessit. Sin autem secundum, bona fides non patitur, vt soli dominus cum alterius inædificantis detrimento locupletetur: quamobrem pretium materiæ, & mercedes fabrorum soluere cogetur, cit. l. adeò, §. ex diuerso.

Dico VI. Sicuti ædificia solo cedunt; ita multò magis plantæ, & arbores: cùm à terra sustententur, alimentum, vitam, & incrementum trahant. Quare qui alienam plantam in suo solo posuerit, eáque radices egerit, ipsius fit planta, cuius & solum est. E contrario, si quis suam plantam in Titij solum transtulerit, posteaquam ea radices egerit, ad Titij dominium spectabit, l. adeò, §. vlt. ff. de acquit. dominio, & §. si Titius. Instit. de rerum diuis. Æstimationem tamen plantæ, atque impensi laboris mercedem repetere potest, qui in alieno agro, v.g. frumenta conseuit; præsertim si bona fide id factum, l. qua ratione, ff. de acquit. rerum dominio.

Corollarium. Si arbor prope confinium posita, in duorum dominorum fundos radices egerit, communis erit, cit. §. vlt. in fine. Cæterum si arbor in vnius fundo posita, in alterius vicinum fundum radices aliquas miserit, eius erit arbor, in cuius fundo origo, & plantatio est, l. si plures §. vlt. ff. arborum furtim cæsarum. Sed alter, si cognouerit, impendentes ramos arboris alienæ suis ædibus, aut horto officere, denuntiare poterit, vt succidatur; si dominus arboris neglexerit, ipsemet qui damnum ex arbore patitur, totam succidere, & ligna tollere non prohibetur, tit. ff. de arboribus cædendis.

Porrò si dubitetur, vtrum arbor, vel planta radices egerit, néc ne; item vtrum fundo vicino nocumentum afferre censeatur; standum erit arbitrio rusticorum, quippe qui in genere agriculturæ præ aliis peritiam habere censentur. Ita sumitur ex l. septimo, ff. de statu hominum.

Dico VII. Literæ, licet aureæ sint, chartis, vel membranis cedunt; sicuti solo cedere solent ea, quæ inædificantur, vel inseruntur. Quare si in charta Titij historiam scribas, eius corporis Titius dominus fiet. Impensas tamen scripturæ soluere tibi debet, si bona fide scripseras, l. qua ratione, §. literæ, ff. de acquir. dominio. §. literæ, Instit. de rerum diuisione. Cæterùm si quis in aliena tabula pinxerit, tabula picturæ cedit. Quia quod minus principale est, sequi debet id, quod est principalius: pictura autem plerúmque pretiosa est, tabula vilis: ergo non picturam tabulæ, sed tabulam picturæ cedere conuenit, l. cit. qua ratione, §. sed non, & Instit. de rerum diuis. §. si quis in aliena. Quare si accedat tabulam esse pretiosam, v.g. argenteam, auream; pictura præsertim minùs pretiosa, in accessionem tabulæ veniet.

Præterea, si picturam cuicunque rei, quamuis viliori, adieceris, eius ornandæ causa; vt si super alicuius mensa Herculem depinxeris, pictura mensæ cedit: quia eius veluti gratiâ adiecta est, vt ornatior fieret. Ita enim colligitur ex doctrina Celsi in l. etsi non sunt, §. perueniamus, ff. de auro, argento, &c. legato. *Semper cùm quærimus, quid cui cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ causa adhibetur: vt accessio cedat principali*; intellige secundùm intentionem operantis. *Cedant igitur gemmæ phialis, vel lancibus, inclusæ auro, argentóue: sed & in coronis, mensarum gemmæ coronis cedent; & hæ mensis.*

Corollarium. Cùm hodie chartæ, & membranæ vili prætio sint, ideo existimandum est, eas plerumque cedere scripturæ, quæ pluris æstimatur. Neque enim scripturam ornandæ chartæ causa adhibemus: sed vtimur charta tanquam subiecto, scripturæ gratia. Veruntamen qui in aliena charta, aut membrana scripsit, eius pretium soluere debet: alioquin doli exceptione repelletur, si membranam sibi vindicet. Ita annotauit Gl. in cit. l. qua ratione, §. Aduersus, ff. de acquiri. dominio. Quia vt Paulus IC. ait, l. in rem, §. sed & id, ff. de rei vindicat. *In omnibus istis, in quibus mea res per prævalentiam, alienam rem trahit, meámque efficit, si eam rem vindicem, per exceptionem doli mali cogar pretium eius, quod accesserit, dare.*

Quæstio decimatertia. Quomodo acquiratur dominium rerum inuentarum? Respondeo ex doctrina S. Thom. 2.2. quæst. 66. art. 5. ad 2. & 3. Res inuentæ triplicis generis sunt: Aliquæ, quæ nunquam dominum habuerunt, vt insula mari nata, gemmæ, & lapilli in maris littore: & hæc primò occupantis fiunt. Quod enim antè nullius est, naturali iure occupanti conceditur, l. adeò, §. insula, ff. de acquir. rerum dominio. Porro de alueo derelicto à flumine, cùm ad aliam partem fluere cœperit; item de insula in flumine nata, respondit idem Gaius cit. § Insula, & §. quòd si toto, ff. eod. ad eos pertinere, qui prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cuiusque prædij. Venæ tamen metallicæ, & lapidicinæ, quæ in proprio fundo natæ sunt, ad fundi dominum iure gentium, & seclusa speciali consuetudine, aut lege, spectant. Qua de re vide Gabrielem in 4. d. 15. q. 5. a. 3. dub. 7. Ludou. Molinam t. 1. tr. 2. disp. 54. Less. c. 5. dub. 12.

Aliæ verò res inuentæ sunt, quæ dominum habuerunt, nunc autem domino carent; vel quia pro derelictis habentur, vt Principum missilia, merces in mare iactæ, sine animo & spe recuperandi, iuxta l. falsus, § si iactum, ff. de furtis. Item thesaurus dudum repositus, cuius dominus, eiúsue hæredes mortui, vel incogniti sunt. Hæc enim omnia, gentium iure, primo occupanti cedunt.

22 Cæterùm, quod attinet ad mercium iactum ob naufragij periculum; nisi ex circumstantiis probabilis præsumptio fieri possit, eas pro derelictis habitas; puta, quia dominus longè abscessit, neque reuersurus, iactúmque requisiturus putatur: vel si præsens, cùm facilè recuperare possit, dissimulat, & contemnere videtur: tali, inquam, cessante præsumptione, res omnes à naufragantibus iactæ, aut amissæ, eisdem restituendæ sunt; nihil obstante, quòd eas nunquam recuperaturi fuissent, nisi alter singulari industria, cùm vitæ etiam periculo, ab interitu vindicasset, sicuti constat ex §. alia sanè, Instit. de rerum diuisione, & docet Abbas c. si dilecti, num. 11. de accusat. Caiet. to. 2. tr. 8. opuscul. de vsuris, quæst. 1. Maior in 4. d. 15. quæst. 28. Pet. Nauar. lib. 4. cap. 1. num. 54. contra Mart. Nau. cap. 17. man. num. 68. Eadémque ratio est de iis, quæ incendio eripiuntur, vel hostium direptione liberantur. Ratio verò est manifesta: Quia dominus rei suæ dominium non amittit; nisi consentiat, siue eam pro derelicta habeat, sicuti bene explicat Gabr. cit. loco dub. 6. & 7. Compensationem tamen laboris sui, æstimationémque periculi iure exigere potest, qui domini negotium ita vtiliter gessit; & interea, dum offertur, veluti pignoris loco rem retinere. Videri potest Mol. disp. 55. Rebell. q. 15. Prælud. s. 2. Lessius c. 5. dub. 18.

23 Quod verò attinet ad thesaurum, definitur ex l. vn. C. de thesauris lib 10 & §. thesauros, de rerum diuis. Vetus depositio pecuniæ, vel similis rei, vt de eius depositione, & dominio nulla cognitio, seu memoria extet. Is inuentus, spectato solo naturali, & gentium iure, ad inuentorem spectat; cùm in nullius alterius dominio sit. Verùm secundùm ius Cæsareum ita distinguere oportet: Si in proprio fundo thesaurus reperiatur, ad inuentorem spectat; nisi arte magica quæsitus sit; tunc enim in pœnam criminis, fisco adiudicabitur per Iudicis sententiam, vti rectè notat Nau. c. 17. man. n. 175. Si verò in alieno fundo thesaurus casu inuentus sit, (v. g. à mercenario conducto vt in terra tua fodiat, aliâ quã thesauri quærendi causâ) partim ad inuentorẽ, partim ad fundi dominũ pertinet: quæ cõstitutio, cum pœnalis non sit, sed secundũ æquitatem naturalẽ lata, in cõscientia obligare videtur ante Iudicis sententiã, teste Caiet. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. Nau. l. c. Couar. reg. peccatum, p. 3. §. 2. n. 3. Mol. disp. 56. Less. c. 5. dub. 15. Vasq. de restit. c. 5. §. 4. n. 30. Vel denique de industria, & non sine iniuria aliqua in fundo alieno sine consensu domini inuentus est, & totus ad dominum spectare debet: quamuis hanc partem constitutiónis pœnalem esse, ideóque quoad dimidiam thesauri inuenti partem, non obligare, dicant Lessius l. c. Rebel. cit. s. 2. n. 13.

Quòd si sciens in alieno agro thesaurum, reconditum esse, agrum emas perinde, eodémque pretio, ac si nihil in eo reconditum sit, nullam venditori ignoranti iniuriam facies, dominiumque eruti postea thesauri tibi comparabis. Quod colligitur ex verbis Christi apud S. Matth. c. 13. & docet S. Thom. cit. art. 5. ad 2. Sotus lib. 5. quæst. 3. art. 3. ad 2. Nauar. c. 17. n. 175. Molina disp. 56. & alij communiter. Cùm enim thesaurus in fundo non natus, sed positus fuerit; ideo pars siue fructus fundi non censetur; neque ad dominium alicuius pertinere, antequam eruatur: erutus autem à Domino fundi, eidem mox acquiritur. Cùm ergo emptor post traditionem fundi dominus existat; ius habet & eruendi, & dominium sibi acquirendi latentis in eo thesauri.

Insuper duo annotanda sunt: Primum, ex Nau. cit. n. 175. Nomine thesauri, vt suprà dictum, intelligi veterem depositionem, seu potiùs defossionem pecuniæ, vel similis rei: quare si quis aurum in terræ superficie, vel in angulo aliquo domus reperiat, quamuis dudum ibi positum videatur, non est propriè thesaurus; ideóque ad inuentorem spectabit, si dominus, vel hæredes eius ignorentur. Item, si incolæ metu belli nuper defodientes pecuniam, vel similia, ea deserant; eruta non censeri debent thesaurus, de quo loquimur: quare vel propriis dominis restitui; vel si iustum contra illos bellum geratur, militi inuentori prædæ instar cedere debent.

Præterea si quis alteri vestem v. g. vendat, in qua aurum repositum latuit, emptor postea reperiens aurum non efficitur eius dominus; sed ei, qui posuit, vel hæredibus restituere debet: cùm in venditionis contractum non venerit aurum propter ignorationem, vti habetur in l. à tutore, ff. de rei vindicat. Sed esto emptor triennio cum bona fide possederit, nesciens aurum absconditum esse; dici nequit, eum præscriptione dominium acquisiuisse. *Is enim, qui nescit, non possidet* aurum, quamuis possideat vestem, in qua est aurum, vt in simili ait Iureconsult. in l. 3. §. Neratius, ff. de acquir. possess. Sine possessione autem nulla est vsucapio.

Alterum ex Couar. cit. §. 2. n. Lessius dub. 16. Valde probabile esse, si thesaurus reperiatur in loco publico, id est, ad nullius speciale dominium pertinente, quamuis pertineat ad dominium iurisdictionis alicuius Principis, aut Magistratus: vel ad administrationem Ecclesiæ: puta, si in loco sacro, seu religioso inuentus sit, totum pertinere ad inuentorem: sicuti de loco sacro habetur in § thesauros, Instit. de rerum diuisione. Vide tamen, si placet, Legistas in l. 3. §. si in locis, ff. de iure fisci.

Restant aliæ res inuentæ, quæ bona incerta dicuntur, quorum dominus etsi non procul abesse credatur, tamen inculpatè ignoratur: v. g. loculus plenus argento publica via repertus. De quibus est communis Doctorum sententia S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. Palud. in 4. dist. 15. q. 2. a. 5. Abb. in c. si dilecti, num. 12. de accusat. Maior. in 4. d. 15. q. 28. Syl. ver. restitutio, 8. q. 2. & ver. inuentum, q. 1. num. 2. Caiet. ver. furtum, ad finem, Nauar. c. 17. num. 171. Medinæ de restit. q. 3 casu 1. Couar. reg. peccatum, p. 3. §. 1. num. 2. Mol. tom. 3. poster. tract. 2. disp. 746. Si earum dominus, post diligentem inquisitionem, non compareat, pauperibus erogandas, vel ad alium pium vsum applicandas esse. Ratio est: Cùm rerum inuentarum non desinat esse dominus, qui eas amisit; ideo si ipsimet restitui non possint, restitui debent, quibus ille vult: Est autem præsumendum, velle eum, vt hoc casu in pauperum, aliúmve pium vsum erogentur, in satisfactionem pro peccatis suis.

Contrariam verò sententiam primus defendere conatus est Sotus lib. 5 q. 3. a. 3. ad 2. quem secuti sunt Bartholom. Medina in summa lib. 1. c. 14. §. 34 reg. 5. Arrag. 2. 2. q. 62. a. 5. § sed dubitabit, Pet. Nau. lib. 4. de restit. c. 2. num. 75 Sa ver. thesaurus, num 4. & probabilem censuit Less. lib. 2. c. 14. dub. 7. Vel enim bona inuenta, & incerta pauperibus erogari debent præcipiente iure naturali, vel Ecclesiastico. Non Ecclesiastico, quia tale nullum afferri potest. Nam ex c. cùm tu, de vsur. & c. cùm sit, de iudiciis, solùm colligi potest, si, quæ iniustè acquisita sunt, propriis dominis seu creditoribus restitui non possint, fas non esse ea retinere, (quippe canonica lege prohibente, atque impediente talium dominium acquiri) sed pauperibus restituenda esse: quibus proinde ius aliquod ex lege, seu canone acquiritur, saltem vt Iudicis Ecclesiastici officium implorari possit. Non item naturali iure: Quia ius naturale est, quod apud omnes gentes obligat: Non autem omnibus gentibus hæc inest persuasio, res inuentas pauperibus largiendas esse: Neque etiam omnes fideles Catholici, (ne dicam de hæreticis, ac infidelibus) 24

cùm rem quampiam amiserunt, talem cogitationem, ac voluntatem suscipiunt, vt ab inuentore pauperibus tribuatur; sed potiùs, vt in custodia seruetur, sibique restituatur, si fortè eos repetere contingat. Eóque sensu intelligi debet dictum S. August. hom. 9. ex 50. quod refertur causa 14. q. 5. *Si quid inuenisti, et non reddidisti* (domino comparenti) *rapuisti*. Si autem dominus longo tempore non comparet, perinde esse censetur, ac si res inuenta domino careat, & pro derelicta habita sit, sicut suprà de thesauro dictum fuit.

Inter has duas sententias prior magis pia, ac tutior est; attamen posterior quoque valde probabilis. Ad praxin verò obserua, Prudentis viri arbitrio ex circumstantiis æstimandum esse, quanto tempore expectare debeat inuentor, donec rem inuentam alienare, vel absumere possit. Quòd si verò post alienationem, vel absumptionem bona fide factam, dominus compareat, nihil ipsi restituendum est, nisi quatenus inuentor locupletior inde factus est. Similiter nec pauperes, si in eos rei inuentæ distributio facta fuit, aliquid restituere debent; nisi res in specie extet, vel inde locupletiores facti sint, dominúsque repetat. Vide Syluest. ver. restit. 8. q. 4. Molin cit. disp. 746. in fine.

Denique sunt bona, quæ speciali nomine *vacantia* appellantur; & sunt ea, quorum dominus sine testamento decessit, nullo, vel incognito relicto hærede, qui secundùm leges ab intestato succedat: tunc eius bona ad fiscum deuoluuntur, sicuti habetur in l. 1. l. vacantia, C. de bonis vacantibus, lib. 10. Præterquam si peregrinus, seu hospes, cuius hæredes ignorantur, alicubi intestatus moriatur: nam huius bona ita vacantia ab Episcopo loci in pias causas erogari debent, iuxta Authenticam, Omnes peregrini, C. communia de succession.

CAP. VI.

De vsufructu, vsu, & habitatione.

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus est ius vtendi, ac fruendi re aliena, salua eius substantiâ.*
2 *Inter vsumfructum, & vsum plura discrimina sunt.*
3 *Vsusfructus propriè constitui non potest in rebus vsu absumptibilibus.*
4 *Vsufructuarius sine consensu domini, rem, in qua vsumfructum habet, absolutè alteri donare, vendere non potest: solam autem vtilitatem rei alteri cedere non prohibetur, saltem ad vitam ipsius vsufructuarij.*
5 *Vsusfructus pluribus modis finiri potest.*
6 *Si vsufructuarius Religionem profiteatur, immobilium bonorum, atque redituum capacem, vsusfructus ad Monasterium deuoluitur. Sin autem profiteatur Religionem incapacem stabilium redituum, vsusfructus cum proprietate consolidatur.*
7 *Ius vsus dependentis à domini arbitratu, etiam in rebus quæ vsu absumuntur, locum habere potest.*
8 *Ius habitandi plus aliquid est, quàm merus vsus ædium.*

ACcidit interdum, vt alicui seu testamento, seu pactione solus rei vsusfructus, vel merus vsus, domúsve habitatio concedatur. Quare videndum est, quid tali concessione comprehendatur.

1 Vsusfructus est *ius vtendi ac fruendi re aliena saluâ eius substantiâ*, l. 1. ff. de vsufructu, & Instit. eod. tit.

Dicitur *ius vtendi, ac fruendi*; Primò, vt distinguatur à iure, quod creditor habet in pignore; depositarius in deposito: his enim, re oppignerata, deposita vti, ac frui concessum non est.

2 Secundò, vt distinguatur à mero vsu. Differt enim vsufructuarius ab vsuario, quòd ille fructus omnes ex re fructifera percipere potest, etiam pensiones, ac reditus ex ædificiis, areis, l. vsufructu legato, ff. de vsufructu. Sed & venationum, ac piscationum prouentus ad fructuarium pertinent, l. item si fundi, §. aucupiorum, ff. eod. Item si in fundo sint lapidicinæ, vel metallorum fodinæ, inquirere, & eruere ad eundem pertinebit, ita tamen, vt agriculturæ nihil obsit, l. item si fundi, l. æquissimum, §. proinde ff. eodem. Sed in Imperio decimas pars metallorum domino proprietatis inferenda est, l. cuncti, Cod. de metallariis, lib. 11. cap. 1. de vsibus feudorum. Vsuarius autem talem fructuum percipiendorum facultatem non habet, vt postea dicam. Tertiò, Quòd vsufructuarius rem fructigeram alteri locare, aut concedere potest, etiam inuito proprietario, vt postea explicabo; sed non ita vsuarius, vti constat ex tit. Instit. de vsu & habitatione, & videri potest Ioan. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 12.

Re aliena. Quia sermo nobis est de vsufructu nudo, seu separato à proprietate, *qui & formalis vsusfructus* appellari solet.

Saluâ eius substantiâ. Ex quibus verbis intelligitur 3
primò; Vsumfructum propriè constitui non posse in rebus, quæ vsu absumuntur: puta in pecunia, frumento, vino. Sed quasi vsumfructum etiam in his constitui posse, decretum est in l. 1. & 2. ff. de vsufructu rerum, quæ vsu absumuntur, & §. constituitur, Institut. de vsufructu. Ea ratione, vt si v. g. maritus vxori testamento legârit vsumfructum omnium suorum bonorum, vel rerum vsu absumptibilium: hæ vxori æstimatæ tradi debeant, postulata cautione, quòd tempore vsusfructus finito, videlicet post mortem vxoris, earundem æstimatio hæredibus mariti restituenda sit. Vide de hoc cap. vlt. iunct. Gloss. ver. pecuniam, de pignoribus.

Secundò intelligitur: Vsufructuarium non posse 4
absolutè alteri donare, vendere, & vno verbo alienare rem eam, in qua vsumfructum habet: imò neque nudum sibi competentem vsumfructum in alterum, absque domini seu proprietarij consensu, transferre potest, §. fin. Institut. de vsufructu, vbi dicitur: Si quis extraneo, id est, alteri quàm proprietario, vsumfructum cedat, nihil agi, seu irritam esse cessionem: & consentit l. si vsusfructus, ff. de iure dotium. Veruntamen commoditatem, seu vtilitatem rei per donationem, permutationem, locationem, &c. alteri cedere non prohibetur vsufructuarius, secundùm Gloss. communiter receptam in cit. §. fin. ver. cedendo, & videri potest Couarruuias 1. resolut. cap. 8. num. 7. Molin. tom. 1. tractat. 2. disput. 7. Gomez 2. resolut. cap. 15. num. 17. Sanchez lib. 7. moralium, cap. 13. num. 12. & habetur in l. Arboribus, ver. vsufructuarius, ff. de vsufructu. Vbi notandum est, quòd hoc casu vsusfructus manet penes vsufructuarium, cuius nomine alter fructus ex fundo percipere potest. Ex quo sequitur, commoditatem alteri cedi, aut locari non posse vltra vitam vsufructuarij; posse tamen concedi vltra vitam eius, cui relinquitur, ita vt ad hæredes etiam transferatur, dum vsufructuarius viuit, iuxta l. necessariò, §. vltim. ff. de periculo & commodo rei venditæ. Quare ita explicari debet, si vsufructuarius in instrumẽto dicat, se ius vtendi, fruendi alteri concedere, quòd loquatur de commoditate sola, seu ad tempus, seu ad vitam vsufructuarij percipienda.

Porro impensæ, quæ ratione fructuum percipiendorum fieri debent: collectæ item, tributa & similes reales præstationes, quæ pro re fructuaria debentur, vsufructuario incumbunt, l. vsufructu legato, ff. de vsufructu, l. inter fructuarium, ff. de damno infecto, *Secundùm naturam enim est, vt qui sentit commodum, sentiat & onus*, iuxta reg. secundùm naturam, ff. de regulis iuris, & reg. Qui sentit, 55. in 6.

Vsusfructus finitur pluribus modis: Primò. Si vsu- 5
fructuarius vsumfructum proprietario cedat: vel vice versa, si proprietarius proprietatem rei in vsufructuarium transferat. Quo casu definit esse vsusfructus formalis: & dicitur vsusfructus causalis, quia consolida-

tur cum sua causa, videlicet cum proprietatis dominio, ex quo suapte natura promanat, cit. §. vltim. Instit. de vsufructu.

Secundò; Si res tota pereat, v. g. tota domus incendio absumpta sit: non enim tunc retinetur vsusfructus in area, l. repeti, §. rei, ff. Quibus modis vsusfructus.

Tertiò; Si tempus finitum sit, ad quod vsusfructus alteri legatus, vel aliter concessus est. qua de re videri potest l. ambiguitatem, C. de vsufructu.

Quartò, morte ipsius vsufructuarij naturali, aut ciuili cessat omnis vsusfructus: cùm sit ius personale, siue, vt Celsus Iureconsultus ait l. 2. ff. de vsufructu; *Vsusfructus ius in corpore est, quo sublato, & ipsum tolli necesse est.* Sed etsi testator, vel alius concessor expresserit, vt vsusfructus ad hæredes quoque pertineat, idque exequendum sit post mortem primi vsufructuarij; tamen nouus in persona hæredis vsusfructus censetur, & idcirco de nouo caueri debet, secundùm Gloss. receptam in in cit. l. repeti, ver. hæredibus. Plura vide cit. §. fin. Institut. de vsufructu: & adde l. si vsusfructus, ff. de vsufructu, vbi dicitur; Si vsusfructus ciuitati, alterive Communitati relictus sit, quæ non extinguitur, centum annis duraturum esse: quia *is finis vitæ longæui hominis est.*

Id verò hoc loco quæri potest. Si vsufructuarius Religionem profiteatur, ad quem vsufructus deuoluatur? In qua tamen quæstione non loquor de patre habente vsumfructum in bonis aduentitijs filij: de hoc enim di-
6 cam tractat. 4. cap. 8. num. 2. Sed de alijs vsufructuariis respondeo & dico I. Si vsufructuarius profiteatur in Monasterio capaci bonorum immobilium in communi, & perpetuorum redituum, vsusfructus deuoluitur ad Monasterium, quod contemplationi Monachi frui poterit, quamdiu is viuit. Sumitur ex Authent. ingressi, vbi id notat Gloss. recepta, ver. dedicant, Cod. de sacrosanctis Ecclesijs, & videri potest Molina tom. 1. tractat. 2. disput. 9. Sanchez lib. 7. moralium, cap. 13. num. 47. qui bene monet, idem esse sentiendum de legato annuo ante professionem relicto, quòd transeat ad Monasterium: quia in cit. Auth. Ingressi, & Authent. de Monachis, §. illud quoque absolutè, & sine restrictione dicitur, quòd bona vnà cum persona, seu tanquam accessoria personæ, Monasterio debeantur.

Corollarium I. Talis Religiosus ante professionem, sicuti de aliis bonis, ita etiam de vsufructu testari poterit: vt ab initio factæ professionis, vsusfructus, seu potiùs commoditas eius ad hæredem spectet, dependenter à persona Monachi, seu dum Monachus viuit, sicuti docet Rodriq. tom. 3. regul. quæst. 16. a. 5. Sanchez cit. cap. 13. num. 56. Idémque sentiunt de censu annuo, Religioso relicto ante professionem suam.

Corollarium II. Si talis Religiosus ad alium Ordinem, vel Monasterium bonorum stabilium capax transferatur, vsusfructus vnà transfertur, quia sequitur personam, vti bene docet Sanchez num. 62.

Dico II. Si vsufructuarius profiteatur in Religione incapace stabilium bonorum, ac redituum, videlicet in ordine PP. Minorum de obseruantia, Capuccinorum, & Societatis IESV, vsusfructus finitur, & cum proprietate consolidatur. Quæ est communis sententia apud Angelum ver. Religiosus, num. 52. Syl. ver. Religio, 6. q. 1. dicto 2. quam sequitur Azor tom. 2. lib. 2. c. 22. q. 4. Molina tom. 1. tr. 2. disp. 9. ver. vlteriùs dubium est, Sanchez cit. c. 13. num. 53. contra Rodriq. cit. a. 5. qui ait, ad hæredes ab intestato vsumfructum pertinere, interim dum Professus viuit. Sed contrà est: Quod vsusfructus est ius personæ: quod cum ea extinguitur, seu per mortem naturalem, seu per mortem ciuilem, qua omnino incapax vsusfructus persona fiat; argum. §. finitur, Instit. de vsufructu. At verò per professionem in Ordine incapaci bonorum, & stabilium redituum persona omnino incapax vsusfructus efficitur: Non ita verò per professionem in aliis Ordinibus, in quibus vsusfructus permanere potest in Monasterio, cum ordine ad Professum; ita vt Professus, & Monasterium veluti vna persona censeantur.

Corollarium. Religiosus ante professionem in Ordine incapaci testari non potest de vsufructu: cùm eius professione, veluti morte quadam, ad proprietarium redire debeat. Neque item testari potest de legato annuo, quod ita ipsi, v. g. alimentorum causa, relictum fuit, vt in annos singulos cedere debeat, iuxta l. si in singulos, & l. in singulos, vbi Gl. ff. de annuis legatis. Potest tamen testari de eo legato, quod initio anni cesserat, siue ei pleno iure acquisitum fuerat, vti bene explicat Rodriq. loc. cit.

Vsus est *ius vtendi tantùm* (non fruendi) *re aliena, saluâ eius substantiâ*, sicuti colligitur ex l. 1. & 2. ff. de vsu & habitatione, & Institut. eod. in princ. Dicitur *ius*. Quia non loquimur de vsu facti, qualis est equitatio, inhabitatio; sed de iure vtendi, v. g. equitandi, inhabitandi. Additur *vtendi tantùm*. Cui enim nudus vsus horti v. g. concessus est, is non potest omnes ex eo fructus percipere, suóque arbitratu absumere, vel alienare, sicuti qui vsumfructum horti habet; sed tantùm in illo deambulare, poma, olera, & reliqua, quæ ibi nascuntur, ad suum, & familiæ suæ; hospitum quoque victum accipere. Item qui nudum vsum habet iumentorum, vel gregis ouium, vaccarum, &c. non potest percipere pecorum fœtus, lanam; (hæc enim in fructu magis, quàm in vsu numerantur) neque lac, nisi modicum, & quatenus ad victum quotidianum opus est. Potest autem bobus, vel ouibus vti ad agrum stercorandum. Ita habetur in l. plenum, ff. eod. tit.

Re aliena. Loquimur enim de vsu nudo, ac seiuncto à proprietate. *Saluâ eius substantiâ.* Quapropter vsus propriè dictus, ac independens, (adeò, vt quicunque etiam ipse dominus, iniuriam inferat vsuario, si eum ab vsu rei prohibeat) in iis tantùm rebus locum habere potest, quæ vsu non absumuntur: non item in pecunia, esculentis, poculentis. Cùm enim harum rerum substantia vsu absumatur, consequens est vsum, sicut & vsumfructum, ab earundem proprietate separari non posse, l. si tibi vini. ff. eod. l. Hoc Senatusconf. in fine, ff. de vsufructu earum rerum, &c. & docet S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 1.

Cæterùm vsus imperfectus, atque dependens à domini libera voluntate, cui, si ita placuerit, reuocare 7
liceat; etiam in rebus vsu absumptibilibus, separatus ab earum dominio, constitui potest. Nam tali ratione laudatissimus Ordo Minorum S. Francisci profitetur, se rerum ad victum necessariarum, quæ à fidelibus offeruntur; nec in communi, nec in particulari dominium acquirere; sed solum vsum, imperfectum tamen, ac dependentem à voluntate dominorum, qui datas à se eleemosynas in pecunia, & similibus; sine omni iniuria, quocunque tempore reuocare possint, donec ab illis absumptæ, vel alienatæ sint. Quæ verò comparata, vel donata bona seruari possunt, tum mobilia, vt libri, supellex; tum immobilia, vt domus, horti, &c. horum dominium Sedes Apostolica in se recepit, vti videre est apud Nicol. III. in c. exijt, de verb. significat. in 6. & Clementem V. in Clem. exiui, eod. tit. Licet postea Ioan. XXII. ab Occamo, & alijs offensus, in extrauag. Ad conditorem, eod. tit. de tali Fratrum Minorum vsu iuris dependentis, & quasi solius facti, contrarium disputando potiùs, quàm definiendo statuerit: dominiúmque rerum à Sede Apostolica abdicauerit: sed

subſequentes Pontifices denuo receperunt, & ad hunc vſque diem retinuerunt. Vide Henricum quodl. 7. qu. 28. & quodl. 8. q. 27. Io. Turrecrem. lib. 2. ſum. 112. Suarez 3. p. tom. 2. diſp. 28. ſect. 2. Bellarm. lib. 4. de Pontif. c. 14. Molinam tom. 1. tract. 2. diſp. 6. Leſſ. lib. 2. c. 3. dub. 8. Vaſq. tract. de redit. Eccleſiaſt. §. 1. dub. 1. num. 7. Sanchez lib. 7. moral. c. 18. num. 5. Rodriq. tom. 2. regu.. qu. 125. art. 5. qui admonet, propter Bullas Martini V. & Pauli III. dominium pecuniæ donatæ Fratribus Minoribus nunc non manere penes dantem, ſed apud Sedem Apoſtolicam, vti & aliorum bonorum.

Quin & alij omnes Religioſi, qui paupertatem Euangelicam vouerunt, in particulari nullum habent dominium; ſed merum vſum librorum, veſtium, ciborum, &c. eúmque imperfectum, ac dependentem à Prælato, qui abſque iniuria, quamcunque eiuſmodi rem ab ipſis repetere, & auferre poteſt, ſicuti ex communi docet Nauar. tract. de redit. Eccleſiaſt. q. 1. mon. 12. & ſeqq. & in comment. 1. de regul. num. 13. qui rectè etiam monet num. 15. hoc ſenſu diſſonum non eſſe, ſi Monachus veſtes, libros, &c. ſuos, aut proprios dicat; id eſt, quorum vſum, dependentem tamen, ſibi conceſſum habeat.

8 Si habitatio domus alicui legata, vel conceſſa ſit, plus aliquid, quàm merus ædium vſus, conceſſum eſſe cenſetur: vt videlicet habitatori ius competat, ædes alteri locandi, pretiúmque locationis percipiendi, iuxta l. cùm antiquitas, Cod de vſufructu. Quod tamen mero vſuario ædium permiſſum non eſt; ſed ſolùm, vt ipſe cum familia ſua inhabitare poſſit, ſicuti habetur in §. item is, & §. ſed ſi cui, Inſtit. de vſu & habit. & l. 2. ac ſeqq. ff. eod.

CAP. VII.

De Poſſeſſione.

SVMMARIVM.

1 *Poſſeſſio eſt detentio rei corporalis, corporis, animi, iuriſque adminiculo.*
2 *Poſſeſſio acquiritur apprehenſione rei vera, vel ficta.*
3 *Poſſeſſor rei non cenſetur, qui non vt ſuam poſſidet: ſed vt ad alterum pertinentem.*
4 *Ad poſſeſſionem acquirendam corpus & animus requiritur: ſed ad retinendam plerumque ſufficit ſolo animo, ſeu ciuiliter tantùm poſſidere.*
Poſſeſſio interdum eſt ſolius facti; interdum etiam iuris.
5 *Iudicium aliud eſt de poſſeſſione, & aliud de proprietate rei.*
6 *Poſſeſſor intentionem ſuam fundatam habet; niſi ius commune ipſi reſiſtat.*
Si poſſeſſio, cui iura reſiſtunt, titulo adiuuetur, vel tempore immemoriali, præſumptionem facit pro poſſeſſore.
7 *Remedia poſſeſſoria æquitate Prætoria introducta ſunt.*
8 *Qui eiuſdem rei poſſeſſionem retinet, eam ab iniuſto inuaſore, aut ſpoliatore, etiam vi adhibita, quatenus neceſſe eſt, defendere poteſt.*
9 *Qui alienam poſſeſſionem inuadit, eo ipſo in pœnam priuatur iure, ſi quod in re habet.*

1 POſſeſſionem alij dictam eſſe putant, quaſi pedum poſitionem, ex Paulo Iureconſulto in l. 1. ff. de acquirenda, vel amittenda poſſeſſ. & declarat Pet. Greg. Tholoſanus lib. 1. ſyntagm. c. 13. num. 7. Nam præcipuum, & ferme vnicum inſtrumentum, quo rerum immobilium poſſeſſionem capimus, eſt pedum ingreſſus, ſicuti notauit Celſus in l. quod meo, §. ſi venditorem, ff. eod. & indicat ſacra Scriptura c. 11. Deuter. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Et alludit Cicero in 3. Philipp. *Hodierno die primum, Patres conſcripti, longe interuallo in poſſeſſionem libertatis pedem ponimus.* Alij verò malunt poſſeſſionem dictam eſſe, quaſi poſitionem ſedium, vt Alciatus apud Couar. rubrica de teſtam. p. 1. num. 4. Qui enim regionem aliquam occupauit, ac poſſidet, ſedem ibi poſuiſſe dicitur.

Poſſeſſio definitur apud Sylueſt. ver. dominium, q. 1. Molinam tom. 1. tract. 2. de iuſt. diſp. 12. *Detentio rei corporalis, corporis, animi, iuriſque adminiculo.* Eadem definitio alijs verbis proponitur à Couar. regula poſſeſſor, p. 2. initio, num. 1. *Apprehenſio rei corporalis, vera, vel ficta, corporis, animi, iuriſque adminiculo.* Differt tamen à priore; quòd hæc cauſalis ſit, illa magis eſſentialis. Nam apprehenſione acquiritur poſſeſſio, quæ eſt detentio rei, &c.

Dicitur autem *apprehenſio* (vel detentio) *rei corporalis.* Nam rerum incorporalium; ſiue iurium non eſt propriè poſſeſſio, ſed quaſi poſſeſſio, iuxta l. 3. ff. eod. tit. l. ſeruus, §. incorporales, ff. de acquirend. rerum dominio, & l. ſequitur, §. ſi viam, ff. de vſurpationibus, & vſucapionibus, & conſentit c. cùm Eccleſia, de cauſa poſſeſſ. & propriet. iunct. Gl. ver. *quaſi poſſeſſionem.*

Vera, vel ficta. Apprehenſio vera manibus fit, ſi res mobilis ſit; pedibus, ſi immobilis. Neceſſe tamen non eſt, fundi poſſeſſionem accepturum omnes terræ glebas circumambulare, vel omnia ædium conclauia ingredi: ſed ſatis eſt, ſi quamlibet partem ingrediendo, reliquum animo complectatur; ſicuti habetur in cit. l. 3. ff. de acquir. & amittenda poſſeſſione. 2

Apprehenſio ficta ex iuris diſpoſitione pluribus modis accidit: Primò, per actum ipſius priſtini poſſeſſoris, eiúſve, ad quem pertinet, vacuam rei poſſeſſionem, interueniente aliquo titulo, tradere; oſtendendo v. g. eminus ædes, Eccleſiam, aut beneficium vacans, cuius poſſeſſionem alteri traditurus eſt, iuxta l. 1. §. ſi iuſſerim, & l. quid meo, §. ſi venditorem, ff. eod. Vel tradendo claues, anulum, pileum, aut ſimile ſignum vacantis poſſeſſionis acquirendæ, iuxta l. clauibus, ff. de contrahenda emptione. Notant autem Doctores communiter, requiri etiam conſpectum ſiue præſentiam rei, puta horrei, ædium, Eccleſiæ, cuius claues traduntur. Nam alioquin ſola inueſtitura per pileum, enſem, clauem, &c. non tribuit poſſeſſionem; ſed ius poſſeſſionis accipiendæ, ſicuti notat Gloſſ. in c. ex ore, ver. etſi mandatum, de his quæ fiunt à maiore parte Capituli, & in cap. per tuas, ver. in poſſeſſione, de donat. & videri poteſt Abbas in c. ex literis, num. 10. exemplo ſecundo, de conſuet. Couar. 3. reſol. c. 16. num. 11. Ioſephus Maſcardus volum. 3. de probat. concluſ. 1184. num. 18. Molina diſp. 13. §. tertius eſt. Vel denique tradendo ſcripturam ſiue inſtrumentum, quo continetur v. g. ius donatoris, donare rem quampiam, eiúſque vacuam poſſeſſionem tradere volentis, iuxta l. 1. C. de donat. & docet Gloſſ. in c. ſanè ver. reddens, de renuntiat. Neque opus eſſe conſpectu, ſeu præſentia rei ad eius poſſeſſionem tali modo acquirendam, exiſtimat Couar. num. 12. Quamuis alij aliter ſentiunt, quibus aſſentitur Maſcard. num. 12.

Secundò transfertur poſſeſſio iuris fictione, ſi priſtinus poſſeſſor, poſt contractum donationis, venditionis, &c. ſignificet, ſe poſſeſſurum nomine donatarij, vel emptoris; ſeu abſolutè, ſeu tanquam vſufructuarium, iuxta l. quiſquis, Cod. de donat. vel tanquam conductorem, aut depoſitarium, iuxta l. quædam mulier, ff. de rei vindicat. & docet Gloſſ. in l. ab emptione, verb. conſtituantur, ff. de pactis, Abbas cit. cap. ex literis, exemplo quinto, Maſcardus concluſ. 1185. & 1186. Molin. cit. diſput. 13. §. quintus eſt, & §. nonus.

Tertiò acquiritur poſſeſſio iuris fictione, per actum aliquem noui poſſeſſoris: puta, ſi cum priſtini poſſeſſoris conſenſu, rem ſibi donatam, vel emptam proprio nomine ſignet, ſicut colligitur ex l. quòd ſi

neque, ff. de periculo & commodo rei venditæ; vel si custodes suo nomine apponat, iuxta l. quarundam, ff. de acquir. possess.

Quartò per Iudicis auctoritatem, solo aspectu rei præsentis, tradi potest possessio vacans, si tradens eius custodiam, vel administrationem habeat, vt collator Ecclesiastici beneficij, argum. l. quod meo, §. si venditorem, ff. de acquirend. possess. & docet Abbas cap. cum aliquibus, num. 10. de sentent. & re iudic. Vel si ob potentiam aduersarij, realis apprehensio fieri non possit: dummodo in hoc casu sententia contra pristinum possessorem lata sit, sicuti ibid. docet Abb. & in c. ex literis, n. 10. de consuet. Quin & in absentia rei, si ob aduersarij vires, aliúdve impedimentum, v.g. propter pestem, accessus ad illam non sit, possessionem à Iudice per sola verba tradi posse, singulariter existimat Couar. 3. resol. c. 16. n. 12. & referunt Vasq. tr. de benefic. c. 4. Mol. cit. disp. 15. §. De actibus fictis, arg. l. si finita, §. illud, ff. de damno infecto, & c. contingit, de dolo & & contumacia.

3 Sequitur in definitione, *corporis, & animi.* Vtrumque enim ad acquirendam possessionem requiritur; vt & corpore rem apprehendas, eive insistas; & vt eam tanquam tuam capias, habeásque, sicuti habetur in l. 3. ff. de acquir. possess. Quare qui rem conductam, commodatam, depositam, vel pignoris loco penes se habet, non est eius possessor: cùm non vt suam, sed vt alienam: seu non suo, sed alieno nomine teneat, ideóque nudum ministerium præstet, ait Abb. c. si diligenti, n. 6. de præscript. Quin & vsufructuarius, vt emphyteuta, vasallus, rei proprietatem non suo, sed domini loco possidet. Vtile autem dominium, siue vsumfructum suo nomine quasi possidere vsufructuarium, tam ciuiliter, quàm naturaliter, nihil prohibet nos fateri; cùm ea ipsi possessio sufficiat ad præscriptionem, & alia iuris remedia, sicut docet Couar. reg. possessor, p. 2. initio, n. 7. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 12. §. dubium tamen.

4 Dixi autem, *ad acquirendam possessionem* corpus & animum requiri. Nam ad eandem conseruãdam sufficit plerumque solo animo possidere, sicuti constat ex l. 3. §. in amittenda, ff. de acquir. possess. Non tamen sufficit solo corpore insistere, si animum possidendi deposuisti: *amitti enim solo animo possessio potest, licet acquiri non potest.* Consentit l. si quis vi, §. differentia, ff. eodem.

Corollariũ. Si Titius à fundo, quem hactenus possederat, discessit; eóque absente, alius in possessionem fundi inuolat, Titius possessione fundi non antè spoliabitur, quàm, re cognita, animum possidendi, vel possessionem recuperandi deposuerit: si videlicet aut metu perculsus, ad recipiendam naturalem possessionem non accesserit; aut accesserit quidem, sed repulsam passus fuerit: tunc ciuiliter quoque possidere desinet, sicuti habetur in cit. §. in amittenda, iun. Gl. ver. possides, & l. clam. possidere, §. qui ad nundinas, l. si id quod, §. quod autem, ff. eod. tit.

Quapropter Doctores communiter aiunt; duplicem esse possessionem, vel potiùs duas partes possessionis: ciuilem, & naturalem siue corporalem. Possessio ciuilis seiuncta à corporali in eo est, qui à possessione absens, nullúmque alium, qui suo nomine in possessione sit, relinquens, solo animo eam retinet.

Possessio verò naturalis, siue corporalis, à ciuili seiuncta, in eo est, qui possessionem rei, tanquam sua sit, apprehendit, dum alius absens, ciuilem eiusdem possessionem tenet. Est autem naturalis possessio imperfecta, & magis impropriè dicta, quàm ciuilis: quæ verò ex vtraque ciuili, & naturali coalescit, ea demum perfecta possessio est.

Denique additur, *iurisque adminiculo.* Quæ verba duobus modis explicari possunt: Primò; Vt apprehensio rei, corpore & animo facta, possessionis rationem nanciscatur, necesse esse, quod ius non refragetur. Quibusdam enim casibus resistit, & impedit, ne possessio oriatur: Veluti ne laicus acquirat possessionem loci sacri, iuxta l. quod vniuersas, §. possessionem, ff. de acquir. possess. *Locum religiosum, aut sacrum non possumus possidere, etsi contemnamus religionem, & pro priuato eum teneamus; sicut & hominem liberum,* iuxta l. cùm hæredes, §. item quæro, ff. eod. Deinde, ne quis acquirat possessionem rei ad publicum vsum deputatæ, puta fluminum, pontium, viarum; etsi populus his vti desierit, iuxta l. viam, ff. de via publica. Item ne quis acquirat possessionem ciuilem rei immobilis, cuius possessor absens est, sicuti suprà dictum. Cæterùm, iuxta hanc expositionem prædo, & rei alienæ inuasor, postquam dominus eum persequi destitit, verè possessor est, quamuis iniustus: quod & Iureconsultus approbare videtur in l. 3. §. ex contrario, ff. eod. vbi dicitur: *In summa, possessionis non multùm interest, iustè quis, an iniustè possideat.*

Alter verò illorum verborum explicandi modus est, quem tradit Syl. ver. dominium, num. 3. Rebellus lib. 1. prælud. q. 8. sect. 1. in fine, vt per eam excludatur possessio rei manifestò iniusta, quippe quæ magis detentio quædam est in solo facto consistens, quàm propriè dicta possessio, sicuti notauit etiam Greg. Tholosanus lib. 1. syntagm. c. 13. num. 22. Less. l. 2. c. 3. dub. 9. num. 41. & cap. seq. patebit.

Sciendum autem hîc est: Iudicium, siue litem, quæ in externo foro institui solet, interdum esse de possessione. quod dici solet possessorium iudicium: Interdum vero esse de proprietate siue dominio. quod dici solet iudicium petitorium, quia in eo actor petit à possessore rem sibi adiudicari, tanquam domino, vel saltem ius ad rem habenti. Inter quas actiones siue iudicia, illud quod de possessione est, priùs institui solet: *Quia & ciuilis, & naturalis ratio facit,* inquit Iustin. §. retinendæ, de interdictis, *vt alius possideat, & alius à possidente petat. Et quia longè commodius est & potius possidere, quàm petere: ideo fermè ingens existit contentio de ipsa possessione. Cõmodum autem possidendi in eo est, quod etiam si eius res non sit qui possidet: si tamen Actor, non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio: propter quam causam cum obscura sunt iura vtriusque, contra petitorem iudicari solet.* 5

Verùm, licet hæc regula ordinariè vera sit, quòd possessio releuat onere probandi titulum; fallit tamen, si aliunde vehemens coniectura vel præsumptio existat, malæ fidei atque iniquam possessionem esse: quia v.g. ius commune ei resistit: tunc onus probandi possessori incumbet, argum. l. siue possidetis, Cod. de probat. vbi Gloss. ait, ver. *facti sunt*, quòd Reus probare, & causam siue titulum dicere debet, cùm præsumptio est pro actore, & colligitur ex cap. ex insinuatione, iunct. Gl. ver. *probare potuerit*, de Procurat. atque notauit Ioseph. Mascardus vol. 3. de probat. conclus. 1194. num. 66. Abb. in c. cùm Ecclesia, num. 49. de causa possess. & propriet. ex c. 2. de restit. spoliat. vbi dicitur: quòd Ecclesia, spoliata possessione decimarum ex aliena parochia percipiendarum, non restituitur, nisi doceat se legitimè possedisse: quia ius commune ei resistit. Si tamen possessio, cui iura communiter resistunt, v.g. vt Ecclesia aliena, vel laicus decimas possideat, titulo etiam adiuuetur, tali casu possessio tribuit præsumptionem veritatis ac iustitiæ, licet de eius modo ac qualitate non satis constet, sicuti post Anton. à Butrio & Imolam c. cùm venissent, de instit. docet Mascardus num. 79. Idémq; dicendum, si possessio immemorialis sit, quamuis titulus siue priuilegium exhiberi non possit: dummodo fama priuilegij siue concessionis decimarum v.g. à summo Pontifice concessarum, concurrat: tunc 6

enim, ne pereat ius partis propter difficultatem probandi, ob temporis elapsi diuturnitatem, præsumendum est pro priuilegio, sicuti docet Felinus c. causam quæ, de præscript. num. 3.

7 Præterea, ne iniqui rerum inuasores, & detentores, qualecunque inde commodum aduersus earum dominum capere possent; prætoria æquitate remedia possessoria introducta fuerunt, quæ *interdicta* dicebantur: quia erant certæ verborum formæ, quas inter duos, de possessione contendentes, Prætor proferebat. Sunt autem alia interdicta, siue remedia possessionis adipiscendæ causa comparata; alia verò retinendæ; alia demum recuperandæ. Interdictum siue remedium adipiscendæ possessionis hæredi tribuitur, vt post aditam hæreditatem mittatur in possessionem omnium bonorum, quæ defunctus tempore mortis possidebat, sicuti constat ex ff. & C. quorum bonorum, ff. & C. quorum legatorum. Interdictum siue remedium retinendę possessionis possessori inseruit, qui litis contestatæ tempore rem siue immobilem, siue mobilem, nec vi, nec clam, nec precariò se possedisse probauerit, sicuti constat ex tit. ff. & C. vti possidetis, & §. retinendæ, §. quorum ius, Instit. de interdictis: v.g. Si Titius, te absente & ignorante possessionem tuam clam & furtiuè ingressus est; postquam id rescisti, competit tibi remedium, siue interdictum *vti possidentis*, ad retinendam possessionem ciuilem, expellendúmque alterum à naturali, Iudicis vel Prætoris auctoritate. Qua de re Mol. to. 1. tr. 2. disp. 16. §. quando autem, Mascard. vol. 3. concl. 1190. Denique per interdictum recuperandę possessionis, pristinus possessor restituendus est, si probauerit alterum vel vi illata, vel clam & furtiuè, vel præcariò (i. e. concessione ipsi ad certum tempus, vel vsum facta) possessionem nactum esse, sicuti constat ex l. 1. & toto tit. ff. de vi, & vi armata l. 1. ff. quod vi aut clam, & l. 2. ff. de præcario.

8 His adde, quòd tam canonico, quàm ciuili iure cuiuis permissum est, vt dum ciuilem rei possessionem retinet, eam ab iniusto inuasore propria auctoritate defendere & propugnare possit cum moderamine inculpatæ tutelæ; ac proinde furem fugientem persequi, & rem ablatam vi adhibita ab ipso recuperare, quousque res de loco in locum delata, custodiam hominis effugerit, ita vt possessione illius etiam ciuili priuatus fuerit, iuxta l. 3. §. Neratius, ff. de acquir. posses. Et ita docet Gabr. in 4. d. 15. q. 4. a. 1. Syl. ver. bellum 2. n. 3. Less. lib. 2. c. 9. dub. 11. n. 75. Fundi verò siue rei immobilis iniustum occupatorem, re intellecta, etiam armis necessariæ defensionis causa adhibitis, deijcere non prohiberis, sicut constat ex l. 1. C. vnde vi, l. 1. & 3. ff. de vi, & vi armata, c. olim. 1. de restit. spoliat. & docet Gabr. l. c. Abbas c. item cum, eod. tit. Mol. t. 1. tr. 2. disp. 16. §. illud etiam.

Præterea docet Abb. in c. 1. de immunit. Eccles. n. 6. hanc violentiæ repulsionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tantùm concessam esse possessori ipsius fundi seu loci; sed etiam possessori iuris in tali fundo: vt si iure suo vti, v.g. iter agere, exercitum traducere, pascua depascere, in domo debitum sibi hospitium accipere prohibeatur, non tantùm contra personalem resistentiam se tueri possit, sed multò etiam magis contra realia obstacula; puta fores & muros infringendo, sepes perrumpendo, &c. Cùm enim cuicunque iusto possessori liceat ius possessionis suæ defendere; licebit etiam ea agere, quæ ad defensionem eius iuris necessaria sunt, seruatâ debita moderatione: Nam cui concessum est principale, eidem etiam præparatoria ad illud permitti debent.

Rectè tamen notat Less. lib. 2. c. 9. dub. 11. n. 69. per accidens interdum, ratione scandali, vel grauioris damni secuturi, in foro conscientiæ Charitatis legi repugnaturum, qui contra iniquum rerum inuasorem; vel contra depositarium, conductorem, precariò vtentem, aut contra emphyteutam, post pœnam commissi, &c. restituere recusantem, propria auctoritate arma sumpserit, bellum mouerit. Idémque dicendum, si quis ob ius alicuius seruitutis, vel hospitij denegatum, domum vel muros diruere non sine graui damno, vel scandalo aggressus fuerit: cùm vel via iudicij, v.g. remedio interdicti possessorij, vel alio mitiore modo in possessionem iuris sui se restituendum speret.

Denique ciuili iure constitutum est l. si quis in tantam, 9 C. vnde vi: Quòd violentus inuasor non solùm rei possessione priuandus sit: sed insuper eius dominio excidere debeat, si sua sit: vel æstimationem soluere cogatur, si sua non erat. Quæ tamen lex cùm pœnalis sit, non obligat ante sententiam, sicuti notauit Adrianus in 4. de restit. vbi de bello: & videri potest Maior in 4. d. 15. q. 21. Mol. t. 1. tr. 2. disp. 16. §. secundum est, & to. 3. poster. disp. 682. Simili modo statutum est canonico iure in c. eum qui, de præbendis in 6. vt qui beneficium curatum vi occupat, vel scienter se iniustè intrudit, ipso iure priuatus sit simili beneficio curato, quod antè iustè obtinebat. Insuper, vt quicunque dignitatem, personatum, vel quoduis aliud beneficium Ecclesiasticum vi occupat, eo ipso ius, quod habebat, amittat. de quo vide Couar. 3. de resol. c. 16. n. 7. Vasq. tr. de beneficiis, c. 4. §. 4. dub. 5.

CAP. VIII.

De Exceptione, Præscriptione, ac vsucapione.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio est exclusio, seu potiùs debilitatio actionis intentatæ.*
2 *Duplex est exceptio: Vna peremptoria, & altera dilatoria.*
3 *Præscriptio est exceptio peremptoria, ex tempore legibus definito substantiam capiens.*
4 *Bona fidei possessor post legitimi temporis decursum, plenum rei dominium omni iure acquirit.*
5 *Ad præscribendum seu vsucapiendum imprimis requiritur possessio, eáque ciuilis: sola autem naturalis non sufficit.*
6 *Non plus aliquis vsucapione acquirere potest, quàm possedit.*
7 *Incapax possidendi, est etiam incapax præscribendi: quamobrem iura Ecclesiastica à laicis nullo etiam immemoriali tempore vsucapi possunt, absque titulo præsumpto factæ commissionis, aut accepti priuilegij.*
8 *In actibus meræ voluntatis præscriptio non procedit.*
9 *Si colonus tempore longissimo canonem non soluit, existens in possessione immunitatis absolutè, contra dominum præscribere potest.*
10 *Malæ fidei possessor nullo vnquam tempore præscribit.*
Dubium superueniens non obest bonæ fidei possessori.
11 *Error facti, sed non iuris, quamuis inuincibilis sit, vsucapienti prodest.*
12 *Obligationes quæ sunt non ad agendum, sed patiendum, præscriptione temporis legitimi extinguuntur, sola actoris negligentia seu cessatione; etsi reus obligationem suam non ignoret.*
13 *Cum titulo, puta præsumpto, faciliùs præscribitur, quàm sine titulo.*
14 *Res immobiles sine titulo vsucapiuntur tempore longissimo: nisi ius commune possessori resistat; vel vehemens suspicio sit, possessionem mala fide, vel ex iuris errore acquisitam esse: tunc tempus immemoriale requiritur ad vsucapiendum, modo capacitas sit in vsucapiente.*
15 *Præscriptio immemorialis plura peculiaria commoda habet.*
16 *Triennio possidens beneficium Ecclesiasticum cum bona fide, ius in eo acquirit.*
17 *Successor in possessione, numerare etiam potest tempus antecessoris sui, si is bona fide possedit; secùs, si mala fide.*
18 *Mala fides antecessoris nocet successori vniuersali, siue hæredi, quo minùs is vsucapere possit; nisi fortè tempore longissimo.*
19 *Vsucapio semel cœpta interdum currere desinit; postea iterum processura.*
20 *Si res Minorum temporis diuturnitate vsucaptæ sint, conceditur illis beneficium restitutionis in integrum, continuo quadriennio à die quo natu maiores facti sunt.*

21 *Exem-*

21 *Exemplo Minorum simile restitutionis beneficium competit Ecclesiis aliisque locis piis.*

22 *Maioribus ætate, legitimè impeditis quo minùs res vel iura sua petere potuerint, restitutio in integrum conceditur, quadriennio continuo à die cessantis impedimenti.*

23 *Qui rem legitimè vsucepit, etsi ob iuris ignorantiam postea nihil excipiens, restituat; repetere potest, tanquam omni iure indebitam.*

1 VErbum præscribere apud latinos interdum ita accipitur, sicut apud græcos τὸ παραγράφειν, excipere; vt præscriptio idem sit, quod exceptio. Exceptio autem dicitur actionis exclusio, non inficiendo omnino eius intentionem siue fundamentum; sed aliquid opponendo, ob quod fine vel efficacitate sua priuetur. Exempli causa, Si Titius aduersum te actionem instituat absoluendum, pretium, pro vendito tibi equo, fundamentum ac intentio huius actionis est venditio: tunc verò duobus modis contra eum defendere te poteris; primò, si neges equum tibi venditum esse: per quam defensionẽ intentio aduersarij, & fundamentum actionis excluditur, & onus probandi aduersario imponitur. Secundò, si fateatis quidem equum tibi venditum esse; sed opponas, pretium te soluisse; vel tibi à Titio donatum fuisse: tunc diceris contra aduersariũ excipere, eiusque exceptionis probatio tibi incumbit. Porro exceptionem à Reo conuento appositam interdũ Actor contraria exceptione retundit, quæ dici solet replicatio: & hanc iterum Reus exceptione impugnat, quæ duplicatio appellatur: & sic deinceps triplicationes, quadruplicationes &c. dari possunt. Vide l. 2. ff. de except. & tit. instit. de replicationibus.

2 Est autem duplex exceptio: Vna peremptoria, per quam actio simpliciter & perpetuò excluditur, cuius exemplum suprà datum est. Altera dilatoria, per quam actio non simpliciter, ac perpetuò; sed respectu certi loci, vel personæ excluditur: vt si Reus opponat Iudicem non esse competentẽ. tunc enim actio non omnino excluditur; sed respectu huius tribunalis; diciturq; exceptio declinatoria fori, de qua videri potest Iulius Clarus lib. 5. recept. sent. §. fin. q. 35.

Vt iam propius ad rem accedamus; Romano iure statutum est, vt bonæ fidei possessor, pòst legitimi temporis decursum dominum rem suam pristinam repetentem, vel pristino iure suo vti volentem, oppositione tanti temporis, quantũ iura ad id exigunt, &c. repellere possit; adeóque contra eum peremptoriè excipere, siue præscribere. Qua verbi acceptione Tertullianus egregiũ opus de præscriptione aduersus hæreticos scripsit; in quo ostendit, ipsos ad nullã de rebus fidei disceptationem, & controuersiam à Catholicis admittendos esse; sed compendio præscriptionis, id est, oppositione tam diuturni temporis, quo tali modo vbique in Ecclesia creditum fuit, omnem, quæ contrà affertur, nouitatem repellandam: Quòd si omnino aliquis Orthodoxus hæreticum ad disputationem admittat; profiteri eum oporteat, nõ necessitate aut debito se id facere; sed ex abundante, & ne causæ suæ diffidere videatur.

3 Præscriptio in hac vsurpatione definitur apud Couar. reg. possessor, p. 1. § vn. n. 4. *Exceptio peremptoria, ex tempore legibus definito substantiam capiens.* Vsucapio verò definitur apud Iureconsultum in l. 3. ff. de vsurpationibus & vsucapion. *Adiectio,* (id est, acquisitio) *dominij, per continuationem temporis, lege definiti.* Vnde colligitur, præscriptionẽ plerumque esse quasi fructũ siue effectum vsucapionis. Nam ideò quòd aliquis longa & pacifica rei possessione dominium acquisiuit, contra pristinum dominũ, rem eandem repetentem, exceptionẽ opponere potest. Dico *plerumque*: Quia præscriptio aliquando latiùs patet, quàm vsucapio: si quidem interdum præscriptione excludimus ac tollimus ius actionis personalis, vel seruitutis, quod alter habet, interim nullius rei dominium aut quasi dominium nobis acquirentes aut vsucapientes, vt infrà patebit.

Multi aliud etiam discrimen statuunt inter vsucapionem, & præscriptionẽ; quasi illa rerum mobiliũ tantùm sit, hæc verò immobiliũ. Verum hæc distinctio nullũ in iure fundamentũ habet, sicut legere potes apud Couar. l. in c. n. 2. & 3. Nauar. c. 17. man. n. 85. post Alciatum in l. vt sunt, ff. de verb. signif.

Beneficium præscriptionis ob bonum publicum introductum est, duabus de causis: I. *Ne diu, & fere semper quarumdam rerum dominia incerta essent*, l. 1. ff. de vsurpat. & vsucapion. Et *vt aliquis litium finis esset*, l. vlt. ff. pro suo. Ac denique ne possessores propè immortali timore teneantur, ait Iustinus Imperator in l. cùm notissimi, C. de præscript. 30. vel 40. annorum.

II. Causa: Vt hac ratione segnities, ac desidia hominum, res ac iura sua actione prosequi intermitentium, acuatur, iuxta l. vt perfectiùs, C. de annali except. & c. vigilanti. de præscript. Vide Petrum Tholosanum lib. 40. Sintag. c. vlt.

Neq; tamen hinc rectè colligunt Adrianus in 4. de restit. vbi de præscription. §. Mihi autem sine præiudicio, Medina C. de restitut. q. 18. quòd leges de vsucapione in conscientiæ foro locum non habeant, nisi vbi culpabilis negligentia pristini possessoris interuenit. Nã contraria sententia non solùm Iure consultis, sed ferme etiã Theologis cõmunis est, Bonæ fidei possessorẽ, post legitimi temporis decursum, directum ac plenũ rei, quam vsucapit, dominiũ omni iure sibi comparare, iuxta l. 3. & 23. ff. de vsucap. Vt proinde eam postea à quouis possessore tanquã dominus vindicare possit, l. si quis emptionis, C. de præscript. 30. vel 40. annorum: Neq; in conscientiæ etiã foro restituere teneatur, licet pristini domini inuincibilẽ ignorantiam planè agnoscat, sicuti rectè ex recepta sententia docent Abb. c. vigilanti, n. 6. de præscript. cum Gl. ibidẽ; ver. nouerit, Maior in 4. d. 15. q. 11. conclus. 1. & 2. Couar. reg. possessor p. 3. §. 3 Syl. ver. præscriptio, 1. q. 13. Andr. Fachinæus lib. 1. controuers. iuris, c. 64. contra Henricum Gandauensem quod lib. 8. q. 22. Gregor. Tholos. lib. 40. Syntag. c. 8. n. 4. & 5. 4

Ad fundamentum Adriani & aliorum respondetur: Non ob solam pristini domini negligentiam; sed multò magis ob alias causas, ad bonum publicum spectantes, beneficium vsucapionis publicis legibus constitutum esse: Nemo autem dubitat, quin Principi ius competat de subditorum bonis ita decernendi, sicuti Reipublicæ vtilitas exigit: idque annotauit Scotus in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Abb. in c. quæ in Ecclesiarum, n. 11. de constitut. Adrianus in cit. loco, §. secundò præmitto, Thomas de Argentina in 4. d. 15. in fine, Gabr. ibid. q. 2. a. 1. notab. 2. Ioann. Faber tit. Instit. de iure natur. gent. & ciuili, § sed naturalia, n. 3. Couar. reg. possessor, p. 1. §. vn. num. 5. & p. 3. §. 3. num. 2. Accedit, quòd cùm in iure mentio sit culpæ vel negligentiæ pristini possessoris, sermo non sit de propriè dicto peccato; sed de culpa seu negligentia ciuili, quæ sæpe simplex tantùm, aut inuoluntaria omissio est, & nihilominus aliquo modo ciuiliter puniri potest, ad aliorum industriam excitandam, sicuti dictum fuit lib. 1. tract. de legibus, cap. 15. num. 1.

Conditiones ad legitimam vsucapionem præscriptionémue quatuor requiruntur, teste Syl. ver. præscriptio, 1. n. 1. Prima est possessio. Nam *sine possessione præscriptio non procedit,* reg. 3. in 6. & habetur in l. sine, ff. de vsucap. 5
Debétque ea saltem ciuilis esse: sola autem naturalis non sufficit, sicuti ex communi docet Abb. c. causam, n. 6. de præscript. Couar. reg. possessor, p. 2. initio, n. 7. Quapropter neque alienæ possessioni, occupator vsucapionem inchoare potest, quamdiu alter v. g. absens ciuiliter possidet, sicuti notauit Abb. vigilanti, n. 4. de præscript. Neque commodatarius, depositarius, colonus, inquilinus, procurator, qui rem in pignus accepit,

præscribere possunt, sicuti colligitur ex l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. annorum: eò quòd non suo, sed alieno nomine in possessione sint, siue non vt suam; sed vt alienam rem possideant: quamobrem nec propriè possident; sed potiùs ille, cuius nomine possessionem tenent, c. si diligenti, de præscript. sed neque qui ab eiusmodi personis, quamuis bona fide, rem accepit, præscribere siue vsucapere potest, quamdiu dominus ciuilem rei possessionem retinet. Vasallus tamen, Emphyteuta, & omnino vsufructuarius, cùm quasi possessionem non tantùm naturalem, sed etiam ciuilem vtilis dominij habeant, quippe suo nomine possidentes vsumfructum, eundem præscribere possunt, teste Couar. l.c. Gomes lib. 2. resol. c. 15. n. 26. Mol. t. 1 tr. 2. disp. 62. Ioann. Fabro lib. 2. institut. tit. Per quas personas nobis acquiritur, §. de his autem, n. 4.

6 Ex hac requisita conditione infertur primò; Quod aliquis via præscriptionis præcisè plus acquirere non potest, quàm possedit, arg. c. cùm olim, de præscript. Quare si inferior Principe, temporis diuturnitate, cum bona fide, ex certis rebus vectigalia exegit, non ideo censetur ius vectigalis absolutè & quoad omnia præscripsisse. Dixi *via præscriptionis præcisè*: Nam ob præsumptionem, si iura possessori non resistant, plerumque ex vno iurisdictionis: v. g. actu, colligi poterit ius totius iurisdictionis: v. g. exorto dubio de aliqua parochia, ad cuius Episcopi diœcesin pertinere debeat, adiudicabitur illi, qui in illo loco actum Episcopalem exercere solitus fuit, iuxta c. 1. de relig. domibus. Simili ratione si constet, quòd Titius à triginta v.g. annis fuerit in possessione præsentandi clericum ad Ecclesiasticum beneficium, adeóque hoc ius Ecclesiasticum præscripserit; ex vno isto actu præsumptio fiet, totum ius patronatus eidem Titio competere, sicuti notauit Abb. in cit. c. 1. n. 4.

Infertur secundò; Quòd subditus, dum se subditum profitetur, præscribere non potest aduersus ea, quæ potestas gubernatiua intrinsecè ac necessariò requirit; puta vt legibus aut præceptis non teneatur; vt à Superiore nunquam iudicetur, puniatur; vt ad Principem ab inferioribus seu subiectis Iudicibus non appelletur vt à censibus & tributis ordinarijs, quæ in signum supremæ potestatis Principi soluuntur, immunis sit, l. competit, C de præscrip. 30. vel 40. annorum, Ita docent ex communi Abb. in c. cùm contingat, n. 14. de foro competente, c. cùm non liceat, n. 13. & c. audientiam n. 18. de præscrip. Couar. reg. possessor, p. 2. §. 2. n. 9. & 10. Less. lib. 2. c. 6. dub. 12. Potest tamen aliquis temporis diuturnitate contra Superiorem præscribere immunitatem, qua desinat esse eius subditus, sicut Couar. l.c. annotauit. Potest item subditus partem aliquam iurisdictionis, quæ alioquin communi iure Superiori competit, cum bona fide præscribere, v.g. Capitulum vt in prima instantia suos Canonicos, & Officiales iudicare possit: sed requiritur ad hoc possessio temporis immemorialis, vel 40. annorum, cum titulo colorato: quandoquidem præsumptio iuris suffragatur Principi, Episcopo. sicuti annotauit Couar. reg. possessor, p. 2. §. 3. n. 3.

7 Infertur tertiò. Quòd qui incapax est possidendi, is etiam præscribendi incapax est. Quamobrem laici res sacras seu Ecclesiasticas nullo vnquam tempore præscribere possunt: cùm earum possessionis incapaces sint, vti constat ex cap. præced. n. 4. Tales sunt v. g. decimæ clericales, item iurisdictio in personas. & bona clericorum: quamobrem iura canonica passim reprobant consuetudinem hanc, tanquam irrationabilem, si laici clericales decimas detineant, vel iurisdictionem in Ecclesiasticas personas, aut bona earum vsurpent.

Sed aduertendum est hoc loco; Licet laici incapaces sint possessionis eiusmodi iurium, proprio nomine & auctoritate; capaces tamen fieri per titulum priuilegij, aut concessionis, factæ ab eo, qui potestatem habet, vid. del. à Summo Pontifice. Quare ita ratiocinari licet: Quæ qualitas seu conditio ad possidendum requiritur, eadem & ad præscribendum: sed titulus priuilegij, seu factæ commissionis, verus, aut præsumptus in laico requiritur ad possidendum ius decimarum clericalium, vel Ecclesiasticæ iurisdictionis exercendæ in personas, aut res Ecclesiæ. Ergo etiam titulus priuilegij seu factæ commissionis requiritur in laico ad præscribendum eiusmodi ius contra Ecclesiasticam v. g. immunitatem.

Corollarium. Immemorialis consuetudo, seu possessio meri facti, quamuis cum bona fide, interdum non sufficit, si sola sit; & absque titulo præsumpto, vel saltem constante fama accepti tituli, seu commissionis, aut priuilegij: tunc nimirum, si consuetudo tanquam irrationabilis legibus reprobata est; siue quod eodem redit, si aliquis per leges incapax est possidendi, & consuetudinem introducendi. Quòd autem Iuristæ aliqui dicere solent; Ipsam consuetudinem immemorialem loco tituli esse; cùm & ius tribuat possidenti ac præscribenti, imò etiam præsumptionem afferat accepti tituli: id verum duntaxat est, si aliquis absque titulo, seu speciali priuilegio, aut commissione capax sit possidendi, & præscribendi; alioquin non. Si enim titulus, seu priuilegium hominem capacem reddere debeat ad possidendum, seu præscriptionem inchoandam, necessariò antecedere oportet titulum: non autem ipsa mera consuetudo, seu meri facti possessio (quippe quæ reprobata à legibus, inutilis censetur) inducere potest titulum, seu præsumptionem tituli, vti optimè post alios annotauit Franc. Suarez lib. 4. defens. Cathol. cap. 34. num. 16. Videri potest Syl. ver. præscriptio, 1. q. 2. dicto 4. Couar. 1. resol. cap. 17. num. 6. Sotus lib. 4. de Iust. q. 5. a. 4. & quæ dicam lib. 4. tract. 6. c. 6. n. 8. & tract. 9. c. c. 9. n. 7.

Infertur quartò. Vt intelligatur, quidnam aliquis temporis diuturnitate præscripserit, diligenter considerandum esse, quidnam possederit, vel quasi possederit, si loquamur de præscriptione iurium, de quibus maior difficultas est. Interdum enim possidemus ius agendi contra aliquem tanquam obligatum nobis, v. g. seruitia imponendi, annuas præstationes exigendi. Nota quod dico, *tanquam obligatum*: quia iuri siue actioni ex altera parte obligatio correspondet. Alioquin verò recepta est apud Iureconsultos regula: Quòd *per actus liberos non inducitur præscriptio*: id est, dum aliquis liberè, & non 8
tanquam ex obligatione aliquid mihi præstat, non possum præscribere, cùm non sim in possessione iuris erga ipsum. Interdum verò possidemus ius immunitatis ab alterius actione, aut exactione. Et ad hanc possessionem requiritur, vt aliquis neget se alteri obligatum esse, vel ipsa re aut facto ita se gerat, ac si obligatus non sit; ab eo tempore incipit esse in possessione immunitatis, v.g. à tributis, angariis, decimis præstandis. Sin verò aliquis se agnoscat obligatum, vel communiter habeatur pro obligato, tunc nihil eum adiuuat, exactionem factam non esse: quia locum habet regula suprà tradita. Quòd in actibus meræ voluntatis nō procedit præscriptio. Qua ratione Neotherici resoluunt, quos sequitur Andr. Gaill. l. 2. obseruat. 60. n. 4. quòd Vasallus, aut subditus nunquam præscribit contra dominum ius seruitiorum, v. g. angariarum, nisi interpellatus negauerit ea dare: adde tu, nisi re ipsa pro immuni seu exempto se gerat, aut publicè habeatur. Cùm enim in arbitrio seu mera voluntate Principis sit, vtrum seruitia, v.g. angarias, perangarias exigere velit, néc ne: non ideo præcisè quia temporis diuturnitate non exiguntur, alter in possessione immunitatis constituitur. Sæpe tamen præsumi potest renuntiatio iuris, si oblata opportunitate exigendi, nulla exactio fiat: & ob

talem præsumptam renuntiationem facilè est possessionem immunitatis inchoare: item si, dum ab aliis exactio fit, à quibusdam non fiat, præsumptio esse solet pro exemptione.

9 Ex his aperitur verus sensus l.cùm notissimi, §.in his etiam, vbi negat Imperator Iustinianus, propter non exactum, neque solutum canonem tempore longissimo, ius emphyteuticum extingui. Id enim verissimum est, si colonus se emphyteuticum, atque ad canonem obligatum profiteatur, vel publicè pro tali habeatur. Tunc temporis diuturnitate vsucapere quidem potest pensiones singulas: vt si pensio, cuius soluendæ dies ante xxx.annos cesserat, hactenus exacta nunquam fuit, ab eius solutione liber existat: non tamen vsucapere potest immunitatem absolutè, siue vt etiam subsequentes, & nondum ita præscriptas pensiones soluere obligatus non sit. Ratio est, quæ sumitur ex l.malè agitur, iunc. Gl. & Bartolo, C.eod. tit. Quia non plus aliquis præscribit, quàm possidet: iste autem colonus, vt ponimus, non habetur pro immuni à soluendo canone absolutè; sed tantùm à canone vno, aut altero, cuius exactio facta non fuit. Cùm enim singulis v. g. annis pensio soluenda sit, tot sunt actiones seu exactiones, quot pensiones: & consequenter tot præscriptiones, quot actiones; ita vt ex vna ad alteram argumentari non liceat: id est, non propterea quòd contra vnam exactionem præscripsisti, etiam contra alias subsequentes pensiones præscripsisse censeris. Quo sensu vera est doctrina Mynsing.cent.3.obseruat. 13. Gaill. lib.2.obseruat. 73.

At verò si annua pensio siue præstatio petita fuit, & colonus se debitorem absolutè negauit, ab eo tempore incipit esse in possessione immunitatis simpliciter; vt si dominus, seu creditor triginta annorum spatio quiescat, omne ius annuæ præstationis per præscriptionem extingui possit. Idémque dicendum, si re ipsa siue facto, præsertim accedente communi persuasione, colonus se immunem à pensione soluenda profiteatur. Etenim certissimum est, quòd iura immunitatis aduersus annuas exactiones præscribi possint; modò adsint possessio, bona fides, & temporis legitimi decursus. Nam hoc modo contra ius quartæ decimarum Episcopis debitæ, quadraginta annis præscribi potest, c.de quarta, de præscript. Item ius immunitatis à decimis soluendis vniuersim vsucapi potest XL. annorum spatio, c.ad aures, eod. tit. Denique notum est ex l. sicut in rem, & l. omnes, contra actiones omnes tum reales, tum personales, saltem longissimo tempore præscribi posse.

Porrò cùm idem ius sit de parte ad partem, quod est de toto ad totum; simili ratione dicendum: Si temporis diuturnitate non integra pensio soluta fuit; sed pars eius; referre, vtrum colonus tali protestatione soluerit, quasi plus non deberet: tunc est in possessione iuris immunitatis quoad alteram partem, sicuti manifestè colligitur ex c. olim, de censib. & notat ibi Gl.ver. triginta sex.& Gl. in c. conquerente, ver.duos solidos, de off. Ordinarij. An verò soluerit partem, cùm sciret, & profiteretur se plus debere, præscribere non potest quoad futuras pensiones integras: imò verò soluendo partem debiti, contenti in instrumento, totum debitum confiteri censetur, l.cùm fidem, C. de non numerata pecunia.

10 Altera conditio est bona fides. Nam *possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit*, reg. 2. in 6. Dicitur autem bona fide, id est, bona conscientia rem possidere, qui prudenter existimat se possidendi ius habere, ratus videlicet rem suam, seu ad se pertinentem esse: vel saltem nesciens alienam esse. Quo sensu nomen fidei, pro conscientię inquam iudicio, Apostolus accepit ad Rom.14. *Quod non est ex fide, peccatum est*: id est, quicunque contra conscientiam agit, is peccat. Et consentit Innoc. III. in Concilio Lateran. c. vlt. de præscript. *Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est; Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quàm ciuilis: cùm generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet, vt qui præscribit in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Idipsum verò ordinariè præsumendum est, aliquem bona fide possedisse, præsertim si possidendi titulus aliquis prætendatur: quia non facilè præsumi debet peccatum. Idque tradit Gl. recepta in l. super longi, ver. probetur, C. de præscript. longi temporis. Nisi contra ius commune rei possessionem aliquis acquisiuerit; vel possessionis suæ nuper acquisitæ rationem nullam afferre possit: aut si ipsi denuntiatio facta fuerat rem esse alterius, ille autem veritatem inquirere neglexit. Ita Gl. & Abb. c. si diligenti, n.14. de præscript. Ioseph. Mascardus de probat.concl.1213. n.43. Couar.reg.possessor, p.2. §. 8.n.3.

Porrò, licet ad inchoandam bonæ fidei possessionem, vsucapionémque non satis sit dubitare, sed oporteat existimare rem suam esse, siue eius accipiendæ, possidendæ ius competere; tamen ad possessionem, vsucapionémque, quæ bona fide cœpta est, continuandam, sufficit nescire alienam esse; licet aliquis dubitet, an sua sit: modò interim moralem diligentiam adhibeat veritatis cognoscendæ. Idque colligitur ex c.vlt.de præscript. ibi, *In nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam.* Et ex S.Aug.lib.de fide & operibus, c.7.quod refertur in c.7.quod refertur in c.si virgo, 34.q.1. *In iure prædiorum tamdiu vnusquisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum. Cùm verò scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc iustè iniustus vocatur.* Atq; hoc est quod docent Gl. recepta in c.vlt. ver. nulla temporis, de præscript. Abb. ibid. n. 39. Medina C. de restitut. q. 17. Couar. p.2. regula possessor, §.7. n. 3. Syl. ver. præscriptio, 1.§.3. dicto 3. Nau. c. si quis autem, n.89. d.7. de pœnit. Mol. disp. 65. Sanchez lib.2. de matrim. disp.41. Suarez t.2. de relig. lib.4. cap.5. num.16. Less. lib.2. c.6. dub.3. contra Hadr. de restit. q. de præscript. §. hoc supposito, Maiorem, in 4.d.15.q.11. requisito 2. Sotum lib.4. de iustit. q.5. a.4. Quòd *possessionem & vsucapionem bona fide cœptam dubium superueniens non vitiat, seu interrumpit.* Ratio est: *Quia in dubio melior est conditio possidentis*: quamobrem stante tali dubio speculatiuo, formari potest conscientia certa seu bona fides, tali casu rem retineri; imò & absumi posse. Ex qua doctrina rectè respondit Gl. in c. cura, ver. legitima, ibid. Abb. n. 1. de iure patr. Etiamsi primi, possessionem aliquam contra iura accipientes, præscriptionem inchoare non potuerint; tamen eorum successores vsucapere posse, qui hoc ignorant, ideóque bonam fidem habent, ob præsumptionem, quam etiam in dubio habere possunt, interuenisse legitimum titulum, vel priuilegium: Nam *qui in alterius locum succedit, iustam habet ignorantiæ causam*, reg. 42. ff. Vide Medinam C. de restit. q. 17. & quę dixi lib.1. tr.1. c.5. n.21. & tr.4. c.3. n.3.

Pro pleniore autem intellectu duo aduertenda sunt: Primum ex Couar. reg. possessor, p.2. §. 6. num. 9. Bonam & malam fidem dupliciter accipi: theologicè, ac ciuiliter. Priore acceptione aliud non est rem bona fide vt suam possidere, quàm sine peccato possidere: quod licet vel maximè ad vsucapiendum requiritur, tamen non sufficit; sed requiritur etiam bona fides ciuili consideratione. Cùm enim ius seu commodum vsucapiendi legibus ciuilibus approbante etiam iure canonico, boni publici causa introductum sit: ideo vbi *lex vsucapionem inhibet, bona fides* theologica *vsucapienti nihil prodest*, ait Pompon. in l.24. ff. de vsucap. Hoc etiam sensu dicitur in l. sed etsi, §. si ante, ff. de hæredit. peti-

tione: *Post litis contestationem omnes malæ fidei possessores esse*; intellige ciuili consideratione: propterea quòd leges ab eo tempore vsucapionem procedere vetant.

11 Quare hoc loco quæstio resolui potest: Vtrum cum inuincibili iuris ignorantia vsucapio fieri possit? Affirmat Medina C. de restit. quæst. 17. prope finem, idque non improbabile putat Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 5. Fundamentum est: Quia iuris ignorantia, si inuincibilis sit, inculpata est, consequenter bonam fidem inducit, quæ ad vsucapiendum sufficit. Sed contraria sententia est communis, ac vera apud Couar. reg. possessor, part. 2. §. 7. num. 11. Abb. c. cùm non liceat, num. 8. de præscript. & traditur apertè in l. 31. ff. de vsucapionibus: *Nunquam in vsucapionibus iuris error possessoribus prodest.* Et l. 4. ff. de iuris & facti ignorantia: *Iuris ignorantia in vsucapionibus negatur prodesse: facti verò ignorantiam prodesse constat.* Et l. 2. ff. pro emptore: *Si à pupillo emero sine tutoris auctoritate, quem puberem esse putem: dicimus vsucapionem sequi, &c. Quòd si scias pupillum esse: putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare: non capies vsu: quia iuris error nulli prodest.* Simile est, si emas à Prælato, ratus Capitulum consensisse, cùm non consenserit, potes præscribere: Sin verò arbitratus fuisti, Capituli consensum non requiri, præscribere non potes, sicuti docet Abb. in c. de quarta, n. 12. de præscript. & c. dudum, n. 14. de decimis. Ad fundamentum prioris sententiæ respondetur ex dictis; Ad vsucapiendum requiri quidem bonam fidem theologicè, id est, bonam conscientiam; sed eam non sufficere, si adsit mala fides ciuiliter, id est, quæ vitium aliquod ex lege habet, præscriptionem prohibente: quamobrem legimus in l. quemadmodum, C. de Agricolis & censitis lib. 11. *Malæ fidei possessorem esse nullus ambigit, qui aliquid contra legem mercatur; adeò, vt vsucapere non possit.*

Sed limitanda est communis doctrina. I. Nisi sit ignorantia seu error iuris dubij, seu circa quod diuersæ sint Doctorum probabiles opiniones: talis enim ignorantia bonæ fidei possessorem impedire non debet, quo minùs vsucapere possit, sicuti docet Abb. c. de quarta, n. 12. de præscript. Syl. ver. præscriptio, 1. q. 3. Nau. lib. 1. consil. 9. de officio Iudicis Ordinarij, edit. 2. Couar. regula possessor, p. 2. §. 7. n. 12. Less. lib. 2. c. 6. dub. 5. II. Si Ignorantia iuris ciuiliter inculpata censeatur, puta in Milite, Minore viginti quinque annis, vel Rustico non habente copiam consultoris, sicuti probabiliter docet Molina lib. 2. de primogenijs, c. 7. n. 69. quem citat & non improbat Less. cit. dub. 5. n. 17. Nam ideo legum ciuilium latores iuris ignorantiam in commodis acquirendis prodesse nolunt, vt desidia euitetur, & homines ad legum scientiam excitentur: consequenter si in quibusdam personis iuris alicuius ignorantia toleretur, eáque etiam theologicè inculpata sit, tunc bonam fidem inducere poterit, quæ omni iure ad vsucapiendum sufficiat. III. Limitant Nauar. in cit. consil. 9. Less. cit. dub. 5. n. 15. Quòd iuris ignorantia prosit ad præscribendum fructus, quos possidens bona fide percepit, existimans videlicet se ius percipiendi habere: Sed hoc verum non videtur, quod attinet ad fructus extantes: illi enim post rescissionem contractus, qui iure ipso resistente non subsistit, vnà cum ipsa re restituendi veniunt, sicuti ex communi docet Bartolus in l. sed etsi, §. scire, ff. de petit. hæret. Abb. in c. ad nostram, de rebus Eccles. non alienandis, n. vlt. ex l. iubemus, 2. C. de SS. Ecclesiis.

Alterum aduertendum. Obligationes quæ per præscriptionem extingui possunt, duplicis generis sunt: Quædam enim suapte natura tendunt ad agendum, vel non agendum: v. g. qui rem alienam possidet, obligatur ad eandem suo domino reddendam: & qui ex mutuo, empto, aliáue pactione debitor, est obligatur ad rem debitam alteri soluendam. Item in seruitutibus vrbanis obligatur aliquis v. g. ad ædificium altiùs non tollendum: fenestram in alterius hortum non aperiendam. Quibus omnibus hoc commune est, vt nulla præscriptione tolli possint, quamdiu earum scientia adest: Dum, inquam, scis, te rem alienam possidere; ex empto, aliáue personali actione debitorem esse; vel ius ædificium tollendi, fenestram aperiendi; item in alieno prædio pascendi, venandi, tibi nullum competere, præscriptionem nec inchoare, nec perficere potes; quia mala fide vteris. Qua de re lege Couar. reg. possessor, p. 2. §. 11. n. 4. §. verum.

Aliæ verò obligationes sunt, quæ suapte natura duntaxat referuntur ad patiendum, vel onus subeundum, si ab altero agatur, petatur. Eiusmodi obligationes præscriptione extinguuntur ob solam negligentiam siue cessationem actoris seu exactoris; etsi obligatus suæ interim obligationis probè conscius sit. Quæ est doctrina Bartoli in l. item sequitur, §. si viam, ff. de vsucap. Syl. ver. præscriptio, 1. num. 1. Med. cit. quæst. 17. §. de præscriptione, Mol. tom. 1. tract. 2. disput. 66. quam latè examinat Abb. in c. vlt. de præscript. Exempla habes I. In legibus pœnalibus non obligantibus Reum ad soluendam pœnam ante Iudicis sententiam, seu exactionem, sicut cernere est in pœna commissi ob vectigal non solutum. Nam fiscus, post elapsum sine litis contestatione quinquennium, res sibi ampliùs vindicare non potest, iuxta l. 2. C. de vectigalibus & commissis. Talis quoque est actio pœnalis contra furem in duplum vel quadruplum; item actio iniuriarum, aliæque Prætoriæ, quæ anni spatio extinguuntur, Institut. de perp. & tempor. action. 12

II. In actionibus quæ ciuili iure inuentæ, certóque temporis spatio definitæ sunt, v. g. aduersus venditorem, rei venditæ vitium, etiam sine dolo reticentem, competit actio *redhibitoria*; vel *quantò minoris*: quarum illa semestri; hæc anni spatio extinguitur: manente nihilominus naturali obligatione, & actione ad damni compensationem, sicut docet Couar. dicta p. 2. §. 11. num. 6. conclus. 7. & dicam infrà tract. 4. cap. 17. §. 2. assert. 3. in fine.

III. Seruitutes rusticæ extinguuntur per solum non vsum tempore legibus definito etsi is, qui præscribit, probè sciat alteri tale ius competere; puta itineris, vel actus per fundum alienum. Non enim vi talis seruitutis dominus fundi cogitur admonere alterum, vt iure suo vtatur; sed pati tantummodo, si vtatur, sicuti rectè cum Bartolo docent Mol. l. c. conclus. 4. Med. l. suprà cit. Less. cit. dub. 6. in fine.

IV. Eadem ratione existimo probabiliter dici: Quòd actio hypothecaria, præsertim in generali hypotheca fundata, post lapsum temporis legitimi, institui ampliùs non possit contra tertium possessorem, puta bonæ fidei, & absque fraude emptorem; etsi tempore currentis præscriptionis probè sciuerit, rem oppigneratam esse; cùm neque hic teneatur ad aliquid agendum, sed solùm ad patiendum, vt à se vindicetur, si debitor, excussis bonis suis, soluendo idoneus non reperiatur.

Tertia conditio ad vsucapiendum frequenter requisita est titulus; non quidem verus: (nam hic vnà cum traditione, vel possessione rei dominium transfert, vt præscriptione tunc opus non sit) sed rationabiliter præsumptus: puta, quia aliquis rem emit; dono, aut hæreditate accepit, probabiliter arbitratus, dominũ esse, à quo acceperat. Talis enim dicitur possidere & vsucapere pro emptore, pro hærede: pro donato, legato, &

omnino profuo, ſicuti conſtat ex lib. 41. tit. 4. & ſeqq. ff. Interdum tamen opus non eſt titulum poſſeſſionis noſſe, aut oſtendere poſſe: cùm nihilominus bona fides conſiſtere, vſucapionémque temporis diuturnitate perficere queat, ſicuti conſtat ex c. 1. de præſcript. in 6. Ratio eſt: Quia facilè etiam in proprio facto, ex temporis longinquitate, obliuio contingit, vt dicere aliquis non poſſit, quo titulo rei poſſeſſio ad ipſum deuoluta ſit, iuxta l. peregrè, ff. de acquiren. poſſeſſ. Quare in dubio bonę fidei iuriſque præſumptio ſtat pro poſſeſſore, dummodo is capax ſit, vt videre licet apud Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 8.

Quarta & vltima conditio eſt continuatio poſſeſſionis, tempore legibus definito. Qua in re diſtinguendum eſt, vtrum res quæ vſucapienda eſt, cum titulo poſſideatur; an ſine titulo: Et iterum, vtrum res mobilis ſit, án
13 immobilis. Dico igitur I. Res mobiles triennij ſpatio vſucapiuntur cum titulo & bona fide, ſicut conſtat ex inſtit. de vſucap. in princip. & l. vn C. de vſucap. transformanda, & authent. quas actiones, C. de ſacroſanctis Eccleſiis, vbi ſignificatur, eandem triennalem præſcriptionem procedere aduerſus Eccleſiam, quamuis Romana ſit. Vide Leſſ. dub. 7. Couar. reg. poſſeſſor p. 2. §. 2. num. 5. Excipiendæ verò ſunt ab hac aſſertiones res furtiuæ, & iniqua violentia acceptæ, ad quarum vſucapionem, in cuiuſcunque manus deueniant, 30. anni requiruntur, §. furtiua, Inſtit. de vſucap. l. vitia, iunct. Gloſſ. C. de acquir. poſſeſſ.

Dico II. Res mobiles ſine titulo vſucapiuntur aduerſus quemlibet, 30. annorum ſpatio. Quæ eſt communis Doctorum ſententia apud Molinam diſp. 68. Leſſium cit. dub. 7. ducto argu. ex l. 3. C. de præſcriptio. 30. vel 40. annorum. Quare cùm in ea re Eccleſia nullum priuilegium acceperit, fateri debemus, eodem iure in rebus mobilibus contra Eccleſiam, etiam Romanam, præſcribi, ſicuti contra priuatum.

Dico III. Res immobiles cum titulo vſucapiuntur inter præſentes decennio; inter abſentes ſpatio viginti annorum, ſicuti conſtat ex Inſtit. de vſucap. l. vltim. & toto tit. Cod. de præſcript. longi temporis, & legere potes apud Gratianum ſuper cap. placuit, 16. quæſt. 3. ſed cautè: quia plures errores ſuos congerit. Excipitur verò, ſi res immobilis à malæ fidei poſſeſſore ad te pacto aliquo vel contractu translata ſit, non potes domino ignorante, ante 30. annos vſucapere, ſicuti habetur apertè in Authent. malæ fidei, Cod. de præſcript. longi temporis. Porro præſentes dicuntur qui in eadem prouincia, ac ſub eodem regimine domicilium habent; licet res quæ vſucapiuntur alibi ſitæ ſint. Abſentes autem dicuntur, qui domicilium ſub diuerſo regimine habent, l. vlt. iun. Gl. C. eod.

Loquor autem de bonis priuatorum: Nam primò: Bona tum mobilia, tum immobilia fiſci, id eſt, quæ fiſco iam acquiſita & incorporata ſunt, non niſi tempore longiſſimo 30. vel 40. annis vſucapiuntur, §. res fiſci, iunct. Gloſſ. Inſtit. de vſucap. & l. omnes, C. de præſcript. 30. vel 40. annorum. Sin verò nondum fiſco incorporata, ſed vacantia ſunt, quia aliquis ſine hærede mortuus eſt; tunc vel non ſunt denuntiata fiſco, & præſcribuntur tempore ordinario, l. quamuis, ff. de vſucap. Vel ſunt denuntiata, & tunc tempus quadriennij ſufficit ad præſcriptionem, l. 1. C. de quadriennij pręſcript. Sin autem ob crimen fiſco commiſſa ſunt, puta ob vectigal non ſolutum; ob hæreſis, vel læſæ Maieſtatis crimen; tunc aut loquimur de fiſco ſeculari, aut Eccleſiaſtico: Si de ſeculari, poſt lapſum quinquēnij omnis actio fiſci extinguitur, ſicuti docet Bartolus communiter receptus in l. 2. C. de Apoſtatis. Sin verò loquamur de fiſco Eccleſiaſtico, tunc ſpectato iure communi, ſeruanda eſt conſtitutio, c. 2. de præſcript. in 6. vt bona ob delictum cōmiſſa Eccleſiæ Romanę non niſi cētum annorum ſpatio, iuxta ſpeciale eius priuilegium; aduerſus inferiorem autem Eccleſiam 40. annis præſcribantur; idque etiam in cauſa hæreſis locum habeat, vt filij, ſi Catholici ſint, 40. annorum ſpatio non tantùm contra Eccleſias particulares, ſed etiam Romanam præſcribere poſſint, ſicuti docet Abb. in cap. cùm vobis, num. 8. & ſeqq. de præſcript. licet aliter Bartolus loc. cit. Vide Couar. in epit. p. 2. §. 8. num. 22. & reg. poſſeſſor, p. 2. §. 2. num. 10.

Secundò aduerſus Romanam Eccleſiam 100. annorum ſpatio vſucapio perficitur, c. ad audientiam; c. ſi diligenti; de præſcript. c. 2. eod. in 6. Authent. quas actiones, C. de ſacroſanctis Eccleſijs.

Tertiò aduerſus inferiorem Eccleſiam, Monaſterium, Hoſpitale 40. annis, iuxta c. de quarta, c. ad aures, c. illud, de præſcript. & cit. Authent. quas actiones. Idémque locum habere in hæreditatibus, legatis, aut donatis ad pias cauſas, puta pro pauperibus, pro captiuorum redemptione, &c. habetur expreſsè in Authent. de Eccleſiaſt. titulis, c. 3. collat. 9. & docet. Abb. in c. 2. num. 10. de præſcript. Couar. cit. p. 2. §. 2. num. 3.

Quartò, aduerſus Monaſteria S. Benedicti, & Ordines eorundem priuilegijs gaudentes 60. annis, ſicut conſtat ex priuilegio Eugenij Papæ apud Mol. diſp. 72. Leſſ. lib. 2. c. 4. dub. 8. num. 25.

Quintò, Bona legata, donata, vendita ciuitatibus, & quæ ad coronam regni vel prouinciæ ſpectant, 100. annis, iuxta l. vt inter, C. de ſacroſanct. Eccleſ. & videri poteſt Couar. p. 2. §. 2. num. 15.

Sextò, Alienatio feudi ſine domini conſenſu facta alteri, quamuis bona fide accipienti, præſcriptione non obſtante, reuocari poteſt à domino, lib. 2. feudorum, cap. 40. de Capitul. Cunradi. Quód tamen ibi Gloſſ. & Doctores intelligunt de præſcriptione temporis longi; non tamen longiſſimi, ſeu annorum XXX.

Dico IV. Res immobiles ſine titulo vſucapiuntur tempore longiſſimo, videlicet 30. 40. 60. vel 100. annorum, iuxta differentiam eorum, aduerſus quos vſucapio procedit. Ita docent Doctores communiter ex l. ſicut in rem, & l. ſi quis emptionis, §. quòd ſi quis, C. de præſcript. 30. vel 40. annorum, &c. ſanctorum de præſcript. 14

Limita aſſertionem. Si ius commune reſiſtat, vel aliunde vehemens præſumptio ſit, poſſeſſionem mala fide, vel ex iuris errore acquiſitam & vſurpatam fuiſſe, tunc neque longiſſimum tempus ad præſcribendum ſufficit; ſed neceſſe eſt oſtendere vel titulum apparenter iuſtum, per quem elidatur pręſumptio malæ fidei, ſicuti explicat Abbas in cap. dudum, num. 10. de decimis; vel oſtendere poſſeſſionem temporis immemorialis, id eſt, cuius initij nulla memoria exiſtat. Nam talis immemorialis poſſeſſio inducit præſumptionem tituli, vel accepti priuilegij, ſi capacitas ſit in præſcribente. Ita habetur in cap. 1. de præſcript. in 6. & docet Gloſſ. communiter recepta in cap. ſuper quibuſdam, §. præterea, de verb. ſignif. M. Antonius Peregrinus de iure Fiſci, lib. 6. c. 8. Anton. Gabrielius lib. 5. de præſcript. conclus. 1. num. 1. Aymon. de antiquit. temp. p. 4. §. abſolutis, num. 48. Abb. in c. de quarta, num. 26. & in c. vigilanti, num. 35. de præſcript. Couar. reg. poſſeſſor p. 2. §. 10. num. 7. Ioſ. Maſcardus vol. 3. concluſ. 1214. Mol. diſp. 77. argum. l. vlt. ff. de aqua pluuia arcenda, ibi: *Quibus auctoritatem vetuſtas daret, licet ius non probaret*. & l. 2. in princ. ff. eod. ibi, *vetuſtas ſemper pro lege habetur*.

Exempla habes: Si Epiſcopus alienæ diœceſis Eccleſias, vel decimas tempore immemoriali poſſideat. Si Regulares beneficia, tanquam regularia ſint; cum Epiſcopi preiudicio, abſque titulo tempore immemoriali teneant. Si laici à ſoluendis decimis pari antiquitate immunes ſint; vel diœceſani ab Ora

dinarij iurisdictione exempti, iuxta c. cùm personæ, de priuileg. in 6. & videri potest Couar. 1. resol. c. 17. Si inferior Episcopo Pontificalia insignia ob immemorialis temporis consuetudinem sibi vendicet, de quo Abb. in c. 1. num. 10. Vt lite pendente nihil innouetur. Si inferiores Duces aut Magnates regni, tributa exigant, monetas cudant, vectigalia imponant, cap. super quibusdam, de verb. significat. vel similia faciant, quæ ad merum imperium spectant, & supremo Principi, tanquam specialia eius priuilegia, competunt, qua de re Abb. in c. vlt. num. 11. de consuet. Crauetta de antiq. tempor. p. 4. §. absolutis, num. 13. Couar. cit. p. 2. §. 3. num. 3. Ioach. Mynsinger. cent. 4. obseru. 24. Si quis in Ecclesia, quæ secundùm propriam institutionem libera esse deberet, ius patronatus à tempore immemoriali possideat; vel si fundator seu patronus Ecclesiæ Collegiatæ ius præsentandi Prælatum seu Rectorem Ecclesiæ vendicet sibi à tempore, cuius initij nulla memoria extat. qua de re Couarru. reg. possessor, p. 2. §. 10. Molin. disp. 75. §. quando Ecclesia. Less. lib. 2. c. 6. dub. 10. Videri etiam potest Trident. sess. 25. c. 9. de reform.

15 Porro circa præscriptionem temporis immemorialis quædam obseruanda sunt: I. Quòd hęc præscriptio non censeatur comprehensa statuto aut lege quamuis generalibus verbis prohibente fieri præscriptionem; puta *nulla præscriptione obstante.* Quia hæc specialem fauorem, atque æquitatem continens, specialem derogationem desiderat; quæ tamen fieri non solet, si capacitas sit in præscribente, & res præscriptibilis.

II. Tametsi is, qui possessionem temporis immemorialis ostendere potest, non teneatur titulum allegare; cùm ob temporis diuturnitatem id sæpe difficile sit, atque ipsa tanti temporis continuata possessio ius tribuat, si capacitas sit in possidente, sicuti notat Glos. recepta in c. 1. de præscript. in 6. ver. non extat, Abb. in c. peruenit, n. 3. de censib. Couar. reg. possessor, p. 2. §. 3. n. 8. ver. hinc falsum. Nihil tamen plerumque obest, vna cum tanti temporis possessione titulum allegasse, v. g. accepti priuilegij, factæ compositionis, &c. etsi talis titulus plenè probari non possit: quandoquidem ex adiuncta possessione diuturna præsumptionem ac corroborationem accipit.

III. Præscriptio immemorialis nullum definitum annorum tempus requirit; sed probari debet secundùm Gl. & DD. in c. 1. de præscript. in 6. Ioan. Fabr. tit. de iure naturali, gentium, & ciuili, §. ex non scripto, per testes, *quòd semper viderunt & audierunt ita esse; neq; vnquam contrarium: et quòd communis est, & fuit semper opinio ac fama de hoc facto, neque extet contrarij vel initij memoria.* Monent autem Nau. l. 2. consil. vlt. de præscr. edit. 2. Mol. disp. 76. nihil obstare huic præscriptioni, etsi constet, possessionem ante 300. vel 200. annos nullam fuisse, sed postea cœpisse; dummodo initium illius memoriam senum, qui modò viuunt, etiam ex auditu siue relatione maiorum suorum excedat: neque etiam apertè sciatur, quòd initium talis possessionis vitiosum fuerit, sicut annotauit Couar. cit. §. 3. num. 8. Aym. Crauet. cit. p. 4. §. absolutis, num. 60.

Dico V. Quòd dixi de rebus immobilibus, pariter intelligi debet de præscriptione rerum incorporalium siue iurium, puta vsusfructus, annuæ præstationis, iuris patronatus, iurisdictionis, &c. Quæ proinde 10. annis inter præsentes; 20. annis inter absentes, cum titulo colorato, & bona fide absoluitur, 30. verò annis sine titulo. Ita ex communi Mol. disp. 70. in princip. Less. dub. 8. in fine. Est verò hoc loco diligenter distinguendum: Vtrum præscriptio iuris v. g. emphyteutici, vel iuris patronatus tendat contra Ecclesiam; & similiter vtrum præscriptio iurisdictionis tendat contra proprium Superiorem vel Principem: an verò præscriptio horum tendat aduersus personam priuatam, sicuti benè annotauit Couar. in reg. possessor p. 2. §. 10. num. 8. Mol. disp. 70. in princip. & disp. 75. §. porro communis, & sumitur ex doctrina Gloss. vlt. in c. contingit, de dolo & contumacia. Etenim si præscriptio iurium tendit contra Ecclesiam, aut contra Principem; tunc 40. annorum, & interdum temporis immemorialis possessio requiritur, vt ex suprà dictis constat. At verò, si contra aliam personam, puta si non quæratur vtrum Ecclesia patronata sit necne: sed vter duorum, patronus eius existat; tunc vnus contra alium præscribit tempore ordinario, vt in assert. dictum est, & esse communem doctrinam ait Less. cit. cap. 6. num. 33.

Vnde aliud etiam discrimen nescitur. Quòd in casu, quo iuris præsumptio est contra possidentem, vt si quis ius præsentandi sibi vendicet in Ecclesia Collegiata: literas fundationis, si penes habeat, Episcopo exigenti exhibere teneatur: At verò, si litiget de iure patronatus cum alia persona, non tenetur illi instrumentum exhibere, iuxta l. 4. C. de edendo. Quod etiam in conscientiæ foro locum habere potest, vt si aliquis à longissimo tempore solus præsentauit ad beneficium Ecclesiasticum cum bona fide; postea inspexit literas fundationis, in quibus continetur ius præsentandi vnà cum altero competere, v. g. cum Titio, eiúsque hæredibus: his litem mouentibus, non tenetur literas fundationis exhibere: cùm diuturna pacifica possessione præscripserit; atque fieri potuerit, vt post factam fundationem Titius eiúsve hæredes vel per negligentiam suam, vel per aliquam pactionem aut commutationem ius præsentandi amiserint.

Dico VI. Hoc speciale est, per regulam Cancellariæ de triennali possess. Quòd qui beneficium Ecclesiasticum triennij spatio pacificè possedit, sine ingressu simoniaco, &c. ius in eo acquirit. Idque certum est in ordine ad actorem seu petitorem quemcunque, vt eum tali exceptione repellere possit. Sed an etiam locum habeat absolutè; vt beneficij Ecclesiastici quasi dominus efficiatur, neque alium titulum suæ institutionis exhibere Ecclesiæ teneatur; non consentiunt Doctores. Negant enim Couar. cit. p. 2. §. 10. num. 10. Mol. disp. 70. post. Gl. in c. contingit, de dolo & contumacia, propterea quòd *beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione canonica obtineri*, reg. 1. in 6. Sed responderi potest: Hanc regulam veram esse iure ordinario, & secluso extraordinario remedio vsucapionis: Quare contrariam, seu affirmantem partem docent Nau. lib. 3. consil. 30. de præb. & lib. 1. consil. 8. num. 2. de renunt. edit. 2. Sa ver. beneficium, num. 14. Less. c. 6. dub. 10. in fine, & cap. 35. dub. 25. num. 140. Sanchez lib. 7. moral. c. 29. num. 91. Nicolaus Garcias tract. de benef. p. 8. c. 1. num. 15. Rebuffus tract. de pacificis possess. num. 241. qui tres posteriores resoluunt: Si aliquis simoniacè institutus fuit per ignorantiam; quia v. g. pater pro filio ignorante pecuniã numerauit: prodesse regulam triennalem possessori cum bona fide, & eiusmodi titulo colorato: vt alia tituli habilitatione, aut dispẽsatione opus non sit. Quod porrò Nauar. ait in cit. consil. 8. & Sa cit. num. 14. *Triennio possidens beneficium pacificè, etiamsi mala fide, fit eius dominus*, non intelligo, quomodo defendi possit: cùm certum sit, ad acquirendum ius titulo pręscriptionis bonam fidem requiri, saltem in conscientiæ foro, de quo ipse Nauar. & Sa loquuntur. 16

Dico VII. Debita omnia aduersus ciuiles actiones, tam reales, quàm personales, cum bona fide, saltem longissimo tempore, puta 30. annis præscribuntur, l. sicut in rem, Cod. de præscript. 30. vel 40. annorum. Excipitur verò actio hypothecaria, quæ 40. annorum spatio tollitur, si ipsemet debitor, eiúsve hæres possessor sit, l. cùm notissimi, C. eod. tit.

Dico VIII. Omnis actio siue accusatio criminis de-

cursu 20. annorum, à die commissi criminis, præscriptione tollitur, l. quercla, Cod. de falsis. Adde, idem dicendum de inquisitione ex officio Iudicis. Cùm enim inquisitio succedat loco accusationis, meritò sublato iure accusandi, censetur etiam sublatum ius inquirendi, ait Iulius Clarus lib. 5. sentent. §. fin. q. 51. num. 1. & testatur esse communem sententiam: etsi aliter sentiat Eman. Rodericus tom. 2. regul. quæst. q. 6. a. 11. Quædam tamen crimina sunt, in quibus quinquennij spatio præscriptio absoluitur, vt adulterium, l. quinquennium, ff. ad l. Iuliam de adulteriis, l. adulter, C. eod. Item crimen peculatus, l. 7. iunct. Gl. ff. ad l. Iuliam peculatus. Vide Petr. Greg. Tholosanum lib. 40. syntagm. c. 5. num. 26.

Porro aliqua addenda sunt circa continuationem temporis legitimi: I. Ad probandam possessionem continuam sufficit plerumque ostendere principium possessionis, ex quo legitimum tempus ad præscribendum lapsum sit: nam ex possessione de præterito, præsumitur possessio huc vsque continuata, si quis adhuc in possessione permanet, arg. l. siue possidetis, C. de probation.

17 Alterum. Si possessor rem bona fide aliquamdiu possedit, & postea inalterum, bonam item fidem habentem, transferat; potest hic numerare etiam tempus antecessoris sui; adeóque, vt aiunt, vti accessione temporis in vsucapiendo, iuxta l. dolia, §. cum qui, ff. de contrahend. empt. & l. Pomponius, §. cùm quis, ff. de vsucap. Qua simili ratione successor in beneficio numerare potest tempus, quo antecessores eius ab aliqua conditione seu onere in fundatione requisito liberi fuerunt: eámque libertatem illos bona fide possedisse in dubio præsumere potest, iuxta regul. 14. in 6. *Cùm quis in ius succedit alterius, iustam ignorantiæ causam censetur habere*, & notauit Nauar. l. 2. consil. 1. de præscript. edit. 2. & in simili Couar. cit. p. 2. §. 11. num. 6. corol. 4.

Tertium. Si mutatio accidat in personis contra quas præscribitur; puta si fiscus, vel Ecclesia succedat priuato in hæreditate bonorum, tunc vsucapienti aliquid ex tali hæreditate bonorum, computandum est tempus, secundùm proportionem respectiuam: ita vt si medietatem vsucapionis compleuerat ante mortem personæ priuatæ, alteram medietatem complere teneatur iuxta priuilegium succedentis: videlicet, si vsucapiens quinque annis fundum bona fide possederat ante successionem Ecclesiæ; postea medietate temporis quadragenarij, quo contra Ecclesiam præscribitur, videlicet 20. annis opus habebit ad vsucapionem complendam, sicuti singulariter notat Abbas in cap. de quarta, num. 20. de præscript. argum. l. fiscus, ff. de iure fisci, vbi dicitur: *Quòd fiscus, cùm in priuati ius succedit, priuati iure pro anterioribus suæ successionis temporibus vtitur.* Et in Authent. quòd si quis, Cod. de præscript. longi tẽporis: *Quòd si quis quibusdam annis præsens, quibusdam absens; adijciuntur ei super decennium tot anni, ex decennio fuit absens.* Vt si absens fuit duobus annis, octo verò præsens, is duodecim annos requirit ad complendam vsucapionem rei immobilis.

18 Quartum. Si antecessor mala fide possedit, eius bonæ fidei successor particularis, decursu temporis legitimi vsucapere potest, non numerãdo tamen tempus quo malæ fidei auctor possedit. Dixi *particularis*: Nam successori vniuersali, siue hæredi immediato adeò nocet mala fides defuncti, vt vsucapere nunquam possit, iuxta §. diutina, Institut. de vsucap. l. si mala fide, Cod. communia de vsucap. Ratio est. Quia hæres cum defuncto quasi vna persona reputatur, iuxta l. cùm hæres, ff. de diuersis, & temporal. præscript. Couar. part. 2. §. 9. Molin. disp. 65. Quamuis Gloss. in reg. 14. in 6. & alij apud Couar. num. 5. Less. lib. 2. c. 6. dub. 13. existiment, etiam vniuersalem successorem bonæ fidei, tempore longissimo, id est, 30. annis vsucapere posse.

Quintum: Vsucapio semel cœpta interdum currere 19 desinit; idque duobus modis: Primò. Vt sopita seu suspensa maneat, ac veluti dormiat; cessante verò impedimento denuò currat, & cum lapsu temporis prioris continuetur. Secundò. Vt omnino interrumpatur vsucapio; postea verò, causa interruptionis cessante, denuo inchoetur. Quibus casibus præscriptio dormiat, tradit Abbas in cap. illud, num. 5. & cap. ex transmissa, nu. 4. de præscript. Syluest. ver. præscriptio 1. quæst. 9. Less. lib. 2. cap. 6. dub. 16. Videlicet tempore belli, aut pestis, si ius non dicatur, vel homines aliò diffugiant. Si Ecclesia careat Episcopo, aut Rectore; vel habeat inutilem ad agendum. Si is, contra quem præscribitur, agere non possit, puta filius comparatione bonorum aduentitiorum; vxor comparatione bonorum dotalium, quarum plenam administrationem & quasi dominium maritus habet. Quibus verò modis præscriptio seu vsucapio omnino interrũpatur, tradit Abb. in cit. c. illud, Couar. reg. possessor, p. 2. §. 12. Videlicet si possessio, vel bona fides amittatur: vel possessori lis moueatur, & contestetur, l. motæ litis, Cod. de rei vindicat. Si tamen actor litem deserat, vel in ea succumbat, non censebitur interrupta vsucapio. Cæterùm qua ratione vsucapio ita interrupta, postea cessante impedimento, à bonæ fidei possessore denuo inchoari possit, videbis apud Couar. cit. §. 12. num. 7.

His ita de legitima vsucapione explicatis, porrò sciendum est: Quibusdam beneficium restitutionis in integrum, ad rem suam temporis diuturnitate præscriptam Iudicis auctoritate recuperandam, concedi. 20 Primò quidem, minoribus 25. annis tribuitur tale beneficium continuo quadriennio, à die quo maiores facti sunt, adeóque vsque ad expletum annum XXIX. iuxta l. vltim. Cod. de tempor. in integrum restitut. Idque locum etiam habet in vsucapione longissima; atque ob solam læsionem in minore illa ætate interuenientem, tametsi nulla ignorantia, aliúdve impedimentum intercesserat.

Secundò, exemplo atque æquiparatione Minorum, 21 simile beneficium competit Ecclesiis, aliisque piis locis, vt res ab altero, quamuis longissimi temporis, videlicet 40. vel 100. annorum vsucapione amissas, recuperare possint, continui quadriennij spatio: quod numerari debet à die, cùm, re intellecta, Ecclesiæ integrum fuit restitutionem petere, sicuti colligitur ex c. 1. de restit. in integrum in 6. ver. negligenter omiserit, & docet Syl. ver. præscriptio, 1. q. 14. Less. l. 2. c. 6. dub. 18. & Doctores in Authent. quas actiones, C. de sacrosanctis Ecclesiis. Et habet hæc in integrum restitutio locum etiam aduersus alteram Ecclesiam, sicuti constat ex c. auditis, de in integrum restit.

Tertiò. Si quis Reipub. causa absens fuit, vel in vin- 22 culis hostiũm ve potestate constitutus, vel alio legitimo impedimento detẽtus, quo minùs res vel iura sua, dum contra eum vsucapio currebat, repeteret; Prætoria æquitate in integrum restituendus est, iuxta l. 1. ff. Ex quibus causis maiores, &c. l. vltim. Cod. de temporibus in integrum restit. vbi quadriennij continui spatium conceditur, numerandum à die cessantis impedimenti. Vide Glos. 1. ibid. Abb. in c. ex transmissa, n. 13. de præscript. Maiorem in 4. dist. 15. q. 11. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 80.

Idémque restitutionis beneficium locum etiam habere, si aliquis inuincibilem currẽtis vsucapionis, adeóque inuincibilem facti ignorantiam probare possit, docent Doctores communiter apud Couar. reg. possessor, p. 3. §. 3. Mol. cit. disp. 80. Quod verum esse videtur, saltem si præscriptio non sit longissimi temporis, sicuti vult Andreas Gaill. l. 2. obseruat. 160. Sed in hac re cuiusque tribunalis consuetudo spectanda erit. Videri potest Aym. Crauetta de antiq. temporum, p. 4. §. materia ista, n. 49. Andr. Fachinæus lib. 1. controu. c. 69.

Reſtat ſoluenda quæſtio; Si is, qui rem legitimè vſucepit, priſtino domino poſtea repetente, nihil excipiat; ſed reſtituat ob iuris ignorationem, vtrum rem, tanquam indebitè datam condicere poſſit? Negat Gregor. Tholoſan. lib. 40. Syntagm. & cap. 10. num. 2. vbi ait; Exceptionem vſucapionis ita demum prodeſſe ei qui vſucepit, ſi obijciatur ab eo: Eò quòd per vſucapionem ciuilis tantùm obligatio ſublata ſit; manente naturali, quæ ſufficiens ſit ad ius comparandum Actori, ſi Reus conuentus nulla ſe exceptione defendat.

23 Sed contrariam ſententiam puto veram, quam docet Gloſſ. & Bartolus in l. vlt. ff. rem ratam haberi, Abb. in cap. ad aures, nu. 4. de præſcript. Balbus de præſcript. part. 1. quæſt. 6. Nam iuris ignorantia, etſi non excuſet cùm agitur de acquirendo; excuſat tamen, cùm agitur de damno rei iam acquiſitæ, iuxta regulam Papiniani in l. 7. ff. de iuris & facti ignorantia: *Iuris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus: ſuum verò petentibus non nocet.* Atqui per vſucapionem dominium rei plenè transfertur in vſucapientem, ſicuti ex communi fatetur ipſemet Tholoſanus cit. lib. 40. cap. 1. num. 8. & conſtat. ex l. qui fundum, §. fin. ff. pro emptore, *ſicut traditione, ita & vſucapione rem noſtram facimus*, & l. 27. ff. de verb. ſignif. *Alienationis verbum etiam vſucapionem continet: vix eſt enim, vt non videatur alienare, qui patitur vſucapi.* Quare in l. omnes, Cod. de præſcript. 30. vel 40. annorum dicitur; Eum qui vſucepit, *pleniſſima munitione ſecurum eſſe.* Sequitur ergo hinc; quòd qui rem vſucapione ſibi plenè acquiſitam, ob iuris errorē, priſtino domino reſtituit, nihil obeſſe ſibi debeat; ſed tanquam ſolutum tam ciuiliter, quàm naturaliter indebitum, condicere ſiue repetere iure poſſit, iuxta tit. ff. & Cod. de condictione indebiti.

Confirmatur ex doctrina, quam indicat Abbas in cit. c. ad aures, num. 5. quæ videtur eſſe communis, licet cum quibuſdam repugnet Tholoſanus cit. cap. 10. Quòd Iudex ex officio repellere debeat actorem, contra quem præſcriptum eſt, etſi Reus conuentus nihil excipiat. Cui doctrinæ ſi addamus regulam, quam ex Bartolo tradit Balbus loc. cit. quæſt. 8. Quod *Iudex ex officio, parte tacente, non repellit Actorem, niſi prorſus actione carentem, & ſolùm agentem de facto*: ſequitur inde, priſtinum dominum, aduerſus quem præſcritum eſt, omni ſuo iure & actione cadere. Quare rectè notauit Couarruu. reg. poſſeſſor, part. 1. num. 5. concluſ. 8. duplicem eſſe exceptionem: Vna eſt, per quam ſubmouetur actio, quæ modò actori competit, ſed ope exceptionis oppoſitæ excluditur ac retunditur. Altera eſt, per quam aliquid allegatur, quo actio ipſo iure ante ſublata erat, & modò actori non competit. Atque huius poſterioris generis exceptio eſt, quæ ex vſucapione naſcitur, ſicuti ex dictis conſtat.

CAP. IX.

De ſeruitutibus, earúmque præſcriptione.

SVMMARIVM.

1 *Triplex eſt ſeruitus; Perſonalis, Realis, & Mixta.*
2 *Seruitus realis alia ruſtica eſt, & alia vrbana; & hæc vel affirmatiua, vel negatiua.*
3 *Seruitus tum vrbana, tum ruſtica vel continua eſt, vel diſcontinua.*
4 *Seruitus realis, ſi continua vel quaſi continua ſit, præſcribitur cum bona fide X. annis inter præſentes, XX. inter abſentes; etſi titulus non interueniat.*
5 *Seruitus affirmatiua, ſi diſcontinua ſit, cum titulo præſcribitur tempore ordinario; ſine titulo verò tempore immemoriali.*
6 *Ad vſucapionem ſeruitutis negatiuæ requiritur, vt dominum in re ſua aliquid agere volentem bona fide repellam: ex eo tempore comparo ſeruitutis poſſeſſionem, quæ ſi tempore ordinario cum titulo, immemoriali verò ſine titulo continuetur, vſucapio perficitur.*
7 *Vſusfructus, & ſeruitutes ruſticæ per ſolum non vſum tolluntur; non item ſeruitutes vrbanæ: ſed neceſſe eſt, contrarium ſeruituti actum bona fide exerceri.*

TRiplex eſt ſeruitus, ſecundùm Gl. tit. Inſtit. de ſeruitutibus prædiorum ruſticorum, & vrbanorum. Vna merè perſonalis, quæ à perſona perſonæ debetur: videlicet ius, quod dominus habet in ſeruo, ſeu mancipio ſuo. Cuiuſmodi ius ſeruitutis, nullo tempore vſucapi poteſt, ſicuti conſtat ex l. vltim. Cod. de præſcript. longi temporis, quæ pro libertate. Ratio eſt, quia æquitas non permittit, vt aliquis propter errorem, temporis diuturnitate, ex libero ſeruus efficiatur. Contrà verò libertas viginti annorum ſpatio, cum bona fide, præſcribitur l. 2. C. eod. & docent Gl. & DD. ibid. Gomez 2. reſol. c. 15. num. 26. 1

Altera eſt ſeruitus mixta, quæ à re perſonæ debetur. Et eſt triplex hæc ſeruitus, nimirum vſusfructus, vſus, & habitatio: cùm hæc à ſubſtantia rei ſiue proprietate ſeparata, legis aut hominis diſpoſitione alicui conſtituuntur. Et talis ſeruitus præſcriptione comparatur cum bona fide & titulo 10. annis inter præſentes; 20. inter abſentes: ſi autem deſit titulus, tempore longiſſimo 30. annorum. Ita habetur in l. vlt. in fine, C. de præſcript. longi temporis, & l. penult. C. de ſeruitut.

Tertia eſt ſeruitus merè realis, quæ rei à re debetur: 2
Et eſt duplex; Vrbana, & ruſtica. Vrbanæ ſeruitutes dicuntur, quæ vrbanis prædiis, id eſt, ædificiis, habitandi gratia conſtructis, & annexis hortis, areis, &c. inhærent. Subdiuiduntur in affirmatiuas & negatiuas. Affirmatiuæ ſunt v. g. Vt ædium mearum ſtillicidium in ædes vel aream tuam recipiatur; vel tignum in parietem tuum mittatur; vel ex domo mea in domum tuam tranſitus pateat. Negatiuæ ſunt, v. g. Ne altiùs ædes tuas tollendo proſpectum ædibus meis adimas: vel ædificando luminibus officias, Inſtit. de ſeruit. prædiorum, &c. Item vt feneſtram in muro tuo aperire tibi non liceat. Enimuero, ſecluſa tali ſeruitute, pacto vel per præſcriptionem conſtituta, cuiuis liberum eſt ædes ſuas altiùs tollere, & in pariete ſuo, non alieno, feneſtram facere, l. altiùs, Cod. de ſeruitut. & aqua. Niſi certus modus ſtatuto definitus ſit, ne ædes altiùs tollantur vti notauit Gloſ. l. 1. Cod. de ædificiis priuatis. Vel niſi quis ædificare, aut feneſtram in muro ſuo aperire velit ſolùm ad æmulationem vel deſpectum vicini, argum. l. opus, ff. de operibus publicis, & l. fluminum, § vlt. ff. de damno infecto, vbi Gl. ait, Quòd in dubio exiſtimandum non ſit, aliquem facere nocendi animo, quando iure ſuo vtitur.

Ruſticæ ſeruitutes dicuntur, quæ ruſticis prædiis inhærent: cuiuſmodi ſunt agri & prata, item pecorum ſtabula à domibus ſeiuncta: talis ſeruitus eſt v. g. vt per agrum tuum tranſire: iumenta vel currus agere liceat: quę dici ſolent, iter, actus, via. Item vt in prato tuo arenam fodere, calcem coquere licitum ſit.

Porro vtraque ſeruitus, id eſt, tum vrbana, tum ruſtica, diuidi ſolet in continuam, ac diſcontinuam. Continua ſeruitus dicitur, quæ, quantum eſt ex ſe, continuum actum ſiue vſum habet: ſeu re ipſa, ſeu animi præparatione: vt ſeruitus aquæductus, tigni ſuſcipiendi, oneris ferendi, ſtillicidij admittendi, ſicuti benè explicat Sylueſt. ver. præſcriptio, 1. quæſt. 7. dicto vndecimo. Diſcontinua verò ſeruitus eſt, cuius vſus per interualla eſt, quia ab hominum actione pendet: v. g. iter, actus, aquæ hauſtus, arenæ foſſio. Couarruu. lib. 1. reſolut. cap. 17. num. 11. Ioach. Mynſinger. cent. 4. obſer. 53. annumerant pecorum paſtum in agro alieno, 3

Et Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 66. ius venandi in alieno fundo.

4 His ita positis, quod attinet ad præscriptionem seruitutum realium, dico I. Seruitus realis affirmatiua, tam rustica, quàm vrbana, si continua, aut quasi continua sit, præscribitur cum bona fide inter præsentes decennio; inter absentes viginti annorum spatio, l. si quis diuturna, ff. si seruitus vindicetur. Neque requiritur titulus; attamen scientia & patientia domini liberè permittentis aliquem tali iure in præiudicium eius vti: nam ex eo tempore inchoatur possessio seruitutis, sicuti constat ex l. quotiens, 1. & 2. ff. de seruit. l. 1. & 2. Cod. eod. & docet Gomez n. 27. Abb. in c. cũ Ecclesia, n. 21. de causa possess. & proprietat. & in c. de quarta, n. 21. & seqq. de præscript. Couar. reg. possessor in p. 2. initio, n. 8. Mol. t. 1. tr. 2. disp. 14. vbi rectè notaut; Necesse esse ad possessionem iuris acquirendam, vt ex circumstantiis appareat, quòd alter non ex mera gratia aut liberalitate aliquid fieri patiatur, sed quasi ita debitum sit. Nam per actus meræ facultatis, seu gratuitæ voluntatis nunquam inducitur possessio iuris; consequenter neque præscriptio: Vt si aliquis te pluribus annis aliqua festiuitate ad cœnam inuitet; vel per agrum suum ire aut agere ar bitratu tuo patiatur, si appareat id eum concedere ex gratia & non vt debitum, nunquam contra eum præscribes, quantumuis actus frequentetur, sicuti docet Innoc. in c. cùm Ecclesia sutrina, de causa possess. & propriet. Aymon. Cranetta de antiq. temporum p. 4. §. materia ista, n. 98. Nauar. lib. 3. consil. 4. de præscript. edit. 2. In dubio tamen, ex diuturna & ordinaria v. g. quotannis recurrente alicuius rei præstatione, potiùs præsumitur obligatio seu debitum, sicuti notat Ioan. Faber Instit. de rerum diuis. §. reuertendi. Præterquam, quòd tametsi aliquid à principio libera voluntate præstabatur; si tamen postea tanquam debitum exigi aut dari cœperit; ex illo tempore acquiritur possessio iuris, in qua si temporis diuturnitate cum bona fide perseueretur, præscriptio absoluitur, vt iam verè & re ipsa debitum sit, sicuti notat Crauetta in fine cit. p. 4.

Præterea notandum hîc est, suprà dictam scientiam & patientiam domini requiri, si ab ipsomet quasi traditio iuris seruitutis fiat: sin verò ab alio possessore, cum titulo præsumpto & bona fide tua, seruitus tibi constituatur, non requiri scientiam & patientiam veri domini, aduersus quem possessio & vsucapio procedit, colligitur ex l. vlt. C. de præscript. longi temporis, & bene notat Gomez cit. n. 27. Videri etiam potest Couar. reg. possessor, p. 2. initio, n. 8. & 9.

5 Dico II. Seruitus affirmatiua, si discontinua sit, præscribitur cum titulo tempore ordinario, videlicet 10. vel 20. annis, iuxta cit. l. vlt. Si autem titulus non interueniat, requiritur possessio temporis immemorialis, cum bona fide, sicut colligitur ex l. seruitutes, ff. de seruitutibus, & ex communi docent Syl. ver. præscriptio, 1. q. 7. dicto 11. Gomez cit. c. 15. n. 28. Less. lib. 2. c. 6. n. 28. Neque verò hoc casu scientia & patientia domini necessaria est: quia possessio tanti temporis tribuit præsumptionem tituli, arg. l. hoc iure, §. aquæ ductus, ff. de aqua quotidiana & æstiua. *Ductus aquæ, cuius origo memoriam excesserit, iure constituti loco habetur.* Vide Couar. reg. possessor, p. 2. § 10. n. 8. Nicolaum Euerhar. tom. 1. consil. 39 n. 8.

Id verò in quæstione est: Quod dictum de iuribus realibus seu seruitutibus, habentibus actus discontinuos, ad earum præscriptionem sine titulo tempus immemoriale requiri; an etiam locum habeat in iuribus personalibus; cuiusmodi sunt v. g. confirmandi Prælatum, collectam exigendi ab extraneis? Ita affirmant aliqui apud Crauettam cit. p. 4. §. materia ista, n. 31. Sed contraria sententia est vera, quam tenet idem Crauetta, præscriptionẽ absolui tempore ordinario. Ratio est: Quia cùm primùm aliquis Prælatum Ecclesiæ confirmauit; vel collectam extraneo imposuit, tanquam ius id agendi habens; incipit esse in possessione eiusmodi iuris: quare, nisi iura resistãt, vsucapio tempore ordinario perficitur; videlicet contra Ecclesiam 40. annis, contra alium 10. vel 20. annis cum titulo, 30. autẽ sine titulo.

Dico III. Seruitutes reales negatiuæ, quarum videlicet possessio in negatione consistit; eodem tempore præscribuntur, quo & affirmatiuæ: solum hoc peculiare est, quòd possessio seruitutis negatiuæ non antè acquiritur, quàm dominus in re sua aliquid agere conatur, & ego illum bona fide impedio: nam ab eo tempore incipit tempus vsucapionis. Veluti si Titius domum suam altiùs tollere velit: aut fenestram in pariete aperire: & ego illum prohibeam, ratus prohibendi mihi ius competere: illéque acquiescat, comparo tunc possessionem seruitutis vrbanæ in domo Titij, sicuti notat Gl. magna in l. 1. C. de seruit. & post Gomezium explicat Less. n. 29. Eadémque ratio est de aliis iuribus, quorum possessio in negatione consistit: puta vt aliquis ad electionem non admittatur, in tali loco non venetur, piscetur. Exempli causa, vt Capitulum Canonicum aliquem iure suffragij, per viam præscriptionis priuet, necesse est, vt eum ab actu electionis bona fide remoueat: illéque acquiescat: nam ab eo tempore possessio remouendi contra illum currit, & tempore legitimo perficitur, sicuti notauit Mol. cit. disp. 70. Quemadmodum etiam affirmatiuè, si aliquis ad electionem, quasi ipsi ius competat, & non ex mera gratia admittatur: ex eo tempore ius suffragij possidere incipit: vt per legitimum tempus præscribere possit: idemque dicendum de iure præsentandi, & similibus iuribus, quorum possessio etiam per vnicum actum, cum alterius scientia & patientia, ac bona fide operantis acquiri potest, sicuti docet Abbas c. cùm Ecclesia, n. 22. de causa possess. & proprietatis, Molina to. 1. tract. 2. disp. 14. Mynsinger cent. 1. obseru. 29. vbi resoluit: Per vnum actum præstiti seruitij cum bona fide, & xxx. annorum decursu, fundum liberum vsucapi posse, vt feudalis fiat. 6

Corollarium. Si tu sciente Titio ac patiente, ad Ecclesiasticum beneficium clericum præsentasti, tanquam tibi ius præsentandi debeatur: in eáque persuasione 30. annis cum bona fide perstitisti, absoluis præscriptionẽ contra Titium, vt ipse ius præsentandi sibi ampliùs vindicare non possit. Sin verò Titio patrono absente ac nesciente præsentasti, non ideo existis in possessione sufficiente ad inchoandam præscriptionem: eò quòd Titius in hoc casu adhuc ciuiliter possidere censeatur: quare opus tunc est, vt ad tale beneficium, tu & antecessores tui præsentauerint à tempore immemoriali: exinde enim acquiris præsumptionem tituli ac iuris.

Et hactenus quidem dixi, qua ratione aliquis vsucapione comparare sibi possit ius seruitutis in re aliena. Nunc verò dicendum, qua ratione aliquis ius seruitutis in re aliena quæsitum, temporis diuturnitate per non vsum amittat.

Dico igitur IV. Vsusfructus & omnes seruitutes reales per non vsum amittuntur decennio inter præsentes, & xx. annorum spatio inter absentes. Ita expressè habetur in l. penult. C. de seruit. Est autem inprimis discrimen obseruandum inter seruitutes vrbanas, & rusticas, cuiusmodi sunt viæ, aquæductus, pastus, &c. Quòd rusticæ, sicuti & vsusfructus, per solũ non vsum tolluntur, siue à re liberantur. At verò vrbanæ non tolluntur per merum non vsum eius, qui ius seruitutis habet: sed insuper necesse est, vt dominus, qui ædificij sui libertatẽ vsucapere vult, aliquem actum seruituti cõtrarium bona fide exerceat: ab eo enim tempore præscriptionis tempus inchoatur. Veluti, si ædes tuæ ædibus meis seruiant ne altiùs tollantur; etsi ego fenestras meas ob- 7

struxero, non incipis præscribere aduersus me libertatem: nisi & tu aliquid noui feceris; videlicet ædes altiùs sustuleris. Item, si ædes tuæ immissi tigni seruitutem debeant; & ego tignum exemero: ita demum amitto ius meum, si tu foramen, vnde tignum exemptum est, obturaueris: & per tempus constitutum ita habueris: alioquin si nihil noui feceris, integrum ius meum permanet, l. hęc autem iura, ff. de seruitutib. vrban. prædiorum, & bene explicat Mol.t.1.tr. 2. disp. 66. §. porro antequam. Ratio autem huius doctrinæ est, Quia, nisi aliquid contrarium alterius iuri fiat, non nascitur possessio libertatis: sine possessione autem non procedit pręscriptio. Quo eodem fundamento puto probabiliorem esse sententiam Mynsing. cent. 1. obseru. 16. Gaill. lib. 2. obser. 18. n. 4. Andr. Fachin. lib. 1. controu. c. 13. contra ius, venditori absolutè & in perpetuum concessum, rem venditam redimendi, xxx. annorum decursu non præscribi; nisi venditor redimere volens bona fide repulsus fuerit: licet multi contrarium sentiant apud Couar. 1. resol. c. 9. Binsfeld. c. in ciuitate, q. 7. concl. 17.

Secundò obseruandum est, si ius seruitutis tibi constitutum non habeat vsum quotidianum; sed aquam v. g. ex alieno fundo ducere possis æstate tantùm, vel quot mensibus: requiri tempus duplicatum, videlicet 20. annos inter præsentes: vt tali iure per vsum eius via pręscriptionis spolieris sicuti habetur in l. si sic, ff. quemadmodum seruitutes amittuntur, & explicat Innoc. in c. de quarta, de præscript. Couar. 1. resolut. c. 17. nu. 10. Mol. t. 1. tr. 2. disp. 70. §. reliquæ.

TRACTATVS SECVNDVS. DE RESTITVTIONE.

CAP. I.

Quid sit restitutio.

SVMMARIVM.

1 *Restitutio est damni iniustè dati secundùm arithmeticam æqualitatem restauratio.*
2 *Due sunt restituendi radices: Vna ex parte rei acceptæ, possessæ; altera ex parte iniustæ acceptionis, seu lesionis.*
3 *Pro sola iniuria, si nullum damnum pretio æstimabile datum sit, restitutio facienda non est.*
4 *Restitutio solius iustitiæ commutatiuæ actus est.*

Restituere, (si vim nominis spectes) est, in pristinum statum reponere, l. restituere, 1. & 2. ff. de verb. signif. Quò etiam S. Thom. respexisse videtur, cùm in 2.2.q.62.a.1. dixit, *restituere nihil aliud esse, quàm iteratò aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ.* Veruntamen hæc verba S. Thom. non adæquatè definiunt restitutionem, quatenus nunc à Doctoribus accipi solet: Quia partim latiùs patent; cùm etiã comprehendãt cuiuscunque debiti ex contractu, secundùm commutatiuam iustitiam, redditionem. quo sensu dicimur restituere mutuum, commodatum, depositum, &c. Partim verò strictiùs posita sunt; cùm non comprehendant cuiusque damni iniustè dati compensationem: neque enim qui alienam v.g. domum vastauit, iumentum occidit, eandem rem restituere potest, aut debet; sed aliam æquiualentem, vt infrà dicam.

1 Quare aliter dicere possumus secundùm communem Doctorum acceptionem, quòd restitutio aliud non sit, quàm *damni iniustè dati, secundùm arithmeticam æqualitatem restauratio.* Cùm dicitur, *damni iniustè dati*, aduerte duplicem esse iniuriam; materialem, ac formalem. Materialem iniuriam infert, qui v. g. rem alienam accipit, vel detinet, probabiliter arbitratus esse suam, vel certè ius accipiendi, detinendi se habere, cùm re ipsa non habeat. Iniuriam autem formalem infert, qui rem alienam accipit, detinet, destruit; cùm sciat, vel scire possit ac debeat, id agendi ius sibi non competere.

2 Hinc duæ restituendi radices siue causæ oriuntur, quę in hac materia restitutionis perpetuò ob oculos habendæ sunt. Vna est ex parte rei acceptę & possessæ, quę domino suo restitui debet, cùm primùm possessor scit alienam esse. Altera est ex parte iniustæ acceptionis siue læsionis, ob quam res ablata domino restitui, vel potiùs compensari debet, etsi qui iniustè læsit, nihil ex ea possideat, nullúmve emolumentum ceperit, sicuti infrà manifestius fiet.

Nunc verò tria breuiter aduerto: Primũ. Mensura restitutionis faciendæ ob iniuriam solùm materialem, ratione rei acceptæ, possessæ, debet esse quantitas possessionis: id est, vt tantum restituas, quantum ex re aliena possides, vel inde locupletior factus es. Mensura autem restitutionis faciendæ ob iniuriam formalem, ratione iniustæ damnificationis, debet esse quantitas alieni damni: vt nimirum, quatenus alter læsus est, restitutio fiat, nihil attendendo vtrum is qui læsit, v.g. segetes destruxit, ædes incendit, aliquid inde habeat, néche, sicuti notauit S.Th.2.2.q.62.a.6. Caiet. ibid. Mol. tr.2. to. 3. poster. disp. 723. P. Nau. lib. 3. c. 2. n. 186.

Alterùm. Hæ duæ restituendi radices interdum concurrunt, v. g. in fure qui rem alteri iniustè ablatam detinet: apud quem si res furtiua auctior siue melior facta est, debet eam ita auctam domino suo restituere: deductis tamen in foro conscientiæ expensis, quas fur vtiliter fecit, sicut docet Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 9. n. 3 P. Nau. l. 4. c. 1. n. 32. Less. l. 2. c. 12. dub. 16. n. 101. Si autẽ res furtiua in manu furis deterior facta fuit, quàm si in domini potestate mansisset, tunc cogitur domino æstimationẽ damni pręstare, ratione iniustę lęsionis: qua de re Syl. ver. restitutio, q. 6. Couar. l. c. n. 2. Medina q. 6. de restit. Interdũ verò hæ duæ restituendi radices separantur, sicuti videre est in rei alienæ bonâ fide possidente: is enim solùm ex primo restituendi capite obligatur: Item in rei alienæ destructore, qui si nihil inde possideat, solùm ex secundo restituendi capite obligatus.

Tertiũ. Pro sola iniuria, si nullum damnum illatum sit, restitutio facienda non est. Nam restitutio est actus iustitiæ cõmutatiuę, vti mox explicabo: Sola autem iniuria, quatenus pro ea satisfieri debet, nõ est obiectum iustitię cõmutatiuę: sed vindicatiuę, cuius exercitium ad publicã tantũ potestatem pertinet. Ex quo sequitur, ante Iudicis sentẽtiam & coactionẽ, nullã oriri obligationẽ satisfaciendi pro iniuria, pręcisa à damno, sicuti colligitur ex S.Th. cit. disp. 62. a. 3. in corp. & tradit. Mol. disp. 715. n. 9. & tr. 3. disput. 100. vbi exemplum ponit de 3

adulterio, quamuis notorio, si exinde nullum aliud damnum proueniat marito adulteræ, nullam ei restitutionem faciendam esse, in conscientiæ foro.

Porrò, circa alteram definitionis particulam *secundùm arithmeticam æqualitatem*, duo obseruanda occur-
4 runt. Primum: Restitutionem esse actum iustitiæ commutatiuæ, non item distributiuæ, sicuti cum S. Th. q. 62. a. 1. docent DD. communiter, contra Pet. Nauar. lib. 1. de restit. c. 2. n. 18. Quia restitutio aliud non est, quàm damni dati restauratio: hæc autem fieri non potest, nisi quantum ablatum est, tantundem reddatur, quod est proprium commutatiuæ iustitiæ.

Pro responsione ad fundamentum Pet. Nau. existimantis, restitutionem quandoque esse actum iustitiæ distributiuæ, v. g. si belli Dux spolia hostium iniquè inter milites distribuit, non secundùm cuiusque merita ac dignitatem; aduertendum est cum Soto lib. 4. q. 6. a. 1. ad 3. Couar. reg. peccatum p. 2. §. 7. n. 6. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 15. n. 73. Discrimen esse inter bona communia, quæ ex distributiua iustitia distribui solent: Nam eorum aliqua in commodum Reipublicæ præcipuè tendunt, cuiusmodi sunt publica officia, Ecclesiastica beneficia: quæ si, posthabitis dignis, conferantur indignis, propriè non infertur iniuria ijs qui digni sunt; eò quòd nullũ ad ea propriè & strictè ius habeant: quãobrem nec restitutio aliqua ipsis facienda est, sed potiùs Reip. si exinde damnũ accepit. Alia verò cõmunia bona sunt, quorũ distributio per se, ac præcipuè tendit in cõmodum partium: veluti cùm Dux belli spolia hostium inter milites, pro singulorum meritis ac dignitate, distribuere debet: tum peccabit quidem contra distributiuam iustitiam, si ea vel in proprios vsus conuertat; vel largiatur ijs, quibus non competit: restitutionem tamen postea facere cogitur, non secundum distributiuam, sed commutatiuam iustitiam: vt quantum damnum milites ex iniqua distributione passi sunt, hoc est, quantò minus quàm oportebat, singuli acceperunt, tantumdem eis Dux belli ex proprijs bonis restituat: in qua proinde restitutione, seu compensatione debiti iam non geometrica, sed arithmetica & omnimoda æqualitas cernitur, sicuti bene explicant Caiet. 2. q. 62. art. 1. Vasq. in moral. de restit. c. 1. dub. vn. Mol. tr. 2. to. 3. post. disp. 714.

Alterum, quod obseruari debet: Res quæ ablatæ sunt, restitui debent eædem secundùm numerum, seu, vt Iuristæ loquũtur, *in specie*, si extent; vel saltem secundùm idem genus ac qualitatem, si res vsu consumptibiles sint, vt pecunia, triticum &c. In alijs verò rebus, quæ functionem in genere suo non recipiunt, vt vna alterius loco substitui possit, videl. ædibus, vestibus, equis; si quid ablatum absumptúmque est, vel damnum iniustè datum, compensatio in pecunia fieri debet: si in ea fieri non possit, in alia re æquiualente, boni viri arbitrio.

CAP. II.

Vtrum restituere ablata necessarium sit ad salutem.

SVMMARIVM.

1 *Restituere iniustè ablata est necessarium ad salutem, necessitate præcepti.*
2 *Præceptum restituendi, licet externa forma affirmatiuum sit, includit tamen in se negatiuum, non detinendi rem alienam.*
3 *Vnicum est peccatum iniustæ detentionis, & non restitutionis.*

1 ASSERTIO est affirmatiua, quæ traditur à S. Thom. cit. q. 62. a. 2. Gabriele in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Hadriano in 4. vbi de restit. q. 1. & alijs communiter. Probatur primò ex sacra Scriptura: Ad Rom. 14. Apostolus ait; *Reddite omnibus debita.* Tob. cap. 2. *Videte, ne fortè furtiuus sit hædus: Reddite eum dominis suis: quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Et Ezechiel cap. 33. ver. 15. palàm significat, peccati veniam, & iustitiam non impetrari, nisi rapina restituatur. Quare S. August. epist. 54. ad Macedonium, & refertur cap. 1. causa 14. quæst. 6. *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi possit, & non reddatur; pœnitentia non agitur, sed simulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si vt dictum est, restitui possit.*

Secundò ratione S. Thomæ in cit. loco. Extat præceptum naturale, & diuinum, cuius obseruatio ad salutem necessaria est, vt iustitiam & æqualitatem seruemus; iniustitiam verò, & iniquitatem effugiamus. Atqui rem alienam domino inuito rapere, detinere, destruere, iniustitiam & iniquitatem continet, quæ alio modo tolli, & iustitia seruari non potest, nisi quod ablatum, vel destructum est, restituendo. Ergo & ad iustitiam seruandam, & ad salutem consequendam necessarium est ablata restituere.

Dubitant autem DD. vtrum restituendi præceptum affirmatiuum, an negatiuum sit? Negatiuum esse contendit P. Nau. lib. 1. c. 1. n. 17. & lib. 4. cap. 4. n. 4. indicat Adrian. loc. cit. Alij autem, vt S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 8. ad 1. Nauar. in man. cap. 17. num. 54. Mol. tr. 2. to. 3. poster. disp. 716. ad 1. Rebellus de obligat. iustit. p. 1. lib. 2. de restit. q. 1. dicunt, explicitè affirmatiuum esse, quippe quo positiuus restituendi actus præcipitur; implicitè tamen ac virtute contineri in eo præceptum negatiuum, alienam rem, ius, debitum non detinendi. Quæ sententia vera est; modò fateamur, id quod in eo continetur præceptum negatiuum non detinendi, magis principaliter intentum esse; præceptum autem affirmatiuum restituendi esse potius accessorium, ideóque naturam imitari sui principalis, vt statim & semper obliget, iuxta doctrinam S. Th. c. a. 1. vbi ait: *Licet præceptum restituendi secundùm formam sit affirmatiuum; tamen includit negatiuum, & ita ad statim obligat, sicuti omnia negatiua præcepta.* 2

Pro cuius rei pleniore intellectu, aduerte; Septimo Decalogi præcepto, *Ne furtum facias*, non solùm prohiberi rei alienæ iniustam ablationem, sed etiam destructionem, detentionem. Quamobrem Innoc. Papa dixit in c. sæpe, de restitut. spoliatorum, *quòd non multum interfit, quoad periculum animæ, iniustè detinere, ac inuadere alienum:* vbi Gl. *iura pro eodem reputant auferre, & detinere iniustè; similiter auferre, & non dare.* Porro, vt alienam rem siue debitum domino inuito, adeóque iniustè non detineas, necessarium est restituere: quandoquidem restitutio medium ordinarium est, quo cessatur à retentione. Quamobrem eodem præcepto, quo in Decalogo prohibetur ne rem alteri debitam retineas, consequenter etiam præcipitur, vt restituas: sicuti vniuersim cùm præcipitur finis, præcipitur etiam medium, sine quo finis obtineri nequit. Et vice versa, cùm præcipitur vt restituas, ideo id præcipitur, quia nefas est retinere dum creditor rationabiliter inuitus est.

Ex quo denique colligitur, vnicum esse peccatum retentionis & non restitutionis; quia opponitur vnico præcepto iniustè non retinendi, & consequenter restituendi: quod quidem præceptum restituendi licet affirmatiuum sit, quia tamen connexum cum negatiuo non retinendi, omni tempore obligat; quo rem retinere nefas est; adeò, vt quantò diutius aliquis rem alienam detinet, tantò magis peccatum continuet; imò & augeat secundùm intrinsecam rationem iniustitiæ, si exinde maius creditori damnũ vel molestia accidat. qua de re videri potest Adrian. l. c. Less. lib. 2. c. 12. dub. 3. & 4. Vasq. de restit. c. 5. p. 1. dub. 3.

CAP. III.

De possessore bonæ fidei, quatenus restituere teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Bonæ fidei possessor, si intelligat rem alienam esse, non plus restituere debet quàm possidet.*

2 *Fructus alij sunt rei; & alij meræ industriæ. Deinde fructus rei vel sunt purè naturales, vel mixti: item vel sunt percipiendi, vel percepti.*

3 *Fructus, vel potius lucra, quæ meræ industriæ sunt, ad bonæ fidei; imò etiam malæ fidei possessorem omni iure spectant.*

4 *Fructus percipiendi, v. g. segetes solo adhærentes, vnà cum re domino eius cedunt.*

5 *Fructus rei non solùm naturales, sed etiam mixti ex re aliena percepti, si extantes sunt, domino restitui debent, deductis expensis & æstimatione laboris.*

6 *Pretium locationis ex re aliena ad eius dominum spectat; licet dominus rem, si penes se habuisset, nunquam locaturus fuisset.*

7 *Si bonæ fides possessor fructus rei absumpsit, restituere debet, quatenus, ex iis locupletior factus est.*

8 *Bonæ fidei possessor fructus perceptos ex fundo alieno, breuiore tempore vsucapere potest, quàm ipsum fundum.*

1 ASSERTIO. Postquam aliquis cognouit rem, quam bona fide hactenus possedit, alienam esse, tenetur eam restituere vnà cum eius fructibus; si extent, vel quatenus inde locupletior factus est: præterquam si legitimæ præscriptionis beneficio dominium sibi comparârit. Hæc assertio est ex mente S.Th. q. 62. a. 6. ibid. Caiet. & in summa v. restitutio, c. 1. Soti lib. 4. de iust. q. 7. a. 2. Couar. 1. resol. c. 3. & reg. peccatum, p. 3. init. n. 3. Nau. c. 17. n. 7. Med. q. 10. de restit. Mol. tr. 2. t. 3. poster. disp. 718. Rebelli lib. 2. de restit. q. 3. Tol. lib. 5. cap. 17. Sanchez lib. 2. moral. cap. 23. Dixi autem primò; *Postquam cognouit rem alienam esse*: Nam quamdiu possessor bonæ fidei sibi persuadet, rem suam esse vel ad se pertinentem, probabilis ignorantia eum à restitutione excusat: Sin verò dubitet, quid eum tunc facere oporteat, dictum est hoc lib. tr. cap. 5. num. 21.

Dixi secundò; Rem ipsam restituendam esse, si extet: Si autem non extet, sed consumpta sit, vel perierit, non plus restituendum esse, quàm possessor inde locupletior factus fuit. Ita docet Abb. in c. grauis, n. 6. de restit. spoliatorum, & alij DD. suprà citati, & habetur in l. item veniunt, §. præter hæc, ff. de petitione hæreditatis: *Eos autem, qui iustas causas habuissent, quare bona* (hæreditatis) *ad se pertinere existimassent, vsque eo dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti essent, condemnandos.* Vbi Gl. ver. *facti essent* ait; *hanc esse optimam regulam, qua nulla verior in iure, vt bonæ fidei possessor ad id tantum, quod ad se peruenerit, teneatur.* Cùm enim bonæ fidei possessor nullam iniuriam intulerit, non obligatur ex capite iniustæ acceptionis, sed solum ex capite rei acceptæ ac possessæ: quare plus restituere non cogitur, quàm possidet: siue res ipsa sit extans secundùm se; siue aliquid inde acquisitum, adeóque patrimonium auctum fuerit, iuxta l. 72. ff. de legatis 2. *Non absumitur quod in corpore patrimonii retinetur*; siue verè & in se ipso; siue iuris fictione: in altero: Nam *quod inde comparatum est, vice permutati domini restituetur*, dicitur in l. 71. ff. eod.

Exemplis declaratur: Si vestem holosericam 20. aureis valentem, & à fure tibi donatam, bona fide accepisti, & attriuisti; postea verò dominus comparet; inprimis restituere ipsi debes ipsam vestem attritam, quæ fortè non ampliùs, quàm 10. aureis valet. Deinde cõpensare debes attritionem vestis, non omnimode; sed quatenus ditior factus es: v. g. si eo anno sex aureos te vestiendo insumpsisses, nisi vestem holosericam dono accepisses, sex tantùm, non 10. aureos restituere cogeris. Quòd si vestis illa non donata tibi, sed empta fuit, nihil præter ipsam vestem attritam restituere debes quandoquidem nihil ditior factus es, siue patrimonium tuum auctum non fuit.

Item si ad cœnam furtiuam inuitatus, cibos & vinum pretiosum, ignorantia te excusante, absumpsisti: re postea intellecta, obligatus eris non quidem integram prandij, bona fide absumpti, æstimationem domino soluere, in furis defectum, sed quantum de tuo domi erogasses, nisi prandio furtiuo participasses. Qua de re Nauar. cap. 17. man. num. 9. P. Nauar. lib. 3. c. 2. num. 184. Molin. disp. 719. Sanchez cit. cap. 23. num. 34.

Præterea milites quotiescunque in bello materialiter iniusto bona fide pugnârũt, excusante eos probabili opinione, vel Superioris præcepto in causa dubia, iuxta ea quæ dixi in materia de bello lib. 2. tr. 2. cap. 12. n. 8. intellecta postea iniustitia belli, non tenentur resarcire illata damna & rapinas, nisi quatenus inde locupletiores se factos agnoscunt, sicuti docet Sotus lib. 4. de iust. q. 7. a. 2. Victor. de iure belli, num. 33. Molin. to. 1. tr. 2. disp. 113. & to. 3. part. post. disp. 720. Rebel. quæst. 4. Sanchez loc. cit. n. 6. contra Siluest. ver. bellum, 1. q. 9. dicto. 3. Neque refert, etsi aliqua eorum malè absumpserint formidando, potitando, negligenter seruando: Quia nihil contra iustitiam peccarunt, cùm ignorarent res alienas esse: ergo non tenentur ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis: Neque etiam ratione rerum acceptarum, cùm non extent, sed adsumptæ sint. Ita contra Sotum lib. 4. q. 7. a. 2. Nauarrum cap. 17. n. 7. docet Sanchez n. 5. Less. lib. 2. cap 14. dub. 1. num. 7. Molin. t. 1. tr. 2. disp. 246. §. in priori euentu, P. Nau. lib. 4. c. 1. num. 9.

Denique eadem ratione, qui bona fide, siue per ignorantiam excusantem illum à culpa Theologica, contractum celebrauit, quem postea vsurarium esse intelligit, non plus restituere tenetur, quàm se ditiorẽ redditum, seu patrimonium suum auctum esse animaduertit, sicuti docet Molin. to. 3. post. disp. 720. n. 4. Rebellus q. 4. in fine. Quibus addendum est, etsi aliquis rem, quam bona fide accepit, postea intelligat iniustè (materiali iniustitia) acquisitam esse; sed per ignorantiam Theologicè non culpabilem, restituendi obligationem non animaduertat, ideóq; rem consumat; non amplius deinde restituere obligatum esse, quàm exinde patrimonium suum auctum reperit.

Tertiò dixi in assertione de fructibus rei domino restituendis, si extent. Quo loco inprimis obseruandum est quòd fructus alij sunt rei, alii vero industriæ. Fructus meræ industriæ dicuntur, quos ipsa natura ex se nullo modo progignit; sed tantùm concurrit vt instrumentum operantis, negotiantis. Quomodo lucrum, quòd ex rebus vsu consumptibilibus, puta pecunia, vino, frumento &c. negotiando acquiritur, non rerum ipsarum, sed industriæ fructus censetur: Et opus, quod alieno instrumento artifex confecit, non instrumento, sed industriæ artificis tribuitur. 2

Fructus rei alij sunt purè naturales, quos videlicet natura producit, nullo aut vix vllo hominũ labore, seu industria concurrente: vti sunt animalium fœtus, arborum poma, herbæ & gramina, iuxta l. fructus 45. ff. de vsuris. Alij verò sunt mixti, ad quorum productionem æquè aut magis hominis industria, quàm natura operatur: cuiusmodi sunt segetes, & alij fructus, qui serendo gignuntur, iuxta cit. l. fructus. Item caseus, vinum, oleum, lana, sicuti ex communi docet Rebel. cit. quæst. 4. Sanc. cit. c. 23. n. 54. & seq. Huc etiã referuntur pretia domorum,

domorum, iumentorum, &c. locatorum: qui fructus ciuiles dicuntur; eò quòd non propriè fructus sint, sed ad similitudinem fructuum, iure ciuili constituti, sicuti annotauit Abb. in c. grauis, n. 3. de restit. spoliat. & habetur in l. prædiorum, ff. de vsuris: *Prædiorum vrbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur.* Porrò differentia est non in re, sed in modo loquendi inter Theologos & Iureconsultos; quòd illi omnes fructus, qui ex re ipsa proueniunt, quamuis concurrente hominis industria, *naturales* appellant, sicuti notauit Molin. cit. to. 3. disp. 719. Rebellus cit. quæst. 4. n. 4. Lessius lib. 2. c. 12. dub. 17. n. 110. Iureconsulti autem eiusmodi fructus *mixtos* vocant; vel simpliciter *industriales*, si magis industria, quàm natura operari videatur, sicuti videre est apud Bartol. in l. & ex diuerso, ff. de rei vendicat. Abb. in cit. c. grauis, n. 3. Arium Pinellum l. 2. C. de rescindenda vendit. p. 2. c. 4. Angelum & Syl. ver. fructus initio. Sanchez l. c. n. 48. Rebel. cit. q. 4. n. 2. Azor t. 3. lib. 4. c. 2.

Ad extremum fructus rei (quos omnes sine discrimine naturales Theologi appellant) alij sunt percipiendi, pendentes alij verò percepti, à solo separati. Vide Gl. cit. l. & ex diuerso, ff. de rei vindic. ver. non habendam.

3 His positis, de fructibus dico I. Fructus vel potiùs lucra, quæ sunt meræ industriæ, ad bonæ fidei, imò etiam malæ fidei possessorem pleno iure spectant. Ita ex communi docet Palud. in 4. d. 15. quæst. 2. a. 5. Scotus ibid. Nau. c. 17. n. 25. Mol. cit. disp. 719. & 720. n. 2. Less. n. 111. Nam sicuti fructus rei rem sequitur, eiusque dominum; ita lucrum, ac veluti fructus industriæ ad eum pertinet, qui adhibuit.

Corollarium I. Si quis alieno instrumento opus elaborauit, ad artificem, non ad instrumenti dominum, arte factum pertinet: debet tamen artifex præter instrumentum, æstimationem siue valorem vsus rei domino restituere.

Corollarium II. Si quis alienum frumentum aliò deportatum vendidit, vbi plus valet, lucrum, siue augmentum sibi ipsi, non domino acquirit: & satisfacit restituendo frumentum eiusdem generis ac qualitatis, vel certè quanti interest domini frumentum suum abductũ, & alienatum non fuisse. Et simile est, si fur pecuniam furtiuam negotiationi exponat, lucrum inde proueniens ad furem spectat, sicuti docet S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 3. Scotus in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Gabr. q. 11. a. 2. concl. 5.

4 Dico II. Fructus percipiendi, v. g. segetes agro adhærentes, fœtus in vtero adhuc latentes, ad rei dominum pertinent; & non minùs, quàm res ipsa, vindicatione repeti possunt: Quia censentur pars rei frugiferæ, sicuti constat ex l. fructus, iun. Gl. ver. pars, ff. de rei vindicat. l. Iulianus, §. si fructibus, ff. de action. empti, l. si quis sciens, C. de rei vindicat. & §. si Titius, Instit. de rerum diuisione: *Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius erit. Et ex diuerso, si Titius suam plantam in Mæuij solo posuerit, Mæuij planta erit, si vtroque casu radices egerit.*

5 Dico III. Fructus omnes rei, siue sint merè naturales, siue mixti, qui à bonæ fidei possessore ex re aliena percepti & adhuc extantes sunt, domino restitui debent, deductis expensis, & æstimatione laboris. Ita Gl. recepta in cit. l. & ex diuerso, §. non habendam. Maior in 4. d. 15. q. 26. §. si secũdum, Syl. ver. fructus n. 2. & ver. furtum q. 16. Couar. 1. resol. c. 3. n. 6. Med. C. de restit. q. 10. concl. 2. Caiet. ver. restitutio, c. 1. in fine, Less. c. 14. dub. 2. Azor p. 3. l. 4. c. 2. §. hæc tamẽ omnia, Vasq. in moral. tract. de restitut. c. 9. §. 11. dub. 1. Mol. & Rebellus locis suprà citatis. Prior pars sumitur ex l. 22. C. de rei vindicat. *Certum est malæ fidei possessores omnes fructus solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei verò, extantes, post litis contestationem, vniuersos.* Et l. qui scit, §. vlt. vbi interprete Accursio dicitur: Quamuis bonæ fidei emptor fructus perceptos interim sibi acquirat; si tamen postea res euincatur, ad restitutionem eorum, Iudicis implorato officio, compelli. Ratio est: Quia res quæuis domino suo fructificat. Altera verò pars, deducenda esse impendia & æstimationem laboris, habetur in l. si à domino, §. fructus, ff. de petit. hæred. & docent. Gl. & Abb. in c. grauis, de restit. spoliat. Angelus ver. fructus, n. 3. Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 3. dub. 5. propos. 2. Sanchez n. 79. Mol. l. c. n. 4. Rebel. q. 8. n. 2. Vtriusque verò ratio est: Quia *locupletari non debet aliquis cũ alterius iactura*, reg. 48. in 6. cõsentit l. nam hoc, ff. de condict. indebiti: *Natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*: Locupletior autem fieret bonæ fidei possessor, si præter expensas & æstimationem laboris atque industriæ suæ, aliquid ex fructibus rei alienæ sibi retineret. Contrà verò, rei dominus iacturam & detrimentum pateretur, nisi eiusdem rei fructus ipsi restituerentur.

Aduerte autem, in foro externo ciuili discrimen esse inter fructus rei merè naturales, & fructus rei industriales: Nam horum dominium, posteaquam à solo separati, seu percepti sunt, bonæ fidei possessori acquiruntur, sicuti habetur Instit. de rerum diuis. *Si quis à non domino fundum bona fide emerit, vel ex donatione, aliáve iusta causa, æquè bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus quos percepit, eius esse pro cultura & cura*: & consentit l. fructus, 45. ff. de vsuris. Quamobrem fructus hi industriales, quamuis extantes sint, à domino repeti non possunt instituta actione reali vindicationis; sed potiùs condictione sine causa, vel Iudicis implorato officio, ob æquitatem, sicuti docet Gl. in cit. l. & ex diuerso, Abb. in cit. c. grauis, num. 9. Mynsingerus & alij in cit. §. si quis à non domino, Sanchez cit. c. 23. num. 73. Couar. cit. c. 3. num. 6. alijque communiter.

Fructus autem merè naturales, tametsi à solo separati perceptiue sint, bonæ fidei possessori non acquiruntur, sed domino rei, sicuti habetur in cit. l. 45. *Fructus percipiendo, vxor vel vir, ex re (aliena) sibi donata, suos facit illos tantùm, quos operis acquisierit, veluti serendo: nam si pomum decerpserit, vel ex silua ceciderit, non fit eius: sicuti nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris.* Vbi vides, manifestam distinctionem inter fructus rei industriales & naturales; illorúmque dominium, summo ciuili iure, possessori bonæ fidei acquiri; horum non item. Neque his aduersatur l. 48. ff. de acquir. rerum dominio: *Bonæ fidei emptor non dubiè percipiendo fructus etiam ex re aliena suos interim facit: non tantùm eos, qui diligentia et operâ eius prouenerunt: sed omnes: quia quoad fructus attinet, loco domini pene est.* Verum enim est, quòd bonæ fidei possessor interim dum illi lis non mouetur, quasi domini loco habeatur; adeò, vt si fructus etiam naturales alienârit, vel consumpserit, ad nihilum teneatur: nisi fortè locupletior inde factus sit, vt postea dicam.

Ex dictis colligitur; minùs rectè respondisse Nau. c. 17. num. 25. Lopez p. 1. instruct. c. 101. ad finem: Eum, qui torqueum aureum à non domino emptum sæpius locauit, locationis pretium domino restituere obligatum non esse. Cuius contrarium bene docet Rodriq. p. 2. sum. c. 42. conclus. 6. P. Nau. l. 4. c. 1. num. 49. Sanchez lib. 2. c. 23. num. 131. Rebel. q. 5. num. 4. Mol. disp. 719. num. 5. Less. lib. 2. c. 12. dub. 17. num. 114. Ratio est: Quia torques aureus non numeratur inter res vsu absumptibiles: sed eius vsus à dominio separari, alteri concedi, & per se in æstimationem venire potest: quare pretium elocati torquis non est meræ industriæ, sed ipsius rei fructus; quippe cùm propter eius vsum pendatur: consequenter ad rei dominum spectat. Neq; refert, etsi fortasse dominus nunquam torquem 6

locaturus fuisset; id enim per accidens censeri debet: quia sæpe fit, vt res apud alienum possessorem plus suo domino fructificet, quàm si in eius potestate mansisset. Quod etiam confirmari potest exemplo ædium, quas si iniquus possessor locet, pretium locationis ad dominum spectat, ex omnium sententia; nihil obstante, quod fortasse dominus ipse nunquam elocasset.

7 Dico IV. Si bonæ fidei possessor fructus rei seu naturales, seu industriales aut mixtos absumpsit, tenetur restituere, quatenus ex ijs locupletior factus est. Ita docet Bartolus in l. & ex diuerso, ff. de rei vindic. Abb. in c. grauis, de restitut. spoliatorum, Ang. ver. fructus, Syl. eod. q. 1. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. conclus. 5. Azor cit. lib. 4. c. 2. q. 2. Mol. cit. disp. 719. Tol. lib. 5. c. 17. Rebel. q. 4. Rodriq. in summa p. 2. c. 42. conclus. 1. Sanchez cit. c. 23. num. 77. Less. cit. c. 14. dub. 2. aliique Theologi communiter, contra Gloss. Mynsingerum, aliosque commentatores in cit. §. si quis à non domino, item Gl. in cit. l. & ex diuerso, Arium Pinellum in cit. cap. 4. num. 47. 60. 61. Andr. Fachinæum lib. 1. controu. iuris, c. 58. aliósque apud Couar. & Mol. ll. cc. existimantes, bonæ fidei possessorem, qui fructus rei, præsertim industriales, ante litis contestationem consumpsit, ad nullam restitutionem obligari, tametsi ex iis locupletior factus sit, quorum sententiam probabilem censet Less. n. 10. Sanch. cit. n. 77. eandémque in foro iudiciali receptam esse, præter alios testatur Pinellus ibid.

Sed nostrum assertum iuri conformius esse, probatur ex l. item veniunt, §. præter, l. si & rem, & seq. l. sed etsi, §. 1. & 2. ff. de petit. hæreditatis, quibus apertè habetur; Si possessor hæreditatis alienæ, quam ad se pertinere arbitratur, aliquid ex ea bona fide consumat; obligari eum quatenus locupletior factus, vel patrimonium auctum est. Ex quo argumentari licet: Si ita se res habet in causa, siue possessione vniuersaliter hæreditatis: multò etiam magis in causa particulari. Nam verus hæres non habet ius in re respectu hereditatis à se nondum aditæ, sed tantùm ius ad rem: & tamen, si quid ex distractione vel consumptione rei ad hæreditatem pertinentis, ad bonæ fidei possessorem peruenit, hæredi restitui debet: ergo multò magis vero domino restitutio facienda est, si quid ex re eius ad bonæ fidei possessorem, v. g rei alienæ emptorem, peruenit. Quod planè etiam indicatur in l. si & me, ff. si certum petatur. *Quæ pecunia mea*, (id est, quæ mihi debita erat) *ad te peruenit, eam mihi à te reddi, bonum & æquum est.* Æquitas autem ea est, quam Iureconsult. in l. 14. ff. de condictione indebiti expressit: *Nam hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem.*

Ad extremum, in prima & principali huius cap. assertione dixi, Bonæ fidei possessorem debere rem alienam vnà cum fructibus restituere, *præterquam si legitimæ*
8 *vsucapionis beneficio dominium sibi comparârit.* Circa quę verba id solum annotare placet; fieri posse, vt bonæ fidi possessor fructuum dominium vsucapione sibi acquisierit; non item fundi, ex quo percepti sunt. Quia ad vsucapionem fructuum, tanquam rerum mobilium, triennij spatium sufficit: Ad vsucapionem verò fundi, siue rei immobilis tempus longum requiritur, iuxta ea, quæ dicta sunt tract. 1. huius lib. cap. 8. num. 13. Vide Sanch. cit. cap. 23. num. 87.

CAP. IV.

De possessore malæ fidei, quatenus restituere teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Malæ fidei possessor est, qui iniustè possidet, sciens vel per crassam negligentiam scire intermittens, ius sibi non competere.*

2 *Si res apud malæ fidei possessorem casu fortuito perijt, alioquin etiam peritura apud dominum, nihil restituere debet. Secùs est, si iniquus possessor eam dolo absumpsit, vel per crassam seu mortalem negligentiam perdidit: nam exinde restituendi obligationem contrahit, quæ semel contracta, propter accidentalem euentum non extinguitur.*

3 *Inuentor rei alienæ, si nesciens ad quem pertineat, eam per crassam negligentiam amittat, non obligatur ad restitutionem.*

4 *Malæ fidei possessor restituere debet omnia melioramenta rei intrinseca; deductis tamen expensis non tantùm necessarijs, sed etiam vtilibus.*

5 *Si res intrinsecè aucta siue melior effecta apud malæ fidei possessorem, postea decreuit, restituere debet secundùm valorem status optimi: excepto, si etiam apud dominum similiter deterior facta esset, etsi ab iniquo possessore in statu optimo restituta fuisset.*

6 *Si res in manu iniqui possessoris extrinseca existimatione aucta, & tunc carius v. g. vendita est, satisfit domino, si ipsi res similis restituatur, vel pretium eius secundùm taxationem temporis, in quo restitutio fit.*

7 *Semper tamen lucrum omne cessans, & damnum emergens domino iniquus possessor restituere cogitur.*

ASSERTIO. Malæ fidei & iniquus possessor, debet rem alienam, vel si perijt, æstimationem eius domino restituere; vnà cum eius incremento & fructibus, non tantùm iis, quos possessor percepit (deductis tamen expensis) sed etiam quos dominus verisimiliter percepisset, nisi ipsi ablata vel iniquè detenta fuisset: insuper omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans eidē domino resarcire cogitur. Ita docent DD. communiter in l. bonæ fidei, ff. de acquir. rerum dominio, & l fructus ff. de rei vindic. l. domum, C. eod. & Instit. de rerum diuis. §. ei verò. Et canonistæ super c. grauis, de restit. spoliatorum. Item S. Thom. in 2. 2. q. 62. a 6. Caiet. ibid. Gab. in 4. d. 15. q. 2. a. 3. Palud. ibid. a. 5. Med. q. 6 de restit. Couar. reg. peccatū, p. 2. §. 6. Syluest. ver. restitutio, 3. q. 7. Rebellus cit. lib. 2. q. 5. Mol. tract. 2. tom. 3. poster. disput. 723. & seqq. Lessius c. 12. dub. 15. & seqq. Sanch. lib. 2. moral. c. 23. num. 97. & seqq. Azor p. 3. lib. 4. c. 4.

Explicanda est autem assertio per singulas particulas: 1
Primò dixi, *Malæ fidei & iniquus possessor.* Loquor enim de possessore malæ fidei, qui propriè ita dicitur: quia videlicet intelligit, vel per crassam negligentiam intelligere prætermittit, rei possidendæ, vtendæ ius sibi non competere; adeóque alteri iniuriam fieri. Non item in assertione comprehendo eum, qui impropriè malæ fidei possessor dicitur, posteaquam causa in iudicium deducta, & lis contestata est, iuxta l. sed etsi, §. si ante, ff. de hæred petit. vbi Iureconsult. ait; *Quoniam post litis contestationem omnes incipiunt malæ fidei possessores esse.* Verùm hi, cùm causam dubiam actori statim cedere obligati non sint, si antea bona fide in possessione fuerunt; non tenentur, si causâ cadant, nisi de fructibus post litis contestationem perceptis, iuxta l. bonæ fidei, ff de acquir. rerum dominio, l. & ex diuerso, ff. de rei vindic. vel quos negligentia sua percipere intermiserunt, sicuti docet Sanch. num. 115. Fructus verò perceptos ante litis contestationem, restituere debent, quatenus extant, iuxta l. certum, C. de rei vindicat.

Secundò dixi: *Rem alienam, vel, si ea perijt, æstimationem eius, domino restituendam esse.* Circa quæ verba grauis

quæstio occurrit: Si res aliena, quæ apud malæ fidei possessorem perijt, similiter peritura fuisset, etsi in domini potestate permansisset; vtrum nihilominus restitutio domino facienda sit? Circa hanc quæstionem variè loquuntur Doctores, sicuti videre est apud Palud.in 4.d.15.q.2.a.1.Couar.reg.peccatum,p.2.§.6.Syl. ver.restitutio,7.q.5.Ioan.Medinam q.6.Cod. de restit. Pet.Nau.lib.4.de restit.c.1.num.17.& seqq. Mol. cit. t. 3.disp.725.conclus.7.Less.lib.2.c.12.dub. 15.Barthol. Medinam lib.1.sum.c.14.§.30.reg. 5. Dicendum verò
2 est primò: Si res aliena apud furem, vel alium malæ fidei possessorem fortuito casu, & sine eius culpa perit, quæ certò etiam apud dominum perijsset, tunc in conscientiæ foro ad nullam ille restitutionem obligatur. Non enim ratione rei acceptæ; cum nihil ex ea possideat: Neque ratione iniustæ damnificationis, cùm causa damni non extiterit: quando sine vlla furis culpa, v. g. hostium incursione, ciuitatis deflagratione perijt, nihilominus peritura, etsi fur eam à domino non abstulisset. Hæc est communis sententia, sumpta ex Iureconsult.in l.vlt §.si ea conditione, ff. de l. Rhodia, de iactu, contra Palud.in 4.d.15. q.2.a.1.conclus.5. & Legistas apud Couar.l.c. Verùm hi loquuntur de foro externo, in quo eiusmodi restitutio in pœnam criminis quandoque imperari solet.

Dico secundò. Si res aliena perijt dolo furis, alteriúsve iniqui possessoris; quia eam scienter destruxit, absumpsit, alteri donauit, &c. tunc tenetur æstimationem eius domino præstare, nihil obstante, quòd si ei à fure ablata non fuisset, certò etiam perijsset. Exemplum. Heri Titius à Caio poculum argenteum furatus est: hodie verò ædes Caij incendio cõflagrant, quod haud dubiè poculum quoque absumpsisset, nisi à fure ablatum fuisset, hoc casu Titius nihilominus obligatur ad restitutionem rei iniquè ablatæ: Sin verò eam non restituat, sed destruat, vel absumat, iniustum domino damnum denuo infert, ad cuius compensationem naturali iure obligatur. Quæ est communis Doctorum sententia tradita à Molin. disp.726. Quare vides rationem discriminis inter has assertiones: Si enim fur casu fortuito sine culpa sua rem amittat, quæ similiter apud dominum perijsset, non est causa interitus; ideóque non tenetur ex capite iniustæ damnificationis: tantùm enim iniuriam intulit auferendo: ablatio autem non erat causa damni, quandoquidem etiam sine ea res perijsset. Sin verò fur rem ablatam dolosè absumat, hîc & nunc est causa interitus: ac proinde restituendi obligationem statim contrahit ratione iniustæ læsionis; licet postea intelligatur, rem etiam absque eo perituram fuisse.

Limitant verò hanc doctrinam Less.cit.dub.15.num. 93.Vasq.in moral.tract.de restit c.2.§.,.dub.3. num. 9. & c. 5. dub.11.§. hæc omnia, & alij apud Pet. Nau. n. 26.Furem ad nullam restitutionem obligari, si eo loco, atque intra illud tempus rem destruat vel absumat, quo alioquin etiam apud dominum peritura fuisset: propterea quòd nullum damnum pretio æstimabile illi inferat. Exempli causa. Si Titius hodie ouem ex grege Caij abegit, statimque absumpsit; cras verò integer ouium grex fulmine pereat: aiunt Titium in conscientiæ foro restituendi obligatione immunem esse; quando certò constat, ouem perituram fuisse, etsi furto sublata non esset.

Præterea, si quis prospiciens incendium oriturum in domo Titij, quo omnia absumenda erunt, cum sociis præueniat, & vini dolium, cùm facilè tamen incendio liberare posset, statim exhauriat; ad nullam restitutionem obligari. Quia in tali casu res, quæ absumuntur, quasi nullius pretij sunt; ideóque dominus rationabiliter inuitus esse non potest.

Hæc limitatio ita absolutè posita mihi non placet: Nam inprimis refert, vtrum publicè sciatur, an ignoretur, rem incendio, vel hostium incursione perituram esse: Si enim ignoratur, negari debet, rem tunc nullius pretij esse, aut dominum rationabiliter inuitum non esse. Sicuti enim, si eo tempore vini dolium vendidisset, pretium ipsi ab emptore restituendum foret; ita non minùs restitui debet à fure, qui ipso inuito iniustè absumpsit. Cùm non minùs fur, quàm emptor, obligationem compensandi ex iustitia contrahat: cui obligationi omnino per accidens coniunctum est, quòd res eodem loco, ac intra illud tempus, quo fur eam absumpsit, peritura fuisset: id enim casui & fortunæ domini adscribi, & non furis commodo cedere debet, quę est sententia Soti lib.4 de iust.q.7.a. 2. At verò, si publicè sciatur, rem periculo incendij, naufragij hostium direptioni subiectam esse; tunc fateor, æstimationem rei plurimùm imminui: vt proinde fur, si tali rerum statu rem absumat, minorem restitutionem facere debeat: quin fieri poterit, vt ad nihilum absumptor teneatur, si videlicet res nullo modo ab interitu liberari posse videatur: quia tali casu dominus meritò inuitus non est. Sin verò eripi possit, tunc re vera domino valet: vt qui eam absumit, cùm eripere posset, iniustum damnum inferre censendus sit: ideóque ad restitutionem obligandus.

Exinde casus resolui potest. Miles quidam ita confitetur: Cùm Commilitones mei in transitu per prouinciam non hostilem, spoliarent domum agricolæ: ego eius consilij inscius, casu interueni (alioquin enim iniustè prædari non soleo) & duas vestes abstuli, 15.flor. æstimatas: ea ratione ductus, quòd si ego non auferrem, alij procul dubio ablaturi essent. Quæro nunc an peccârim, & quàm grauiter? Deinde quid restituere debeam, & cui? Resp. Si miles ille vestes accepit animo restituendi per occasionem, nihil peccauit: imò vtiliter negotium domini gessit, & debetur illi merces ob industriam. Si autem accepit animo non restituendi, peccauit procul dubio: quia sicut alij iniuriam intulissent & damnum iniustum, auferentes rem alienam domino inuito, ita & hic, quando eos præuenit, idque egit, quod alij malè acturi erant. Fieri tamen potest, vt ob materiæ leuitatem, venialiter tantùm, non mortaliter peccârit: Quia licet vestes absolutè æstimentur 15. flor. quæ est quantitas sufficiens ad furtum mortale; attamen pretia rerum sumi debent ex morali hominum æstimatione, secundùm præsentes circumstantias: quamobrem ob varios casus accrescere & decrescere solēt rerum pretia. Certum autem est, cùm hostium incursus timetur, præsertim si iam hostes ingruant, mercium pretia valde decrescere: adeò, vt vestes eas in eo periculo constitutas nemo æstimasset 10. paziis, aut floreno: quamobrem miles (si aliis militibus prædandi nullam causam dedera) non magnum damnum censendus est intulisse, neque multum furatus, sed rem valentem 10. paziis, vel floreno. Quod attinet ad restitutionem, si accepit animo restituendi domino, adeóque bona fide, ac postea domino restituere non possit, neque pauperibus debet: quia secundùm probabilem sententiam, restitutio pauperibus fieri tantùm bebet, cum res aliena ex delicto acquisita est. Si verò mala fide accepit, debet pauperibus restituere: Nisi ipsemet pauper sit, in necessitate constitutus, vt infrà dicam.

Alter casus. Titius vnà cum mercatore naui vectus, frumentum ab eo furatus est, & statim absumpsit: postero die improuisa tempestas orta nauem submersit, vnà cum mercibus, saluis solis hominibus: Nunquid fur in conscientiæ foro obligatus est ad faciendam restitutionem mercatori? Less. & Vasq. citatis ll. negante respondebunt: idque fateor esse probabile: Quia fur in hoc casu alienum frumentum absumendo, licet iniuriam intulerit, nullum tamen re ipsa & in effectu

damnum intulisse videtur: quandoquidem nulla ratione caueri potuit, quo minùs frumentum periret. Nihilominus contrarium existimo esse probabilius, quia semel contracta obligatio restituendi mercatori frumentum, iniustè ipsi absumptum, subsequente fortuito euentu non extinguitur.

His addendum: Quod suprà de dolosa absumptione dictum fuit, similiter locum habere, etsi sine directo perdendi proposito, sed per crassam siue mortalem seruandi negligentiam res ablata apud furem pereat. Exempli causa: Fur poculum argenteum furatus est; sed statim amisit, non sine graui culpa: arbitror eum ad restitutionem teneri, nihil obstante, quòd poculum similiter perijsset, etsi domino non ablatum, vel etiam suo tempore restitutum fuisset, sicuti indicant Couar. cit. §. 6. Med. cit. quæst. 6. Mol. disput. 725. conclus. 7. & expresè docet P. Nauar. cit. c. 1. num. 23. Ratio est: Quia aliquis rem alienam furando, ex iustitia obligationem inuoluntariam, ratione delicti sui contrahit; non minùs, quàm depositarius v. g. voluntariam ex contractu: ergo sicuti depositarius non tantùm dolum, sed etiam culpam Theologicam, præsertim latam siue mortalem, præstare debet; ita & fur.

Quæres. Quid in eiusmodi casibus sentiendum sit de bonæ fidei possessore, v. g. qui rem alienam inuenit; & postea iterum perdidit, dolo aut culpa lata?

3 Respondeo. Si talis v. g. inuentor dominum rei inuentæ determinatè sciens, in culpabili mora restituendi existat, iam malæ fidei possessor redditur: ideóque tenetur, si eam dolo, vel lata culpa (quæ in delictis dolo æquiparatur) amittat. Sin verò dominum nesciat, sed adhuc inquirere debeat; refert, vtrum rem positiuè destruat, absumat, an ab alio auferri patiatur, & negligat. Nam in primo casu iniustum damnum infert, quod domino postea comparenti resarcire tenetur. In secundo verò casu tantùm peccat contra charitatis legem; non item contra iustitiam: quare nec ad restitutionem obligatur. Ratio est: Quia nemo censetur causa damni propterea, quòd cùm facilè illud impedire posset, neglexit, nisi ex iustitia obligatus fuerit ad impediendum, siue rem custodiendam. At verò inuentor in hoc casu ex iustitia obligatus non est ad rem custodiendam. Quia omnis obligatio vel est voluntaria ex pacto, vel inuoluntaria ex delicto. Iste autem neque cum rei domino pactus fuit; neque contra eum deliquit. Ergo ex iustitia non obligatur ad custodiam rei, sed solùm ex charitate. Excipe: Si dominus rem suam per se, vel aliam personam recepturus, & seruaturus fuisset; tunc si ego præueniam, & rem accipiam, tacitè me obligare videbor ad tantam custodiam rei præstandam, quantam ei dominus, vel alter ille præstitisset: nam alioquin damnum iniustum domino inferetur, quippe qui merito inuitus est, vt res, nisi sub tali obligatione, auferatur.

4 Nunc verò redeo ad assertionem principalem. Tertiò enim dixi; Restituendum quoque esse rei augmentum, & fructus omnes perceptos, sicuti ex communi docet Syl. ver. restitutio, 3. q. 7. & 9. Nau. c. 17. num. 26. Med. q. 6. de restit. Mol. disp. 725. Sanch. cit. c. 23. num. 117. & seqq. Less. c. 12. dub. 17. Quia augmētum seu melioratio rei intrinseca domino eius cedit: consequenter etiam fructus ex re, eiusque intrinsecis meliorationibus percepti, eidem restituendi sunt: quia res quæuis domino suo fructificat. Quòd si hos fructus malæ fidei possessor absumpsit, vel dolo, aut lata culpa perire permisit, eorum æstimationem domino præstare cogitur: quia rem alienam perdendo damnum iniustè intulit. Idque habetur, §. si quis à non domino, §. ei verò, Instit. de rerum diuis.

Neque refert, tametsi dominus, si in sua potestate rem seruasset, non tantos fructus inde percepisset: nam id eius fortunæ cedere debet, quòd res eius plùs in manu furis fructificârit, quàm si ipsemet eam possedisset, sicuti bene docet Mol. cit. disp. 725. num. 4. Less. cit. c. 12. num. 117. contra Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 6. num. vlt. ver. quartò. Idémque locum habet in creditore, qui fructus omnes ex fundo sibi oppignerato perceptos, deductis expensis, restituere cogitur: nihil obstante, quòd dominus eum non tanto studio coluisset, sicuti docet Less. l. c. num. 115. contra Sotum lib. 6. q. 1. a. 2. in fine.

Porrò tria aduertenda sunt: Primum. Quod suprà dixi, fructus omnes ex re aliena, eiúsque melioramentis, domino restituendos esse; intelligi debet deductis expensis & æstimatione laboris. Quia, vt sæpius dictum est, fructus non intelliguntur nisi deductis impendijs, sicuti constat ex l. fructus, ff. soluto matrimonio, l. fundus, ff. familiæ herciscundæ, ibi: *nullus casus interuenire potest, qui hoc genus deductionis* (impendiorum ex fructibus) *impediat*, & docet Gabr. cit. d. 15. q. 2. a. 3. conclus. 2. Couar. 1. resol. c. 3. num. 3. Nau. c. 17. num. 25. Mol. disp. 775. Less. cit. dub. 17. num. 111. Sanchez num. 136. Rebellus l. 2. de restit. q. 8 Idque in conscientiæ foro, & spectata naturalis iuris æquitate, non tantùm locum habet in expensis necessariis, quas si malæ fidei possessor non fecisset, negligentiæ & culpæ eius imputaretur; sed etiam in vtilibus, quibus res melior ac pretiosior effecta fuit. Expensæ autem, quæ ad solam voluptatem spectant, repeti non possunt: Si tamen sine damno à re separari queant, permissum quoque est, eas auferre: qua de re Ioach. Mynsing. §. certè, Instit. de rerum diuis. Sāchez num. 139. Mol. cit. disp. 725. in fine.

Alterum. Data opera suprà dixi, augmentationem siue meliorationem rei *intrinsecam* (quæ v. g. fit stercoratione, plantatione, posteaquam plantæ radices egerunt) rei domino cedere: Quæ enim melioramenta vel ornamenta rei extrinsecùs adiuncta sunt, & sine illius incommodo separari possunt: veluti ianuæ, fenestræ, lapides pretiosi, &c. eorum dominium, & correspondens locationis pretium, ad possessorem, etiam malæ fidei spectant, sicuti notauit Sanch. n. 105. & 123.

Tertium. Refert quoque alia ratione, vtrum res apud furem v. g. melior effecta sit augmento intrinseco: veluti si pullus equinus furtō ablatus adoleuit; an verò extrinseca tantùm æstimatione ac valore: veluti, si aliquis frumenti modiū, vel equum furatus fuit: quorum pretia in cōmuni foro postea aucta sunt. Nam in primo casu semper restitutio fieri debet rei, spectatæ secūdùm optimum statum, quem in manu furis habuit. Quare siue fur equum iam adultum alienârit, siue amiserit, deteriorémve reddiderit, semper restitutionem facere debet, secundū æstimationē rei in optimo statu: licet fortè apud dominum manens, eiusmodi incrementum nunquam nacta fuisset. Quod egregiè tradidit Vlpianus l. in re furtiua, ff. de condict. furtiua: *Si ex causa furtiua res condicatur, cuius temporis æstimatio fiat, quæritur? Placet tamen id tēpus spectandū, quo res vnquam plurimi fuit: maximè cùm deteriorem factam fur dando non liberatur: semper enim moram fur facere videtur.* Idémque docet Angel. ver. furtum. §. 44. Syl. ver. restitutio, 3. q. 7. dicto 1. Maior in 4. d. 15. q. 26. ibid. Gabr. q. 2. a. 3. conclus. 3. Nau. c. 17. n. 26. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 6. n. 2. Rebel. q. 5. Sanch. n. 123. Less. dub. 16. n. 105. 108. Ratio est: Quia, vt suprà dictum, augmentum intrinsecum ad dominum rei spectat, eique statim vnà cum re ipsa restituendum est: quare, si à fure non restituatur, sed absumatur, vel longiore morâ deterior reddatur, iniustum damnum domino infert, quod eidem compēsari debet. *Semper enim fur moram facere videtur*, inquit Vlpian.

Sed limitari debet, cum Medina q. 6. de restit. ad 6. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 6. num. 2. P. Nau. l. 4. c. 1.

num. 34. Vasq. de restit. c.5.§.1. dub.12. Nisi ita res comparata sit, vt licet iniquus possessor rem in optimo statu restituisset, à domino tamen non diuendita, &c. sed seruata, similiter deterior facta esset: tunc satisfacit iniquus possessor, restituendo rem in statu deteriore, ad quem, sine culpa tamen sua, peruenit. Ratio est: Quia hoc casu fur per moram restituendi nullum re ipsa domino damnum intulit, sicuti constat ex suprà dictis.

6 In altero autem casu, si res extrinseca tantùm æstimatione aucta, eóque tempore à fure consumpta vel alienata fuit, v.g. scapha frumenti furtiui; postea verò pretium frumenti iterum decreuit: satisfacit fur, si tunc aliam scapham frumenti eiusdem generis ac bonitatis restituat; vel pretium eius, secundùm taxationem temporis in quo restituit, sicuti docent Mol. cit. disp. 725. conclus. 3. & 4. Less. dub. 16. P. Nau. n. 37. Ratio est: Quia ille valor extrinsecus non censetur fructus seu augmentum rei, sed potiùs industriæ; ideo non rei domino, sed possessori etiam malæ fidei cedit. Quapropter de rebus, præsertim ijs, quæ in genere suo functionem recipiunt, generalis hæc regula tradi potest: A debitore tum bonæ, tum malæ fidei, per se loquendo, restituendam esse vel rem ipsam numero, quæ accepta fuit, non deteriorem redditam; vel aliam eiusdem generis ac bonitatis; vel denique eiusdem prætium, siue æstimationem præsentem. Cuius ratio peti debet ex iustitia commutatiua, exigente æqualitatem inter rem acceptam & dandam. Neque obstat, quòd fur frumenti scapham tempore intermedio cariùs vendendo lucrum ceperit: nam id ad industriam eius pertinet, postea verò satisfacit restituendo frumentum quale acceperat; vel loco eius pretium, quo tunc frumentum venire solet. Idémque, quamuis non ita certò, tamen probabiliter dici potest de rebus vsu non absumptibilibus; satisfieri creditori, si equus ipsi restituatur omnino talis, qualis ablatus fuerat; etsi vel tunc, cùm auferebatur, vel tempore intermedio pluris valuerit.

7 Sed oportet his casibus pretium equi, si fortè aliis locatus fuit, domino restituere: atque insuper omne damnum, & lucrum cessans eidem integrè compensare. Exemplum damni emergentis est, si propterea quòd equus aut frumentum ablatum, vel tempore debito non restitutum fuit, ipsemet dominus coactus est frumentum aut equum pretio maiore emere: Exemplum lucri cessantis, si dominus frumentum non seruasset, donec decresceret: sed maiore prètio vendidisset: totum hoc eidem resarciri debet: quæ est doctrina Ioan. Medinæ C. de restitut. cit. q. 6. ad 1. Syl. ver. furtum, q. 16. P. Nau. l. c. num. 37. Vasq. cit. §. 1. num. 79.

Atque hoc ipsum est, quod vltimo loco dixi in principali conclusione: Fructus non tantùm eos, quos iniquus possessor ex re aliena percepit, restituendos esse: sed eos quoque, quos dominus verisimiliter percepisset, nisi ipsi ablata, vel iniquè detenta fuisset. Ratio est: Quia in casu iniustæ damnificationis dominum indemnem omnino seruari oportet, sicut egregiè traditur reg. 79. ff. *Generaliter, cùm de fraude disputatur, non quid habeat actor: sed qui per aduersarium habere non potuit, considerandum est.* Et in l. domum, C. de rei vindic. *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, et ab aduersaria parte iniuria occupatam esse contendis, Præses Prouinciæ, cum pensionibus, quas percepit, aut percipere poterat, et omni causa damni, restitui iubebit.* Et in l. fructus, ff. eod. *Fructus non modo percepti, sed qui honestè percipi potuerunt, æstimandi sunt.* Consonat l. si nauis, §. vlt. ff. eod. *Constat animaduerti non debere, an malæ fidei possessor fruitus sit; sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset.* Neque dissentit lex canonica in cap. grauis, de restitut. spoliatorum. *Non tantùm fructus à nouo & violento possessore perceptos: sed quos possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem.* Qua de re latè disputat Sanchez num. 97. & seqq. Couar. reg. peccatum, cit. §. 6. num. 4.

CAP. V.

Quinam restituere debeant damnum iniustè datum?

SVMMARIVM.

1 *Præter damni iniusti executorem, etiam concausæ eius ad restitutionem obligantur.*
2 *Qui expressè, vel tacitè mandat damnum inferri, de eo tenetur.*
3 *Rati habitio damni illati mandato comparatur in ordine ad pœnas iuris non autem in ordine ad restituendi obligationem*
4 *Malè consulens damnum inferri, damnificato obligatur etiam ex culpa, saltem crassa: & verò qui consilium sequitur, non obligatur consulens, nisi dolosum fuerit: exceptio, si ratione status vel muneris maiorem, quàm alij, peritiam profiteatur, tunc obligabitur etiam ex culpa.*
5 *Qui alterum certo proposito determinatum ad damnum inferendum suo hortatu magis adhuc confirmauit, non obligatur damnificato: nisi causa fuerit, vt maius ei damnum inferretur, tunc tenetur de excessu.*
Qui materialiter tantùm, non verè causaliter damno cooperatur, restituere non debet.
6 *Consentientes, fautores, receptatores, si causa vel concausa damni existant, ad restitutionem obligantur.*
7 *Damno non obstantes, non manifestantes, &c. tunc solùm ad restitutionem obligantur, si ratione pacti, vel officij, adeóque ex iustitia impedire debeant.*
Receptator furis, eiusdem criminis reus efficitur.
8 *Qui donum à fure accipit ne clamet, aut ne indicet, non tenetur ad restitutionem, nisi sua pollicitatione furem animosiorem reddiderit.*

EX suprà dictis constat, ad contrahendam obligationem restituendi ex capite iniustę lęsionis duo esse necessaria: & vt damnum illatum sit, & vt contra iustitiam, siue per iniuriam illatum sit. Quare si quis, dum in aliena silua contra domini voluntatem arbores cædit, iumentum casu occidat, non tenebitur de damno, quod, vt suppono, omnino inuoluntariè, ideóque sine iniuria illatum est. Præterea, si aliquis famulo suo in mandatis dedit, vt hominem iniquè occideret: ille autem quacunque de causa mandatum executus non fuit, ad nullam restitutionem iniquus mandator ante Iudicis sententiam obligabitur, quando nullum damnum illatum est.

Porro, cùm sæpe accidat, vt præter eum, qui damnum iniustè exequitur, alij etiam tanquam concausæ, non sine iniuria, ad damnum inferendum concurrant, & cooperentur: dicendum est ex omnium DD. sententia, non solùm ipsum exequentem restituendi obligationem contrahere: sed omnes etiam eius concausas, quæ nouem recensentur, earúmque sex priores directè, reliquæ indirectè concurrunt, atque hoc disticho comprehenduntur, apud Scotum in 4. d. 15. q. 2. a. 4. Richard. ibid. a. 5. q. 4. 1

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Nomine *iussionis* intelligitur, qui damnum inferri mandauit, siue expressè: siue tacitè, videlicet facto, vel dicto, ex quo v.g. famulus facilè colligere potuit, gratum fore hero, si nomine eius damnum inferatur. 2 Dubitatur autem primò: Si scias alterum paratum esse nomine tuo damnum inferre, v. g. inimicum tuum occidere, neque prohibeas, cùm facilè possis: vtrum mandasse censearis, & in conscientiæ foro ad restitutionem obligatus? Affirmat Mol. cit. tom. 3. disp. 729. n. 6. sed rectiùs distinguit Rebellus p. 1. lib. 2. q. 14. s. 3. num. 13. Vel alter scit, te malignum suum propositum cognitum habere, & non contradicere, aut

impedire; vel nescit. Si primum, taciturnitas tua consensus & approbatio iudicatur: per quam si ille moueatur ad facinus patrandum, de damno teneberis. Si secundum, non teneberis vt mandans; sed interdum vt non obstans, si videlicet ex officio, adeóque ratione iustitiæ, non solius charitatis, obligatus sis ad damnum iniustum impediendum.

Dubitatur secundò: Si filius nomine patris; aut famulus nomine domini sui nescientis, & non consentientis, damnum intulit, quod is, postea re intellecta, ratum habeat, vtrum in conscientiæ foro ad restitutionem damni obligandus sit? Affirmat Palud. in 4. distinct. 15. quæst. 2. a. 3. Syl. ver. restit. 3. quæst. 6. dicto 2. Angelus ver. furtum, num. 20. Nauar. c. 17. num. 135.
3 Quia talis mandasse censetur, ob iuris regulam 10. in 6. *Rati habitionem retro trahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Sed rectiùs alij negant, Med. q. 7. de restitut. ad 4. Rebel. cit. f. 3. Mol. disp 729. n. 3. Less. lib. 2. c. 13. dub. 3. n. 13. Vasq. de restit. c. 9 §. 1. n. 19. Quia talis re vera non est causa efficiens damni: cùm ad præteritum non sit potentia. Ad iuris regulam respondetur: Eam intelligendam inprimis de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, ac proinde à consensu eius pendentes, subsequente ratificatione confirmantur. Deinde de pœnis, quæ per Iudicis, vel legis sententiam non minùs incurruntur, postquam aliquis delictum, suo nomine patratum, ratum habuit, quàm si antè patrari iussisset, secundùm Gl. communiter receptam in l. 1. §. deiecisse, ff. de vi, & vi armata.

Nomine *consilij* intelligitur qui damnum dari suasit, vel hortatus est, si alter ea ratione motus executus fuit. Et verò sæpe accidit, vt executor ipsemet iuris imperitus, & suasorum siue Consiliariorum, Aduocatorum, &c. auctoritatē meritò secutus omni culpa vacet, ideóque ad restitutionem ex capite iniustæ læsionis non teneatur; sed soli v. g. Principum Consiliarij, Aduocati clientum; Confessarij pœnitentium, &c. sicuti dixi suprà lib. 2. tr. 3. c. 12. ante 4. assert. & notauit Mol. to. 3. poster. disp. 730.

4 Sed dubitatur primò. Vtrum malè consulens ex dolo tantùm, an etiam ex culpa obligetur? Vel quæritur hîc, vtrum talis suadens ex consilio suo noxio obligetur illi, qui consilium sequitur: vel quæritur, vtrum obligetur tertiæ personæ, cui ex tali maligno consilio damnum iniustum illatum est. Ad posteriorem hanc quæstionem facilis est responsio; suasorem obligari damnificato (saltem in defectum exequentis) non tantùm si dolo, sed etiam si culpa, saltem crassa seu mortali (quippe quæ in delictis dolo æquiparatur) consilium noxium dedit: vt si Confessarius pœnitenti per crassum errorem respondit, restitutionem faciendam non esse, sicuti latiùs dicam infrà tr. 4. c. 7. n. 5. Circa priorem autem quæstionis sensum, maior est difficultas: Respondeo autem ex doctrina Syuestri ver. consilium, q. 7. Pet. Nauar. lib. 3. c. 4. n. 22. Molinæ l. c. n. 2. Rebel. p. 1. lib. 2. q. 14. f. 4. & dico I. Si consulens talis persona sit, quæ ratione status, vel muneris sui peritiam profitetur in ea re, quam suadet, vt Doctor, Aduocatus, Consiliarius, Confessarius, tenebitur etiam de culpa, saltem latâ; imò etiam leui, si inde proprium commodum v. g. stipendium capiat.

Dico II. Si malè consulens seu suadens non sit talis persona, quæ ratione muneris aut status sui peritiam præseferat, non obligatur ex consilio, nisi doloso; id est, nisi fraude ignorantem circumueniat, iuxta iuris regulam. 62. in 6. *Nullus ex consilio, nisi fraudulentum fit, obligatur*: & reg. 47. ff. *Consilij non fraudulenti nulla obligatio est.* Ratio discriminis est: Quia prioris generis personæ, dum peritiam præ se ferunt, qua carent, hoc ipso decipiunt alios, qui ipsorum consilium, & auctoritatem per simplicitatem sequuntur. Qui autem talem peritiam non profitentur, horum consilium nemo prudens sequitur, nisi priùs explorârit, num expediat, nécne, iuxta l. 2. in fine, ff. mandati. Puto autem hoc intelligendum, etiamsi culpa Theologica sit; v. g. si homo plebeius inconsideratè, seu per negligentiam etiam crassam, tamen sine fraude alteri consilium noxium det, cùm tantùm aduersus charitatis legem delinquat, de damno secuto non tenebitur: atque alter, qui datum sibi consilium voluntariè sequitur, suæ id potiùs temeritati, ac imprudentiæ imputare debet.

Dubitatur secundò. Si aliquem, qui iniustum damnum alteri inferre decreuerat, consilio vel hortatu magis etiam confirmasti, vtrum ad restitutionem damnificato tenearis? Respondeo: Probabiliter negari posse. 5
Quia non fuisti causa efficax, vt damnum absolutè, & secundùm substantiam inferretur, quando alter per se ipsum satis incitatus erat ad inferrendum, vt etiam absque suasu tuo intulisset: Ergo non teneris de damno. Quæ est doctrina S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. & in 4. d. 15. q. 1. a. 5. quæstion. vlt. ibid. Palud. q. 2. a. 3. S. Anton. p. 2. t. 1. c. 12. §. 12. Adrian. in 4. de restit. vbi de currentibus cum fure, dub. 1. Syl. ver. restit. 3. q. 6. dicto 3. & 4. Nau. c. 17. n. 17. Lessij l. 2. c. 13. dub. 2. n. 6. Sa ver. restitutio, n. 39. contra Caiet. 2. 2. q. 62. art. 7. Medinam q. 7. & 8. de restit. Sotum lib. 4. q. 7. art. 3.

Neque obstare videtur, etsi hortatu tuo causa fueris, vt citiùs aut expeditiùs damnum inferretur: quia, moraliter rem æstimando, parum, imò nihil interest ad damni illationem, primáne v. g. an secunda diei hora iniustum homicidium perficiatur, si absque dubio perficiendum sit, sicuti probabiliter docet Less. l. c. contra Medinam cit. q. 8. P. Nau. l. 3. c. 4. n. 15. 35. 67. Mol. disp. 736. n. 3. Vasq. de restit. c. 9. §. 1. dub. 1. in fine, & dub. 2. n. 32. Quòd si verò suasione, vel hortatu causa fuisti, vt maius damnum inferretur, quàm alioquin illatum fuisset, teneris tantùm de excessu, sicuti rectè docent S. Anton. l. c. Nau. n. 20. Less. n. 6. & colligitur ex communiore doctrina Medinæ cit. q. 8. §. sequitur ampliùs, Maioris in 4. d. 15. q. 26. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 12. ad finem, P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 48. Rebelli cit. lib. 2. q. 14. f. 4. n. 20. Eum, qui furi per se parato furari aureos centum, persuasit, vt furaretur ducentos, secuto effectu, contrahere tantùm obligationem restituendi centum: licet contrarium senserit Adrianus loco suprà cit. & Molin. cit. disp. 7, 6. n. 2.

Multò magis à restitutione immunis erit ea persona, cuius coöperatio tantùm materialis fuit, in effectum formaliter non influens; quia sine ea hoc numero damnum ab hoc damnificante nihilominus illatum fuisset. Exempli causa: Si furi furandi gratia ascendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen ascenderet. Si ancilla dominæ suæ vocanti obsequium præstet in asportanda cista furtiua, quam sine cuiusquam subsidio, auferret tamen, & furaretur. Cui doctrinæ consentiunt Adrianus, Syl. Palud. S. Anton. Nauar. ll. suprà citatis, eandémque tradit Mol. cit. disp. 736. n. 5. P. Nauar. num. 49. Less. c. 13. dub. 4. n. 35. contra Vasq. cit. dub. 2. In externo tamen foro tales meritò puniri solent, ob delictum; præterquam si iustus metus excuset: qua ratione à peccato excusantur rustici, cùm à militibus vel prædonibus mortis metu adiguntur ad prædas iniustas auehendas.

Nomine *consensus* intelligitur efficax approbatio vel suffragium ad damnum inferendum: veluti si aliquis è Magistratu ad inferendum bellum iniustum; aliquis ex Concilio, Capitulo ad decernendam legem iniquam & damnosam, eligendum hominem indignum, & Ecclesiæ perniciosum, suffragium & consensum præstet. 6

Cæterùm, si videas maiorem partem Assessorum, Canonicorum iniquum suffragium ante te dedisse; vt licet tu suffragium neges, nihil tamen profecturus sis, neque damnum impediturus, peccabis quidem suffragando; sed ad compensationem damni non teneberis: cùm eius causa non fueris: quandoquidem sufficiens, & efficax causa posita erat ante tuam suffragationem. Ita ex communi Caiet. in sum. ver. restit. cap. 1. ver. attende ergo, Nau. in man. cap. 17. n. 21. P. Nau. cit. c. 4. n. 33. Mol. tr. 2. to. 3. par. poster. disp. 732. Vasq. de restit. c. 9. §. 1. n. 16. Aduerte tamen quod dixi primò; Si maior pars (secundùm quam sententia ferenda est) suffragium iniquum *ante te dederunt.* Nam si tu prior dedisti, tunc vnà cum alijs causa actiua ferendæ sententię fuisti, ideoque ad damnum resarciendum obligaris; nihil obstante, quòd tametsi tu suffragatus non fuisses, eadem tamen sententia lata, idémque damnum secutum esset, sicuti notauit Mol. cit. disp. 732. n. 3. Secundò dixi; *Si nihil profecturus sis.* At verò si speres, te contradicendo aliis persuadere posse, vt iniquam sententiam reuocet, ex munere & officio obligatus es ad id præstandum: alioquin teneberis de damno secuto, tanquam mutus siue non obstans, vt ex sequentibus patebit, & notauit Mart. Nauar. cit. n. 21. P. Nauarrus n. 36.

Nomine *palpantis* intelligitur, qui v. g. commemorando hominis iniuria affecti nobilitatem, corporis vires; vel exaggerando acceptam contumeliam, dedecus, &c. eundem ad iniustam vindictam, damni illationem concitat: Modò sit causa efficax, ita vt alter sine tali palpatione damnum non intulisset, sicut suprà dixi de consulente, & tradit S. Th. q. 62. a. 7.

Nomine *recursus*, intelligitur damnificantis receptator id est, qui facultatem, occasionem, patrocinium damno inferendo, aut illato non compensando præbet; videlicet Aduocatus, vel quiuis alius causæ manifestò iniquæ patrocinium apertè, vel occultè suscipiēs, qua de re P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 37. Item Caupo filium familias, contra patris voluntatem, domo sua suscipiens, ad prodigendas pecunias profectitias à patre, sicuti docet Molin. disp. 733. Item receptator furis, quatenus formaliter fur est, aut rerum alienarum detentor. Quòd si rem ipsam furtiuam sciens recipiat celandi causa, furti crimen committere, eadémque pœna dignus censetur, vti habetur in l. 3. §. non tantùm, ff. de incendio, ruina, &c. & §. conceptum, Instit. de obligat. ex delicto. Idque notandum est contra eos, qui scientes rem furtiuam esse, à fure emunt ac seruant: cùm sint receptatores furti, de quibus dicitur in cit. l. 3. *Receptatores non minùs delinquunt, quàm aggressores.* Et consentit l. eos, C. de furtis.

Nomine *Participantis* intelliguntur, quicunque præstito auxilio, seu subsidio ad damnum inferendum formaliter cooperantur: v. g. vsurarij institores seu factores, de quibus Syl. ver. vsura, 7. q. 4. Nau. c. 17. n. 267. Tabellio conficiens instrumentum vsurarium; & testes illi scienter subscribentes in gratiam mutuatoris, de quibus Syl. q. 7. Molin. disp. 331. Item faber ferarius subministrans clauem ad furandum: qui scalam furi applicat ac tenet: qui eundem committatur, eique assistit animi augendi causa: qui vigilem, vel exploratorem agit. Qui proinde etiam pœnis furti tenentur, l. in furti, §. ope, l. si pignore, §. qui ferramenta, ff. de furtis, & docet Clarus lib. 5. sent. §. practica criminalis, q. 90. n. 9. Mol. tr. 2. t. 3. poster. disp. 695. n. 44.

Veruntamen, si tales materialiter tantùm cooperentur: quia alter per se ipsum satis determinatus est, etiam sine eiusmodi auxilio (quippe quod absolutè non necessarium) damnum inferre: tunc probabile est, participantem in conscientiæ foro à restitutione immunem esse. Exemplum affert Palud. cit. d. 15. q. 2. a. 3. de vsurarij famulo, qui pecunias iussu domini numerando aliud non facit, quàm manus suas denigrare; cùm etiam secluso auxilio famuli, ab ipsomet domino numerarentur: præterquam, quòd famulus numerando pecunias non cooperatur ad pactionem vsurariam, sed tantùm ad mutationem. Aliud exemplum suprà positum est de ancilla, quæ dominæ suæ furanti subsidium adfert non necessarium: quia sola etiam auferret, & furaretur. Sin autem absque alterius auxilio domina furari non posset, tunc adiutrix obligationem restituendi contraheret; esto, quòd si hæc non subueniret, & iuuaret, alius non deesset, à quo illa adiuuaretur, sicuti bene notauit Adrian. cit. q. de currentibus cum fure, §. secundò dubitatur.

Nomine *muti, non obstantis, non manifestantis* comprehenduntur ij, qui cùm verbo, scripto, opere damnum impedire possent, & ratione officij, vel antecedentis, pacti ex iustitia impedire deberent, dolo vel negligentia intermittunt: v. g. Princeps in suis terris non impediens damna à feris, à latronibus, de quo videri potest Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 64. Assessor, Consiliarius, Canonicus tacendo, vel se absentando, non impediens iniquam constitutionem, electionem, &c. Tutor, curator, administrator bonorum, non impediens damna pupillis, Minoribus, Ecclesijs prouenientia. Vide S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 7. Adrianum cit. q. de currentibus cum fure, §. est dubium apud Doctores, Nau. in comment. super c. non inferenda, 23. q. 3. & in man. c. 14. n. 136. & c. 24. n. 15. & seqq. 7

Ex quo colliges primò: Si duo eiusdem familiæ famuli sint, quorum vni cura penus custodiendæ demandata est, alteri non est; etsi vterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facilè & sine graui suo incommodo possit; ex iustitia tamen fermè is solùm, qui curam penus gerit: quare solus etiam ad restitutionem obligatur, sicuti docet Nauar. c. 24. man. n. 7. & lib. 3. consil. 3. in fine, de testam. & lib. 5. consil. 7. de iniuriis, edit. 2. Mol. disp. 735. in fine, Less. c. 13. dub. 10. n. 74. P. Nau. l. 3. c. 1. n. 224. Qui tamen id limitat: Nisi extranei fures in domum ingrediantur; tunc putat ex iustitia quemlibet famulum obligari ad reuelandum, si aliter malum impediri non possit: quòd cuicunque famulo, eo ipso quia domesticus est, custodia domus aliquo modo incumbat, vt ab extraneorum iniuria defendatur.

Secundò: Si Iudex in exequenda causa, proferenda sententia negligens, vel iniquus sit, non solùm parti læsæ, officium eius requirenti compensare tenetur, sicuti bene explicat Gab. in 4. d. 15. q. 6. a. 2. sed interdum etiam Communitati siue fisco: si v. g. mulctam pecuniariam, quam ex consuetudine vel communi lege imponere Reo debebat, sine causa intermisit, sicuti sentire videtur S. Tho. 2. 2. q. 67. art. 4. ad 3. & docet Syl. ver. pœna q. 28. & latè Salon 2. 2. q. 62. a. 7. contr. 5. etsi id neget Azor. t. 1. lib. 5. c. 8. q. 5. ad 4.

Tertiò: Eadem ratio est de telonariis, si iustum vectigal exigere negligant: Item de custodibus vinearum &c. si per negligentiam damnum inferri patiantur, vel à deprehensis in furto, secundùm loci consuetudinem dominique voluntatem, mulctam exigere negligant, sicuti docent Salon. l. c. Mol. disp. 739. n. 5. Ioan. Medina q. 12. de restit. prope finem, Barthol. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 30. P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 142. contra Nau c. 25. n. 34. & lib. 5. consil. 4. de iniuriis n. 4. edit. 2. Syluest. ver. restitutio, 3. q. 5. dicto 7. quorum tamen sententia tunc rectè defenditur, si Iudex crimina inquirere; custos reos deprehendere intermittat; vel Procurator fiscalis causam contra Reum in iudicio negligentius agat, non teneri eos ad restitutionem mulctarum: eò quòd ipsorum officium propriè ac directè non sit fiscum vel do-

minum mulctis ditare; sed vineam custodire, damna Communitatis auertere: ad quorum proinde compensationem obligantur, si per incuriam eorum causa extiterunt. Alia verò ratio est, si Iudex, vel Custos à Reo deprehenso, aut conuicto negligat exigere mulctam, quam secundùm legem, vel consuetudinem loci ex officio suo exigere deberet: quia hoc casu ius magis propinquum domino, vel fisco acquisitum est, idque Officialis ex officio suo exequi tenetur. Videri potest Less. lib. 2. c. 31. dub. 8. n. 51.

Sed neque is, qui ad testandum à Iudice vocatus, fuga, astu, vel tergiuersatione aliqua declinat, obligatus videtur ad restitutionem damni, si quod ex intermissione eiusmodi testimonij alteri innocenti euenit, sicuti probabiliter docent Mol. to. 1. tr. 2. disp. 83. §. de teste constat, Less. lib. 2. c. 30. n. 59. contra Sotum lib. 5. q. 7. a. 3. circa medium, Nau. c. 25. n. 41. cùm non ex iustitia, sed solùm ex charitate erga Innocentem; obedientiâ verò erga Iudicem imperantem; ac denique ex religionis virtute, si etiam iurauit, teneatur ad veritatem, quam nouit, aperiendam. Sin verò testis falsum contra alterum testimonium proferat; certum est obligari ad restitutionem damni, cuius causa iniusta extitit. Certum item est, si quis ad dicendum testimonium pro innocente accedat, & veritatem celans causa sit, quominus innocens alium testem adhibeat, per quem innocentia eius demonstretur, in tali casu veritatem malitiosè celantem, obligari ad restitutionem damni, sicuti Molina monet l. c.

8 Quartò inferunt Sotus lib. 4. q. 7. a. 3. Nau. c. 17. n. 21. Si quis à fure pecunias accipiat, ne clamet, ne indicet, ad nullam restitutionem obligari; nisi ex officio suo furtum impedire debeat: vel nisi res accepta sit pars furti. Cui tamen doctrinæ aliæ duæ limitationes adhiberi debent: Prima est apud P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 132. Lessium cit. dub. 10. n. 68. Si accipiens sua pollicitatione expressa, vel tacita furem animosiorem reddidit, qui alioquin absterritus fuisset, tenetur de illato damno tanquam participans. Altera apud Mol. disp. 735. n. 3. Rebel. q. 14. §. 8. n. 64. Si pecunia à fure data fuit non animo donandi, sed ex iustitia obligandi accipientem, vt ne indicaret, cùm ex lege charitatis teneretur: hoc casu accipiens obligatur ad rescindendum contractum, pretio restituto furi; quippe cùm obligatio ad peccandum ipso iure irrita sit. Quamquam, si aliqui propter non denuntiandi pactionem pœnæ periculo se subijciant, vt custodes, ac vigiles, quibus denuntiandi obligatio incumbit: ij peccant quidem pecunias accipiendo cum tali pactione, vt deprehensos è manu dimittant, atque ad damni compensationem obligantur, si quod Communitas exinde patitur; tamen datæ sibi pecuniæ dominium acquirunt, sicut dicam infrà tr. 4. c. 4. n. 8.

CAP. VI.

Quantum singuli damnificantes restituere debeant, & quo ordine?

SVMMARIVM.

1 *Si plures damnificantes sine conspiratione concurrant ad damnum inferendum, singuli non plus obligantur, quàm ipsimet intulerunt.*

2 *Mandans damnum dari, antè alios, etiam ipsum executorem, obligatur ad restitutionem: si nemo damnum inferri mandauit, executor damni ante alias concausas restituere cogitur.*

3 *Concausæ damni dati obligantur tantùm in defectum principalis: quare si iste restituat, vel restitutio ipsi condonetur, concausæ penitus liberantur.*

Si vna ex concausis restitutionem fecit, ius & actionem acquirit aduersus principalem, atque in eiusdem defectum aduersus concausas, pro rata.

4 *Inter ipsas concausas priùs obligari videntur, quæ positiuè cooperantur v. g. consulendo, quàm quæ negatiuè, non obstando, tacendo.*

5 *Si plures conspirarunt ad damnum inferendum, singuli obligantur in solidum; saltem in defectum aliorum.*

SVpponendum I. Generalis regula statui potest, quòd singulæ causæ damnificantes restituere debent secundùm proportionem influxus, vt quæ potiores ac principaliores causæ fuerunt, præ aliis restituere teneantur: item quæ totum damnum suæ causalitatis influxu attigerunt, in solidum obligatæ sint; quæ verò non totius damni causæ fuerunt, pro parte teneantur. qua de re videri potest Vasq. de restit. c. 9. §. 1. dub. 3. n. 48.

Supponendum II. Causæ damnificantes interdum nullam inter se relationem habent, sed singulæ suas partes seorsim agunt. Interdum verò relationem ac ordinem inter se habent, ob consensionem, pactionem; in eoque ordine aliæ principales esse solent; aliæ verò accessoriæ, seu concausæ.

ASSERTIO I. Si plures, absque conspiratione & consensu, ideóque omnino casu concurrant ad damnum inferendum, tum singuli duntaxat tenentur de damno ab ipsis illato; non item de eo quod alij, quamuis eodem tempore, loco, &c. intulerunt. Ex quo resoluitur primò: Si tu casu superueniens, vbi plures ex alieno dolio hauriunt, ipse quoque modicum bibas; vel sciens plures à Rege furari solitos, modicum quid fureris: venialiter tantùm peccabis, neque plus restituere debes, quàm accepisti. Ita Syl. ver. restit. 3. q. 6. Rebel. lib. 2. de restit. q. 2. §. 6. contra Maiorem in 4. d. 15. quæst. 25. §. sed contra & q. seq. Pet. Nau. lib. 3. cap. 1. num. 48. Vasq. de restitut. c. 9. §. 1. dub. 5. Ratio est: Quia in tali casu non est aliquis causa influens in totum damnum, sed solùm in partem eius. 1

Resoluitur secundò: Si in rixa subitò exorta plures aduersarium impugnent, ille solus de homicidio tenetur, qui vulnus lethale inflixit: non item alij qui percusserunt, iuxta l. vlt. ff. Ad l. Cornel. de sicarijs: *Si in rixa percussus homo perierit, ictus vniuscuiusque in hoc collectorum contemplari oportet*, & docet Couar. p. 2. clem. §. 2. n. 3. Gomez 3. resolut. c. 3. n. 30. Mol. tr. 3. disp. 33. mem. 7. neque obstat, etsi aduersarius ob tuam præsentiam, vel vulnus à te inflictum nonnihil debilitatus, & facilius ab homicida superatus sit. Nam hæc qualis qualis cooperatio ad mortem, licet fortasse ad irregularitatem sufficiat: non tamen ad pœnam ordinariam, neque ad damni compensandi obligationem: si credibile sit, etiam absque tua percussione hominem moriturum fuisse, sicuti dixi cap. præced. n. 5. ver. Neque obstare videtur.

ASSERTIO II. In damnificatione lucrosa, quantum quisque iniustè abstulit, tantundem restituere tenetur. Ita ex communi Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 12. n. 3. Syl. cit. q. 6. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 4. num. 73. 88. Vasq. de restit. c. 9. §. 1. dub. 3. n. 53. Quia talis obligatur ratione rei acceptæ, possessæ, quæ est prima & potissima restituendi obligatio. Sin verò ponamus, hunc malæ fidei possessorem, cùm rem restituere deberet, malè absumere: tunc per se ipsum iniustè damnificat, ideóque restituendi obligationem contrahit ex capite iniustæ læsionis: præterquam si id agat alterius mandantis nomine, qui proinde obligationem indemnem seruandi mandatarium in se suscipere videtur, vt mox dicam.

ASSERTIO III. Principalis damnificans censeri debet mandans, qui proinde primo loco, etiam ante ipsum damni executorem, restitutionem facere cogitur. 2

Ita S. Thom. 2.2. quæst. 62. art. 7. ad 2. ibid. Caiet. Sotus lib. 4. quæst. 7. a. 3. ad 2. Rebel. quæst. 15. Less. lib. 2. cap. 13. dub. 5. num. 42. Pet. Nau. lib. 3. cap. 4. num. 75. Ratio est: Quia actio magis tribuitur agenti principali, quàm exhibenti ministerium: si autem dominus famulo mandet, vt hominem occidat, & is exequatur, famulus est quasi agens ministeriale, quo sicuti instrumento dominus operatur. Ergo, &c. Est tamen intelligenda assertio de eo tantùm, qui cum auctoritate præcipit, qualis est, dominus, pater, iudex. Nam si alius iubeat, nulla iubendi auctoritate præditus, non est propriè præceptum; sed magis consilium, vti notauit Pet. Nau. num. 78. Excepto, si vel minas adhibeat, metúmque inferat; vel fraude ad facinus patrandum inducat; vel denique si quis alteri præcipiat, aut suadeat, vt in sui gratiam damnum inferat, qui alioquin non inferret: tales enim auctores censentur illati damni, ideóque ante alios, etiam ipsum realem executorem, ad restitutionem obligati.

ASSERTIO IV. Si nemo damnum fieri mandauit, coegit, tunc executor damni, ante alias concausas, puta consulentem, consentientem, participantem, &c. restituere cogitur. Quæ est communis DD. sententia, & videri potest Innocent. in c. sicut dignum, de homic. Molin. tr. 2. to. 3. poster. disp. 737.

3 ASSERTIO V. Causæ secundariæ, qualis est executor comparatione mandantis; & concausæ, siue cooperantes, comparatione executoris; omnino liberantur, posteaquam principalis damnum compensauit. Ratio est: Quia illæ solùm obligantur in defectum: id est, si principalis damnificans compensaturus non putetur, quia non potest, vel non vult. Quòd si vna ex secundariis causis damni compensationem fecit, cum ius & actionem acquirit repetendi à principali totum quod expendit, atque ille expendere debuerat: In defectum verò principalis, id est, si ab eo debitum consequi non possit, à reliquis concausis repetet, duntaxat pro rata singularum. Ita S. Thom. a. 6. ad 3. & art. 7. ad 2. Richar. in 4. d. 15. a. 5. quæst. 4. ibid. Scot. quæst. 2. a. 4. Palud. quæst. 2. art. 5. Maior q. 26. Angelus ver. furtum, §. 16. Syluest. ver. restit. 3. quæst. 6. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 12. num. 3. Med. quæst. 8. de restit. Pet. Nauar. lib. 3. c. 4. num. 108. Molin. tr. 2. to. 3. poster. disp. 737. Less. cit. dub. 5. num. 46. vbi rectè hæc confirmat similitudine fideiussoris, in defectum debitoris principalis obligati.

His adde: Si principali damnificanti restitutionis debitum condonetur, etiam accessorios liberari; non autem vice versa. Ratio est: Quia ruente principali, ruit accessorium; non item ruente accessorio, etiam principale tollitur, sicuti post Innoc. in c. sicut dignum, de homicid. docet S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 12. §. 15. Medina de restit. q. 8. prope finem, quem vide, & Pet. Nau. lib. 3. c. 4. n. 115.

4 ASSERTIO VI. Inter causas secundarias, seu quæ in defectum principalis restituere debent, priore ac potiore obligatione tenentur illæ, quæ positiuè influunt in effectum, puta consulentes, aliterque cooperantes: postea verò, & in defectum horum obligantur causæ negatiuæ, puta tacentes, non obstantes, &c. Ita docent Vasq. cap. 9. de restit. §. 3. dub. vlt. Less. cit. c. 13. dub. 11. assert. 2.

5 ASSERTIO VII. Si damnificantes omnes principales fuerunt; veluti si plures condixerunt ad furandum, iniustè bellandum, latrocinandum, tum singuli ad totius damni compensationem per se primò obligantur, sicuti constat ex l. si plures, ff. de dolo. Ratio est, quia singuli causa sunt totius damni. Cæterùm, si vnus sociorum restitutionem fecit in solidum, à reliquis, saltem in conscientiæ foro, pro rata repetere potest, sicuti docet Caiet. 2.2. q. 62. a. 6. §. in tertio casu, Medina quæst. 8. §. quòd autem, Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 12. n. 4. Less. cit. c. 13. dub. 7. n. 52.

Exinde intelligi potest, veráne sit responsio Nauarri cap. 17. n. 20. quam super hac re consultum dedisse se profitetur: Quòd miles, qui in diripienda vrbe, Anno Domini 1527. Ducem Borbonium iuuit, non ampliùs restituere teneatur, quàm ad ipsum peruenit; vel cuius damni ita causa extitit, vt sine eius præsentia & ope illatum non fuisset. Quam sententiam ante Nauarrum tenuit Palud. in 4. d. 15. quæst. 2. art. 5. & secutus est Pet. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 4. num. 53. Less. dub. 4. n. 37. Vasq. de restit. cap. 9. §. 1. dub. 2. num. 35. Respondeo autem & dico I. Gregarius quisque miles inprimis restituere debet, quod ex iniqua tali direptione, aut bello ad ipsum peruenit; vel si alicuius particularis damni, proprij commodi causa, auctor fuit.

Dico II. Totum reliquum damnum ante alios restituere tenetur dux belli, vel direptionis, cuius iussu, auctoritate, impulsu, ciuitas v. g. spoliata, vel deuastata fuit. Hæc sunt ex communi sententia, & videri potest Rebell. lib. 2. de restit. q. 15.

Dico III. In defectum Ducis, & aliorum, qui auctores, vel executores damnorum fuerunt, reliqui omnes ac singuli milites, qui communi consilio, conspiratione, ac veluti vna manus ad ciuitatis direptionem, deuastationem concurrerunt, in solidum obligantur ad totius damni compensationem: quamuis ob impotentiam, aliasque causas à tali restitutione per accidens excusentur. Hæc est sententia Adriani supra cit. q. dub. 2. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 3. a. 3. dub. 4. Caiet. quæst. 62. a. 7. Soti lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. Couar. reg. peccatum p. 2. §. 12. num. 2. ver. tertiò, Angles in floribus difficult. 10. de restit. ex bello, Mol. cit. to. 3. disp. 734. Est enim communis & recepta doctrina, quòd in defectum causæ principalis, id est, si principalis damnum non compenset, obligetur causa secundaria siue accessoria; modò non materialiter tantùm, sed formaliter ac verè in effectum damni dati influxerit: Tunc autem concausa, siue causa adiutrix verè & formaliter influxisse censetur, quãdo sine tali cooperatione damnum dari non potuisset. Atqui in proposito casu Dux belli solus, & sine exercitu vrbem diripere non potuisset: ergo milites gregarij eum adiuuantes, & cooperantes, fuerunt causæ damni formales & propriè dictæ: consequenter tenentur ad restitutionem, in defectum causæ principalis.

Neque obstat primò, si miles dicat: Etsi ego non interfuissem, nihilominus vrbs ab aliis direpta fuisset: Nam ita omnes & singuli se excusare possent, atque totus exercitus restituendi obligationem effugeret, quod falsum est. Secundò nihil iuuat, si ijdem milites se excusare vellent: Etsi nos Duci non militassemus, & ad iniustam direptionem concurrissemus, tamen alij non defuissẽt, à quibus idem damnum illatum fuisset. Nam sicuti illi alij tunc restituendi obligationem contraxissent, ita vos nunc de facto contraxistis, cùm iniustè militatis.

Ad extremum notanda est doctrina Molinæ disp. 737. num. 4. *Si aliqui ex damnificantibus principaliores sint, alij minus principales, tunc iuxta proportionem concursus cuiusque eorum tenentur contribuere ad restitutionem*: v. g. *Si sit societas latronum ita constituta, vt prædam inaequaliter inter se diuidant; quia quidam eorum sunt præcipui fortiores, industriores: tunc iuxta proportionem diuisionis prædæ, inter ipsos communi consensu constituta, cõtribuere etiam debent ad damna.* Interim tamen fateri semper oportet, quòd in aliquorum defectum, alij restituere teneantur, sicuti docet etiam Syluest. ver. restitutio. 3. quæst. 6. dicto 4.

CAP. VII.

Vtrum restituere debeat, qui aliquem à consecutione alicuius boni impediuit?

SVMMARIVM.

1 *Qui alterum impediuit à consecutione rei ex iustitia debitæ, tenetur ad restitutionem: secus, si ex libera voluntate conferenda erat.*
In externo foro actio conceditur de dolo, aduersus eum qui ex æmulatione agit.

2 *Qui Ecclesiastici beneficij collatorem iam determinatum ad conferendum Titio, precibus aut suasione abducit, vt sibi, vel alteri, quamuis minus digno, conferatur, non videtur obligatus ad restitutionem faciendam Titio.*

3 *Qui per vim, aut fraudem impedit, quo minùs alter beneficium legatum, vel donum gratuitum consequatur, ad damni compensationem obligatur.*

4 *Reus & testis, si iuridicè interrogati veritatem celantes, causa existant, quo minùs mulcta à Iudice imponatur, non sunt ad restitutionem obligati: secùs dicendum videtur, si pœna ob commissum crimen contracta est ipso iure.*

1 ASSERTIO I. Qui voluntariè aliquem impediuit à consecutione rei, quæ ipsi ex iustitia propriè debita erat, tenetur ad damni illati compensationem. Exempli causa: Si aliquem impediuisti, vel remouisti à beneficio Ecclesiastico, ad quod ipsi ius quæsitum erat; siue perfectum per collationem, confirmationem; siue imperfectum per legitimam electionem, præsentationem, &c. iniustum damnum intulisti, quod compensare ei debes, sicuti constat ex suprà dictis, & docet S.Th.2.2. q.62.a.2.ad 4.Couar.reg.peccatum, p.2.§.7. n.8.Tol.lib.5.c.19.Nauar.in man.17.n.69.P. Nau. lib. 3.c.5.n.2. Mol.disp.727.concl.2.

ASSERTIO II. Si alicui res ex iustitia debita non erat, sed conferenda ex libera voluntate, tunc qui sine vi, fraude, collatorem suasione, aut precibus mouet, vt officium, legatum, donum gratuitum non conferat ei, cui animo destinârat, sed sibi, vel alteri, vel nulli; is contra iustitiam non peccat, ideóque ad nullam restitutionem obligatur. Ita docet Caiet.q.62.a.2.ad 4. Palud.in 4.d.15.q.2.a.2.Syl.ver.restitutio, 3.q.12.Sotus l. 4.q.6.a.4.ad 6.argum.concl.2. Nau. cit. n. 69. Couar. cit.§.7.n.8.Molin.cit.disp.727.concl.1. Less.lib.2.c.12. dub.18.P.Nau.lib.3.c.5.n.7.contra Scotum in 4.d.15.q. 2.resp. de argum.vlt. Cùm enim alter ex iustitia conferre non sit obligatus, & sine iniuria voluntatem suam, vel testamentum mutare possit; neque ego iniuriam infero, si ei consilio, precibus auctor sum, vt voluntatem mutet. Peccabo quidem, si id ex odio, vel alio malo fine agam; non tamen contra iustitiam, sed contra charitatem, quæ nullam restituendi obligationem parit.

Verum est, quòd in externo foro concedatur actio de dolo, aduersus eum, qui aliquid agit, (cuius alioquin agendi ius haberet) ex æmulatione; id est, vt alteri noceat, cùm sibi nihil prosit, sicuti habetur in l.1. §.ijdem aiunt, ff. de aqua pluuia arcenda, de eo, qui in suo fundo fodiens vicini fontem auertit; animo nocendi vicino, non agrum suum meliorem efficiendi. Sed hoc ad forum tantùm externum pertinet, neque ante Iudicis sententiam, malignam nocendi intentionem punientis, obligatio resarciendi damni incumbit, sicuti testatur Molin.disp.709.& 727.

2 ASSERTIO III. Probabile est, quòd neque is contra iustitiam peccet, vel ad restitutionem teneatur, qui Ecclesiastici beneficij collatorem, iam determinatum ad alicui conferendum, suasione, aut præcibus eò perducit, vt sibi, vel alteri etiam minùs digno conferatur. Ita docet Adrianus in 4. de restit.§.consequenter quæro, vtrum impediens, Sotus lib.4.q.6.a.3.prope finem, Valent.to.3.disp. 5.q.7.p. 2. Nauar. c. 17.n. 72. Couar. reg.peccatum, p.2.§.7.n.6.Tol.cit.c.19.Sa ver.restit.n. 22.Less.c.34.dub.15.in fine, & alij contra Palud.& Syl. ll.cc.Caiet.q.62.a.2.P.Nau.l.3.c.5.n.10. Vasq.tr.de beneficiis, c.2.n.140.Nicol.Garciam p.7.de benefic.cap. 16.n.30. Pēdet autem hęc assertio ex alia probabili opinione, quàm suprà cap. 1. huius tract. declaraui, eámque optimè explicat Gutieres lib.2.can.qq.cap.11.n.47. Nau.cit.n.72.Couar.cit.§.7.n.6. Collatorem Ecclesiastici beneficij propriè nullam iniuriam digniori inferre, si, eo prætermisso, conferat minùs digno: consequenter neque ille iniuriam infert, qui collatorem suasione, aut præcibus ad id faciendum mouet. Quare neuter restitutionem facere tenetur digniori prætermisso; (quippe cui beneficium propriè ac strictè debitum non erat) sed interdum Ecclesiæ, si inde damnum accepit, quòd indignus & non idoneus electus, vel institutus fuit.

Excipiendum tamen est, nisi ex consuetudine, vel statuto alicuius Ecclesię beneficia conferenda sint per oppositionem antecedentis examinis: tunc enim iniuriam infert, atque ad restitutionem obligatur, si quis causa existat, vt illi non conferatur, qui ex concurrentibus dignior est; quippe cui ex lege ius quæsitum est petendi beneficium, sicuti rectè notauit Nau.num.74.Eman. Rodriq. p.1.casuum conscientiæ, c. 108. concl. 6. Less. cit.dub.15.num.75.

Assertio IV. Qui per vim, fraudem, calumniam aliquem impedit, quominus Ecclesiasticum beneficium, officium, legatum donationem, &c. consequatur, is damnum compensare debet, arbitrio viri prudentis, iuxta certitudinem, vel probabilitatem, qua ille tale bonum alioquin assecuturus fuisse existimatur. Ita videtur intelligendus S.Thom.2.2.q.62.a.2.ad. 4. & docet Couar.cit.§.7.num.8.conclus.5.Nau.num.73.Barthol. Medina lib.1.instruct.c.14.§.31.Tolet.cit.c.19.num.6. Mol. disp.727.num.7.conclus.3. Sa cit.num. 22. Less. cit.dub.18.assert.1.Pet.Nau.cit.lib.3. c.5. num.31. Valent.cit.disp.5.q.7.p.2. Exempla habes: Si molestis & importunis precibus à morituro obtineas, vt testamentum mutet: Si mendacijs, aut falsis criminationibus Episcopo persuadeas, vt beneficium alij conferat, quàm ipse decreuerat. Eadémque ratio est, si dolo, mendaciis, aut vi adhibita, impedias aliquem quo minùs beneficium sibi conferri supplicet. Nam licet Titio v. g. ius non competat postulandi beneficium, tanquam sibi propriè debitum; competit tamen ei ius accedendi, supplicandi. Quemadmodum pauper, licet ius non habeat eleemosynam, tanquam sibi debitam, flagitandi; habet tamen ius mendicandi, obsecrandi: Quare si eos ab hoc iure impedias, cogeris damnum resarcire, secundùm proportionem spei, quam habuerunt consequendi beneficij, eleemosynæ. 3

Porro ex eodem fundamento respondit Sotus lib.1.q. 6.a.6.Molin.tom 1.tract.2. disp. 95. prope finem, Castro de lege pœn.lib.2.c.12.§.ex his: Quòd reus pœnam pecuniariam meritus, si iuridicè interrogatus, crimen à se admissum iniustè neget; ad restitutionem obligetur. Quia tametsi Magistratus ante latam sententiam, ius non habeat exigendi mulctam à Reo: habet tamen ius inquirendi de crimine ad mulctam inferendam: quare si Reus, legitimè interrogatus, veritatem celet, iniustè impedit Magistratum à mulcta consequenda, ideóque restituere debet. Sed contrariam sententiam docent Nau.c.18.num.49.& lib.5.consil.4.de iniur.edit. 2. Salon q. 62.contr.2.a.3. Azor tom.1.lib.5.c.8.q.5. Vasq.1. 2.disp.175.c.12.Less. lib.2.c.31.dub.8. Sanch. lib. 10. de matrim. disp. 8.num.14.& lib.2.moral.cap.22.num.22. 4

Fundamentum esse potest: Quia omnis restituendi obligatio propriè oritur ex læsione iustitiæ commutatiuæ: Reus autem veritatem celans, propriè non peccat contra iustitiam commutatiuam, quæ inter partes Reipubl. versari solet: sed potiùs lædit iustitiam publicam iudicialem, & vindicatiuam: siquidem ius & officium Magistratus cuiusque de criminibus inquirendi, per se ac directè non spectat pecuniariam mulctam seu commodum, sed publicæ pacis ac iustitiæ conseruationem, cuius causa per accidens pecuniaria mulcta imponitur.

Hæc posterior sententia valde probabilis est, si sermo sit de pœna, Iudicis arbitratu, ob commissum crimen imponenda, ac fisco inferenda: sin verò loquamur de pœna ipso facto seu criminis admissione contracta; placet mihi magis prior sententia: quia tunc directè agitur ad pœnam soluendam, cuius iam reus factus est, qui crimen admisit; ac proinde ius Iudicis lædit, si falsis allegationibus siue mendaciis mulctam secundùm legis decretum imponendam sibi, effugiat. Eadémque ratio est de falso teste iudicem in tali casu decipiente.

Quare neque istud placet, quod docet Sanchez cit. disp. 8. num. 14. Si vxor legitimè accusata de adulterio, falsis se tueatur testibus, vel vicissim de viro adulteriū falsis allegationibus ostendat, ideóque absoluatur, obligari quidem in conscientiæ foro ad expensas litis viro soluendas; non item ad dotem reddendam, quam ille alioquin propter mulieris adulterium lucrari deberet.

CAP. VIII.

Vtrum restituere teneatur, qui aliquem ad peccatum induxit, vel à religione abduxit?

SVMMARIVM.

1 *Qui alterum exemplo suo, aut suasione in peccatum induxit, ex iustitia non obligatur ad eius emendationem.*

2 *Qui suo consilio alterum, licet Nouitium à Religione abduxit, tamen sine vi, fraude, ad nullam restitutionem obligatur.*

3 *Qui Religiosum à Religionis statu suasione, aliáve cooperatione abstraxit, tenetur Religioso Ordini ad restitutionem, quatenus potest, faciendam: Quare persuadere debet apostatæ, aut fugitiuo, vt redeat; sin minùs, curare tenetur, vt alius æquè idoneus ingrediatur: Ipsemet autem ingredi ex iustitiæ lege nunquam obligatur.*

1 AD primum respondeo. Qui alterum suasione, aut exemplo ad peccandum induxit, non ex iustitia, sed sola charitate obligatus est ad emendationem ei procurandam. Ita Syl. ver. restitutio, 3. q. 1. Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. Nau. lib. 5. consil. vlt. de Simonia, edit. 2. & in c. noli, d. 1. de pœnit. & in man. c. 4. num. 45. Pet. Nau. lib. 2. c. 2. num. 2. Salon 2. 2. q. 62. a. 2. contr. 2. Mol. tract. 4. disp. 50. conclus. 2. Less. lib. 2. c. 8. dub. 2. contra Scotum in 4. distinct. 15. quæst. 3. a. 1. Richard. ibid. a. 5. quæst. 2. Maior quæst. 15. Adrian. in 4. de restit. §. ex causa differens. Ratio est: Quia volenti ac consentienti non fit iniuria. Omne autem peccatum, sicuti libera voluntate admittitur, ita liberè in eo perseueratur. Confirmatur ex l. 2. §. vlt. ff. mandati: *Nemo ex consilio obligatur, etiamsi non expediat ei cui dabatur: quia liberum est cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium.* Sed excipi debet: Nisi alterum fraude, dolo, vel iniusto metu peccatum induxeris; v. g. laborantem ignorantia crassa in hæresin; falsum alterius crimen denuntiando in hominis odium; aut si dominus famulo, pater filio, Magister discipulo cum auctoritate præcipiat, quod malum est. Siquidem tam metus, quàm ignorantia efficiunt, vt ille non plena animi voluntate in culpam, & spirituale damnum, te impellente, labatur. Multóque magis, si Magister discipulos suos falsa docuit, ea reuocare tenetur: in qua obligatione inprimis considerandum est, quantum incommodi ex falsa illa doctrinæ sequi possit: deinde verò, vtrum dolo vel culpa, præsertim lata; an verò sine tali causa falsitatem docuerit: tunc enim non ita strictè & cum graui pudore aut infamia sua reuocare tenebitur; nisi incommodum secuturum maioris momenti esse censeatur.

Ad alterum respondeo & dico I. Qui sine vi, fraude, suasione tantùm alterum à Religionis proposito, quamuis iam ingressum, seu nouitium retraxit, ad nullam restitutionem obligatur. Ita Sotus cit. art. 3. in 2. argum. Petrus Nauar. cit. cap. 2. num. 13. Lessius cit. cap. 8. dub. 3. Vasquez tract. de restitut. cap. 7. dub. 2. Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. part. 5. & alij suprà citati, contra Paludan. in 4. distinct. 15. quæst. 2. art. 2. conclus. 1. Maiorem ibid. quæst. 17. prope finem, Adrian. in 4. citato loco, vbi de restitut. bonorum animæ, S. Anton. part. 2. tit. 2. cap. 2. §. quantum ad 2. Quòd enim ipsi nouitio sponte consentienti nulla restitutio fieri debet, constat ex præced. asserto. Quòd verò nec Religioni, ex eo manifestum est, quia illi nullum adhuc ius in hominem acquisitum fuit. Quare, sicuti nouitius nullam Ordini iniuriam infert, si recedat; ita & alter, qui illi hoc suadet. 2

Peccant tamen grauiter v. g. parentes, cognati, amici, si absque rationabili causa homines suasionibus, aut blanditiis ab ingressu sancti religiosi instituti auertant: vel post Religionis ingressum, prætextu probandæ magis constantiæ, reuocent. Qua de re Pet. Nau. num. 16. Mol. tract. 4. disp. 51. qui etiam causas recenset, ob quas aliquibus hominibus Religionis ordo non expediat: ideóque talibus dissuaderi meritò possit. Quod etiam Christus Dominus significauit apud S. Lucam cap. 9. vbi quendam vltro se offerentem, quòd non satis expeditum cerneret ad sequendum, reiecit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Alium autem non se offerentem tantopere vocauit, vt ne permitteret quidem patrem mortuum priùs sepelire. Quid enim ea re Christus aliud indicare voluit? nisi quòd non omnes, qui se ad status Religiosi perfectionem offerunt, idonei, aut suscipiendi sint: aliqui verò, etsi se non offerant, speciali Dei gratia præuenti, veluti compellantur: vt hîc etiam impleatur: quod Apost. dixit ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Dico II. Qui Religiosum, vel Professum suasione, aliáve cooperatione à Religione abducit, siue ad apostasian trahit, ex iustitia obligatur Religioni ad restitutionem, quatenus potest, faciendam. Ita docent Scotus, Antoninus, Palud. Maior locis suprà citatis, Richard. dist. 15. a. 5. q. 4. ad 8. Nau. c. 12. num. 45. Pet. Nau. l. c. num. 18. contra Sotum l. c. Salonem cit. q. 62. a. 2. controuer. 3. Molin. tract. 4. disp. 51. conclus. 2. Less. cit. c. 8. dub. 3. num. 16. Sa ver. restitutio, num. 14. Ratio est: Quia Religiosus Ordini suo personaliter obligatus est: cùm sui iuris non sit, sed se Ordini per obedientiæ votum, acceptante Prælato, tradiderit. 3

Verum quidem est, hinc non propriè dictum dominium oriri: attamen ius in re, quod satis est ad Religiosum fugientem vindicandum, reducendum. Igitur Religiosus apostata iniuriam Religioni infert: & non minùs ille, qui eum ad hoc inducit: quare vterque ad restitutionem ex iustitia obligatur: inprimis quidem Religiosus ad ordinem redeundo, &, quatenus potest, damnum illatum compensando: In defectum autem ius obligatur suasor, siue cooperator: non vt ipsemet loco eius ingrediatur, sicuti rectè docent Sotus l. c. conclus. 4. Nau. 12. num. 45. Pet. Nau. l. c. contra Palud.

& Adrianum ll. cc. S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. ante §. 1. Quia Religionis ſuſceptio non neceſſitatis, ſed liberæ voluntatis eſſe debet, iuxta illud apud S. Matth. cap. 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, &c.* Quare, licet in canonibus reperiatur, vt aliquis in pœnam delicti includatur in Monaſterium: nuſpiam tamen præcipitur, nec præcipi poteſt, vt Religionem profiteatur, ſicuti notauit Salon controu. 3. concluſ. 3. Pet. Nauar. num. 17. Sed operam dare debet ſuaſor, vt vel eundem, quem abduxit, ordini reſtituat, vel alterum æquè idoneum: & alia damna, ſi quæ illata ſunt, compenſet. Neque obſtat, quod Salon obijcit, iſta in praxi non obſeruari: Cauſa enim eſt, vel quia impotentia excuſat: vel quia pars læſa non tanto rigore reſtitutionem poſtulat: vel denique quia contraria Soti, & aliorum ſententia, ab omni reſtitutione in tali caſu liberans, probabilis videtur.

CAP. IX.

Cui reſtitutio fieri debeat?

SVMMARIVM.

1 *Debita ex contractu incerta, id eſt, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non poteſt, à debitore licitè retinentur.*

2 *Debita incerta, prouenientia ex delicto, pauperibus vel Eccleſiæ reſtitui debent.*

3 *Bonorum certorum reſtitutio ordinariè facienda eſt poſſeſſori iuſto, à quo accepta ſunt, vel quibus damnum illatum.*

4 *Bona Eccleſiæ non Prælato diſſipatori; ſed Capitulo reſtitui debent: Et quæ filiofamilias, vel pupillo accepta, eorum patri, tutori, bonorum adminiſtrationem habentibus reſtituenda ſunt: alioquin, qui pupillo ſoluit, ſine tutoris auctoritate, probare debet in vtilitatem pupilli ſolutionem verſam fuiſſe.*

5 *Spolia, quæ fur, aut prædo depoſuit, in conſcientiæ foro non ipſis, ſed potiùs eorum domino reſtitui debent.*

6 *Si reſtitutio ceſſura ſit in graue detrimentum, vel ipſiuſmet, cui fieri debet, vel alterius perſonæ, aut Communitatis, interim differenda erit.*

7 *Qui ſine iuſta cauſa excuſante, alteri iniuſtè v. g. pugnaturo pecuniam mutuò dat; vel ex contractu debitam ſine neceſſitate reſtituit, contra iuſtitiam peccat.*

8 *Soluens creditori ſui creditoris obligatione liberatur.*

9 *Soluiſſe cenſetur, qui iuſta compenſatione vtitur.*

10 *In conſcientiæ foro, ſi quodcunque debitum, modò indubium ſit, alio modo conſequi non liceat, profiteere mihi poſſum per compenſationem, vel ſaltem retentionem alterius cuiuſque à me debiti, donec mihi ſatisfactum ſit.*

11 *Si chirographum ſeu inſtrumentum debiti penes debitorem reperiatur, præſumptio eſt factæ ſolutionis.*

NOtandum eſt, in hoc & ſequentibus capitibus reſtitutionis nomen fermè nos latè accepturos, vti ſignificat omnem redditionem debiti, ſeu ex delicto, ſeu ex contractu deſcendentis.

1 Aſſertio I. Debita incerta, id eſt, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non poteſt, quia v. g. nimis diſtat, ſi proueniant ex contractu iuſto, poſſeſſor ſibi retinere poteſt, neque tenetur pauperibus erogare. Ita docet Pet. Nau. lib. 4. c. 2. num. 46. & probabilem cenſet Leſſ. lib. 2. c. 14. num. 38. quamuis contrarium ſenſerit S. Thom. 2-2. q. 62. a. 5. ad 3. & plerique alij. Exemplum eſt: Si à Mercatore per errorem duas panni vlnas pro vna accepiſti; ſed ei reſtituere non potes, quia neſcis, quò diſceſſerit, ſine iniuria retines; neque pauperibus ex præcepti neceſſitate reſtituere cogeris. Ratio eſt: Quia incertorum bonorum reſtitutio facienda non eſt iure naturali aut diuino; ſed tantùm iure poſitiuo c. cùm tu, de vſuris, ſicuti fatentur Sotus lib. 4. q. 7. a. 1. Couar. reg. peccatum, p. 2. init. num. 6. Med. q. 3. de reſtit. cauſa 11. Leſſius l. c. Atqui lex illa canonica ſolùm præcipit, vt quæ iniuſtè acquiſita ſunt; puta per vſuram, &c. ſi domino non poſſint, in pauperes, vel alias pias cauſas erogentur: quia ius Eccleſiaſticum iniuſtum poſſeſſorem eiuſmodi incertorum bonorum incapacem reddit, in pœnam criminis. De bonis autem incertis à bonæ fidei poſſeſſore in pauperes erogandis, canonico iure nulla mentio habetur. Quare regula hîc locum habet, quam à multis DD. approbatam teſtatur Pet. Nau. cit. c. 2. num. 145. Quotieſcunque certæ perſonæ vel Communitati reſtitutio non eſt facienda, nulli omnino ex præcepto debetur, niſi iuſta lex poſitiua imperet.

Aſſertio II. Debita eiuſmodi incerta, quæ per iniuſtitiam contracta ſunt, videlicet ex furto, vſura, &c. pauperibus, vel Eccleſiæ reſtitui debent, Eccleſiaſtici iuris conſtitutione, c. cùm tu, de vſuris, c. cùm ſit, de iudiciis: quibus accedit communis Doctorum conſenſus atque Eccleſiæ praxis. Verùm his ſecluſis, & ſpectato ſolo naturali iure, ſi res aliena iniuſtè rapta proprio domino reſtitui non poſſit; probabile eſt, quòd poſſeſſori eam retinere liceat, tanquam pro derelicta habitam, iuxta regulam Petri Nauarri ſuprà allegatam. 2

Obijcies contra 2. aſſertionem. Lex illa Eccleſiaſtica pœnalis eſt: Ergo non obligat ante Iudicis ſententiam. Reſpondeo neg. conſeq. Quia, vt dixi lib. 1. tract. 4. c. 15. num. 5. leges pœnales, quæ aliquem ob crimen inhabilem reddunt ad acquirendum, ſæpe obligant ante ſententiam Iudicis: talis autem eſt lex iſta, impediens, ne quiſquam rerum per ipſum iniuſto furto, vſura, &c. acquiſitarum dominium abſolutè acquirere poſſit; ſed vt in defectum veri domini, pauperibus, ob canonis conſtitutionem, tribuere obligatus ſit.

Sed aduertendum eſt hoc loco: Bona incerta, iniuſtè acquiſita, duplicis generis eſſe. Nam quædam ſimpliciter incerta ſunt, quorum dominus omnino ignoratur; vel ſaltem adiri non poteſt, vt ipſi reſtitutio fiat: & hæc ordinariè pauperibus eroganda ſunt. Quædam verò ſunt incerta ſecundùm quid, quia dominus eorum confusè cognoſcitur: puta ſi ſciatur, ad vnum, vel aliquos ex certo hominum genere, aut numero rem ſpectare; ſed neſciatur determinatè ad quem, vel ad quos, vel ſecundùm quam partem: tunc inter eos diuiſio, vel tranſactio fieri debet, ſicut explicat Caietan. q. 62. a. 5. reſp. ad 3. Mol. tom. 3. poſter. diſp. 745. Huc etiam ſpectat, quod docet idem Caiet. cit. loco, P. Nau. lib. 4. c. 2. num. 66. Si à multis eiuſdem Communitatis incolis bona ablata ſunt, incumbere obligationem reſtitutionis, ſi ea ita inſtitui poſſit induſtriâ Magiſtratus, vt particularibus perſonis, quę damnum paſſæ fuerunt, ſaltem ſecundùm notabilem partem, ſatisfiat; ideóque talem reſtitutionem velle cenſeantur.

Aſſertio III. Bona certa reſtitutioni obnoxia, ordinariè reſtitui debent poſſeſſori iuſto à quo res accepta, vel cui damnum illatum eſt. Ita S. Thom. q. 62. a. 5. iunct. Caiet. Palud. in 4. d. 15. q. 2. a. 4. Syl. ver. reſtitut. 4. q. 1. Nauar. c. 17. num. 28. Ioan. Medina de reſtit. q. 2. §. de eo quod ſecundo loco, Barthol. Med. lib. 1. ſum. c. 14. §. 30. Pet. Nau. lib. 4. c. 2. num. 5. Mol. tom. 3. poſter diſp. 741. Rebel. p. 1. lib. 2. q. 11. Ratio peti debet ex iuſtitia commutatiua; quæ poſtulat, vt quantum acceptum eſt, tantundem reſtituatur illi, à quo acceptum. Quare quod acceptum eſt à depoſitario, commodatario, conductore, cuſtode, adminiſtratore, iiſdem, non domino reſtituendum eſt, ſicuti DD. citati docent. Nam alioquin iniuria ipſis fieret, ſi iure poſſeſſionis, detentionis, cuſtodiæ, aut vtilitatis ſpoliarentur; & damnum, atque lucrum ceſſans compenſari deberet. 3

Excipe primò: Si eorum, à quibus res aliena accepta eſt, nihil interſit; quòd non ipſis, ſed ſtatim rei domino reſtituatur, ſicuti notauit Rebellus loco cit. ſect. 2. Excipe ſecundò: Si de maligno propoſito valde ſuſpecti ſint,

ſint, id eſt, probabiliter exiſtimentur rem alienam ablaturi, vel abſumpturi, cum domini iniuria; tunc, ſi fieri poſſit, ſine maiore eum damno ſiue infamia, potior ratio domini habenda, eique quod ſuum eſt, reſtituendum, ſicuti docent Sotus lib.4.quæſt.5.a.1. Nauar. c.17.man.num.29.&conſil.4.de furtis, edit.2.Pet.Nau. num.17.Rebellus ſect.2.num.4.& 9.Sanchez l.7.moral.c.19.num.110.

4 Ex quo rectè infertur cum Paludano in cit.a.4.Caiet. in ſum.ver.reſtitutio, c.4.& 2.2.quæſt.62.a.5.ſuper corp.art.Pet.Nau.cit.cap.2.num.14.contra Martinum Nauar.c.17.num.29.quòd bona Eccleſiæ, non Prælato diſſipatori; ſed potiùs Capitulo reſtituenda ſint: eò quòd ius adminiſtratoris non ſe extendat ad diſſipandum. Quare alia ratio eſt de fructibus beneficiorum, quorum non nuda adminiſtratio; ſed & dominium, quamuis aliquo modo oneratum, ad Eccleſiaſticos beneficiatos pertinet, ſicuti dicam lib.ſeq.tract.2.c.3. num.3.

Deinde, quæ à filio familias, pupillo, furioſo, vxore, Religioſo accepta ſunt ex illis bonis, quorum adminiſtratio eis non competit, plerumque reſtituenda ſunt patri, tutori, marito, Prælato, ſicuti notat Gabr.in 4. diſt.15.quæſt.2.a.3.dub.3. Nam alioquin qui filio ſoluit ſine conſenſu patris, aut pupillo ſine conſenſu tutoris; Religioſo ſine conſenſu Prælati, is probare debet, rem ſolutam conuerſam fuiſſe in vtilitatem Patris, pupilli, Eccleſiæ: alioquin iterum ſoluere cogitur, ſicuti monet Syl.ver.ſolutio, q.4. Angelus §.8.ex l. pupillus, ff. de actionibus, & tit.ff.ad SC.Macedon. iuncta l.1.& 2.C.ſi aduerſus creditorem, l. quod ſi fortè, §.vlt.& l. in pupillo, ff.de ſolutionibus. Denique, quando bona creditoris publicata ſunt, & fiſco addicta, tunc depoſitum, & ſimilia debita fiſco reddi debent, l.bona fides, in princ.ff.depoſiti.

5 Neque dictis obſtat c. in literis, de reſtit. ſpoliatorum, vbi dicitur, quòd *etiam prædo ſecundùm rigorem iuris reſtituendus eſt*: ex quo ſequi videtur, non tantùm iuſto, ſed etiam iniuſto poſſeſſori, puta furi, prædoni, diſſipatori, à quo res accepta fuit, eidem reddendam eſſe. Reſpondeo. Deciſionem eius capituli pertinere ad forum iudiciale; in quo, ſi quis queratur, ſe vi deiectum è poſſeſſione beneficij, alteriúſve rei immobilis: accuſatus non auditur, ſi Actori objiciat, non eſſe ipſum canonicè inſtitutum, vel ad eum non pertinere rei proprietatem: ſed Actor ante omnia reſtituitur in poſſeſſionem, & poſtea de iure canonicæ inſtitutionis, vel proprietatis agitur, iuxta l.1.§.qui à me, ff.de vi, & vi armata. Præterea in l.bona fides, §.exempli loco, ff. depoſiti, hoc æquiſſimum fore decernitur, vt ſpolia, quæ fur aut latro depoſuit, potiùs domino reſtituantur; ſi ante furem, vel ſimul cum fure repetat, aut vindicet; ſed eo non comparente, potiùs iniuſto deponenti reddenda eſſe. Verùm in conſcientiæ foro, ſi certum ſit, rem iniquè ablatam, & reſtitutioni obnoxiam eſſe, opus non eſt dare furi, aut prædoni: cùm etſi ipſi daretur, ſtatim tamen domino ſuo reddere teneretur: imò nec furi dari poteſt, ſi periculum exinde domino immineat. Vide Gabr.in 4.d.15.q.10.art.9.Abb.in cit.c. in literis. Syl.ver.reſtit.4.q.3.Mol.tract.2.to.3.poſter.diſp.741. num.4.Leſſ.lib.2.c.27.num.15.

Id verò in quæſtione poſitum eſt. Qui rem alienam à bonæ fidei poſſeſſore, inculpatè exiſtimante rem ſuam eſſe, accepit, atque certò deprehendit, ad alterum pertinere, vtrum bonæ fidei poſſeſſori, an potiùs domino reſtituere debeat? Placet mihi diſtinctio, quam Rebellus affert de reſtitut.lib.2.quæſt.11.ſect.2.num.5. Vel res à bonæ fidei poſſeſſore accepta eſt, interueniente pacto depoſiti, commodati, pignoris, &c. tunc ipſi potiùs, quocum iuſtum pactum interceſſit, reſtituenda eſt. Interim verò lex charitatis poſtulabit, vt dominus moneatur, ſi id ei profuturum putetur, ſine grauiore alterius incommodo. Vel res à bonæ fidei poſſeſſore alia ratione in manus tertiæ perſonæ peruenit: tunc domino tanquam verum & potius ius habenti reſtituenda erit, ſi abſque ſcandalo, alióve incommodo fieri poſſit. Lege etiam Gabr. in 4.diſtinct.15.quæſt.2.a.3.dub. 3. Pet.Nauar.lib.4.cap.2.num.21. Molin.cit.diſp. 741 num.3.

Præterea, aliæ cauſæ à Doctoribus adferuntur, quibus debitor excuſetur, quo minùs rem iuſto poſſeſſori, vel domino, à quo accepta fuit, reſtituat.

PRIMA excuſationis cauſa: Si reſtitutio ceſſura ſit in illius, vel alterius perſonæ, aut Communitatis detrimentum. tunc poteſt, interdum etiam debet differri reſtitutio, vel res reſtituenda tuto loco reponi; ſicuti docet S.Thom.2.2.quæſt.62.a.5.ad 1.Caietan.ibid.Maior in 4.diſtinct.15.q.28.§.contra 1.corollarium, Gabr.ibid. q.2.a.2. Nau.c.17.num.63.Molin.diſput.755.Pet.Nau. lib.4.cap.2.num.31.Leſſ.c.16.dub.4. Exemplum eſt: Si aliquis pecunias tibi mutuò datas repetat ad fornicandum, vel ad bellum iniuſtum gerendum. Nam priore caſu ex lege charitatis teneris differre ſolutionem, ſi eam à creditore impetrare poſſis. Quòd ſi ille conſtanter ſolutionem exigat, puto ex iuſtitia obligatum te eſſe ad ſoluendum: ſicuti & mulier ad debitum reddendum marito habenti votum caſtitatis, ſi eum ab exigendi propoſito auertere nequeat, ſicuti notauit Sanchez lib.9.de matrim.diſp.6.num.6.Pet.Nau.num.33. contra Leſſ.num.58.In poſteriore verò caſu, quo agitur de damno iniuſtè inferendo tertiæ perſonæ, nefas eſt debitum reſtituere, quantumuis exigenti, præterquam ſi periculum maioris mali ex negatione ſolutionis timeatur. 6

Circa quam doctrinam tria aduertenda ſunt: Primum. Cur debitum difficiliùs reddi poſſit creditori ab vſuro contra iuſtitiam, quàm contra alias virtutes, v.g. temperantiam; cauſa eſt, partim quia obligatio virtutis iuſtitiæ ſuapte natura grauior eſt, quàm aliarum moralium; conſequenter oritur inde ſtrictior obligatio impediendi peccata contra iuſtitiam, quàm contra alias virtutes: partim, quia per peccatum iniuſtitiæ infertur damnum alteri innocenti, & inuito; per alia verò peccata, v.g. intemperantiæ, ſolus peccans, & quidem propria voluntate damnum accipit, ſicuti notauit Pet. Nauar.l.c. & Sanchez lib.1.moral.c.7.num. 12.

Alterum. Qui ſine iuſta & excuſante cauſa alteri 7
pecuniam mutuò dat; vel ex contractu debitam reddit ab vſuro contra iuſtitiam, v.g. illaturo bellum iniuſtum, is ſecuto inde damno, ad eius compenſationem tenetur, ſaltem in defectum principalis damnificantis, ſicuti valde probabiliter docet Sotus lib.4.de iuſt.quæſt. 7.a.1.ad 1. Pet.Nauar.lib.4.cap.2.num.36.Sanchez num.15.Valent.tom.3.diſp.5.quæſt.21 p.4.Leſſ.loc. cit.num.59. Ratio eſt: quòd qui ſine iuſta cauſa materiam proximam & neceſſariam malè operaturo miniſtrat, indirectè cooperari cenſeatur; licet neque iubeat, neque ſuadeat operationem, ſicuti conſtat ex l. ſi pignore, ff. de furtis: *Qui ferramenta ſciens commodauerit ad effringendum oſtium, vel armarium: vel ſcalam ſciens commodauerit ad aſcendendum, licet nullum eius conſilium principaliter interuenerit ad furtum faciendum: furti tamen actione tenetur.* Dixi autem *ſine iuſta cauſa*: Nam alteri peccaturo materiam miniſtrare ſine ſuaſione, aliáve directa & formali cooperatione, per ſe atque intrinſecè malum non eſt; ſed ob iuſtam cauſam honeſtari poteſt; adeò, vt etiam furioſo gladium ſuum repetēti reſtituere liceat, ſi ita neceſſe ſit ad proprium graue damnum euitandum, ſicuti ex communi notarunt Molin. & Sanch. ll.cc. & conſtat ex iis quæ dicta ſunt l.2.tract.de charitate, c.vlt.nu.4.& ſeqq.

Tertium. Ceteris paribus faciliùs permitti potest, vel saltem minor culpa est, si aliquis rem ex iustitia debitam restituat creditori ab vsuro, quàm si alicui mutuò det vel donet, cùm sciat ea re ad malum finem vsurum esse, sicuti notauit Petrus Nauarrus num. 33. Ratio est: Quia debitor ad soluendum adigitur obligationis necessitate, quæ vim aliquam excusandi habet: Mutuatoris autem, & donatoris officium spontaneum esse solet. Non placet tamen, quòd absolutè negat Molin. disput. 755. aduersus iustitiam peccare eum, qui depositum apud se gladium restituit domino, volenti occidere iniustè. Cùm enim lex depositi depositariū in hoc casu non obliget ad restituendum, censetur materiam homicidij commitenti vltro administrare, atque indirectè cooperari.

8 Altera liberationis causa: Soluens creditori sui creditoris obligatione liberatur, teste Gloss. Instit. Quibus modis tollitur obligatio, in princ. ver. solutio fiat. Quæ tamen regula in externo foro ferme tunc tantùm locum habet, si debitum ex eadem causa proueniat. Exemplum habes: Conduxi domum à Titio, quam is à Caio ante conduxerat: hoc casu pensio à me constituta, est obligata Caio primo locatori, in defectum Titij primi conductoris: quare si soluam Caio, liberatus sum à Titio, iuxta l. vtrum præsente, ff. de constituta pecunia. Item, si Sempronius à Sticho pecuniam mutuò accepit in meam gratiam, siue vt mihi mutuare possit; cùm hoc casu Sticho contra me actio competat, (saltem in defectum Sempronij) si pecunia in rem meam versa fuerit; ideo si Sticho numerem, antequam ei Sempronius numerauit, liberor obligatione, l. si liber homo, ff. de negotiis gestis, iuncta l. ei qui, C. quod cum eo, qui in aliena potestate est, &c. Vide Bartolum in l. solutum, ff. de pignorat. actione, Syluest. ver. solutio, q. 4. Molin. disp. 743. Similis ratio est, si meus creditor ius debiti generali, vel speciali hypotheca creditori suo obligauit: tunc quia creditoris mei creditor, saltem in defectum illius, à me debitum exigere potest; ideo si soluam, antequam meus creditor ei soluit, liberor, l. nomen, Cod. quæ res pignori obligari possunt.

In foro autem conscientiæ modus iste soluendi latiùs se extendere potest. Si enim Titio v. g. ex causa mutui debeam centum aureos; ille autem totidem ex alia causa debeat Caio; possum ego eidem Caio numerare aureos centum, vt cedat, vel vendat mihi ius crediti aduersus Titium debitorem suum: quod ius cùm tantidem valeat, quantum ego Titio debeo, videlicet 100. aureos, compensatione vti possum, sicut docet Angelus ver. solutio, §. 13. Med. q. 3. de restitut. causa 5. Lessius c. 16. dub. 5. Petrus Nauar. lib. 4. c. 2. num. 27. Deinde, si creditor liquidum debitum neque via iudicij, neque alia ratione à debitore suo consequi possit, cessante scandalo, occulta compensatione vti potest, tantundem de bonis eius clanculum accipiendo, quantum debitum valet: itaque etiam ego ipsi ad hoc consequendum cooperari possum, eique soluere id, quod eius debitori debeo: modò interim caueatur, ne idem debitor eiúsve hæredes, huius rei ignari, postea iterum soluant, quod ego eius nomine iam solueram. Ita Mol. disp. 743. in fin.

9 Tertia causa, eáque plenissima liberandi se ipso iure à restitutione, siue debiti solutione, est compensatio, id est, *debiti & crediti inter se contributio*, sicuti definit Modestinus in l. 1. ff. de compensationibus. Ratio est: Quia, vti dicitur in l. 3. ff. eod. *Interest nostra potiùs non soluere, quàm solutum repetere.* Imò compensatio solutionis instar esse censetur, sicuti constat ex l. si debitor, ff. Qui potiores in pignore, vbi dicitur; *Nihil interesse, soluerit ne aliquis, an compensauerit*, & in l. 76. ff. de verborum significat. *Dedisse etiam eum intelligendum esse, qui compensauit.* Porro compensatio præcipuè locum habet in rebus, quæ in suo genere functionem recipiunt, vt vnum pro altero solui possit: puta, si vtrinque ex quacunque causa, vel actione liquidò debeantur viginti floreni, aut viginti scaphæ frumenti; vel viginti vini amphoræ eiusdem generis, ac bonitatis, l. si cōstat, C. de compensationibus. In aliis verò rebus non consistentibus in numero, pondere, vel mensura, tunc solùm compensationi locus est, si debita sint eiusdem rationis, & non rei determinatæ, siue in indiuiduo; sed indeterminatæ: Vt si mihi ex causa venditionis debeas tres oues, ego autem vicissim ex simili, vel diuersa causa etiam tibi debeam tres, aut plures oues, possum vti compensatione in tribus. Sin autem debita sint rerum diuersæ rationis; v. g. tu mihi debes centum oues; ego autem tibi debeo 20. florenos: Vel si debita sint rerum eiusdem rationis, sed determinatarum & in indiuiduo; v. g. tu debes mihi Bucephalum: ego vicissim tibi debeo Xanthum: quamuis his casibus compensatio locum non habeat, (quia concessum non est, debitore inuito, vnam speciem pro altera soluere) habet tamen locum retentio rei alteri debitæ, donec is mihi soluat, quod liquidò debet, iuxta l. si non sortem, §. si centum, ff. de condict. indebiti, ibi: *ager autem retinebitur, donec debita pecunia soluatur.* Vbi Gl. notat: *Si tu mihi aliquid debeas, & res tua sine vitio ad me perueniat, propter debitum retentionem habeo.* Videri potest Abbas in c. bona fides, num. vlt. de deposito, Syl. ver. compensatio, q. 1. Mol. tom. 2. disp. 560. §. habet autem locum.

Quibusdam verò casibus compensatio seu directa & propriè dicta: seu indirecta, quæ dici solet retentio debiti, fieri non potest. Primò: Quod Reipubl. debitum est ratione vectigalis, aut tributi, solui debet, non opposita exceptione alterius à Republ. debiti, l. in ea, Cod. de compensation. Secundò: Qui ex furto, rapina, vi illata debitor est, iure compensationis priuatur, l. vlt. iunct. Gl. C. eod. Tertiò: In deposito compensationi locus non est, cit. l. vlt. & c. bona fides, de deposito. Neque in commodato, secundùm aliquos, quibus consentit l. vlt. C. de commodato. Sed hæc omnia præcipuè ad forum externum spectare videntur.

In conscientiæ autem foro, si, quod mihi ex quacunque causa liquido debetur, consequi alio modo non possim, tum ius naturæ, ac gentium permittere videtur, vt compensatione, vel saltem retentione alterius cuiusque à me debiti mihi prospicere possim, donec satisfiat: nisi vel scandalum timeatur, vel legitimus Iudex aliud præcipiat, vel denique compensationis beneficio sponte renuntiārim. Ita docet Syluest. ver. compensatio, q. 2. & ver. furtum, q. 13. Nauar. c. 17. num. 112. 115. Lessius lib. 2. cap. 27. dub. 4. num. 16. Sa ver. depositum, num. 4. Rebellus p. 1. lib. 2. qui est de restit. q. 18. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. num. 390. Sin verò nulla necessitate constrictus sim, quia via iudicij, alióve modo debitum meum recuperare possum, tunc depositum reddere debeo: quando quidem contractus iste maximam fidem postulat, vti Greg. IX. respondit in cit. c. bona fides. 10

Quarta, eáque notissima causa liberationis est, si creditor debitum remisit: idque vel expressè, vel tacitè; puta si instrumentum debiti lacerauit, l. si chirographum, ff. de probat, vel ante factam solutionem debitori vltro reddidit, censebitur id egisse animo condonandi, nisi indiciis ostendat, per errorem, vel aliam ob causam id factum fuisse, iuxta l. Labeo, ff. de pactis: vbi additur l. seq. non idem esse pignore: quia pignoris restitutio etiam aliam ob causam fieri potest, quàm ob debiti liberationem.

Sed quid si apud debitorem reperiatur chirographum, eritne hæc bona præsumptio solutionis factæ? Profectò affirmandum videtur: nisi suspicio esse possit,

chirographum creditori surreptum fuisse: vt quia persona domestica chirographum producit, sibique redditum affirmat; tunc ei onus probandi incumbet. Qua de re Bartolus & alij in citat. l. Labeó. Quamobrem monet Gl. in l. postquam, ff. de pactis consultum esse debitori, vt facta solutione debiti, à creditore exigat non tantùm chirographi sui restitutionem; sed etiam confessionem factæ solutionis: quia *professio pecuniæ solutæ maiorem probationem continet, quàm si chirographum acceptæ mutuò pecuniæ redditum fuisset*. l. pecuniæ, C. de solut. & liberationibus.

Atque hîc egimus de causis ex parte creditoris occurrentibus, cur restitutio differri, aut negari possit. De aliis porrò causis, quæ ex parte debitoris à restitutione excusare solent, cap. vlt. commodiùs dicam.

CAP. X.

Quo tempore, & loco restitutio fieri debeat.

SVMMARIVM.

1 *Debitor ex contractu soluere debet tempore, de quo inter partes conuentum est; tametsi creditor tunc non exigat.*
2 *Debitor ex delicto, ob iniustam læsionem, aut rei alienæ detentionem, cum primum potest, restituere tenetur.*
3 *Quæ iniustè accepta sunt, sumptibus eius qui accepit ad dominum deferenda sunt, vt is omnino indemnis seruetur.*
4 *Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat in loco, vbi rem possidet.*
5 *Debita ex contractu eo loco solui debent, de quo inter partes expressè vel tacitè conuentum fuit.*
6 *Si creditor oblatum sibi debitum recipere nolit, consultum est apud Iudicem deponi.*

1 ASSERTIO I. Si obligatio restituendi, siue soluendi ex contractu descendat, solutio fieri debet tempore, quo inter partes contrahentes expressè, vel tacitè conuentum fuit. Eo transacto, si debitor in mora culpabili existat, iniuriam creditori infert, obligationémque contrahit compensandi damni, quod exinde creditor patitur. Neque ad id necesse est, vt creditor solutionem exigat: quia ipsa dies, siue tempus statutum, intra quod solutio fieri debeat, pro creditore interpellat, l. magnam, C. de contrah. & committ. stipul. Si tamen debitor paratus sit tempore & loco constituto soluere; sed creditor vel absens sit, nullo loco sui procuratore relicto; vel præsens recipere nolit, tunc debitor liber est à præstando ipsi damno postea eueniente, vel pœna conuenta, l. si soluturus, ff. de solut. l. obsignatione, C. eod.

ASSERTIO II. Si nullum tempus solutioni debiti ex contractu expressè, aut, tacitè constitutum est, tunc debitor non antè in mora culpabili esse censetur, vt de damno teneatur creditori, quàm is debitum congruo tempore exegerit. Ita colligitur per sensum contrarium ex cit. l. magnam, & l. traiectitiæ, ff. de action. & obligat. & ex communi docet Mol. to. 2. disp. 564.

2 ASSERTIO III. Si restituendi obligatio proueniat ratione rei, iustè vel iniustè acceptæ, possessæ, destructæ; tum restitutio statim fieri debet, quatenus commodè ac moraliter fieri potest. Ratio est, quia præceptum negatiuum non detinendi rem alienam; item non differendi solutionem debitam, omni tempore obligat. Rectè tamen monet Mol. tr. 2. to. 3. poster. disp. 753. Si quis certum restituendi propositum habeat; sed restitutionem aliquanto tempore (non admodum longo) differat, vel differre cogitet, non esse facilè mortalis peccati damnandum, vel sacramentali absolutione priuandum, si ex tali mora nullum omnino damnum creditori inferatur, Quia licet talis dilatio, vel detentio iniusta sit, iniuria tamen hæc plerumque grauis non censetur, si nullum inde damnum proueniat: quod maximè verum est, si obligatio restituendi ex contractu descendat. Vide etiam Gabr. in 4. d. 15. quæst. 2. art. 3. dub. 6.

ASSERTIO IV. Quod restituendum est ratione iniustæ acceptionis, detentionis, id debitor proprijs sumptibus ad eum locum deferre debet, vbi creditor habiturus fuisset, nisi ei res ablata, destructa, vel iniquè detenta esset; deductis tamen expensis, si quas creditor eam seruando, vel deferendo facere debuisset. Ita Caiet. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3. & ver. restit. c. 5. Syl. eod. ver. 4. q. 4. Medina Cod. de restit. q. 2. in quæsito 3. Pet. Nau. lib. 4. cap. 4. n. 2. Mol. to. 3. poster. disp. 752. Less. lib. 2. c. 15. dub. 8. Vasq. de restit. c. 10. dub. 1. Ratio est: Quia restitutio orta ex iniusta damificatione in integrum fieri debet, ita vt creditor omnino indemnis seruetur. 3

Excipe: Nisi transferendo in locum domini multò maiores expensas ex proprio facturus sis, quàm res restituenda valeat: tum ad id non obligaris, sed potes pauperibus dare; nisi spes sit aliquando fore, vt sine magno sumptu ipsi domino, vel hæredibus eius restitutio fieri possit: hoc enim casu res in tuto interim loco seruari deberet, sicuti notauit S. Th. q. 62. a. 5. ad 3. & videri potest Pet. Nauar. n. 4. Less. n. 50.

ASSERTIO V. Si res accepta restituenda sit à bonæ fidei possessore, puta qui eam bona fide emit; satis est eam restituere in loco: vbi possidetur: quòd si dominus absens aliò transferri cupiat, suis sumptibus id curare debet: Vel si ob eam causam possessor in domini gratiam aliquid vtiliter expendat, actione negotiorum gestorum repetere poterit. Ita Doctores citati. Ratio verò discriminis inter hanc, & priorem assertionem est: quia si restitutio facienda sit ratione iniustę acceptionis, integrum damnum, & lucrum cessans compensandum est: Si autem restitutio facienda sit ratione rei acceptę, bona fide hactenus possessæ, sola rei possessio transferenda est. 4

ASSERTIO VI. Si debitum ex contractu descendat, solutio eius fieri debet in loco, de quo expressè, vel tacitè inter partes conuentum est, sicuti ex communi docet Nau. cit. c. 17. n. 42. Plerumque autem ea videtur esse mens contrahentium, vt solutio fiat in loco domicilij. Sed creditorísne, an debitoris? Prius illud affirmat Rebellus cit. lib. 12. q. 13. s. 2. concl. 3. Posterius Mol. cit. disp. 752. conclus. 2. Ego arbitror, quæstionem hanc simplici responsione definiri non posse; sed spectandam esse tum loci consuetudinem, tum naturam contractus, & varias circumstantias, vt inde, quæ fuerit mens contrahentium, colligi possit, si nihil expresserunt. 5

Quòd si contractuum naturam spectare velimus; alij sunt, quibus rei dominium non transfertur, vt commodatum depositum: tunc restitutionem fieri conuenit in loco, vbi res tradita fuit. Quòd si ex illo loco ablata est, ordinariè transmitti debet ad locum contractus, vel vbi eam dominus habiturus erat, sumptibus eius, qui ablationis causa extitit; considerata tamen etiam conditione contractus, in cuiusnam vtilitatem principaliter institutus fuerit. Si v. g. torquem aureum tibi gratis commodatum aliò transtulisti, tuis sumptibus remittere debes ad locum, vbi tibi traditus est; vel ad locum vbi dominus tempore restitutionis faciendæ habitaturus credebatur; cùm non oporteat illi officium suum damnosum esse. Sin verò torques, vel equus tibi pro pretio locatus fuit, sufficit restituere in loco contractus: nisi aliter expressè, vel tacitè conuentum fuerit, quòd restitutio fieri debeat in loco, vbi dominus moratutus est. Multò verò magis, si torques aureus apud te

depositus fuerit; & dominus ex eo loco ad alium, v. g. vbi domicilium habet, transmitti velit, suis sumptibus curare debet. Ita ferme Pet. Nau. & Less. ll. cc. Med. cit. q. 2. in 3. quæsito.

Alij verò contractus sunt, quibus rei traditæ dominium transfertur: & hi vel sunt gratuiti, vt donatio; vel reciproci, vt mutuum, emptio, &c. In gratuitis res danda est in loco, vbi sita erat, cùm donatio fieret: & inde sumptibus donatarij transferenda: Eadémque ratio est de legato. In reciprocis verò solutio facienda est in loco, vbi res, pro qua solutio fit, v.g. pecunia, vel merx accepta erat. Ratio est: Quia in reciprocis contractibus res vna in alterius locum quasi substituitur. quòd tunc perfectè fit, si etiam idem locus acceptionis & restitutionis seruetur, sicuti notarunt Vasq. de restit. c.9. dub.2. n.50. Lessius n. 56. In censu autem reali solutionem pensionis fieri conuenit in loco, vbi res frugifera sita est: In personali autem censu, vbi persona ad pensionem obligata domicilium habet: nisi aliter conuentum sit, vel consuetudo aliud postulet.

His addendum est primò: Si debitor paratus soluere eo loco, quo debet, non reperiat creditorem, vel alium, qui eius nomine recipiat, ex illo tempore non censetur in mora esse, vti notat Gl. marginal. ad l. obsignatione,
6 ff. de solution. Addendum secundò: Si creditor congruo loco, ac tempore sibi oblatum integrum debitum recipere nolit, consultum est debitori, vt illud obsignatum coram testibus apud Iudicem, vel alium Iudicis auctoritate deponat: talis enim depositio vim habet plenæ liberationis; ita, vt impediat cursum vsurarum, liberet à casu periculi fortuiti, soluat pignora, &c. iuxta l. acceptam, C. de vsuris, & cit. l. obsignatione.

CAP. XI.

Quo ordine restituendum sit?

SVMMARIVM.

1 *Si debita omnia ob debitoris impotentiam restitui non poßint, quæ certa sunt præferenda incertis: Nisi res aliena in specie extet apud iniquum possessorem, ea enim pauperibus restitui debet, si proprio domino non poßit.*

2 *Qui accepit facultatem vendendi, non ideo emptori fidem habere potest de pretij solutione.*

3 *Impensæ funeris, & Medicorum honoraria ante alia defuncti debita solui debent.*

4 *Creditores hypothecarij præferuntur ijs, qui solam debitoris personam obligatam habent.*

5 *Inter hypothecarios creditores, qui priores hypothecas habent, alijs anteponuntur; exceptis casibus iure expreßis.*

6 *Si creditoribus merè personalibus, nullumque iuris priuilegium habentibus plenè satisfieri non poßit, soluendum est secundùm proportionem debitorum; siue ex contractu, siue ex delicto proueniant, nulla etiam habita ratione prioritatis, aut posteritatis.*

7 *Si vnus creditorum ante alios, quamuis priuilegiatos, sed nullam hypothecam potiorem habentes, debitum suum exigat; ei solui potest, antequam bona Iudicis auctoritate occupantur: Idemque dicendum, si vnus creditorum graui inopia prematur.*

8 *Non censetur alienatio, vel solutio facta in fraudem creditorum, si exinde facultates diminutæ non sint; vel si aliquid comparatum, quod necessarium sit ad conseruationem vitæ, honoris, status instè acquisiti.*

9 *Vxor & filij à marito debitis grauato accipere possunt alimenta seu sustentationem necessariam, absque restituendi obligatione: quamuis maritus ob hanc causam familiæ alendæ, noua debita contraxerit.*

QVæstio hæc solùm locum habet, si bona debitoris non omnibus debitis soluendis sufficiant: quisnam tunc ordo seruandus sit? ASSERTIO I. Debita certa, id est, quæ propriis creditoribus restitui possunt, præferenda sunt debitis incertis, id est, quæ propriis dominis, aut creditoribus restitui non possunt; sed eorum loco Ecclesiæ, vel pauperibus erogari debent. Ita docet Caiet. ver. restit. c.8. S. Anton. p.2. t.2. c.7. Med. q.2. de restit. quæsito 5. Nau. c.17. n.47. Pet. Nau. lib. 4. c. fin. Vasq. de restit. c. 11. n.9. Less. lib.2. c.15. dub. 1. & alij communiter: quamuis contrarium senserit Mol. tr. 2. t.3. poster. disp. vlt. Ratio assertionis est: Quia dominis ac creditoribus certis ex iustitia commutatiua propriè dictum ius competit ad debita sua exigenda; non item pauperibus, vel Ecclesiæ ad postulanda debita incerta: hanc enim ipsis faciendam restitutionem sola lex Ecclesiastica præcipit, quæ iuri illi & obligationi naturali nullum præiudicium adferre censetur. 1

Excippe cùm DD. citatis: Nisi res aliena in specie extet apud iniquum possessorem. tunc si vero domino restitui non possit, pauperibus potiùs, vel Ecclesiæ tribuẽda erit, quàm vt ex tali re aliis certis debitis satisfiat. Ratio est: Quia debitor creditoribus suis certis obligatus est tantùm ex propriis bonis soluere; non item ex alienis. Si autem aliquis rem certam ab aliquo iniustè raptam detinet, eius dominus non efficitur: quamuis verus dominus ignoretur. Ergo, &c.

ASSERTIO II. Quæ res in specie extant, certis dominis debitæ, puta ex commodato, deposito, locato, furto, &c. Item, si res empta apud debitorem in specie extet, nondum soluto pretio, neque de solutione fide habita, iuxta §. venditæ, Instit. de rerũ diuis. Et vniuersim, quarum rerum dominium debitori acquisitum non est, eæ certis ac propriis dominis integrè restituendæ sunt: cùm reliqui creditores nullum in iis ius habeant, vt sup. à dictum.

Adde, tametsi Minister, vel Procurator à domino acceperit facultatẽ vendendi, non tamen eo ipso fidem emptori habere posse de pretij solutione: quod clarè iudicatur de Procuratore fisci in l. si Procurator, ff. de iure fisci. Vbi Gl. final. & Bartolus in l. à Diuo Pio, §. sed si emptor, ff. de re iudicata. Abb. c. cùm olim, 1. num. 5. ff. de offic. Iud. de legati, Syluest. ver. emptio, num. 2. idem docent de curatore Minoris, vel Ecclesiæ: quare tametsi hi emptoris fidẽ de pretij solutione secuti sint, tamen rei venditæ dominiũ emptori acquisitum non est: consequenter Ecclesia, Fiscus, Minor ius prælationis habebunt, vt vel res in specie extans ipsis restituenda sit, vel prætium ante alios omnes creditores soluendum, sicuti notauit Less. cit. c.15. dub. 2. Mol. to. 2. dis. 536. §. hac eadem ratione. 2

Quod verò docẽt Syl. ver. restit. 6. q. 5. Caiet. eod. ver. c.8. Nau. c.17. num.49. Less. l.2. c.15. dub.2. n.11. Etsi dominium rei venditæ, propter fidẽ solutionis habitam, in emptorem transierit; nihilominus pro pretio nondum soluto obligatam manere; vt etiam hoc casu venditor aliis creditoribus præferendus sit: id fieri non potest nisi per tacitã hypothecam. quæ cùm ex nullo iure ostendi possit, frustra asseritur: quare contraria sententia est cõmunis apud Pet. Nauar. lib. 4. c. finali, n. 11. Mol. l. c.

ASSERTIO III. Ex bonis ipsius debitoris, si defunctus sit, inprimis soluenda sunt impensa funeris, l. penult. ff. de religiosis & sumptibus funerum: & quæ ad confectionem inuentarij, apertionem testamenti: item Medicorum honoraria, Pharmacopolij pretia, sicuti colligunt DD. ex l. vlt. §. in computatione, C. de iure deliberandi. Cuius rei ratio est, partim quòd eiusmodi debita, adeò necessaria, non censeantur contracta in fraudem antecedentium creditorum: partim quòd alioquin nemo reperiretur, qui indi- 3

gentibus talia subministraret; si de solutione certus non esset. Quamobrem quibusdam locis etiam operariorum ad necessarium vsum conductorum mercedes reliquis omnibus debitis, secundùm æquitatis rationem, præferri solent. Vide Vasq. de restit. c. 11. dub. 3. n. 83.

4 Assertio IV. Creditores hypothecarij, id est, qui non solùm personam debitoris, sed etiam rem eius vnam, vel plures obligatas habent, in his præferuntur omnibus creditoribus chirographariis, id est, qui solam personam personali actione sibi obligatam tenent: licet talis obligatio chirographo proprio, aut instrumento publico, vel testibus, vel debitoris confessione, aut alia quauis ratione probari possit. Ita habetur in l. eos, C. qui potiores in pignore, & ex cōmuni tradit Nauar. c. 17. n. 51. Angel. ver. restit. 2. §. 16. Quia, vt Pomponius ait reg. 25. ff. *Plus cautionis in re est, quàm in persona.*

5 Assertio V. Inter ipsos hypothecarios creditores, in eodem pignore concurrentes, reg. iuris 54. in 6. sumpta ex l. 2. ff. qui potiores in pignore, locum habet: *Qui prior tempore, potior iure.* Ratio est: Quia pactio & obligatio posterior non potest tollere ius alteri antè in re quæsitum. Et nihil refert, sitne pignus siue hypotheca tradita, an solùm obligata; item sitne expressa, an tacita; generalis, an specialis, sicuti constat ex l. 2. ff. Qui potiores in pignore.

Neque his obstat l. 2. C. de pignoribus, & hypothecis, vbi dicitur: Quòd primus creditor, qui præter hypothecam generalem, etiam speciali sibi prouidit, si ex hac speciali totum debitum consequi non possit, alia bona, creditori secundo obligata, petere non debeat. Huius enim ratio est: Quia dum generali hypothecæ specialem adiunxit, tacitè pactus esse videtur, se nolle ad generalem venire, nisi in defectum specialis: quæ ratio cessat in eo, qui generali tantùm hypotheca nititur, sicuti rectè ex communi sententia explicant Less. cap. 15. dub. 4. Molin. disput. 536. §. lege secunda, contra Syl. ver. restitutio, 6. q. 5. Couar. 1. resol. cap. 18.

Sunt tamen certi casus, in quibus singulari iuris priuilegio creditor hypothecarius posterior antiquiori præfertur: I. Qui pecuniam credidit ad emptionem prædiorum, ædificationem ædium, atque ius pignoris sibi in ijs pactus est, præfertur creditoribus, habentibus anteriorem generalem hypothecam in bonis debitoris, l. 1. ff. In quibus causis pignus, &c. l. licet. C. Qui potiores in pignore. Ratio constitutionis est, quia talis creditor causam pignoris præbuit.

II. Qui ad conseruationem ædium alteri priori creditori specialis hypothecæ nomine obligatarum pecuniarum credidit, illi præfertur, l. interdum, ff. Qui potiores in pignore.

III. Qui pecuniam credidit in conseruationem aliarum rerum, (præter ædes) puta nauis, mercium, &c. atque ius pignoris sibi in ijs constituit, is aliis hypothecariis creditoribus, quamuis priores sint, præfertur, iuxta l. 6. ff. eod. vbi ratio huius, & præcedentis exceptionis affertur, Quia *huius posterioris creditoris pecunia saluam fecit totius pignoris causam*: quandoquidem per eam pignus seruatum fuit. Vide Couar. 1. resolut. c. 7. n. 3. Andr. Gaill. lib. 2. obseru. 12. & 25. Mol. to. 2. disp. 438. & disp. 536. §. quando aliquis. Ioachim. Mynsingerum centur. 1. obseruat. 60.

IV. Bona mariti tacitè obligata sunt vxori, eiúsque liberis pro dote; adeò, vt aliis creditoribus, etiam prioribus, habentibus tacitam non similiter priuilegiatam hypothecam præferantur, l. assiduis C. Qui potiores in pignore, §. fuerat. Instit. de action. Non item habentibus hypothecam priorem expressam, sicuti ex communiore docet Accursius in cit. l. assiduis, Couar. cit. c. 7. n. 1. Andr. Gaill. cit. obseruat. 25. n. 10. Syl. ver. dos, q. 12. Pet. Nau. lib. 4. c. fin. n. 52. Mol. cit. disp. 438. contra Ioach. Mynsingerum cent. 4. obseruat. 13. Ratio autem est; Quia lex non intendit mulieri priuilegium dare cum præiudicio ac damno eorum, quibus ex propria conuentione ius acquisitum est; sed eorum tantùm, quibus ius hypothecæ legum priuilegiis, absque propria eorum pactione concessum. Vide de eadem quæstione Abb. in c. ex literis, n. 8. de pignor.

V. Si ex pecunia pupilli res aliqua comparata fuit, in ea tacitam hypothecam acquirit, & iuris prælationem, l. idémque ff. Qui potiores in pignore. Quin & vtilis eidem vindicatio competit, si tutor proprio nomine ex pecunia pupilli rem aliquam cōparauit, l. 2. ff. quando ex facto tutoris, &c. l. 3. ff. de rebus eorum, qui sub tutela sunt. Quod idem etiam de milite statutum reperitur, si alius suo nomine ex pecunia illius quippiā emit, l. si vt proponis, C. de rei vindic. vbi Gl. notat, idem quoque locum habere, si ex pecunia Ecclesiæ, ab eius administratore res aliqua comparata fuit: Quia Ecclesia in istis æquiparatur Minori, sicuti notauit Abb. in cit. c. ex literis, in fine, arg. c. 1. de integr. restit. vbi dicitur: Quòd *Ecclesia iure minoris debet semper illæsa seruari.*

VI. Si priuatus quispiam generalem accepit hypothecam in bonis alicuius, acquisitis, & acquirendis; & postea similiter fiscus: tunc licet priuatus fisco præferatur in bonis, quæ ante posteriorem fisci obligationem acquisita sunt, iuxta l. vlt. ff. Qui potiores in pignore; contrà tamen fiscus præfertur in ijs bonis, quæ debitor post secundam illam obligationem acquisiuit, l. si qui mihi, ff. de iure fisci.

VII. Inter creditores priuatos, quorum vnus priuata scriptura, alter publicis actis, vel instrumento de pignore cauit; præfertur ille, qui publicam hypothecam habet, hoc est, in iudicio coram Iudice datam, vel coram Notario & Testibus factam, l. scripturas, C. qui potiores in pignore. Idque statutum est ob fraudis suspicionem, quæ in priuata scriptura facilè interuenire potest. Quare, si omnis suspicio fraudis absit; quia prioritas hypothecæ per priuatam scripturam, aut si sine scriptura constituta fuit, per Testes legitimè probari possit, potior censenda est, quàm posterior hypotheca, quamuis publica: quia in litibus exercendis non minorem fidem merentur depositiones testium, quàm publicum instrumentum, l. in exercendis, C. de fide instrumentorum. Videri potest Gl. in c. 2. de Fide instrumentorum, Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 25. n. 10.

Assertio VI. Post debita realia & hypothecaria, si bona debitoris suppetant, soluenda sunt debita merè personalia, siue ex contractu quocunque, (intellige onerosum) siue ex delicto descendant. Ita Angelus ver. restit. 2. §. 16. & 18. Syl. ver. restit. 6. q. 5. in fine, Pet. Nauar. cit. c. vlt. n. 40. Vasq. de restit. c. 11. dub. 2. Less. cit. c. 15. num. 16. Quia neque iura exprimunt, neque ratio aliqua conuincit, inter creditores ex contractu, aut delicto prærogatiuæ locum esse; cùm vtriúsque generis debita æqualiter ex iustitia sint: licet aliter senserit Caiet. cit. c. 8. Nau. c. 17. n. 53. arbitrantes, priùs esse soluenda debita ex contractu: aliter verò S. Tho. opusc. 37. c. 18. S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 1. & 2. Medina cit. q. 2. dub. 5. priùs faciendam esse solutionem debitorum iniustè contractorum. 6

Sunt tamen aliqui creditores, qui priuilegiati dicuntur, quia ex iuris priuilegio totum debitum suum postulare possunt, antequam alij creditores chirographarij non priuilegiati admittantur. I. Respublica creditrix omnibus chirographariis creditoribus præfertur, ait Paulus IC. in l. bonis venditis, ff. de priuil. creditorum.

II. Qui pecuniam deposuit apud depositarios &

Republica constitutos, (ita vt depositum transeat in contractum mutui, posteaquam pecunia consumpta est) aliis creditoribus etiam priuilegiatis præfertur; nisi vsuras receperit, l. si ventri, §. in bonis, ff. de priuil. credit. & l. si hominem, & §. quotiens, ff. depositi. Quod aliqui perinde etiam de aliis rebus depositis, & absumptis accipiunt.

III. Qui ad nauem extruendam, instruendam, emendam, pecuniam credidit, priuilegium prælationis habet, l. Qui in nauem, & l. quod quis nauis, ff. de priuil. credit. Idque aliqui vniuersim intelligunt, si quis ad quamcunque aliam rem comparandam, reficiendam, &c. credidit. Alij autem existimant esse istud speciale priuilegium, fauore nauigationis maritimæ, Reipubl. valde commodæ, concessum; ideóque ad alia non extendendum.

Assertio VII. Si, postquam priuilegiatis creditoribus integre satisfactum fuit, adhuc bona aliqua debitoris supersint; reliquis personalibus creditoribus solutio facienda est pro rata, siue secundùm proportionem debitorum, nulla habita ratione, vtrum tempore priores, an posteriores sint. Ita sumitur ex l. priuilegia, ff. de priuileg. creditorum, l. pro debitis, C. de bonis auctorit. Iudicis possidendis, vbi videri potest Baldus, aliique Legistæ, & ex l. 1. §. ex contrario ff. de separationibus, vbi dicitur, quòd *licet alicui adyciẽdo sibi creditorẽ, creditoris sui facere deteriorẽ cõditionẽ*, & docet S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 3. Syl. ver. restitutio, 6. q. 5. Nau. c. 17. n. 51. Molin. to. 2. disp. 536. §. quando creditores, Less. c. 15. dub. 6. n. 44. cõtra Gabr. in 4. d. 15. q. 2. dub. vlt. Maiorem ibid. q. vlt. Medinam q. 2. dub. 5. Sa ver. restitutio, n. 61. Tolet. lib. 2. c. 25. § vltimum tenent. Quamobrem si debitor, qui omnibus soluendis debitis imparem se se nouit, vni creditorum præ aliis non priuilegiato, neque exigenti, neque valde indigenti, ideóque nulla suadente necessitate integrum debitum soluat, in fraudem aliorum agere, & iniuriam inferre censetur: nihilominus creditor iure accipere potest, quod sibi offertur: nec restituere tenetur, nisi per fraudem assecutus sit, simulando v.g. grauem inopiam; vel si ab inuito extorserit, cùm eo loco res essent, vt bonis cedere vellet, sicuti colligitur ex cit. l. pupillus.

Cæterùm plures casus sunt, in quibus dissolutiones debitorum à iure non priuilegiatorum, etiam de nouo contractorum, censeri haud possunt in fraudem aliorum creditorum factæ. Primus. Si vnus creditorum debitum suum exigat, alijs quamuis magis priuilegiati sint, tacentibus, solutio illi fieri potest, sed antequam bona debitoris iudicis auctoritate occupantur, iuxta l. qui autem, §. sciendum, ff. quæ in fraudem creditorum. Etenim creditor ille vigilando, exigendóque meliorem suam conditionem fecit: nam ius ciuile vigilantibus scriptum est; ideóque non reuocatur ab eo, quod ante alios creditores accepit, sicuti habetur in l. pupillus, ff. eod. tit. Dummodo tamen creditores alij potiorem hypothecam non habeant, sicuti notat Gl. in l. scimus, §. etsi præfatam, C. de iure deliberandi. Videri potest Nau. c. 17. n. 53. & lib. 3. consil. 4. de solut. edit. 2. Syl. ver. restitutio, 6. quæst. 8. Mol. cit. disp. 536. prope finem.

Alter casus est valde probabilis. Si vnus creditorum [illegible] longè aliis pauperior, & in graui necessitate constitutus sit, potest huic totum debitum præ aliis solui, charitatis lege id permittente, priusquam bona iudicis auctoritate [illegible]. Ita S. Thom. opusc. 73. c. 8. Syl. ver. restit. 6. q. 8. Medina q. 2. dub. 5. dicto 5. Sa ver. restit. n. 60. contra Lessium dub. 7. n. 46.

Tertius casus. Si debitis grauatus aliqua expendat ad comparationem, aut conseruationem eorum, quæ necessaria ipsi sunt ad vitam, honorem, statum iustè acquisitum, nullam iniuriam creditoribus infert. Sicuti enim talia sibi necessaria, antequam bonis cedat, retinere potest, interim dilata restitutione, vti dicam cap. seq. Ita etiam, si non habeat, ex bonis suis comparare non prohibetur, v.g. vestes, pharmaca, cibos ad vxoris & liberorum sustentationem; equos item & famulos ad status conseruationem necessarios. qua de re Vasq. de restit. cap. 11. dub. 3. Nauar. cap. 17. num. 270. Molin. tom. 2. disp. 330.

Quartus casus. Non censetur aliquid alienatum vel solutum in fraudem creditorum, si exinde facultates debitoris imminutæ non sunt. Exemplum habes primò: Si ære alieno grauatus pro ædibus emptis, & adhuc in eius dominio existentibus iustum pretium soluat, nullum aliis creditoribus damnum infert. Secundò: Si famuli, vel operarij, quibus debita merces soluitur, tantundẽ commodi in bonis debitoris afferant, sicuti docet Angelus ver. restit. 1. §. 21. Nau. c. 17. n. 270. Verùm, etiamsi famuli, qui bona fide dominis operas suas condixerunt ac præstiterunt, animaduertant, illos ex tanto famulatu impotentes reddi ad satisfaciendum prioribus creditoribus personalibus; debitam tamen sibi mercedem petere, & datam recipere non prohibentur, sicuti ex suprà dictis constat, & docet Adrianus in 4. de restit. vbi de vsuris, q. vlt. Medina de rebus per vsuram acquisitis, q. 4. §. vnde fortè. 8

Sed nunquid tales, postquam intellexerunt dominos tãtum famulatum sine creditorum suorum damno alere non posse, discedere coguntur? Ita affirmant Adrian. Angelus, Nau. ll. cc. Sotus lib. 6. q. 1. a. 3. circa medium. Sed oppositum non improbabiliter docuit Molina to. 2. disp. 330. §. iuxta hæc. Nam tales famuli neque contra iustitiam peccant, si à dominis rogati vt seruitium præstẽt, vel in eo perseuerent, mercedem propterea accipiant: contra charitatem, si ita res comparata sit, vt licet ipsi famulatum non prȩstent, alij tamen non defuturi sint, qui operam suam conduci patiantur.

Ex dictis resoluitur etiam quæstio. Vtrum vxor & liberi, quæ à grauato debitis marito; parente acceperunt, restituere debeant tanquam in fraudem creditorũ alienata? Respondeo & dico I. Si liberi sumptus sibi non debitos à patre accipiant; puta quia aliunde sustentationem habent, v.g. ex bonis maternis; aut si superfluos sumptus, donationésue capiant, restituere debent creditoribus, si intra tempus legitimum exigant. Eademque ratio est de gratuitis donationibus vxori factis. Vide quæ dicam tr. 4. c. 12. q. 2. 9

Dico II. Si liberi bonis propriis carent, non tenentur restituere sumptus, quos pater ipsis ad studia literarum, vel aliam honestam sustentationem necessarios fecit. Eadémque ratio est de sumptibus factis ad vxorem alendam. Ratio est: Quia paterfamilias ex iustitia obligatus est liberos & vxorem alere: ergo hoc suum debitum accipere possunt ex eius bonis, nullo reali vinculo obstrictis. Neque refert, tametsi paterfamilias noua debita contrahat, v.g. mutuò pecunias accipiat ad vxorem & liberos alendos, sicuti bene docet Sanchez lib. 9. de matrimon. disp. 4. num. 29. Quia inopia patrisfamilias non liberat eum simpliciter obligatione prȩstandi alimenta vxori ac liberis; sed solùm obligationem eius suspendit pro tempore ac statu durantis impotentiæ, vt seq. cap. dicam. Quare, quemadmodum si debitor soluendi impotens, mutuò pecunias accipiat, vt antiquiori creditori satisfaciat; creditor iste nullam obligationem contrahit ob pecuniam sibi solutam, sicuti constat ex l. eum qui, C. de action. & obligat. quandoquidem ex solutione eius, quod sibi iure debitum erat, locupletior factus non est; ideóque pecunia tanquam in rem ipsius versa condici haud potest: Ita etiam se res habet in præstatione alimentorum, quæ vxori ac liberis debita sunt: licet contrarium senserit 10

Henric.de Gandauo quodlib.4. q. 27. & alij apud Sanch. n. 28.

Huic doctrinæ consentiens est, quod docet Nau. c. 17.n.268. Vasq.de restit. cap.11. dub.3. Molin. cit. disp. 330.§.de vxore eius, contra Syl.ver.vsura, 8.q.2. Vxorem non peccare, si ex propriis, vel consanguineorum bonis se alere possit; viuat tamen ex bonis mariti vsurarij, quem scit soluendo sufficientem non esse: quia non minùs maritus obligatur ad vxorem alendam, quàm ad vsuras restituendas. Si tamen vxor ea in re fraude vtatur, pecunias quas maritus creditoribus solui iussit, ad suam, & familiæ sustentationem conuertens, tunc tenebitur in defectum mariti: quando causa extitit, vt creditores debitum suum non consequerétur: Excepto si familia grauiter indigeat: huic enim necessitati maritus potiùs succurrere tenetur, quàm creditoribus alijs: quare vxor intercipiendo pecunias nondum creditoribus acquisitas, iure suo vtitur, ac fraudem committere non censetur.

CAP. XII.

De restituendi impotentia.

SVMMARIVM.

1 *Debitor restituere non cogitur cum grauiore damno sibi, vel alteri inferendo, quàm æstimari possit commodum restitutionis.*

2 *In pari causa potior est conditio creditoris, quàm debitoris; excepta necessitate extrema, in qua melior est conditio possidentis.*

3 *Non tenetur aliquis restitutionem facere cum detrimento famæ, aut status iustè acquisiti; etiamsi debita sint ex delicto, præsertim incerta.*

Qui pauperibus restituere tenetur, potest sibi ipsi applicare, si verè pauper est.

4 *Circa restitutionem bonorum incertorum ex delicto cum summo Pontifice compositio fieri potest.*

5 *Qui bonis suis cessit, non ideo liber est obligatione restituendi, sed duo commoda habet: I. Vt propter debita in carcere detineri non possit. II. Vt si postea aliquid acquisiuit, non ampliùs restituere teneatur, quàm commodè possit.*

Cessio bonorum locum non habet, si debita ex delicto descendant.

6 *Ære alieno grauatus, si manendo in seculo debita se soluturum existimet, non potest creditoribus inuitis Religionem ingredi; quamuis eam vouerit.*

7 *Si debitis obstrictus contra creditorum voluntatem Religionem professus est, adhuc obligatus manet; adeò, vt interdum egredi teneatur; sicuti & filius, qui patrem graui inopia pressum, cùm iuuare debuisset, ingrediendo Religionem deseruit.*

8 *Debitor non liberatur obligatione restituendi, quia maius lucrum ipsi cessabit, quàm commodum creditori ex restitutione obueniet.*

9 *Qui ex furto, vsuris, &c. debitor est, si ei, cui restituendum esset, tantundem donet, immemor sui debiti, non videtur obligatione liberari.*

10 *Si debitor ex delicto, v.g. furtum restituendam committat Confessario; is verò defraudet, aut fugiat, non liberatur primus debitor.*

1 DIcendum est. Si debitor vel simpliciter non habeat quod restituat; vel restituere non possit, nisi cũ notabiliter grauiore dãno sibi, vel suis, vel Reipubl. inferendo, quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obuentutum: tunc negari potest restitutio, vel potiùs differri, quoad difficultas siue impotentia cesset. Ita ex communi docent Henricus quodlib.6 q.24. Gabr. in 4.d. 15. q. 2. art. 2. Syl. ver. restit. 5. q. 3. Nau.c. 17.n.57. & seqq. Pet. Nau. lib. 4. c. 4. num. 40. Mol. tract. 2. tom. 3. poster. disp. 754. Barthol. Medina in instruct. confessar. lib. 1. cap. 14. §. 34. cap. 7. de restit. Sumitur ex c. si res, 14. q. 6. Pro cuius assertionis pleniore intellectu, aduerte cum Caiet. in sum. ver. restitutio, c. 6. Soto lib. 4. de iust. q. 7. art. 4. Nau. n. 58. Pet. Nau. lib. 4. c. 4. n. 41. Less. c.16. n.22. Non ideo solùm liberari debitorem à restitutione facienda, quòd magnam quantitatem debeat, ex cuius solutione ad paupertatem redigendus sit. Siue enim multum, siue parum debeatur, restitui oportet, si nihil aliud excuset: Verùm, si restituenti aliud rei propriæ damnum grauioris æstimationis euenturum sit, tunc in conscientiæ foro restituere non tenetur, donec periculum cesset. Exempla sunt: Primò, Si creditor multùm distet, vt plures expensæ faciendæ sint in re debita ipsi transmittenda, quàm debitum valeat. Secundò, Si debitor soluere non possit, nisi domum v.g. vel prædium vendat multò minoris, ideóque longè maiori suo detrimento, quàm debitum valeat; tali casu solutio differri potest, vti bene docet Nau. l. c. P. Nau. lib. 2. c. 4. n. 406.

Deinde necessitas non solùm extrema, quando, si debitor restituat, fame, v. g. periturus est: sed etiam grauis, quando si restituat, vitam difficulter sustinebit, vel statu suo iustè, & non per rapinas, vsuras, &c. acquisito excidet, facultatem præbet saltem differrendi restitutionem, aut paulatim & per partes restituendi. Quod etiam in externo foro obseruari solet circa illustres, aut magnæ auctoritatis personas. Ita docent Scotus in 4. d.15.q.2.a. 4. S.Anton. p.2. tit. 2.c.8. Syl.ver. restitutio, 5.q.1.&3. Nau.c.17. num. 62 in fine, Armilla ver. restitutio, §. 28. P. Nau. lib.4.c.4.num. 45. Lessius c.16.dub.1. num.14. licet contrarium senserit Richard. in 4.d.15.a.5.q. 4. Medina q.5. de rebus restituẽdis. Communis autem doctrina duabus regulis nititur, quarum vnam suprà tradidi: Quòd *nemo tenetur restituere cum suo notabiliter maiore detrimento, quàm sit creditoris commodum.* Altera regula est ex Scoto in 4.d.15. q.2. a.4. Gabr. q.2.a.2. S. Anton. l.c. Pet. Nau. lib.4.c. 4.nu.31. *Quotiescunq; dominus siue creditor rationabiliter contentus esse debet, vt restitutio differatur, potest etiam differri, licet ille inuitus sit*, argum. c. nequis, 22. q.2. Cùm ergo creditor debitori, constituto in graui necessitate, ex lege charitatis subuenire teneatur; sequitur, quòd contentus esse debeat, seu rationabiliter inuitus esse non possit, si debitor ad grauem suam necessitatem subleuandam, restitutionem differat.

2 Limita nisi creditor in simili graui necessitate constitutus sit, tum restitutio ipsi facienda est: quia in pari causa potior est conditio creditoris, quàm debitoris, sicuti ex communi tradit Maior in 4.d.15.q.28. Nauar. c.17. num.59. Pet. Nau. lib.4.c.4.num. 53. Multoque magis melior esse debet conditio innocentis, quàm nocentis, si ponamus debita ex delicto contracta esse. Excipitur tamen semper necessitas extrema, quippe in qua melior est possidentis seu manu tenentis conditio: licet aliter sensisse videatur Scotus in 4. d.15.q.2. a.4. in resp. ad argum. Gabr. ibid. q.2.a.2.

Porrò nihil refert ad excusationem ob impotentiam etsi debita ex delicto, v.g. furtis, rapinis contracta sint; modò status, dignitas, officium, aliúdve bonum, cuius iacturam passurus est debitor, iustè ipsi acquisitum fuerit. Exempla sunt: Si dux belli iniquas rapinas possideat, quas si propriis dominis restituat, militia excidere debebit, non sine Christianæ Reipubl. detrimento, cui vtilis est; aut non sine graui iactura proprij status, ac dignitatis, quam militari industria sibi comparauit; vel denique non sine graui familiæ dedecore, vxoris ac liberorum querelis, scandalo. Item si fur res furtiuas restituendo se infamaturus sit, in carcerem conijciendus, puniendus. Qua de re extat regula apud S. Anton. l.c. Caiet. cit. c.6. & 2.2.q.62.a.3. Nau. c.18. nu. 47. Barthol. Medinam cit. lib.1. c.14. §.34. cap. 7. de restit. P. Nau. l.2.c.4.n.403. Cordubã l.1. quæst. q.31. in 2. & 3.

opinione. *Bonum inferioris ordinis restituendum non est cum detrimento boni superioris in suo genere æquè grauis.*

Requiritur tamen, vt dixi, statum iustè acquisitum esse. Quare alia ratio est de mercatore v.g. qui ex iniustis lucris lautè viuendo statum honoratum sibi comparauit: censetur enim iniustè, & ex alieno comparasse, sicuti notauit Scotus q.2 a.2. Caiet.ver. restitutio, cap. 6. Nau.c.17.num.58. Pet. Nau.lib.4.c.4.num.44. Si tamen talis mercator multis debitis grauatus paulatim per partes restituere velit, in commodum etiam ipsorum creditorum, vt interim bona sua augendo pluribus satisfacere possit, damnari haud debet, sicuti notauit etiam Adrianus in 4. vbi de restit. dub. 6.

Porro id rectè admonet Mol.cit. disp.754. num.3. Si ex solutionis debitæ dilatione, quamuis iusta, damnum aliquod creditori, vel lucrum cessans eueniat, ipsi omni iure compensandum fore. Quia iniqua esset conditio, si debitor solutionem debiti in suum commodum differre vellet, non suscipiendo in se onus resarciendi iacturam, quæ ex tali solutione creditori eueniet: neq; creditor aliter in dilationem debiti consentire cogitur.

3 His addendum I. Quod attinet ad debita ex delicto, quæ incerta sunt, debitores faciliùs propter impotentiam excusari possunt à restitutione pauperibus facienda: eò quòd obligatio hæc, secundùm probabilem sententiam, ex iure tantùm Ecclesiastico proueniat, quod magna cum seueritate non obligat. Quare, quòd suprà vniuersim dixi, non esse debitorem cogendum ad restitutionem statim, atque integre faciendam, cum detrimento status sui, id maximè locum habet in restitutione bonorum incertorum pauperibus facienda. Quin valde probabiliter docet Petr. Nau.lib.4.c.4.num.50. In hoc casu obligationem restituendi non differri tantùm, sed omnino sopiri; adeò, vt tametsi accidat debitorem postea ad pinguiorem fortunam venire, nihil tamen pauperibus restituere teneatur. Idque probatur: Quia debitor, vti ponimus, spectata conditione & qualitate status sui, verè pauper est; aut certè, si totum debitum restituat, pauper futurus est: quòd autem debitor bonorum ex delicto pauperibus restituendorum ea sibi ipsi applicare, & pleno dominij iure acquirere possit, si verè pauper est, docent multi Doctores, Scotus in 4. distinct.15. quæst.2. a.4. Gabr. ibid. quæst.2. a.2. Maior quæst.8. conclus.3. Medin. Cod. de restitut. qu. 3. causa 10. §. esto igitur, Nauar. de redit. Ecclesiast. quæst.3. monito 25. & in manuali cap.17. num. 93. Pet. Nau.lib.4.cap.2.num.53. Molin. tract.2. tom.3. poster. disput.747. num.1. Cur enim ipse debitor, qui bona incerta veluti quasdam eleemosynas distribuere debet, si & ipse pauper sit, deterioris conditionis sit, quàm alij pauperes? sicuti argumentatur etiam S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 9. & ibidem Caiet. §. ad hoc dicitur, loquentes de eo, qui distributor eleemosynarum inter pauperes constitutus, quòd etiam se ipsum connumerare possit, si verè talis existat.

4 Addendum II. Circa bona incerta ex delicto prouenientia, cum summo Pontifice compositionem fieri posse, vt is tanquam supremus & vniuersalis iurium & bonorum Ecclesiasticorum curator, ac dispensator, impetrata aliqua parte restitutionis in pias causas facienda, reliquum remittat & condonet. Qua de re Medin. quæst.3. causa 11. Nauar. cap. 17. man. num. 93. Sa ver. restitutio, num.36. Molin disput.748. Less. cap.16. dub. 11. Cuiusmodi etiam compositionem beneficiati petere possunt, cùm multùm grauātur obligatione restituendi ob canonicas preces longo tempore intermissas. Piè enim ac benignè tale beneficium summus Pontifex largitur, tum ad Ecclesiæ bonum, tum ad salutem restituentium; ne tanto onere pressi vel nihil restituant, vel omnino desperent. Id nota cum Molin. loco cit. num. 7. Maiore in 4. distinct.15. quæst.28. prope finem. De hac compositione ita ratiocinandum esse, sicut de commutatione legatorum, quam facere in causis pijs ad Papam etiam pertinet. Non solet autem eiusmodi commutationem vel compositionem facere cum præiudicio personæ particularis: quamobrem, si appareat postea ad quem, vel quos bona restituenda particulatim pertineant, ipsis restituenda erunt, modò extent, vel possessor ex ijs locupletior factus fuerit.

Restant aliquæ QVÆSTIONES: PRIMA. Vtrum cessio bonorum liberet obligatione restituendi? Respondeo. Debitor, qui debitis soluendis impar, bonis cedit, id est, creditoribus bona sua relinquit inter se, secundùm debitorum qualitatem, ac proportionem diuidenda, non ideo reliquo debito liberatur: quin potiùs tam in foro externo, quàm interno compelli potest ad laborandum & acquirendum vnde soluat, quantum conditio seu status personæ permittit; sicuti constat ex l.4. ff. de cessione bonorum: & de foro conscientiæ ex communi testantur Couarruu. 2. resolutionum, cap. 1. num. 6. Molin. tract. 2. tom. 3. poster. disput. 758. §. superest, Petr. Nauar. lib. 4. cap. 4. num. 62. Sed duo solùm beneficia ex bonorum cessione ciuili iure consequitur: Primum: Licet alioquin debitor ex contractu, vel quasi contractu, post latam contra ipsum sententiam, & soluendi moram, postulante creditore, in carcerem conijci, & tamdiu detineri possit, donec satisfaciat, nisi sufficientem cautionem soluendo præstare possit: attamen per bonorum voluntariam cessionem id beneficij consequitur, vt in carcerem mitti non possit, vel missus ex eo liberari debeat; sicuti hæc omnia habentur in l.1. Cod. Qui bonis cedere possunt, & videri potest Couarruu. 2. resolut. cap.1. Molin. tom.2. disp. 571. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat.26. vbi ait; Ordinariè in causa pecuniaria, seu pro debito ciuili neminem capi vel incarcerari debere; modò cautionem exhibere possit, & nisi de fuga suspectus sit, vel nisi fisci debitor existat. Vide l. ob æs, C. de obligat. l. nemo, C. de exactor. tributorum, lib. 10. 5

Alterum beneficium est: Vt debitor, si post bonorum cessionem aliquid acquisierit, non ampliùs, quàm in quantum facere potest, conueniatur, seruatis ei alimentis necessarijs, secundùm statum & qualitatem personæ, sicuti constat ex l. 4. & 6. ff. de cessione bonorum. Quamuis autem in conscientiæ foro ære alieno grauatus, etiam ante cessionem bonorum, vel cùm bonis suis cedit, seruare possit ea, quæ ad sustentationem necessaria sunt, spectata conditione status sui iustè acquisiti, sicuti ex suprà dictis cōstat, & docet Syluest. ver. restitut.7. q.6. Nau. num. 86. Lessius cap. 16. dub.3. tamen in foro exteriore non tam benignè agitur cum debitore; sed bonis omnibus cedere cogitur: in aliis verò, quæ postea acquirit, condemnatur quatenus commodè facere potest. Vide Abb. in c. Odoardus, num. 8. de solutionib.

Porrò certæ causæ, & personæ sunt, quæ etiam sine cessione bonorum, tali priuilegio gaudent, vt neque in carcerem ob debita detrudi; neque ampliùs, quàm commodè facere possunt, id est, alimentis necessariis relictis, condemnentur. de quibus Abb. l.c. Mol. to.2. disp. 571. in fine. Tales etiam sunt Clerici, clericalibus priuilegiis gaudentes, sicuti habetur in cit. c. Odoardus, de solutionibus, & videri potest Couar.2. resol. c. 1. nu. 9. Si tamen Clericus simpliciter recuset se satisfacturum, vel de fuga suspectus sit, tunc à Magistratu suo incarcerari potest, sicuti docet Abb. in c.1. num.7. de depos. Mol. cit. disp.571. §. si Clericus. Alioquin, si sufficiens non est ad soluenda omnia debita, relicto ipsi quantum satis est, vt parcè viuat, reliqua eius bona,

annuique reditus creditoribus assignari debent, arg. c. peruenit, de fideiussor.

Illud verò controuersum est: An beneficium hoc, vt debitores post bonorum cessionem, Clerici autem etiam sine cessione bonorum, non amplius, quàm commodè facere possunt, condemnentur; locum habeat in debitis ex delicto prouenientibus, v.g. furto, rapina, quatenus ciuiliter agitur ad interesse partis priuatæ? Affirmant Syluest. Nau. Less. ll.cc. Sed alij DD. communiter negant, Ioan. Faber, & alij in §. vlt. Instit. de actionibus, Couar. cit. c. 1. nu. 8. Abb. in cit. c. Odoardus, num. vlt. Iulius Clarus l. 5. §. practica criminalis, q. 95. num. 5. Pet. Nau. lib. 4. c. 4. num. 58. Mol. tom. 2. disp. 572. §. his ita constitutis. Quia non est credibile iure ciuili beneficium cessionis ijs tribui, qui potiùs pœnæ seueritatem merētur. Quare in debitis ex delicto locum habet illud, quod sumitur ex l. 1. in fine, ff. de pœnis. *Qui non habet in ære, luat in corpore.*

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum ingressus Religionis liberet debitorem restituendi obligatione? Aliqui Doctores absolutè affirmant, quòd debitis obstrictus, quibus tunc soluendo non est, dimissis bonis, quæ habet, Religionem statim ingredi possit, licet manendo in seculo lucrari, & creditoribus satisfacere posset, tamen ad id non obligari. Ita videtur sensisse S. Thom. 2.2. q. vlt. a. 6. ad 3. Caiet. ibid. & sequitur Palud. in 4. d. 38. q. 4. a. 3. concl. 3. Angelus ver. religiosus, §. 6. Syl. ver. Religio, 2. q. 4. S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2 §. 1. Probant primò: Propter debita homo liber non obligatur quoad personam suam, sed tantùm quoad bona: ergo cedendo bonis, persona debitoris libera manet, vt quemcunque statum amplecti possit. Secundò: Nemo tenetur soluere debitum cum detrimento boni sui longè maioris, vel quod altioris ordinis sit, vti suprà etiam dixi num. 1. Sed bonum Religionis longè maius & altioris ordinis est, quàm bonum pecuniarum. Ergo debitor pecuniarum non obligatur ad solutionem, si propterea bono Religionis priuandus sit. Tertiò: Quia sic etiam sponsus de futuro, vel præsente non obstante promissione & obligatione sponsaliorum, Religionem ingredi iure potest: eadem a. videtur esse ratio de alijs debitis seu obligationibus. Addunt S. Anton. 3. p. tit. 16. c. 2. §. 3. Syl. l. c. et si iuramentum integrè soluendi interuenerit, censeri tamen tacitè exceptum; nisi Religionem ingressus fuero: quemadmodum & sponsalia iurata eiusmodi tacitam conditionem annexam habent.

Alij verò Doctores sententiam dictam moderantur: Si quis breui tempore in seculo manendo tantum lucraturum se existimet, vt debita sua vel integre, vel secundùm magnam partem soluere possit, ad hoc obligari: secùs, si longo tempore; tunc enim non obligari ad expectandum, sed statim ingredi posse. Ita Lopez p. 1. instructorij, c. 29. Azor t. 1. lib. 12. c. 1. q. 5. Less. l. 2. c. 16. dub. 8. Sanch. lib. 4. moral. c. 19. num. 8. qui definit, tempus breue quo expectandum sit, esse biennium, si intra illud solutionem fieri posse existimetur.

6 Tertia sententia est Ioan. Gersonis, in p. 2. operum, opusc. An liceat grauatum debitis, &c. Ioan. Medinæ C. de restit. qu. 3. causa 8. Mart. Nau. comment. 1. de regular. num. 8. Valentiæ tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 7. Pet. Nauar. lib. 4. c. 4. prope finem, Mol. tom. 3. poster. disp. 757. qui absolutè docent; Quòd ære alieno grauatus, si probabiliter existimet, se in seculo manendo, debita ex contractu aut delicto prouenientia soluturum esse, Religionem ingredi non possit; esto, quòd longo tempore expectans omnino se ineptum redditurus sit ad ingrediendum. Hæc sententia videtur mihi vera, & approbata est à Sixto V. & Gregor. XIV. apud Corre. Eman. Sa ver. Religio, num. 1. Probatur primò: Cùm solutio debitorum sit iuris ac iustitiæ naturalis, iniuriam infert, qui absque necessitate voluntariè se impotentem reddit ad soluendum. Atqui talis ingrediendo, ac profitendo impotentem se ad soluenda debita reddit voluntariè & sine necessitate: cùm ingressus Religionis in præcepto non sit. Ergo, &c. Secundò: In casu, quo filius naturali iure obligatus est succurrere parenti inopi, vel aliam miseriam passo, (si videlicet ea alio modo subleuari non possit) non licet filio Religionem ingredi, sicuti docet S. Thom. communiter receptus cit. a. 6. in corp. & quodlib. 3. a. 16. Ergo neque debitor Religionem ingredi potest, si in seculo manendo creditoribus satisfacere possit: cùm ipse non minùs ex iustitia obligatus sit ad soluenda debita, quàm filius ad alimenta præstanda patri inopi. Probatur tertiò: Quia in sacris canonibus prohibetur, c. legem, d. 53. ne grauati ratiociniis seu obligatione reddendarum rationum ex officio, priusquam se ijs expediuerunt, ad religionem recipiantur; non aliam ob causam, quàm quia Religionis ingressus aut professio, sicuti & alia vota atque obsequia, Deo grata non sunt, si in alterius iniuriam cedant.

Corollarium primum. Si obstrictus debitis voueat se Religionem ingressurum intra certum tempus, differenda est executio voti, quousque debita soluta sint, sicuti rectè docet Nau. cit. nu. 8. Sanch. nu. 11. Azor cit. q. 5. cōtra Palud. in 4 d. 38. q. 3. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 11. c. 2. §. 1. Quia votum, sicuti & iuramentum, non debet esse vinculum iniustitiæ, argum. c. quanto, de iureiuran. Et posterior obligatio tollere non potest priorem, argum. c. veniens, &c. intellecto, vbi Doctores communiter, de iureiur. Imò, bene addit Sánchez; Tametsi votum Religionis antecessit, & debita postea contracta sunt, non posse illud executioni mandari, priusquam debita soluta sint; sicuti si post tale votum grauis parentum necessitas superueniat. Nam gratuita promissio, cuiusmodi est votum, desinit obligare, si grauis mutatio accidat, vel incidat in casum, in quo incipere non posset.

Corollarium secundum. Si debitis obstrictus, contra creditorum facultatem, Religionem professus sit, adhuc obligatus manet, adeò, vt si in Monasterio vel hæreditate, legato, &c. quippiam acquisierit; vel si salua Ordinis regula, artificio seu manuum non insueto labore aliquid lucrari possit, tali modo creditoribus satisfacere studeat, sicuti docent Innoc. rubr. de obligatis ad ratiocinia, Abb. c. cùm I. & A. num. 27. de sent. & re iudic. Medina, Nau. ll. cc. Mol. conclus. 2. Azor cit. q. 5. contra Palud. cit. a. 2. Syl. cit. q. 4. Angelum ver. religiosus, §. 7. Sanch. num. 14. qui negant Religiosum obligari ad laborandum & acquirendum. Ratio huius corollarij est, quam suprà dedi: Quia promissio posterior professionis religiosæ, non potest præiudicare naturali obligationi siue debito antea contracto. Vide eundem Sanchez l. 7. moral. c. 31. vbi bene docet; Monasterium, quod in bonis professi sui successit, obligari creditorib. eius secundùm vires bonorum; vel si quid postea Religioso hæreditate, legato, donatione, &c. acquiratur. 7

Corollarium tertium: Si talis debitor Religionem professus, debita, quæ non exigui momenti sunt, soluere non possit, nisi egrediendo Monasterium cum spe probabili satisfaciendi debitis, per prouisionem v.g. alicuius beneficij, tenetur id facere, si creditores etiam rogati remittere nolint, & scandalum, aliàve grauis iactura spiritualis non obstet, sicuti docent Medina cit. causa 8. Molin. cit. conclus. 2. Angles in floribus p. 2. q. Quis à restitutione fit liber, a. 2. diffic. 12. contra Petr. Nau. lib. 4. de restit. c. 4. num. 96. Sanch num. 15. Confirmatur ex doctrina S. Thom. cit. quodlib. 3. a. 16. & 2.2. q. 101. a. 4. ad 4. Henrici quodlib. 6. q. 19. Si filius, patrem in graui necessitate constitutum derelinquens, Religionem professus fuit: atque illi alia ratione subuenire non potest, obligatus est ad regrediendum,

vt patri ſubueniat: Sin verò pater, poſt filij profeſſionem, in talem neceſſitatem ex improuiſo incidit, quamuis egredi poſſit cum Prælati licentia, religioſum habitum retinens, ſicuti ex communi Nauar. lib. 3. conſil. 71. & 72. de regul. edit. 2. tamen ad id non obligatur; cùm tunc quaſi ſpiritualiter mortuus, & ſeculi curis expeditus, noua alendi parentes obligatione aſtringi non debeat; licet contrarium ſenſerit Henricus loco citat. & quodlib. 12. quæſt. 23. Excipio tamen neceſſitatem extremam, in qua filius omnino ſubuenire deberet, etiam egrediendo Religionem, petita tamen priùs, licet non obtenta, licentia: cùm etiam extraneo in ſimili neceſſitate ſubuenire ſecundùm charitatis legem oporteret. Vide Nau. c. 14. man. num. 14. & comment. 3. de regul. num. 45. Caiet. cit. a. 4. Syl. ver. religio, 2. q. 7. Leſſ. lib. 2. c. 41. num. 34.

Ad 1. argum. ſuprà propoſitum reſp. Perſonam ex contractu vel delicto, naturali iure obligari, non quidem in ordine ad ſe, ſed in ordine ad bona ſua habita, & habenda. Exempli cauſa: Si pecuniam mutuò accepiſti, contrahis obligationem perſonalem; non eo quidem tendentem, vt propter debitum, ſi aliter ſoluere non poſſis, in ſeruitutem rapi, aut vendi poſſis, vel perſonaliter ſeruire cogaris, quod prohibetur in l. nemo, Cod. de exactor. tributorum lib. 10. Sed eò tendentem, vt omni iure tenearis debitum reſtituere ex bonis tuis, ſi habeas, vel acquirere poſſis: ſecùs, ſi impotentia etiam adſit acquirendi: tunc enim dimiſſis bonis, quæ habes omninò liber es, ſaltem ſi debita ex contractibus prouenerunt. Quare libenter fateor, ſi vir nobilis debitis obſtrictus alia ratione ſoluere non poſſit, quàm ſeruilibus, & ſibi inſuetis laboribus, quòd eos ſubire non teneatur, cum talis nimis ſeruilis obligatio eiuſmodi perſonæ moraliter impoſſibilis videatur, ad quam etiam ſe non obligaſſe videtur, ſicuti bene notat Lopez cit. c. 29.

Exinde diſcrimen obſeruari poteſt, quod tradit Medina cit. cauſa 8. ad quintum; Cur profeſſio Religionis facta à mancipio, ſine domini ſui conſenſu; vel profeſſio mariti poſt conſummatum matrimonium ſine conſenſu vxoris, ipſo iure irrita ſit, iuxta cap. nulli, diſtinct. 54. & cap. placet, cap. quidam intrauit, de conuerſ. coniugat. at verò profeſſio debitoris facta ſine conſenſu creditorum, quamuis illicita, & iniurioſa, tamen valida ſit. Cùm enim mancipium ſuo domino, & coniunx ſuo coniugi obligati ſint ſecundùm propriam perſonam, ideo ſe Religioni iterum obligare non poſſunt. At verò debitor ex contractu vel delicto obligatus non eſt ſecundùm perſonam, ſeu in ordine ad perſonalia obſequia: quare Religioni ſe validè obligare poteſt: quamuis iniuriam inferat, ſi ea occaſione ſe impotentem reddat ad acquirenda bona, quibus ſatisfacere queat.

8 Ad ſecundum reſpondeo. Veram eſſe maiorem, ſi loquamur de propriè dicta iactura ſeu detrimento boni maioris, altioris; non item, ſi loquamur de lucro, ſeu commodo ceſſante. Si enim debitor ſis mille florenorum, non propterea liberaris obligatione ſoluendi, quod facta ſolutione tibi maius lucrum ceſſaturum ſit; quia mille illis florenis plus, quàm alios mille lucrari poſſes. Atqui debitor, ſi propter obligationem debiti Religionis ingreſſum longo tempore differre, vel omnino omittere cogatur, commodum quidem ſeu lucrum aliquod ſpirituale negligit: non tamen propriè iacturam ſalutis, aut ſpiritualis boni ſuſtinet: cum Religio medium ipſi ad ſalutem neceſſarium, aut in præcepto poſitum non ſit. Si tamen caſum extraordinarium fingamus, quo aliquis ita comparatus ſit, ſpectato eius ingenio, ac moribus, vt valde difficile, & moraliter impoſſibile cenſeatur, eum à peccatis, quibus implicatus eſt, liberari, niſi relicto ſeculo Religionem ingrediatur; tunc fateor, talem ingredi poſſe, poſthabita obligatione debitorum: quemadmodum etiam filius, ſi ita comparatus eſſet, non teneretur cum tanto ſuo ſpirituali periculo in ſeculo manere, ad ſubueniendum patri inopi. Quia tamen eiuſmodi caſus rarus, & non facilè præſumendus eſt; ideo abſolutè dicimus, neque filium obligatum parenti ad ſubueniendum eius graui inopiæ; neque debitorem obſtrictum creditori, interim Religionem ingredi poſſe: Sin verò ingrediatur, tam filium à parente inope, quàm debitorem à creditore ſuo, implorato Iudicis Eccleſiaſtici officio, ex Religione, ſaltem ante profeſſionem editam, reuocari poſſe.

Ad tertium reſpondeo cum Molin. cit. diſput. 758. concluſ. 4. Ex Eccleſiæ traditione notum eſſe, quòd in ſponſalibus tam de præſente, quàm de futuro, licet iurata ſint, hæc tacitè cenſeatur ineſſe conditio: Niſi Religionem ingredi poſtea placuerit. Quæ quidem conditio in neutrius iniuriam cedit; cùm in ea vtraque pars contrahentium æquali iure gaudeat; vterque, inquam, ſponſus inuito altero Religionem ingredi poſſit. At verò eiuſmodi conditionem in contractibus ſubintelligi; *Reddam tibi pecunias mutuò acceptas, niſi Religionem ingredi placuerit*, traditio, aut praxis Eccleſiæ non habet. Neque naturalis æquitas talem conditionem patitur: cùm ea in ſolum commodum debitoris, magnum autem incommodum & grauamen creditoris cedat.

Et debent hæc intelligi non tantùm de debitis ex contractu oneroſo ac reciproco; ſed etiam, ſi aliquis liberaliter ac gratuitò alteri ſe obligaſſet, deberet tamdiu Religionis ingreſſum differre, donec obligationi ſatisfactum eſſet, ſicuti indicat Molin. cit. concluſ. 4. contra Sanchez num. 10. Ratio eſt: Quia poſtquam liberalis promiſſio acceptata eſt, tribuit ius & actionem promiſſario: ergo iniuria ei fit, niſi impleatur. Sed excipi debet; Si promittens ita animo comparatus fuerit, vt non intenderit ſe obligare in eo euentu, ſi Religionem ingredi vellet: quod etiam in dubio præſumi poteſt.

QVÆSTIO TERTIA. Si is, qui ex furto, vſuris, &c. debitor eſt, ei, cui reſtituere deberet, tantundem donauit, immemor ſui debiti, vtrùm obligatione reſtituendi liber exiſtat? Affirmant aliqui, quos tacito nomine citat Sanchez l. 1. moralium, cap. 13. num. 11. Sed contrarium docet Henricus quodlib. 12. quæſt. 20. Lopez lib. 2. de contract. cap. vlt. prope finem, Sanchez loc. cit. Leſſ. lib. 2. cap. 37. num. 11. Nam donum gratuitum, & debitum ex iuſtitia inter ſe pugnant, ſicuti indicat Apoſtolus ad Roman. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*, (id eſt, 9 operum meritò) *alioquin gratia iam non eſt gratia*; ſed debiti retributio. Neque refert, quòd debitor ex furto, vſuris, &c. ſi debiti ſui memor fuiſſet, gratis non donaſſet: quia actualis diſpoſitio voluntatis, non conditionalis in contrahentibus attendenda eſt.

Hanc ſententiam veram arbitror, cum duplici limitatione: I. Niſi fur, vel vſurarius probabiliter ſibi perſuadeat, quòd alter, ſi rem totam cognitam haberet, debitum exacturus non eſſet: ſed libenter remiſſurus. II. Niſi obligatio reſtituendi, puta pauperibus, ex iure tantùm Eccleſiaſtico promanet, iuxta ea, quæ dixi ſuprà: tunc arbitror probabiliter dici poſſe, eleemoſynas, quæ cum tali obligatione, quamuis non animo ſatisfaciendi, factæ ſunt: tamen ad eam extinguendam prodeſſe poſſe. Exempli cauſa: Venit Canonicus ad Confeſſionem, qui toto anno canonicum officium recitare neglexit: & ideo in pias cauſas 300. aureos reſtituere deberet: tali obligatione à Confeſſario illi ſignificata, reſpõdet, ſe, quãuis huius obligationis

immemorem, his ipsis diebus statuam argenteam Ecclesiæ alicui donasse, quæ 500. aut ampliùs aureis æstimetur, puto, quòd Confessarius contentus esse possit. Tum quia non desunt Doctores, qui ita sentiunt: tum quia videtur esse virtualis intentio omnium dantium eleemosynas, satisfaciendi per eas omnibus obligationibus, quas suis peccatis aut negligentiis contraxerunt: tum denique quia leges Ecclesiasticæ benignè explicari debent.

QVÆSTIO QVARTA. Si debitor rem restituendam Confessario commisit, ille verò defraudauit, vel aufugit; vtrum cesset obligatio primi debitoris? Suppono; Esse consilium S. Tho. 2.2.q.62.a.6.ad 2.. Nau.c.17.num.67. Si quis restitutionem debiti sine periculo famæ, &c. facere non possit, vt commoditatem capiat restituendi per hominem fidelem, & secreti obseruantem: ad quam rem peragendam Parochus, vel Confessarius plerumque idoneus videri poterit, qui personâ nullâ nominatâ creditori restituat. Sin verò accidat, præter opinionem, eiusmodi Confessarium defraudare, restitutionémque intermittere, liberatúrne debitor?

Hoc casu, respondeo & dico I. Si quod restituendum erat, debitum fuit indeterminatè, seu in genere; v. g. decem floreni ex iniusta emptione aut venditione: tunc debitor non liberatur, sed debet aliorum decem restitutionem facere. Ratio est: Quia res quælibet, si casu pereat, domino suo perit: debitor autem rei debitæ indeterminatæ adhuc dominus est: ergo, etsi sine eius culpa, adeóque casu per malitiam Confessarij pereat, ipsius id damno accidit, sicuti tradit S. Anton. p.2.tit.2. c.4.§. Nau.l.c.& Pet. Nau.lib.4.c.5.n.6. Less. lib.2. c. 16 n.65. contra quosdam, quos tacito nomine refert idem Nau. & Less. ea ratione persuasos: quia debitor, qui alio modo restituere non poterat, fecit quod debuerat, ideóque creditor contentus esse tenebatur, vt per talem personam intermediam restitutio ipsi fieret. Sed facilis est responsio: Fecisse debitorem, quod hactenus facere debebat, tamen remanente obligatione, vt si restitutio efficaciter facta non sit, alius modus restitutionis efficax ineatur. Neque aliter censetur contentus esse creditor; nisi vt si velit debitor restituere per Confessarium, vel aliam personam intermediam, à se specialiter non destinatam, suo id periculo faciat.

Dico II. Si res aliqua in specie debita fuit, sed iustè: quia v.g. inuenta, vel aliàs bona fide possessa: tamen interest debitoris, vt non sciatur, restitutionem ab ipso prouenire: tunc planè satisfacit, si Confessario, quem prudenter credit fidelem esse restituendam rem tradat: qui si postea defraudet, debitor omni iure liberatus est. Ita vterque Nauarrus ll. cc. Ratio est: Quia in tali casu neque obligatur ratione rei acceptæ, cùm eam non habeat, neque ratione iniustæ acceptionis, seu læsionis, cùm ab omni culpa, & iniuria immunis sit: consequenter, si res pereat, domino suo perire debet.

Dico III. Si res in specie debita, per iniustitiam acquisita & abstracta sit, v. g. torques aureus furto ablatus, non liberatur debitor, si in tali casu Parochus, vel Confessarius, alioquin fidelis existimatus, defraudet. Ita indicant S. Anton. & Nau. ll. cc. & docet expresè Less. l. c. Eiusdémque sententiæ olim se fuisse fatetur Pet. Nau. sed postea mutasse, eo argumento motum; quia res, si casu omnique seclusa culpa pereat, domino perit: atqui in nostro casu debitor non est dominus rei in specie debitæ; perit autem sine omni eius culpa, per solam malitiam, vel negligentiam Confessarij: Ergo non ipsi perit, sed creditori, videlicet illi, à quo torques ablatus fuit. Respondeo. Non censeri rem casu perire, quando eius interitus causa & occasio fuit iniusta ablatio. Sicuti enim, si furi torques aureus ablatus fuisset absque vlla culpa eius, deberet is nihilominus domino damnum compensare, quippe cuius causa siue occasio extitit; ita similiter compensare tenetur, si per Confessarij malitiam perijt: posito, quòd res, si domino iniustè ablata non fuisset, ipsi salua mansisset. Quod totum constat ex principiis restitutionis, à DD. communiter admissis.

TRACTATVS TERTIVS.

DE

DELICTIS.



OBLIGATIONES iustitiæ aliæ ex contractu nascuntur; aliæ verò ex delicto, auctore Arist. 5 Ethic. cap. 2. Illæ voluntariæ dicuntur, quia libera contrahentium voluntate susceptæ sunt. Hæ autem appellantur inuoluntariæ; & quidem ob duas causas: Primò, Quia ille, qui damnum iniustè illatum est, in id minimè consensit. Secundò, Quia neque delinquens in obligationem secundùm se consentit; sed potiùs inuitus eam contrahit. Nam sicuti reatus pœnæ, tanquam cuiusque peccati necessariò consequens effectus, quodammodo inuoluntarius est peccanti sic etiam ex delictis, quibus iniquum damnum infertur, damnificans obligationem seu reatum damni compensandi, etsi minimè velit atque optet, tamen iuris naturalis, ac positiui necessitate contrahit.

Cùm autem pro diuersitate bonorum, quæ inuito eripi possunt, triplex homini iniquum damnum inferatur; puta, vel in bonis externis fortunæ per furtum, rapinam, &c. Vel in bonis externis honoris, ac famæ per detractionem contumeliam, &c. Vel denique in bonis corporis internis per homicidium, mutilationem, raptum, stuprum, adulterium, &c. ideo de obligationibus inde ortis hoc tractatu trifariam nobis agendum est.

PARS PRIMA.

De obligationibus contractis ex iniusto fortunarum damno.

CAP. I.

De Furto.

SVMMARIVM.

1 *Furtum est acceptio rei alienæ occulta, & fraudulosa.*
2 *Furtum diuiditur in simplex, ac qualificatum: Iterum in manifestum, & non manifestum.*
3 *An furtum mortale sit, ex obiecto, prudentis viri arbitrio, æstimandum est, non solùm ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantijs personæ cui ablata est.*
4 *Actio famosa furti non datur aduersus liberos & vxorem.*
5 *Si vxor, liberi, aliique domestici in domo furentur, præsertim esculenta & poculenta, quæ ipsimet absumant, maior quantitas damni requiritur ad constituendum mortale. Eadémque ratio est de Religiosis in domo furantibus esculenta.*
6 *Qui repetitis vicibus modicum quid aufert, denique mortaliter peccare potest.*
7 *Qui extrema necessitate coactus aliquam rem inuito domino accipit ad vtendum, absumendum, quatenus indiget; is non furatur, nec peccat. Sed neque restituere quicquam debet, si ad meliorem fortunam deueniat.*
8 *Qui in graui necessitate positus, à diuite præsertim antè rogato aufert, non facilè peccati mortalis damnari debet.*
9 *Si debitum certum ac liquidum alio modo acquiri non possit, fas est clanculum accipere, vel occulta compensatione vti.*
10 *Famuli occulta compensatione vti non prohibentur, si liquidò constet, stipendium iusto minus esse.*
11 *Pœna furto decreta vel ciuilis est in duplum, aut quadruplum: vel criminalis; quæ olim arbitraria erat: hodie verò ob tertium furtum materiæ notabilis suspendium infert solet.*

FVrtum dictum esse aiunt à *furno*, id est, nigro: quòd clam & obscurè, ac plerumque nocte fiat. Vel à ferendo: quemadmodum & Græci ἀπὸ τοῦ φέρειν, φῶρας dixerunt, l. 1. ff. de furtis, & §. furtum, Instit. de obligat. ex delicto.

Furtum definitur locis iam cit. *Contrectatio fraudulosa, lucri faciendi causa, alicuius rei, vel eius vsus, possessionisue.* Quam definitionem explicat Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 1.

2 Breuiùs describi potest, ex doctrina S. Th. 2. 2. q. 62. a. 3. *Acceptio rei alienæ occulta, & fraudulosa.* Cùm dicitur *acceptio*, distinguitur furtum primò ab iniusta damni datione, puta domum incendendo, segetes destruendo, fores perfringendo; in quibus qui damnum dat, nihil accipit. Secundò distinguitur à detentione, siue iniusta mora soluendi debitum: hæc enim licet iniuriam contineat, non tamen furti speciem.

Nomen *rei* in definitione latiùs accipi debet, vt etiam rei vsum, ac possessionem comprehendat. Quare si Commodatarius, Depositarius, Conductor, Qui pignus accepit, &c. contra rationem conuentionis, adeóque sine domini expresso, vel præsumpto consensu, re commodata, deposita, locata, pignore vtantur, quasi furtum committunt, l. qui furtum, ff. de condict. furtiua, & §. furtum, §. placuit, Inst. de obligat. quæ ex delicto, vt docet Sylu. ver. commodatum, q. 11. ver. depositum, q. 3. Mol. tract. 2. to. 3. poster. disp. 681. Similiter [illegible] Commodatarium, Conductorem, Creditorem [illegible] possessione, custodia pignoris, rei commodatæ [illegible], furtum committere censetur, [illegible] compeat, cuius interest rem furto [illegible] l. cuius interest, & seqq. ff. de [illegible] actionem habuere [illegible] Caupionem, cu- [illegible] tunc plenè [illegible] vel Commodatarius aduersus furem [illegible] l. mutantem, & seqq. Instit. [illegible] ex delicto. Sed & ipsemet dominus, si rem [illegible] ab eo, qui ius vtendi, vel fruendi habet, vel pignus ab eo, qui ius detinendi adhuc obtinet; furtum committere censetur, l. creditoris, l. in actione, §. qui rem, ff. de furtis, & §. aliquando, Instit. de obligat. ex delicto, & §. sanè, Instit. de vi bonorum raptorum.

Alienæ, id est, ad alterum iure spectantis. Nam si rem tuam, vel tibi liquidò debitam, quam alter non iure tenet, propria auctoritate auferas; licet interdum pecces, furtum tamen non committis. Qua de re infrà q. 6.

Per vocem *occulta* differt furtum à rapina, de qua cap. seq. Additur, *fraudulosa*: Primò; Quia si aliquis ius habeat rem alienam, etiam domino inuito auferendi, furtum non committit: puta, si extrema in famis necessitate constitutus sis: vel si Deus rerum omnium supremus Dominus præcipiat, aut facultatem tribuat aliena occupandi. Qua ratione Israelitæ Ægyptios in egressu spoliarunt, sicuti indicatur Sap. cap. 10. *Iusti tulerunt spolia impiorum, & decantauerunt, Domine, nomen sanctum tuum.* Et postea terram promissionis sublatis Regibus occupârunt, Iosue cap. 10. & seqq. Secundò; si quis arbitretur, dominum inuitum non esse; aut permissurum, vt res sua contrectetur, auferatur, furti reus non est, l. inter omnes, §. rectè, ff. de furtis. Quia *furtum sine affectu furandi non committitur*, §. placuit, Instit. eod. Adde, quòd in externo foro nec solus affectus sufficit; sed tam materialiter, quàm formaliter furtum euenisse necesse est. Quare, si credat aliquis, inuito domino se rem contrectare, cùm volente id fiat, furtum non est, vti habetur in cit. l. inter omnes, §. per contrarium, & §. sed etsi, Instit. eod.

Furtum diuiditur primò, Ratione rei ablatæ, in simplex, & qualificatum. De furto simplici ex proposito hîc agimus: Qualificati autem plures sunt species: *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacræ, è loco sacro; vel non sacræ è loco sacro, vel rei sacræ è loco non sacro, iuxta c. quisquis, 17. quæst. 4. De eo dicam lib. seq. tr. 10. c. 7. n. 8. *Peculatus*, id est furtum rei pertinentis ad fiscum Principis, ff. ad l. Iuliam peculatus. 2

Crimen Plagij, cùm vel mancipia à dominis; vel liberi à parentibus, in quorum potestate sunt, abstrahuntur, aut captiuantur, ff. ad l. Fabiam de Plagiarijs.

Abigei, quibus cura est alienis insidiari animalibus, aut iumentis, eaque transportare, Authent. de nuptiis, cap. 2. § mitiores, in collat. 4. tit. 1. Vide ff. & Cod. de Abigeis. Hisque criminibus grauior pœna legibus decreta est, quàm simplici furto. Videri potest Molin. cit. tom. 3. disp. 684.

Secundò, Ratione modi furandi diuiditur furtum in manifestum, & non manifestum, l. 2. ff. de furtis. *Furtum manifestum* est, in quo fur cum re furtiua deprehenditur, priusquam eò loci detulerit, quò destinârat, l. 3. & seqq. ff. eod. & §. furtorum, Instit. de obligat. ex delicto. *Furtum non manifestum*, in quo fur non ita deprehenditur. Vide Ioan. Medinam C. de restit. q. 4. paulò post princip.

Præterea, Fur alius diurnus est, alius nocturnus. *Diurnus* dicitur, qui sole lucente furatur, vt agnosci possit. *Nocturnus*, qui furatur de nocte, vt agnosci non possit, [illegible] c. si perfodiens, de homicid. vbi Glossa, Abbas, & alij Canonistæ.

QVÆSTIO PRIMA. Quæ quantitas rei ablatæ sufficiat ad mortale peccatum furti? Barthol. Medina 1. 2. quæst. 88. a. 4. Nauar. cap. 17. num. 4. Rebell. p. 1. lib. 5. quæst. 15. Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 6. ferme consentiunt, tres regales seu Iulios, id est, quatuor vel quinque extrates pastos, licet à valde diuite auferantur, esse materiam furti mortalis: quamuis minor etiam quantitas requiratur, si à valde paupere surripiatur.

Verùm

Verùm ex doctrina Soti lib. 5. quæst. 3. art. 3. ad 3. Syluest. ver. furtum, num. 5. Ioan. Medinæ quæst. 10. C. de restit. ad 2. casum; Arragon. 2. 2. quæst. 66. art. 6. Molinæ, disp. 685. Pet. Nauar. lib. 3. de restit. cap. 1. num. 35. Sa ver. furtum, n. vlt. Valentiæ disp. 5. quæst.
3 10. p. 5. Respondeo & dico I. Rem istam prudentis arbitrio definiendam esse, non solùm ex quantitate rei ablatæ, sed etiam ex circumstantijs personæ cui ablata est. Probatur & explicatur. Furti grauitas pensanda est tum ex damno iniustè illato, tum verò ex voluntate domini iniquè ferentis rem suam sibi auferri: siquidem furtum aliud non est, quàm ablatio rei alienæ, domino eius rationabiliter inuito. Certum autem est, ob eandem pecuniæ quantitatem, furto ablatam, maius damnum accipere, & meritò plùs angi atque dolere pauperem, quàm mediocriter diuitem; & plùs hunc, quàm valde diuitem. Ergo furti grauitas, siue mortale crimen non ex sola quantitate rei ablatæ; sed etiam ex circumstantijs personæ, cui aufertur, prudentis arbitrio æstimandum est.

Dico II. Probabiliter tamen ita definiri potest; hanc esse notabilem furti quantitatem, ac peccati mortalis materiam, quæ in vnum diem sufficiat ad victum eius hominis, cui furti iniuria fit: Veluti si à mercatore valde diuite fureris duos, vel tres nostrates florenos; à ciue mediocriter diuite duodecim, vel quindecim pazios; ab operario tres, vel quatuor pazios; à mendico paucu los numos, quibus vno die vtcunque se aluisset. Nam etiam domini testimonio Marci 12. Vidua, quæ duo minuta in gazophilacium misit, plus omnibus dedit, quando totum victum suum dedit. Ergo qui illi furto hęc duo minuta abstulisset, non modicum, quippe totum victum ei abstulisset.

Dico III. Duo, vel tres ducati à quocunque auferantur, quamuis rege potentissimo, mortale peccatum constituunt. Hęc est communis assertio apud Sotum Arag. Sa, P. Nau. ll. cc. Ioann. Maiorem in 4. d. 15. q. 25. Angelum, ver. furtum, §. 34. Syl. q. 2. quamuis aliqui, vt Tol. lib. 5. c. 16. minorem summam statuant. Probari autem debet assertio: Quia hæc est communis hominum persuasio, valorem, qui duos aureos excedit, non esse modicum quod etiam Labeo agnouit apud Vlpian. Iureconsult. in l. si quis adfirmauit, & seq. ff. de dolo. Adeò, vt vix aliquis etiam potentissimus reperiatur, qui spectatis omnibus impendiorum oneribus, tantæ pecuniæ iacturam non grauiter ferre censendus sit.

Tria insuper moneo: Vnum est. Mortale peccatum cōmitti posse, etiam rē modicam auferendo, si exinde graue damnum, vel iactura lucri cessantis eueniat: Veluti si à sartore acum fureris, à sutore subulam, à scriba calamum; quem scis aliud instrumentum ad opera sua præstanda plurium dierum spatio acquirere non posse, sicuti inter alios notat Nau. c. 17. n. 2. & 4. Vel si transiens v. g. cum multis per vineam, paucos racemos accipiens, causa sis, vt alij exemplum tuum secuti, ingens damnum inferant. quo casu teneberis sub culpa mortali ad restitutionem illius modici; si spes probabilis sit, alios etiam simul restituturos, damnúmue compensaturos esse. qua de re Mol. disp. 689. Sin verò exemplo tuo tracti non fuerunt, tunc nihilominus charitatis lex obligabit te ad restituendū, si vidaes te restituente alios etiam restituturos, & graue damnum proximo resarciendum: quomodo limitari debet doctrina Lessij lib. 2. c. 12. num. 52.

Alterum. Si pœnitens confiteatur, modicum quid furatum se esse, interdum à Confessario examinandus erit; an fortè non defuerit animus plura surripiendi, si copia vel occasio fuisset. Quia, vt dicitur c. vlt. 14. q. 6. ex S. Hieron. in epist. ad Titum, cap. 2. *Fur non solùm in maioribus, sed etiam in minoribus iudicatur. Non enim* (in foro conscientiæ) *id quod furto ablatum, sed mens furandi attenditur.* Vide S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 14. §. 3. Couar. 1. resol. c. 3. n. 12. Nauar. c. 17. n. 2. Molin. disp. 685. Rebell. l. c. s. 1. Pet. Nauar. cit. c. 3. n. 41.

Tertium. Si quis rem alienam auferat, quamuis modicam, sciat tamen dominum ea valde delectari, aut affici, vt ex eius amissione magnam molestiam capturus sit, peccabit mortaliter non in genere furti, sed potiùs contra charitatem, sicuti notauit Syl. ver. furtum, q. 2. Nau. in man. c. 17. cit. n. 2. P. Nau. cit. c. 3. n. 46.

Qvaestio Secvnda. Quid sentiendum sit de furtis domesticorum, vel amicitia iunctorum? Resp. & dico I. Licet verè furtum sit, si liberi, vel mancipia patrifamilias inuito auferant, sicuti constat ex §. hi qui, Instit. de obligat. ex delicto; tamen actio furti pœnalis & famosa aduersus eos non conceditur. Sed neque coniugi aduersus coniugem ob matrimonij honorem, sicut constat ex ff. & C. rerum amotarum. Denique nec contra alios domesticos vel famulos paterfamilias furti actionem instituere potest, si furta modica sint; l. perspiciendum 11. §. furta, ff. de pœnis Nihilominus, si rem ablatam à domesticis paterfamilias recuperare nequeat, Iudicis officium implorare poterit quo hi ad restitutionem compellantur. Deinde si domesticorum aut famulorum furta immodica sint, vel nimis multiplicata, etiam pœna corporali puniri solent, teste Claro lib. 5. sent. §. furtum, n. 22. 4

Dico II. Plerumque maior quantitas requiritur ad crimen mortale furti, auferentibus liberis, vxore, mancipijs, amicitia, vel sanguine iunctis; imò etiam famulis, & ancills, præsertim circa esculenta, & poculenta, quorum curam & dispensationem habent; dummodo ipsimet insumant, & non alijs diuendant. Ratio est, quòd dominus minùs inuitùs sit, vt ab his, quàm ab extraneo surripiatur. Vel etsi valde inuitus videatur sæpe tamen non tam ratione rei acceptæ, quàm ratione modi accipiendi clam, furtim; aut ratione mali finis, ob quem liberi, famuli, vel vxor accipiunt, vt ludant, potitent. Ita præter alios docet Caiet. ver. furtum, §. Et hinc habes. Nau. c. 17. n. 138. Pet. Nau. lib. 3. cap. 1. n. 221. Mol. disp. 686. Less. lib. 2. cap. 12. n. 47. & n. 76. vbi ait; Tametsi filiusfam. patri diuiti duos, vel tres aureos furetur, non semper mortalis peccati damnandum fore. Sed, vt breuiter dicam, prudens Confessarius arbitrari hoc debet, non ex sola quantitate rei ablatæ; sed etiam ex circumstantijs personæ accipientis, eiúsque cui aufertur. 5

Id verò explicatione indiget, quod Sanchez lib. 7 moral. cap. 21. n. 31. absolutè negat, furta parua esculentorum commissa à famulis ad proprios vsus, etsi paulatim ad magnam quantitatem perueniat, esse crimen mortale. quod multò magis docet de furtis Religiosorum; cùm hi non instar famulorum, sed tanquam filij ex Monasterij bonis alantur. Hæc doctrina vera est, si dominus, vel Prælatus inuitus non sit quoad rem; sed quoad modum accipiendi clam. Secùs dicendum, si re ipsa inuitus est, quia graue damnum etiam per furta modica frequenter repetita domui, aut Monasterio inferri potest, si sint talium rerum, quæ non communiter, aut non tanta copia famulis, vel Religiosis dari solent. Vt si famulus, vel Religiosus quotidie in cellam vinariam clanculum descendat, & duas vini mensuras (apud nos, vbi vinum in pretio est) ebibat, quis neget spatio vnius mensis graue damnum illaturum, & mortaliter peccaturum, non tantùm in genere furti; sed etiam contra paupertatis votum, si Religiosus sit? Vide q. seq. & quæ dicam lib. seq. tract. 5. cap. 7. quæst. 2.

Dico III. Si existimetur, patremfam. inuitum fuisse etiam ratione rei ablatæ secundùm se, tenetur restituere ei vxor ex paraphernis; filius verò ex castrensibus &c. si talia non habeat, post mortem patris adferre debet in diuisionem hæreditatis; si rei ablatæ

quantitas modica non sit, neque pater eius restitutionem expresse aut tacitè remiserit. Quòd si domestici sine magna difficultate restituere non possint, præcipiat illis Confessarius, vt extraordinariis officiis, & obsequiis, quatenus fieri potest, compensare studeant.

6 QVÆSTIO TERTIA. Qui repetitis vicibus modicum furatur, an denique mortaliter peccet? Affirmandum est cum Ioan. Maiore in 4.d.15.q. 25. Medina C. de restitut.q. 10. Soto lib.5.q.3.a.3.ad 3. Couar. 1.resol.c.3.n.12. P. Nauar.lib.3.c.1.n.50. Vasq.de restit.c.9. §.1.dub.vlt.& 1. 2.disp.146. Mol.disp.688. Valent.disp. 5. q. 10. p. 5. contra Nau. cap.n. 139. & aliis apud Sanchez lib. 7. moral.c.21.n.5. Probatur, & explicatur: Si à mercatore non diuite per duos menses quotidie fureris crucigerum, vltimo die notabile illi damnum infers, ideóque mortaliter peccas. Nam opus, quo iniustum notabile damnum proximi completur, mortale est: per ablationem autem siue furtum vltimi sexagesimi crucigeri completur notabile damnum mercatoris: (nam antè non censebatur graue damnum, nunc autem meritò censetur.) Ergo vltimi crucigeri furtum mortale est, non secundùm se absolutè; sed cum habitudine ad furta antecedentia consideratum, sicuti bene explicat inter alios Maior cit. loco.

Pro pleniore tamen huius rei intellectu quatuor animaduerte: Primum. Maiore opus esse quantitate ad peccatum mortale constituendum, si modica furta diuersis, ac pluribus contingant, quàm si vni & eidem. Sint v. g. triginta mercatores, quibus singulis auferas pazium, fieri potest, vt mortaliter non delinquas, quia nulli eorum graue damnum infers. Vide Rebellum de iustit.p.1.lib.3. q.15.s.5.n.43. Sanchez cit.c.21. q. 2.

Secundum. Si modica furta fiant animo & proposito ex eis ditescendi, grauius peccatum est, quàm si sine huiusmodi proposito fierent. Quare iudica cum mortaliter peccasse, qui alienas vineas circumcursando racemorum multitudinem collegit; qui mensuras aut pondera falsando, vel de pecuniis abscindendo, duobus v.g. aureis defraudauit. Eum verò non ita facilè iudicabis mortaliter peccasse, qui hodie à Titio non valde diuite duos pazios furatus est, & absumpsit; ac deinceps abstinere proposuit: Post tres verò dies nactus occasionem, iterum duos pazios eidem, vel alteri abstulit: eóque modo sæpius, quamuis abstinere proposuerit, vel etiam peccatum confessus fuerit, opportunitate tamen maláque propensione superatus, ad summam vnius denique nostratis floreni peruenit. Ratio discriminis est, quòd in prioribus casibus vnicum sit malignum propositum, cuius obiectum quia graue est, à culpa mortali non excusatur. In posteriore casu autem, non vnicum animi propositum manet: reuocatum enim est per pœnitentiam: quare neque vnum peccatum est, sed plura, eáque venialia. Si tamen sæpius, etiam post pœnitentiam furando duos pazios ab homine non admodum diuite, denique quis perueniat ad damnum valde notabile, v. g. trium florenorum, mortalem culpam non effugiet.

Tertium. Siue ab vno, siue à pluribus fureris, maiore quantitate opus est ad peccatum mortale, si furta modica per maiora temporum interualla fiant. Quare, si famulus subinde subtrahendo numum, vel crucigerum, quatuor annorum spatio perueniat ad vnius aurei ducati quantitatem, non arbitror mortalis peccati damnandum esse. Partim, quod furta tanto temporum interuallo repetita non contineant vnius & eiusdem damni habitudinem: partim quòd dominus non tam inuitus sit, paruas quantitates, præsertim à domesticis, per temporum interualla sibi auferri, quàm semel vnā magnam. Quòd si à pluribus per temporum interualla, absque ditescendi prosito, furta fiant, etiam duo vel tres aurei non sufficient ad peccatum mortiferum furti. Lege Molin.disp.689. Sanchez cit.c.21.n.10. Rebellum p. 1. de iustit. lib.3.q.15.l.4.n.37.

Quartum. Si hodie aliquis à Titio sex crucigeros furetur, à quo etiam antea sæpius furatus erat, sed eidem restituit; tunc furtum hoc sex crucigerorum ad furta præcedentia ordinem non habet, neque ex illis aggrauatur; sed tantùm veniale est, sicuti notauit Molina, & Rebellus locis citatis, Less. l. 2. c. 12. dub. 8. Item, si quis antè furatus à Titio materiam non notabilem, nunc iterum tantundem furetur, ita vt materia notabilis fiat: si tamen accipiat cum certo proposito, saltem partem eidem mox restituendi, non videtur mortaliter peccare: cùm non habeat voluntatem damnum notabile efficaciter inferendi. Quod etiam significat P. Nau. lib. 2. c. 3. n. 60. Sanchez n. 8. & 9.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum sit peccatum ob necessitatem aliquid auferre? Resp. & dico I. Qui extrema, aut pene extrema necessitate coactus, rem alienam accipit ad vtendum, fruendum, absumendum, furtum non committit, neque peccat. Ita S. Thom. communiter receptus 2. 2. q. 66. a. 7. ad 2. Ratio est, quòd alioquin rerum communium diuisio, iure gentium introducta, iniqua foret, nisi ea tacita conditione facta esset, vt tamen in extrema necessitate omnia communia essent, id est, cuilibet integrum maneret ius naturale, ad accipiendum vel vsurpandum ea, quibus extremè indiget: quare S. Th. loco suprà cit. ait: *Per talem necessitatem* (extremam) *efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.* Excipe: Nisi ille à quo aufertur, in pari necessitate constitutus sit. Nam in pari causa melior esse debet possidentis conditio. Sin verò tu ante acceperas, quàm in extremam necessitatem deuenisti, tunc superueniente tali necessitate absumere potes, nihil obstante, quòd rei pristinus dominus in simili necessitate positus sit, sicuti docet Tol. lib. de peccatis mortal. c. 39. Less. lib. 2. c. 16. n. 14. vbi addunt; Etiam parentes, liberos, quin & fratres, in tali casu domino, vel creditori præferri posse. Præterea, si nec ego, nec dominus in possessione rei tunc sumus, cùm ad necessitatem extremam deuenimus; licitum est mihi, dominum præueniendo, rem, qua indigeo, capere atque absumere, sicuti docet Maior in 4. d. 15. q. 9. §. secundò arguitur, licet aliter Scotus ibid. quæst. 2. & Gabr. q. 2. art. 2. Ratio nostræ doctrinæ est; Quia in extrema necessitate omnia communia censentur, ideóque primo occupatori cedunt.

Dico II. Qui rem ablatā, vel apud se depositam, commodatam, &c. vrgente extrema necessitate absumpsit, nihil restituere debet, postquam ad meliorem fortunam peruenit. Ita significant S. Th. cit. a. 7. ad. 2. Richar. in 4. d. 37. a. 3. q. 4. cùm aiunt, indigentem in tali casu accipere, quod suum est de iure naturæ: & expressè assertionem istam docent Angelus ver. furtum, §. 37. Syl. ver. furtum, q. 5. & ver. eleemosyna in fine, Clarus l. 5. sent. §. furtum, n. 25. P. Nau. l. 4. c. 4. n. 24. contra Scotum in 4. d. 15. q. 2. a. 4. resp ad argum. Adr. in 4. de restit. §. Quia dictum est de lucro, Nau. c. 17. n. 61. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 1. n. 4. Medinam C. de restitut. q. 3. in princ. Less. l. 2. c. 16. n. 6. Cùm enim rem auferendo non peccauerit, non tenetur ratione iniustæ acceptionis: & cùm rem ablatam ob necessitatem bona fide, imò tanquam dominus eius factus, absumpserit, non tenetur ratione rei acceptæ; adeóque ex neutro capite, vnde restituendi obligationem oriri præced. tract. dictum est. Qua simili ratione colligitur; Si quis merces alienas in mare abijciat, ne ipsemet pereat, non teneri ad vllam restitutionem: cùm nec iniuriam intulerit, nec rem alienam possideat. Qua de re Medina C. de restit. q. 3. in 1. causa, §. secundò. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 382. Vide etiam l. 1. §. cùm in eadem, ff. ad l. Rhodiam de iactu, vbi secundùm naturalem æquitatem decernitur, iacturam istam ab

omnibus vectoribus præſtandam, ſecundùm proportionem æſtimationis rerum, quas ſinguli in naui portāt.

Quædam addenda ſunt circa ablationem rei in neceſſitate extrema. Primum: Etſi conuenit, eum, qui extremam neceſſitatem patitur, priùs poſtulare, quàm auferre; tamen mortaliter non peccat, qui eiuſce ordinem prætermittit, modò ſcandalum abſit. Quia non peccatur quoad rem ablatam, ſed tantùm quoad modum auferendi. Ita notauit Leſſ. c. 12. dub. 12.

Alterum. In caſu, quo extremè laboranti nemo dare vult, quiuis alius, ſi ex proprio ſubuenire nequit, aliena accipere poteſt, quibus miſero ſubueniatur, vti docet S. Th. cit. a. 7. ad 3.

Tertium. Eatenus tantùm poteſt miſer rem alienam abſque peccato & reſtituendi obligatione abſumere, quatenus extremè indiget: Quare, ſi quis famis neceſſitate adactus, alienam v.g. vaccam abigat, & fructibus ex ea perceptis, ſalua rei ſubſtantia, vitam ſuam vtcunque ſuſtentare poſſit; ipſam vaccam abſumere ipſi non licet. II. Tametſi diues homini extrema patienti iniuriam inferat, ſi neceſſaria neget; cùm ipſi naturali iure debeantur: tranſacta tamen illa neceſſitate debitum extinguitur, neque reſtituendi aliqua obligatio permanet. Quemadmodū etiam filius ex naturali iuſtitia ſeu pietate obligatur ad parentem inopem alendum, ita vt ſi alimenta neget, impius & iniurioſus ſit; non tamen reſtituendi obligationem contrahit: quia eiuſmodi debita naturalia ac legalia ſolùm durant, durante neceſſitate. Si tamen propterea, quòd filius patri inopi alimenta negârat, aliud pater damnum incurrit; ſimiliterque, ſi propterea, quòd diues pauperi extremè indigenti neceſſaria negauit, pauper mortuus eſt; ſecundùm rigorem iuſtitiæ vterque ad compenſationem damni obligatur, quippe cuius cauſa iniuſta extitit. Quod dico, ſecundùm probabilem ſententiam, quam doctè tradidit Franc. Sarmientus de redit. Eccleſ. p. 3. cap. 4. nu. 3. eamque ſecutus ſum ſuprà lib. 1. tr. 2. c. 3. n. 8. Diuitem contra iuſtitiam peccare, ſi pauperi in extrema famis neceſſitate non ſubueniat, ſed mori ſinat. Quia pauper in tali caſu habet ius petendi panem, quem diues poſſidet; & miſer ille vel expreſsè, vel virtualiter poſtulat: conſequenter ei iniuria infertur, denegando: quia contrauenitur iuri ejus: licet contrarium doceat Suar. de Charitate diſp. 7. ſ. 6. n. 2.

8 Dico III. Etſi non deſunt Doctores, vt Angel. ver. furtum §. 37. Syl. q. 5. dicto 2. Nau. c. 17. n. 5. P. Nau. lib. 5. c. 1. n. 375. Sa ver. furtum, n. 1. Leſſ. c. 12. dub. 12. n. 71. arbitrantes, etiam in graui ſiue magna neceſſitate rem alienam accipere conceſſum eſſe: Cùm enim diues, inquiunt illi, tali caſu ex lege charitatis obligatus ſit ad largiendum, immeritò inuitus eſt, ſi, eo non largiente, clam auferatur. Contraria tamen ſententia communior & probabilior eſt Adriani l. c. ver. circa prædicta, Ioan. Maioris in 4. d. 15. q. 9. §. tertiò arguitur, Soti lib. 5. q. 3. a. 4. Caiet. 2. 2. q. 66. a. 7. Couar. reg. peccatum, p. 2. § 1. Sairi l. 9. clauis reg. c. 14. dub. 7. Valent. t. 3. diſp. 5. q. 10. p. 5. Turriani 2. 2. diſ. 82. dub. 8. Ratio eſt, quia conſtitutus in graui neceſſitate non habet ius propria auctoritate rem alienam accipiendi: ergo iniuriam infert, ſi accipiat, & dominus meritò inuitus eſt. At verò qui in extrema neceſſitate verſatur, is ius accipiendi habet, reique ita acceptæ dominium ſibi comparat. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur; Diuitem non ex lege iuſtitiæ, ſed ex ſola charitate obligari ad tribuendum pauperi conſtituto in neceſſitate graui: talis autem obligatio non parit ius exigendi, vel accipiendi.

+ Moneo tamen primò: Non facilè mortalis peccati eum damnandum eſſe, qui à diuite, præſertim non rogato, clam aufert, quod ad grauem ſuam neceſſitatem neceſſarium eſt: partim ob auctoritatem DD. prioris ſententiæ; partim quia negari non poteſt, circumſtan-

t Ista admi[illegible] authorum probabile, licitum esse furari in graui necesitate, qd damnatum est a S. D. Inn. 11.

tiam neceſſitatis multùm de malitiâ furti minuere: cùm etiam dominus, cui aufertur, minùs inuitus tunc eſſe poſſit. Idque ſignificatur in c. ſi quis, de furtis, & in c. ſicut, d. 47. ait S. Ambroſius: Quòd eſurientium panis ſit, quem diues detinet, & Gl. ibi monet: Licet pauperes actionem directam non habeant ad petenda ſibi neceſſaria; poſſe tamen eos implorare officium Iudicis Eccleſiaſtici, vt cogantur diuites ad largiendum, ſicuti notauit etiam Abb. in c. 1. n. 7. de empt. Adr. in 4. de reſtit. q. 1. ad 4. Syl. ver. eleemoſyna in fine, Nau. de redit. Eccleſiaſt. q. 2. mon. 6. vbi generaliter ait: quòd naturali æquitate, aut ſola charitate obligatus ad faciendum aliquid, Iudicis officio compelli poſſit.

Moneo ſecundò. Licet ob neceſſitatem grauem fas non ſit rem alienam auferre; tamen rei iam habitæ reſtitutionem differre ob ſimilem neceſſitatem licitum eſſe videtur, ſicuti dixi ſuper. tract. c. vlt. n. 1. Quia plus eſt rem alienam auferre, quàm debitum non reſtituere: cū illud omnino repugnet præcepto negatiuo; hoc autē aliquid participet de præcepto affirmatiuo. Etenim in præcepto reſtituendi continetur actus poſitiuus, à quo per moralem impoſſibilitatē excuſamur. Accedit, quòd differendo rei debitæ reſtitutionem, parum adimitur creditori: quod enim differtur, id non aufertur.

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum creditor debitum ſuum propria auctoritate ſibi vendicare, aut retinere poſſit? 9
Reſpondeo, Si debitum certum ac liquidum ſit, nec alia ratione, puta extra, vel intra iudicium petendo, moraliter recuperari poſſit, per ſe loquendo, illicitum non eſt, propria auctoritate illud, vel eius equiualēs occultè accipere. Ita Gl. in cit. c. ius gentium, d. 1. S. Th. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 5. Abb. in c. ſicut, n. 14. & 15. de iureiur. Adr. l. c. Lopez p. 2. inſtruct. c. 8. Medina C. de reſtit. qu. 3. cauſa 12. Nau. in man. c. 17. n. 112. Syl. ver. furtum, q. 13. Mol. diſp. 691. Leſſ. lib. 2. cap. 12. dub. 10. & alij communiter.

Explicatur reſponſio particulatim: Primò, Si debitum incertum ſit, propria auctoritate accipi ſine iniuria non poteſt: quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis. Secundò, Si alio conuenientiore modo, videl. petendo à creditore; vel Iudicis officium implorando, debitum facilè conſequi poſſis; peccas quidem tranſgrediendo ordinem à iure conſtitutum, iuxta l. vn. C. Ne quis in ſua cauſa, &c. furtum tamen, vel iniuſtitiæ crimen non committis, ſicuti notat S. Th. communiter receptus in cit. a. 5. ad 3. Tertiò, Per accidens id aliquando illicitum erit, ob periculum ſcandali, vel propriæ infamiæ; ne fortè deprehenſus, in foro externo fur cenſearis; aut tanquam rei alienæ violentus inuaſor puniaris, ſicuti Abb. & S. Th. ll. cc. annotarunt. Deinde, ſi periculum ſit, ne creditor, eiúſue hæredes huius rei ignari iterum ſoluant, monendi erunt (ſi id fieri poſſit) debito ſatisfactum eſſe, vel remitti, ſicuti monet S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 15. §. 1. Nau. n. 113. Quartò, Compenſatio iſta fieri debet in eadem ſpecie, vel eodem genere debiti: nec poteſt pro empto & non tradito Bucephalo accipi Xanthus; aut pro pecunia debita accipi oleum; aut pro debito oleo frumentum. Si autem in eadem ſpecie, vel eodem genere rerum viu conſumptibilium compenſatio fieri nequeat, in conſcientiæ foro fieri etiam poteſt in quibuſcunque rebus aliis, ſeruata æqualitate: Exempli cauſa, ſi debitos tibi ſex florenos recuperare non poſſis, accipias eiuſdem valoris frumenti ſcapham, vel vini amphoram: Si æquam tibi debitum conſequi non poſſis, accipias pecuniam, quanti ille æſtimatur. Ita annotauit P. Nau. l. 3. c. 1. n. 398. Vaſq. in moral. de reſtit. c. 5. § 1. dub. 8. & videri poſſunt quæ dixi tract. præced. c. 9. n. 9.

Atque hinc exiſtit ſolutio queſtionis frequēter occurrentis: Videlicet, + Famulos occulta compenſatione vti poſſe, ſi liquidò conſtet de inæqualitate ſtipendij, comparatione laborum atque vtilitatis, quam dominis ſuis præſtant, ſicuti docet Nauar. lib. 3. conſil. 1. de locato, 10

+ [illegible] damnata est a S. D. Inn. 11.

lib. 5. consil. 1. de iniuriis, edit. 2. Lopez p. 2. instruct. cap. 8. Licent. Diez lib. 1. var. qq. q. 8. §. 2. Less. l. c. n. 63. Mol. tr. 2. to. 3. priore disp. 506. & 548. Nam sicuti qui mercem necessitate v. g. coactus, minoris iusto vendidit, in conscientiæ foro pretij defectum, quem donandi animus non fuit, exigere potest; ita etiam famulus stipendij defectum, si ob necessitatem, ob errorem, vel similem causam, operam suam minoris iusto locauit. Idémque in hoc casu dicendum, si manifestum sit, quòd dominus famulis & famulabus, considerato eorum, labore, consuetudine loci, &c. non præbeat victum sufficientem; atque illi alia ratione, videlicet dominum rogando, monendo, quod debitum sibi esset, consequi non possint; occulta aliqua compensatione vti, concessum ipsis esse, sicuti notauit Mol. cit. disp. 506. col. 5. §. illud est obseruandum.

Veruntamen, quod attinet ad famulos, præsertim nobilium personarum, & Principum Officiales, aduertendum insuper est, varias posse esse causas, cur dominus cum famulo minus stipendium paciscatur. I. Quia expressè, vel tacitè promittit, se, obsequio diligenter præstito, remuneraturum, ad maiora promoturum. tunc famulus occulta compensatione vti non potest, quamdiu probabilis spes affulget, dominum promissioni satisfacturum. II. Quia Famulus non totam operam domino impendit, sed interim etiam permittitur artem aliquam addiscere, vel aliud quippiam commodi sibimet acquirere, sicuti notauit Nauar. n. 109. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 410. III. Quia Dominus famuli opera non multùm indigebat; sed rogatus eundem conduxit: Tunc conqueri facilè non potest de stipendij exiguitate: nam sicuti merces, ita & operæ vltroneæ vilescunt. qua de re Diez concl. 2. & 3. IV. Quia tametsi opera famuli dominus indigebat, multi tamen aderant, qui eandem conditionem libenter acceptassent: & nunc quoque, si officio famulus discederet, plures reperientur, qui, eodem stipendio siue salario, suscepturi erunt. Neque hoc casu stipendium minus iusto videri debet: quia sicut multitudo vendentium mercis pretium minuit, ita & multitudo operam locantium quantitatem stipendij siue mercedis, sicuti docent Nauar. l. cap. Mol. tom. 1. tract. 2. disput. 83. Vasq. de restit. cap. 5. §. 1. dub. 10. Less. cit. dub. 10. in fine. Interim tamen rectè monet Nauar. in cit. consil. 1. de iniur. n. 14. Non ideo semper salarium seu mercedem iustam effici: quia si vnus accipere nolit, alter non deerit, qui accipiat: cum posterioris acceptatio ex mera necessitate, non ex æquitate rei acceptæ prouenire possit.

11 Pœna simplici furto statuta vna ciuilis est, vt fur occultus, præter rem ablatam, in duplum; fur manifestus in quadruplum condemnetur, pœnaque hæc, post Iudicis sententiam, domino applicetur, sicut constat ex §. ex maleficiis, Instit. de action. iuncto §. vlt. de obligat. ex delicto. Verùm hæc actio in duplum, vel quadruplum vix ampliùs in vsu est: Sed rei dominus, eiúsque hæredes agere solent aduersus furem, eiúsque hæredes condictione furtiua, ad recuperandum non solùm rem ipsam, eiúsue æstimationem; sed etiam omne damnum, & lucrum cessans. Sin verò res furtiua penes alterum possessorem extet, tunc simplici rei vendicatione repeti potest.

Altera est pœna criminalis, quæ licet ex iure Authent. Vt nulli Iudicum, &c. cap. vlt. citra mutilationem, vel mortem, arbitraria esse debeat; *pro furto nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter castigari.* Lege tamen Carolina ob tertium furtum, suspendium decretum est, sicuti videre licet apud Couar. 2. resolut. cap. 9. num. 7. Quod intelligi debet de furtis materiæ notabilis, quæ ad mortale peccatum sufficiat, teste Mol. tract. 2. tom. 3. post. disp. 695. §. in regno. Nihilominus iusta esse potest constitutio, vel consuetudo, quæ pro vno simplici etiam furto magnæ quantitatis, pœnam mortis, vel mutilationis decernit, teste Couar. & Mol. ll. cc. Claro 5. sent. §. furtum, num. 8. Multò magis si sit furtum sacrilegum, de quo videri potest l. sacrilegij, & l. sacrilegi, ff. ad l. Iuliam peculatus, & l. aut facta, ff. de pœnis, vbi Claudius Saturninus in criminibus puniendis septem consideranda esse admonet, quæ sunt: *causa, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, euentus.* & in fine ait; *Euenit, vt eadem scelera in quibusdam prouinciis grauiùs plectantur, vt in Africa messium incensores; in Mysia vitium; vbi metalla sunt, adulteratores monetæ. Euenit* quoque, *vt aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus est.*

CAP. II.

De Rapina.

SVMMARIVM.

1 *Rapina est acceptio rei alienæ per vim.*
2 *Vis iniusta alia publica est, videlicet quæ armis fit: & alia priuata.*
3 *Rapina à furto specie distinguitur.*
4 *Extorquere aliquid per metum iniustum, rapinæ species est.*

Rapina propriè & strictè accepta definitur ex l. 1. C. de vi bonorum raptorum, & c. pœnale, 14. q. 5. *Acceptio rei alienæ, per vim.* In qua definitione nomen *rei* ita accipi debet, vt personas non comprehendat: Nam raptus mulieris v. g. licet species quædam rapinæ sit; censetur tamen crimen diuersum à rapina, sicut hîc pressè accipitur. 1

Deinde Iureconsulti volunt, rapinem esse tantùm rei mobilis, puta pecuniæ, vini, vaccæ, &c. ideóque prædonem distinguià raptore; quòd raptor (quemadmodum & fur) rerum tantùm mobilium sit, prædo etiam immobilium, teste Abb. c. 1. de raptor. Syluest. ver. rapina. Verùm à Theologis, & in conscientiæ foro discrimina hæc non ita attenduntur.

Quod additur, *per vim*, distinguit rapinam à furto. Rapina enim hanc specialem malitiam in se continet, quòd per eam domino videnti, rémque suam seruare volenti violentia, adeóque specialis iniuria atque contemptus infertur.

Vis iniusta alia publica est, & alia priuata. Vis publica dicitur, quæ cum armis, id est, quocunque eorum quæ corpori nocere possunt, palam infertur, l. 1. l. armatos, ff. ad l. Iuliam de vi publica. Vis verò priuata, quæ sine armis, alio modo infertur, l. si quis aliquem, ff. ad l. Iuliam de vi priuata. Porrò de vi publica etiam tenetur, qui ex incendio aliquid rapuerit, præter materiam lignorum, & similium: Qui puerum, vel fœminam stuprauerit: Qui hominem dolo malo incluserit, obsederit; quive fecerit, quominus sepeliatur: Qui fecerit, quo minùs iudicia tutò exerceantur; aut Iudices, vti oportet, iudicent: item publicanus, si nouum vectigal, id est, plus, quàm debeatur, nomine tributi exigat; sicuti videre est cit. tit. ff. ad l. Iuliam de vi publica. 2

Consentiunt ferme Doctores: Rapinam à crimine furti specie distingui in genere moris, S. Thom. 2. 2. q. 66. a. 4. Caiet. ibid. Sotus lib. 5. de iustit. q. 3. a. 2. Less. cap. 12. dub. 2. licet dubitet Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 1. ante 6. notandum. Probari solet: Vbi est diuersa ratio inuoluntarij, inde oritur diuersa species iniustitiæ: Sed in 3

furto diuerſa ratio inuoluntarij reperitur, quàm in rapina. Ergo furtum & rapina ſunt diuerſæ ſpecies iniuſtitiæ. Maior ex eo probatur, quòd inuitum, ſiue inuoluntarium in ratione formali obiecti iniuſtitiæ includatur: ſiquidem volenti iniuria fieri non poteſt, ſicuti notauit Ariſt. 5. Ethic. c. 9. Minor declaratur: Nam aliud eſt inuoluntarium ob ignorantiam, aliud verò eſt inuolũtarium ob coactionem, teſte eod. Ariſt. 3. Eth. c. 1. Furtum autem fieri ſolet domino ignorante; rapina autem domino vidente ac vim patiente. Ergo, &c.

Aliter, & ad praxin magis accommodatè explicant Pet. Nau. lib. 3. c. 1. num. 19. Mol. tract. 2. tom. 3. poſt. diſp. 683. Rapina, præter iniuſtitiam furti, verſantem circa bona proximi, continet in ſe alium iniuſtitiæ modum ſiue ſpeciem, verſantem, circa proximi honorem. Nam vim alicui inferre in bonis ſuis, ſpecies quædam eſt realis contumeliæ, vt infrà dicam. Quare fieri poteſt, vt aliquis à perſona illuſtri rem exiguam per vim auferens, venialiter tantùm delinquat in genere furti; mortaliter autem in genere contumeliæ: Vel contrà, venialiter tantùm in genere realis cõtumeliæ, ſi violentia notabilis non ſit, neque valde repugnans dignitati perſonæ; mortaliter tamen in genere furti, ſi res non modica ſit. Exemplum habes, ſi miles, inſpiciente agricola, duas vel tres gallinas iniuſtè rapiat.

Denique ex dictis colligitur; Ad rapinam pertinere,
4 ſi quis per metum, iniuſtè incuſſum, aliquid ab altero extorqueat. Exempla ſunt I. Quod latro mortis metu intentato accipit. II. Iniuſtæ tributorum exactiones, quæ à potentibus fiunt. III. Si publici miniſtri aliquid ſibi poſtulent, quod rogati, ob metum, recuſare non audent. Idque dicitur crimen concuſſionis, apud Richard. in 4. diſtinct. 25. a. 3. quæſt. 2. in fine, ex S. Auguſt. de ver. Domini, ſermon. 19. relato in cap. militare, 23. quæſt. 1. *Quicunque ſibi ſtipendia publicè decreta conſequitur, ſi ampliùs quærit, tanquam calumniator & concuſſor Joannis ſententiâ Luc. 3. condemnatur.* IV. Si alterum cogas ad inæqualem contractum tecum ineundum, arg. l. qui cœtu, ff. ad l. Iuliam de vi publica.

CAP. III.

De tributis, & vectigalibus, eorundémque defraudatione.

SVMMARIVM.

1 *Tributum eſt penſio, quæ ſubditis imponitur, Magiſtratui ſoluenda, vt dignitatem & onera Reipubl. ſuſtinere poßit.*
Tributum diuiditur in ordinarium, & extraordinarium.
2 *Ad iuſtitiam tributi, aut vectigalis tria requiruntur: Legitima imponentis auctoritas: Cauſa iuſta: Modus impoſitionis, vt ſecundùm cuiuſque facultates fiat.*
3 *Etiam ijs rebus, quæ ad neceſſarium familiæ vſum inuehuntur, vectigal ſtatui poteſt, vbi conſuetudo obtinuit.*
4 *Tributum directè à ſubditis exigitur; indirectè verò, & per accidens etiam ab extraneis.*
5 *Si vectigal, aut tributum iuſtum exiſtimetur, ſolui debet; etſi Officialis per errorem, vel ſimilem cauſam non exigat: ſecùs; ſi putetur iniuſtum, vel ſi de eius iuſtitia non immeritò dubitetur.*
6 *Officiales iuſſi exigere tributum, de quo dubitatur an iuſtum, parere non prohibentur: ſed Conſiliarij impoſitionem, vel auctionem tributi ſuadere non poſſunt, niſi eius iuſtitiam affirmatiuè cognoſcant.*
7 *Officiales cum pauperibus quandoque diſsimulare poſſunt.*
8 *Si Princeps, vel Magiſtratus populum tributo iniuſto grauet, reſtituendi obligationem contrahit.*

TRibutum, ſi latè accipiatur, ſignificat omne id, quod Principi, vel Reipub. penditur, ad onera communia ſuſtinenda. Qua acceptione comprehendit etiam vectigal, id eſt, quod pro rebus in ciuitatem, vel prouinciam inuectis, vel auectis ſoluitur; aliàs *portatorium* appellatur, l. omnibus, Cod. de vectigalibus: A Summiſtis *gabella* dicitur. Ei valde ſimilis eſt penſio illa, quæ Principi, vel Magiſtratui ſoluitur ex rebus venditis mobilibus, vel immobilibus, & apud Hiſpanos eſt decima pars pretij, teſte Couarruu. reg. peccatum, p. 2. §. 5. num. 1. Antiquitus verò erat pars octaua, ſicut colligitur ex l. 2. Cod. de Eunuchis, & l. ex præſtatione, C. de vectigalibus. Pedagium verò dici ſolet, quod à tranſeuntibus, vel equitantibus ſoluitur pro pontis conſeruatione, viæ cuſtodia, &c.

At verò tributum, ſi ſtrictè accipiatur, & quatenus 1
à vectigali, & pedagio diſtinguitur, eſt penſio, quæ ſubditis imponitur, Principi, vel Magiſtratui ſoluenda, vt & ſtatum ac dignitatem ſuam tueri, & communibus neceſſitatibus ac vtilitatibus proſpicere poſſit. Duplex eſt tributum: Vnum, quod ſingulis capitibus ſiue perſonis imponitur, non facultatum propotione, quod ſanè conſtat debere eſſe exiguum quiddam, & ferme tantùm in recognitionem dominij imperatum, idque *capitatio* dici ſolet, l. vnic. Cod. de capitatione ciuium. Alterum eſt tributum frequentiùs vſitatum, quod, ſecundùm propriarum facultatum æſtimationem, à ſubditis ſoluitur. Idque iterum duplex eſt: Vnum ordinarium, quod certam, & quot annis recurrentem, ex communi lege antiqua, vel noua, præſtationem continet. Alterum extraordinarium, quod propter ſuperuenientem cauſam, ſiue neceſſitatem extraordinariè imperatur, & dici ſolet *collecta*, ſeu *tallia*. Omitto autem hoc loco dicere de tributis ſeu penſionibus merè realibus, ſiue quæ fundis & poſſeſſionibus ex pacto cenſuali, feudali, vel alio ſimili inhærent; ideóque à quibuſuis earum poſſeſſoribus, etſi alioquin non ſubditis, ſolui debent, ſicuti dicam ſeq. tractat. 9. cap. 6. num. 4. & 5. Videri poteſt Suarez lib. 5. de legib. cap. 15.

QVAESTIO PRIMA. Quæ conditiones neceſſariò requiſitæ ſint, vt tributa & vectigalia iuſta cenſeantur? Reſp. cum Med. C. de reſtit. q. 13. Alphonſ. à Caſtro lib. 1. de lege pœnali, c. 9. Leſſ. lib. 2. cap. 33. dub. 1. Tres potiſſimùm requiri: Prima eſt; Vt legitima auctoritate impoſita ſint, iuxta cap. ſuper quibuſdam, de verb. ſignificat. Videlicet, ab Imperatore, Rege, aut alio Magiſtratu in terris ſuis ſuperiorem non agnoſcente: item ab iis, qui à ſupremo Principe, vel legitimè præſcripta conſuetudine, poteſtatem hanc vectigalia, & tributa imponendi conſecuti ſunt. Porrò, qui abſque legitima auctoritate in ſuis terris nouas gabellas imponunt, vel veteres augent; & qui tales exigunt; præter reſtituendi obligationem, incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quam explicat Nauar. cap. 27. num. 61. & adde c. quanquam, de cenſibus in 6. Vide etiam Gabr. in 4. d. 15. q. 5. a. 3. Alphonſ. à Caſtro lib. 1. de lege pœnali, c. 10. Mol. tract. 2. tom. 3. priore, diſp. 666. & Canoniſtas in cit. c. ſuper quibuſdam. 2

Cur autem vectigalis & tributi impoſitio inter regalia numerari debeat, iuxta lib. 2. feudor. c. 56. Quæ ſint regaliæ; rationem affert Leſſ. dub. 2. num. 13. Quia Principes, ſeu Magiſtratus ſupremi à ſubditis accipere debent ſumptus neceſſarios; Proreges verò, Duces, & Gubernatores ab ipſis Principibus, à quibus conſtituuntur, ac dependent.

Altera conditio eſt: Iuſtitia cauſæ, quæ inprimis eſt Principis ſuſtentatio, conſideratu, dignitate, ac meritis eius in Rempubl. Deinde neceſſitas, vel magna Reipublicæ vtilitas, cui alia ratione ſubueniri non poſſit. In ſpecie autem numeratas cauſas tributum imponendi legere potes apud Gabr. in 4. diſput. 15. quæſt. 5. a. 3. concluſ. 3. S. Anton. part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2. Addit verò Caietan. ver. vectigalia iniqua, Neceſſarium quoque eſſe, vt vectigalia, & tributa ad eum vſum, videlicet publicum applicentur, cuius cauſa exiguntur: &, ſi cauſa

temporaria sit, ea cessante, cesset etiam exactio: quod etiam docet Angelus ver. pedagium, §.6. Medin. quæst. 13. Cod. de restitut. Caietan. ver. vectigalia, Less. dub. 6. num. 42. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 1. num. 255. vbi ait: Si aliter fiat, *tunc necessitas publica assumitur pro forma; reipsa verò fraus est, & rapina, pauperúmque oppressio.* Quod maximè locum habet in vectigalibus, & tributis nouis, quorum causa, an, & qualis fuerit, cognoscitur, vel facilè coniectari potest.

Sed monendi hîc sumus primò: Si tributum in perpetuum impositum fuit, propter obligationem Principi incumbentem, v. g. vt mare à piratis defendat; etiamsi aliquamdiu cesset piratarum incursio, nihilominus exigi posse tributum; quia paratus ille esse debet futuro tempore, si maior hostium incursus futurus est, maiores sumptus facere, sicuti notauit Molin. tom. 3. priore, disp. 667.

Secundò monendi sumus: Licet imposito tributo ob causam extraordinariam, ac temporaneam, necessitas expensarum in eo opere cesset; tamen fieri interdum posse, vt loco eius aliæ æquiualentes necessitates occurrant, ob quas prius illud tributum adhuc durare possit. Quamobrem, vt in hac re æqualitas seruetur, non debet etiam Princeps quauis postea occurrente occasione nouum tributum imponere, aut consuetum augere; si, quæ priùs imposita sunt, sufficere possint ad nouas sumptuum faciendorum necessitates, sicuti notat Petr. Nau. lib 3. c. 1. num. 261. Suar. lib. 5. de legib. c. 15. num. 7. & videri potest Alphons. à Castro lib. 1. de lege pœnali, cap. 11.

Tertiò monet Syluester ibid. 4. q. 3. Licet Princeps, vel Magistratus subditis tributum imponere, vel impositum augere non possit, si fiscus ad publica onera sustinenda, & Reipublicæ pericula auertenda sufficiat; non tamen censendum esse sufficere, *quando Princeps non potest se defendere, aut publicum bonum procurare, nisi ita se depauperet, vt nihil remaneat, quo iuuari possit, si iterum intra breue tempus ab aduersariis inuaderetur: maximè si multos insidiatores habeat: tunc enim necessarius est thesaurus, eò quod aduersarij id scientes, magis timent, ideóque magis pacificè viuitur.* Quæ doctrina vera est, dummodo periculum rationabiliter in futurum timeatur, & non ad tegendam auaritiam prætendatur. Vide etiam, quæ pro defensione Principum, maiora interdum tributa exigentium ad debellandos hæreticos, & infideles, tradit Vasq. in moralibus, tract. de restit. c. 5. §. 3. dub. 1. & cap. 6. §. 3. num. 55.

Denique si tributum, aut vectigal antiquum sit, quod à tempore, cuius initij memoria non extet, sine murmure ac querela populi exactum fuit, præsumptio est pro iustitia causæ ac tituli; adeò, vt tametsi constet, primam imponendi causam postea mutatam fuisse, præsumendum tamen sit, aliam loco eius successisse, v. g. merita singularia Principis, quæ ipsi compensari debeant, sicuti annotauit Syl. ver. gabella, 2. q. 6. Med. cit. q. 13. §. de veteribus, Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. in fine, Less. dub. 7. in fine, Mol. tom. 3. priore, disp. 674. Suarez cit. c. 15. num. 8. & sumitur ex c. super quibusdam, de verb. signif. iun. Gl. ver. non extat memoria.

Tertia conditio est: Modus siue forma tributi, vt videlicet exactio seu contributio non nimia sit, sed moderata, iuxta mensuram causæ, seu finis, ob quem contribui debet; atque secundùm proportionem facultatum singulorum, vt non alij plùs, alij minùs grauentur, quàm iustum sit. Et quod dico de exactione tributi, similiter intelligi debet de compulsione ciuium ad mutuandum Principi, v. g. bellum iustum gesturo, qua de re Maior in 4. d. 15. q. 34.

3 Caietanus in sum. ver. vectigalia, præter dictas tres conditiones, aliam adfert ex parte materiæ; vt non iis rebus vectigal imponatur, quæ ad vsum necessarium familiæ alendæ, aut ruris colendi; sed quæ negotiationis, vel simili causa inuehuntur, aut euehuntur, iuxta l. vniuersi, C. de vectigal. Verùm hæc conditio, licet iuri communi conformis sit, & pluribus locis obseruetur; non tamen adeò necessaria est, vt contrarium iustam ob causam à Principe, seu Magistratu statui, vel consuetudine introduci non possit, sicuti contra Angelum ver. pedagium, §. 3. docet Nau. c. 17. num. 203. Syl. ver. gabella, 3. q. 5. S. Anton. 2. p. tom. 1. c. 13. prope finem, Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. in fine, Less. cit. c. 13. dub. 7. Suarez lib. 5. de legibus, cap. 16. num. 3. Mol. tra. 2. tom. 3. priore, disp. 669. Excepto, si pauperes emant aliqua, quæ præcisè necessaria sunt ad subleuandam suam vel suorum inopiam: tunc naturalis æquitas non permittit, aliquid ab iis exigi, sicuti notat P. Nau. lib. 3. c. 1. num. 236.

Qvæstio secvnda. A quibus tributa, & vectigalia iustè exigi possint? Respondeo. Directè ferme tantùm à subditis. Nam tributum pendere signum subiectionis est, sicuti indicat Apost. ad Rom. 13. Datur enim Principi, siue Magistratui, vt bonum statum Reipublicæ tueri possit. quod eorum interest tantùm, qui eiusdem Reipublicæ membra sunt. Veruntamen ab exteris quoque ac non subditis fieri solet exactio vectigalis, seu tributi, plerumque indirectè ac per accidens. 4
Primò: Qui merces in regionem inuehunt, coguntur vectigal soluere. quæ tamen exactio secùdùm effectum in subditos redundat, quibus tantò cariùs merces postea venduntur, sicuti annotauit Molin. tom. 3. priore, disp. 669. Secundò: Si vectigal, vel similis exactio imposita sit super vino, frumento, aliisque fructibus, & mercibus, quæ in tui regione venduntur, tum etiam extranei, seu alienigenæ (sicuti & Clerici) indirectè grauantur; vt si ibi emere velint, pari cum incolis iure vtantur secundùm pretium consuetum, sicuti notauit Syl. ver. immunitas, 1. in fine, Mol. loc. cit. Tertiò: Exteri, qui merces ex regione euehunt, soluere coguntur gabellam, seu vectigal; partim propter ius mercimonij, seu negotiationis, quod ipsis in aliena terra conceditur: partim propter expensas pontium, viarum, & securitatis præstandæ obligationem, quę domino loci incumbit; sicuti notauit idem Syluest. ver. gabella 3. num. 18. & 19. Ioach. Myning. cent. 5. obseru. 70. Armilla ver. gabella, num. 12. vbi monet, huiusmodi vectigalia oportere esse moderata.

Eapropter docent Doctores communiter, Caiet. ver. vectigalia iniqua, prope finem, Angelus ver. pedagium, §. 6. Syl. ver. gabella, 3. num. 16. Armilla, num. 11. Sa num. 3. Less. cit. c. 33. dub. 2. num. 15. discrimen esse inter collectam, & vectigal seu gabellam: quòd collecta subditis tantùm indicitur, occurrente aliqua publica necessitate: qua sublata, etiam collecta tolli debet. Gabella autem siue vectigal tam ab exteris, quàm à subditis exigi solet: & plerumque ordinariam ac permanentem exactionem retinet.

Ex quo aliud discrimen nascitur, quòd quælibet ciuitas seu Communitas habens potestatem statuta condendi, possit etiam ob iustam necessitatem, cum consilio & consensu Primorum, collectam suis subditis imponere, non petita speciali licentia ab Imperatore, aut Rege cui subest, sicuti etiam notat Vasq. in moral. de iurisdict. cap. 6. §. 1. num. 6. Non ita verò vectigal de nouo sine Principis auctoritate imponere, aut impositum augere concessum est.

Qvæstio tertia. Vtrum tributa, & vectigalia in conscientiæ foro soluenda sint, tametsi non exigantur; & vtrum non soluentes ad restitutionem obligentur? Non pauci Doctores vtrumque negant, saltem de forensibus, siue extraneis vectigal non soluentibus, si non exigatur. Quorum aliqui, inter quos

Rodriquez tom. 2. sum. cap. 74. conclus. 2. eam rationem afferunt, quia alienigenæ facilè ignorare possunt vectigalis impositionem. Quod sanè verum est secundùm fori externi præsumptionem: quamobrem forensis, non soluens vectigal, si probabilem ignorantiam alleget, eámque iuramento confirmet, non damnatur pœna commissi, seu mercium confiscatione, sicuti ex communi notauit Gaill. lib. 1. obseruat. 48. num. 26. In foro autem pœnitentiæ interioris creditur simplici cuiusque assertioni. Alij aliam rationem adferunt; Quia lex pœnalis non obligat nisi ad pœnam, post Iudicis condemnationem. Lex autem vectigalium soluendorum pœnalis est: quia Magistratus intentio esse videtur, vt negotiatores vel vectigal soluant, vel, si non soluisse deprehendantur, pœnæ obnoxij sint. Ita sentit Angelus, verbo pedagium, §. 6. Tabiena eodem ver. conclus. 3. Nauar. cap. 23. num. 55. & 60. Beia part. 1. casu 13. in eandémque sententiam inclinat Sotus lib. 3. q. 6. a. 7. in fine, Tolet. lib. 5. c. 75.

5 Verùm ex communiore doctrina Caiet. ver. vectigalia iniqua, Medin. cit. quæst. 13. Syluest. ver. gabella, 3. num. 21. & 4. quæst. 5. Couarruu. regula peccatum, p. 2. § 5. num. 1. Castro lib. 1. de lege pœnali c. 9. Pet. Nau. lib. 3. cap. 1. num. 229. Suar. lib. 5. de legib. cap. 18. Vasq. de restitut. cap. 6. §. 3. dub. 2. Molin. tom. 3. priore disput. 674. conclus. 1. Sairi lib. 9. clauis regiæ, cap. 16. num. 30. Less. cit. cap. 33. dub. 8. & aliorum, respondeo & dico I. Si constet, vel probabiliter præsumi debeat, vectigal, seu tributum iustum esse, eius soluendi obligatio incumbit, tametsi Officiales per errorem, vel similem causam non exigant. Sumitur ex Apostolo ad Roman. 13. *Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Ratio est: Quià vectigalis, & tributorum solutio fundatur in iustitia commutatiua, secundùm quam Principi, siue Magistratui publica onera compensari debent ab iis, quorum gratia sustinentur: Hoc autem commune est debitis illis, quæ ex commutatiua iustitia oriuntur, vt etiamsi creditor per obliuionem aut errorem non exigat, nihilominus ei solui debeat.

Dico II. Si vectigal, aut tributum probabiliter existimetur iniquum; vt quia est nouiter impositum, & de eius auctoritate, titulo, aut omnimoda iustitia causæ non satis constat: quia fama est & persuasio in populo, quòd tributa sub prætextu alicuius necessitatis imposita, in non necessarios vsus conuertantur, vel asseruentur: tunc solutionem subterfugere, aut clandestina compensatione vti, non est illicitum: modò absit scandalum: sed & mendacium, ac periurium, quæ nunquam licita sunt. De hac assertione vide Syluest. ver. gabella 3. quæst. 3. & 14. Sa eodem ver. num. 6. Caietan. ver. vectigalia, notando 4. Driedo lib. 2. de libert. Christiana, cap. 5. Molina tom. 3. priore, disput. 674. Qui etiam admonent, cùm tot conditiones ad iustitiam vectigalis, aut tributi nouiter impositi, vel aucti requirantur, non facilè in conscientiæ foro ad faciendam restitutionem condemnandos esse defraudantes: nisi satis constet de exactionis iustitia, ac necessitate.

6 Neque id displicet, quod docent idem Syluest. cit. quæst. 3. Caietan. ver. vectigalia §. occurrunt, Molin. cit. disput. 674 §. quando tributa, Less. cit. dub. 6. num. 45. Accidere posse, vt existente publico dubio de iustitia impositi tributi, aut vectigalis, Officiales licitè exigant: illi autem, à quibus exactio fit, si sine mendacio possint, licitè subterfugiant. Videlicet, si in vulgo sit probabilis, non certa suspicio, exactionem esse iniquam: & re diligenter examinata, non possit agnosci probabilis causa pro Principe, ob quam nouum, vel auctius tributum exigat: tunc enim subditi negare possunt: cum potior hic sit eorum, præsertim bona sua adhuc possidentium, conditio. Officiales autem seu executores, si præceptum exigendi commodè declinare non possint, iustè exigunt: quia quamdiu non adest moralis certitudo de iniustitia causæ, præsumere possunt, quòd Princeps ita præcipiens causam iustam habeat ipsis incognitam, sicuti in simili dixi de subditis in bello dubio militantibus l. 2. tr. 3. c. 12. num. 8. Alia ratio est de Consiliariis, ad quos pertinet de iustitia tributi cognoscere: hi non possunt eius impositionem, vel auctionem suadere, aut Principi proponere, nisi affirmatiuè cognoscant tum tributi imponendi potestatem, tum etiam causæ seu iustitiæ probabilitatem, qua de re videri potest Pet. Nau. l. 3. c. 1. num. 267. Vasq. de restitut. cap. 6. §. 3. num. 73.

His quædam addenda sunt ex Sa ver. gabella. Primò: Quod ait num. 8. Si tributum nimis durum sit, soluendum non esse, nisi exigatur. Id tamen limitari debet: Nisi quis soluere possit partem tributi, quatenus, spectata conditione & facultate personæ, atque iustitiæ causæ, iustum videtur, retinendo interim excessum. Vide Suarez lib. 5. de legib. c. 18. num. 7.

Secundò: Quod ait num. 10. Deputatos ad exigendum dissimulare posse cum pauperibus, quando ij non habent, vnde soluant. Quod etiam docuit Gloss. in l. omnes pensitare, ver. compelletur, C. de annonis & tributis, lib. 10. Abb. in c. 2. num. 22. de immunit. Eccles. 7

Tertiò: Quod ait num. 7. ex communi sententia; Principem, seu Magistratum, qui populum nouis tributis absque necessitate grauat, obligari ad restitutionem. 8 Quę quidem restitutio facilè fieri potest, si collecta pecunia in fisco Principis asseruetur: poterunt enim vel tributa ordinaria minui; vel extraordinaria, quæ futuro tempore propter aliquam occurrẽtem necessitatem exigi possent, omnino intermitti; & pecunia antè collecta ad talem vsum applicari. Sin verò pecunia, tributi nomine collecta, à Principe, vel antecessoribus eius cõsumpta sit, tunc difficile est restitutionem facere; præterquam quòd Princeps, præsertim si ipsemet non necessariis tributis populum grauauit, teneatur parciùs viuere, quatenus sine dedecore status sui potest. Alioquin verò Princeps à restitutione liberatur: quare si postea accidat Rempublicam in periculum deuenire, vel ipsummet Principem non habere reditus sufficientes ad dignitatem suam tuendam; tunc obligatur populus ad nouam contributionem faciendam in commodum Reipublicæ. Eo tamen pacto, vt si postea cõtingat Principem ad meliorem fortunam reuenire, obligatus sit ad compensationem damni, quippe quod propriâ culpâ subditis suis intulit, sicuti docet Mol. tract. 2. cit. tom. 3. priore, disp. 667. & videri etiam potest S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 13. §. 2.

---

§. VNICVS.

De subsidio charitatiuo.

SVMMARIVM.

9 *Episcopi, & similes Prælati à Clero subsidium charitatiuum petere possunt, ob causam necessitatis, aut magnæ vtilitatis publicæ.*

10 *Si Clerici iusta de causa petitum subsidium conferre recusent, compelli possunt etiam sub censura excommunicationis.*

11 *Subsidium charitatiuum est onus adhærens Clericis in ordine ad Ecclesiasticos reditus: quare soli beneficiati præstare coguntur.*

12 *Capitula Collegiata; etiam Ecclesiarum Cathedralium, subsidium conferre debent.*

13 *Monasteria Regularium non obligantur ad subsidium Diœcesano Episcopo præstandum: nisi ratione Ecclesiarum, vel Capellarum habentium populum, seu curam plebis.*

14 *Episcopus subsidium charitatiuum remittere alicui non potest in perpetuum: sed vt semel, vel iterum non præstetur.*

15 *Immunitas à præstando subsidio per præscriptionem temporis immemorialis cum bona fide acquiri potest; præsertim si titulus præsumptus, puta fama accepti priuilegij exemptionis, comitetur.*

CVm tributo similitudinem magnam gerit subsidium charitatiuum, quod Episcopi, & similes Prælati occurrente aliqua necessitate à Clericis petere, imò exigere solent. Igitur de eo hîc subijciam.

De charitatiuo subsidio mentio fit in cap. cùm Apostolus, de censibus, §. prohibemus, quod sumptum est ex Lateranensi Concilio: *Sustinemus, pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superueniunt, vt si manifesta ac rationabilis causa extiterit, cum charitate moderatum ab eis* (subditis) *valeant auxilium postulare.* Et in cap. conquerente, de officio Ordinarij, vbi Honorius III. *Non ampliùs exigas* (ab Ecclesiis & Capellis Monasterij) *præter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranensis Concilij, si manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum; sicuti ab aliis Ecclesiis eiusdem diœcesis, pro necessitate temporis.*

9 Ex istis responsis colligitur primò: Quinam charitatiuum subsidium petendi ius habeant: Videlicet Episcopi, & qui similem Episcopali iurisdictionem, ac diœcesin obtinent. qua de re videri potest Barthol. Bellencinus de charitat. subsidio, quæst. 1. & duabus seqq.

Colligitur secundò: Quòd causa petendi debeat esse publicæ necessitatis, aut magnæ vtilitatis, eáque manifesta: qualis est v. g. vt grauia onera debitorum soluantur; vt Ecclesia contra hostes defendatur: Item si multis opus sit sumptibus pro Ecclesiæ fabrica, profectione ad Concilium. Vide Remig. Gonnij de charitat. subsidio quæst. 5. Bartholom. Bellencin. quæst. 16. Azor tom. 2. lib. 9. cap. 14. quæst. 4. Quod verò Bellencinus ibidem ait: Si Episcopus propria culpa in necessitatem, v.g. grauia debita incidat, non esse illi contribuendum à clero; quia suæ culpæ imputare debeat; id ego intelligo, vt non tam facilè illi contribuatur. Si autẽ grauis, & manifesta necessitas sit, debent mẽbra reliqua Capiti suo nihilominus subuenire, sicuti in simili dixi cap. præcedenti in fine. Porrò, si dubium sit inter Episcopum & Clerum de causæ æquitate, recurrendum est ad Superiorem, secundùm Glos. in cit. c. cùm Apostolus, ver rationabilis. Vel arbitri partium consensu statuendi, sicuti docet Bellencinus quæst. 17. Azor cit. q. 4.

Colligitur tertiò: Subsidium istud charitatiuum, (ideo sic dictum, quia proficiscitur ex charitatis & vnionis vinculo, quod inter Episcopum & Clerum intercedit) peti oportere moderatum; ita vt Eccle-
10 siæ & Clerici non nimis grauentur. Sin verò hoc ipsum ob iustam causam petitum, præstare Clerici recusent, compelli possunt, etiam excommunicationis censura, sicuti colligitur ex iuribus initio citatis, & docet Innocentius in cit. cap. cùm Apostolus Bellenc. qu. 15. Gonnij quæst. 8. Azor. tom. 2. lib. 11. cap. 14. quæst. 2. Quia in tali casu, aiunt illi, *Si deficit charitas, valere debet potestas.*

Colligitur quartò: Si Ecclesia sita in vna diœcesi habeat prædia & reditus suos in altera diœcesi, solui debet subsidium charitatiuum Episcopo eius diœcesis, vbi Ecclesia est. Ita sumitur ex cit. cap. conquerente, &
11 tradit Bellenc. qu. 35. Gonnij quæst. 25. & seqq. Quia subsidium charitatiuum non est onus reale adhærens prædio, qualia solent esse tributa agrorum; sed est onus adhærens personæ in ordine ad prædia, seu reditus Ecclesiasticos.

Colligitur quintò: A quibus subsidium charitatiuum postulari possit; Videlicet à Clericis Episcopo subiectis, qui beneficia obtinent. Est enim onus huius subsidij præstandi mixtum, annexum personis in ordine ad beneficia, siue Ecclesias, ex quibus reditus Ecclesiasticos percipiunt, sicuti notauit idem Gonnij quæst. 25. Quare si Clericus in diœcesi nullos Ecclesiasticos reditus habeat, etsi bona alia patrimonialia, vel quasi patrimonialia abunde obtineat, nihil contribuere tenetur, teste eodem Gonnij quæst. 40. & 41. Bellenc. qu. 37. num. 23. Si autem beneficium pensione grauatum est, pensionarius pro rata soluere tenetur; nisi pensio assignata sit libera ab oneribus & contributionibus, sicuti plerumque assignari solet, & Azor loco cit. notauit.

De Capitulis Collegiatis Ecclesiarum secularium, nemo dubitat, quin ad subsidium charitatiuum teneantur, & colligitur apertè ex extrauagant. vas electionis, prope finem, ver. eorúmque Capitulis: sed & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, spectato communi iure, ad subsidium Episcopo præstandum obligari, Doctores affirmant communiter, Hostiensis in cap. vt præteritæ, de elect. Barthol. Bellencinus quæst. 27. Remigius de Gonnij quæst. 58. qui allegat etiam Antoninum in cit. c. vt præteritæ: *Quòd hoc potissimum Canonicos Cathedrales tangit, quippe magis Episcopo vnitos.* 12

Quod verò attinet ad Monasteria, & Ecclesias Regularium dicendum est cum eodem Bellenc. q. 29. Gonnij quæst. 20. Ea ad subsidium Episcopo diœcesano præstandum, spectato communi iure, non obligari, nisi ratione Ecclesiarum vel Capellarum habentium populum. Ratio est: Quia subsidium charitatiuum est de le diœcesana, secundùm Innocent. in cap. 1. de statu Monachor. Monasteria autem Regularium exempta sunt à lege diœcesana Episcopi, tametsi subdita sint legi iurisdictionis, de quo vide Gloss. in cap. dilectus, de offic. Ordinarij. At verò comparatione Ecclesiarum, quibus cura populi incumbit, censentur esse de lege diœcesana; ideóque ratione earum contribuere tenentur, sicuti colligitur ex cit. cap. conquerente. Quin imò docent Bellenc. quæst. 29. & 32. Gonnij quæst. 22. Azor quæst. 6. quòd Ecclesiæ Collegiatæ tam seculares, quàm regulares, quamuis alioquin exemptæ sint à iurisdictione Episcopali, nihilominus Episcopo diœcesis conferre debeant subsidium charitatiuum, ratione Ecclesiarum, vel Capellarum habentium populum, siue curam plebis, vel quæ aliquando huic oneri subiectæ, postea Ecclesiæ, vel Monasterio exempto vnitæ seu incorporatæ fuerunt: Quia nunquam præsumitur, quòd talis vnio facta fuerit cum præiudicio iurium Episcopalium. Potest tamen Episcopus, adhibito Capituli consilio & consensu, componere cum Monasteriis, aliisve Ecclesiis, de certo aliquo præstando ratione eiusmodi onerum, sicuti annotauit Bellenc. q. 48. 13

Sed vtrum Episcopus omnino remittere possit, maior est difficultas. Communior est Doctorum responsio in cap. cùm venerabilis, de censibus, Bellenc. quæst. 47. Azor cit. cap. 14. quæst. 7. Quòd in totum remittere non possit: quia talis renuntiatio cederet in detrimentum Ecclesiæ, aliorúmque grauamen: nisi Papa ex plenitudine potestatis talem exemptionem confirmet. Potest tamen Episcopus ob iustam causam semel atque iterum remittere: quia tunc proprio tantùm commodo renuntiat. quod facere non prohibetur. Quin imò Clericis, qui pauperes sunt, vt vix sufficientem victum & vestitum ex beneficio habeant, secundùm æquitatem remittere debet, teste Bellenc. q. 30 Azor quæst. 6. 14

RESTAT QVÆSTIO. Vtrum contra subsidium charitatiuum temporis diuturnitate præscribi possit?

Negant Hostiensis, Abbas, & alij in c.cùm Apostolus, de censibus, Bellencinus q.50. Gonnij q. 28. Azor cit. c.14.q.7. Probant I. Quia hoc esset præscribere contra charitatem: quare præscriptio non haberet iustam causam, ac fomentum. II. Quia etiam contra tributa, & similes functiones publicas præscriptio non procedit, sicuti habetur in l. comperit, C. de præscript. xxx. annorum, & docet Gl. communiter recepta in c. cùm non liceat, de præscript. III. Quia præscriptio locum non habet in iis quæ meræ facultatis sunt: positum autem est in mero arbitratu Episcopi, vtrum charitatiuum subsidium exigere velit.

Sed hæ rationes conuincere non videntur, si loquamur de præscriptione temporis immemorialis. Ad primum respondetur; Non esse contra charitatem, aut rectæ rationis dictamen, quòd particularis aliqua Ecclesia à communibus alioquin oneribus eximatur; seu per priuilegium summi Pontificis, seu per aliquam compositionem, aut commutationem cum Episcopo factam, vt suprà dictum est: quo simili modo Princeps, saltem ob causam, ad bonum publicum pertinentem, aliquos subditos eximere potest à communi tributorum onere; siue per priuilegium in remunerationem meritorum, siue per aliquam compositionem, venditionem, sicuti docet Molin. disput.673. cit. tom. 3. prior. Constat verò, quicquid per priuilegium, vel alium concessionis modum obtineri potest, idem etiam per præscriptionem temporis immemorialis: Ergo tanto tempore cum bona fide vsucapi potest immunitas à subsidio charitatiuo, vel tributo præstando; præsertim si etiam comitetur fama priuilegij, alteriúsue concessionis olim factæ. Ex quo patet etiam resp. ad secundum: Licet tempore ordinario contra tributa præscriptio non procedat: posse tamen præscribi immunitatem tempore immemoriali, præsertim cum fama alicuius priuilegij; adeóque cum titulo præsumpto. Ad tertium respondeo: Verissimum esse illud dictum; Quòd donatio, & omnis gratuita præstatio, aut remissio, quantocunque tempore ita continuetur, nunquam alteri ius tribuat præscriptionis. Verùm, si diuturno tempore præstatio aliqua, vel remissio continuetur, nisi ex circumstantiis appareat, à gratuita voluntate procedere, in dubio præsumitur potiùs ex obligatione, siue debito proficisci: quia nemo facilè sua bona iactare, & indebita effundere censetur, iuxta l. cùm de indebito, ff. de probat. Quamobrem si in nostro casu Episcopus ab aliis Ecclesiis subsidium charitatiuum sæpius exegit; ab vna autem per temporis immemorialis spatium nunquam exigere solitus fuit; præsumitur id egisse non ex gratuita voluntate, sed quia propter præcedentem aliquam compositionem, aut priuilegium ius exigendi non habuerit. Vide quæ dicta sunt suprà tract. 1. c.8.n.8.

CAP. IV.

De crimine falsi.

SVMMARIVM.

1 *Ad crimen falsi tria requiruntur: Veritatis immutatio, Dolus operantis, Damnum alterius notabile.*
2 *Crimen falsi variis modis committi potest.*
3 *Non est licitum amisso legitimo instrumento, aliud simile confingere.*
4 *Literas laceratas, & in publicum abiectas quilibet colligere, & legere, earumque notitia in suum commodum vti potest.*

1 CRimen falsi *est peruersio veritatis, cum dolo, & alterius iactura.* Tria igitur ad hoc crimen requiruntur, sicut post Hostiensem; notauit Syl. ver. falsarius, n. 1. Gregor. Tholos. lib. 36. Syntag. cap. 1. n. 6. I. est Veritatis immutatio. II. Dolus operantis. III. Vt alteri inde damnum proueniat.

Crimen falsi variis modis committitur, vti videre est in tit. ff. & Cod. Ad l. Corneliam, de falsis. Primò crimen falsi committit, qui monetam publicam adulterat, vel sine legitima auctoritate cudit de quo dicam §. seq. 2

Secundò, Qui testamentum, codicillum, aliúdue instrumentum vel scripturam immutat, supprimit, lacerat, iuxta l. 1. & seqq. l. quid sit, ff. eod. l. 3. Cod. eod. & docent Nau. c.17. n.168. Tholos. cap. 5. Mol. tr. 2. t. 3. poster. 700. Clarus lib. 5. sent. §. falsum, n. 16. P. Nau. lib. 3. c. 1. n. 338.

Tertiò, Qui alienas literas dolosè aperit, ac legit, cum alterius iniuria, vel damno iniusto. Qua de re Gl. in c. cùm olim 2. de offic. de legati, Nau. c. penult. d. 6. de pœnit. Syl. q. 1. P. Nau. n. 340. Mol. tr. 4. disp. 56 Existimant tamen Innoc. & Abb n. 4. cit. c. cùm olim, Rosella ver. falsitas, n. 5. si quis dolosè aperiat literas priuatas, nisi aduersario illius ostendat, non puniri pœna falsi; sed alia arbitraria: quia id speciale est in aperiente testamentum clausum, vt falsi crimine teneatur, l. qui testamentum, ff. eod. Deinde dixi, si literæ dolosè aperiantur: interdum autem iusta est aperiendi causa, etiam inuito eo, ad quem mittuntur: puta si id fiat iure belli, aut iustæ defensionis causa contra inimicum insidias molientem, sicuti notauit Nauar. c. 18. n. 53. Vel si Prælatus, paterfamilias, &c. suspicentur aliquid mali patrandi in literis contineri: vel si Religionis statutum, aut consuetudo licentiam aperiendi literas Regularium Prælato tribuat.

Quartò, Venditores, qui falsis ponderibus, vel mensuris vtuntur, l. penult. ff. ad l. Corneliam de falsis. Vel materiam adulterinam minùs vtilem mercibus admiscent: qua de re Abb. in c. 2. de vendit. Nau. n. 169. Mol. disp. 701.

Quintò, Qui alienum partum alicui supponit, l. 30. ff. eodem.

Sextò, Qui falsum profert testimonium; falsum testem in iudicium producit, c. 1. de crimine falsi. Qui Iudicem corrumpit; Aduocatus, qui parti aduersariæ causam prodit, l. 1. ff. eod.

Septimò, Qui signum adulterinum fecerit, vel sculpserit, l. 30. ff. eod. Qui alienum chirographum imitatus fuerit, l. quid sit, ff. eod. Et qui rationes, tabulas, vel instrumentum aliquod rasura falsârit, aut signum amouerit, l. 1. ff. eod. Si tamen rasura fiat in loco instrumenti non suspecto, vt veritas nihilominus appareat; non ideo instrumentum vitiatum censetur, c. ex literis, de fide instrumentorum, & videri potest Rosella ver. falsitas, n. 4.

Octauò, Qui proposita edicta dolo malo corrumpit, l. penult. ff. eod. Pœna pro crimine falsi olim homini libero decreta erat deportatio in perpetuum, cum confiscatione bonorum, l. 1. §. vlt. ff. eod. Hodie autem est arbitraria, teste Claro 5. sent. §. falsum, n. 31. Deinde in conscientiæ foro, (quemadmodum & in externo) resarcienda sunt omnia damna, quæ occasione commissi falsi alteri acciderunt, cuius oppositum non rectè docuit Clarus n. 14. agens de teste falsum testimonium dicente: quòd *in conscientiæ foro non tenetur, nisi de falso testimonio, non autem de damno ex illo subsequente.* Denique falsificans literas Papales excommunicationem incurrit ipsi Papæ reseruatam, c. ad falsariorum, de crimine falsi & excommun. sexta Bullæ Cœnæ Domini.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum licitum sit, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem cõfingere? Vel conuento de pecunia v.g. mutuò accepta, quam legitimè soluerat, factæ solutionis falsum in- 3

strumentum producere? Videtur enim id licitum esse: quia nemini ea re iniuria infertur. Respondeo tamen cum Couar. 1. resol.ca.2.n.3. Sa ver. falsarius, n. 2. Non esse id licitum. Nam huiusmodi falsationes Reipub. perniciosæ esse solent: quamobrem legibus seuerè prohibentur: & cùm prohibitio iusta sit, in conscientia obligat. Ad rationem in contrarium dico: Quamuis per huiusmodi falsationem non violetur particularis iustitia, quia nemini ius suum læditur: quamobrem neque restituendi obligatio aliqua contrahitur; peccatur tamen contra veritatis virtutem, & quidem cum Reipublicæ pernicie, vt dixi.

4 QVAESTIO SECVNDA. Si aliquis literas quas maximè sua interest secretas esse, laceratas in publicum abijciat; alius verò superueniat, & collectis literarum fragmentis, eas legat, vtrum peccet? Cuiusmodi casum testatur Syl. ver. emptio, q. 17. Venetiis accidisse. Mercator acceptas literas ab Oriente de superuentura penuria & caritate aromatum, lacerauit, & abiecit. has deinde collegit alius mercator, illúmque præuenit, & copiam aromatum emendo, lucrum præripuit: quæritur, vtrum iniuriam illi fecerit? Affirmat Rebell. p.2. lib.9.q.7.n.9. Sed rectiùs cum Archidiacono negat loco cit. Sylu. Cùm enim mercator ille literas laceratas in publicum abiecit, & velut pro derelictis habuit, hoc ipso omnibus fragmentorum illorum potestatem ac vsum fecisse censetur: vt proinde quisque in suum commodum iis vti potuerit. Igitur rectè resoluit ibid. Syl. *Siquis literas in publicum locum abiectas legit, solùm vt sciat, curiositas est: si vt sibi prouideat, commodisque suis studeat, humana, non vitiosa prudentia est.*

Interdum tamen lex charitatis obligat, vt qui ex literis ita in publicum abiectis secretum aliquod cognouit, illud aliis non manifestet, cum damno literas abijcientis. Quin imò reuelans eiusmodi secretum, cuius notitiam etiam iustè acquisiuit, contra iustitiam peccabit, si intelligat, audientes ea notitia vsuros ad damnum iniustum inferendum: quemadmodum si Titio hominem quærenti ad necem iniustam tu domum ostendas, in qua latitat, homicidij cooperator censeberis, sicuti docet etiam Molina tract. 4. disput. 3.

CAP. V.

De monetæ falsatione, ac mutatione.

SVMMARIVM.

1 *Numus publica lege constitutus fuit, vt rerum omnium, quibus indigemus, æstimatio esset.*

2 *Numus, vt legitimus ac iustus sit, requirit materiam, & pondus metalli, sicuti signum ipsi impressum indicat.*

3 *Numi seu pecuniæ valor & æstimatio alia intrinseca ac veluti substantialis est, alia verò extrinseca, & imposititia: quæ, vt vera ac iusta sit, intrinsecæ correspondere debet.*

4 *Tria ad iustitiam cusæ monetæ requiruntur: Legitima cudendi auctoritas; materiæ bonitas, seu integritas; iustum materiæ pondus, sicuti impressum signum demonstrat.*

5 *Pecuniarum falsatio pluribus modis contingit.*

6 *Ius monetam cudendi inter regalia numeratur: quare illud tanquam speciale priuilegium Ducibus, Comitibus, Ciuitatibus concessum, vendi, vel aliter alienari non potest: quamuis vsus & commoditas ad tempus alteri elocari possit: Eademque ratio est de iure vectigalium.*

7 *Princeps mutationem monetarum facere non potest, absque consensu Communitatis, vel saltem potioris eius partis: excepto casu publicæ, ac manifestæ necessitatis.*

8 *Ingentia incommoda ex monetarum, præsertim intrinseca mutatione, prouenire solent: vt, consideratis omnibus, plerumque etiam ipsum Reipub. caput plus inde damni accipiat, quamuis vna aliqua ratione in ipsius commodum mutatio cessura videatur.*

9 *Grauissimè peccat Princeps, seu Magistratus, si ob commodum suum, & absque publica necessitate, monetarum mutationem introducat.*

10 *Mutatio pecuniæ alia intrinseca tantùm est; alia tantùm extrinseca; alia tum intrinseca, tum extrinseca.*

11 *Interdum in obligationem venit certa pecuniæ species; interdum verò pecunia incerta, ac indeterminata. Item species pecuniæ vel inseritur causa demonstrationis tantùm; vel causa æstimationis tantùm: vel causa vtriusque.*

12 *Si moneta mutata sit tam intrinseca bonitate, quàm extrinseco valore, tum alia pecuniæ species efficitur, quamuis nomine cum priore moneta conueniat: quare noui numi pro veteribus, qui in obligationem venerunt, solui non debent.*

13 *Si monetæ species certo numero in pactionem vel promissionem deducantur, superueniens earum mutatio extrinseca creditoris commodo, vel incommodo accidit.*

14 *Qui certam speciem, vel materiam pecuniæ promisit, aliam, quamuis extrinsecè æquiualentem, inuito creditori soluere non potest: nisi promissa pecuniæ species perierit, aut acquiri nequeat; vel nisi ostendatur, nihil interesse creditoris, num in hac, an altera moneta debitum recipiat.*

15 *Si nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, quantitas pecuniaria in obligationem deducatur; & postea extrinseca monetarum mutatio accidat, ea commodo, vel incommodo debitoris accidit: quia tantò pauciores, vel plures numos soluere cogetur.*

16 *Extrinseci seu impositititij valoris mutatio in solutionibus debitorum antiquorum attendenda non est his casibus: I. Si auctio, vel diminutio extrinseca facta est non per legitimam potestatem. II. Si mutatio valoris constituta est publica quidem lege, sed non vt stabiliter ac perpetuò duratura. III. Si notabilis auctio extrinseca monetarum introducta est propter intrinsecam diminutionem seu deprauationem aliarum minutiorum pecuniarum.*

17 *Merè extrinseca auctio monetarum lege iusta & stabili nunquam constitui potest, ita vt sit magna ac valde notabilis.*

18 *Si valor monetarum extrinsecus crescat in manu depositarij, administratoris, aut cuiuscunque possessoris, ordinariè tale augmentum non ad ipsum, sed ad dominum pecuniarum spectat.*

19 *Si mutatio monetarum facta est in bonitate intrinseca, videl. in materia, aut pondere, attendendum est tempus contractus, non solutionis: id est, debita pecuniaria soluenda sunt secundùm bonitatem monetarum, habuerunt tempore contractus, non solutionis.*

20 *Promittens, aut legans pecunias censetur intelligere de talibus, quales vsitatæ sunt tempore dispositionis, aut promissionis.*

21 *Pro bona moneta mutuò data, non tenetur creditor aliam intrinsecè deteriorem recipere.*

22 *Si intrinseca imminutio monetarum, & consequenter extrinseca auctio aliarum bonarum pecuniarum modica sit, eius mutationis consideratio nulla esse debet: secùs, si immodica, & valde notabilis.*

23 *Qui ante annos XXV. mutuò accepit thalerum Imperialem valentem XVIII. pazios, non videtur satisfacere, si iam soluat pazios XVIII. qui intrinsecè multò deteriores sunt.*

24 *Magnus seu immodicus extrinsecæ taxationis excessus supra iustum valorem intrinsecum monetarum, tanquam stabiliter duraturus, constitui, aut introduci non potest; nisi diuturnitate ac perpetuitate temporis.*

25 *Si valde enormis, præsertim vt non duratura, monetarum intrinseca deprauatio fiat, & quod inde consequens est, bonarum monetarum valor extrinsecus augeatur, extra controuersiam est apud Doctores, in antiquis soluendis debitis spectandum esse intrinsecum valorem monetarum, quem habuerunt tempore contractus, ideóque veteres, non nouos adulterinos numos soluendos esse.*

26 *Si impositititius valor monetarum enormiter excedens valorem, ac bonitatem intrinsecam, diminuatur, & ad normam veritatis redigatur; consequenter etiam bonarum monetarum extrinsecus valor comparatione deprauatarum decrescat; extra controuersiam est apud Doctores, solutionem debitorum faciendam esse secundùm valorem intrinsecum, quem habuerunt tempore contractus; ideoque vitiatos florenos v.g. quales dati sunt; non autem nouos intrinsecè multùm meliores soluendos esse.*

27 *Si nihil specialiter expressum fuit, contractus quilibet censetur institutus secundùm naturales conditiones eius.*

Conditiones contractuum, quæ naturâ insunt, expressione non indigent.

28 *Etsi contrahens existimet plùs se obligari, quàm secundùm contractus naturam obligatur: si tamen plus exteriùs non promittat, error ipsi suus obesse non debet.*

29 *Creditor curiosus esse non debet, in quam rem seu vtilitatem debitoris pecunia ipsi credita vertatur.*

Non ideo pecunia, vel merx pluris æstimari debet, quòd illa mutuatario, hæc emptori, seu ob eius industriam, seu ob fortunam, & quamuis extrinsecam causam, vtilis futura sit.

30 *Lucrum cessans, vel damnum emergens mutuatori resarciendum non est, nisi in pactum expressè, vel tacitè deducatur.*

31 *Iudices inferiores secundùm leges, non secundùm æquum & bonum, sicuti ipsis videtur, iudicare debent: cùm in eius, & æquitatem interpositæ interpretatio soli Principi reseruata sit.*

1 NOtandum est primò ex Aristotele lib. 5. Eth. cap. 5. & Paulo IC. in l. 1. ff. de contrah. empt. Quòd numus hominum impositione ac lege propter necessitatem introductus fuit, vt esset rerum omnium, quibus indigemus, certa æstimatio. Electa autem est materia metalli, videl. aurum, argentum, æs, quæ olim rudi & non signata massa appendebantur: postea verò ad subleuandum libræ laborem signabantur, impressa pecudis figura, vnde & pecunia dicta fuit, vti videre licet apud Aristotelem l. 1. Polit. cap. 6. Succedentibus verò temporibus, consuetudo obtinuit (quæ & nunc viget) vt ad augendam publicam numi auctoritatem, omnémque fraudis tollendam suspicionem, Principis imagine numus signaretur, vti constat ex l. vlt. C. de veter. numis. potest. lib. 11. vbi capitali supplicio afficiendus dicitur, qui *æternales vultus* Imperatorum *fraudibus duxerit violare*. Et Cassiodorus lib. 7. variarum, c. 32. *Omnino monetæ debet integritas quæri, vbi & vultus noster imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quid enim erit tutum, si in nostra peccetur effigie?* Quin etiam apud Christianos non rarò nomen Domini, aut alicuius Sancti, vel Crucis figura imprimitur, vt *sit in testimonium veritatis monetæ, secundùm materiam, & pondus*, ait Nicolaus Oresmius Lexouiensis Episcopus Caroli V. Francorum Regis Præceptor, in lib. de mutat. monetarum, c. 13. to. 8. Bibl. SS. Patrum.

2 Notandum secundò ex eodem Paulo in cit. l. 1. Quòd pecunia seu numus publica auctoritate cusus, vim vsúmque in commutationibus non tantùm habet ex substantia materiæ; sed magis etiam ex quantitate æstimationis, lege publica impositæ: Si enim substantiam auri, vel argenti absolutè spectes, nondum habet rationem pretij, sed potiùs mercis: quare vt pretij rationem consequatur, ad res alias æstimandas, emendásque idonei, publicæ æstimationis quantitate indiget: hæc igitur est vltima forma pecuniæ constituens. Veruntamen fundamentum iusti numi est metalli bonitas, & pondus: hæc enim ab impressa publicę ęstimationis figura significantur: cui signo nisi intrinseca materiæ bonitas respondeat, falsus numus erit, vti apertè colligitur ex l. 1. C. de veteris numismatis potestate, lib. 11. vbi Impp. Valentinianus & Valens, Solidos veterum Principum veneratione formatos ita tradi, ac suscipi iubent; *modò debiti ponderis sint, & speciei metalli probæ*. Eadémque doctrina satis indicatur in cit. l. 1. ff. de contrah. empt. ibi: *Electa est materia, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret*. Atqui nec æqua, nec perpetua, consequenter nec publica lege constituta æstimatio esse posset, nisi ad veritatem numi præcipuè requireretur materiæ bonitas, ac iustum pondus, vti dixi in 1. notan. & mox clariùs explicabo.

Notandum est tertiò. Quòd intrinsecus valor monetæ partim sumitur ex metalli raritate, & naturalibus proprietatibus, v. g. auri, vel argenti puritate, ductilitate, &c. partim verò ex communi hominum apprehensione & affectione. Verùm vt numus, seu moneta vtilitatem suam habeat, ob quam instituta est, videlicet ad subueniendum necessitatibus commutationum ac commerciorum, spectari debet intrinsecus eius valor non secundùm priuatam aliquorum, aut vnius alicuius prouinciæ, vel regionis; sed aliarum etiam gentium quibuscum commercium seu negotiatio est, quasi communiter receptam persuasionem, æstimationémue, vti bene annotauit Anton. Faber de variis numariorum debitor. solut. cap. 1. n. 32. & c. 21. n. 4. Fingamus enim, in vna prouincia thaleri, aut ducati pondus diminui, vel admixtione deterioris metalli vitiari, manente eadem extrinseca, seu per edictum imposita ęstimatione, vt videl. tantundem valeat, quantum alius ponderosior, aut purioris materiæ thalerus, ducatus in aliis non longè dissitis regionibus communiter valere solet; manifestum est, commerciorum facultatem, quin & mutuam societatem, atque ex vna in alteram regionem transeundi facilitatem impeditum iri: vt proinde talis priuata potiùs, quàm publica vnius regionis, aut etiam nationis, numorum æstimatio, diuturna esse non possit, neque publica lege constitui, sed solùm edicto aliquo ad tempus propter occurrentem necessitatem.

Notandum quartò. Præter valorem seu æstimationem monetæ intrinsecam, alia à Doctoribus assignatur extrinseca, seu imposititia, quæ & variari solet hominum, præsertim Magistratus publici, auctoritate. Quæ extrinseca æstimatio accessoria censeri debet intrinsecæ, eique correspondere, vel saltem non multùm ab ea distare: modica autem diuersitas in considerationem non venit. Sin verò extrinseca æstimatio multùm discrepet, iniusta erit, saltem materialiter: quare suprà dixi, diuturnam esse non posse, cùm sit noxia Reipubl. Nisi quòd propter occurrentem necessitatem ad tempus tolerari queat. 3

Exinde colligitur primò; Ad iustitiam causæ monetæ seu pecuniæ tria omnino requiri, secundùm Gl. in c. quantò, ver. patris, de iureiur. Syl. ver. falsarius, q. 7. P. Nau. lib. 3. de restit. c. 1. n. 316. Primum est, legitima cudendi auctoritas, quam etiam signum impressum indicat. Nam monetam cudere ex Regalibus vnum est, vti constat ex lib. 2. Feudorum, c. 56. Quæ sint regaliæ, & l. 2. C. de falsa moneta, vbi mortis supplicium decernitur iis, qui monetam priuata fusione formârint, tanquam læsæ maiestatis crimine obnoxiis. Cùm enim numus propter publicam vtilitatem ac necessitatem institutus sit, non nisi eius auctoritate prodire debet, qui totius Communitatis curam gerit: nam alioquin innumeræ fraudes & incommoda sequi poterunt: qua de re Oresmius c. 5. & 6. Veruntamen ius cudendi monetam aliis etiam, præter supremum Principem, sicuti & alia regalia, competere solent, seu ex priuilegij concessione, seu ex legitimè præscripta consuetudine, vti annotauit Pet. Greg. Tholosanus lib. 36. Syntag. cap. 2. n. 25. 4

Alterum est materiæ bonitas, seu integritas: non quòd numus suapte natura certam materiam requirat; sed ex hypothesi, quatenus aureus numus esse debet, nihil argenti; quatenus argenteus esse debet, nihil æris admixtum habeat.

Tertium est iustum pondus materiæ, sicuti signum numi indicat: quia, vt suprà ex Aristot. dictum, tale signum ideo in numis ponitur, vt mensurare opus non sit.

Aduerte tamen hoc loco, quòd ipsa formatio & signi publici impressio valorem numi intrinsecum aliquantulum augeat, sicuti docent Innoc. in cit. c. quátò, Abb. ibid. n. 10. de iureiur. Couar. in collat. veter. numis. c. 7. n. 1. P. Nau. lib. 3. c. 1. n. 331. Ant. Faber cit. c. 1. n. 62. contra Gl. in l. 1. ver. præbet, ff. de contrah. empt. Bartol. in l. 2. §. 1. ff. si certum petetur, vbi aiunt; quòd numus non plùs valere debet, quàm ipsa rudis massa metalli. Sed quod dixi, communi, eáque iusta consuetudine obseruatur, vt Princeps seu Magistratus deducat inprimis æstimationem laboris, ac impendiorum: deinde modicum quippiam pro publico signo, ex quo pecuniæ vim ac dignitatem accipiunt, detrahere iniquum non æstimatur: etsi id non vbique consuetum sit.

Colligitur secundò, quibus modis falsatio, seu falsi crimen circa monetas accidere possit. I. Si quis monetam cudat tali potestate non præditus. Ita significatur in l. 2. & 3. C. de falsa moneta, & docet S. Aug. lib. 2. 5

contra Parmenianum, c. 15. relatus in c. quod quidam 1. q. 1. §. si enim aliqui, Couar. de collat. veterum numismat. cap. 8. n. 3. ver. Is verò. Mol. tr. 2. to. 3. poster. disp. 702. P. Nau. cit. n. 317. Iacob. Menoch. de arbitr. Iudicum qq. casu 316. Nam tale hominis factum falsationem continet, dolum, & iacturam Principis; quippe cuius ius vsurpatur, efficiturque, vt eius monetæ non tanto numero expendantur. Quamobrem eiusmodi falsarius etiam ad restitutionem obligatur Principi, vel Monetario eius faciendam: licet contrarium senserit Syl. cit. q. 7. & Nau. c. 17. man. n. 167.

II. Qui falsam monetam cudit; videl. pondere iniquo, vel materia adulterina, sicuti colligitur ex c. quantò, de iureiur. & l. 3. C. de veter. numismat. collat. & docet Syl. cit. ver. falsarius q. 6. Gabr. in 4. d. 15. tota q. 9. Clarus lib. 5. sentent. §. falsum, n. 37. Pet. Nauar. cit. c. 1. n. 311. Mart. Nauar. l. c.

III. Qui de iusto pondere monetæ detrahit abscindendo, redendo, sicuti constat ex l. Quicunque, ff. ad Legem Corneliam de falsis, & ex communi docet Angelus ver. falsarius, §. 8. Syl. q. 8. Sed quid si de monetis illis aliquid detrahatur, quę iustum pondus excedunt? Respondeo, Si id publica auctoritate à Monetarijs fiat, non videtur reprehendi posse; quamuis, si aliqui numi minus iusto contineant, æquum omnino est, vt alij, plus iusto continentes relinquantur: cùm alioquin Communitas damnum passura sit. Sin verò priuatus quispiam de numis plus iusti ponderis habentibus detrahat, ait Syl. falsarium non esse, idémque sentit P. Nau. n. 325. Sed mihi verisimile apparet, talem vt fraudatorem ac falsarium puniri posse: quia monetæ publicæ priuata auctoritate detrahit, cùm damno Communitatis: quod etiam visum fuit Iac. Menochio cit. casu 316. n. 38. Existimat tamen Angel. cit. §. 8. Tales, licet moniti à Confessario abstinere nolint, (quia putant id non esse iniustum, si de monetæ iusto pondere nihil dematur) absolui posse; quòd non satis manifestò appareat, eos mortaliter peccare.

Simile dubium est; Vtrum illi contra iustitiam peccent, qui meliores, aut ponderosiores numos seligunt, eósque conflant, vel cambiendo lucrantur; alios verò expendunt? Eodem modo, sicuti ad prius, respondent Angelus cit. §. 8. & Gabr. in 4. d. 15. q. 9. a. 3. dub. 3. Adr. in. 4. de restitut. vbi de vsuris, §. Quæritur ánne licet. Sed mihi alia de his ratio esse videtur: quandoquidem monetam publicam non preuertunt, aut permutant; sed cùm singulorum numorum domini existant, eorum alios arbitratu suo expendunt, alios verò retinent, conflant &c. *Nullus* autem *videtur dolo facere, qui iure suo vtitur*, regula ff. 55.

IV. Qui adulterinæ materiæ numos, puta stanneos, plumbeos tingunt, seu colorant, vt appareant aurei, argentei, falsi crimen committunt, sicuti colligitur ex l. quicunque, ff. Ad l. Corneliam, de falsis, & docent Abbas in cit. c. quantò, n. 4. Couar. cit. c. 8. n. 5. Sed quid si monetæ publica auctoritate cudantur, admixto v. g. cupro, illúdque temporis successu in aliquibus appareat, vt à mercatoribus egrè accipiantur; vtrum grauiter peccare censendi sint, qui tales numos argento viuo, aut sale madefacto illinunt, vt albiores, purioresque videantur? Non ausus sum tales damnare, si monetę, vt ponimus, publicam auctoritatem in eò regno habeant, & per eiusmodi tincturam deteriores non efficiantur.

V. Qui falsas monetas, puta stanneas, aut plumbeas pro argenteis scienter expendunt; nihil obstante, quòd antè etiam ab alijs decepti fuerint. Ita colligitur ex l. lege Cornelia, ff. eod. & docent Syl. q. 6. Couar. n. 4. Nau. cit. n. 167. Clarus n. 38. Mol. n. 9. Pet. Gregor. Tholos. lib. 36. Sintag. c. 3. Sed etsi bona fide, seu ignoranter aliquis expenderit, tenetur ad restitutionem ei, qui læsus fuit, sicuti notat Mol. cit. disp. 702. ad finem Pet. Nauar. lib. 3. c. 1. n. 312. Sed quid dicendum, si quis numum adulterinum, v. g. thalerum stanneum alteri donet, vel det mercatori scienti ac consentienti, quem probabiliter scit eo animo accipere, vt alium decipiat? Respondeo, illum peccare, & puniri posse, argum. cit. l. lege Cornelia: eò quòd cooperetur ad multas falsationes inde secuturas. Vide quæ dixi lib. 2. tract. 3. c. vlt. n. 4. ad finem.

Qvæstio Prima. Vtrum ius monetam cudendi, alijs donari, vendi, locari possit? Respondeo, & 6
dico I. Supremus Princeps seu Magistratus ius monetam cudendi, sicuti & alia regalia, alijs concedere potest: sed debet in ea re modum seruare secundùm ordinationes cuiusque regni: cùm in subditorum ac totius Reipub. graue detrimentum cessurum sit, si multi in regno aut prouincia ius monetam cudendi, vectigalia exigendi &c. sibi vendicent.

Dico II. Inferiores Duces ac Magnates, qui v. g. in Imperio ex Imperatoris concessione, cudendæ monetæ priuilegium obtinent, ij non possunt hoc ius alijs concedere, vendere, locare: quandoquidem eiusmodi regalia sunt specialia personarum priuilegia; quæ alienari nequeunt. Interim tamen non prohibetur quicunque Princeps, Dux, Comes habens ius monetam cudendi, vectigalia exigendi &c. vsum & commoditatem alteri in menses, annos elocare; vt ipse artem monetariam exerceat sub nomine ac signo Ducis, Comitis: qui proinde curam adhibere debet, vt Monetarius nec in materia, nec in pondere defraudet: alioquin etiam principalis ad damni restitutionem obligabitur.

Qvæstio Secvnda. Vtrum Princeps arbitratu 7
suo, & sine consensu subditorum, monetæ mutationem facere possit: siue intrinsecam, videl. de iusto pondere demendo, aut deteriorem materiam admiscendo: siue extrinsecam, videl. si nulla facta mutatione in monetis, decernatur maiore pretio recipiendas esse, quàm in se contineant. Communis Doctorum responsio est, requiri populi consensum. Ita apertè colligitur ex c. quanto, de iureiurando & docet S. Th. vel si alius auctor est opusc. de Regimine Principum. lib. 2. c. 13. Nicolaus Oresmius tract. de mutat. monetarum, c. 21. Innoc. Abb. & alij Canonistæ in c. quanto, de iureiur. Syl. ver. falsarius, q. 7. Couar. in collat. veter. numism. c. 7. n. 6. Alber. Brunus tr. de monetis, princ. n. 4. Martinus Garratus Laudensis in tr. de monetis, n. 8. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 337. Ratio est: Quia pecuniæ vsus & commoditas publica esse debet: at verò *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, reg. 29. in 6. Accedit, quòd per pecuniæ mutationem, puta si intrinsecus valor minuatur, vel extrinsecùs augeatur, magnam populo detrimentum inferatur: id autem iniustum est, nisi populus sponte consentiat.

Verùm huic doctrinæ duæ limitationes adhiberi solent: Prima est apud Innocentium, & Syl. locis cit. Quòd sufficiat consensus maioris partis Magnatum regni: quia in talibus rebus consensus maioris: aut potioris partis alicuius Communitatis, censetur consensus omnium, argum l. quod maior, ff. ad Municipalem: quandoquidem possibile non est, omnium omnino consensum postulari. Altera. Quòd ob euidentem causam seu necessitatem, Princeps pecuniæ mutationem facere possit, etiam non requisito populi consensu. Ita docet Oresmius cit. cap. 21. Couar. cit. c. 7. n. 6. Ioan. Faber Institut. Quibus modis tollitur obligatio, princip. Sed admonent, quòd Princeps, cessante necessitate, populo compensare debeat damnum, quod ob pecuniæ mutationem passi sunt. Exempli causa, si ingruentibus hostibus, ad bellum necessarium gerendum pecuniæ desint, duobus modis Princeps succurrere poterit, vel vt publico edicto monetarum omnium valor

valor extrinsecus augeatur: vel vt numi ærei pro argenteis, aut etiam aureis, impresso eodem valoris signo, cudantur, cum implicito pacto crediti; ita videlicet, vt quicunque finito bello tale signum attulerit, ipsi bonus numus argenteus, vel aureus ex eadem Principis officina dandus sit, vnde æreus prodierat. Quare tale signum non tam numi, quàm arrhæ, aut tesseræ rationem habebit.

Obijcies. Occurrente publica necessitate, ad quam tollendam Principis facultates non sufficiunt, populus contribuere tenetur: ergo ob eandem causam monetæ mutatio à Principe fieri poterit, absque damni compensandi obligatione. Respondeo ex doctrina Oresmij cit. c. 21. Tributum, vt iustum sit, exigi debet secundùm facultates subditorum, vt non alij multùm, alij verò parum, aut nihil grauentur: & instituendus est modus exactionis, quàm fieri potest, cum minimo Communitatis detrimento. At verò si monetarum mutationem Princeps instituat, aliqui subditorum ingentem iacturam patiuntur, ij videl. qui ob negotiationem, annuos reditus, &c. recipere coguntur: contrà, alij qui pecunias bonas abscondunt, vel auctiore pretio merces distrahunt, damnum nullum, sed ingens ferme lucrum ferunt. Aliaque plurima incommoda ex mutatione monetæ, præsertim secundùm intrinsecum valorem, prouenire solent, quæ à multis Scriptoribus passim annotata reperies; sed nos hoc tempore in Germania experti sumus.

8 Sunt autem incommoda ista: Primum. Egregia ansa præbetur numulariæ arti, per quam pecunias nunc mutuò accipiendo, nunc commutando, aut conflando, qui vel parùm industrij sunt, breui tempore quàm maximè ditescunt, cum aliorum multorum damno, & rei familiaris euersione. Hoc incommodum proponit Oresmius Episc. Lexouiensis, cap. 19.

Secundum. Negotiationes & commercia perturbantur, ac impediuntur. Nam mercatores in transportandis mercibus ex vna regione in alteram, secundùm bonas, easque maiores monetas contrahere solent: quæ si in aliena terra, vnde merces aduehuntur, minoris æstimantur, tantò plures numerari debent, cum ingenti damno eius regni, aut prouinciæ, in qua est auctior bonarum monetarum æstimatio. Contrà verò, merces omnes, & victualia, quæ in tali regno nascuntur, aut venduntur, leui pretio comparantur ab extraneis; quippe quorum bonæ pecuniæ plurimùm in hoc regno æstimantur. Cùm hæc scripsi in Germania superiore, æstimato thalero Imperiali floren. Rhenanis X. ducato autem XVI. gloriari solebant extranei, nunquam se minore pretio victitasse, & quæuis necessaria suis pecuniis comparasse: cùm interim incolæ ferme omnes de magna rerum charitate, atque inopia passim quererentur. Videri potest Oresmius cap. 18. sui tract.

Tertium. Si monetæ intrinsecùs vitiatæ cudantur, populi adiacentes seuerissimo interdicto, vti par est, eas proscribunt, & à terris suis ablegant. Ex quo fit, vt monetæ bonæ, ob necessarium cum finitimis populis commercium, è regno, aut prouincia extrahantur; vitiatæ autem ferme solæ remaneant. Accedit, quòd monetæ tales, ob materiæ deterioris, v.g. cupri admixtionem, ponderosiores, ideóque ineptiores sint ad transportandum, & negotiandum. Nam mercator v. g. tria millia ducatorum in crumena sua transferre potest: quorum tamen valorem in materia adulterina & cuprea, duo vel tres equi vix trahere possunt.

Quartum. Magni sumptus fiunt cudendis ac formandis monetis adulterinis. Nam præter Monetariorum, aliorumque operariorum, & Officialium stipendia, quin & frequentes fraudes; id quoque incommodi est, quòd cuprum, cuius admixtione moneta cuditur, tunc magno pretio emi debet: postea verò, cùm adulterinæ monetæ cudi desierunt, denuo vilescit; consequenter ipsæ etiam monetæ, ex tali materia conflatæ, contemnuntur. Vt taceam per istas conflationes, ac fusiones non parum materiæ bonæ igne absumi; sed longè plus à furibus abripi.

Quintum. Census, ac reditus omnes annui tali pecuniarum mutatione perturbantur: vt proinde domini, ac Magnates regni ex prædiis, vectigalibus, censibus emptitiis, integros prouentus suos consequi non possint: ex quo graue rei familiaris detrimentum incurrunt, neque status sui dignitatem decenter sustinere queunt. Sed ipsemet etiam Rex, seu Princeps Reipub. contentus esse cogitur, si tributi, aut vectigalis nomine, vitiatæ monetæ soluantur, quales ex eius officina prodeunt. Quamobrem coguntur Magnates subditis suis, iam antè propter pecuniarum mutationem exhaustis, nouas exactiones imponere. Sin autem populi facultates exhauriantur, nonne hoc incommodum denique in ipsum Reipub. caput redundare necesse est? Vt facilè appareat, tametsi vna parte ex monetarum mutatione Principi, aut Magistratui lucrum prouenire censeatur; maius tamen esse damnum, quando exhaustis plurimorum facultatibus, veluti siccatis riuis, denique etiam publicum ærarium, quod ex subditorum bonis sustentatur, diminui necesse erit. Vide Oresmium c. 18.

Septimum. Paulatim conflatis, vel à ditioribus absconsis monetis bonis, adulterinæ exosæ manent: ex quo magna rerũ ad quotidianum victum necessariarum inopia, & communis fames consequitur: sicuti his temporibus nimis experti sumus, quando rustici, propter monetæ vitium, nullis minis adigi poterant ad frumentum aduehendum, aut vendendum; nisi denique suo arbitratu æstimare concessum ipsis fuerit.

Octauum. Occasio præbetur plurimarum fraudum, atque litium coram iudicio, propter monetæ diuersitatem, in contractibus mutui, emptionis, &c. in frequentibus venditionum retractibus, censuum resignationibus. Exinde autem proueniunt priuatæ contentiones, atque inimicitiæ, non sine graui offensione diuini Numinis: particulares etiam tristitię eorum, qui grauem bonorum iacturam passi sunt, quando v.g. pro grandi summa veteris ipsis debitæ monetæ, nouam adulterinam decepti receperunt. Ita optimè etiam annotauit idem Oresmius Episcopus cap. 19.

Hæc satis ostendunt, grauissimè peccare Principem, aut Magistratum, si absque iusta necessitate, seu in priuatum suum commodum, monetæ mutationem instituat. Exempla reperies apud Abb. in c. quanto, num. 11. de iureiur. Gabr. in cit. q. 9. a. 3. dub. 1. Maiorem in 4. d. 15. q. 28. corol. 6. Si Princeps bonum monetæ genus reprobet, atque congregatum conflet, ac postea minùs valentem monetam cudi imperet, lucri sui causa: Item si omnem pene aureorum numorum copiam venditione, permutatione attrahat, vt deficiente auro in regno, eius pretium valde crescat: postea magno eo valore monetam cudi iubeat. 9

Accidit verò interdum, vt publica necessitas, v. g. belli difficilis, ac diu duraturi pecuniæ mutationem exigere videatur: præsertim si etiam hostes tali attentato remedio, pecunias auxerunt. quod his nostris temporibus, Caluinistæ, egregij in omni genere falsarij, primò factitare aggressi sunt, vt ex non magna argenti massa ingentem, admixto cupro, pecuniarum numerum conflarent: quamobrem viri multi prudentes necessarium esse duxerunt, atque Catholicis Principibus persuaserunt, vt defensionis, causa, aliquam etiam pecuniarum mutationem fieri curarent.

Id equidem in tali casu reprehendi haud potest: considerandum tamen erit, quisnam optimus, & tutissimus

succurrendi modus sit; ne alioquin, dum vnum incommodum auertere volumus, aliud maius inferamus. Et plerumque quidem expedire magis arbitror, vt materiâ metalli intrinsecùs non vitiatâ, bonarum monetarum omnium valor impositititius augeatur: monetæ autem vitiatæ, & adulterinæ seuerissima confiscationis pœna interdicantur: curandúmque, vt executioni sedulò mandetur, & non à malis Officialibus per negligentiam, aut collusionem dissimuletur. Nam hoc modo improborum hominum fraudes, & pleraque alia superiùs enumerata incommoda vitabuntur; pecuniæ bonæ ac veteres, etiam finito bello, vsum commoditatémque suam retinebunt; aduersariorum verò adulterini numi in dies magis contemnentur; vt vnde commodum sperârunt, inde potiùs detrimentum accipiant.

Qvæstio tertia. Cuiusnam lucro aut damno accidat monetarum mutatio, creditoris, an debitoris? Videlicet. Si aliquis ex contractu mutui, alteriúsve dispositionis, aut promissionis, debitor factus est centum thalerorum Imperialium, cùm singuli non plus valerent, quàm XVIII. pazios; tempore autem solutionis thalerorum auctior est valor, vt singuli æstimentur sesqui floreno, seu XXII. paziis, cum dimidio: plúsne, an minus, quàm accepit, an verò tantundem intrinseco, vel extrinseco valore restituere debeat; Eadémque difficultas est de diminutione; si contingat v.g. thalerum, qui nunc æstimatur sesqui floreno, deijci ad XVIII. pazios, seu florenum vnum cum tribus paziis, quomodo solutio facienda?

10 Pro solutione huius intricatæ difficultatis, hæc inprimis notanda sunt: Primum. Sicuti duplex est valor pecuniæ, vti suprà dixi num. 3. vnus intrinsecus, qui attenditur secundùm materiæ qualitatem, & pondus; alter autem valor extrinsecus & impositititius: Ita duplex pecuniæ mutatio fieri potest; vna secundùm intrinsecum eius valorem; vel de iusto pondere detrahendo, vel deteriorem materiam admiscendo: altera secundùm valorem seu æstimationem extrinsecam, si manente eadem materiæ bonitate, secundùm se & intrinsecè spectata, pluris aut minoris fiat. Quibus addi potest tertia mutatio, quæ est simul intrinseca & extrinseca.

11 Alterum. In obligationem ac debitum pecuniarium interdum venit certa pecuniæ species; interdum autem pecunia incerta, & indeterminata. Exemplum primi: Si alicui mutuos dedi decem thaleros Imperiales, eo pacto, vt etiam in thaleris solutio fiat. Exemplum secundi: Si alicui mutuos dedi decem thaleros, æstimatos tunc quindecim florenis argenteis. Nam florenus argenteus Rhenanus apud nos in instrumentis debitorum apponitur, non vt certa species pecuniæ; sed potiùs vt genus, seu æstimatio ac mensura omnis pecuniæ probæ, ac receptæ.

Tertium. Interdum species pecuniæ, in qua solutio fieri debeat, inseritur causa demonstrationis tantùm; interdum causa æstimationis tantùm; interdum verò causa vtriusque. Exemplum primi. Si mutuò dans quindecim florenos v. g. in thaleris, paciscatur, vt solutio etiam fiat in thaleris: nihil solicitus de æstimatione thalerorum, sed eam fortunæ committens. Exemplum secundi. Si decem thaleros mutuò dans paciscatur, vt nec minor, nec maior numerus thalerorum restituendus sit: Idque non propter speciem pecuniæ secundùm se: sed propter æstimationem eius variabilem. Vult itaque decem sibi thaleros in specie restitui, vel aliam pecuniam solutionis tempore æquiualentem. Exemplum tertij. Si quis mutuò dedit thaleros, cum pacto, vt totidem omnino thaleri secundùm speciem restituantur, sicuti accepti sunt. Hæc ex communi Doctorum sententia.

12 Assertio Prima. Si moneta mutata fuit tam intrinseca bonitate, quàm extrinseco valore seu pretio communi, tunc alia pecuniæ species censetur: quamuis fortasse secundùm nomen cum priore moneta conueniat: quare hoc casu veteres numi soluendi sunt: aut noui, secundùm æstimationem veterum. Ita habetur in c.cùm Canonicis, de censibus, & ex communi docet Couar. de mutat. monetarum, §. vn. n. 3. Anton. Faber. de variis numarior. debitor. solutionibus, c. 2. n. 29. Carol. Molinæus de vsurar. contract. q. 100. n. 759. Ioan. Faber Instit. Quibus motis tollitur obligatio, princ. Imò in hac assertione Doctores omnes consentiunt. Quia cùm noua pecunia veteri, quæ in obligatione extitit, non æquiualeat, clarum est, eius vicem in solutione subire non posse. Exemplum. Si hodie promisisti soluturum te thalerum Imperialem, censeris intellexisse de thalero, qui nunc in vsu est: quare etsi accidat postea thaleros cudi materiæ deterioris, qui proinde etiam æstimationem minorem habeant, soluere debebis thalerum antiquum, aut saltem secundùm æstimationem antiqui.

Assertio secvnda. Si monetæ species certo numero in pactionem obligationémque deducantur, illarum superueniens mutatio extrinseca creditoris commodo, vel incommodo cedit: quia tot numerò species tempore constituto solui debent, quot in pactionem venerunt, si earum extrinsecus valor auctus, siue diminutus sit. Hæc est communis DD. sententia apud Couar. cit. §. vn. concl. 7. Abbat. in cit. c. quanto, n. 15. Mol. t. 2. de iust. disp. 314. concl. 2. ver. Excipe, Rebel. de obligat. iustit. p. 2. lib. 11. q. 15. n. 8. Philiarchum de off. sacerdot. tom. 2. lib. 5. c. 6. Anton. Fabrum de variis numar. debitor. solut c. 2. Exempla sunt: Si emi à te domum 1000. ducatis, in specie & numero soluendis: vel si mutuò dedi tibi 1000. ducatos, eodem numero ac specie restituendos; ita solui debent, nihil obstante, quòd eorum valor extrinsecus auctior fiat. Dummodo pactio iusta fuerit; quia interest v. g. mutuatoris, qui aureos ad illud tempus auctionis seruasset: vel si æquale periculum fuerat tum accrementi, tum decrementi monetarum, vti docent Syl. ver. vsura, q. 14. & 15. Philiarchus, & Rebellus ll. cc. & dicam de hac re infrà, tract. 4. c. 16. num. 12. Ratio verò assertionis est, quia, vniuersim loquendo, cùm certa rei species debetur, illaque ante moram debitoris (quam semper exclusam volumus) auctior, vel diminutior fiat, intrinseco, aut extrinseco valore, commodo vel incommodo creditoris id accidit. Vt si tibi promittam hunc thalerum Imperialem me daturum, tuo commodo cedet, si eius valor augeatur. Eadémque ratio est, si dicam: talem thalerum tibi dabo: quia monetæ eiusdem speciei ac formæ ita æquiualent, vt vna alterius vicem semper subire possit. 13

Sed dubium est: Qui certam speciem, ac numerum monetæ promisit, vtrum aliam eiusdem valoris seu æstimationis pecuniam soluendo, liberetur? Communis, & vera Doctorum responsio est negatiua, apud Couar. cit. §. 1. conclus. 1. Anton. Fabrum c. 3. n. 3. Fridericum Martini de iure censuum, c. 5. n. 116. Eadémque ratio est, si conuentum sit, vt solutio in auro fiat, non tenetur creditor argenteam monetam, quamuis probam, eiusdémque æstimationis, recipere. Quia *contractus ex conuentione legem accipiunt*, l. 1. §. si conuenit, ff. depositi, & reg. 23. ff. Et, *aliud pro alio inuito creditore solui non potest*, iuxta l. 2. § 1. ff. si certum petetur. 14

Excipe primò: Si species monetæ promissæ omnino periit, aut reprobata est, tunc alia eiusdem æstimationis solui potest, ac debet, argum. c. olim, de censib. vbi id notat Glos. vlt. & Abb. num. 4. Albertus Brunus de monet. part. 2. n. 3. & part 5. n. 1. Martinus Granatus de monetis, n. 13. Mynsing. cent. 4. obser. 1. n. 6. Andr. Gaill. l. 2. obseru. 73. num. 7. Carol. Molinæus de vsur.

contract. q.91. num. 691. Frider. Martini cit. c. 5. num. 119. contra Ioan. Fabrum loco suprà cit. existimantem, debitorem hoc casu omnino liberari; quia impossibilis ei fit pecuniæ promissæ solutio. Sed respondetur: In contractibus, præsertim onerosis & reciprocis, ad duo debitorem in tali casu obligari; & ad soluendum pretium pecuniarium certum, vel incertum seu fortunæ commissum; & ad soluendum illud in certa specie monetæ. Quæ duæ obligationes diuiduæ sunt, ita, vt tametsi posterior tanquam accessoria, & minùs principalis impleri nequeat, tamen prior persistat, iuxta iuris reg. 37. *Vtile non debet per inutile vitiari.*

Locutus sum autem de onerosis contractibus. Sin autem promissio liberalis fuit donandi aliquos talis speciei nummos, ex intentione promittentis pendet, vtrum ad talem monetæ formam principaliter se obligare voluerit; an verò solùm accessoriè, vt talibus numis abolitis, eorum tamen æstimationem soluere velit. Et hoc posterius in dubio præsumendum videtur; excepto, si determinatus numus promissus sit, v.g. hunc aureum, quem ludendo lucratus sum, tibi donabo; eo ante soluendi moram; sine culpa promissoris deperdito, omnino liberabitur promissor.

Excipe secundò: Si ostendi possit, nihil interesse creditoris, in moneta, de qua conuentum, an in alia ipsi solutio fiat. Sumitur ex cit. c. olim, & l. 99. ff. de solut. *Paulus respondit, debitorem non esse cogendum in aliam formam numos accipere, si ex ea re damnum aliquod passurus sit.* Ergo videtur cogendus esse, si nullum damnum patietur. Quod verò Gl. in l. si quis argentum, C. de donat. & Doctores alij apud Couar. cit. §. vn. conclus. 1. de consuetudine testantur, vt debitum vnius monetæ alia quacunque æquiualente, ac proba, modò non minutissima sit, solui possit; id non arbitror intelligendum, si expressa conuentio facta fuit, vt in certa monetæ specie solutio fiat, & creditoris intersit ita fieri. qua de re videri potest Carol. Molinæus quæst. 92. num. 708. Anton. Faber. cap. 7. num. 11. Sed ea est rationabilis consuetudo, vt, si nihil de specie monetæ conuentum fuit, in qualibet vsitata, & proba fieri possit; modò non magna solutio fiat in minutissimis numis, cum magno numerandi labore.

15 ASSERTIO TERTIA. Si nulla facta designatione speciei, aut facta quidem, sed numero incerto, quantitas pecuniaria in obligationem deducatur; ac postea extrinseca monetarum mutatio fiat, ea commodo, vel incommodo debitoris accidit: vt tantò pauciores numos soluere cogatur, quatenus eorum valor auctus est; vel tantò plures, quatenus eorum valor extrinsecus diminutus fuit. Hanc sententiam ex Iureconsultis amplexus est Ioan. Faber tit. Instit. Quibus modis tollitur obligatio. Tholos. cit. c. 2. num. 27. Carol. Molinæus q. 92. Mynsinger cent. 4. obseruat. 1. Couar. cit. §. vn. nu. 3. in fine, & conclus. 4. Frider. Martini cit. c. 5. num. 66. & c. 8. num. 59. Ex Theologis verò Sotus lib. 6. de iust. q. 1. a. 2. & q. 12. a. 1. Syl. ver. solutio, q. 2. Pet. Nauar. lib. 3. de restit. c. 2. num. 259. Tolet. lib. 2. c. 34. num. 2. Ioan. Medina C. de restit. q. vlt. ver. Ideo fatentur. Rebellus p. 2. lib. 11. q. 15. conclus. vlt. Vincent. Filliucius in moral. qq. tract. 35. num. 490. ver. Quintò. Ludou. Molina tom. 2. disp. 312. conclus. 1. Exemplum. Si centum ducatos tibi mutuò dem, hoc solo pacto, vt tantundem in proba moneta restituas: vel si quantitas debiti in pecunia expressa fuit, non vt in specie, sed vt in mensura, videl. vt centum ducati, valentes eo tempore Rhenanis argenteis 200 florenis, restituantur: vel denique si species monetæ soluendæ adiecta fuit causa demonstrationis tantùm, non æstimationis; videlicet quòd solutio debiti in auro, seu in ducatis fieri debeat; non expresso numero specierum, sed fortunæ commisso: his casibus, inquam, auctio, vel diminutio extrinseca monetæ proderit, vel oberit debitori.

Hæc assertio inprimis probatur consuetudine Imperij, secundùm quam crescentibus monetis secundùm valorem extrinsecum tantùm, debita pecuniaria omnia minore monetarum numero soluuntur. Quo modò Imperator Ferdinandus I. Anno Domini 1559. in Comitiis Augustæ, florenum aureum Rhenensem octodecim paziis valentem, sine sui intrinseca immutatione, tribus crucigeris auxit; & potestatem fecit debitoribus, eo valore auctiore debita sua dissoluendi. Secundò probatur ratione. Nam auctio vel diminutio pecuniarum ideo decernitur, vt secundùm eam mercationes, & solutiones debitorum fiant: ergo si decretum æstimationis iustum est, vt ponimus, seruari potest, ac debet. Alioquin si debitor vnius v. g. ducati æstimati duobus florenis argenteis, postea eius æstimatione aucta ad duos florenos & duos pazios, integrum ducatum soluere deberet, amplius ab ipso exigeretur, quàm in promissionem, obligationémve deductum fuerat.

Aduerte autem hic primò; Doctores hac assert. allegatos, licet re ipsa consentiant, tamen diuersimodè loqui solitos: Nam alij aiunt, in debitis pecuniariis, quibus species monetæ certo numero soluenda expressa non fuit, attendendum esse ad tempus contractus: alij verò, attendendum esse ad tempus solutionis. Et vtraque pars rectè docet, diuersa habitudine: Siquidem tempus contractus inspiciendum est, vt intelligatur quantitas debiti, seu valor pecuniæ v. g. mutuò datæ, quem illo tempore habuerant: videl. quòd 100. ducati confecerint 200. florenos. At verò tempus solutionis inspiciendum est, vt intelligatur valor pecuniæ, per quam solutio fiet: quia secundùm eum pecunia numerari debet. Quam doctrinam leges apud Anton. Fabrum c. 2. num. 36. & seqq. & c. 21. principio.

Aduerte secundò: Eiusdem assertionis doctrinam latè accipiendam esse, vt locum habeat in omni dispositione contractus, sententiæ, statuti pœnalis, vltimæ voluntatis, &c. Est enim generalis, & ex terminis manifesta ratio, attendendum esse hinc quidem, quid, & quantum in promissionem, obligationem, aut quamcunque dispositionem venerit: illinc verò, quid, & quantum in solutione contineatur. Si itaque tempore dispositionis actum fuit de certo numero specierum, vel certo cumulo numorum, qui v.g. in arca conclusus est: hoc ipsum solui debet, vel saltem alia moneta, solutionis tempore æquiualens. Sin verò tempore dispositionis actum non fuit de certo numero specierum, sed absolutè constitutum, vt dentur tot floreni, thaleri æstimati tanto numero paziorum, crucigerorum: tunc inprimis spectandum est, quanta summa, in dispositionem venerit: deinde verò quid solutionis tempore pecuniæ valeant, ad summam debiti conficiendam. Modò nulla debitoris mora interuenerit in soluendo, neque negligentia creditoris in recipiendo: alioquin superueniente mutatione pecuniaria; compensandum erit: illinc, quantum interest creditoris suo tempore solutionem factam non fuisse: hinc verò, quantum interest debitoris pecuniam suo tempore non receptam fuisse. Qua de re videri potest Couar. cit. §. vn. conclus. 5. Anton. Faber de variis debit. numat. solut. c. 10. Gaill. lib. 2. obser. 73. num. 9.

Cæterùm oppositum nostræ assertionis plerique vtriusque iuris Doctores tenere videntur, cum Bartolo in l. Paulus, ff. de solut. Hostiensi in c. quanto, de iureiur. Ita enim testantur Couar. Molinæus, Frider. Martini locis citatis: eandémque sententiam, tanquam communem, citant, & sequuntur Albertus Brunus de monetis, p. 1. in conclus. partic. 3. & limit. 1. Anton. Faber c. 6. num. 4. Andr. Fachinæus lib. 2. controuers. iuris, c. 9. Tiraquell. lib. 1. de retractu, §. 1. Gloss. 18. Nauar;

cap.27.man.num.294. Azor tom.3. lib.10. cap. 7. q. 2. Quos Doctores conciliare nititur Rebellus cit. concl. vlt. Et mihi etiã incredibile videtur, negare eos voluisse, si iusta, & stabili lege, vel communi populi consensu & approbatione decernatur, vt moneta auctiore, quàm antè solebat, valore recipiatur, quominus secundùm talem legitimam taxationem, debitorum solutiones fieri possint. Veruntamen hæc ipsa doctrina, adeóque assertio nostra tertia aliquot limitationes, seu declarationes requirit.

16 Prima limitatio est. Si auctio valoris extrinseci monetarum facta est non legitima potestate; sed improba fœneratorum & campsorum consuetudine, populo reliquo non consentiente, sed improbante: eius ratio in soluendis debitis, præsertim antiquis, nulla habenda est. Quæ est nota, & ab omnibus probata declaratio.

Altera. Si talis auctio lege publica constituta sit, sed non stabili & vt perpetuò duratura. Etenim auctionem, sicuti & diminutionem valoris extrinseci, publica potestate eo pacto constitutam esse oportere, vt constans & perpetua sit, præter alios docet Couarruu. cit. §. vn. conclus. 6. & colligitur ex l. 1. ff. de contrahend. empt. vbi ait IC. quòd pecunia *publicam, & perpetuam* æstimationem habere debet, ad subueniendum difficultatibus permutationum. Quamobrem si Principis edicto, vel populi consensu statuatur, vt monetarum pretia in duplum aucta sint, quamdiu v.g. necessitas bellica perdurat; nullo modo admittendum erit, vt antiquorum debitorum obligationes secundùm auctiorem illum valorem soluantur. Quia neque Principis statuentis, neque populi consentientis voluntas fuit, aut esse potuit, vt monetarum mutatio admodum notabilis, & valde discrepans ab intrinseco valore, constituatur, nisi quatenus id necessarium est ad præsens periculum pellendum; non autem cum graui præiudicio & damno eorum creditorum, quibus veterum obligationum ius quæsitum fuit, vti bene etiam notauit Anton. Faber de var. solut. debitor. pecuniar. c.4. num. 50. Sicuti etiam non expedit, neque possibile est, valde exorbitantem extrinseci valoris excessum diu in Republ. continuari: cùm ea res in maximum eius detrimentum cedat, vti constat ex suprà dictis.

Tertia. Si magna seu notabilis extrinseci valoris auctio proueniat ex intrinseca deprauatione monetarum: hoc enim casu receptissima est Doctorum sententia, solutionem antiquorum debitorum faciendam esse secundùm intrinsecam bonitatem, ac valorem veteris monetæ; nihil attendendo ad valoris extrinseci augmentum, quod pecuniæ solutionis tempore habent, vti docent Albertus Brunus cit. p. 1. in conclus. n. 3. vbi ait, id esse indubitatum; Anton. Faber in cit. suo tract. cap. 6. & fusè explicabo infrà assert. 6.

17 Hîc verò aduertendum esse duxi; Merè extrinsecam auctionem monetarum iusta & stabili lege nunquam constitui, vt sit magna & notabilis. Si enim monetæ, vt ponimus, iusto metallo, ac pondere cusæ sunt, non est ratio, cur earum valor multùm excrescat, aut decrescat, si in monetis nulla intrinseca deprauatio fiat. Accidit quidem, vt quædam monetæ, videlicet thaleri, ducati, &c. comparatione minutiorum intrinsecùs non vitiatarum monetarum, maiorem transportandi, negotiandi opportunitatem, vtilitatémque habeant; & idcirco supra valorem suum intrinsecum, si is secundùm se spectetur, earum commodiorum monetarum valor extrinsecus augeatur: sed eiusmodi auctio exigua est, & valde rationabilis: atque secundùm talem auctionem debitorum, etiam veterum, solutionem fieri posse, dixi in assertione tertia, & arbitror Doctores alios non negaturos. Sin verò, vt præteritis annis in Imperio experti sumus, auctio monetarum grandiorum, puta thaleri, ducati, &c. præcipuè accidat propter deprauationẽ, seu intrinsecam diminutionem monetarum minutiorum; tunc alia quæstio euadit, ad quam paulò post respondebo.

Assertio quarta. Si valor monetarum extrinsecus crescat in manu depositarij, administratoris, aut cuiuscunque possessoris, ordinariè tale augmentum non ad ipsum, sed ad dominum monetarum pertinet. 18
Ratio est manifesta: Quia id augmentum est quoddam accidens monetæ: ergo eiusdem esse debet, cuius est moneta: quemadmodum etiam decrementum valoris, si contingeret, ad eundem pertineret. Ex quo resolues; Si ex gazophylacio alicuius Ecclesiæ, Præfecto pecunia tradatur custodienda, eiúsque pretium postea augeatur; restituendam esse pecuniam secundùm valorem temporis, quo solutio aut restitutio fit.

Excipe primò: Nisi administrator, v.g. templi Præfectus, ius habeat pecunias elocandi in censum: tunc enim ipsemet in censum accipere potest, vt pecuniarum dominium acquirat, cum obligatione restituẽdi suo tempore capitale, vnà cum annua pecuniaria pensione secundùm communem taxationem.

Excipe secundò: Si Depositario, Administratori; aut Officiali, tali lege tradatur pecunia, vt ipse omne periculum etiam casus fortuiti præstare teneatur: tũc contractus videtur transire in mutuum, dominiúmque pecuniarum transire in ipsum accipientem: imposita illi obligatione personali, vt eandem quantitatem pecuniarum tempore constituto restituat. Quo casu augmentum, sicuti & decrementum valoris pecuniæ, ad ipsum pertinere videtur.

Porrò in Administratoribus Ecclesiarum, Tutoribus, &c. etiam hoc considerandum est: Si illi nollent speratum pecuniarum augmentum ad Ecclesiam, vel pupillum pertinere, deberent plerumque pecunias in censum elocare, vel ad negotiationem dare. Si igitur id non faciant, æquum est, vt augmentum pecuniæ ipsi Ecclesiæ, seu pupillo relinquatur. Quamuis propter periculum casus fortuiti, si id ipsis incumbat, & alio modo non compensetur, partem moderatam augmenti, seu lucri sibi retinere tali casu non prohibentur.

Assertio quinta. Si mutatio monetarum facta est in bonitate intrinseca, videlicet in materia, aut pondere, attendendum est tempus contractus, non solutionis: id est, debita pecuniaria soluenda sunt secundùm bonitatem monetarum, quam habuerant tempore contractus, non solutionis. Hæc est communissima Doctorum sententia Bartoli, & aliorum in l. Paulus, ff. de solut. Abb. & aliorũ in c. quantò, de iureiur. Couar. cit. §. vn. conclus. 3. Tiraquelli de vtroque retractu, lib. 1. §. 2. Gl. 18. Anton. Fabri de variis pecun. debitor. solut. c.4. n.10. Filliucij tr.35. p. 2. n. 49. ver. Secundò si pecunia. & aliorum, quorum catalogum attexere necesse non est: quia huius sententiæ singularis oppugnator, Carol. Molinæus in sua analysi, q. 100. de monetarum mutatione, num. 749. ita confitetur: *Omnes & veteres, & medij, & recentiores (vno Ioan. Fab. excepto Auth. hoc nisi, C. de solut.) vna voce vbique tenuerunt, et tenent semper, ac indistinctè: siue debeatur pecunia in genere abstracto quantitatis, puta tot libræ: siue certa species monetæ, puta mille aurei: debere attendi, et exigi bonitatem intrinsecam, quæ erat tempore contractus, siue cuiuscunque dispositionis.* Ratio fundamentalis huius receptissimæ doctrinæ peti debet ex natura iustitiæ commutatiuæ. Id enim iustum est, vt in omni debito tantundem, ea specie, genere, & qualitate seu bonitate, soluatur, sicuti in obligationem deductum est: Si autem ante annos decem emisti domum mille florenis argenteis Rhenanis: vel accepisti mutuos mille florenos Rhenanos, debitor factus es talium florenorum: siue in specie, siue in genere, quales tempore contractus in vsu erant: ergo etiamsi postea noui floreni deteriores cudantur, solutionem facere non potes in 19

nouis florenis, aut secundùm æstimationem nouorum; sed veteres, quales promissi, aut secundùm æstimationem veterum soluendi sunt. Ita etiam vice versa, si accidat post contractam obligationem florenos meliores, ac ponderosiores cudi, eiusmodi nouos soluere non cogeris, sed veteres, quales promissi, aut secundùm æstimationem veterum.

20 Neque refert, tametsi in dispositione, seu obligatione adiectum non fuerit eius generis, seu intrinsecæ bonitatis ac qualitatis monetam soluendam esse, qualis eo tempore in vsu erat: quia id semper præsumitur, donatorem v.g. promittentem centum florenos; aut testatorem totidem legantem, loqui de moneta, qualis eo tempore vsitata: talis igitur pecunia, aut æquiualens eius æstimatio præstanda erit, qualis promissa, donata, legata, vti ostendit præter alios Anton. Faber. cap. 21. sui tractatus.

Id verò manifestius est in contractibus onerosis. Nam mercium v.g. æstimatio fieri solet secundùm monetas eo tempore vsitatas, vt domus veneat mille florenis, equus centum: sin autem emptor in multò deterioribus postea cusis florenis solutionem facere velit, non erit id iustum mercis pretium: quia talibus diminutis florenis domus venditionis tempore constabat non mille, sed fortasse bis mille; non centum, sed ducentis. In mutui item contractu, si dati sunt floreni argentei centum, ac postea cudantur alij floreni multo ære admixto, si in his restitutio fiat, non reddetur tantundem secundùm idem genus & qualitatem, sicut natura mutui postulat: siquidem centum floreni ærosi, neque contractus, neque solutionis tempore æquiualent centum florenis argenteis, quales mutuatarius accepit. Quare rectè dixit Pomponius in l. 3. ff. de rebus creditis: *In contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est: id autem agi intelligitur, vt eiusdem generis, & eadem bonitate soluatur, qua datum est.*

Obijcitur. Si nouus florenus cusus sit admixto ære, signo tamen & charactere legitima potestate impresso, talis florenus æquiualet floreno veteri, cuius non species, sed æstimatio indeterminatè promissa fuit: ergo eiusmodi ærosi floreni solutione satisfiet creditori. Respondeo.

21 Vel eiusmodi ærosa, seu intrinsecùs vitiata moneta cusa, aut in prouinciam introducta est, aliis monetarum speciebus non immutatis neque intrinsecè, neque extrinsecè: sicuti factum aliquando est, vt v.g. denariorum, aut crucigerorum quoddam genus intrinsecè deterius, cum aliis melioribus eiusdem taxationis monetis introduceretur, atque etiam reciperetur à mercatoribus; sed tali pacto, vt pretium mercis plerumque augerent: sin verò boni ac veteres numi soluerentur, pretium minuerent. Hoc casu dico, creditorem, qui bonos argenteos florenos dederat, non obligari ad recipiendum nouos deteriores: quales si cum datis comparentur, æqualitatis rationem in ordine ad vsum non seruabunt. Si enim creditor accipiat mille bonos denarios, quales dederat, comparabit decem vlnas panni: sin verò deteriores accipiat, tantùm nouem comparare sibi poterit: sin autem hos cum bonis, quales dederat, permutare seu cambire voluerit, non mille ipsi dabuntur, sed solùm nongenti. Videri potest Anton. Faber cap. 4. num. 39.

Vel simul etiam aliarum monetarum valor immutatus est, quod plerumque fieri solet propter intrinsecam deprauationem pecuniarum minutiorum. Quia enim crucigeri, ternarij, &c. deteriores cudi iam solent, quàm olim cudebantur, ideo horum maximè respectu, bonorum thalerorum valor auctus est valore extrinseco.

22 Hoc casu iterum distinguendum est: Vel enim intrinseca mutatio seu imminutio monetarum, & consequenter extrinseca auctio meliorum monetarum exigua est: tunc fateor, eius mutationis considerationem non esse; sed solutionem debitorum etiam à his monetis fieri posse, secundùm præsentem earum valorem, vti docet idem Faber cap. 23. num. 11. Idque probatur ex generali consuetudine: Constat enim, in plerisque Europæ prouinciis veteres monetas aureas, & argenteas melioris materiæ, maiorisque ponderis olim fuisse, quàm quæ postea in earum locum substitutæ sunt, & tamen censuum, ac prædiorum oppigneratorum redemptiones his ipsis aliquantulum leuioribus monetis, absque creditorum querela, fieri solent.

Vel intrinseca mutatio seu imminutio monetarum, 23
& consequenter auctio extrinseca meliorum monetarum magna est, tunc arbitror, creditoris ius tuendum fore, vt in tali moneta antiqui debiti solutionem recipere non teneatur. Exemplum. Anno Domini M. DC. Titius mille thaleros Imperiales mutuò dedit Caio, quorum singuli eo tempore æstimabantur XVIII. paziis, & conficiebat hæc summa argenteos Rhenenses florenos MCC. Postea verò, propter deteriorum monetarum frequentem procusionem, thalerorum bonorum, cuiusmodi accepti erant, valor multùm auctus fuit, vt Anno M.DC.XX. vel Anno M.DC.XXV. quo solutio facienda est, quatuor thaleri, licet intrinsecè non meliores, sed potius deteriores cudantur, extrinseca tamen taxatione æquiualeant quinque thaleris datis tempore contractus. Hoc casu Caius debitor secundum præsentem monetarum valorem soluere vult thaleros tantum DCCC. Sed Titius creditor questus de inæqualitate solutionis, eam recipere recusat.

Dico, in hoc casu, secundum naturalis iustitiæ æquitatem; gentium, ac Cæsarea iura, pro creditore pronuntiandum fore: & esse hanc communem Doctorum sententiam, fatetur eius oppugnator Carolus Molineus q. 92. & 100. Ratio sumi debet ex monetæ essentiali constitutione, duas partes complectente, iuxta l. 1. ff. de contrah. empt. quarum prior habet se vt materia ac fundamentum, videl. bonitas, & quantitas materiæ, ad eum vsum selectæ: altera se habet vt forma, videl. character seu signum æstimationis materiæ, publica potestate ac stabili lege impressum, vti explicaui suprà n. 2. & seqq.

Non disputo hîc, vtrum horum principalius in numo censeri debeat, signum, an subiecta materia. Sufficit, quòd vtrumque substantialiter requiritur, sicuti forma & materia ad compositum: vt neque informis argenti materia numi rationem habeat; neque numus verus ac legitimus censeri possit, cui subiecta materia non respondet, in ordine ad commutationes & commercia peragenda.

Hoc posito, ita argumentari licet: Naturalis ratio iustitiæ, gentium, & Cæsarea iura postulant, vt in omni mutuo tantundem eodem genere, ac bonitate, adeóque æquiualens reddatur ei, quod datum fuit. Dati autem fuerunt ante annos XX. vel XXV. thaleri mille, quibus tempore solutionis DCCC. thaleri non æquiualent, seu eandem bonitatem, æstimationémque iustam ac legitimam non habent. Ergò non satisfit creditori restituendo ipsi thaleros octingentos. Maior est certa. Minor probatur. Olim enim valebat thalerus crucigeros LXX. vel LXXII. nunc autem valet crucigeros XC. Atqui nostrates crucigeri XC. secundum veritatem, & substantiam non plus valent, imò minus, quàm ante annos XXV. crucigeri LXX. Ergo neque thalerus secundum veritatem plus iam valet; imò verò minus, quàm valebat tempore mutationis. Quamobrem neque in ordine ad commutationes melior seu vtilior est thalerus, quàm erat ante annos XXV. cum certum sit, rerum omnium pretia simul cum pecuniarum mutatione augeri, iisque crescentibus, accrescere.

Dico autem, *secundùm veritatem* thalerum plus iam

non valere quàm olim valebat. Nam extrinſeca, ſeu potiùs fictitia ſpecie plus valet, videl. XC. crucigeros, cùm olim tantùm valeret LXX. Veruntamen crucigeri, quibus nunc vtimur, valde immutati ſecundùm intrinſecam bonitatem, verè non æquiualent, neque eiuſdem formæ aut eſſentiæ cenſeri poſſunt cum crucigeris antiquis, quales in mutuationem venerũt. Neque enimuero vlla lege ſtabili ac diu duratura conſtitui poteſt, vt moneta intrinſeca bonitate notabiliter vitiata, tamen æquiualeat bonæ ac legitimæ; præterquam ſi omnes nationes, quibuſcum nobis commercium eſt, in eandem notabilem mutationem conſentiant; alioquin verò non erit iuſta, ſed ſuperexcedens; neque Reipub. commoda, ſed planè noxia numi taxatio, ſicuti conſtat ex dictis ſuprà num. 2. not. 3. & fusè oſtendit Anton. Faber toto ſuo tractatu, præſertim cap. 1.

Confirmatur doctrina. Eſt enim communis omnium ferme Doctorum, ideóque quaſi preiudicata ſententia. Si notabilis intrinſeca mutatio pecuniarum fiat, ſolutionem debitorum faciendam eſſe ſecundùm æſtimationem & valorem pecuniarum, qui erat tempore contractus non ſolutionis. Hæc autem monetarum mutatio, quæ intra viginti circiter annos accidit, intrinſeca, atque notabilis eſt. Cuduntur enim crucigeri, binarij, pazij longè deteriores, quorum quatuor vix æquiualent tribus antiquioribus, quales in mutuationis contractum venerunt. Atque earum vitiatarum tantùm reſpectu valor extrinſecus thalerorum, & ſimilium grandiorum monetarum augetur; indies etiam magis augendus, niſi remedium adhibeatur.

Addendum etiam eſt, quòd hæc mutatio, ſeu deprauatio pecuniarum originem, aut approbationem non habet ab vlla Imperiali Conſtitutione: neque à populo communem conſenſum, ſed improba, præſertim fœneratorum, & campſorum negotiatione, per abuſum introducta, interim toleratur, donec pecuniarum generalis reformatio in Comitiis fiat. Qua de re legi poſſunt, quæ, allegatis pluribus Imperialibus Conſtitutionibus, & Cameræ Imperialis iudiciis, doctè in hac ipſa cauſa congeſſit Arrig. Felſerus IC. Quamobrem hoc locò argumentum ſumere non licet ex quarundam prouinciarum, & tribunalium conſuetudine, quæ facti tantum eſt, non iuris: cùm non habeat legitimam originem, nec populi communem conſenſum, ſed quotidianam querelam. Et quòd in hoc caſu quibaſdam locis pro creditore non iudicetur, contra debitorem, cauſa eſt, non quia id iuſtum non ſit; ſed quia ob litium multitudinem ac varietatem non expediat, donec generalis de hac re conſtitutio fiat: præterquam, quòd Iudicibus ſententia Molinei, & aliorum paucorum, quamuis contra communem ſit, tamen probabilis, & pro praxi iudiciaria expeditior videri poſſit. Nos autem, abſtrahendo à praxi, quam ſicuti nec probamus, ita nec omnino damnare audemus, diſputamus hîc, quid iuſtum ſit, ſpectatis legibus Cæſareis, ſpectata inſtitutione ac fine numi, vt ad negotiationes & commercia vtilis exiſtat; ſpectata denique eſſentiali conſtitutione numi, vt character, & exterior æſtimatio interno valori reſpondeat: cùm alioquin veritas characteris corruat; ideóque ſtabili lege conſtitui nequeat, præſertim cum præiudicio creditorum, quibus propter antiquas obligationes ius acquiſitum fuit.

Sed quæret aliquis: Quænam cenſeri debeat mutatio pecuniarij valoris modica, cuius conſiderationem habendam non eſſe, ſuprà dictum fuit: quæ verò magna, ſeu immodica, vt obeſſe non debeat creditori, quominus bonam, qualem ipſe dedit, non intrinſecùs diminutam, & extrinſecè auctam pecuniam exigere poſſit?

24 Reſpódeo. Magnus ſeu immodicus extrinſecæ taxationis exceſſus, ſupra iuſtum valorem intrinſecum monetarum, conſtitui non poteſt per legem ſtabilem, & perpetuò duraturam. Exempli cauſa; Ante annos XL. cuius fuit thalerus Imperialis iuſto valore XVII. paziorum; non potuiſſet anno ſequente conſtitui vt valeret pazios XXII. cum dimidio, niſi ad tempus aliquod, propter neceſſitatem: Alioquin fuiſſet iniuſta lex, ſeu taxatio numi. Sed mutatio valoris pecuniarij temporis ſucceſſu paulatim introducitur, ferme propter intrinſecam monetarum, præſertim minutiorum, aliquam deprauationem. Quemadmodum enim omnia alia in hoc mundo paulatim deficiunt; ita & hominum fidelitas, ac mutua charitas; quamobrem, inſtigante cupiditate, paſſim iuſto deteriores numi cudi, & introduci ſolent: eorum autem conſideratione maiores, ac meliores monetæ augentur extrinſeco valore, vt thalerus, qui antè valebat pazios XVII. poſtea valeat XVIII. XIX. XX. Introducto autem, & aliquantulum ſtabilito augmento extrinſeco thaleri, aut ducati; cùm tales pecuniæ cenſeantur eſſe regula, ac menſura minutiorum monetarum; conſequènter Monetarij eatenus ſecundùm proportionem de bonitate intrinſeca minutiorum diminuunt, quatenus thaleri, vel ducati extrinſecum valorem auctum eſſe intelligunt. Quia verò maiores monetæ ſemper maiorem aliquam commoditatem habent, & vtilitatem ad commercia, ideo vlteriùs ſemper earum valor extrinſecus prouehitur, niſi animaduerſis, quæ inde proueniunt, incommodis, à ſupremo Magiſtratu ſublato abuſu, Monetarum reformatio inſtituatur. Hæc, quamuis ſuprà dicta fuerint, tamen repetiiſſe non piget; quia tota ferme exinde controuerſia dependet.

Porrò in tali pecuniarum ſenſim illabente mutatione, ac diminutione, arbitror attendendum eſſe non tantùm, quanta ea ſit ſecundum ſe, ſed etiam quanto tempore introducta, tolerata, & communi vſu recepta. Si enim thalerus Imperialis ſpatio ducentorum, vel trecentorum annorum quinta ſui parte paulatim diminutus eſſet, vt quatuor thaleri veteres nunc valerent quinque, quorum tamen ſinguli aliquantulum deteriores eſſent intrinſecè, quàm vnus ex veteribus; talis mutatio tolerabilis cenſeri deberet, quæ nihil obſtaret debitori, quominus ſecundum præſentem pecuniarum taxationem, antiquum debitum ſoluere poſſet. Idque propter obſeruationem tam diuturnam ſine populi contradictione ſtabilitam. Sin verò eadem mutatio, ac diminutio ſpatio XX. annorum introducta ſit, ſæpius dixi, immodicam, ac irrationabilem videri; cum neque lege Imperiali conſtituta, neque legitimè temporis diuturnitate præſcripta, ſed ſolum tolerata conſuetudine nixa ſit.

ASSERTIO SEXTA. Si valde enormis præſertim vt non duratura, monetarum intrinſeca deprauatio 25
fiat, & quod inde conſequens eſt, bonarum monetarum valor ſecundum proportionem extrinſecè augeatur; extra controuerſiam eſt, in antiquis debitis ſoluendis ſpectandam eſſe bonitatem, ſeu intrinſecum valorem monetarum, quem habuerunt tempore contractus: quamobrem veteres, non noui adulterini numi ſoluendi ſunt. Hæc eſt omnium Doctorum ſententia, nullo contradicente: quandoquidem etiam ipſe Molinæus, quamuis ſingularis mutationis pecuniariæ defenſor, ſemper tamen requirit, eam publica lege, vel communi conſenſu populi ita conſtitutam eſſe, vt ſtabilis, ac duratura ſit, vti videre licet tota eius q. 100. præſertim n. 764.

Addidi autem in aſſert. voculam *præſertim*; vt nimirum clarior, & minùs dubitata res eſſet: alioquin verò arbitror impoſſibile eſſe, vt valde enormis monetarum mutatio fiat lege iuſta & ſtabiliter duratura, cùm enormis æſtimationis inæqualitas ſit contra naturam inſtitutionem, ac veritatem numi: atque cedat in Communitatis perniciem, commerciorum omnium impedimentum, quorum tamen cauſa numus introductus eſt.

Nihilominus hoc noſtro tempore non defuerunt ali-

quitum Iurecconsulti, tum Theologi, qui naturam, & institutionem numi non satis considerantes, neque rectè distinguentes inter mutationem valoris extrinseci, atque intrinseci; stabilem, ac temporaneam; in tali casu pro debitore contra creditorem pronunciârunt. Exemplum. Titius An. Domini M.DC. thaleros Imperiales mille mutuos dedit Caio, æstimatos singulos XVIII. paziis, quæ summa conficiebat florenos argenteos M.CC. Accidit autē, vt anno M.DC.XXII. mense Iunio (quo has monetarias quæstiones scribere cœpi) propter vitiatam materiā monetarū pene omniū, extrinsecus valor Imperialis thaleri sit in decē florenis vitiatis, ac pene cupreis. Aiunt Doctores isti (quod posteritas admirabitur) satisfacturū debitorem Caium, si soluat thaleros Imperiales tantùm CXX. quia hic numerus eo tempore, conficiebat florenos M.CC. pene cupreos.

Fuit autē hæc ingens monetarū mutatio propter bellicos tumultus, nimis varia, locorū, & temporū consideratione; vt manifestissimè appareret, nulla lege Imperiali stabiliter introductam, diu durare non posse. Nam quibusdam Imperij prouinciis retinebatur pristina monetarū integritas, & valor etiam extrinsecus: aliis locis mutabatur plùs, aut minùs: etiā eisdem locis varia mutatio facta. Nam inprimis thalerus Imperialis cōparatione minutiorum monetarū nō immodicè deprauatarum, valebat duos florenos: postea maiore facta deprauatione, tres, quatuor, sex, octo, denique decē. Igitur secūdùm istos Doctores, si quis debitum illud antiquum M.CC. florē. soluisset An. Domini M.DC.XXI. cùm thalerus valebat floren. quinque, numerare debuisset thaleros CCXL. Sin autem soluisset anno sequente, satis fuisset soluere dimidium, siue CXX. quo nihil improbabilius dici posse videtur.

Persuasiones sunt istæ: I. Numi essentia potissimùm consistit in æstimatione seu taxatione hominum: ergo si eius extrinseca taxatio auctior fiat in qualicunque materia, tantò plus valebit, & inseruire debebit ad cōmercia. II. Creditor conqueri non potest, cùm acceptā pecuniam eodē valore statim expēdere possit: seu sua debita dissoluendo, seu merces emēdo, in census elocādo, &c. Sin verò in arca reseruet, donec pecuniarum valor decrescat, seu ad pristinum reducatur, suę id negligentię imputare debet. III. Cùm in dicto mutuo conuentum non fuerit de certo numero specierum restituendo: sed de florenis Rhenensibus in LX. cruncigeros singulis æstimatis: ideo satisfit huic obligationi, si restituatur numerus florenorum, aut crucigerorum, qualis tempore solutionis vsitatus est: cùm sit non paucorum Doctorum sententia, tempus contractus inspiciendum esse, vt intelligatur, quantum sit in obligatione, videl. in proposito casu M.CC. floreni: at verò tempus solutionis spectandū esse, vt intelligatur, quid sit in solutióne: siue quid valeat pecunia, quæ tunc soluitur: valet autem eo anno M.DC.XXII. thalerus Imperialis 10. florenos Rhenenses: ergo soluendo CXX. thaleros Imperiales satisfit obligationi promissorum florenorum M.CC.

Sed facilis ad hæc responsio est: Ad I. Falsum esse, quòd omnis pene vis ac potestas pecuniæ in extrinseca impositicia taxatione consistat: vt nihil aut parùm referat, qualis materia subiecta sit. Cudātur ergo numi ænei, ferrei, imò coriacei, impresso illis charactere valoris eodem cum argenteis, & aureis: Eò enim tandem deuenire oportebit, vt hoc absurdū fateantur. Non inficior, plurimùm positum esse in hominum affectione, quòd tantò pluris aurum æstiment, quàm argentum, tantò pluris argentum, quàm ferrum, aut cuprum: nam quædam gemmæ æstimatione præferuntur auro, quæ tamen naturalibus proprietatibus fortasse superantur. Igitur agant id, & persuadeant hominibus: nō vnius tantū prouinciæ, aut regni, sed populis omnibus Europæ, quibuscum commercium nobis est, vt æquè afficiantur erga æs, & tanti illud æstiment, quanti argentum. tunc facilè litem componemus. Sed quia id impossibile est, dicere oportet, fundamentalem substantiam numi in bonitate, accidere materiæ ad id selectæ consistere: quo fundamento destructo, aut vitiato, corruit vis, potestas, commoditas numi: & character imposititius, qui deberet esse norma iustitiæ in commutationibus seu commerciis obseruandæ, falsitatem continet, & deceptionem gignit.

Ad II. dico: Creditorem maximè conqueri posse de læsione: Nam inprimis, cur creditor ac facultate priuandus sit, vt acceptam pecuniam, cuius dominus factus est, in arca seruare non possit, absque periculo grauissimi damni sui? Deinde, numquid creditor solutionem debiti iniquam ideo accipere debebit, quia & ipse alium simili modo decipere poterit, vitiatas monetas offerēdo, perinde ac si bonæ sint? Præterea, Si creditor accepta pecunia vitiata prædiū emisset, vel in cēsum nouū elocasset, aut censum aliquem sibi emptione comparasset: his casibus præter cōscientiæ remorsum, timere debuisset, ne prædiū per retractū eodem oblato pretio à cōsanguineis reuocaretur: ne contractus propter læsionē longè vltra dimidiū iusti rescinderetur, beneficio l. 2. C. de rescind. vendit. aut per restitutionem in integrum, si à pupillis, minoribus natu, vel Ecclesiis emptio facta fuit. Falsum item est, mercium pretia, facta monetarū deprauatione, aucta non fuisse: tametsi enim venditores principio, propter simplicitatem & ignorantiam, in mercibus distrahendis minus attenderint ad intrinsecum monetarum valorem: tamen successu temporis magis ac magis animaduerso vitio monetarum, pretia rerum auxerunt, alij quidem minùs, alij verò plùs, & ferme secundùm proportionem augmenti extrinseci bonarum monetarum. Exempli caussa. Si quis pannos empturus ad tabernam venit, ante omnia quæsiuit prudens mercator, qualem pecuniam numerare vellet, puta thaleros, ducatos: & quonam valore? postea secundum eius valoris rationem, mercis pretium computauit. Etenim facta extrinseca illa monetarum bonarum auctione, propter deprauationem minutiorum facultas mercatoribus relicta est vendendi merces suas auctiore iusto valore: quamuis propter simplicitatem aliqui tali facultate non vtebantur: alij verò ideo minore pretio vendiderūt, quia propter pecuniarum inopiam, emptores alioquin non reperissent. Quemadmodū etiam, vice versa, cùm primum pecuniarum immensus valor ad mediocritatem redactus erat, edicto promulgatum fuit, vt eadem proportione diminuti valoris, etiam pretium mercium decresceret, iuxta l. 2. C. de veter. numis. collat. Id tamen partim propter hominum auaritiam, partim propter Magistratus negligentiam obseruatum non fuit. Quæ omnia præter rei naturam, per accidens euenisse manifestum est.

Ad III. Fateor, conuentum non fuisse de reddendo mutuo in aliqua certa specie ac forma monetarum: sed de solutione facienda secundum idem genus, ac qualitatem pecuniæ probæ, cuiusmodi accepta fuerat. Quod quidem plerumque instrumento debiti inseritur: vt mutuum restituatur *in dem Schrot vnd Korn, wie es dargeben worden*. Fateor etiam, si monetæ maiores, puta thaleri, ducati in ordine ad minutiores non notabiliter vitiatas monetas, aliquantulum aucti sint, eorum augmentum deduci posse, iuxta assert. nostram tertiam, & quintam. Verum ista auctio ad propositum casum non pertinet. Oportet enim considerare, quatuor, vel quinque præteritis annis, quibus ob bellicos tumultus, mutationem pecuniariam passi sumus, thalerorum, & ducatorum valorem neque extrinsecum, neque intrinsecum mutatum fuisse: quia toto tempore vnus ducatus æstimabatur circiter XXXV.

argenteis paziis, seu duobus florenis, & viginti crucigeris: thalerus autem sesqui floreno argenteo, sicuti etiam anno M.DC.XVIII. antequam tumultus cœperant, monetæ istæ æstimatæ erant. Tota autem auctio thalerorum, & ducatorum accidit propter intrinsecam deprauationem aliarum monetarum: quæ cùm in obligationem mutui non venerint, sed monetæ probæ, & in Imperio vsitatæ; manifestum est, propter immensam illam auctionem thaleri, ducati, &c. his annis factam, non posse minus solui, quàm si solutio facta esset annis superioribus.

26 ASSERTIO SEPTIMA. Si impositiitius valor monetarum deprauatarum, enormiter excedens valorem bonitatis intrinsecè, diminuatur, & ad normam veritatis redigatur; consequenter etiam bonarum monetarum extrinsecus valor comparatione deprauatarum monetarum decrescat; extra omnem controuersiam est, solutionem debitorum faciendam esse secundùm valorem intrinsecum, quem monetæ habuerunt tempore contractus; ideóque vitiatos florenos v.g. quales dati fuerunt; non autem nouos intrinsecè longè meliores restituendos esse. Hæc assertio eadem omnino ratione nititur, qua antecedens: quia contrariorum eadem est ratio contraria. Sicuti enim pro bonis florenis mutuò datis, creditor non tenetur recipere alios intrinseco valore enormiter deteriores, quamuis extrinsecum valorem pro aliquo tempore eundem ferant; ita, vice versa, pro vitiatis eiusmodi florenis mutuò acceptis, non tenetur debitor restituere alios intrinseco valore longè meliores. Neque vllus est Doctorum, qui inter diminutionem, & auctionem, seruata proportione, discrimen faciat. Nihilominus placuit assertiones diuidere, propter speciales, saltem extrinsecas, casuum difficultates, vt apparebit.

Inprimis autem referam speciem facti. Anno Domini M. DC. XXII. thalerus Imperialis æstimabatur decem florenis vitiatis, pene cupreis: accidit autem paulò pòst, sub finem eiusdem anni, vt deprauatarum monetarum impositiitius valor decreto publico dimidia parte minueretur, vt idem numus, qui hac die valebat florenum, altera valeret medium; & qui hac die valebat medium florenum, altera valeret quindecim crucigeros; quæ est quarta pars floreni Rhenensis. Consequenter thaleri Imperialis impositiitius valor dimidia parte diminutus erat, vt valeret tantùm quinque florenos, qui tamen intrinsecè tam boni erant, imò ijdem cum decem florenis hesternis.

Porrò post hanc impositiitij & arbitrarij valoris decrementum, numi adulterini cœperunt magis hominibus esse suspecti, atque exosi; vt nemo reperiretur, qui non mallet habere thalerum Imperialem, quàm quinque eiusmodi vitiatos florenos, qui paulò antè nomine ac statu duplicati floreni gaudebant, sed ob vitium deiecti erant: quare, ne omnis bonarum monetarum copia, abscondendo, conflando, exportando auferretur, concessum fuit quibusdam locis, vt thalerus Imperialis valeret florenis sex, qui ante paucos menses valebat duodecim. Quam tamen monetarum extrinsecam mutationem aliquæ prouinciæ non receperunt; sed in priore impositiitia auctione thaleri Imperialis secundùm florenos decem perstiterunt: donec plurium Principum Imperij consensu, thalerus Imperialis ad eum reductus est valorem, in quo fuerat Anno Domini M. DC. XVIII. antequam tumultus bellici cœperunt. Quod consultissimè, & magno Reip. bono factum esse, experimur iam, cùm incommoda priora, & mala ingentia, quæ ex deprauatione mo[netar]um secuta sunt, paulatim cessant; cessatura adhuc magis, si plena pecuniarum reformatio futura sit. Quomodo enim malum aliter tolli possit, nisi remouendo causam, ex qua prouenit? Alioquin verò si pecuniæ vitiatæ non tollantur omnino, sed ad mediocritatem redigantur, malum non curatur, sed potiùs ostenditur vitium monetarum, propter quod rerum pretia semper aucta esse oportebit. Nā quæuis res qualis sit, ex resolutione ostenditur. Profectò sicut in aliis rebus mundus decipitur, vt res vanas & inanes, ob speciosum titulum & extrinsecū fulgorem, magni estimet; sed cùm ad corruptionem & amissionem declinare incipiunt, tunc earū vanitas & indignitas apparet; ita etiam monetis accidit, vt dum extrinsecum argenti fulgorem, atque impositiitium grādem titulum seu nomen floreni simplicis, duplicis gererēt, magni fierent, & non modica merce dignæ censerentur: postea verò detrito argenti colore, & apparente interna inanitate, ac publicæ taxationis diminutione, omnino contemni, & tantò magis rerum omnium pretia accrescere ceperūt. Idque omnino non emendabitur, nisi, vt dixi antiquarum monetarum integritas restituatur.

Sequuntur casus: Titius Anno Dñi M.DC. XXII. mutuò dedit Caio vnum florenum vitiatum, ac pene cupreum, qui eo tempore ęstimabatur LX. crucigeris. Sub finem eiusdem anni soluere vult Caius, reddendo eundem numero florenum, vel alium prorsus similem, & æquiualentem bonitate intrinseca, ideóq; etiam eodem charactere publico insignitum. Sed Titius creditor vno non contētus, alterum etiam postulat: propterea quòd impositiitius valor harum monetarum, quamuis intrinsecùs nihil immutatarum, dimidia parte descenderit.

Præterea, Sempronius eodem Anno M.DC. XXII. mense Augusto, thalerum Imperialem impositiitio & arbitrario valore tunc æstimatum decem florenis, Sergio mutuauit. Sequente anno, cùm sublata illa immensa impositiitia auctione, thalerus iterum valeret sesqui florenum, Sergius restituere vult thalerum in specie, vel eius eo tempore æquiualentem monetam, videl. sesqui floren. Sed Sempronius non contentus vno thalero, decem nostrates florenos exigit: quales nunc iusto ac vero valore efficiunt thaleros Imperiales sex, cum dimidio & 15. crucigeris. Vel si solutio facienda sit in nouis vitiatis monetis, exigit pro 10. florenis, quos dederat, alios eiusdem intrinsecæ bonitatis 80. Iste enim numerus monetarum, ex impositiitio statu ac nomine floreni denique deiectarum, efficiebat 10. florenos, seu 6. thaleros cum dimidio, & 15. crucigeris. Pro creditoréne, an debitore respondendum est?

Iterum dico, miraturam esse posteritatē, quòd de hoc dubitatum fuerit, cùm manifesta sit debitoris causa, ac iustitia. Nisi omnem prorsus vim & valorem pecuniarū ex voluntaria hominum impositione pendere existimemus, nulla habita ratione proportionis ad intrinsecam bonitatem: id enim fateri coguntur, qui pro creditore responderunt, eandem numero monetam die cōtractus duplo plus valuisse, quàm valeat sequente die, aut mense; idque ob solam arbitrariam hominū impositionem: & septuplo plus valuisse die contractus, quàm valeat anno sequente, cùm solutio facienda est: idque tantùm propter hominum quorundam voluntatem, nulla omnino in ipsis monetis mutatione facta.

Non defuerunt tamen Doctores, qui in his ipsis casibus contra debitorem pro creditore responderunt. Persuasiones sunt istæ: I. In contractu conuentum non fuisse de certa specie reddenda, v.g. thalero Imperiali; sed de numero florenorum: Ergo reddendos nunc esse decem florenos, vti verba conuentionis indicant.

II. Esto in contractu expressum non fuerit, vt tantus florenorum numerus redderetur, etiamsi contingeret solutionis tempore, ob decrementum valoris extrinseci, meliores florenos in vsu esse; tamen hanc fuisse tum mutuantis, tum accipientis persuasionem, & intentionem: neque enim quisquam, nisi cum hac tacita seu virtuali conditione, suas pecunias elocasset, quippe quæ in magno suo pretio ad mercandū, & lucrandū vtiles erāt.

III. Pecuniam ex se ipsa exiguam homini vtilitatem præstare; nisi quatenus ad res necessarias comparandas idonea est: at verò vno thalero Imperiali Anno M.DC. XXII. tantundem aliquis frumenti, vini, aliarumque rerum venalium comparare potuit, quantum hoc tempore quattuor thaleris Imperialibus vix comparare potest. Ergo non satisfit creditori, nisi pro vno thalero plures restituantur.

IV. Debitorem pecunia sibi credita eodem magno valore vsum fuisse, & lucrum cepisse seu mercando, seu incensum elocando, &c. Non autem æquum est, alterũ cum alterius iactura locupletari iuxta reg. 49. in 6.

V. Nemini officium suum damnosum esse debet: multi autem ad subleuandas necessitates tum priuatas, tum etiam publicas, pecunias suas rogantibus bona fide ac intentione suppeditârunt, quas alioquin ad alios vsus sibi commodos applicuissent: quare neque æquitatis, neque gratitudinis ratio patitur, vt debitor officio adiutus, lucrum omne sibi retineat, damnum autem in creditorem & auxiliatorem suum reijciat. Accedit, quòd bona pupillorum, & Ecclesiarum Magistratus imperio, ad publicas belli necessitates elocari debuerunt: ergo necesse est eos immunes seruari tum à damno, tum à lucri alioquin prouenientis iactura.

Ad I. respon. Creditori restituendum esse eum numerum florenorum, de quo conuentum est, videl. decem florenos: sed tales, quales ipse dederat: neque enim ratio, aut natura mutui patitur, vt debitor plus restituere cogatur, quàm accepit.

27 Ad II. resp. Si inter contrahentes nihil specialiter expressum est, contractus quilibet institutus censetur secundùm naturales conditiones eius: hæc autem est natura contractus mutui, vt tantundem secundùm genus, & qualitatem restituatur, quantum datum fuit: cùm ergo dati sint decem floreni non veri, nec argentei, sed falsi, & cuprei: verba illa in contractu apposita, vt decem floreni, singuli in sexaginta crucigeros æstimati, restituantur, intelligi debent de monetis cupreis, non argenteis. Si aliud in mente habuit creditor, cur non expressit, aut in pactum deduxit? vt deliberare potuisset debitor, vtrum talem conditionem præter naturam contractus recipere; & non tanquam iniquam repudiare deberet. Negandum itaque est, fuisse tacitam seu virtualiter subintellectam conditionem, vt floreni restituerẽtur, qualescunque tempore solutionis in vsu erunt. Nam istæ conditiones contractuum expressione non indigent, quæ natura insunt: natura autem mutui postulat, vt tantundẽ eiusdem generis ac qualitatis reddatur: pro auena non triticum, sed auena: sic etiam pro cupreo & vitiato floreno, non probus, & argenteus, sed cupreus. Etsi enim hæ duæ monetæ nomine impositio conueniant, reipsa tamen maximè differunt, plùs, quàm auena pessima à tritico optimo.

28 Sed etsi fingamus, vtrumque tam debitorem, quàm creditorem, in ea persuasione fuisse, quòd restitutio fieri deberet monetarum, quales futuræ essent tempore solutionis, non sequitur, propterea obligationem ita soluendi cõtractam esse. Cùm notum sit, internam persuasionem præsertim falsam, & naturæ contractus repugnantem, non sufficere ad obligationem: sed opus esse, vt in pactum externum deducatur. Quod si creditor pecuniæ in pactum deduxisset, solutionem eodem numero florenorum faciendam esse, quamuis accidat, eorum intrinsecum valorem emẽdari, profectò debitor deliberasset, & prudentiores consuluisset, expediretne, tali se fortunæ committere. Sicut scio factum esse, vt homo pecuniosus, ac futurorũ prouidus, aliquot millia thalerorum Titio offerret in censum: ea conditione, vt nullam is pecuniariam pensionem spatio quadriennij soluere teneretur: dempta tamen ipsi redimẽdi facultate: elapso verò quadriennio, censum annuum, vel si redimere vellet, ipsum capitale soluere cogeretur in pecunia eo tempore currente. Tum Titius veritus, ne tale pactum sibi & hæredibus suis obesset, re cũ prudentibus communicata, tanquam iniquum reiecit.

Ad III. resp. Valor ac dignitas pecuniæ desumi quidem potest ex vtilitate seu commoditate ad mercandũ, &c. sed ea, quæ per se & suapte institutione inest: non ea, quæ per accidens, ob speciales rerum circumstantias, ad tempus incidit. Pecunia autem secundùm propriam institutionem ita apud omnes gentes comparata est, vt quantò plus bonitatis intrinsecæ habere cẽsetur, tantò magis idonea sit ad mercandum, & necessaria cõparanda. Etsi propter extrinsecas circumstantias, adeóque per accidens contingat interdum, minore pecunia plus comparari, quàm alio tempore maiore comparari possit: non tamen propterea minor pecunia cẽsetur æquiualere maiori. Exempli causa: Pestis tempore, pluribus hominibus demortuis, vno thalero tantundem aliquis emere potest, quã aliàs quatuor, aut quinq; thaleris: non ideo tamen, qui eo tempore thalerũ alteri mutuauit, postea quatuor, vel quinque exigere iure potest.

Ad IV. Resp. Obiectionem non esse iuridicã. Neque 29 enim iura volunt, vt creditor curiosus sit, in quam rem pecunia data vertatur: modò debitor ad soluendũ sine omni opposita exceptione paratus existat, argum. l. doli exceptione, ff. de Nouat. & delegat. Nam postquam pecunia mutuò data est, nihil in ea iuris habet creditor, sed in mutuatarij dominium transit, ipsiúsque dispositioni, fortunæ, ac industriæ subiacet. Quemadmodum enim, si pecuniã debitor perdidisset, vel vitiosam mercem mercando damnum tulisset, ipsemet ferre debuisset, neque ideo minus restituere mutuatori: ita, vice versa, si industria, aut fortuna sua lucrum ex pecunia ferat, ad ipsum pertinet, neque ideo plus restituere cogitur, quàm acceptum fuit. Eadémque ratio est in venditione: neque enim ideo merx pluris vendi potest, quia ob singularem industriam, aut fortunam emptoris, ipsi commodissima erit: cur enim aliquis quod suum est, videl. propriã industriã, aut fortunã emere debeat? sed tanti res quælibet venditur, quantum valeat: sic etiam in mutuo tantundem iustè restituitur, quantũ acceptũ est.

Quòd vero de iactura sua queritur mutuator, quia poterat ex pecunia sua magnum lucrum mercãdo capere: respondeo, hoc argumentum vim habere, si ad mutuandum adactus fuit: quare non dubito, pupillis, & Ecclesiis, de quibus in vlt. obiect. mẽtio facta, lucri ob talem pecuniarum elocationem cessantis, compensationem faciendam esse. Alioquin vero si sponte mutuauit, vel in censum dedit pecunias, pacisci debuisset de lucri cessantis compensatione: vt alter id sciret, ac dispicere posset, 30 vtrùm cum tanta obligatione pecunias recipere vellet. Cùm sit communis doctrina, quam explicabo infrà tra. 4. c. 16. n. 10. Lucrum cessans, vel damnum emergens mutuatori resarciendum non esse, nisi illud in pactum deducat, vel expressum, vel saltem tacitum. si videl. aliquis negotiari pecuniis soleat, & nũquam aliter mutuare, nisi ea lege, vt lucri abscedentis compensatio fiat. *Qui emit rem aliquam, tantum pro ea iustè dat, quantum valet: non autem quantum ille qui vendit, ex eius carentia damnificatur.* Sic enim etiam se res habet in mutuo, quod secundùm iustitiæ leges tantum restituendum sit, quantum datum. Si autem mutuator ob causam accidentariam ex mutuatione incommodum capturus est, aliam pactionem adijcere debet, vt eius compensationem impetret: videl. incommodum istud feram, aut commodo hoc carebo in tuam gratiam, si promiseris tantum.

Ad V. resp. Si creditor iure agere velit, propter mutuãdi officium plus illi non deberi, quàm mutuauit: *contrarium enim est officio merces*, aut quæuis exactio retributionis, tanquam ex iustitiæ lege debeatur, iuxta

l.1.ff. mandati. Sin verò de gratitudine & æquitatis ratione agatur, fateor, causam creditoris esse valde probabilem: vt proinde, si fieri possit, partes ad amicabilem compositionem adducendæ sint, atque persuadendum debitori, vt considerata hinc quidem commoditate sua, quam ex isto mutuo percepit; illinc verò incōmoditate creditoris quam, passurus est, nisi compensatio aliqua fiat; ob pacis & concordiæ bonum, quod omnibus pecuniis præferri debet, aliquid de iuris sui rigore remittere velit debitor, & gratitudinis, æquitatis, suæque etiam existimationis retinendæ causa, nonnihil creditori concedere: Non vt immensam solutionem faciat, pro vno v.g. thalero restituendo sex, aut septem; sed pro vno duos, vel amplius consideratis rerum circumstantiis.

51 Veruntamen hoc Iudicibus supremo Principe inferioribus nequaquam permissum est, vt posthabita contractuum natura & conditionibus; posthabito etiam legum ac iustitiæ præscripto, secundùm æquum & bonum, prout ipsis videatur, sententiam ferre possint. Quare Constant. Imperator in l.1.C. de legibus ait: *Inter æquitatem, iusq; interpositam interpretationem nobis solis et oportet, et licet inspicere.* Vbi rubrica: *Iudex non debet recedere à iure scripto propter æquitatem non scriptam, nisi auctoritate Principis, ad quem hoc pertinet, scilicet limitare ius scriptum.* Ratio est manifesta: Quia Iudex in iudicando non potest excedere limites potestatis suæ: At verò Princeps Iudicibus suis committit potestatem secundùm leges tum naturales, & omnibus gentibus communes, tum proprias regni iudicare: cùm lex sit norma & regula, secundùm quam Iudex iudicare debet. Alioquin iacebunt leges tanta sapientia & auctoritate constitutæ, tanta temporum diuturnitate ac vsu comprobatæ; præsertim Cæsaræ, quæ propter æquitatem & iustitiam, ab aliis etiam, Romano Imperio non subditis regnis, in honore & existimatione sunt, & pleræque in Ecclesiastico foro receptæ: Ipsique adeò Iureconsulti, qui ætatem optimam in legum Cæsarearum studio, magnis expensis, insumpserunt, huius sui laboris, atque scientiæ iustam retributionem non consequentur, si inspectis extrinsecis causarum circumstantiis, ex æquo & bono, sicuti Iudici videtur, liceat iudicare. Id enim quiuis alius, in legum studio non exercitatus, modò ingenij acumine, & naturali prudentia polleat, æquè præstare poterit.

Cæterùm non dubito, quin supremus Magistratus in hac controuersia pecuniaria, secundùm æquitatis rationem, Imperiali decreto decernere possit, solutiones debitorum tali modo faciendas esse, vt neque debitores immodicum lucrum retineant, neque creditores magnum damnum patiantur. Non enim hîc agitur causa vnius, aut paucorum, sed plurimorum contrahentium; ita, vt si solutiones debitorum fiant conspecta intrinseca bonitate monetarum, vti in assert. 7. dictum fuit, creditores omnes damnum capturi sint; & debitores lucrum; quare id non omnino per accidens censeri potest, quod ita generaliter prouenit ex introducta illa monetarum mutatione. Quàm cùm Imperij Principes partim permiserint, partim propter necessitatis rationem introduxerint; ipsorum amor in subditos suadere videtur, vt incommoda, quæ exinde orta sunt, quo optimo modo fieri potest, tollant; ita vt neutra pars seu creditorum, seu debitorum multùm grauetur, aut iustè conqueri possit: idque propter publicum Imperij bonum, pacis & concordiæ conseruandæ studium.

Hæc est mea de monetariis controuersiis sententia: quam ideo liberiùs exposui, quia in omnium omnis conditionis, ac status hominum ore versantur. Et mihi quidem, dum in hoc studio casuū conscientię versor, nulla vnquam quæstio toties proposita fuit, sicuti ista: quòd nimirum alij conscientiâ cruciarentur, quia nimis magnam pecuniæ summam receperunt, aut nimis exiguam reddiderunt: alij verò mœrore affligerentur, propter ingens damnum ex iniusta solutione acceptum. Quibus à tribus annis hucusque ea responsa dedi, quæ publicis nunc typis edo, veritatis, atque iustitiæ amore.

CAP. VI.

De damno iniustè dato.

SVMMARIVM.

1 *Damnificatio duplex est; vna lucrosa, & altera non lucrosa.*
2 *Qui, nullo pacto præcedente, damnum dedit absque culpa Theologica, in conscientiæ foro ad nullam restitutionem obligatur: secùs est in foro externo, vbi actio datur ex lege Aquilia.*
3 *Ex contractibus etiam in conscientiæ foro oritur obligatio præstandi culpam merè ciuilem, secundùm cuiusque contractus naturam.*
4 *Qui damnum alteri intulit per culpam venialem, quia animo præcipitauit; is, secluso pacto, damnum resarcire debet non integrum, sed secundùm proportionem culpæ.*

LOquimur de damno alteri in bonis externis dato, 1
ex quo tamen nullum commodum, seu lucrum ad damnificantem peruenit: vt distinguatur à furto, rapina, aliisque defraudationibus. Aliter dicere potes; duplicem esse damnificationem, lucrosam & non lucrosam: de lucrosa suprà dictum est; nunc verò de non lucrosa dicendum.

Damnificatio eiusmodi interdum absque culpa infertur; vel quia damnificans non est capax culpæ; vt si infans, vel furiosus domum incendat, nauem submergat: vel quia iusta causa adest damni inferendi; puta cùm ob publicam vindictam, vel necessariam defensionem, damnum datur. Item, si domus vicini igne correpta, destruatur etiam ea parte, qua nondum correpta est, quando id necessarium iudicatur ad arcendum ignem, ne latiùs diffusus, maius damnum inferat, iuxta l. si quis fumo, §. vlt. ff. ad l. Aquil. & docet Sa ver. restit. §.48. Mol. tract. 2. tom. 3. poster. disp. 697. n. 4. In talibus casibus nulla damni resarciendi obligatio contrahitur: Nisi quod Bartolus, & alij secundùm æquitatem responderunt in l.2. §. æquissimum, ff. de l. Rhodia de iactu; Si domus vicina destruatur, ne ignis maius damnum vicinis inferat, ab omnibus communiter præstandum, quorum causa accidit: quia ita etiam de mercium iactu statutum est.

Interdum verò damnum per culpam infertur; & tunc 2
distinguendum est, vtrum culpa merè ciuilis sit, an verò Theologica, & propriè dictum iniustitiæ peccatum. Qui enim culpa siue negligentia merè ciuili (siue ea lata sit, siue leuis, siue leuissima) damnum dedit, in externo foro per actionem ex l. Aquilia de damno dato, ad integram eius resarcionem compelli potest, sicuti videre est in ff. & Instit. ad l. Aquiliam, & apud Molin. disput. 697. Verùm in conscientiæ foro, ante Iudicis condemnationem, ad nihil obligatus esse videtur, qui absque iniuriæ peccato, per culpam ciuiliter tantùm æstimatam, quodcunque damnū, nullo præcedente contractu, intulit. Quæ est sententia Innocent. in cap. sicuti dignum, §. eos, de homicid. Abb. in cap. si egressus, de iniuriis, Syluest. ver. restit. 2. dicto 12. Pet. Nau. lib. 2. de restitut. c. 1. num. 27. Azor to. 3. l. 3. c. 7. Molin. disput. 698. num. 6. Less. l. 2. c. 7. dub. 6. num. 26. contra Angel. ver. culpa, in fine, Couarruu. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 8. n. 16. Adrian. de restit. cit. §. Vtrum in foro conscientiæ. Exempla sunt: Si ex ædibus aliquid incōsultò eieceris, effuderis; si canē alligare, candelam ardentem extinguere; furnum claudere oblitus sis; atque exinde damnum alteri euenerit.

Eadémque ratio est, si vel mancipium, vel bestia damnum dedit absque domini culpa; vt nihilominus damnum ab ipso compensandum sit, vel mancipium aut animal noxæ dandum. vnde & actio noxalis dicta est: vel denique vt nauta, stabularius, vel caupo teneatur de damno dato à domesticis absque vlla culpa eius. Tales, inquam, restituendi obligationes non videntur oriri ante Iudicis sententiam, sicut docet Petr. Nauar. lib. 2. cap. 1. num. 35. Molin. disp. 713. Less. l. 2. cap. 9. num. 118. & S. August. epist. 154. ad Publicolam: *Neque enim reus est Christianus, si bos eius aliquem feriendo, vel equus calcem iaciendo aliquem occidat.*

Aut enim obligatio aliqua orietur ex legum ciuilium constitutione; aut ex antecedente pacto, expresso, vel tacito. Non primum: quia leges illæ ad ciues cautiores, diligentioréſque reddendos institutæ, in eiusmodi damnis commissis respiciunt ad omissionem cautionis vel diligentiæ: ac proinde quasi pœnales sunt, quibus hoc commune est, vt ante Iudicis sententiam non obligent: idque in nostro casu vel ex eo manifestum fit, quia post mortem eorum, à quibus, vel in quorum domo damnum illatum est, actio aduersus hæredes non tribuitur, nisi lis antè contestata fuerat, sicuti habetur in l. inde Neratius, §. hanc actionem, ff. ad l. Aquil. & §. his autem, Instit. eod. & l. vn. C. de delictis defunctorum.

3 Quod verò ad alterum attinet: Suppono hîc nullum pactum interuenisse: Si enim interuenit, negari non potest damnificantem obligari ex culpa merè ciuili, ad quam præstandam iuxta cuiusque contractus naturam, se tacitè ac spontè obligauit, v. g. commodatarius ad leuissimam etiam culpam, conductor ad leuem, precariò accipiens non nisi ad latam culpam siue dolum. Non enim audiendi sunt Sotus l. 5. de iust. quæst. 7. art. 2. Tolet. lib. 5. cap. 18. Sa ver. culpa, num. 2. vbi aiunt, contrahentem non obligari ad restituendum damnum sua culpa datum, nisi ea mortalis sit. Qua ratione, vt nihil aliud dicam, omne commodandi, aut precariò dandi, &c. officium intercludemus: siquidem nemo facilè reperietur, qui commodare v. g. velit, si commodatarius in conscientia obligatus non sit, compensare damnum, quod per eius negligentiam, secluso peccato, eóque mortali, illatum fuerit: idque ex communi notarunt Maior in 4. distinct. 15. quæst. 45. Nauar. cap. 17. num. 184. Couarruu. in epitom. p. 2. cap. 6. §. 6. num. 15. Molin. tom. 2. disput. 295. Quin imò, si pactum siue expressè, siue tacitè secundùm legem, aut consuetudinem loci interueniat, vt v. g. nauta, vel caupo teneatur de damno, vel iactura rerum sine vlla sua culpa, accidente per seruos suos: tunc in conscientiæ etiam foro ante omnem Iudicis condemnationem obligatio orietur. Vide Mol. tom. 3. post. disp. 713. in fine, iuncta disp. 710.

Denique, si damnum per culpam Theologicam, adeóque formaliter iniustum datum sit, omni iure tanquam verum & naturale debitum compensandum erit: quare obligatio hæc, etiam antè litis contestationem, ad hæredes transmittitur, secundùm ius canonicum, & naturale, sicuti docet Couar. 3. resolut. cap. 3. num. 7. Molin. tract. 3. disp. 43. Interuenit autem culpa Theologica, & propriè dicta iniuria, si vel ex directo proposito damnum absque iusta causa inferas, vel perspecto inferendi periculo, actione non abstineas, cùm posses ac deberes abstinere. Ita intelligi debet cap. vltim. de iniuriis.

Sed dubium est, an, & quatenus damnum, quod culpa siue iniuria solùm veniali, ob imperfectam animi considerationem, illatum est, compensare necesse sit? Respondeo cum Molin. tract. 2. 4
tom. 3. poster. disput. 698. num. 7. Damnum in conscientiæ foro compensandum esse: sed non integrè, verùm proportione culpæ: quamobrem partibus inter se transigendum fore. Prior pars inde colligitur: Quia altera radix, vnde restituendi obligatio oritur, est iniusta acceptio, vel læsio: Qui autem per venialem iniuriam damnum infert, is iniustè lædit: Ergo resarcire debet: & quidem, vt arbitror, sub obligatione culpæ mortalis, si materia restituenda notabilis sit: constat enim mortaliter peccare eum, qui notabilem quantitatem ex iustitia restituere obligatus, sine iusta causa intermittit. Licet contrarium sentiant Petr. Nauar. lib. 2. cap. 1. num. 47. Less. lib. 2. cap. 7. num. 27. ex iniuria non mortali oriri non posse obligationem restituendi sub culpa mortali. Confirmatur prior pars responsionis: Cùm enim necesse sit, alterum duorum damnum subire, æquius est illum pati, qui aliquo modo nocens, & moralis causa damni est: quàm qui omnino innocens. Posterior pars probatur: Cùm enim iniusta damni illatio causa restituendi existat, consequens videtur, secundùm quantitatem iniuriæ, tanquam causæ, oportere esse restitutionis effectum.

Interim fateor, probabilem & tutam esse sententiam Pet. Nauar. Soti, Lessij locis cit. damnificantem iniuriâ tantùm veniali, ob actus imperfectionem, secluso omni pacto, ad nullam restitutionem teneri in conscientiæ foro: propterea quòd damna ex leui eiusmodi inconsideratione, quæ facilè interuenit, prouenientia, casui potiùs, quàm culpæ adscribi soleant.

Ad extremum hoc vnicum aduerte ex doctrina eiusdem Molin. disput. 698. num. 3. Sicut is, qui rem alienam accipit, certo proposito restituendi, minùs delinquit: ita etiam qui simili proposito compensandi, alicui damnum infert. Imò, si causa subsit, fieri interdum potest, vt nihil omnino peccet: quamuis peccaret, si restituendi propositum non haberet. Quod ideo moneo, vt intelligas, interdum absque culpa damnum inferri, ob præsumptum consensum, vel futuram ratificationem domini: ast obligationem restituendi nihilominus contrahi.

PARS ALTERA.

De obligationibus contractis ex iniusta læsione famæ, & honoris.

CAP. I.

Quid sit fama, quid honor, laus, gloria?

SVMMARIVM.

1 *Fama hic accipitur pro bona existimatione de alterius excellentia.*
2 *Honor est testificatio alienæ excellentiæ, animo conceptæ.*

1 FAma, secundùm communem vsurpationem, est frequens ac vulgaris de re aliqua sermo: strictiùs autem accipitur, quatenus spectat ad alicuius laudem, vel vituperationem; ac diuiditur in bonam, & malam famam. Denique strictissimè vsurpatur solùm in bonam partem, ac definitur apud S. Tho. 2. 2. q. 103. a. 1. *Opinio siue existimatio de alterius excellentia.* Etsi enim fama, si nominis etymon spectes, sit communis & vulgatus sermo; tamen à Theologis ferme accipitur etiam pro priuata alicuius hominis bona de altero existimatione, vt in progressu patebit, atque notauit Nau. in c. inter verba, 11. q. 3. conclus. 6. n. 5. & videri potest Pet. Gregor. Tholos. lib. 31. Syntag. c. 29.

2 Honor definitur ex eod. S. Thom. *Testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ.* Quæ testificatio erga Deum, & reliquas spirituales substantias fieri etiam potest solo interiore motu cordis; erga homines verò non nisi per signa exteriora verborum, aut factorum.

Honori affinis est laus: Differunt tamen, quia laus in solis verborum signis consistit; honor verò etiam in aliis, vt capitis inclinatione, genu flexione, statuæ positione. Ita notat S. Th. cit. a. 1. ad 3.

Gloria denique est effectus honoris, ac laudis. Nam exinde, quòd de alterius bonitate & excellentia verbis, ac factis testificamur, clarescit eius excellentia in notitia plurimorum. Vnde Gl. ad Rom. 1. definit, quòd gloria sit *clara cum laude notitia.*

CAP. II.

De temerario iudicio, suspicione, dubitatione.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium, suspicio, ac dubitatio inter se differunt.*
2 *Dubitatio, suspicio, itemque iudicium aliud est prudens, & aliud imprudens seu temerarium.*
3 *Peccata, quæ subiectiuè in intellectu sunt, non committuntur sine consensu voluntatis.*
4 *Suspicari, vel iudicare de proximo, vbi sufficientia indicia se produnt, neque charitati, neque iustitiæ repugnat.*
5 *Temere iudicare proximum, est peccatum contra iustitiam, suopte genere mortale.*
6 *Temere de proximo suspicari, vel de eius probitate dubitare, est ex genere suo peccatum tantum veniale.*
7 *Dubia in meliorem partem interpretanda sunt.*
8 *Qui semel malus, semper præsumitur esse malus.*

1 NOtandum I. Hæc tria inter se differunt. Nam dubitatio non est assensus, sed veluti suspensio animi. Suspicio autem est assensus debilis, iunctus cum dubitatione siue formidine oppositi, & parum, vel nihil differt ab opinione, vt mox declarabo. Iudicium denique, quæ & credulitas appellatur, est firma animi sententia siue assensus.

Notandum II. Suspicionis, sicuti & opinionis, quidam veluti gradus distingui solent. Nam alia dicitur suspicio leuis, quæ valde debilem assensum, multum verò dubitationis continet. Alia verò suspicio grauis siue vehemens, quæ plus assensus, parum verò dubitationis habet: sæpe appellatur simpliciter *opinio*, aut *præsumptio vehemens.* Alia denique dicitur *violentia & certa suspicio*, in c. literis, de præsumptionibus: quamuis magis propriè diceretur præsumptio violenta; cùm excludat quasi omnem dubitationem, moralémque formidinem de opposito; ideóque pertingat ad integram persuasionem seu credulitatem, ex coniecturis seu indiciis haustam. Vide Bartol. in l. admonendi, ff. de iureiur. Abb. in cap. tertio loco, prope finem, de probat. Nauar. in cap. si quis, num. 8. d. 7 de pœnit.

Notandum III. Dubitatio, itémque suspicio, ac iudicium aliud est prudens, quod nititur sufficientibus indiciis seu coniecturis ad generandam alicui dubitationem de alterius probitate; suspicionem, vel iudicium de improbitate. Aliud verò est temerarium & imprudens, quod sufficientibus indiciis non innititur. Maiora autem iudicia requiruntur ad suspicandum, quàm ad dubitandum; & adhuc maiora ad iudicandum, quàm ad suspicandum, sicut notauit Medina in instruct. Confes. lib. 1. c. 14. §. 37. Mol. tr. 4. disp. 15. & sumi potest ex doctrina Abb. in c. quanto, de præsumpt. vbi ait: Quòd coniecturæ (iustæ) aliæ sunt, quæ dubitationem mouent; aliæ, quæ suspicionem leuem; aliæ verò, quæ suspicionem grauem seu simpliciter dictam opinionem ac præsumptionem; aliæ denique maiores coniecturæ, quæ præsumptionem violentam, & quasi moralem certitudinem gignunt. 2

Adde, quòd maiora indicia requiruntur ad ferendam contra aliquem sententiam in externo publico iudicio, quàm interno cuiusque hominis: atque in ipso foro externo maiora iudicia siue probationes exiguntur ad criminis condemnationem, quàm ciuilis causæ definitionem. Quamobrem licet Salomon 3. Reg. c. 3. ex præsumptione prope violenta (quod enim parentes filios amore prosequantur veluti naturæ præsumptio est, ait Ioseph. Mascard. vol. 1. de probat. concl. 10. num. 20.) filiolum vni mulierum adiudicârit, alteram tamen tanquam nocentem punisse non legitur. quod etiam Abbas notauit c. afferte, de præsumpt. & Molin. tract. 4. disp. 15.

Notandum IV. Licet iudicium, vel suspicio temeraria, sicuti & hæresis, blasphemia, &c. sint peccata subiectiuè in intellectu, vti docet S. Thom. 1. 2. q. 74. a. 2. Caietan. ibid. consensus tamen voluntatis necessariò etiam requiritur, vt formalem rationem peccati habeant. 3

Corollarium primum: Etsi intellectus suopte motu discurrendo ex indiciis seu coniecturis apprehensis, sinistrum de proximo iudicium inferat; similiterque etsi motu suo circa res diuinas discurrendo cogitationes hæreticas, aut blasphemas colligat: interim tamen, dum voluntas plena deliberatione non consentit intellectui, non committitur peccatum mortale hæresis, temerarij iudicij: quamuis interdum venialis culpa committatur, si vo-

si voluntas in eiusmodi malis cogitationibus expellendis vel intellectui contrarijs obijciendis culpabiliter se negligentem præbeat; aut si post imperfectam animaduersionem deliberationémve imperfectè, ac potiùs per assuetudinem, intellectui iudicanti consentiat; sicuti explicat Mol. tract. 4. disp. 13.

Corollarium secundum: Tentationes peccatorum in intellectu consistentium, v.g. temerarij iudicij, frequentiùs, quàm aliæ occurrunt: propterea quòd intellectus à propositis sibi obiectis naturaliter moueatur; voluntas verò propter assuetudinem, & sympathiam difficilè intellectum impedire, vel aliò applicare possit. Verùm in hominibus Deum timentibus hoc manifestum signum est voluntatis deliberatè non consentientis si eiusmodi iudicia temeraria de proximis, sicuti & cogitationes blasphemas ac infideles oderunt, & procul abesse exoptant.

4 Assertio I. Suspicari, vel iudicare de proximo, vbi sufficientia improbitatis indicia se produnt, secluso affectu odij, externa detractione, &c. nec charitati, nec iustitiæ repugnat. Est communis apud Azor to.3.lib.3.c.11. dub. 3. Ratio est, quia proximus ius existimationis suę amisit, comparatione eius, cui crimen sufficientibus indicijs cognitum est. Moneo tamen I. Facilè accidere posse, vt decipiamur, existimantes sufficientia adesse suspicandi aut iudicandi indicia, vbi non sunt II. *Sæpe euenire*, vt quamuis certum sit opus ab aliquo profectum (v.g. ebrietatem, blasphemiam) esse ex genere suo mortale; tamen de operantis intentione dubitare debeas, & cohibere iudicium quòd ob varias causas v. g. animi ignorantis, præcipitantis, excusari potuerit à peccati grauitate. De quo S. August. tom. 4. lib. 2. de serm. Domini in monte, c. 18. S. Bern. serm. 40. in Cantic. ad finem. Quamobrem nihil tutius est, quàm animum à suspicione, & iudicio de peccatis alienis, extra necessitatis ac vtilitatis rationes, cohibere, & incertis rumoribus in proximi infamiam cedentibus fidem nullam habere.

Veruntamen, si ratio necessitatis vel vtilitatis postulet ad vitandum malum aliquod, tunc prudentiæ & cautionis officium est, vbi indicia se mali prodere videntur, expendere, quantum ea probabilitatis habeant; vt, si opus sit, remedium adhiberi possit vel ipsimet delinquenti, vel alteri personæ, aut Communitati, sicut explicat Molin. tract. 4. disput. 14. Less. cap. 29. dub. 4. in fine. Idque maximè in ijs locum habet, qui ratione officij alijs inuigilare, erroresque ipsorum corrigere debent; vt Prælatus subditorum, paterfamilias domesticorum, &c. qui proinde veritatis eliciendæ causa interdum suspecto obijcere aut exprobare possunt, quasi tale crimen ad ipso admissum esset; semper tamen cauentes, ne, dum vnum malum impedire conantur, alterius maioris mali causa existant, si videlicet plus iusto in vitam subditorum inquirentes, nimis suspiciosi appareant, ideóque animos suorum alienent, & inquietos reddant: Vel si suspiciones suas, aut etiã crimina occulta subditorum alijs extra casus necessitatis aut maioris vtilitatis, aperientes, famam suorum flocci pendere censeantur.

5 Assertio II. Temere iudicare proximum est peccatum iustitię oppositum, ex genere suo mortale. Ita S. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3. & alij cõmuuniter. Probatur primò ex Scriptura Matth. 7. Luc. 6. *Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare & non condemnabimini.* Nam de temerario iudicio sermonem ibi esse, ex sequentibus colligitur: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Et S. Iacob. cap. 4. cum peccato detractionis coniungit iudicium temerarium, ita inquiens: *Nolite detrahere alterutrum fratres: Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem*: id est, deficit à mandato legis, & iudicio illius proprium iudicium anteponit. Siquidem lex charitatis iudicat, ac præcipit proximo non detrahendum, neque temere de ipso iudicandum. Probatur secundò ratione: Nam quisque ius habet ad bonam existimationem sui, siue famam, donec de eo crimen cognoscatur, iuxta illud: *Quisque præsumendus est bonus, donec demonstretur malus.* Ergo iniuriam infert, qui illum in corde suo temere iudicat, & damnat.

Dixi autem esse peccatum mortale, *ex genere suo.* Ad quod requiritur primò; Vt sit de re graui, id est, tali, vt spectatis circumstantijs personæ &c. is, de quo sinistrè iudicatur, si sciret, tale de se iudicium temere conceptum esse, meritò grauem iniuriam & læsionem existimationis suæ censeret. Secundò requiritur perfectio actus: Consequenter ex duplici capite iudicium temerarium fieri potest peccatum veniale: I. Ob materiæ leuitatem, spectatis circumstantijs personæ, &c. II. Ob actus imperfectionem, seu cùm voluntas temerario intellectus iudicio imperfectè consentit; seu cùm iudicandi temeritas exigua est, nempe tantis indicijs extantibus, vt parùm absit, quin prudentis viri definitiuam sententiam mereantur. Vide Lessium lib. 2. cap. 29. dub. 2. Mol. disp. 13. & 16.

Assertio III. Temere de proximo suspicari est ex genere suo peccatum duntaxat veniale. Hæc est sent. S. Thom. cit. a. 3. Caiet. ibid. Gloss. in 1. ad Corinth. cap. 4. Mart. Nau in rubr. de iudicijs, num. 50. Pet. Nau. lib. 2. c. 4. num. 454. Mol. disp. 16. eandémque indicat S. August. tract. 90. in Ioan. *Si suspiciones omnino vitare non possumus, quia homines sumus: iudicia tamen, id est, definitiuas, firmásque sententias continere debemus.* Licet aliter doceant Arragon. Bannes, Salon cit. a. 3. Ratio assertionis est; quia per suspicionem fama parùm læditur, adeóque exiguum nocumentum proximo infertur quod sic explicatur: Fama non dicitur subitanea & leuis de altero bona existimatio; sed potiùs permanens ac veluti habitualis de altero bene existimandi dispositio. Sinistra autem suspicio in genere existimationis adeò imperfecta & imbecilla est, (quippe dubitationem ac formidinem oppositi adiunctam habens) vt suapte natura parùm imminuat ac lædat antea conceptam de proximo veluti habitualem bonam existimationem, siue famam; multò verò minùs contrariam de eodem malè existimandi dispositionem, siue malam famam in animo reponat: Quamobrem ferme accidit, vt qui sinistrè suspicatus erat, postea, cùm opus est, facilè suspicionem corrigat, & perinde de proximo bene sentiat, ac si nunquam de eius virtute vacillasset. 6

Est tamen valde probabile, quod tradit Sotus lib. 3. q. 4. a. 3. Molina tract. 4. disp. 17. n. 10. Less. dub. 3. Barthol. Medin. in instruct. Confessar. lib. 1. c. 14. §. 37. suspicionem de graui scelere, v. g. proditionis, incestus, leuissimis indicijs, ac magna animi temeritate de persona honesta conceptam, ad mortale peccatum pertingere. Quamuis Caiet. a. 3. & in summa ver. iudicium P. Nau. l. c. existiment, nunquam fieri posse, secluso odio, contemptu, vt sinistra suspicio, animo retenta, mortale peccatum existat: quandoquidem ratio suprà adducta, quòd suspicio suapte natura famam proximi tenuiter lædat vniuersim demonstrare videtur. Dixi *animo retenta*: Sin verò suspicio in effectum externum prodeat: puta, si eam alijs significans, vel in vitam hominis inquirens, famam ipsius laceres; item si ob talem suspicionem, in electione suffragium suspecto neges ratione euentus, siue damni, mortalem iniuriam inferri posse, nemo ambigit.

Cæterùm de temeraria dubitatione constantiùs id asseri potest; per se loquendo, ad mortale peccatum eam non peruenire, teste Less. n. 25. Consistit autem temeritas dubitandi in eo, si proditis sufficientibus indicijs de alicuius probitate, ob quæ meritò illum bonũ

& innocentem iudicare debeas; nihilominus positiuè de eo dubites, id est, iudices in vtramque partem dubium & incertum esse, bonúsne sit, an malus; nocens, an innocens. Quòd si talem dubitationem exteriùs significes, v.g. ob id in mores eius inquiras, potes interdum peccare mortaliter, vt suprà de suspicione dixi.

Hoc moneo: Tametsi nulla habeas sufficientia indicia ad dubitandum positiuè de alicuius probitate, vel ad suspicandum malum, potes nihilominus, securitatis causâ, prudenter & cautè rebus tuis, tuorúmque prospicere, v.g. pecunias concludere; quòd fieri queat, vt ij, quibuscum versaris, fures sint: filiæ interdicere, ne cum adolescente loquatur: quòd accidere possit, vt ab eo seducatur. Qua de re S. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 4. ad 3.

7 Assertio IV. Quod DD. aiunt cum Gloss. ad Roman. 14. ex doctrina S. August. lib. 2. de sermon. Domini in monte cap. 18. *Dubia in meliorem partem interpretanda esse*: non debet accipi affirmatiuè; quasi existentibus sufficientibus argumentis ad dubitandum de proximi probitate, nihilominus existimare debeas eum innocentem esse, sicuti rectè monet Caiet. q. 60. a. 4. Mol. disp. 18. Less. cit. dub. 4. Nemo enim obligatur vt errandi periculo se exponat: cùm autem existimatio repugnet dubitationi, eo ipso, quòd habes sufficientia argumenta dubitandi de alicuius probitate, non sine erroris periculo inclinas intellectum ad alteram partem, quamuis benigniorem. Sed inprimis dictum illud accipi debet negatiuè: vt quamdiu res dubia est, in deteriorem partem sententia non feratur. Quod etiam in externo foro vsuuenit: nam si Reus de crimine conuictus non sit, absoluitur, non affirmando crimen non admisisse, sed de eo demonstratum non fuisse. Quo sensu & axioma illud intelligi debet: *Quamdiu aliquis non demonstratur nocens, censendus est innocens.* Et regula 11. in 6. *Cùm sunt partium iura obscura, Reo fauendum est potius, quàm Actori.*

Secundò accipi illud dictum debet ex hypothesi: videl. æqualibus vtrinque existentibus indiciis tum pro hominis innocentia, tum nocentia, si iudicium ferre velis, potiùs inclinandum esse intellectum in partem benigniorem. Ratio est, quam S. Thom. reddit cit. a. 4. ad 1. & Caietan. ibid. explicat: Satius est, in dubio frequenter falli bene opinando de proximo, quàm malè opinando vel semel decipi. Nam ille speculatiui intellectus error, cum circa singularia versatur, exiguum malum censetur: hic autem error practicus est, cum voluntatis malitia, & proximi iniuria coniunctus: idque propterea, quòd in dubio nemo condemnandus, aut possessione famæ spoliandus sit. Eandémque doctrinam reperies apud Richard. in 3. sentent. d. 33. a. 3. quæst. 7. ad 1. Quare etiam Apostolus monet 1. ad Corinthios 4. *Nolite ante tempus iudicare: quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum.*

8 Quæret hîc aliquis. Quomodo intelligenda sit iuris reg. 8. in 6. *Qui semel malus, semper præsumitur esse malus?* Resp. Intelligi debere in eodem genere delicti, & quamdiu ex indiciis emendatio colligi non potest. *Qui exercuit actum bonum*, inquit Gloss. ibid. *præsumitur bonus, nisi faciat actum contrarium*, (iuxta cap. mandata, de præsumpt. & l. non omnes, §. à barbaris, ff. de re milit.) *sed si fecerit actum contrarium, præsumitur malus, donec de emendatione appareat.* Ratio regulæ est: Qui enim semel voluntatem deliberatè inclinauit in malum peccati, in eodem veluti captus est, donec animum mutet ac corrigat. Quòd verò animum mutauerit, hoc non præsumitur: sed probari debet, vel indiciis ostendi: quemadmodum si quis semel deprehendatur esse pauper, non præsumitur esse diues, donec id probet, seu indiciis demonstret.

Hanc regulam & doctrinam inprimis veram censeo, quatenus agitur de cauendo alieno incommodo: Sic qui fraudulenter tutelam administrauit, etsi satisdare velit, à tutela tanquam suspectus remouendus, nec iterum promouendus est, §. nouissimè, Instit. de suspectis tutoribus. Et marito semel sæuienti non est restituenda vxor, ob sæuitiam disgressa, nisi securitas ei prouideri possit, c. literas. in fine, de restit. spoliat. Et qui semel periurus deprehensus est, iterum non admittitur ad testimonium ferendum, c. testimonium, de testib. Imò hoc speciale est in periuro, vt etiam emendatus non admittatur, cit. c. testimonium.

Deinde, tametsi non agatur de damno vitando; non quidem tunc certum iudicium ferre possumus de perseuerantia in peccato; attamen suspicari ac dubitare, quoad emendationis signa videantur. Exempli causa, si quem in deliberato mendacio semel deprehendimus, eius fides imposterum meritò suspecta esse solet: Et si scimus aliquem semel fornicatum fuisse, de eius probitate semper dubitamus, donec emendationis aliqua signa prodat. Nam emendatio est quid facti: factum autem in dubio non præsumitur, vti dixi lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 30.

CAP. III.

De Detractione.

SVMMARIVM.

1 *Detractio famæ iniusta, vel fit directè, vel indirectè.*

2 *Detractio est peccatum ex genere suo mortale; leuius homicidio, & grauius furto.*

3 *Detractio sæpe est peccatum tantum veniale; vel ob materiæ leuitatem, vel ob imperfectionem actus.*

4 *Detractio alia est formalis, siue ex proposito nocendi, alia verò materialis; Item alia est, per quam crimen falsum alicui imponitur; alia, per quam crimen verum, sed occultum proditur.*

5 *Crimen alterius occultum manifestare, non semper est illicitum; sed quibusdam casibus concessum: imò & præceptum.*

6 *Crimen alterius graue etiam vni homini prudenti ac graui sine causa manifestare, videtur esse mortale.*

7 *Si ita narretur crimen ex relatione aliorum, vt credibile sit audientes non credituros, non est periculum peccati mortalis.*

8 *Crimen in loco, vbi notorium est notitiâ facti, aliis ignorantibus manifestare non est illicitum.*

9 *Crimen in iudicio notorium per Rei confessionem, vel testium depositionem, non ideo statim euulgare licet.*

10 *Crimen per Iudicis publicam condemnationem notorium, etiam in aliis locis sine iniuria euulgatur.*

11 *Infamem de vno crimine, non licet infamare de aliis occultis, etiamsi minora sint.*

12 *Laudatæ Communitati, v.g. Regularium Ordini detrahere, graue crimen est.*

13 *Licet detractio erga defunctum minus crimen sit, quàm erga viuum, potest tamen & illud ad crimen mortale pertingere.*

14 *Auditor detractoris peccat, si detractioni consentiat: ad detractionem expressè, vel tacitè impellat: detractionem, cum facilè possit, non impediat.*

15 *Seipsum sine causa infamare non est peccatum contra iustitiam: sed solùm prodigalitatis, idque veniale, per se loquendo.*

Detractio est alienæ famæ iniusta imminutio. Accidit vel directè, vel indirectè, auctore D. Thom. q. 73. a. 1. ad 3. Directè quadrupliciter: I. Imponere alicui crimen falsum. II. Exaggerare crimen verum, vel falsum. III. Manifestare crimen occultum. IV. Opus rectum sinistrè interpretari. 1

Indirectè tripliciter: I. Alterius dotes inficiari. II. Easdem eleuare siue extenuare. III. Malitiosè reticere: vt, si, aliis hominem laudantibus, subijcias: *Ego taceo*; aut frontem contrahas. Addit Adrianus quodlib. 11. §. secundò præmitto, & Less. lib. 2. c. 11. dub. 2. frigidam & simulatam laudationem: quia, vt apud Gellium legimus l. 19. Attic. *Turpiùs est exiguè atque frigidè laudari,*

quàm insectanter et grauiter vituperari.

2 Detractio ex genere suo peccatum mortale est contra iustitiam; leuius homicidio, sed grauius furto, teste S. Tho. q.73.a.3. Tantò enim peccatum maius est, quantò maiore bono iniustè priuat: Atqui, vt Salomon ait Prou.22. *Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* Et Eccles. 41. *Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi et magni.* Accedit, quòd sæpe per detractionem non solùm fama proximi laceratur; sed etiam amicitia & pax inter homines violatur: quod susurronis peccatum dicitur, iuxta illud Ecclesiast. 28. *Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes.* de quo S. Anton. p. 2. tit. 8. cap. 5. Quin & interdum per detractionem causa præbetur alterius damni in corpore aut fortunæ bonis inferendi illi, de quo iniquè detrahitur; vt proinde plures species peccatorum in vnum actum concurrere possint, quas necesse sit in confessione explicare, sicuti docet Molin. tr.4. disp.25.

3 Fit tamen peccatum veniale detractio primò, ob leuitatem materiæ: quæ tamen non absolutè spectanda est, sed cum ordine ad personam, quæ infamatur. Fieri enim potest: vt defectus alicuius veniales, vel etiam naturales narrando, spectata conditione & statu illius, graue damnum inferas, & mortaliter pecces: veluti, si boni nominis Religiosum mendaciis assuetum esse; virum grauem ac consularem illegitimè natum, Iudæo genere ortum affirmes. Qua de re Nau. c.18. n. 25. Less. dub.3. Mol. disp.33. in fine, Petr. Nau. lib.2. c. 4. n. 311. Contrà, veniale tantùm peccatum erit, non solùm si corporis, vel natalium naturales defectus; sed etiamsi crimen mortale referas de persona vili, vel ita affecta, vt crimen commissum non magno dedecori sibi ducat: v.g. militem habere concubinam, fuisse ebrium, quod Caiet. aduertit 2.2. q.73. a.2. §. ad hoc dicitur. Maior in 4. d.19. q.2. Sotus lib.4. q. 6. a. 3. circa 4. argum. Tolet. lib.5. c. 64. Præterea leuis plerumque detractio censetur, si quis generatim de aliquo affirmet, esse superbum, iracundum, auarum, &c. quia audientes interpretari solent de naturali propensione ad eiusmodi vitia, sicut annotauit S. Anton. p.2. t.8. c. 4. Syl. ver. detractio, q. 1. Less. n. 18. Interdum tamen tales circumstantiæ esse possunt, vt existimatio hominis, tali de ipso prolato iudicio, grauiter lædatur, sicuti bene annotauit Nau. in man. c.18. n.24. & alter Nau. cit. c. 4. n. 320.

Secundò, detractio fit peccatum veniale ex imperfectione actus. Etenim nisi dicamus, ob mentis, ipsiúsque linguæ præcipitationem, sæpissime à mortali noxa excusari detractionis malum, totum pene humanum genus periclitabitur: adeò vulgare est hoc vitium, quod Glossa notauit in cap. 24. Prouerb. Siquidem linguæ modicum membrum est, sed volubile, & inquietum, *quod nullus hominum domare potest*, ait S. Iacob. cap. 3. Veruntamen tantò magis hoc peccatum nobis pertimescendum: lædit enim charitatem pariter ac iustitiam erga proximum, & Communitati maximè noxium est, seminans odia, dissensiones, lites. Quapropter à S. Paulo ad Rom. 1 *detractores* iis annumerantur, quos Deus *in reprobum sensum tradidit.*

4 Detractio diuiditur primò in formalem, ac materialem, ex S. Th. q.73. a.2. Anton. p.2. t.8. c.4. §.1. Pet. Nau. lib.2. c.4. n.105. Formalis est, quæ fit ex intentione alienam famam denigrandi: Materialis, quæ ex animi leuitate fit, sine directo nocendi proposito. Vtraque est propriè peccatum detractionis aduersus iustitiam commutatiuam, ex genere suo mortale, sicuti rectè docet Nau. c. inter verba, 11. q.3. concl 6. n.7. & 11. quandoquidem ad damnum iniustè inferendum sufficit voluntarium indirectum ac imputatiuum. Verumtamen est, quòd detractio illa materialis seu indirectè volita, tam perfectum voluntarium non habeat, & frequenter ob actus imperfectionem à culpa mortali excusetur, sicuti significat S. Th. in cit. a.3. Quamobrem oportet interdum quærere ex confitente; vtrum odium, nocendiue voluntatem gesserit aduersus personam, cui detraxit.

Diuiditur secundò: Detractio alia est, per quam crimen falsum alicui affingitur; alia per quam crimen verum occultum de aliquo proditur. Illa ex genere suo grauiorem iniuriam continet, quàm hæc, teste Nauar. c.18. n.26. Nam qui pernicioso mendacio famam alicui detrahit, non sola possessione, sed quasi dominio famæ ipsum spoliat. Qui autem crimen verum occultum prodit, proprie tantùm priuat hominem iure possessionis; non etiam dominij: quandoquidem fama per se & secundùm veritatem criminoso debita non est, sed per accidens, videl. ob publicam ignorationem. Etenim, sicuti probabilis tua ignorantia sæpe efficit, vt alienum equum v.g. iustè possideas, iniuriámque inferat, qui eum tibi eripit, antequam liquidò constet tuum non esse: ita publica ignorantia tui criminis efficit, vt iustè apud eos possideas bonam existimationem, siue famam; iniuriámque inferat, qui eam tibi eripit, antequam publicè innotescat, tibi re ipsa debitam non esse, sed solùm ob ignorationem.

Sed instabit aliquis. Si Titius bona fide possideat equum Caij, similiter ignorantis ad se pertinere, iniuriam non infero, cùm de hac re Caium admoneo. Ergo pari ratione, si alij de Titio criminoso bonam existimationem non sine errore conceperunt, nullam iniuriam irrogo, cùm hunc errorem illis aufero. Resp. negando conseq. Ratio disparitatis est: Quia in priore casu, Caius iniuriam saltem materialem patitur, quâ eum iustè libero: In posteriore autem casu nullum iniustum damnum patiuntur, qui de occulto peccatore bonam opinionem gerunt.

Monet tamen Mol. tr.4. disp.26. num. 5. Si quis maiorem opinionem doctrinæ, aut virtutis de Titio conceperit, quàm is mereatur, consideratis externis indiciis, quæ in ipso apparent: non esse peccatum, si profeatur de eo iudicium verum; videlicet non esse tam doctum, tam probum, quàm existimatur; dummodo absit odium, vel similis affectus prauus. Ratio est: Quia hæc bona existimatio non est externis actibus comparata à Titio, vt ius aliquod ad eam habere censeatur: sed est profecta ex alterius inscitia, seu negligentia attendendi ad eos: qui exteriùs palàm in Titio defectus apparent. Verùm propter periculum errandi secundùm proprium iudicium, non expedit hanc doctrinam in praxin deducere, nisi interdum ad scrupulorum medelam.

Alterum discrimen est, quòd crimen falsum alicui 5
scienter imponere semper illicitum est, quippe perniciosum mendacium negatiuo illo Decalogi præcepto, *Non dices falsum testimonium*, per se ac directè prohibitum. Crimen verò occultum alicuius manifestare non semper illicitum est, sed ob aliquas causas licitum.

Quarum prima est, Vt consilium, vel auxilium capias à viro prudente: Sed operam dare debes, vt, quatenus possibile est, cum minimo peccatoris damno id fiat: quamobrem pluribus manifestandum non est, si vnus ad ferendum auxilium sufficiat: nec persona nominanda, nisi necesse sit, sicut monet Lessius cap. 11. dub. 12. Quod etiam Prælati obseruare debent, vt in inquirendis, aut puniendis occultis delictis subditorum non adhibeant plures consiliarios, quàm res postulet.

Secunda, Si opus sit ad impediendum maius damnum communitatis priuatæ personæ, ipsiúsue criminosi. Qua de re Adrian. in 4. vbi de restit. bonorum famæ. Sotus lib.5. quæst.10. art.2. Nauar. cap.18. num. 31. Molin. disp. 24. Less. dub. 9. Exempla habes: Si homo improbus, & non idoneus Iuuentuti præficiendus sit; vel ad sacros ordines, curam animarum cum multorum dam-

no promouendus: Si Medicus imperitus ad corporis curationem accersendus: Si persona in matrimonium accipienda, vnde mali exitus timeantur: in eiusmodi casibus occultus defectus prodi potest, & quandoque prodi debet; sed, quàm possibile est, cum minima iactura alienæ famæ. Quare interdum necesse est, priùs secretò monere hominem, vt abstineat, si spes sit obtemperaturum. Similiter, si innocens, ob falsi criminis suspicionem, vita, vel fama periclitetur, túque eum liberare possis, indicando occultum criminis auctorem, plerúmque teneris indicare; admonitum tamen priùs, vt sibi caueat, fuga consulat. Sic enim charitas exigit, vt maior ratio habeatur hominis innocentis, quàm nocentis, sicuti resoluit Mol. cit. disp. 24. n. 3.

Tertia, Si quis aliquam dignitatem, beneficium, aut officium postulet, ad quod iure inhabilis est; v. g. cathedram Magistris deputatam, qui Magister non est: Dotem, vel eleemosynam pauperibus decretam, qui pauper non est; occulta eius simulatio ac fraus detegi potest, vt iis obueniat, quibus iure debetur, sicuti docet Molina num. 7. & 8. Less. lib. 2. cap. 11. dub. 10. Nam crimen alteri perniciosum prodi potest: si ita necesse sit ad damnum auertendum: qui autem pauperem se simulans, eleemosynas v. g. accipit, is iniuriam & damnum infert. Ergo eius iniquam simulationem, tanquam crimen perniciosum, prodere possum.

Sed statuamus, Titium dotem reliquisse virgini alicui dandam: eam Caia sibi obuenire petit, quæ publicè virgo censetur, tu autem illam corruptam esse nosti, vtrum liceat tibi occultam eius fornicationem prodere? Respondeo non licere. Ratio est, quia Caia dotem petendo nullam iniuriam infert. Cùm enim publicè virgo habeatur, in externa politia omnibus virginum priuilegiis gaudet: vt iuxta morem patrium, sertum v. g. capite gestare possit, similiter itaque & dotem quasi virgo petere. Neque alia Titij testatoris mens fuit, quàm vt dos daretur puellæ, quæ publicè censeretur virgo, & casta; interim non inquirendo in occulta crimina: cùm id neque conueniens, neque Reipub. expediens sit. Igitur discrimen obseruandum est inter simulatum pauperem, & simulatam virginem; quòd illius simulatio iniusta ac perniciosa sit; hæc autem habeat ius simulandi, seu potiùs dissimulandi suum defectum, quamdiu bonam famam publicè retinet. Idémque dicendum, si eleemosyna relicta sit distribuēda inter pauperes bonæ & honestæ vitæ: intelligitur de ijs, qui nulla infamia laborant: quare occultum crimen alicuius, qui [illegible] tantum peteret, prodi haud posset.

Id verò addendum ex Armilla ver. iniuria n. 3. Sa eod. ver. n. 3. Quotiescunque aliquis ius habet accusandi de crimine occulto, quod probari potest, tum, secluso odio, fas esse accusationem, vel denuntiationem inferre coram iudice competente, eo fine, vt repellatur v. g. adultera à dote, eáque alteri obueniat. Simili ratione potes aliquem repellere à ferendo testimonio: vel competitorem tuum à beneficio, dignitate, &c. vt, eo excluso, tibi obueniat: Vteris enim hac in re iure tuo.

6 Restant aliquæ quæstiones: PRIMA. Vtrum mortaliter peccet, qui occultum alterius crimen, sine iusta causa, manifestat vni soli viro prudenti, quem probè scit non euulgaturum? A mortali peccato excusant Caiet. quæst. 73. art. 2. dub. 1. Petr. Nauar. lib. 2. cap. 4. difficult. 10. num. 334. Quia arbitrantur, bonam existimationem perdere apud vnum hominem, esse modicum nocumentum: si nullum præterea damnum ex illa detractione timendum sit. Sed rectius docet Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. & lib. 5. q. 10. a. 2. conclus. 4. Mol. disp. 29. n. 7. Less. dub. 11. Esse ex genere suo peccatum mortale: & fundamentum contrariæ sententiæ falsum esse: quia plerique etiam hanc iacturam magni æstimant, si de graui scelere infamentur apud vnicum virum prudentem ac grauem. Illud tamen bene monent Lessius dub. 12. P. Nau. n. 346. Mol. n. 5. Sæpe culpam minui ex hoc capite, cùm quis solatij capiendi causa, acceptam ab aliquo iniuriam amico, præsertim prudenti: manifestat: quòd eam in silentio decoquere, atque cum nemine communicare valde difficilè videatur.

QVAESTIO SECVNDA. An, & quatenus peccet, qui occultum alicuius crimen se ab aliis audiuisse narrat, absque propria confirmatione, nocendique proposito? Respondeo & dico I. Si tales circumstantiæ concurrant, vt credibile sit, non credituros esse, coram quibus narratur, non est timenda culpa mortalis: quia abest periculum notabilis damni inferendi. Ita Scotus in 4. d. 15. q. 4. a. 1. Nau. c. 18. n. 36. & 50. 7

Dico II. Si tales circumstantiæ concurrant, vt narratio per se quidem fidem non mereatur: is tamen qui narrat, animaduertat audientes propria animi leuitate credituros esse, vel malam suspicionem concepturos: peccat contra charitatem, non etiam contra iustitiam. Quòd contra iustitiam non peccet, docet S. Anton. p. 2. tit. 2. cap. 2. §. 3. Syl. q. 1. in fine, Caiet. cit. a. 2. Less. cit. c. 11. dub. 5. Cùm enim audientes non ex pondere narrationis, sed ex animi leuitate fidem adhibeant, (nam *qui cito credit leuis est corde*, ait Eclesiast. c. 19.) narranti tanquam causæ adscribi non potest: quamobrem neque ad famæ restitutionem obligatur. Quòd verò contra charitatem peccet, tradit Scotus l. cit. Maior in 4. d. 15. q. 16. conclus. 1. Mol. disp. 30. Less. l. c. Ratio est, quia duplicis mali occasionem præbet: tum quòd audientes temere credendo scandalum patiuntur: tum quòd alter famæ suæ iacturam apud eosdem incurrit.

Dico III. Si eo auctore, iisque circumstantiis crimen narretur, vt narratio suopte pondere fidem apud audientes mereatur, vel sinistram suspicionem generet, contra iustitiam peccatur, cum restituendi onere. Ita Nau. c. 18. n. 50. Mol. Less. ll. cc.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum crimen alicubi notorium aliis ignorantibus manifestare liceat? Duplex est notorium: *Iuris, & facti*, sicut colligitur ex c. vlt. de cohabit. cleric. & mulier. & videri potest Adrianus quodlib. 11 in corp. Notorium facti est, quod ita se plurium hominum conspectui exhibet, vt nulla tergiuersatione celari possit, secundùm Gl. in c. vestra, eod. tit. Notorium iuris est, de quo aliquis in iudicio condemnatus, vel confessus, vel sufficientibus probationibus conuictus est, sicuti colligitur ex c. cùm olim, de verb. signif. & docet Abb. cit. c. vestra, Syl. ver. notorium, q. 3. Nauar. c. 25. n. 73. Sa ver. manifestum, num. 3. Verùm qui de crimine notoriè infamatus est, vel extra iudicium confessus, vel in iudicio semiplenè conuictus, censeri non potest notorius v. g. fur, aut vsurarius. Qua de re Mol. to. 2. disp. 335.

Nunc respondeo, & dico I. Crimen verum alicubi notorium notitiâ facti, aliis ex eodem loco siue Communitate manifestare non est peccatum, vel saltem non est mortale. Ita Scotus in 4. d. 15. q. 4. a. 1. Caiet. opusc. 16. responsionum, resp. 9. Syl. ver. detractio q. 1. Nau. c. 18. n. 26. Mol. tr. 4. disp. 31. & 32. Nam criminosus censetur tunc spoliatus iure ac possessione famæ suæ, quando crimen adeò manifestum est, vt moraliter impossibile videatur, quin in aliorum cohabitantium notitiam deueniat. Adde, eandem esse rationem, si crimen notorium sit, non quidem euidentia facti, sed publica præsumptione, suspicione, infamia, iuxta c. tua nos, de cohabit. Cleric. & mulier. Potes enim absque mortali crimine hanc publicam præsumptionem siue infamiam, non maiore tamen certitudine siue asseueratione, aliis ex eodem loco significare: Veluti, si dicas Sacerdotem alere mulierem suspectam, quod multis in vicinia notum est. 8

Porrò quàm multi crimen cognouisse, vel de eo loqui debeant, vt notorium vel famosum censeatur, & idcirco aliis ex eodem Collegio, vicinia, &c. narrari possit, non omnes eodem modo definiunt. Aliqui apud Syl. ver. notorium q. 4. P. Nau. lib. 2. c. 4. n. 292. existimant sufficere, si decem personæ è Communitate cognouerint. Quia decem homines faciunt plebem, secundùm Gl. in c. vnio, 10. q. 3. Sed Nau. in man. c. 25. n. 73. & alter Nau. lo. cit. aiunt, necesse esse, vt tota Communitas, vel maior, aut potior pars eius Communitatis, quæ saltem decem personas contineat, crimen intellexerit. Mihi verò placet doctrina Abb. in c. vestra de cohabit. Cleric. & mulierum, n. 16. Mol. disp. 31. Prudentis arbitrio definiendum esse, num eò vsque criminis notitia, vel fama diffusa fuerit, vt spectata humana imbecillitate, impossibile sit cohibere, quominus in aliorum cohabitantium cognitionem deueniat. Quare si domus constet octo incolis, sufficiet plerumque quatuor, vel quinque crimen cognouisse, aut de eo loqui, vt domi notorium censeatur: Sin autem viginti habitatores contineat, sufficiet octo cognôsse: si centum inhabitent, quindecim, vel viginti intellexisse satis erit. In oppido, quod quadraginta domos continet, satis est octo, vel decem diuersarum domorum habitatores crimen perspectum habere: si ciuitas quinquies mille habitatores alat, erit satis triginta, vel quadraginta per ciuitatem dispersos de crimine loqui, vt famosum ac notorium censeatur.

Nota, quod dico, *dispersos*. Nam si crimen in domo notorium sit, non ideo aliis ex vicinia manifestari; vel, si in vicinia duntaxat notum, non ideo aliis partibus amplæ ciuitatis, vel locis, in quibus criminosus famam hactenus illæsam retinet, fas est reuelare. Quæ est communis doctrina Mol. l. cit. Soti lib. 5. q. 10. a. 2. Pet. Nau. num. 291. contra Less. dub. 13. vbi negat, esse hoc peccatum contra iustitiam. quod tamen alij aiunt: cùm infamatus in vno tantùm loco aliis locis famam suam integram, sine cuiusquam iniuria, possideat. Quamuis verum sit, interdum exiguum damnum inferri, ideóque venialiter tantùm peccari, si alioquin infamia criminis ad ea loca breui peruentura existimetur.

Dico II. Crimen falsum, de quo aliquis per iniuriam infamatus est, vlteriùs diffundere, aliis nescientibus narrando, est peccatum contra iustitiam, ex genere suo mortale: quamuis sæpe ignorantia excusat arbitrantem vel crimen esse verè commissum, vel audientes de eo iam intellexisse. Ratio est, quia innocentem infamare per se malum, & semper iniustum est: quo iniuriæ peccato se maculat, non tantùm qui primus infamiam infert; sed etiam qui adiumentum adfert, auget, latiùs diffundit.

Dico III. Postquam infamatus, per vitæ emendationem, famam suam recuperauit, iniuria ipsi infertur, cum restituendi obligatione, si de præterito, & obliuione obruto crimine denuo sine necessaria causa infametur. Ita P. Nauar. l. c. Tol. lib. 5. cap. 65. concl. 2. Molin. disput. 33. num. 2. contra Less. cit. dub. 13. in fine. Ratio est, quia sicuti malis moribus infamia facti contrahitur, & fama bona amittitur; ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, & fama bona recuperatur.

9 Hactenus dixi de notorio facti. Nunc de notorio iuris dico I. Si crimen per solam Rei confessionem, vel testium depositionem in iudicio notorium sit, non potest sine iniuria euulgari. Ita ex communi Mol. disp. 33. concl. 4. Ratio est, quia tunc solùm in ordine ad Iudicem, vt Reum condemnare possit: & nondum in ordine ad populum, publicum crimen censetur. Quamuis si crimen paulò pòst publicandum sit, saltem grauis iniuria non erit, criminis infamiam anteuertere: Imò nulla erit, si iustam ob causam id fiat. Qua ratione Christus Dominus peccatum occultum Iudæ, quod statim consummandum fore certo cognôrat prophetice prædixit, & manifestauit discipulo dilecto: *Ille est, cui ego intinctum panem porrexero*, Ioan. 13. vt nimirum appareret, non tradi se inscium, aut inuitum: quo ipso prophetico spiritu Petri trinam negationem postea prædixit. Ita hanc rem explicant Sotus relect. de secreto, mem. 1. q. 2. concl. vlt. ad 1. argum. Mol. tract. 4. disput. 6. num. 11. Etsi aliter S. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. ad 2. & Eugenius Papa c. si sacerdos, de offic. Ordinarij.

Dico II. Si crimen (præsertim cui iuris infamia annexa est) per Iudicis condemnatoriam sententiam publicatum sit, aliis etam locis sine iniuria euulgari potest. Ita Maior in 4. d. 19. q. 2. in fine, Sotus & Tolet. ll. cc. Molin. disput. 33. concl. 2. Suarez tom. 5. disput. 48. s. 1. num. 9. Nauar. in man. cap. 18. n. 26. alter Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 286. Valent. tom. 3. disput. 5. qu. 17. p. 2. Ratio est, quòd sicuti Magistratus in criminis vindictam Reum corporis, & fortunarum bonis; ita & fama spoliandi ius habet: idque re ipsa efficere decernit, quando eum publica sententia coram populo de crimine condemnat. Quæ ratio conuincere quoque videtur contra Sotum lib. 5. quæst. 10. a. 2. Salonem 2. 2. quæst. 62. art. 2. controu. 18. Pet. Nau. num. 288. Neque contra charitatis legem peccare eum, qui iustæ sententiæ Magistratus se conformat, & potestate criminis diuulgandi sibi concessa vtitur, saltem in locis eidem Reipub. subiectis, vel etiam aliis, ad quæ ex Repub. illa commercia esse solent, sicuti limitat Molin. disp. 33. concl. 2. qui optimè etiam aduertit conclus. 5. Si crimen ea conditione alicubi publicetur ad emendationem, vt tamen eius notitia intra certos limites v. g. Collegij, Monasterij contineatur, iniuriam illatum iri, si aliis qui ex eodem Collegio, vel Monasterio non sunt, manifestetur. 10

Dico III. Infamem de vno crimine, iuris, aut facti infamiâ, non licet de aliis criminibus siue eiusdem, siue diuersi generis infamare: v. g. de fure capitali sententia damnato fas non est prodere occultum adulterium; aut de publico adultero dicere esse furem; aut de muliere, quæ ob commissum adulterium infamis erat, postquam emendata creditur, dicere eam relapsam esse. Ita Hadrian. quodl. 11. diffic. 1. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. controu. 19. Molin. disput. 32. concl. 1. Petr. Nauar. lib. 2. cap 4. num. 226. Less. dub. 14. licet contrarium significet Palud. in 4. d. 19. q. 4. in fine, & Syl. ver. detractio q. 1. qui ait, Non esse mortale, de notorio homicida & fure dicere occultum peccatum fornicationis: quia hoc minus est illis. Id tamen fateri oportet, interdum exiguum, aut pene nullum detrimentum famæ inferri; ac proinde grauiter non peccari, si variis, vel repetitis criminibus hactenus infamem, iterum commissi sceleri insimules. Quod maximè locum habet si crimina eiusdem generis sint: veluti si publicum vsurarium, vel meretricem iterum lapsam affirmes: vel etiamsi diuersi generis crimina, sed inter se connexa: vt vno admisso, reliqua consequi soleant: veluti si publicum adulterum, ebriosum cum vxore sua rixatum aias. 11

Quaestio quarta, An, & quatenus peccet, qui crimen occultum refert non nominata persona? Resp. & dico I. Si absit periculum, vt audientes per illam relationem criminis auctorem cognoscant, ordinariè non est saltem graue peccatum.

Dico II. Si explicata personæ qualitate, (v. g. huius ordinis Religiosum, huius Principis viri cognatum, tale facinus patrasse) grauis infamia redundet in 12

familiam ordinem, Cœnobium, &c. mortale crimen committitur, cum onere restituendi. Ita docet Molin. disput.27.& P. Nauar. lib.2. cap. 4.n.354. Imò tantò grauiùs peccat, qui bono nomini communitatis detrahit, quantò maius & communius bonum violat. Tametsi enim congregatio v.g. Regularium re ipsa non maculatur ex vnius hominis malitia, aut perfidia: sicuti neque Apostolorum collegium ex proditione Iudæ: maculatur tamen apud homines simplices & imperfectos, quibus id multiplici scandalo esse solet. De quo vide S. August. epist.137. ad Clerum Hipponens. Quæ ipsa res quemuis Religiosum admonere debet, vt ita se gerat, ac si totius Religionis honor, populique spirituale incrementum ex ipso pendeat. Quod item de sacerdotum, siue Clericorum secularium ordine ac statu dici potest.

Deniqueillud hîc adijcere placuit ex Pet. Nauar. l.c. Cauendos esse eos, qui Religioni à sede Apostolica approbatæ obloquuntur, eámue impugnant: quia parum abesse videntur, vt de statu Religionis vniuersim malè sentiant, non sine periculo vel suspicione hæresis.

13 QVÆSTIO quinta. Vtrum defuncto detrahere mortale peccatum sit? Resp. cum P. Nauar. n.351. Molin. disput. 28. Qui demortui famæ detrahit, minus damnum infert, proinde minùs delinquit, (cæteris paribus) quàm si viuo detrahat: potest tamen etiam in ea re quandoque mortalis iniuria committi. Nam qui mortuus est, quodammodo viuit in hominum memoria & existimatione, ac veluti possessionem bonæ famæ, & gloriæ retinet: quasi illum per iniuriam spolias, damnum inferre censeris, cum restituendi obligatione. Hinc colligunt Sotus cit. q. 10. a. 2. & de secreto mem. 1.q.2. in fine. Mol. cit. loco. Etiam Historiographos contra iustitiam delinquere, si occulta demortuorum crimina pandant, Quamuis plus illis, quàm aliis hominibus concessum sit, videlicet vt publica crimina, quæ vel obliuione obliterata sunt, vel intra vnius tantùm ciuitatis aut prouinciæ fines cognita, publicis scriptis ad perpetuam totius posteritatis cognitionem diffundant: partim ad aliorum exemplum, ac terrorem; partim ad rerum gestarum notitiam conseruandam. Vide etiam Valent. t.3. disp.5. q.17. p.2. Sa ver. infamare, n. 4. §. historici.

14 QVÆSTIO sexta. An, & quomodo peccet, qui detractorem audit, ac tolerat? Respondeo ex doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 4. Adr. in quodlib. 11. §. secundò, vt clariùs, Maioris in 4. d.15. q.15. §. septimò arguitur, Caiet. ver. detractio, Nauar. cap. 18. num. 37. Peccat primò, qui detractione per consensum oblectatur: quod est peccatum odij ex genere suo mortale, si delectatio de iactura alienæ famæ sit formalis, ac per se: Sin verò per accidens aliquis delectetur, ob narrantis facundiam, rei nouitatem, venialiter tantùm delinquit, sicuti notat Molin. disput. 34. num. 2. Less. dub. 4. n. 20.

Secundò peccat, qui ad detrahendum expressè, vel tacitè alterum impellit ac mouet. Quod est peccatum partim contra iustitiam, quatenus iniustæ infamationis causa præbetur; partim contra charitatem, quatenus infamanti occasio peccati siue scandalum obijcitur, argum. c. ille qui, & seq. 22. q. 5. Ob quas causas hactenus numeratas detractoris auditorem mortaliter delinquere, ostendit S. Thom. testimonio Apostoli, qui epist. ad Rom. c.1. de detractoribus & eiuscemodi peccatoribus subiunxit: *quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Item S. Bern. lib. 2. de consider. ad Eugenium Papam: *Detrahere, vel detrahentem audire, vtrum horum detestabilius sit, non facilè dixerim.* Veruntamen, si is, qui ex curiositate alienum occultum crimen rogitando elicit, ita comparatus sit, vt nullum, vel exiguum detrimentum exinde criminoso inferatur, probabile est, venialiter tantùm peccari, sicuti docet P. Nauar. n.361. Similiter, si arbitretur detractionem exiguam fore, detractor autem præter opinionem in grauem ac mortiferam infamationem erumpat, sicuti Mol. notauit concl.1.

Tertiò, Licet auditor neque causam detractionis præbeat, neque in eam per delectationem consentiat; nihilominus contra charitatem peccat, si, cùm possit, non impediat, vel redarguat; siue expressè, siue tacitè, quod fit v.g. discedendo, sermonem auertendo, vultum tristem exhibendo: Nam *Aquilo dissipat pluuiam, & facies tristis linguas detrahentium*, ait sapiens Prouerb. 25. Quare etiam Psalmista dixit Psal. 100. *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar.*

Porro eædem causæ excusantes, quas in materia de correct. fraterna vniuersim attuli, quominus aliquis peccantem corripere debeat, etiam hîc locum habent. Vide Sotum lib.5. q.10. a.4. Tol. lib.5. c. 67. Sa ver. infamare, n. 6.

QVÆSTIO septima. An, & quale peccatum sit se ipsum infamare? Resp. & dico I. Se ipsum temere infamare non est peccatum iniustitiæ, sed solùm prodigalitatis ex genere suo veniale. Ita Sotus de secr. mem. 1.q.3.& lib.5. de iust. q.10. a.2. Nauar in man. c.18. n.27. Pet. Nau. l.2. c.4. n.120. Mol. tr.4. disp.2.&37. Less. dub. 6. & alij contra Caiet. 2.2. q. 73. a. 2. & in sum. ver. detractio. Ratio est, quia homo est veluti dominus famæ suæ; quippe quam propriis virtutum actibus comparauit: vt proinde nemini iniuriam inferat, etsi eam prodigat, sicut indicat etiam S. Thom. quæst. 73. art.4. ad 1. 15

Dico II. Per accidens tamen potest id esse mortale peccatum: I. Si iactes te de crimine mortali, in eo delectando. Contra quod S. Dauid loquitur Psalm. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* II. Si crimen tuum manifestando, propriam vitam, vel corporis integritatem in periculum absque causa iusta conijcias qua de re Sotus cit. q. 3. concl. 4. III. Si criminis infamia cum aliorum scandalo, vel graui nocumento iuncta sit, sicuti indicat S. Thom. l.c. & S. August. de bono viduitatis, c.22. relatus in c. non sunt audiendi, 11. q.3. *Quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi benefacit: quisquis autem etiam famam: in alios misericors est. Nobis enim necessaria est vita nostra*, (honestè acta) *aliis fama nostra.* Vide S. Thom. quodlib.10. a.13. Nauar. c.18. n.61. Pet. Nauar. cit. c 4. n.123.

Dico III. De occulto crimine se palàm accusare, si debito fine ac circumstantiis id fiat, quandoque opus virtutis est humilitatis, iustitiæ, pœnitentiæ, &c. Ita Sotus concl.5. Nauar. l. c. Mol. l.c. Multò verò magis Christianæ patientiæ insigne est, contumeliam, vel infamiam ab altero iniustè illatam, nihil se defendendo, suscipere ac perferre. Excipe I. Nisi publica persona sis, vel pars talis Communitatis, in cuius detrimentum criminis infamia cessura est. Qua de re S. August. suprà, & S. Greg. cap. 9. in Ezech. *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita debent, si possunt, detrahentium sibi verba compescere.* Excipe II. Nisi lex charitatis postulare videatur, vt detrahentem commonendo ab errore reuoces. In quam sententiam Salomon Prouer. 27. ait: *Responde stulto secundum stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur.*

CAP. IV.

De Denunciatione fraterna.

SVMMARIVM.

1 *Duplex est denuntiatio: Vna iudicialis, & altera Euangelica, seu charitatiua: cuius species quædam sunt denuntiatio canonica, & regularis.*

2 *Crimen fratris occultum interdum denuntiatur Prælato, quatenus est persona publica; interdum quatenus est persona singularis, ad paternè corripiendum idonea.*

3 *Crimina notoria statim ad Prælatum deferri possunt, nulla alia monitione præcedente.*

4 *Crimina perniciosa, non merè præterita, licet occulta sint, plerumque statim Prælato denuntiari possunt: vt caueat, impediat.*

5 *Si crimen occultum, quod nec tibi, nec alteri perniciosum, sed peccantibus tantum noxium est, per te solus emendare potes: tunc peccas contra ordinem à Christo traditum, si Prælato statim denunties.*

6 *Qui crimen occultum per se emendare non potest, plerumque Prælato tanquam patri ad secretam emendationem denuntiare potius debet, quàm aliis ignorantibus.*

7 *Crimen occultum, non perniciosum, Prælato tanquam publicæ personæ ad euulgationem denuntiari non potest, nisi secreta monitio, imò & testium inductio antecesserit: modò tamen profutura putetur.*

8 *Si denuntiatio ob aliquam causam illicita sit, vt pote contra charitatem, vel ordinem à Christo traditum, non debet fieri, etiamsi Prælatus iubeat.*

9 *Impedimentum matrimonij occultum, post Ecclesiæ promulgationem, denuntiari debet: etsi denuntians, qui probè cognitum habet, illud plenè probare non possit.*

10 *Interrogatus de occulto impedimento, aut occulta irregularitate debet abstinere à sacramento Matrimonij, Ordinis: vel defectum manifestare.*

11 *In delictis puerorum, vel domesticorum, non ita plerumque obseruandus est ordo correptionis: sed fermè statim ad Ludimagistrum, vel Patrem familias deferri possunt, vt salubriter corripiant.*

12 *Paterfamilias, Ordinis Prælatus, Ludimagister indices constituere possunt, qui subditorum errata obseruent, & ad ipsos deferant.*

13 *Si quis crimen occultum fratris in externo foro punibile, quod probare, vel indiciis ostendere potest, iudiciali denuntiatione prodit, antequam secretò monuit, is nihil contra iustitiam peccat: sed interdum contra charitatem.*

14 *Denuntiationes de crimine occulto, non præmissa monitione secreta, olim in Ecclesiastico foro repellebantur: hodieque repelli possunt, si sint contra personas graues in dignitate constitutas.*

1 CAnonistæ in c. nouit, de Iudiciis, quatuor genera denuntiationum afferunt: Vna est iudicialis, quæ fit apud Superiorem, tanquam iudicem. Et hęc duplex; Vel criminalis quæ publicam vindictam seu pœnam, boni communis gratia, spectat. Vel ciuilis, quæ priuatum interesse seu satisfactionem intendit: quare vtraque de crimine merè præterito institui potest. Altera denuntiatio Euangelica seu charitatiua, quæ ipsius peccatoris emendationem, vt principalem finem spectat; quare de peccato merè præterito & plenè emendato institui non debet.

Tertia denuntiatio canonica, quæ secundùm canonum statuta fieri solet ad impediendum, vel auertendum damnum, prẹsertim spiritualе Communitatis, aut priuatæ personæ: puta, si Clericus denuntietur Prælato, vt deponatur ab officio, quia est perniciosus plebi: aut si matrimonij impedimentum denuntietur, vt contractus interdicatur, aut dissoluatur, iuxta c. ad dissoluendum, de desponsat. impuberum, &c. cùm inhibitio, de clandest. desponsat.

Quarta denuntiatio regularis, quæ fit in Religione secundùm cuiusque Ordinis statuta. Verùm hæc est quasi species quædam contenta sub tribus aliis denuntiationibus; ideo tamen distingui solet, quia in regulari denuntiatione non ita strictè ordo iuris seruari debet, vt infrà dicam. Sed & canonica denuntiatio non multùm discrepat à denuntiatione fraterna: quamobrem Theologi plerumque duarum tantùm denuntiationum meminerunt; Iudicialis, & charitatiuæ seu Euangelicæ, vti videre est apud S. Thom. 2.2. q. 33. a. 1. 3. & 6. Syluest. ver. denuntiatio, in princ. Sotum de secr. tegen. membro 2. q. 5. & lib. 5. de iust. q. 5. a. 1. Ideóque placet in progressu nomine denuntiationis Euangelicæ seu charitatiuæ etiam canonicam, & regularem comprehendere.

Circa charitatiuam denuntiationem notandum est 2
primò: Quòd crimen fratris interdum denuntiatur Prælato, vt in secreto corrigat, tanquam singularis persona ad paternè corripiendum idonea, sicuti notat S. Thom. q. 33. a. 8. ad 4. Interdum verò denuntiatur crimen Prælato, vt publica persona est; quamuis non principaliter ad vindictam, per quam Communitati satisfiat; (sic enim ad iudicialem denuntiationem spectaret) sed ad salutarem correctionem ipsius criminosi: qui si monitione secreta iuuari non potest, publica interdum confusione emendatur: sin minùs, veluti membrum putridum à reliquorum communione denique separatur: quo sensu dixit Innoc. III. in cit. c. nouit; Ad officium summi Pontificis pertinere, *de quolibet mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correctionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam* (censurarum) *coërcere.* Nam cuius est ordinare homines ad finem, eiusdem etiam cognoscere de mediis, quibus perueniant ad finem: sicuti Medici, inquit Nauar. in c. nouit. notab. 6. num. 14. de iudiciis, *cuius est iudicare de sanitate corporis, etiam est iudicare de ijs, quæ conseruant eam, vt corpori applicentur, & de his, quæ impediunt eam, vt tollantur.* Quare, cùm Ecclesiasticorum Prælatorum proprium munus sit Christianos ordinare ad finem salutis æternæ: ad eosdem etiam pertinebit tum præcipere ea, quibus vt mediis hunc finem assequi debent, tum verò prohibere ac tollere ea, videlicet mortalia peccata, quibus à dicto fine excluduntur.

Notandum secundò: Quòd crimen aliud est publicum seu notorium, aliud verò occultum. quale etiam censeri debet, quod tribus, vel quatuor tantùm notum est. Præterea quædam crimina per se ac directè noxia sunt Communitati: vt hæresis, proditio, crimen læsæ maiestatis, falsatio monetæ, ponderum, prædandi, latrocinandi consuetudo, falsa subornatio in electionibus, crimen susurronis, vel si quis alia ratione in Communitate satagat peruertere fratres. Quædam verò sunt particulariter noxia seu ipsis tantùm peccantibus, vt sodomia, concubinatus: siue alteri innocenti, vt furtum, adulterium. Vide Gl. in c. 1. de confessis, Richar. in 4. d. 19. a. 3. q. 1.

Tertiò notandus est ordo, quem in correctione peccatoris obseruandum Christus præcepit apud S. Matt. c. 18. Quòd qui fratris peccatum cognitum habet, eum primò solus monere debet, non tantùm semel, sed iterum, ac tertiò, quamdiu, prudentis viri arbitrio, ex eiusmodi secreta correptione emendatio fratris speratur. Sin verò secreta admonitione nihil proficiatur, adhibendus est vnus alius: vel, si is non sufficit, alter, vel tertius testis, præsertim qui crimen iam cognitum habeat, vti obseruauit Palud. in 4. d. 19. q. 4. Quòd si verò nec tibi, nec adhibitis testibus peccator obedire paratus sit: tum denique Ecclesiæ, seu Prælato tanquam publicæ personæ denuntiari debet. Cùm autē hoc Christi præceptum affirmatiuum sit, non obligat semper, sed concurrentibus certis circumstantiis, in quibus videlicet lex naturalis charitatis præcipit, vt fratris famā per denuntiationem seu ostensionem criminis non lædamus, quando nulla necessitas postulat: Qui autem casus sint, in quibus ordo priùs secretò peccatorem corripiendi, quàm denuntiandi obliget, seqq.

assertionibus ostendam.

3 Assertio I. Si crimen publicum seu notorium sit, ordo ille necessariò obseruandus non est: sed statim ad Ecclesiam, vel Prælatum, vt est caput Ecclesiæ, deferri potest, ad publicam emendationem. Ita ex communi S. Thom. 2. 2. q. 33. a. 7. Angelus ver. denuntiatio, §. 10. Rosella ver. inquisitio, in princ. Syl. ver. correctio, q. 5. Nau. c. 18. num. 31. Et sumitur ex Apost. 1. ad Timoth. 2. *Peccantes coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant.* Quem locum explicans S. August. ser. 16. de ver. Domini, relatus in c. si peccauerit, 2. q. 1. ait: *Corripienda ipsa sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus: Ipsa vero corripienda sunt secretiùs, quæ peccantur secretiùs. Distingue tempora, & concordabis scripturas*: Vult dicere, verba illa Apostoli non contradicere ordini correctionis, quem Christus tradidit Matt. 18. Quia Apostolus loquitur de peccatis publicis & notoriis, quibus cùm Communitas offendatur, coram eadem Communitate corripienda & emendanda sunt. Christus autem loquitur de peccatis occultis, siue quæ in publicam notitiam non deuenerunt; quare neque deducenda sunt, si, sicuti in occulto commissa, ita etiam occultè ac facili modo emendari possint.

Assertio II. Crimina, quæ Reipublicæ perniciosa sunt, licet adhuc occulta, si indiciis ostendi possint, vt denuntiatori fides aliqua habeatur, statim Prælato denuntiari debent, vt caueat, impediat. Ita S. Thom. cit. a. 7. aliique communiter. Ratio est: Quia maius est bonum publicum, quod tunc in periculo versatur, quàm sit priuatum bonum famæ peccatoris occulti: ergo fama eius negligi debet, vt bono publico succurratur.

Excipe primò: Si certa spes sit priuata monitione peccatum fratris occultum, Reipublicæ perniciosum, impediri ac tolli posse, non debet denuntiari, sicuti notauit S. Thom. in cit. a. 7. Palud. in cit. quæst. 4. Adrianus in 4. vbi de correct. fraterna, §. ostenso, contra 2. Richardi, Nau. cap. 18. man. num. 56. Ratio est: Quia peccator sine causa necessitatis infamaretur contra charitatis legem. Monent verò Nauar. cap. 24. man. num. 14. Sotus de secret. mem. 2. quæst. 4. conclus. 2. Valentia tom. 3. disput. 3. quæst. 8. p. 5. Petrus Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 4. num. 186. Rarum esse, vt quis crimen valde perniciosum, v. g. subornatæ proditionis, tam securè ac certò impedire in occulto possit, quàm si Magistratui denuntietur. Idémque sentiendum de peccato hæresis, dummodo formalis sit, siue cum pertinacia iuncta. Sin verò aliquis per ignorantiam in rebus fidei errare censeatur, monendus est priùs, non tantùm semel, sed sæpius, donec appareat pertinacem esse: vt iam ampliùs tolerari non debeat, sed Ecclesiæ denuntiari, iuxta præceptum Apost. 1. ad Tit. 3. *Hæreticum hominem, post vnam et secundam correptionem, deuita.*

Excipe II. Si in aliquo casu sufficere videatur, vt crimen occultum Reipubl. perniciosum generaliter denuntietur; tunc non est exprimenda persona, sicuti notat Nauar. in man. cap. 18. num. 56. ob regulam communiter receptam; Quòd seruanda est fama proximi, quotiescunque maior necessitas non vrget eam lacerandi.

4 Assertio III. Crimen occultum, si personæ priuatæ perniciosum sit, & alio modo facilè emendari, vel impediri non possit, plerumque superiori statim denuntiandum est. Tale crimen est v. g. furtum, homicidium, solicitatio ad turpia: modò non sit crimen merè præteritum, sed quod perseuerat, vel in futurum etiam timetur. Ita S. Th. quæst. 70. a. 1. ad 2. Syluest. ver. correctio, q. 6. Petr. Nauar. lib. 2. cap. 4. num. 189. Sa ver. correptio, num. 5. Ratio est: Quia naturali iure quisque obligatus est ad defendendum innocentem ab iniuria hominis nocentis, etiam posthabito aliquo damno nocentis. Cæterùm, si exiguum damnum proximo ex crimine alterius eueniat; maior autem famæ, vel vitæ iactura criminoso ex denuntiatione timeatur: vt si vir magni nominis modicum quippiam furari soleat; si paterfamilias filium, vel famulum, cognitis eius furtis, iniustè occisurus, vel mutilaturus existimetur, dissimulanda res erit, sicuti notauit Gabriel in canon. Missæ, lect. 74. Petrus Nauarrus num. 190. Molin. loco cit.

Assertio IV. Si occultum crimen cessurum sit in tuum ipsius detrimentum, quod alio modo facilè tollere non possis, quàm Superiori denuntiando, non prohiberis id agere, propriæ nimirum defensionis iure; non ex odio, aut vindictæ amore. Ita ex communi Syluest. cit. quæst. 6. Adde, tametsi proximum ob id solùm infamare non possis, quòd ab eo prior infamatus sis, (esset enim ista illicitæ priuatæ vindictæ species) si tamen famam tuam, quàm ille per improbitatem eripere nititur, alia ratione defendere nequeas, quàm eius calumniandi, mentiendi consuetudinem ostendendo, non prohiberis id facere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Qua ratione docent Sotus l. 5. quæst. 7. a. 3. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 1. si accusatus, vel eius aduocatus testimonium testium alia ratione infirmare non possit, quàm occultum eorum crimen, puta periurij, vel aliud simile, ob quod iuris infamia incurritur, & à ferendo testimonio aliquis repellitur; non esse illicitum id agere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quin etiam quandoque non solùm fas est famam huiusmodi rationibus contra lædentem tueri; sed etiam aliorum causa necessarium, sicuti indicat S. August. cap. 22. de bono viduit. & docet S. Tho. q. 73. a. 4. ad 1.

Assertio V. Qui crimen fratris occultum, Reipublicæ specialiter non perniciosum, vt Sodomiam, concubinatum, simplicem blasphemiam per se solus corrigere, & emendare potest, peccat contra charitatis ordinem à Christo traditum, si Prælato, etiam vt singularis persona est, denuntiet. Hæc assertio sumitur ex verbis Domini Matthæi 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Et docet eam S. Thom. cit. quæst. 33. a. 7. ad 5. vbi ait: Quòd Prelato Ordinis obediri non possit, quippe contra præceptum Domini agenti, si præcipiat manifestari sibi crimen occultum; quod nec per infamiam, nec per alia indicia proditum est. Et in quodlib. 11. a. 13. *Si ego scio, quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo denuntiare Prælato. Si autem videtur, quòd hoc meliùs fiet per Prælatum, & Prælatus sit pius, discretus et spiritualis, non habens rancorem siue odium aduersus illum subditum, tunc licitè potest ipsi denuntiari, & tunc non dicit Ecclesiæ: quia non dicit ei sicuti Prælato, sed sicuti personæ proficienti ad correctionem & emendam proximi.* Ex quibus verbis habemus, quòd secundùm mentem S. Thom. non potest crimen fratris occultum Prælato, aut cuicunque alteri homini reuelari, si per secretam monitionem æquè corrigi & emendari possit; multóque minùs, si iam emendatum est, & recidendi periculum abesse videtur: quia tunc sine necessitate fama fratris læderetur. Eandémque sententiam tenent Henricus Gandauensis quodlibeto 9. qu. 27. Adrianus loco suprà cit. ad tertium principale, Paludan. cit. q. 4. Syl. ver. denuntiatio, q. 4. Armilla ver. correptio, n. 5. Nau. cit. n. 14. Sotus de secreto, memb. 2. q. 4. conclus. 2. & Pet. Nau. l. 2. c. 4. num. 237. contra Gabr. lect. 74. in can. Missæ, Richard. cit. d. 19. a. 3. quæst. 1. Angelum verbo denuntiatio, num. 10. Rosell. ver. inquisitio, in princ. Turrianum 2. 2. quæst. 37. art. 7. dub. 4. vbi generatim & indistinctè aiunt, saltem in Religionibus permissum esse crimina occulta fratrum denuntiare Prælato, tanquam patri; etsi secreta monitio non antecesserit, 5

imò licet peccator iam emendatus ſit.

Fateor tamen, in bene inſtitutis Religionibus crimina occulta, ſi necdum emendata ſint, aut ſi recidiua timeatur, frequentiùs abſque præmiſſa ſecreta monitione, ad Prælatum, tanquam patrem, deferri poſſe: tum quia alij ferme non ſunt ita idonei ad efficaciter emendandum crimen, tollendáſque occaſiones iterandi, ſicuti annotauit Sanch lib. 6. moral. c. 18. num. 50. tum quia plerumque Prælati talium ordinum ſunt viri pij ac prudentes, qui plùs admonitione prodeſſe poſſunt, quàm obeſſe. Quare S. Thom. ait quodlib. 11. art. 13. Propter diuerſas conditiones Prælatorum, & ſubditorum *non poſſe dari generale iudicium: niſi, quòd in omnibus ſemper ſeruanda eſt charitas, & quod magis expedire videtur: & ſi* hoc aliquis intendat, non peccabit denuntiando.

Deinde argumentatur Suarez de Charitate, diſp. 8. ſect. 6. num. 12. Vel peccatum Religioſi leue eſt, tunc infamatio erit leuis, vtilitas verò plerumque maior ex denuntiatione proueniet: præterquam quòd talis conſuetudo denuntiandi Prælato leuia delicta Regularium valde conſentanea, & quaſi neceſſaria ſit religioſi ſtatus conſeruationi atque augmento. Vel peccatum Religioſi eſt graue, tunc fieri vix poteſt, vt non noceat multis propter magnam familiaritatem & communicationem, quæ inter Religioſos eiuſdem domus eſt: ſæpe etiam impendet periculum infamiæ ipſi religioni: quare tale peccatum denuntiari poterit, tanquam perniciosum, imò ſæpe debet denuntiari, præſertim ſi Prælatus interroget.

Verùm etiam in Religionibus accidere poteſt, vt crimen occultum Ordini ſpecialiter non pernicioſum, non liceat Prælato denuntiare; ſi videl. alius, qui antè crimen cognitum habet, æquè idoneus ſit, quàm Prælatus, ad crimen fratris emendandum. Quamuis id rarum eſſe in Religioſorum congregatione, bene admonet Sanchez lib. 6. moral. c. 18. num. 50.

Præterea, ſi in aliqua Congregatione ſocij iure ſuo cedant, poteſtatémque vltro faciant delicta & defectus omnes, quæ in ipſis extra ſacramentalem Confeſſionem animaduerſa fuerint, ſtatim, ex charitatis motiuo, ad Prælatum deferendi, ceſſabit obligatio ordinis corripiendi, quippe qui in peccantis fauorem conſtitutus eſt: quiſque autem iuri & fauori ſuo renuntiare poteſt. Qua de re vide Valent. cit. p. 5. caſu 5. Turrianum cit. a. 7. dub. 4. Sanchez lo. cit. num. 44. contra Coſmam Philiarchum tom. 1. p. 2. lib. 4. c. 14. Id verò hoc loco annotandum, nomine errorum ac defectuum, quæ in aliquo ſociorum, ex ipſorummet voluntate ac conſenſu, Superiori ob maius ſpirituale bonum, manifeſtari poſſunt, vti in Conſtitutionibus Societatis Ieſu habetur; non comprehendi ea, quæ alicui cauſa conſilij, vel auxilij ſub ſecreto aperiuntur, vti habetur in Congregat. gen. 6.

6 Aſſertio VI. Si quis ſe minùs ſufficientem animaduertat, vt occultum & nondum emendatum peccatum fratris per ſe ſolum emendare poſſit, plerumque non debet aliũ, qui crimen antè cognitum non habet, adhibere ad commonitionem fratris; ſed ſtatim Superiori manifeſtare, tanquam patri. Ita contra quoſdã, quos citat & ſequitur Valentia cit. p. 5. tertio controuerſo, docent Gabr. l. c. Sotus cit. q. 4. ad 2. & expreſsè S. Th. q. 33. a. 8. vbi ad argum. 4. ſumptum ex S. Auguſt. reg. 3. Quòd peccatum fratris priùs Præpoſito debeat oſtendi, quàm teſtibus; reſpondet: *Auguſtinus intelligit, quod priùs dicatur Præpoſito, quàm teſtibus: ſecundùm quod Prælatus eſt quædam ſingularis perſona, quæ magis poteſt prodeſſe, quàm alij: non autem, quod dicatur ei tanquam Eccleſiæ, id eſt ſicut in loco Iudicis reſidenti.* Verba autem S. Auguſtini in epiſt. 109. ad Monachas, ex qua reg illa 3. deſumpta eſt, ita ſe habent: *Si oculi petulantiam in aliqua veſtrum aduerteritis, ſtatim admonete* (ſecretò) *ne cœpta progrediantur, ſed ex proximo corrigantur. Si autem et poſt admonitionem iterum, vel alio quocunque die idipſum eam facere videritis, iam velùti vulneratam ſanandam prodat* (in publicum) *priùs tamen & alteri, vel tertiæ demonſtratam, vt duarum, vel trium* (tanquam teſtium) *poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri.* Et paulò poſt: *Sed antequam aliis demonſtretur, per quas conuincenda eſt, ſi negauerit, priùs Præpoſitæ debet oſtendi, ſi admonita neglexerit corrigi, ne fortè poſſit ſecretiùs correpta innoteſcere cæteris: Si autem negauerit, tunc neganti adhibendæ ſunt aliæ, vt iam coram omnibus poſſit nõ ab vna argui teſte, ſed à duabus, tribúſve conuinci. Conuicta verò ſecundùm Præpoſitæ, vel Presbyteri arbitrium debet emendatoriam ſuſtinere vindictam: quod ſi ferre recuſauerit, & ſi ipſa non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijciatur. Nõ enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer: ne contagione peſtifera plurimas perdat. Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, etiam in cæteris inueniendis, prohibendis, indicandis, conuincendis, vindicandiſque peccatis diligenter obſeruetur, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.*

Ex quibus ſententia vtriuſque S. Doctoris clarè intelligitur. Quòd qui occultum fratris delictum aduertit, ſi per ſe ſolus emendare non poſſe ſperet, Præpoſito priùs indicet, quàm vt aliis oſtendatur: Quia ille, vt ſpiritualis pater, præſumitur magis idoneus ad fratrem iuuandum, quã alij. Neque decet, vt alij in congregatione crimen nondum emendatum norint, aut de eo loquantur; ille autem, ad quem ratione officij pertinet, quique ſalubriùs medelam afferre poterit, ignoret. Debet tamen Prelatus crimen non euulgare, ſed in ſecreto (adhibito etiam, quatenus neceſſe eſt, vno, aut altero ſecreto conſultore) corripere, ac emendare: dummodo frater peccatum fateatur; & Prælato præcipienti, vt patri obedire velit. Sin verò neget, tunc adhibendi ſunt alij, coram quibus conuincatur; & conuictus, ſecundùm Prælati arbitrium puniatur.

Ratio huius doctrinæ eſt, quam tradit S. Th. a. 6. in corp. Ea quæ ſunt ad finem, regulari debent, ſecundùm quod exigit ratio finis: cùm finis ſit menſura mediorum. Atqui finis fraternę ſeu charitativæ correptionis, ac denunciationis debet eſſe emendatio & ſalus fratris. Ergo correptio, ipſáque denunciatio ita inſtitui debet, vt fratri proſit, & quàm fieri poteſt, minimè obſit. Quare, ſicuti Medicus corporalis intermittit ea medicamentorum genera, quibus plus oberit, quàm proderit: iis autem, quæ profutura ſperat, quàm fieri poteſt, cum minima corporis læſione vtitur: ſic etiam, qui peccatori ſpiritualiter mederi deſiderat, ſi videat illum per correptionem, vel denunciationem non emendatum iri, ſed in deterius lapſurum, debet omnino intermittere: ſin verò ſperet emendari poſſe, talem modum vſurpare oportet, qui homini vtilis ſit, & quatenus poſſibile, minimè noxius: talis autem eſt modus, quem ſuprà ex S. Auguſt. explicaui. Quapropter neque id obſtare debet, quòd ex denũtiatione peccatoris fama eius apud Prælatum nonnihil diminuenda ſit, ſi ex ſecutura paterna monitione maius ſpirituale commodum denuntiato prouenturum ſperatur. Quamuis contrarium docuerit Henricus Gandauenſis, quodlib. 9. quæſt. 29. Si crimen occultum ſit, alteri non pernicioſum, quod ſecreta monitione corrigere nequeas, Domino Deo commendandum eſſe, & Prælato, aut alteri perſonæ ignoranti denuntiari non poſſe.

Aſſertio VII. Crimen occultum, Reipubl. non 7
pernicioſum, communitati, aut Prælato, tanquam publicæ perſonæ, ad euulgationem denuntiari non poteſt, niſi ſecreta admonitio, imò teſtium: ſeu aliorum monitorũ inductio anteceſſerit. Hęc aſſertio ſumitur ex præcepto Chriſti Matth. 18. cuius ſumma eſt: Si

peccatum fratris occultum cognoſcas, primò corripe eum ſecretò, remotis arbitris: ſi nihil proficias, adhibe adhuc vnum, vel alterum, (inter quos etiam eſſe poteſt Prælatus, tanquam perſona ſingularis) qui peccatum fratris obſeruent, eúmque commoneant: Si nec hos audire velit, dic Eccleſiæ, ſeu Prælato, quatenus eſt caput Eccleſiæ: vt publicè peccator conuincatur, & ad emendationem compellatur, aut certè tanquam contumax ab Eccleſia repellatur.

Hinc colligitur primò; Duas ob cauſas poſt primam monitionem, adhuc vnum, vel alterum tanquam delicti occulti obſeruatorem, adhibendum eſſe: primò, vt crimen, ſi coram duobus, vel tribus corrigi poſſit, in publicum non euulgetur: ſecundò, ſi omnino euulgandum ſit, quia frater aliter corrigi non poteſt, vt illi alij poſtea teſtes eſſe poſſint ad publicam conuictionem. Quandoquidem Prælatus, contra denunciatum, ſi crimen eius probari poſſe videat, non prohibetur ex officio ſuo iudicialem proceſſum inſtituere, ſicuti ex communi notat Nauar. in rubr. de iudic. num. 95. & videri poteſt Adrian. l.c. prope finem.

Colligitur ſecundò: Si crimen ſit præteritum, & non iterum committendum, non eſſe inducendos teſtes: quia iſti adhibendi ſunt tanquam obſeruatores criminis, vt poſtea & ipſi peccatorem corripere, vel ſaltem de commiſſo crimine teſtimonium ferre poſſint: quæ locum non habent, ſi crimen occultum iterum committendum non ſit, ſicuti notauit Adrianus l.c. ante ſolut. argumentorum.

Colligitur tertiò ex doctrina S. Auguſt. loco ſuprà cit. iuncta interpretatione S. Th. q. 33. a. 8. ad 4. Prius Prælato, quàm aliis quibuſdam peccatum occultum reuelari poſſe, quatenus ille eſt perſona ſingularis; non autem quatenus eſt perſona publica, ſeu caput Eccleſiæ. Quam doctrinam indicat etiam S. Auguſt. cit. ſerm. 16. de verbis Domini: *Sunt homines adulteri in domibus ſuis in ſecreto peccant: aliquando nobis produntur ab vxoribus ſuis, plerumque Zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus: Nos non prodimus malum, ſed in ſecreto arguimus. Vbi contigit malum, ibi moriatur malum.* Ex quo loco ita argumentari licet: Si crimen occultè commiſſum in occulto emendari poteſt: non eſt propalandum: correptio autem, quæ fit per inductionem vnius, duorum, vel trium, cenſetur eſſe occulta: ergo ſi ea ſufficiat ad fratris emendationem, non debet publicè denuntiari. Excipi tamen debent defectus leues & non infamantes, qui ſecundùm conſuetudinem Religioſorum, etiam publicè denuntiari poſſunt, non præmiſſa vlla priuata monitione: cùm ex tali denuntiatione charitatiua plus commodi etiam ipſi delinquenti, quàm incommodi accidere ſoleat, vti indicat S. Thom. a. 7. ad 4. & videri poteſt Palud. in 4. d. 19. q. 4. §. ad argumentum.

8 Aſſertio VIII. Cùm aliquis occultum proximi peccatum Prælato denuntiare poteſt, ipſo interrogante, ac præcipiente, ferme etiam denuntiare debet: Contrà, cùm occultum proximi peccatum denuntiare illicitum eſt, neque accedente Superioris præcepto, licitum efficitur. Ita docet S. Thom. q. 33. a. 7. ad 5. Syl. ver. correctio, q. 7. Nau. in man c. 17. num. 114. 134. P. Nau. lib. 2. c. 4. num. 215. Sanchez lib. 3. de matrim. diſp. 13. aliique communiter.

Corollarium I. Denuntiare non debes, imò nec licitè potes, crimen occultum interrogante Prælato ad eius emendationem, aut ſatisfactionem parti læſæ, ſi firmiter credas, Reum iam emendaſſe, aut ſatisfeciſſe. Nam tunc ceſſat finis præcepti, ideóque parcere oportet famæ fratris, ſicuti tradit Nau. c. 25. n. 46. Pet. Nau. cit. c. 4. n. 218.

Corollarium II. Denuntiare non teneris Prælato interroganti de crimine occulto, ſi illud incerto tantùm rumore, aut à perſonis non dignis fide percepiſti: ſecùs, ſi à perſona, quæ fidem meretur: ea enim examinari poteſt, vt crimen euitetur, aut emendetur, ſicuti docet Nauar. l. 5. conſil. 3. de hæreticis, num. 1. edit. 2. Sanch. cit. diſp. 13. num. 7. Coninck tom. 2. diſp. 27. dub. 7. num. 61. Idémque dicendum, ſi denuntiator de conſtante fama impedimenti, & ſecuturo ſcandalo docere poſſit, ſicuti colligitur ex c. cùm in tua, de ſponſal.

Corollarium III. Interrogatus à Prælato de crimine alterius occulto, denuntiare non debet, neque licitè poteſt, quamdiu ſperat ſe ſecreta admonitione illud emendare, aut impedire poſſe. Ita S. Tho. cit. a. 7. Syl. ueſt. q. 7. Nau. c. 22. num. 83. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 11. num. 27. Quia Prælatus non cenſetur aliter præcipere criminis denuntiationem, niſi obſeruato ordine ac modo, quem ſecundùm ius naturale Chriſtus præſcripſit, Matth. 18. Sin verò expreſsè contra hunc ordinem iubeat crimen aperiri, peccabit tam ipſe, quàm ſubditus ſi ei obediat: quia *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, Act. 5. Excepto, ſi aliqui in hac re iuri ſuo ſponte renuntiarunt, ſicuti ſuprà dixi aſſert. 5. in fine.

Corollarium IV. Denuntiationem criminis occulti interrogatus à Prælato intermittere debet, ſi arbitretur, ex illa maius incommodum, aut ſcandalum oriturum eſſe. Ita Nau. cit. n. 83. Gutierez num. 29. Sanch. num. 4. Nam quod propter charitatem inſtitutum, non debet contra charitatem exerceri: denuntiationes autem ob charitatem introductæ ſunt, & à Prælatis Eccleſiæ præcipi ſolitæ: ergo ſi quis animaduertat, ſpectatis omnibus, grauius ex denuntiatione, quàm ex taciturnitate damnum oriturum eſſe, non debet denuntiare.

Quæ hactenus dicta ſunt, Doctores communiter tanquam in ſpeciali exemplo oſtendere ſolent in denuntiatione impedimentorum matrimonij. Quòd fideles, ſi cognitione moraliter certa deprehenderint occultum matrimonij impedimentum, v. g. ex crimine inceſtus, aut binis ſponſalibus ortum, poſt Eccleſiæ promulgatum præceptum, denuntiare teneantur: Excepto, ſi ſperent priuata monitione malum emendari poſſe; aut ſi putent, ex tali denuntiatione maius aliquod malum, vel ſcandalum oriturum.

Cùm verò hoc loco ſermo ſit de denuntiatione charitatiua & canonica; ideo rectè etiã Doctores annotãt, 9
nihil referre, licet denuntians, ſi perſona fide digna ſit, crimen aut impedimentũ probare non poſſit: cùm non agatur iuridicè ad criminis vindictam; ſed charitatiuè ad peccatũ & damnum ſpirituale vitandũ. Aperitur enim via Prælato vt impedimentũ vlteriùs indagare, & matrimoniũ cum ſacramenti irreuerentia, & non ſine ſcelere contrahendum, adhibitis admonitionibus ac terroribus, impedire poſſit. Hinc etiã ſtatutũ legimus in cap. præterea 2. c. cùm in tua, de ſponſal. & cap. ſuper eo, 2. de teſtibus, vt ad obijciendum impedimentũ matrimonio nondum contracto, vnius idonei ac iurati teſtis depoſitio ſufficiat: etiamſi is ipſemet denũtiator ſit, ſicuti colligitur ex cit. cap. cùm in tua, & cap. ad audientiam, eodẽ tit. cap. iurauit, de probat. & ex cõmuni tradit Abb. in c. 1. num. 6. de conſang. & affinit. Sanchez lib. 1. de matrimon. diſp. 71. num. 4. Imò etiamſi propriam turpitudinem allleget: ſi v. g. ſponſi conſanguineus dicat, ſe cũ ſponſa fornicatum, ideóq; illam impeditam eſſe nubere fratri, vel patrueli ſuo, ſicuti habetur in cit. c. præterea, vbi Abbas tradit: Vbicunque agitur de peccato vitando ſine magno incommodo alterius, creditur dicto vnius teſtis, ſine publicatione nominis eius, ſi ob culpã aliquã timet prodire in publicum: excepto; ſi ſponſalia iurata fuerint, vti ibidem in textu eius cap. habetur. Vide eundem Abb. in c. 1. num. 5. de eo qui cognouit, &c.

Præterea, cùm in tali inquiſitione non agatur ad cri- 10
minis vindictam; ſed ad impediendum peccatum, ſeruandum honorẽ ſacramento; ſequitur, quòd Prælatus

inquirere debeat de impedimento occulto, cuius aliqua probabilis suspicio, licet non publica infamia sit, sicuti notant Innoc. in c.1.ibid. Abb.num.34. de postulat. Prælatorum, ex c.cùm nobis, de elect. Et quòd interrogatus de occulto suo matrimonij impedimento, vel irregularitate impediente ab ordinis susceptione, teneatur vel abstinere à sacramento, vel manifestare defectum; licet is occultus & infamans sit, sicuti habetur in c.nisi cùm pridem, §.personæ, de renuntiatione, c.innotuit, de elect. c.ex pœnitentibus, d.50. & docet Abb.cit.c.innotuit, n.6.&c. continebatur, n.8. de despons.impub. Syl. ver.ordo, 2.q.2. Henriq. l.10.cap.18. n.2.Sanch.lib.3. de matrim.disp.14. Sed limitari debet; Nisi dispensatio super impedimento vel defectu occultè impetrata esset, ac proinde ratio interrogandi ad peccatum vitandum cessaret, necesse non foret confiteri, sicuti etiam docet Innocent. in cap. penult. de corpore vitiatis, S. Anton.p.3.tit.14.cap.16.§.13. Sylvest. cit.q.2. Si tamen Ordinarius tanquam iudex iuridicè interroget, præcedente infamia, & indiciis sufficientibus; interrogatus fateri cogitur: quia dispensatio illa occulta, siue in foro conscientiæ impetrata, nihil adiuuat in foro externo.

Denique, quod DD. monent; Ad Episcopum pertinere, vt inquirat de matrimonij impedimento, si probabilis eius suspicio, quamuis non publica infamia sit; idem quoque de Parocho intelligi debet, vti colligitur ex c.vlt. de clandestina desponsatione. Quòd si vel certò, vel probabiliter cognoscat Parochus subesse impedimentum, quamuis occultum, modò non ex sacra confessione cognitum, non potest sponsos coniungere: sed, si eos priuata monitione à matrimonio contrahendo absterrere non possit, rem ad Episcopum deferre tenetur, sicuti habetur in cit. c.vlt.& ex communi docent Palud.in 4.d.28.q.2.a.5 Coninck cit. dub.7. concl.2.3.& 4. Et debent hæc intelligi non tantùm de matrimonij impedimento dirimente, sed etiam impediente tantùm, sicuti ex communi tradit Sanchez lib.3. disp.15.

21 Restant aliquæ QVÆSTIONES: PRIMA. Quid sentiendum sit de occultis criminibus seu delictis domesticorum, puta filiorum, ac famulorum; vtrum patri, vel matrifamilias: item de delictis occultis puerorum scholasticorum, vtrum Ludimagistro denuntiari possint ad corrigendum, etiam non præmissa secreta monitione? Respondeo & dico I. Si talium personarum occulta delicta leuia sint, plerumque statim à quocunque, qui ea deprehendit, denuntiari possunt, vt salubriter corrigantur. Constat hæc assertio ex praxi. Ratio verò est: Quia ex vna parte talium personarum leuia delicta auctores suos quasi nihil infamant: ex altera verò parte talis denuntiandi consuetudo ordinata est tum ad bonum ipsorum denuntiatorum, qui paterna correptione indigent, vt à maioribus vitiis abstrahantur: partim ad vtilitatem communem ipsius domus, familiæ, aut ludi literarij; vt omnes, qui disciplinæ subiecti sunt, faciliùs à criminibus cõtineantur. Confirmatur ex doctrina S.Th.2.2.q.33.a.7.ad 4 vbi defendit denuntiationes Regularium in suis Capitulis, quia *sunt tantùm de leuibus, quæ famæ non derogant*. Quare si in publico Capitulo talia reuelare licitum est ad emendationem, multò magis soli Prælato, patri, &c.

Dico II. Per se loquendo, concessum est patrifamilias delicta domesticorum occulta, etiam grauia, quorum punitio ad ipsum spectat, matrifamilias reuelare: Atque vice versa, materfamilias marito, vel simili personæ auctoritatem habenti occulta eiusmodi delicta ad salubrem correptionem, punitionémve manifestare potest. Ita Caiet.2.2.q.73.a.2. Mol.tract.4.disp.29. Ratio est: Quia paterfamilias, & suo etiam modo materfamilias, ob incumbentem ipsis curam administrandæ familiæ, ius habent puniendi talia delicta domesticorum tum liberorum, tum famulorum, & ancillarum: Ergo in iustam punitionem, & quasi partem pœnæ id decernere possunt, vt delinquẽtis crimen deferatur ad alium, qui & ipse puniendi potestatem habet. Quare æquitas postulat, vt post talem delationem criminis occulti minor pœna delinquenti inferatur. Et quod dixi de marito atque vxore cõparatione domesticorum: similiter dici potest de ludi literarij præceptore, & superiore Præfecto seu Rectore, quod vnus alteri crimen occultum etiam graue alicuius scholastici reuelare possit, puniendi causâ. Interim verò, spectatis circumstantiis personarum, semper curandum est, vt ex tali reuelatione, ac punitione plus commodi, quàm incommodi sequatur.

Dico III. Plerumque non peccant domestici, aut extranei, si peccata occulta, etiam grauia, denuntient patrifamilias, vel matrifamilias ad salubrem correptionem: Item nec pueri literarij, vel alij, si scholasticorum occulta, quamuis grauia, peccata statim deferant ad Præceptorem, aut Præfectum scholæ. Ita docent Caiet.2.2.quęst.73.a.2. Nauar.c.18.man.cap.33. Molin.loc. cit. Probatur primò: Quia parentes, &, qui loco parentum sunt, Præceptores, ita affecti esse solent, erga suos, vt aptiores quàm alij censeantur ad emendanda delicta sibi commissorum: & quidem sine graui eorum incommodo, aut famæ dispendio. Secundò, Quia paterfamilias, ludimagister, & similes personæ ius habent puniendi suorum crimina ad conseruandam disciplinam domesticam, vel scholasticam: in eâque punitione, cùm leuis esse soleat, & non multùm infamans, sicuti notat Nau.c.25.n.58. non tenentur seruare per omnia iuris processum, Iudici forensi præscriptum: sed ex vehementibus indiciis, seu semiplena probatione, ideóque ex vnius fidelis & oculati indicis denuntiatione procedere possunt ad punitionem: cùm ea cedere soleat partim in cõmodum ipsius Rei: partim in aliorum exemplum, ad domesticam, vel scholasticam disciplinam seruandam. Ex quo consequens videtur, si ad tuam denuntiationem crimen occultum paterfamilias, vel ludimagister salubriter punire possit, quòd ipsi licitè denunties.

Eadémque ferme locum habent in Prælatis Ordinum regularium respectu suorum subditorum: siquidem nec ij in punitione criminum iuris processum exactè seruare tenentur, sicuti notauit Sotus de secr. mem. 2. q.5.in princ. Disparitas tamen aliqua est, quòd personæ religiosæ plerumque graues sunt, quibus curæ esse solet, vt famam suam integram apud Prælatum seruent: Ipsáque punitio, quæ ob crimina grauia à Prælatis Ordinum inferri potest, maioris momenti est, quàm sint pœnæ domesticæ, aut scholares: quare maior etiam ad illam, quàm ad has delicti probatio requiri debet.

12 QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum Prælatus Ordinis, Ludimagister, paterfamilias possint constituere indices, qui subditorum errata obseruent, & ad ipsos deferant? Responsio est affirmatiua apud Bannes quæst. 33.a.3. dub.2.concl.4. Turrianum disp.39.dub.5. Ea tamen moderatione, vt Superior attendat ad delatoris ingenium, prudentiam, affectus: caueatque, ne plus credat, quàm spectatis circumstantiis omnibus, ei credere debet.

Secundò, in rebus quæ alicuius momenti sunt, personam ab indice denuntiatam, præsertim si honesta & grauis sit, non facilè reprehendat, aut puniat, nisi prius etiam ipsam patienter audiat, si fortè rationem, excusationémque facti sui afferat; cùm defensio vnicuique naturali iure debita sit. Quare Maphæus de S. P. N. Fundatore Ignatio lib.3. vitæ eius, cap.10. hæc habet: *Delatoribus ita vnam aurem præbere consueuerat, vt semper alteram Reo reseruaret absenti: quin etiam accusatoris*

ipsius inter dicendum gestus, oculos, vultúsque omnes attente obseruabat, crebrisque ac minutis interrogationibus veritatis eliciendæ gratia fatigabat hominem. Totam denique rem, si opus esset, per se, & per idoneos viros indagabat leniter et sine tumultu, cauebátque omnino, ne quemquam damnaret indicta causa: verùm etiam, vt ne quid omnino præiudicij ad causæ cognitionem afferret.

Tertiò, Plerumque cauere debet Superior, ne indicem aut delatorem suum iubeat obseruare certam personam, quæ alioquin publicè suspecta non est; ne hominis famam absque necessitatis ratione lædat. Interdum tamen talis causa est, aut periculum mali alicuius, vt qualis qualis diminutio famæ apud hominē prudentem, post habenda sit spirituali bono ipsius delinquentis, & aliorum.

Quartò cauebit plerumque prudens Superior, ne denuntiatus denuntiatorem suum agnoscere possit: quare interdum supersedebit correptione, vel opportunius tempus expectabit, dum Reus iterum deprehendatur in simili delicto: nisi rei grauitas, aut periculum postulet, vt malum statim auferatur: hoc casu oportet denuntiatorem qualecunque incommodum suum, quod exinde passurus est, æquo animo ferre, ob rationem mali impediendi, aut boni procurandi.

Ipse verò denuntiator operam dare debet, vt ex charitate procedat, ipsius tum delinquentis, tum etiam Communitatis spirituale commodum, tanquam finem denuntiationis semper præ oculis habens: Et non referat quæ incerta sunt, tanquam certa & explorata: neque crimina aut defectus exaggeret; sed simpliciter, sicuti accidisse nouit: neque dicat consuetudinem aliquem habere, si semel tantùm, atque iterum tale aliquid in homine animaduertit. Hæc ferme Turrianus noster loco cit. & plura legi possunt apud S. Dorotheum ser. 4. qui est de timore Domini, circa medium.

QVÆSTIO TERTIA. Valde controuersa inter Doctores est: Vtrum secreta admonitio antecedere etiam debeat denuntiationem propriè iudicialem, ipsamque accusationem, si fiat de crimine occulto quod tamen ab accusatore probari, vel à denuntiatore indicijs ostendi possit? Quam quæstionem S. Th. in 4. d. 19. q. 2. a. 3. quæstiun. 1. tanquam suo tempore controuersam proponit, sed propriam sententiam non explicat. At verò Caietanus 2. 2. q. 33. art. 7. Syl. ver. accusatio, q. 3. Pet. Nau. lib. 2. c. 4. num. 231. & 254. Less. lib. 2. c. 30. n. 12. affirmatiuam quæstionis partem amplexi sunt, quæ desumi potest ex c. 2. de accusat. vbi habetur, quòd accusatores Episcopi à Primatibus recipiendi non sunt, nisi is, qui accusatur priùs charitatiuè conuentus fuerit, vt causam, emendet, isque eam emendare noluerit.

Contrariam verò sententiam, quòd iudicialem denuntiationem & accusationem, si crimen probari, vel indiciis ostendi possit, secreta monitio antecedere non debeat, docet Palud. loco suprà cit. Adrianus in cit. loco, de corrept. fraterna, §. ad argumenta ante oppositum, Sotus de secr. tegen. mem. 2. q. 5. concl. 4. in fine, Nau. in man. c. 18. n. 30. Molin tr. 4. disp. 32. n. 6. Fundamentum est: Quia in eo differunt denuntiatio charitatiua & iudicialis; quòd illa spirituale commodum & emendationem peccatoris pro principali fine habeat: quare si is finis faciliore modo obtineri possit per monitionem secretam, frustra fratris fama læderetur per publicam denuntiationem. At verò in iudiciali denuntiatione & accusatione intenditur publica satisfactio & vindicta ad aliorum exemplum. Interest enim Reipubl. vt crimina impunita non maneant: hic autem finis obtineri non potest per secretam monitionem, vt patet.

Antequam per assertiones explicem, quid in hac quæstione sentiam; repeto quod initio huius cap. dixi & apertè indicat S. Th. cit. d. 19. q. 2. art. 3. Crimen occultum fratris duobus modis Ecclesiæ, seu Prælato tanquam capiti Ecclesiæ denuntiari, seu publicari posse; charitatiuè & iudicialiter. Charitatiua denuntiatio & euulgatio fieri solet v.g. in Capitulis Religiosorum; quam iam suprà dixi, fieri non posse de delictis occultis grauibus & infamantibus, si secretiore emendatione æquè emendari posse credatur: idque apertè tradit S. Th. a. 7. ad 4. *Si proclamationes, quæ fiunt in Capitulis Religiosorum, essent de culpis grauibus, de quibus frater infamaretur: esset peccatum contra Domini præceptum, sic illum infamare.* Tota igitur restat difficultas de denuntiatione & accusatione iudiciali.

Dico I. Qui crimen occultum fratris, secundùm leges punibile, quod probari, vel indicijs ostendi potest, iudiciali denuntiatione prodit, antequam secretò monuit, nihil contra iustitiam peccat. Ita Pet. Nauar. lib. 2. c. 3. num. 254. Less. lib. 2. c. 30. dub. 3. Quia homines actibus externis peccando contra leges, offendunt Rempubl. cuius partes sunt, consequenter merentur, vt puniantur à Magistratu, qui est custos legum & vindex malefactorum: dummodo ita peccârint, vt per indicia exteriùs prodita in notitiam Iudicis per denuntiationem, vel accusationem peruenire possit. 13

Dico II. Quotiescunque ad promouendum bonum publicum, & aliorum exemplum, necessarium, aut valde vtile fore existimatur, vt peccator de crimine, alioquin occulto, legitimè conuictus publicè puniatur; tunc denuntiari, vel accusari potest, non præmissa monitione secreta, licet crimen merè præteritum & emendatum sit, sicuti docet Syl. cit. q. 3. Pet. Nau. n. 254. Ratio est, quia, vt S. Th. ait in cit. quæstiun. 1. ad 2. *Bonum multitudinis præferri debet bono vnius.* Eadémque ratio est, si quis satisfactionem pro iniuria, vel damno sibi illato non æquè ab aduersario consecuturus sit, nisi iuridicè accusetur; accusari potest ad proprium, ius consequendum, spreto incommodo proximi; maximè si illud ex propria culpa sustineat. Non tamen tenetur aliquis his casibus accusare, nisi crimen Reipubl. directè perniciosum sit, vti dicam infrà tract. 6. cap. 3. num. 4.

Corollarium. Hoc interest inter denuntiationem iudicialem, & Euangelicam; quòd illi locus esse possit, etiam si crimen sit merè præteritum, sed nondum publicè punitum. Charitatiua autem, seu Euangelica, sicuti & canonica denuntiatio criminis occulti, locum non habet, nisi etiam impòsterum malum criminis committendi, seu in eo persistendi timeatur, sicuti annotauit Palud. cit. q. 4. §. ad argumentum.

Dico III. Sæpe fieri potest, vt aliquis contra charitatis legem, & ordinem à Domino Matth. 18. præscriptum peccet, si proximi peccatum occultum, ipsi tantùm peccanti, vel alteri priuatæ personæ noxium, denuntiet vel accuset iuridice, non præmissa monitione fraterna; quando per eam emendandus, vel ad satisfactionem inducendus speratur. Ita expressè docet Less. cit. cap. 30. num. 11. & fateri debent Doctores omnes, qui dicunt, secretam monitionem, iuxta Domini præceptum, præmittendam etiam esse denuntiationi, quæ fit Ecclesiæ Prælato, tanquam iudici, inter quos Valentia cit. p. 5. §. tria igitur asserimus, Turrianus cit. dub. 4. §. ad argumenta. Ratio est; Quia ex eiusmodi criminis, v. g. adulterij occulti, publicatione ac punitione non multum commodi accipit Communitas; sed interdum magis offenditur: interim verò fama occulti criminosi, præsertim si persona honesta sit, vel in clericali statu constituta, grauiter læditur: ergo si sine eiusmodi incommodo peccatum emendari possit priuata monitione, non est ad publicam iudicialem denuntiationem, vel accusationem deueniendum.

Corollarium.

Corollarium. Si coniunx adulterium occultè commisit, quod tamen probari possit, faciliùs permittitur alteri innocenti coniugi accusare ciuiliter ad instituendum diuortium: quia hoc ius suum per secretam monitionem, vel separationem non ita obtinere potest, sicuti per Iudicis sententiam. At verò famulus, vel famulo in domo, cuius directè nihil interest, contra charitatis legem plerumque peccabit, si cùm priuata monitione peccatum occultum emendari posse credat, publicè denuntiet, cum adulterorum infamia, aliorum scandalo, & perturbatione. Quare in tali casu ancilla v.g. sciens, dominam suam occultè adulterari solitam, adulteros priùs in secreto monere, & obsecrare debet: quòd si nihil proficiat, etiã alios criminis obseruatores, & postea hortatores adhibere; cùm cõminatione, nisi desistere velint, hero, vel Iudici denuntiandũ fore, vt malũ hoc tollatur.

14 Ad extremum hoc annotare libet; Olim, cùm peccata grauia in populo Christiano, præsertim in clero, non tam frequentia essent, maius, præsertim apud infideles, scandalum accipiebatur ex publicatione; ideoque magis curabatur, vt per secretam monitionem emendarentur: alioquin eâ non præmissâ, Iudex repellebat accusatorem, aut denuntiatorem, maximè si persona, quæ criminis occulti arguebatur, in Ecclesiastica dignitate constituta esset, sicuti constat ex c. 2. &c. cùm dilectus, 2. de accusat. Qua eadem ratione Iudices, præsertim Ecclesiastici, ex officio non procedebant aduersus eiusmodi criminosos, nisi publica infamia laborarent. quæ omnia satis colliguntur ex S. August. relato in c. si quis peccauerit, 2. q. 1. At verò successu temporis, cùm, refrigescente charitate, iniquitas abundaret, & crimina frequentarentur, puta adulteria, furta, &c. ipsa certè frequentatio Reip. valde perniciosa esse cœpit. Quamobrem furtum iam inter publica & excepta crimina numerari solet, de quo proinde Iudices, præsertim seculares, ex quibuscunque delatis indiciis inquirere solent, ac denuntiatores & accusatores admittere: quia ita bonum publicum exigere videtur. Idémque in alio eiusmodi crimine, v.g. blasphemia, adulterio si alicubi valde frequentetur, per consuetudinem; boni communis causa, recipi posset. Veruntamen etiam hodie, præsertim in Ecclesiastico foro, contra graues personas publica infamia non laborantes, iuridicè procedi non debet, nec denuntiationes aut accusationes admitti, si crimen occultum secretò sine læsione famæ, & populi scandalo, emendari posse credatur: Id enim omnino lex charitatis, quin & Domini præceptum, & Ecclesiastica praxis postulare videtur.

CAP. V.

De obligatione secreti.

SVMMARIVM.

1 *Qui secretum expressa, vel tacita conuentione sibi commissum reuelat, is contra iustitiam peccat, ex genere suo mortaliter.*

2 *Secretum tibi commissum reuelare potes, si necesse sit ad aduertendum damnũ Reipublicæ, personæ innocentis, vel tuum ipsius graue periculũ.*

3 *Secreta Reip. vel exercitus sæpe cum vitæ periculo seruanda sunt.*

4 *Si expressè promisisti, te secretum seruaturum etiam cum vitæ tuæ periculo, ad id obligaris.*

5 *Qui per vim, aut fraudem secreti cognitionem assecutus est, prodere non potest, ad vitandum qualecunque corporis sui periculum, si ex euulgatione æquale periculum immineat illi alteri.*

SEcretum accipitur hoc loco pro re alicui clanculum manifestata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit; ideóque notorium quippiam non est. Talis secreti tenendi seu non euulgãdi triplex obligatio esse potest, teste Nau. c. 18. n. 52. Prima est ex eo tantùm, quia, si proximi secretum reueles, illi damnum illaturus sis, quod sine iusta causa, aut necessitate licitum non est; sed contra legem naturalem de non nocendo proximo in anima, corpore, honore, fama, fortunæ bonis. Altera est ex præcedente pacto, seu promissione seruandi secreti; eáq; vel expressa, vel tacita seu subintellecta: cùm videlicet tali modo & circumstantiâ narratur, vt facilè appareret debeat tanquam secretum committi. Tertia est ex lege sacramentalis Confessionis, de qua dicam lib. 5. tract. 6. c. 14. Hîc autem solùm de secunda specie secreti.

Assertio. Qui secretum expressa, aut tacita conuentione reticendi, sibi commissum reuelat, is contra fidelitatẽ 1
atque iustitiam peccat, non minùs, quàm si in depositi contractu fidem violet. Sumitur ex c. 11. Prouerb. *Qui ambulat fraudulenter reuelat amici consilium.* & traditur à Soto mem. 1 de secreto tegendo, q. 1. concl. 2. Mol. tr. 4. disp. 5. & 6. Nauar. c. 18. n. 62. aliisque communiter.

Tacita conuẽtione secreti seruandi obligantur: I. Principum Consiliarij, belli Duces, quibus Reipublicæ, vel exercitus consilia cõmittuntur. II. Medicus, Aduocatus, Obstetrix, quibus auxilij capiendi causa, secreta reuelantur. III. Viri docti, & Iureconsulti, qui talem artem ac rerum peritiam profitentur, vt consilij causa arcana ipsis aperiãtur. IV. Verisimiliter etiã amici, & propinqui; quibus amicitiæ, vel propinquitatis iure, capiendi auxilij vel solatij causa, secreta manifestantur. Vide Nauar. cap. 25. n. 42. Mol. cit. disp. 5.

Iustæ causæ secretum reuelandi sunt hæ: Prima, Si cedat in Reipubl. detrimentum, vel priuatæ personæ iniu- 2
riam, sicuti docet S. Thom. q. 70. a. 1. ad 2. S. Anton. p. 3. tit. 17. c. 22. §. 2. Adrianus in 4. vbi de restitut. bonorum famæ, §. pro huius clariori intellectu, & in quodlib. 11. diffic. 5. Sotus mem. 2. q. 7. concl. 4. Rodriq. to. 2. sum. c. 53. n. 3. Gutier. lib. 1. can. qq. cap. 11. n. 48. Ioach. Mynsingerus cent. 2. obseruat. 78. Exemplum: Si Titium à concepto proposito, quod tibi secretò reuelauit, hominem innocentẽ occidẽdi, abducere nequeas: potes, & plerumque etiam debes manifestare. Nam ex ordine charitatis quisque obligatus est ad liberandum innocentem ab iniuria nocentis, etiam cum damno aliquo nocentis, si innocens alia ratione defendi non possit.

Loquor autem de crimine pernicioso, ac pendente in futurum. Si enim crimen omnino transactum sit, non debes illud prodere. Veluti, si Titius homicida lateat, & pro eo innocens Caius in quæstionem adductus, & occidendus sit: non oportet, Caij liberandi gratia, prodere Titium, qui crimen occultum commiserat, sicuti resoluit Molina l. c. Quandoquidem, nec ipsemet Titius, qui secretum tibi commisit, se cum æquali periculo suo prodere tenetur, ad impediendam mortem Caij, cuius causam non præbuit, nisi indirectè ac per accidens, secundũ Sotum l. 4. de iust. q. 6. a. 3. Franciscum Suarez de charitate, disp. 8. sect. 6. n. 7. Nau. c. 15. man. n. 17. Si tamen Titius fuga sibi consulere posset, tum deberet, prodito suo facinore, etiam cum famæ aliquali iactura, liberare Caium: sin ille id facere recuset, licebit tibi, eo de fuga monito, reuelare secretum, Caij liberandi gratia.

Secunda. Si secretum cessurum sit in graue nocumentum eius, qui tibi commiserat. Veluti, si quis occulto impedimento obstrictus à matrimonio reuocari non possit, nisi canonicè denuntietur, licita erit denuntiatio secreti, ob Sacramenti reuerentiam, & ad peccatum euitandum, sicuti docent Nau. c. 18. n. 55. Coninck t. 2. disp. 27. dub. 7. n. 61. Mol. l. c. Sanch. lib. 3. disp. 13. n. 6.

Tertia. Si tu ipse in simile graue discrimen incides, nisi commissum tibi secretum reueles. Ratio est, quòd, sicuti alia debita, ita & obligatio secreti cessat, quando sine maximo detrimento propriæ vitæ, aut famæ seruari non potest: quia nemo censendus est, promittendo secretũ, etiam ad talem casum obligationem extendere voluisse: sed potiùs præsumitur quisque ex ordine charitatis propriam incolumitatem alienæ anteponere. Exemplum habes: si Titius homicidium à se perpetratum tibi reuelauerit consilij capiendi causa: postea tu ipse, absque Titij culpa, in commissi homicidij suspicionem venias, & capite pericliteris: fas tibi erit, si alia ratione

liberari non possis, Titium occultum homicidam prodere, sicuti resoluit Mol. tr.4.disp.37.concl.5. & seqq. Less.lib.2.c.11.dub.8.

Sin autem ex reuelatione secreti periclitetur vita eius, qui commisit; exindeautem, quod secretum celatur, grauissimè periclitetur honor, fama vel diuitiæ eius, cui commissum est; viri prudentis arbitrio, omnibus spectatis circumstantiis, æstimandum erit, vtrum is, cui secretum concreditum erat, tantam obligationem reticendi in se suscipere voluerit, aut debuerit, nécne. Circumstantiæ autem inter alias spectandæ sunt: I. Innocénsne sit, an nocens, qui secretum commisit. II. Vtrum rogatus commisit, an sponte. III. Vtrum in suum duntaxat commodum, an eius etiam, cui concredidit. Quare aduertunt DD. citati; Ministros, & Aduocatos, quibus ob officium secreta committuntur, & ob eam rem salarium à Republ. vel partibus accipiunt, arctissima obligatione teneri seruandi secretum.

3 Deinde certum esse debet; Secreta Reipub vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet, etiam ob quæuis tormenta, vel mortis periculum reuelare nefas esse. Ita Sotus de secreto tegendo mem. 3. q.4.concl.6.Nau.c.inter verba, 11.q.3.concl.6.n.19. & in manuali c.18.n.54.Mol.cit.disp.37.n. 9. arg. l. omne delictum, ff. de re militari. Ratio est: Quòd salus Reip. tanquam bonum maius atque diuinius anteponendum sit propriæ vitæ. Quare ad hoc ipsum præstandum aliquis obligari potest: est autem maximè præsumendum tali obligatione Reip. secreta Consiliariis v.g. committi.

4 Restant duæ quæstiones: PRIMA. Si expresse promisisti secretum te seruaturum, etiam cum vitæ discrimine, vtrum tanta obligatione abstringaris, etiam erga quemcunque priuatum? Respondet affirmatiuè Molina cit. disp. 37. n. 10. Cùm enim talis promissio obiectum honestum habeat, non apparet ratio, cur seruanda non sit. Fiétque iniuria alteri, si non seruetur: quippe qui secretum, quod taceri (vt supponimus) sua maximi interest, tibi non commisisset, nisi cum ea, quam dixi, obligatione. Verùm in hac doctrina supponi videtur, licitum esse vitam suam pro altero homine priuato derelinquere. Sin verò sentiamus, Charitatis id legi repugnare, sicut dictum est in lib.2.c.3.n.4. tunc difficile est dicere, quomodo talis promissio reticendi secretum, etiam cum propriæ vitæ discrimine obiectum honestum habeat. Nihilominus defendi potest sententia Molinæ, cùm sit probabilis, imò communior Doctorum sentẽtia, pro altero vitam suam ex motiuo charitatis, aut iustitiæ derelinquere, esse opus honestum & laudabile. Quamobrem id promittens, cõformare se tenebitur huic sententiæ; ne alterum probabiliter persuasum grauiter decipiat, vt in argumento dictum fuit. Cæterùm si non agatur de maximo incommodo secretum committentis; tunc certum est, nullam oriri obligationem id seruandi cum vitæ discrimine: quia ex lege charitatis minus damnum suum potiùs ille sustinere debet, ne innocens in mortis periculum veniat.

5 QVÆSTIO ALTERA. Si quis notitiam secreti per vim, vel fraudem assecutus sit, vtrum ob metum tormentorum, vel mortis periculum reuelare possit, quando alteri ex reuelatione æquale vitæ discrimen subeundum erit? Less. cit. dub. 8. n. 55. ait, probabiliter affirmari posse. Sed alij rectiùs negant, inter quos Sotus lib 5. de iust.q.10.a.2. Nauar.c.18.num.54. Mol.concl.10. Probatur ex generali principio: Quicunque iniuriam aliquam intulit, is tenetur iniuriam tollere, & non continuare ac propagare: (alioquin, sicut initio peccauit iniuriam inferendo, ita etiam peccabit continuando, & augendo) Ergo etiam in proposito casu, qui secreti cognitionem per iniuriam acquisiuit, v. g. literas clausas fraudulenter aperiendo, is tenetur secretum supprimere; manifestando autem continuabit & augebit iniuriã: sicuti qui rem alienam per iniuriam abstulit, non potest ea vti cum domini detrimento: alioquin continuabit iniuriam, & grauiùs peccabit. Neque refert, quòd in æquali, vt ponimus, discrimine constitutus sit: quia in pari causa melior est conditio iniustè læsi, quàm lædentis: ne is ex propria malitia commodum ferat.

Objicies. Licet aliquis rem alienam v.g. frumentum per iniuriam acquisierit: si tamen postea ad extremam necessitatem redactus, eo indigeat ad vitam sustentandam, non tenetur restituere creditori, quamuis tunc in simili necessitate versanti. Ergo similiter, licet aliquis secreti cognitionem per iniuriam consecutus sit, aperiendo v.g. literas Titij, si tamen postea tali cognitione omnino indigeat ad vitam suam liberandam, poterit ea vti, quamuis cum æquali discrimine Titij. Resp. negando consequentiam. Nam discrimen est: Quòd rerum diuisio ab initio ea conditione instituta fuerit gentium iure, vt in extrema necessitate omnia communia essent: Ergo etsi aliquis contra iustitiam peccauerit rem alienam auferendo, si tamen postea in extremam necessitatem incidat, comparat ius ac dominium rei ita acceptæ, & hactenus possessæ. Qui verò in nostro casu contra iustitiam deliquit literas aperiendo, & secretam cognitionem veluti furando, non apparet, quo iure aut titulo postea acquirat ius ad cognitionem illam prodendam, cum æquali iactura eius, cui iniuriam intulit.

CAP. VI.

De Contumelia.

SVMMARIVM.

1 *Contumelia est iniusta honoris imminutio, scienter facta. Iniuria seu contumelia alia atrox est, & alia leuis.*
2 *Contumelia tribus modis accidit: Verbo, scripto, & facto.*
3 *Libello famoso grauis pœna iure decreta est; nisi crimen publicum sit, quod puniri Reip. intersit.*
4 *Irrisio parentum graue peccatum est, quod Deus grauiter punit.*
5 *Iniuriam interdum patimur directè & per nos ipsos, interdum verò indirectè in aliis personis ad nos pertinentibus.*
6 *Iniuriarum duplex actio est: Vna ciuilis ad pœnam applicandam Actori; altera criminalis ad pœnam publicam.*
7 *Actio iniuriarum tollitur morte offendentis, vel offensi, eiusdémque remissione, item præscriptione.*
8 *Sublata actione iniuriarum, manet actio merè ciuilis ad damni compensationem tendens.*

CONTUMELIA (quã Iureconsulti specialiter iniuriam appellare solent, sicuti constat ex tit. ff. & C. de iniuriis) à cõtemnendo dicta est, teste Vlpiano in l.1.ff. eodem. Definitur: Iniusta honoris imminutio, scienter facta. Requirit enim scientiã, & dolũ: cùm sit vilipensio 1 quædã, sicuti colligitur ex l.5.ff. Ad l. Aquiliã. Quapropter eius actio famosa, siue infamans est, l.1.l. athletas, §. vlt. ff. de his qui notãtur infamia. In cóque differt ab actione l. Aquiliæ de damno dato. Rectè tamen monet Mol.tr.4.disp.18. non requiri ad contumeliã directũ honoris lædendi propositum; sed sufficere etiam virtuale, quæ dici solet intentio operis: cùm quis scienter talem actionem exercet, ex qua alterius honor suapte natura diminuitur; vt si virum honestum fuste percutias, licet honori eius derogare non intendas. Sin verò aliquis absque dolo causam culpabiliter præbeat, vt honor alterius apud alios minuatur: puta si quis sciat se in ebrietate verba contumeliosa effundere solitum, per quæ alter risui aut ludibrio exponatur; atque voluntariè se inebriet, contumeliam propriè non infert: peccat nihilominus cõtra iustitiam cõmutatiuam; quemadmo-

dum & ille, qui culpabiliter se inebriando causam præbet, vt alius in bonis corporis iniustè lædatur.

A detractione differt contumelia inprimis obiecto. Nam detractione fama læditur; per contumeliam honor, teste S. Thom. q. 73. art. 1. Deinde differunt modo: Quia contumelia, veluti rapina, in manifesto fieri solet contra præsentem; detractio veluti furtum in occulto, & contra absentem. Quanquam id perpetuum non est: Siquidem & absens cùm honorari, tum contumelia affici potest, v. g. erectâ statuâ, sicuti Iureconsultus fatetur in l. item apud, ff. de iniuriis. Famam quoque in præsentia denigrari nihil prohibet: vt si coràm alicui, pluribus audientibus, occultum vitium obijcias. quo casu in eundem actum tam contumeliæ, quàm detractionis peccata concurrunt, sicuti annotauit Nauar. c. 18. man. num. 12. & 18. & c. inter verba, 11. quæst. 3. conclus. 6. n. 4. Molin. tract. 4. disp. 18. n. 4. & disp. 23. n. 1.

Prohibetur contumelia Matth. 5. *Qui autem dixerit* (fratri suo) *fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ex quo colligitur, esse hoc peccatum ex genere suo mortale. Quare etiam Apostolus ad Rom. 1. *contumeliosos* illis annumerat, quos *Deus in reprobam sensum dedit.* Fit autem veniale I. Ob imperfectionem voluntarij. II. Ob imperfectionem obiecti: si contumelia vel in se ipsa leuis sit; vel saltem cum habitudine personæ cui infertur, vel à qua infertur. Nam eadem contumelia, quæ erga dominum, patrem, virum prudentem mortale peccatum est; erga subditum, fœminam, vel puerum veniale esse potest.

Notanda etiam hîc est doctrina Iustiniani Imperatoris Instit. de iniuriis, §. atrox, vbi ait, quandam iniuriam atrocem censeri, grauiúsque puniendam, quæ æstimari debeat *vel ex facto, veluti si quis vulneratus sit, vel fustibus cæsus: vel ex loco, veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu Prætoris iniuria facta sit: vel ex persona, veluti si Magistratus iniuriam passus fuerit; vel si senatori ab humili persona iniuria facta sit; aut parenti, etc. Nonnunquam et locus vulneris atrocem iniuriam facit: veluti si in oculo quis percussus fuerit.* Quæ quadantenus inseruire possunt ad cognoscendum, quænam Clerici percussio, spectatis circumstantiis, atrox censenda sit. Multò magis inseruire hæc poterunt ad intelligendum, quæ sit iniuria atrox donatori illata, vt donatio propterea reuocari possit, iuxta c. vlt. iun. Gl. ver. atroces, de donat. & dicam infrà tract. seq. c. 12. q. 5.

2 Contumelia seu iniuria tribus modis accidit: verbo, scripto, facto. Contumelia quæ verbo fit, dicitur conuitium, improperium, maledictum, vti videre est in cit. l. Item apud Labeonem, & apud Molin. tract. 4. disput. 20. Accidit, si quis alteri defectum seu moris, seu naturæ per contemptum ac probri loco objciat: Vt si furem appellet, gibbosum, cœcum, spurium; si mendacij arguat. Neque refert, verum, an falsum sit, quod ita obijcitur, puta per contemptum, sicuti ex communi docet Abb. c. cùm te, n. 26. de re iudicata. Couar. 1. resol. c. 11. n. 6. Verùm ioci causa, & ad conuenientem animi recreationem leues alicui defectus obijcere, vrbanitatis est, teste S. Thom. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 1. ex Aristot. 4. Ethic. c. 8. Nisi periculum sit alterum contristandi, vel ad iram commouendi. tunc enim charitati repugnabit. Vide Nauar. n. 16. c. 18. Mol. disp. 21. n. 4.

Præterea iustæ obiurgationis ac disciplinæ causa, conuitium inferri potest ab eo, qui corrigendi puniendiue ius habet, sicuti docet S. Thom. l. c. ad 2. & confirmat exemplo Christi, duos discipulos in Emaus euntes, *stultos et tardos corde* appellantis, Lucæ 24. Et S. Pauli Galatas *insensatos*, cap. 3. ad Galat. Quamquam hic obiurgandi modus raro & non sine necessitate suscipi debet; præsertim à Præceptoribus regularibus, & Ecclesiasticis Prælatis. *Repræsentatur enim subditis* (inquit Caiet. super cit. art. 2.) *quòd non ex Charitate, sed ex passione procedant: fiuntque deteriores; non suscipientes disciplinam; leuiúsque verbera, quàm verba contumeliosa suscipiunt, Vnde Tullius de offic. ait: Omnis animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.*

Porro conuitium inferenti licitum non est referre; sicuti nec percutientem repercutere, vindictæ causa: secùs, si fiat cum moderamine inculpatæ defensionis: id est, vt non plus contra alterum moliaris, quàm ad iniuriam arcendam necessarium sit: vt si conuitium iniustè inferenti ad eleuandam fidem hominis, dicere debeas, eum mentiri, vel mendacem esse, sicuti annotauit Abb. in cit. c. cùm te, n. 25. Mynsinger cent. 5. obser. 17. Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 100. n. 3.

Contumelia, quæ scripto fit animo infamandi, famosus libellus in iure appellatur: quem non tantùm qui composuit, vel edidit; verùm etiam qui inuentum non lacerauit, vel igni absumpsit; sed manifestauit, capitali pœna plectitur, l. 5. §. si quis, ff. de iniuriis, & l. 1. C. de famosis libellis: dummodo crimen, quod famoso libello alteri obiectum erat, tali pœna dignum fuerit, sicuti explicat Gomez 3. resolut. cap. 6. n. 1. Clarus 5. sent. §. fin. q. 68. n. 25. Molina tr. 4. disp. 39. Vbi monent, huiusmodi pœnam talionis desuetudine ferme abolitam esse; sicuti & lex 12. Tabularum pro reali iniuria, v. g. membro rupto, talionem decernens, desijt, & arbitraria nunc imponitur: quòd iniuriæ æstimatio crescat, vel decrescat ex circumstantiis personæ cui facta est, & à qua facta est: item ex loco, ex tempore, &c. sicut habetur in §. pœna autem, & seqq. Instit. de iniuriis, l. Prætor edixit, §. vlt. l. sed si vnius, §. quædam iniuriæ, ff. de iniuriis, & l. atrocem, C. eod. Excipit autem non improbabiliter Gl. in §. iniuria, ver. fieret, Instit. de iniuriis, eiusmodi pœnis propter contumeliam, aut libellum famosum obnoxium non esse, si aliquis crimen verùm obijciat, de quo publicè accusare liceat, & quod puniri Reipubl. intersit. Imò in hoc casu nihil culpæ admitti videtur, si talis rerum status sit in Communitate, vt alius modus publicum scandalum vel detrimentum tollendi non suppetat. 3

Contumelia facto fit, veluti si quis pulsatus, verberatus, loco conclusus, domúsue eius vi introita sit, iuxta l. 5. in princip ff. eod. Item si alicuius pudicitia attentata, l. sed est quæstionis, & seq. ff. eod. Si quippiam repræsentatum, quod pudorem, vel honorem alicuius lædat, cit. l. item apud Labeonem, §. generaliter. Quò pertinet irrisio, illusio, & subsannatio: Qualia Christus ab impiis Iudæis passus fuit, sicuti legimus Matth. 26. *Alij autem palmas in faciem eius dederunt dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Et cap. 27. *Plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextra eius: Et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: Aue Rex Iudæorum.* Quæ ipsa S. Lucas cap. 22. ad blasphemiæ peccatum refert, *Et alia multa blasphemantes dicebant in eum:* fiebant enim aduersus hominem, qui etiam Deus erat.

Duo hîc obiter annotare libet: Primum. Magnum peccatum esse, si hominem derideas, ob virtutis exercitium: tum quia obiectum graue est, opus bonum ludibrio exponere: tum quia ea ratione homo à studio virtutum ad vitia perducitur: quantopere autem Deus detestetur tales, colligi potest ex 1. Regum. 2. *Erat peccatum puerorum* (Heli) *grande nimis coram Domino: quia detrahebant homines à sacrificio Domini.*

Secundum. Irrisio, vel subsannatio, quæ fit parentibus, iisue, quos parentum loco obseruare & colere oportet, graue etiam peccatum esse, speciali virtuti pietatis vel obseruantiæ oppositum. Quare Prouerb. 4

30. dicitur; *Oculum, qui subsannat patrem: et qui despicit partum matris sui* (immemor scilicet gratitudinis, quam matri cùm dolore parturienti debet) *suffodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.* Vult dicere, dignum talem esse, qui in patibulo suspendatur.

5 Iniuriam siue contumeliam vel patimur directè, & per nosmetipsos; vel indirectè, & per consequentiam in iis personis, quæ vel potestati, vel affectui nostro subiectæ sunt; vt liberi, serui, vxor, nurus: quorum iniuria ad nos spectat, sicuti habetur in l. 1. ff. de iniuriis. Item iniuria sponsæ ad sponsum, cit. l. item apud Labeonem, §. sponsum, ff. eod. Iniuria Clerici, vel Regularis, ad Prælatum, Ecclesiam, Monasterium pertinet, iuxta c. cùm desideres, in fine, de sent. excommun. & l. sed si vnius, §. ait Prætor, ff. de iniuriis, vbi habetur, cum qui alterius iuri subiectus est, iniuriarum agere non posse; nisi ille absens sit, & procuratorem nullum constituerit: tunc sufficiet præsumpta licentia agendi. Qua de re videri potest Sanchez lib. 6. moral. cap. 12. n. 5. qui notat n. 36. cum Prospero Farinacio to. 1. praxis criminal. tit. de accusat. q. 13. n. 26. Si per iniuriam occisus sit pater, aut filius Religiosi; neque ipsi, neque Monasterio competere ius accusandi, aut componendi, seu pacis ineundæ. Nam Monasterio iniuria nulla facta fuit: Religiosus autem in iudicio standi & accusandi nullam personam habere potest; & cum veluti mortuus sit, ad eum iniuria patris, aut filij spectare non censetur. Sin verò iniuria facta fuit ante Religionis ingressum, vel saltem ante edita vota Religionis, tunc ius accusandi, vel pacis componendæ per editam professionem transfertur in Monasterium, si bonorum & iurium acquirendorum capax sit, iuxta Auth. ingressi, C. de SS. Ecclesijs. Quod bene docet Sanchez num. 38. contra Farinacium l. cap. Videri etiam potest Gomez tom. 3. resol. cap. 6. num. 5. Molina tract. 3. disput. 2.

Defuncti quoque cadaueri, funeri, sepulchro imagini, sicuti honor, ita & contumelia irrogari potest, quam actione prosequi ad illius hæredem pertinet, sicuti constat ex cit. l. 1. & tit. ff. ac C. de sepulchro violato.

6 Iniuriam siue contumeliam directè, vel indirectè passo duplex actio competit, sicut constat ex §. in summa, Instit. de iniuriis. Vna ciuilis ad pœnam applicandam Actori, quanti is iniuriam æstimauerit: v. g. centum aureos sibi decedere maluisse, quàm iniuriam hanc passum fuisse: accedente tamen Iudicis taxatione ac moderatione, ne Actor in litem iurando, ob affectionem, excedat, sicuti habetur in l. in actionibus, ff. de in litem iurando, l. constitutionibus, ff. de iniuriis, §. in summa, Instit. eod. & videri potest Gloss. in l. iniuriarum, 21. ff. eod Syluest. ver. iniuria, quæst. 7. Clarus, lib. 5. sent. §. iniuria, Angel. Instit. de iniuriis, §. pœna, vbi monet, idem seruandum esse in expensarum postulatione: quia pars litigans exprimit quantitatem expensarum, quam Iudex postea taxat, & defert iuramentum parti, non minus expensum fuisse. Altera verò est actio iniuriarum, ad publicam pœnam iudicis arbitrio deferendam.

Porro circa duplicem, quam dixi, actionem iniuriarum, aliqua aduertenda sunt: Primum iniuriam passus vtram maluerit ciuilem, vel criminalem actionem instituere potest: sed vna earum instituta, altera ipso iure tollitur, iuxta l. quod Senatus consultum, ff. de iniuriis, & notat Gl. §. in summa Instit. eod.

Secundum, Vtraque actio iniuriarum, tam ciuilis, inquam, quàm criminalis, pœnalis est, neque ad hæredes transit ante litis contestationem, iuxta l. iniuriarum, 13. ff. eod. Quare ab his diuersa est actio merè ciuilis, ad illati damni compensationem spectans, atque ad hæredes transiens, de qua mox.

Tertium, Si ciuili iniuriarum actione postulatus pœnæ soluendæ idoneus non sit, corporaliter puniendus erit, saltem vbi atrox iniuria illata fuit, iuxta l. si quis iniuriam, iunct. Gl. ff. eod. Quare hoc casu locum habet DD. pronuntiatum: *Qui non habet in ære, luat in corpore.*

Quartum, Si iniuriam passus etiam imposterum sibi mali quippiam ab aduersario timeat, implorare potest iudicis officium, quo compellatur ille idoneam cautionem præstare de non offendendo, sicut constat ex l. denuntiamus, C. de his qui ad Ecclesiam, &c. Quandoque Reus securitatis causa interim in carcerem detrudi debet, teste Gomez n. 16. Mol. tract. 3. disp. 42. in fine.

Actio iniuriarum cùm ciuilis, tum criminalis duobus 7
modis tollitur: Primò, per remissionem seu condonationem; siue ea gratis fiat, siue pacto & transactione, iuxta l. si tibi decem, §. 1. ff. de pactis: Item, siue fiat expressè, siue tacitè & per dissimulationem, l. non solùm, §. 1. ff. de iureiurand. Puta, si iniuria affectus cum aduersario suo, nulla cogente necessitate, locutus est, eum salutauit, ad conuiuium vocauit, aut vocatus accessit. qua de re Gomez num. 15. Syluest. ver. iniuria, quæst. 8. Veruntamen interdum Iudex propter bonum publicũ ex officio procedere potest contra delinquentem, non obstante remissione partis offensæ. qua de re Clarus lib. 5. sentent. §. fin quæst. 58. Molin. tract. 3. disp. 46. & 47. Glossa & Doctores §. in summa, Instit. de iniuriis: vbi etiam aiunt; pœnam pro iniuria statuendam hodie esse arbitrariam, quæ tamen vsque ad mortem extendi possit, si iniuria nimis atrox, aut circumstantiis aggrauata sit, iuxta l. aut facta, ff. de pœnis, & l. Pedius, §. 1. ff. de incendio, ruina.

Ceterùm, qui alteri subditus est, filiusfam. vxor, Religiosus: non potest inuito illo, ad quem iniuria redundat, actionem remittere. Pater verò, reclamante etiam filio, sicuti & Collegium Regularium, reclamante Religioso, cui iniuria facta fuit, condonare non prohibetur, sicuti colligitur ex l. sed si vnius, ff. eodem, & docent Glossa, & Nau. in cap. vulgatis, distinct. 1. de pœnit. Sa ver. iniuria, num 1. Contrà verò, qui in alterius potestate est, illo reclamante, iniuriam condonare non potest: sed neque iniuriarum agere, si pater v. g. condonauit: præterquam, si huius persona vilis abiectáque sit, filij autem honesta: tunc filius, inuito etiam patre, iniuriarum actionem instituere non prohibetur, cit. l. sed si vnius, §. ait Prætor.

Secundò aboletur actio iniuriarum per præscriptionem: si intra annum, post illatæ verbalis iniuriæ notitiam, agere is prætermittat, cui agendi ius ac facultas competebat, sicuti constat ex l. si non conuitij, Cod. de iniuriis. Est enim actio iniuriarum Prętoria, quæ annum durat, sicuti notant Doctores in Instit. de perpetuis action. in princ.

Tertiò. Actio ciuilis tendens ad pœnam applicandam parti offensæ, per mortem eius, vel mortem partis offendentis extinguitur: neque transit ad hæredes offensi, vel contra hæredes offendentis, nisi lis antea contestata fuerit, vel per offendentem steterit, quominus contestaretur, sicuti constat ex l. 3. & l. iniuriarum, 13. ff. de iniuriis, l. ex iudiciorum, §. vlt. ff. de accusat. Secùs est in actionibus noxalibus, aut ex l. Aquilia de damno compensando: hæ enim transeunt ad hæredes eius, qui damnum passus est, licet litem nondum intentauerit, aut contestatus sit, l. item Neratius, §. hanc actionem, ff. ad l. Aquil. & docet Molin. tr. 2. to. 3. poster. disp. 697. num. 34. & tr. 3. disp. 43. num. 15. Actio verò strictè criminalis, mortuo accusatore, vel eo qui offensus est, omnino extinguitur: Sin crimen sit aliquod ex publicis, de quo quilibet accusare potest, tunc qui propinquior vel hæres defuncti est, aliis præfertur, sicuti docet Mol. cit. disp. 43. conclus. 8. & latiùs disp. 44. & 45.

Interim verò sciendum est: Etsi aliquis iniuriarum egit ciuiliter, vel criminaliter, vel iniuriam sponte condonauit, vt deinceps agere non liceat: vel si tempus ad agendum elapsum fuit; nihilominus tam ipse, qui iniuriam passus est, quàm eius hæredes actionem merè ciuilem ex l. Aquilia ad illati damni compensationem intra XXX. annorum spatium instituere iure possunt: quia alia est æstimatio damni, & alia contumeliæ. Ita Gloss. & Doctores §. in summa, Instit. de iniuriis, Couarruu. loc. cit. Syluest. ver. iniuria, quæst. 8. Mynsinger. cent. 4. obseruat. 10. Molin. tract. 3. disput. 40. & disp. 42. num. 11. Clarus 5. sentent. §. fin. quæst. 51. num. 2. argum. l. vnic. C. Quando ciuilis actio criminali præiudicet, & l. qui nomine, ff. ad l. Cornel. de falsis.

CAP. VII.

De restitutione famæ & honoris.

SVMMARIVM.

1 *Qui crimen falsum alicui imposuit, is dictum suum retractare tenetur.*

Iudex, qui sententiam materialiter iniustam se dixisse cognoscit, debet eam retractare.

2 *Qui crimen alterius verum, sed occultum iniustè prodidit, is conceptam criminis opinionem abolere tenetur, quatenus sine mendacio potest.*

3 *Si quis tamen iniustè ablatum restituere non potest, omnino liberari videtur; vt non debeat pecunia satisfacere, ante iudicis sententiam.*

4 *Si ex infamia alteri à te aspersa aliud damnum ipsi secutum sit, debes integrè satisfacere: transitque hæc actio ad hæredes, & contra hæredes.*

5 *Obligatio restituendi famam extinguitur per spontaneam condonationem; vel si infamia homini aspersa penitus deleta est.*

6 *Ex contumelia alicui irrogata non oritur obligatio restituendi, nisi exinde honor, vel fama personæ apud alios læsa fuerit.*

1 ASsertio I. Qui crimen falsum alicui scienter imposuit, debet postea apertè retractare apud eos, quibus dixerat, & ad quos criminis infamia peruenit. Ita Doctores communiter, Adrianus in 4. vbi de restitut. bonorum animæ, §. an autem peccet. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 16. conclus. 2. Sotus lib. 4. de iust. quæst. 6. a. 3. Nauar. cap. 18. num. 45. Interdum tamen alienæ famæ satis consultum est, si infamator postea dicat, se deceptum fuisse, aliter rem comperisse, sicuti notat Pet. Nau. lib. 2. c. 4. num. 375. Less. lib. 2. c. 11. dub. 20. Molin. tract. 3. disp. 41. num. 2.

Assertio II. Simili ferme obligatione retractandi suum dictum astringitur ille, qui probabili errore ductus, adeóque sine peccato, alterum de crimine infamauit, vel apud Superiorem denuntiauit. Ita ex communi Molin. tract. 4. disput. 40. num. 3. Vbi exemplum affert de Iudice, qui secundùm publicas allegationes & probationes sententiam materialiter iniustam ferens, quamuis sine culpa sua, alterum infamauit; is ex iustitia tenetur sententiam retractare, vt condemnato fama restituatur. Nam quicunque causam posuit, vnde postea intelligit alteri damnum iniustum oriturum, is ex iustitia tenetur causam tollere, si facilè possit: Quia si causam à se positam non remoueat, censetur etiam iniustum effectum velle, quem ex causa illa oriturum prospicit: v.g. si quis bona fide, & sine nocendi proposito alicubi ignem posuerit, postea verò intelligat, exinde domus alienæ deflagrationem ortam, vel orituram esse; ex iustitia obligatus erit ignem tollere, si possit: alioquin tanquam incendiarius damnabitur. Sic & in proposito casu, qui crimen alicuius falso apud alios narrauit, vel denuntiauit, quamuis probabili errore ductus sit, si tamen errorem postea cognoscat, ex iustitia tenetur dictum, vel denuntiationem suam retractare: alioquin iniustus alienæ famæ denigrator censebitur. de quo videri etiam potest Pet. Nau. lib. 2. cap. 4. num. 433.

Hoc moneo: Qui bona fide alterum denuntiauit, vel infamauit, comperta postea materiali iniuria, non tam strictè obligatur ad restitutionem; quàm ille, qui per iniuriam formalem infamauit: hic enim restituere debet cum damno seu detrimento famæ suæ, etiam æquali; alter non item, sed quatenus sine notabili suo incommodo potest, sicuti docet Mol. tract. 4. disp. 40. num. 3. Less. dub. 22. num. 117. & c. 30. dub. 7. vbi bene docet; Si quis falsum contra alterum testimonium scienter dixit, ex quo illi mors timeatur, obligari detractorem ad retractandum dictum, etiam cum æquali suo mortis periculo: secùs, si ex probabili ignorãtia, aut inaduertentia mortaliter non culpabili.

Assertio III. Qui crimen verum occultum iniustè prodidit, debet conceptam apud audientes criminis opinionem abolere, quatenus potest sine mendacio; dicendo v.g. se malè dixisse, iniuriam intulisse, deceptum fuisse. Cùm enim omne peccatum deceptio quædam sit, verè ait deceptum se fuisse, quando hominem iniustè de occulto crimine infamauit; nunc verò pœnitentia ductus rectiùs rem considerat & intelligit; interim permittens, vt alij existimare incipiant; crimen commissum non fuisse. Ita S. Thom. 2. 2. quæst. 62. a. 2. ad 2. Scotus in 4. d. 15. q. 4. a. 2. Maior ibid. q. 16. Adrianus in 4. vbi de restitut. bonorum famæ, §. An autem peccet mentiendo, Syl. ver. detractio, q. 4. S. Anton. p. 2. tit. 2. cap. 2. §. 3. Nau. c. 18. num. 45. Pet. Nau. num. 378. Molin. disp. 44. Less. cit. dub. 20. num. 110. Quòd si tali loquendi formula, ac proprij dicti retractatione non speres, te conceptam infamiam, siue alieni criminis opinionem tollere posse, teneberis infamato aliam æquiualentem famæ compensationem facere: puta eum, quotiescunque se occasio præbet, ob alias eius dotes laudando, honorem eius defendendo, quoad tantum honoris ac famæ ipsi per te accedat, quantum detraxeras. Idque multò magis faciendum, si falsò aliquem infamâsti, & famam ipsi ablatam directè restituere non potes. Verùm quamdiu potes crimen, de quo alterum iniustè infamasti, in specie retractare, non satisfacis, si, omissa hac restitutione, hominem in aliis virtutum generibus commendes. Quia dum aliquis vno genere vitij, v. g. aduersus iustitiam, vel castitatem infamatus manet, non potest vir bonus ac probus audire, sicuti notauit Pet. Nauar. cit. c. 4. num. 370. 2

Assertio IV. Si quis famam iniustè ablatam nec directè, nec indirectè restituere possit, probabile est eum omnino excusari; neque pecunia compensandum vel satisfaciendum esse, ante Iudicis sententiam. Ita docet Syl. cit. q. 4. Pet. Nau. num. 417. Less. dub. 16. & significat Nau. c. 17. man. num. 90. Ratio est: Quia commutatiua iustitia suapte natura nõ aliud exigit, quàm vt restituatur res ablata, vel quod ei secundùm hominũ æstimationem æquiualet: pecunia autem famæ ablatæ non æquiualet: quandoquidem inter res venales siue pecunia æstimabiles fama numeranda non est: ergo pro ablata fama non debet restitui pecunia. Confirmatur. Qui impotens est restituendi debitam pecuniam, non obligatur ad redhibendam famam: Ergo neque impotens restituendi famam obligandus est ad reddendam pro ea pecuniam; intellige, ex iustitia cõmutatiua. Nam ex vindicatiua iustitia Iudex Reum condemnare potest ad satisfaciendum Actori in pecunia, vt suprà dixi. 3

Contrariam quidem sententiam, quòd tali casu ante Iudicis sententiam compensatio in pecunia fieri debeat, indicat S. Thom. 2. 2. quæst. 62. a. 2. ad 2. & expresè docet Adrianus quodlib. 11. diffic. 6. Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. circa 4. argum. & de secr. mem. 1. quæst. 2. conclus. 5. Sa ver. infamia, num. 7. Molin. tract. 4. disput. 45. num. 3. ex illo principio: *Qui restituere non potest, quatenus debet, restituere debet quatenus potest.* Sed respondetur, id verum esse duntaxat in rebus æquiualentibus, vel quæ eiusdem ordinis existunt, vt inter se commutationem recipiant: cuiusmodi non sunt pecunia & fama.

4 Assertio V. Si ex infamia, quam alteri iniustè aspersisti, siue falsum crimen narrando, siue occultum prodendo, aliud præterea damnum secutum est: quia ille officio v. g. vel dignitate priuatus fuit; debes integram compensationem facere, boni viri arbitrio. Ita ex communi Nau. c. 18. num. 45. P. Nauar. num. 373. Molin. disput. 45. Less. dub. 19. contra Sotum lib. 4. de iustit. q. 6. a. 3. circa 4. argum. vbi existimat, eum qui occultum alterius crimen prodendo causa fuit, vt is damnum incurreret, v. g. officium amitteret; non obligari ad integram restitutionem damni: cùm id potiùs crimini alterius tanquam causæ adscribi debeat; euulgatio autem sit solùm conditio sine qua non. Sed contrarium iuris rigore verum est: quandoquidem crimen occultum vim non habet damni inferendi; sed eam per euulgationem accipit: ergo euulgator causa damni moraliter existit, sicut, inquit Lessius, si quis ignem occultum cineribus erueret, & straminibus applicaret, is causa inde orti incendij meritò diceretur. Idémque sentiendum videtur, si alique iniustè infamando à lucro seu commodo, v. g. officio consequendo impediuisti, quod integram compensationem facere tenearis, quatenus spes lucri, vel officij consequendi prudentis viri arbitrio æstimabatur.

Transit autem hæc actio ad hæredes, & contra hæredes: Quia habet ordinem ad bona infamatoris, ex quibus damnum resarciri debet: hæres autem repræsentat personam defuncti, quod attinet ad bona defuncti, in quibus ipsi succedit. In eóque differt hæc obligatio resarciendi damna fortunæ ab altera obligatione restituendi famam vel honorem, præcisè orta ex crimine detractionis, vel contumeliæ: quòd talis obligatio purè personalis sit, neque infamatoris personam transgrediatur, sicuti notauit Pet. Nau n. 426. Less. dub. 12. licet contrarium senserit Adrian. quodl. 11. diffic. 6. lit. t. Mol. tra. 4. disput. 45. n. 3. & dixi cap. præced. in fine.

5 Causæ, ob quas cessat obligatio restituendæ famæ, sunt: I. Si infamatus sponte remisit: Verùm, si infamia per se redundet in familiam, ordinis Conuentum, &c. condonatio illi nihil præiudicabit. Secùs est, si tantùm per accidens redundet, id est, alter non alia ratione infametur, quàm quòd postea criminosi filius, vel frater dici debeat: tunc enim valida erit condonatio. Qua de re Mol. disp. 46. concl. 5. & disput. 48. concl. 1. Less. dub. 24.

II. Si fama aliis modis recuperata sit, videl. infamati purgatione, vitæ probitate, prudentium virorum testimonio: item si crimen, quod alteri obieceras, obliuione penitus deletum sit: Cessat enim tunc ratio, & velut obiectum restitutionis, sicuti rectè se ipsum corrigens, docuit Nauar. c. 18. n. 43. & alter Nauar. cit. c. 4. num. 372. Angles in 4. p. 2. vbi de restit. famæ, dub. 2. Mol. disp. 40. & 41. in fine, Less. dub. 17.

III. Si ille, quem tu infamasti, vicissim te infamauit, famámque restituere nolit, probabilis est opinio Soti lib. 4. de iust. q. 6. a. 3. concl. 2. ad 4. Tol. lib. 5. c. 70. Less. dub. 25. Mol. disp. 49. Angles l. c. dub. 3. Compensationi locum esse ex generali regula: *quod non cogeris ius suum alteri reddere, si ille recuset tibi reddere tuum,* sed interea iure compensationis, vel retentionis vti potes. Licet contrarium sentiat Nauar. in man. cap. 18. n. 47. & alter Nauar. n. 395.

Quod attinet ad restitutionem honoris læsi per contumeliam; Dico I. Si contumelia priuatim irrogata est, neque in aliorum notitiam culpâ tuâ peruenit, ad nullam honoris, aut famæ restitutionem obligaris. Ita Mol. tr. 4. disp. 46. Nam pro sola iniuria, secluso damno nulla restitutio facienda est, ante Iudicis sententiam. Si verò Titium, nemine alio audiente, spurium v. g. per iniuriam appellasti, nullum ei damnum intulisti; nisi quòd eum contristâris, à te alienâris. Ergo ad hoc solùm obligatus es, vt peccatum coram ipso agnoscendo, veniámque petando, animum offensum tibi reconcilies, iuxta præceptum Christi Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, &c. vade priùs reconciliari fratri tuo.* 6

Duæ tamen hîc limitationes adhibendæ sunt: Prima. Sunt aliqui, qui cùm contumelia affecti sunt, ægrè ferunt, postea aliquam eius memoriam, vel significationem denuo fieri, malúntque rem totam tacitè dissimulari: tunc, prætermissa veniæ petitione, præstat aliis officiis hominis offensi animum demulcere. Altera. Superiores, cùm iniuria aliqua subditos affecerunt, ferme non decet humiliter veniam petere; ne *dum nimia seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas,* sicuti ex regula S. Augustini monet Caiet. q. 72. a. 3. Sed aliis modis offensum sibi conciliare debent consolando, amicè salutando, errorem agnoscendo.

Dico II. Si ex irrogata alicui contumelia honor, vel fama eius, comparatione aliorum, imminuta fuit, teneris ipsi restitutionem facere, coram aliis honorem ac reuerentiam deferendo, eundem commendando, &c. atque hac ratione, illos, quantùm in te est, permouendo; vt de homine, iterum, sicuti priùs, bene sentiant, & coniunctum honorem tribuant. Vide Sotum cit. lib. 4. q. 6. a. 3. concl. 2. ad 5. Lessium dub. 27.

(:) (:)

PARS TERTIA.

De obligationibus contractis ex iniusta læsione corporis.


OMICIDIVM & mutilatio (de quibus hic præcipuè agendum erit) vel est sui ipsius, vel alterius: Si alterius, aut publica id auctoritate fit, aut priuata. Si priuata, vel ob necessariam defensionem, vel absque defensionis necessitate: Et tunc rursus vel casu fit, vel voluntate. Atque iterum vel voluntate directa, siue ex proposito; vel indirecta & interpretatiua voluntate. De quibus singulis ordine tractandum est.

CAP. I.

De occisione & mutilatione sui ipsius.

SVMMARIVM.

1 *Seipsum sine causa necessitatis mutilare, aut castrare, est iniuria aduersus Deum.*
2 *Maioris mali vitandi causa licitum est seipsum mutilare.*
3 *Seipsum occidere nunquam licet; nisi Deus ita iubeat.*
4 *Ad mortem se offerre, & ab alio inferendam permittere, non semper illicitum est.*
5 *Corporis voluntaria castigatio debet esse moderata.*
6 *Martyrium est perfectissima confessio veritatis; quando homo mortem ipsam perferre potius eligit, quàm vt fidei veritatem verbo, aut opere derelinquat.*
7 *Opus Martyrij, etsi laudabiliter obiri possit, non tamen semper in præcepto est; sed tantum in casu necessitatis.*
8 *Qui seipsum voluntariè interimit, in loco sacro sepeliri non debet; nisi ante mortem signa contritionis edidisse constet.*

1 Assertio I. Seipsum mutilare, vel castrare extra casum necessitatis non solùm est peccatum contra charitatem sui; sed etiam iniuria contra Deum. Est communis doctrina cum S. August. lib. 1. de ciuit. c. 20. S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 5. Ratio est, quòd homo membrorum suorum non sit dominus; sed solus Deus eorum conditor, & conseruator. Ergo iniuriam quodammodo Deo infert, qui extra casum necessitatis, & non tradita sibi à Deo potestate, ea abscindit, vel mutilat. Quæ ratio indicatur can. Apostol. 21. aliàs 22. *Si quis seipsum mutilauit, ne fit Clericus: est enim sui homicida, & Dei opificij hostis.* Vide canon. 1. Concil. Niceni I. aliósque plures allegatos in decreto, distinct. 55.

Itaque non immeritò Demetrius Alexandrinus Episcopus de Origene conquestus est, qui quamuis, vt ferebatur, seipsum castrarat, nihilominus presbyter ordinatus fuit Cæsareæ Palestinæ, apud Eusebium lib. 6. c. 7. 17. S. Epiphan. heresi 64. Eadémque querela est S. Athanasij in epist. ad solitariam vitam agentes, de Leontio castrato Episcopo Antiocheno sectæ Arianæ: quem ob eandem causam à presbyterij munere antea depositum fuisse, testatur Socrates lib. 2. cap. 11. Sed non tantùm apud Leontium seuerissimi supercilij hominem, verùm etiam alios plurimos inualuit Eunuchorum heresis, seipsos castrantium, falsę castimonię zelo, & verba Christi simpliciter nimis, atque ad literam intelligentium, Matth. 18. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te.* Et cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Vide S. Epiphan. heres. 58. Baron. An. 230. Less. l. 2. c. 9. n. 14.

2 Assertio II. Maioris mali vitandi causa, licitum est seipsum mutilare: puta, si alioquin ab altero occidendus sis; vel Resp. cladem acceptura, nisi membrum tibi amputes. Ita ex communiore docet Tolet. 5. cap. 6. §. secundò ob maius, Sa ver. homicidium, num. 24. Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 14. Petrus Nau. lib. 2. c. 3. num. 98. contra Sotum lib. 5. q. 2. a. 1. conclus. 3. Salonem 2. 2. q. 65. a. 1. controu. 1. Sairum lib. 7. clauis, c. 9. num. 37. Ratio est: Nam licet homo non sit dominus vitæ ac membrorum suorum; est tamen custos & conseruator: secando autem vnum membrum, ne maius damnum corpori inferatur, vel omnino intereat; prudenter custodit & conseruat vitam & corpus suum: quare talis potestas ipsi à Deo naturæ auctore concessa esse censetur.

Illud addiderim contra Salonem loc. cit. controuers. 2. Peccare parentes, qui filios, quamuis consentientes, vt Ecclesiæ cantu vtiles sint, castrare audent: quòd hoc non sit medium ad eiusmodi fines necessarium, & sępe cum animę periculo coniunctum. Idque naturali lumine agnouit Adrianus Imperator, ab Vlpiano allegatus in l. 4. §. ad l. Cornel. de sicariis.

Assertio III. Seipsum interimere, semper illicitum est, & iniuria in Deum; vno casu excepto, si ipse Deus iubeat. Ita S. Thom. 2. 2. quęst. 64. a. 5. Concil. Bracar. 1. can. 34. quod refertur in cap. placuit, 23. quęst. 5. Et latè S. August. lib. 1. de ciuit. à cap. 16. vsque ad 28. & hæresi 69. contra Donatistas Circumcelliones, qui sibi vitam eripere, genus quoddam martyrij ducebant. De quibus idem Augustinus epistola 166. lib. 1. contra Gaudentium, c. 28. & de vnitate Eccles. cap. 10. 19. & tract. 51. in S. Ioan. sub medium, Optat. Mileuit. lib. 3. contra Donatistas, Concil. Carthaginense I. can. 2. Theod. lib. 4. hæret. fabul. cap. de Donatistis. Ratio est, quam S. August. indicat cit. lib. 1. de ciuit. cap. 20. Etsi enim Deus homini, ob naturę suę præstantiam, cùm in alias omnes res sub luna positas, tum etiam in bruta animalia plenum dominium tribuisset, sicuti Dauid testatur Psalm. 8 *Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas.* (Quapropter ea capere potest, occidere, vesci arbitratu suo, sicuti constat ex cap. 9. Genes. & 1. ad Corinth. num. 10. nisi quòd ante diluuium homines carnem non comedisse, existimat S. Thom. 1. 2. quæst. 102. a. 6. ad 2. & videri potest Vict. de temperant. num. 3.) vitæ tamen ac mortis humanæ potestatem sibi reseruauit, sicut legimus, Sap. 16. *Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.* Deuteronom. 32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Quapropter etiam Iureconsult. in l. liber homo, 13. ff. ad l. Aquiliam dixit, neminem hominem membrorum suorum dominum videri: Etenim sicuti militi non licet sine iussu Imperatoris à sua statione discedere: ita nec licet homini ab hac vita migrare, sine Dei voluntate, vti etiam Cicero docuit in lib. de somnio Scipionis. Vide plura apud Mol. tract. 3 disp. 9. Simancam de Cathol. instit. tit. 18. n. 26. & seqq.

Confirmatur assertio primò: Aut enim innocens est, qui mortem sibi machinatur: aut nocens. Innocentem nullo casu ex proposito occidere fas est, prohibēte

etiam Deo Exodi 23. *Insontem ac iustum non interficies.* Nocentem verò Iudex interficere debet: Nemo autem sui ipsius Iudex esse potest, aut iustæ sententiæ executor. Ita argumentantur S. Augustinus lib. 1. de ciuit. cap. 19. Maior in 4. distinct. 15. quæst. 20. Petr. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 30. Confirmatur secundo: Nam adeò hoc alienum est à naturali propẽsione, vt nullum etiam reliquorum animalium sibi ipsi mortem adferat. Corollariũ. Iure optimo Dauid 2. Reg. cap. 1. Amalecitem morte puniuit, qui Saulem, quamuis obnixè rogantem, interfecit. Non enim potuit ille huiusmodi facultatem siue licentiam tribuere.

Cæterum, licet hæc doctrina S. Augustini vera sit, nullo casu seipsum iuterficere fas esse, nisi Deus ita iubeat; non tamen adeò conspicua est, quin prudentes quoque effugere possit, si grauior causa inhumanius aliquid persuadeat. Nam Stoici, ob patriæ salutem, se interimere decorum duxerunt: Quare etiam Catonis factum, qui seipsum V...æ occidit, ne Cæsarem Tyrannum victorem aspicere cogeretur, à multis commendatum fuit. Præterea non tantùm Lucretiam laudârunt Romani, quod stuprum indignè ferens à Regis Tarquinij filio illatum, mortem sibi consciuerit; sed etiam sanctas quasdam fœminas, Pelagiam, Sophroniam, &c. Christiani: quæ nestuprum per vim paterentur, in flumen se præcipitarunt. de quibus S. Ambrosſ. lib. 3. de Virgin. ante medium, Eusebius lib. 8. c. 24. S. August. cit. lib. 1. cap. 26. Cui sententiæ S. Hieronymus quoque adhæsisse videtur, cùm in cap. 1. Ionæ, quod refertur cap. 11. 23. quæst. 5. ita scripsit: *In persecutionibus non licet propria perire manu, absq; eo vbi castitas periclitatur; sed percutienti colla submittere*: Nisi cum excusando dicere velis cum Gloss. ibid. Ioan. Maiore in 4. distinct. 15. quæst. 19. Petr. Nau. lib. 2. c. 3. num. 32. voculam *absq; eo* non sumi exclusiuè, sed inclusiuè; vt sensus sit, etiam vbi castitas periclitatur: quo modo sumitur Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet.*

S. Augustinus verò has fœminas non tantùm à peccato; sed etiam ab errore excusat. *Quid enim*, inquit, *si hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ? non errantes, sed obedientes: sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere. Cùm autem Deus iubet, seque iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet?* Quod ipsum de aliis Sanctis dici potest, qui zelo quodam, aut martyrij amore, suam ipsorum mortem operati sunt, sicuti de Razia legimus 2. Mach. c. 14. de S. Appollonia apud Euseb. lib. 6. c. 34. quæ seipsam in rogum iniecit, quo & absumpta fuit.

De Samsone eadem, quæ S. Augustini, sententia fuit D. Tom. quæst. 64. a. 5. Lopez verò p. 1. instruct. cap. 65. in fine, Victor. relect. de homicidio, num. 37. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 6. nùm. 33. pari modo Samsonem, quo Eleazarum 1. Machab. 6. excusari posse censent; non se ipsos peremisse per se, atque ex proposito; sed, dum aliorum iustæ occisioni incumberent, mortem propriam fortiter pertulisse. de quo Couarruuias 1. resolut. cap. 2. num. 10. ver. nono. Simili ferme ratione ait Less. cit. dub. 6. in fine, licitum esse, vt horrendam incendij deflagrationem effugias, ex alto loco desilire, quamuis cum certo mortis periculo: non enim intendis te occidere, sed dirum tormentum fuga euadere: Similique ratione excusari posse milites, qui si videant prælio nauali in hostium potestatem se venturos, nauem iniecto igne in puluerem tormentarium incendunt, seque in mare abijciunt, vt hostis crudelitatem effugiant.

4 Insuper diligenter obseruandum, aliud esse ad mortem suam actiuè concurrere, quod proximè ac directè nunquam licet: Aliud verò, propriam mortem permittere, seu ab altero iniustè inferendam fortiter perferre, aut contra vim iniustam se non defendere: hoc enim sæpe licitum: quin interdum in præcepto positum est: videl. pro Fidei, aut Religionis conseruatione: pro Reipub. salute, quippe quę præferenda est vitæ priuatæ: sicuti etiam in humano corpore quodlibet particulare membrum periculo exponitur, si id necesse sit ad totius corporis conseruationem.

Exinde resoluitur primò: Si Tyrannus ciuitatem certò oppressurus sit, nisi innocens aliquis supplicio tradatur, debet ille hosti postulanti vltro se dedere. Quod ipsum Respublica, vel Princeps non minùs quàm alia virtutum officia præcipere poterit: Si ille postea recuset, nocens iam esse incipit: vt veluti contumax ac rebellis morte affici possit: dummodo spes nulla supersit, quamuis cum multorum sanguine, Rempubl. liberandi. Ita ex communiore docet Lopez p. 1. cap. 60. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. num. 121. Mol. disp. 10. Less. cap. 9. dub. 7. num. 39. Valent. t. 3. d. 5. q. 8. p. 2. contra Sotum lib. 5. q. 1. a. 7. Cordubam lib. 1. quæstion. q. 27. in ratione 13. pro 3. opin. Addit Mol. in tali casu malum non esse, si Respub. Tyranno petenti innocentem statim directè tradat, non vt is occidatur, sed vt Respubl. seruetur: cùm hæc non sit cooperatio formalis ad homicidium, sed tantùm permissio.

Resoluitur secundò: Quòd propriam vitam à morbo vel extrinseca violentia plerumque liberare non tenemur per medium valde difficile, & insolitum: v. g. pedum sectione, medicamentis pretiosissimis. Ratio est: Quòd præceptum seruandi vitam affirmatiuum sit, non omni tempore, ac modo obligans. Ita Victor relect. de temperantia n. 9. & de homic. n. 32. Maior in 4. d. 35. q. 24. Less. lib. 2. c. 9. dub. 13. n. 96. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. n. 88.

Resoluitur tertiò: Quòd carnem moderatè affligere, vt spiritui subijciatur, non sit illicitũ, sed virtutis opus, 5
sicuti ex Apostolo colligitur 1. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Qua de re victor. de temper. n. 24. 25. Iacobus Gretserus lib. 1. de discipl. cap. 9. Sed non debet fieri cum notabili vitæ, aut virium detrimento: hæc enim est indiscreta corporis castigatio, *quæ et nocumentum afferre, et maiora bona impedire solet*, vti dicitur in summar. nostrarum constitut. §. 48. & consentit c. non mediocriter, de consecrat. d. 5. & docent Caiet. 2. 2. q. 147. art. 1. Sairus in claui, lib. 7. c. 9. n. 32. Pet. Nau. cit n. 88. vbi aiunt, peccare mortaliter illum, qui ieiunia, & vigilias continuat, animaduertens iis vitam notabiliter minui.

Resoluitur quartò: An, & quatenus licitum sit, martyrij occasionem præbere, vel oblatam non declinare? 6
Inprimis notandum: Quòd non is tantùm Christi martyr seu testis est, qui mortem patienter oppetit propter Euangelicę veritatis verbalem prædicationem, aut confessionem; sed etiam propter opus cuiusque virtutis non omittendum, vel malum peccati non committendum, secundùm Euangelicam doctrinam. Si quis, inquam, eligat mortem oppetere potiùs, quàm vt opus faciat secundùm Christi doctrinam prohibitum, vel opus intermittat secundum Christi doctrinam præceptum, aut commendatum. Vide quæ dixi hoc libro s. 3. n. 5.

Verùm discrimen est inter declinationem mali seu peccati, & inter operationem operis virtutis, vbi explicat Caietanus in cit. a. 5. §. In eodem quoque. Nam id, quod secundùm se & intrinsecè malum, atque negatiuo iuris naturalis præcepto prohibitum est, v. g. mentiri, aut veram Fidem negare, nullo casu licitum, & secundùm Fidem Christianam concessum est: quare quiuis obligatur mortem potiùs oppetere, adeòque propriè dictum martyrium subire, quàm vt veram Fidem abneget, vel aliud mendacium, aut quoduis peccatum, etiam veniale tantùm, committat. At verò

opera positiua, v. g. Euangelicæ veritatis prædicatio, Sacrificium, ieiunium, à carnibus abstinentia, vt bona honesta, ac laudabilia sint, non tantùm talia esse debent ex genere suo; sed etiam secundùm omnes debitas circumstantias: vt si vna earum deficiat, non opus virtutis, sed vitiosum existat: quandoquidem bonum ex integra causa; malum autem ex quouis defectu est. Quare apud infideles, aut hæreticos Euangelium prædicare, sacrificare, à carnibus abstinere, &c. cum probabili periculo mortis, ex qua non magnus Ecclesiæ fructus speratur, non prudentiæ, & fortitudinis, alteriúsue virtutis, sed potiùs temeritatis opus est; sed & contra charitatis legem; quando & infidelibus occasio peccandi præbetur, & fideles fructu spirituali, quem hominis illius ministerio percipere possent, priuantur: & ipsemet etiam ex propria temeritate periculum incurrit, ne in Fidei confessione postea deficiat, iuxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Eapropter S. Petrus Alexandrinus in canonibus de lapsis, tom. 1. Concil. ostendit, Ecclesiæ non expedire, vt quis martyrio se facilè, & absque necessitate offerat. Et in Concil. Eliberino cap. 60. legimus: *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occisus. quia in Euangelio non est scriptum, neque inuenitur ab Apostolis vnquam factum, placuit eum in numerum martyrum non recipi.* Idque etiam docuit S. August. serm. 6. de verbis Domini, cap. 11. ad Idola confringenda Christianis inuolādum non esse, nisi legitima iurisdictione præditi sint erga paganos: vel nisi Deus iubeat, seu Spiritus sanctus impellat. cuius rei exemplum habemus in Eulalia martyre, de qua Prudentius:

Inque Tyranni oculos sputa iacit:
Simulachra dehinc dissipat.

Videri etiam possunt Nauar. c. 11. man. n. 40. Sanchez lib. 2. moral. c. 34. n. 14. vbi eiusmodi temeritatem inter peccata tentationis numerant. Sed etiamsi ipsi infideles Christianum persequantur, vel ad necem quærant, interdum expedit magis fugere, vti diutius viuendo pluribus prodesse possis, secundùm verbum Christi Matth. 10. *Cum persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam:* & prosequitur S. Chrysost. orat. de fuga sua.

7 Quando verò opus, quod ex genere seu obiecto bonum, siue alicuius virtutis est, tale manet spectatis omnibus circumstantiis, considerato etiam hoc ipso mortis periculo, quod aliquis per Euangelij v. g. prædicationem, aut Missæ sacrificium incurret: tunc pro tali opere mortem patienter oppetere, propter Christianæ fidei confessionem propriè dictum martyrium est. Id verò accidit, si maior honor & gloria Dei, & proximorum spiritualis salus ex publica Fidei confessione, aut quouis alio opere Christiano secutura sit, cui meritò posthabeantur reliqua incommoda, videlicet propria mors; item permissio peccati, quod iniquus homicida committet: quippe cùm hoc non sit scandalum datum, sed merè acceptum ex opere omnimodè bono, vt ponimus. Et ita docet S. Thom. cit. q. 124. art. 3. ad 1. Syl. ver. Martyrium, Nau. Sanch. ll. cc. Viguerius cap. 6. Instit. §. 1. ver. 2.

Tametsi verò hoc casu, si, vt Syl. inquit, opportunitas sit augendi gloriam Dei, & ædificandi Ecclesiam, martyrium honestè subiri possit, ideóque in consilio sit; non tamen semper est in præcepto, vtpote affirmatiuo: præsertim, cùm opus martyrij valde arduum atque difficile existat. Sub præceptum autem cadit in casu necessitatis, quæ duplex est: Prima, Si idcirco honor Dei, vel spiritualis proximorum salus detrimentum patietur: quòd ob metum mortis, à Fide Catholica prædicanda, sacrificando, carnis abstinentia, &c. publicè abstineas. Secunda, Si ex eo, quòd Fidem v. g. publicè prædices, Sacrificium celebres cum mortis periculo, maximum diuini honoris, & Catholicæ Religionis augmentum secuturum putetur, vt lex charitatis obligare videatur mortem oppetere pro tanto bono secuturo. Vide S. Bonauent. in 3. d. 30. art. 1. quæst. 2. Valent. t. 3. disp. 1. q. 3. p. 2. dub. 1. Sanchez 2. moral. c. 4. n. 4.

RESTAT QVAESTIO. Qui seipsum interemisse repertus est, vtrum in loco sacro sepeliri possit? In c. 12. causa 23. q. 5. ex Concil. Bracarensi I. c. 54. ita legimus: *Placuit, vt qui sibi ipsis voluntariè violentam inferunt mortem, per venenum, præcipitium, suspendium, &c. nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducantur.* Similia habentur in c. quibus, 13. q. 2. vbi generatim significatur, eos, qui in notorio peccato moriuntur, sacra sepultura indignos esse. de qua re dicam infrà tract. seq. cap. 12. quæst. 5. 8

Rectè tamen obseruat Glossa in cit. c. placuit, ver. voluntariè, eum duntaxat, qui deliberata voluntate seipsum occidit, Ecclesiastica sepultura, & suffragiis priuandum esse; non etiam eum, qui ex furore, amentia. Etenim, sicut aliæ passiones, vt ira, timor, &c. interdum adeò vehementes sunt, vt animo plenam deliberationem adimant, efficiantque, vt, quod alioquin opus mortale foret, tamen ob defectum deliberationis à grauitate culpæ excusetur, ac veniale vel nullum peccatum fiat: Ita etiam contingere solet, vt vehementissima passio tristitiæ, concurrente atra bile, ita hominis animum & phantasiam occupet, vt rationis vsum eidem adimat, amentiamque conciliet. Qua de re lege, quæ scribit Llamas p. 3. methodi, cap. 2. §. 3.

Veruntamen si constet, quòd aliquis sibi ipsi mortem consciuerit, dubitetur verò, vtrum deliberatò, an ex amentia id factum sit: Ecclesiastica iura significant, & praxis Ecclesiæ obseruat, vt talis sacra sepultura, & publicis suffragiis priuatus sit: partim quia id pertinet ad Ecclesiasticæ regulæ ac disciplinæ seueritatem, & sacri loci reuerentiam: partim, quia sicut in aliis criminibus, ita & in hoc inspicitur factum per se malum: idque censetur voluntariè admissum, & pœna dignum, nisi probatio vel præsumptio contraria adsit: Veluti si vir spectatæ probitatis, aut Religionis fuerat, quem nullo modo credibile sit, tale facinus propriæ occisionis, ab inclinatione naturæ, & hominis ratione, præsertim supposita Fide Christiana, adeò abhorrens, deliberatò admittere in animum induxisse. Item, si ob antecedentem melancholiæ morbum, furori & amentiæ hominem obnoxium fuisse, viri prudentes testentur. Quòd si autem non constet, vtrum quis seipsum occiderit, an verò ab altero occisus, vel casu aliquo præcipitatus, in tali dubio non est præsumendum delictum, præsertim tam atrox & à natura alienum. Vt si aliquis in puteo mortuus reperiatur, censeri non debet se ipsum culpabiliter præcipitasse, nisi magna eius rei indicia seu coniecturæ antecesserint, sicuti tradit Couarruuias 2. resolut. cap. 1. numer. 11. Molina tract. 3. disp. 20. prope finem: Quia *non probat hoc esse, quod quandoque contingit abesse*, aiunt DD. in l. sed natales, Cod. de probat. Non rarò autem accidit, vt aliquis in puteum cadat, non à seipso voluntariè præcipitatus. Ergo, &c.

Denique hoc addo ex sententia Syluestri loc. cit. Etsi aliquis voluntariè sibi mortem consciuisset, si tamen vera signa contritionis dedit, antequam expirauit, in loco sacro sepeliri posse. Veruntamen in foro iudiciali, propter eiusmodi pœnitentiam, necesse non est remittere pœnam legibus decretam, v. g. confiscationis bonorum, si Reus delatus, metu futuræ sententiæ mortem sibi consciuit; vti videre est in l. 1. & 2. C. de bonis eorum, qui sibi mortem consciuerunt: vbi Anto-

ninus Imperator distinguens inter eos, qui *conscientia delati, admissique criminis, metuque futuræ sententiæ, manus sibi intulerunt*; & eos, *qui dolore aliquo corporis, aut tædio vitæ, vel insaniâ* vitam finierunt; illorum bona ait à fisco vindicanda esse; horum non item, sed hæredibus relinquenda.

CAP. II.

De homicidio, quod publica auctoritate sit.

SVMMARIVM.

1 *Magistratus ius habet occidendi subditos in iustam criminum vindictam:*

Item exponendi eos mortis periculo, quatenus id necessarium videtur ad Rempubl. defendendam.

2 *Proscriptum per publicam mortis sententiam cuiuis è populo occidere concessum est.*

3 *Fas non est proscripto se defendere contra iustum aggressorem, eum occidendo, vel mutilando.*

Extra territorium proscribentis fas non est proscriptum occidere.

4 *Iniquæ sunt leges ciuiles, si adulteros à priuato, puta patre, marito, occidi permittant approbatiuè; iustæ autem, si permittant solùm negatiuè, quia talem homicidam ob iustum dolorem non puniunt.*

ASsertio I. Respublica siue Magistratus non habet ius ad arbitrium suum occidendi, aut mortis periculo exponendi suos subditos. Ratio est, quia non competit ipsi dominium in corpora subditorum. Confirmatur. Nam neque domino in seruos suos ius vitæ ac necis competit, vt sine causa, legibus cognita, in eos sęuire possit, sicuti rectè iure veteri correcto, definiuit Gaius Iureconsult. in li. 1. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. Ergo multò minùs Reipubl. siue Magistratui permissum est in liberos homines tyrannidem exercere. De sæuitia autem Dominorum & Magnatum erga subditos coercenda; & quòd post admonitionem, si ab iniusta & insolita oppressione desistere nolint; feudo, vel iurisdictione priuari possint, videri potest Ioachim. Mynsing. cent. 5. obseru. 8. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 17.

1 ASSERTIO II. Respublica siue Magistratus ius habet subditos suos exponendi mortis periculo, quatenus recta ratio ostendit, necessarium esse ad Rempubl. tuendā: Præterea ius habet eosdem morte puniendi, si eorum delicta (non merè ciuilia, sed quæ verè, & coram Deo talia sunt) ita mereantur, & Reipubl. bonum efflagitet. Ita S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 2. Et contrarius error Vvaldensium fuit apud Castrum ver. occidere, hær. 1. Probatur primò auctoritate scripturæ, Exod. 22. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat*, (qui Reipublicæ curam gerit) *Dei enim minister est*. Secundò ratione: Cùm primùm enim homines in vitæ societatem coeunt, naturalis à Deo condita ratio docet, ad eius conseruationem necessarium esse; vt Communitas, vel Princeps, tanquam caput Communitatis, singulos è Republ. delinquentes ius puniendi habeat, etiam morte, si ita opus sit. Communitas enim ita se habet ad ciues singulos, sicuti se habet homo quisque ad membra singula: Atqui homo, licet non sit dominus suorum membrorum, sed custos: si tamen aliquod eorum corpori noxium esse incipiat, sęcundùm rectam rationem illud abscindit ac tollit, permittente Domino Deo, ne totum corpus patiatur, aut omnino pereat. Ergo pari ratione, qui Reipubl. curam atque custodiam gerit, eos qui eidem Reipubl. noxij esse videntur, è medio iusta ratione tollit. Vide S. Thom. cit. a. 2.

Corollarium. Quinto illo naturali pariter ac diuino decalogi præcepto, *Non occides*, solùm prohibetur occisio illicita, videlicet hominis innocentis; imò etiam nocentis, sed propria & priuata auctoritate, extra casum necessariæ defensionis, sicuti explicant Caiet. 2. 2. q. 64. a. 2. Victor. relect. de homicidio, n. 11. Pet. Nau. l. 2. de restit. c. 3. n. 4. Mol. tr. 3. disp. 5. n. 5.

Contra hanc tamen doctrinam arbitratus est Scotus in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. Omne homicidium negatiuo illo præcepto prohibitum esse: ac proinde maleficos publica auctoritate occidi non posse, nisi ob crimina per Dei dispensationem excepta; v. g. ob blasphemiam, homicidium, &c. non item ob furtum; neque in lege noua ob adulterium, sumpto argumento ex cap. 8. Ioan. *Nemo te condemnauit mulier? Nec ego te condemno*. Quam Scoti sententiam, præter rationem suprà adductam, & Doctores apud Victor. relect. de homicidio n. 11. Molin. cit. disp. 5. vel ipsa Christianarum gentium consuetudo satis refutat. Vide, si placet, de hac quæstione disputantes Henricum Gandauens. quodlib. 11. q. 18. Alphonsum à Castro lib. 1. de lege pœnali, c. 6. Maiorem in 4. d. 15. q. 27.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum bannitum seu proscriptum per publicam mortis sententiam, occidere cuiuis è populo in conscientiæ foro permissum sit? Respondetur affirmatiuè cum Soto lib. 5. de iust. q. 1. art. 3. Claro lib. 5. sentent. ver. homicidium, n. 54. Syl. Armilla, Sa ver. Bannitus, Beia p. 1. casu 43. Lactan. Finellio casu reseruato 4. n. 41. Si tamen hæ conditiones adsint: I. Vt id fiat publicæ iustitiæ zelo; non ex odio, aut priuatæ vindictæ causa. II. Ne fiat pendente appellatione, aut extra territorium proscribentis, de quo dicam q. seq. III. Excipiendi parentes, liberi, vxor, &c. qui proscriptum alere tenentur: (siquidem ius ciuile naturalia iura non tollit) tantùm abest vt occidere possint; nisi actualis ille Reipubl. hostis existat, sicuti notauit Clarus n. 59. 2

Nunc probatur responsio. Cùm enim Reipubl. intersit de malefactoribus, vel hostibus suis pœnam mortis sumere: id autem efficere non possit, postquam Reus aufugit, nisi publicam facultatem omnibus tribuat occidendi malefactorem: poterit quandoque si res exigat, hanc facultatem dare: & consequenter quiuis è populo eandem accipere, & exercere. Rectè tamen monet Mol. tr. 3. disp. 7. quòd rarò, & non nisi ob grauem causam eiusmodi sententiam contra proscriptos pronunciare expedit: cùm ob alia incommoda, tùm quòd ferme Sacramentis destituti in peccatis mortalibus decedant. Vide etiam Pet. Nau. lib. 2. c. 3. n. 218.

Sed nunquid proscriptus se defendere potest, aggressorem suum, si ita opus sit, mutilando, occidendo? Affirmat Clarus n. 71. Quia vtitur naturali iure defensionis, quo per Iudicis sententiam spoliari non posse videtur. Sed communis sententia, teste ipso Claro, negat, quam tuetur Azor t. 3. lib. 2. c. 1. q. 11. Sa ver. Bannitus n. 4. Et rectè: Nam si aggressor, velut publicæ iustitiæ minister, ius habet occidendi proscriptum (quod supponimus, & omnes fatentur) consequens est, quòd proscriptus ei iniuriam inferat, & publicæ potestati resistat, si se defendendo aggressorem mutilet, vel occidat. *Non enim est permissa defendendi facultas, vbi offendendi est data libertas*, aiunt DD. in l. 1. C. Quando liceat vnicuique sine iudice se vindicare. Cōfirmatur. I. Nam alioquin etiam fateri cogemur, licitum esse Reo publicos lictores, vel Carnificem, à quibus ad carcerem, vel supplicium ducitur, propriæ vitæ saluandæ causa occidere. quod nemo vnquam dixit. Confirmatur II. Alioquin fateri cogemur, dari posse bellum ex vtraque parte per se ac formaliter iustum, seclusa ignorantia: quod omnes negant. 3

His adde, quòd in l. 1. & 2. cit. tit. Cod. facultas vni-

cuique concedatur occidendi eos, qui itinera insidiis aggressionis obsederint: Et milites desertores capiendi; sin autem resistant, etiam occidendi.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum licitum sit publicè proscriptum data, cuiuis occidendi facultate, ex ita proscribentis territorium occidere v. g. clam, aut per insidias? Hæc quæstio apud IC. valde controuersa est, vti videre licet apud Clarum lib. 5. sent. ver. homicidium, n. 66. ver. Vlteriùs quæro. Graffis p. 2. decision. c. 62. n. 57. qui expresè concludit; bannitum seu proscriptum per sententiam iustam, vbique, etiam extra territorium proscribendis, occidi posse. Hoc ipsum docet Prosper Farinacius in pract. criminali, p. 3. q. 103. num. 213. de eo duntaxat, qui ob crimen læsæ Maiestatis proscriptus est. Sed contraria est Theologorum sententia, Syl. ver. homicidium, 1. q. 3. n. 7. Armillæ ver bannitus, n. 1. in fine, Sa eodem ver. n. 1. Azorij p. 3. lib. 2. c. 2. q. 3. Tol. l. 5. c. 6. n. 18. Quòd nullus Princeps, seu Magistratus erga vllum malefactorem, aut proscriptum sententiam iustitiæ exercere possit, extra fines territorij sui, nisi vel expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia habeatur eius, qui in alieno territorio potestate præditus est. Hæc sententia videtur mihi vera, & sumitur ex l. vlt. ff. de Iurisdictione omnium Iudicum, & c. 2. de Constitut. in 6. vbi notant DD. communiter, quòd nullus Iudex, aut Magistratus ius dicere, aut iustitiæ sententiam exequi possit, extra territorium suum. Profectò qui in alieno territorio clam, aut per insidias proscriptum è medio tolleret, tanquam homicida iustè puniri posset, vti Syl. ibidem docet.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum iustæ sint leges ciuiles, quæ patri ius dant occidendi adulterum cum filia, quam pater in potestate habet, vt videre est l. patri, & seqq. ff. ad l. Iul. de adulter. Item marito occidendi adulterum cum vxore deprehensum, si vilis persona sit.

4 Respondeo, & dico I. Tales leges iniquas fore, si id permittant approbatiuè, sicuti constat ex c. inter hæc, 33. q. 2. & docet S. Aug. lib. 2. de adult. coniug. c. 15. S. Thom. in 4. d. 37. q. 2. a. 1. Henr. Gandauensis quodlib. 5. q. 31. Sotus lib. 5. q. 1. a. 3. Couar. in epit. p. 2. c. 7. §. 7. num. 12. Tholos. lib. 36. Syntag. c. 6. Mol. tr. 3. disp. 7. Less. lib. 2. c. 9. dub. 5. contra Clarum n. 50. Ratio est, quia *non est singulis concedendum, quod per Magistratum publicè potest expediri*, reg. 136. ff. Et inauditum ac in auditum ac non condemnatum à priuato occidi, nulla æquitas patitur, sicuti sumitur ex l. 2. ff. ad legem Corn. de sicariis, l. vlt. C. de malef. & mathem. Accedit, quòd Christianæ charitatis legi aduersatur, hominem adeò imparatum & impœnitentem subitò occidi.

Dico II. Eiusmodi leges iniquæ non sunt, si id permittant solùm negatiuè, quatenus in tali casu pœnam homicidæ non decernunt, neque actionem contra eum seu ciuilem, seu criminalem recipiunt; idque partim ad absterrendos homines à crimine adulterij; partim ob circumstantiam iniuriæ ac iusti doloris, quem in tali casu temperare difficillimum est, sicuti dicitur in l. si adulterium, §. Imperator, ff. ad l. Iuliam de adult. Qua eadem ratione etiam sacri canones excommunicationis sententiam ab eo remouent, qui in Clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia turpiter inuentum manus iniecerit violentas, sicut constat ex c. si verò, 1. de sent. excom. Atque ita docet Mol. tr. 3. disp. 99. in princ.

CAP. III.

De homicidio ob defensionem.

SVMMARIVM.

1 *Actualem sui aggressorem occidere volentem, quilibet præuenire & occidere potest, cum moderamine inculpatæ tutelæ.*
2 *Vir nobilis & militaris, licet fuga declinare possit impetum aggressoris, plerumque tamen non obligatur.*
3 *Prouocato ad duellum plerumque non est licitum comparere, seu acceptare.*
4 *Non solùm pro defensione vitæ, aut honoris; sed etiam facultatum, quæ non modici momenti sunt, & alia ratione liberari non possunt; concessum est aggressorem, vel raptorem mutilare, interficere.*
5 *Si quis ius habeat aggressorem, vel raptorem defensionis causa occidendi, etiam alijs concessum est vim passo opem ferre. Quin interdum obligatio incumbit; seu ex charitatis; seu ex iustitiæ lege.*

ASsertio I. Actualem aggressorem iniustè occidere volentem, inuasus quilibet præuenire, & occidere etiam in conscientiæ foro potest; tamen cum moderamine inculpatæ defensionis. Ita S. Thom. q. 64. a. 7. Victor relect. de homic. n. 17. Maior in 4. d. 15. q. 20. circa 4. obiectionem, contra 1. conclus. Sotus lib. 5. de iust. q. 1. a. 8. Couar. in Clem. si furiosus; p. 3. §. vn. Nau. c. 15. n. 2. Clarus §. homicidium, n. 30. Less. lib. 2. c. 9. dub. 8. Pet Nau. lib. 2. c. 3. n. 332. & 347. Mol. tr. 3. disp. 12. Quamuis aliter de hac re sensisse videatur S. August. lib 1. de libero arbitrio, c. 5. & epist. 154. ad Publicolam. qui locus refertur c. de audiendis. 23. q. 5. Probatur ex l. sententiam, §. qui cùm, ff. ad l. Aquil. c. significasti, 2. de homic. c. si verò, 1. de sent. excommun. quibus dicitur: *Vim vi repellere, omnia iura, omnesque leges permittunt.* Quod & significatur in c. ius naturale, d. 1. & in l. 3. ff. de iust. & iure: *Iure hoc euenit, vt quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur*: vbi perperam glossator Accursius commentatus est, *Iure scilicet fori, non cœli.* Ratio est: Quia secundùm ordinem charitatis, quisque propriam vitam præferre potest alienæ: dummodo agatur de bono priuato tantùm, non etiam publico. Nam sicuti fieri potest, vt non tantùm liceat, sed etiam debeas te defendere ab aggressore homuncione vili, si tu Reip. valde vtilis sis; sic etiam fieri potest, vt tenearis potiùs mortem innocens perferre, quàm interimere aggressorem Regem, Ducem, si ex ipso salus Reipublicæ, aut Religionis Catholicæ plurimùm pendeat. Qua de re Sotus l. c. Mol. disp. 14. Sairus lib. 7. c. 10. n. 26.

Existimant autem S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. & Caiet. ibid. & in sum. ver. homic. Henricus Gandauens. quodl. 5. q. 31. Illicitum esse, si priuatus in tali casu necessariæ defensionis intendat occisionem aggressoris: quam doctrinam refutat Sotus cit. a. 8. Nauar. c. 15. num. 2. sed fortasse aliud illi non voluerunt, nisi quòd priuatus intendere non possit hominis occisionem per se: (quia hoc ad publicam potestatem pertinet) sed solùm per accidens, & quatenus præcisè requiritur ad sui tutelam seu defensionem iustam, quæ naturali iure cuilibet permissa est: & consequenter se extendit ad tollenda obstacula seu impedimenta. Vide etiam Petr. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 339. Vasq. de restitut. cap. 1. dub. 6.

Porrò in quo consistat moderamen inculpatæ tutelæ, *Ein rechtmessige Notwehr*, optimè ait Abbas in c. olim. 1. num. 14. de restit. spoliatorum, boni viri arbitrio relinquendum esse: si videlicet aliquis, consideratis circumstantiis loci, temporis, personarum, &c.

contra aggressorem, vel insidiatorem modo faciliore, benigniore defendere se non posse rationabiliter existimat, quàm ita ipsi resistendo, præueniendo. Vide etiam Alexandr. de Neuo super Abb. in c. significasti 2. de homic. lit. d.

His adde primò: Quod de actuali aggressore dictum est, idem sentiendum de iniusto insidiatore vitæ, cuius insidias si alia ratione effugere non possis, fas erit eum occidendo anteuertere, secluso grauiore scandalo, alióue incommodo, sicuti docet Ioan. Faber tit. Instit. de iure naturali, gentium, & ciuili, §. ius autem, Molin. tr. 3. disp. 12. Less. cit. dub. 8. num. 44. Nauar. c. 15. num. 3. §. credimus, & alter Nauar. lib. 2. c. 3. num. 351. & 359.

Adde secundò; Non tantùm aggressorem, vel insidiatorem vitæ, sed quamuis alium etiam innocentem occidi posse per accidens, si obstaculum vitæ saluandæ alicui præbeat; v. g. dormiens in via iacens, qui necessariò proculcandus sit à fugientibus hostem, sicut rectè docent Caiet. 2. 2. q. 67. art. 2. ad 1. Corduba lib. 1. quæstion. q. 38. dub. 2. quamuis contradicat Pet. Nau. lib. 2. c. 3. n. 135.

2 ASSERTIO II. Vir nobilis, Miles, &c. etsi fuga declinare possit impetum aggressoris, plerumque tamen non tenetur. Quæ est communis DD. sententia Abb. c. olim, 1. num. 17. de restit. spoliatorum, Maioris loco suprà cit. Tiraquelli cap. 20. de nobilit. num. 64. Clari §. homicidium num. 26. & 32. Soti cit. art. 8. dub. vlt. Nauar. c. 15. man. num. 4. Arragon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. Sairi lib. 7. c. 10. dub. 8. Vasq. in moral. de restit. cap. 2. §. 1. dub. 8. Less. loc. cit. licet dubitet Couar. in Clem. si furiosus, p. 3. §. vn. num. 4. Ratio verò est: Quia huiusmodi hominibus fuga plerumque ignominiosa est. Quare aliud sentiendum de ignoto, aut infimæ sortis homuncione, qui fugiendo exiguam honoris sui iacturam passurus sit: Item de Religiosis, ac Clericis, quorum laus non in vsu armorum, sed virtutum charitatis, humilitatis, ac patientiæ consistit, sicuti ex cõmuni docet Couar. in cit. §. vn. num. 4. Abbas c. suscepimus, num. 4. de homic. Maior loco cit. Cùm verò Doctores apud Couar. & Tiraquel. omnem laicum fugiendi obligatione liberant, loquuntur de foro externo; quamuis ne hîc quidem consentiant.

Illud verò certius est, tam Ecclesiasticum, quàm secularem, quem fugere oporteret, si non fugiat, sed aggressori resistat, suique defendendi causa eundem mutilet, vel occidat, ad damni compensationem neque in externo, neque interno foro obligari. Cuius ratio est, quia aggressori propriè iniuriam non infert: quandoquidem is vltro in tale periculum se confert; & quantùm in ipso est, potestatem facit inuaso sui defendendi.

Sed quæstio est. Vtrum prouocatus ad singularem pugnam, seu duellum acceptare possis, ne ignauiæ aut timiditatis notam apud alios incurras? Aliqui affirmant apud Bannes quæst. 64. art. 7. dub. 3. Quia sicut ab hoste fugere, ita etiam prouocanti se non sistere, timiditatis & ignauiæ nota est: quam aliquis à se remouere poterit.

3 Sed contraria sententia est communis Bannes cit. dub. 3. Soti cit. art. 8. dub. vlt. Petr. Nauarri lib. 2. cap. 3. num. 286. Rodriq. tom. 1. sum. cap. 73. conclus. 1. Molinæ tract. 3. disp. 17. Lessij cap. 9. dub. 12. num. 84. Sanchez lib. 2. moral. cap. 39. num. 9. Becani 2. 2. cap. 26. quæst. 5. Ordinariè non esse licitum prouocato ad duellum id acceptare: Quia nemo prudentum vitio tibi vertet, quòd legem Dei obserues, hominisque occidendi periculum absque iusta necessitatis causa non adeas: Imprudentium autem & vanorum hominum iudicia in re adeò graui attendenda non sunt. Nam multi etiam ex vulgo imprudenter iudicant, decorum esse de accepta iniuria vindictam sumere propria auctoritate: non ideo tamen id licitum efficitur. Neque simile est de fuga: ea enim homini nobili, aut militari ignominiosa æstimatur. Sed ad duellum prouocatus aliud medium eligere potest, videlicet vt neque fugiat, neque congrediatur: sed dicat, paratus sum me defendere, quandocunque me aggressus fueris: sed ex condicto duellum acceptare non possum: cùm id diuinæ legi, & iusto etiam Magistratus præcepto aduersetur.

Dixi autem *ordinariè*. Nam si in rarissimo casu eo loco res sita sit, vt Miles in exercitu, Vir equestris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis fauore, ob ignauiæ suspicionem, excidere debeat, nisi identidem prouocanti se sistat; non audeo damnare eum, qui meræ defensionis gratia paruerit, iuxta doctrinam Nauar. c. 15. n. 3. & 4.

Idemque sentiendum, si ad pugnandum lacessens alterum, crebra conuitia & contumelias adijciat; qua ille molestia & subeundo dedecore aliter liberare se non possit, nisi armis congrediatur. Nam si ob defensionem bonorum hominem mutilare, vel occidere fas est; multò magis, si ita necesse sit ad defendendum honorem, vel auertendam contumeliam: quandoquidem honor pluris valet, quàm fortunæ bona: & iniuria personæ maior est, quàm fortunarum damnum, vti annotauit Nau. cit. n. 3. & Abb. in cit. c. olim, n. 17. Dummodo spes sit contra iniustum aduersarium præualendi: Alioquin illicitum erit, certo mortis periculo se exponere ad vitandum dedecus, quod non ex hominis delicto, sed ex vulgi sinistra opinione prouenit. Sicuti enim vita maius hominis bonum est, quàm honor & fama apud homines; ita & mors maius malum est, quàm ignominia, & dedecus, quod ab hominibus alicui, præsertim Christiano, sine eius culpa irrogatur: quia vti gloria quæ apud homines est, non apud Deum, vera gloria censeri non debet: ita & dedecus seu ignominia. quod notauit Pet. Nau. lib. 2. c. 4. num. 17. Quin & verus honor, qui ex virtute nascitur, maius bonum non est, quàm vita corporis, per se loquendo: Adeò, vt si quis, retenta virtutis constantia, ignominiam aliquam, vel criminis suspicionem falsò incurrere debeat, potiùs illam sustinere oporteat, quàm vt vita prodigatur, sicuti bene docet Nau. c. inter verba, 11. q. 3. concl. 4. n. 25. vbi ait: Quòd vulgi error est, pro honore moriendum esse.

Denique, licet post acceptum vulnus, alapam, aliámue contumeliam, cessante periculo vlterioris plagæ, vel ignominiæ accipiendæ, aduersarium percutere plerumque nefas sit: quia talis percussio, post illatam & non ampliùs impendentem violentiam, non defensio, sed vltio censenda est, quam constat priuata auctoritate illicitam esse, iuxta c. significasti, 2. de homic. *Vim vi repellere, omnia iura legesque permittunt, &c. non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam*: Tamen si vir strenuus, seu militaris illatum sibi dedecus ex alapa v. g. nulla alia ratione à se remouere possit, quàm incontinenti repercutiendo, non prohibetur id agere. Nam sicuti furi, vel latroni non tantùm resistere licet, ne bona fortunæ iniustè auferantur: sed etiam eundem persequi, vt ablata recuperentur: ita etiam se res habet in defensione honoris, sicuti probabiliter docent Nauar. c. 15. man. num. 4. Victor. relect. de iure belli, num. 5. Pet. Nauar. lib. 2. c. 3. num. 381. vbi rectè id limitat, nisi qui contumeliam intulit, pœnitentia motus satisfactionem offerat, veniam petat, &c. Vide tamen Lessium c. 9. dub. 12. num. 79. & 82. qui bene monet, hanc doctrinam in praxi rarissimè locum habituram: quòd vix accidat, percussionem esse medium idoneum atque necessarium ad honorem tuendum: quare etiam in externo foro tales, tametsi mitiùs, puniri solent, qui ob illatam contumeliam percutiunt, vel occidunt, teste Gomez 3. resol. cap. 3. n. 24. Mol. tr. 3. disp. 17.

ASSERTIO III. Non solùm pro defensione vitæ, ac honoris, (sicuti ex duabus antecedentibus assertionibus

bus constat) sed etiam facultatum, quæ non modici momenti sunt, & alia ratione liberari, aut recuperari (v.g. per viam iudicij) non poterunt, permissum est aggressorem, vel raptorem vulnerare, interficere. Ita colligitur ex c. 2. de homic. & c. dilecto, de sent. excom. in 6. & docet S. Anton. p. 3. tit. 4. cap. 3. §. 2. Maior cit. d. 15. quæst. 20. circa 4. obiect. Syluest. ver. bellum, 2. qu. 2. & ver. excommunicatio, 6. §. sciendum est quartò, dicto 9. Caiet. 2. 2. quæst. 64. art. 7. ad 2. Sotus cit. a. 8. Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 397. Couar. p. 3. Clem. si furiosus, §. vn. num. 6. Clarus ver. homicidium, num. 25. Lessius dub. 11. Medina quæst. 4. de restit. in princ. Molin. tract. 3. disput. 16. & 17. contra Abb. & alios quosdam in cit. c. 2. de homic. apud Couar. cit. n. 6.

Extendi debet assertio primò; Vt non tantùm in laico locum habeat; sed etiam in clerico, arg. cit. c. dilecto, & c. olim, 1. de restit. spoliatorum: etsi contrarium doceat Abbas c. suscepimus, de homic. n. 1. & Glossa causa 23. q. 3. in princ. Secundò, Non tantùm si res suas liberare conanti raptor resistat; sed etiamsi non resistat, ac fugiat, v. g. in equo quem rapuit, sicuti docent Syl. cit. dicto 9. Mol. cit. loco. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. num. 409. contra Couar. cit. §. vn. n. 6. ver. nonò. Ratio est, partim quòd naturæ lex ad propriam sui defensionem contra iniustum inuasorem inclinata, id permittat: partim quòd ciuiles etiam constitutiones eiusmodi facultatem omnibus tribuant, sicuti constat ex l. 12. tabul. apud IC. in l. 4. ff. ad l. Aquil. Quod & ipsum confirmat Rerumpub. consuetudo, bella cùm offensiua, tum defensiua, bonorum fortunæ causâ, vsque ad hominum occisionem mouentium: Nam alioquin scelerum impunitas improbos ad peccandum audentiores redderet.

Neque obstat primò, si quis obijciat, vitæ proximi cùm spirituali, tum corporali, secundùm ordinem charitatis, posthabenda esse externa fortunæ bona. Respondetur enim, id verum esse, si proximus in morali necessitate constitutus sit; non item, si sponte per malitiam in talem se miseriam conijciat.

Neque obstat secundò, quòd iura significant, furem nocturnum quidem impunè occidi, non item diurnum, nisi telo se defendat: sic enim habetur in l. 4. ff. ad l. Aquil. & l. furem, ff. ad l. Corn. de sicariis: Cui consonat lex Exodi cap. 22. & c. si perfodiens, de homic. Respondetur: Neque nocturnum furem, quamuis armatum, semper occidere fas esse: quia, si cùm posset eum aliquis apprehendere, maluit occidere, magis est, vt iniuriam fecisse videatur, vti dicitur in l. 5. ff. ad l. Aquil. Contrà, furem diurnum, quamuis inermem, interdum occidere nefas non est: si videl. eum apprehendere, atque res tuas ab eo liberare non possis. Verùm hoc interest, quòd fur diurnus, si inermis sit, plerumque citra vulnerationem capi, aliáve ratione res ab eo recuperari potest: in fure nocturno autem ferme discerni nequit, occidendine animo, an solùm rapiendi accesserit: tunc verò periculi declinandi causa, nisi clamore homines acciri possint, impunè occiditur. Atque huius discriminis causa leges citatæ definiunt, magis nocturnum, quàm diurnum furem occidere fas esse, sicuti indicat l. 4. ff. ad l. Aquil. & bene explicant Pet. Nau. lib. 2. c. 3. num. 402. Medina cit. quæst. 4. de restit. circa princ.

5 Assertio IV. Cùm quis ius habet defensionis causa aggressorem, vel raptorem mutilare, vel occidere, aliis quoque licitum est vim passo assistere, & auxilium ferre, sicuti ex communi docet S. Anton. l. c. Abb. in c. olim, 1. num. 18. de restit. spoliat. Io. Faber tit. Instit. de iure natur. gent. & ciuili, §. ius autem, Mol. tract. 3. disp. 18. Less. dub. 13. Quin etiam sæpe aliquis ex charitatis lege obligatus est ad auxilium ferendum innocenti contra nocentem, si absque magno suo incommodo possit, sicuti docui lib. præcedente tr. 3. c. 3. num. 5. & tradit Maior cit. loco ante 5. obiect. Ex iustitia autem ad id obligantur Principes & Magistratus erga suos subditos, v.g. vt regionem, & vias publicas tutas à latronibus reddant. qua de re Mynsing. cent. 5. obseru. 70. item Vasalli, Milites erga dominos suos; denique ex lege pietatis liberi erga parentes; & è contrario, parentes erga liberos: qua de re Less. cit. dub. 13. Mol. tract. 3. disp. 33. memb. 5. qui ait num. 9. Famulos mercede conductos non ad pugnandum; sed ad alia obsequia, si negligant dominum suum defendere, vel à morte liberare, propriè non peccare aduersus iustitiam; sed aduersus charitatem, gratitudinem, moralemque honestatem; ideóque non teneri pœna homicidij, sed alia arbitraria, licet grauiore, quàm si alius quispiam, cùm potuisset iniustam occisionem impedire, neglexisset. Sed bene admonet Less. lib. 2. c. 9. num. 94. multos esse famulos conductitios, qui eo tacito pacto conducuntur, vt dominum contra iniquos aggressores defendere teneantur: qui proinde contra iustitiam peccabunt, id negligendo: multóque magis, si intelligentes, necem iniustam domino parari, id reuelare intermittant: quemadmodum etiam ciues obligantur, si proditionem contra Principem intelligant, indicare, vt impediatur, vti iterum dicam cap. seq. n. 7.

CAP. IV.

De homicidio voluntario, & casuali.

SVMMARIVM.

1 *Homicidium aliud est casuale, & aliud voluntarium; idque vel directè, vel indirectè. Idem est, si dicas, homicidium vel casu fieri, vel culpa, aut dolo.*

2 *Homicidium in ebrietate interdum omni culpa vacat; interdum verò indirectè voluntarium est, ideoque culpabile; minùs tamen, quàm si directè volitum esset.*

3 *Qui mulieri abortum procurat, si fœtus animatus fuit, verè homicida, atque irregularis existit.*

4 *Si fœtus animatus non est, faciliùs permittitur, propter matris salutem, medicinis eum expellere.*

5 *Suadens, aut mandans homicidium iniustum fieri; crimine & pœnis patrati homicidij tenetur.*

Inter mandantem, & consulentem dispar ratio est.

6 *Qui homicidium suo nomine patratum postea ratum habet, licet alias iuris pœnas incurrat, non tamen irregularitatem, neque damni resarciendi obligationem.*

7 *Qui hominis necem, cùm facilè posset impedire, negligit, irregularitatem non contrahit; nisi ex iustitia obligatus fuerit ad defendendum.*

8 *Quædam personæ specialiter obligatæ sunt ad impediendam iniustam necem, videl. Principis, parentis sui.*

HOmicidium, extra casum necessariæ defensionis, à priuato vel casu committitur vel voluntate. 1
Quod vero casu fit, omni culpa vacat. Casu autem fieri dicitur, quod & præter operantis intentionem, & rarò ita euenit. Veluti si æditus, (quamuis interdicti tempore, & non sine peccato) campanam pulsârit, quæ delapsa hominem contriuit, casuale erit & inculpatum homicidium, sicuti habetur in cap. ex literis, 2. de homicidio. Neque enim interest, licitáne, an illicita sit operatio, vnde hominis occisio per accidens prouenit, teste Caietan 2. 2. quæst. 64. a. 8. Soto lib. 5. quæst. 1. a. 9. vers. Imò verò, Nauar. c. 15. man. num. 6. Less. cap. 9. dub. 15.

Quod voluntate fit homicidium duplex est: Vel enim directè & expresè volitum est, dicitúrque homicidium ex proposito, ac plenè voluntarium: Cui æquiparari debet primò, quod volitum est in causa admodum propinqua, vnde mors suapte natura consequi solet;

quale est, inquit Nauar. cap. 27. num. 240. ferire punctim circa præcordia, vel cæsim circa caput, quamuis sine directo occidendi proposito. Secundò æquiparari debet, si quis ex iustitia teneatur impedire homicidium (v.g. nauta naufragium) & cùm facilè possit, nullum tamen omnino impediendi conatum adhibeat: Nam hoc casu dolus non omnino abesse censebitur.

Vel volitum est homicidium indirectè, & interpretatiuè, interueniente culpa, sed non dolo. Quod duobus modis contingit: I. Si quis euentum homicidij ex iustitiæ lege impedire teneatur, videl. nauta naufragij, atque tantum, quantum posset, ac deberet, non adhibendo conatum, negligat: qua de re Couarruu. Clem. si furiosus, p.2. §.2. num.8. Mol. disp.33. memb.5. num.3. II. Si quis eiusmodi actionem exerceat, ex qua hominis occisionem non rarò consequi nouit, & ob id actionem intermittere, vel aliter ac maiore cautione instituere deberet; homicidium inde prouemens indirectè atque imperfectè voluntarium censebitur; ideóque magis venia dignum, quàm si ex proposito factum esset, iuxta l.1. §. Diuus, ff. ad l. Cornel. de sicariis.

Igitur in homicidio ante omnia Iudex tam in foro interno, quàm externo, attendere debet; Casúne, an culpa, an dolo factum sit. Dolus malum occidendi propositum continet: punitúrque Cæsareo iure homicidium ex proposito capitis amputatione. Nobiliores tamen mitiùs puniuntur, & in insulam deportantur, iuxta l.3. §. vlt. ff. eod. & videri potest Couarruu. lib.2. resolut. cap. 9. Gomez 3. resol. cap. 3. num. 1. Molina tract. 3. disput. 21. vbi testatur, multorum regnorum consuetudine etiam nobiles ob hoc crimen capite puniri.

Loquor autem de homicidio simplici. Nam qualificatum, cuiusmodi est parricidium (voluntaria inquam cædes ascendentis, vel descendentis, iuxta l. vn. Cod. de his qui parentes, vel liberos occiderunt) grauiùs puniri solet. Parricidio annumeratur primò, occisio vxoris, vel mariti, iuxta l.1. ff. ad l. Pompeiam de parricidis. Secundò, occisio fratris, vel sororis, aliorúmque consanguineorum vsque ad quartum gradum, teste Gomez lo. cit. num.3. quamuis non par pœna imponi soleat; sed pro diuersitate delicti, ex maiore vel minore coniunctione æstimati, sicuti docet Mol. tract. 3. disput. 26.

Præterea aggrauatur voluntarium homicidium ex modo occidendi: I. Si quis ex insidiis hominem occidat, vt cauere sibi non possit: adimitur enim illi ius naturale sui defendendi. de qua re l. vltim. Cod. qui accusare non possunt. Huc pertinet, si quis aliquem veneno interficiat, iuxta l.1. Cod. de malef. & mathem. vbi dicitur: *Plus est hominem extinguere veneno, quàm occidere gladio.* II. Si quis ab altero, pretio, vel præmio conductus hominem interficiat: partim quia magis ignoscitur illi, qui ira & inimicitia instigante hominem inuadit, quam qui pecuniæ cupiditate in alterius gratiam, argum. l. Cicero, ff. de pœnis: partim quia inuasus plerumque ad sui defensionem imparatus est contra eum, quem nulla cum ipso antecedente inimicitia, suspectum non habet. Vide Gomez num. 10. Molin. tract. 3. disp. 25.

Qui per culpam, quamuis latissimam (non enim hæc in delictis æquiparatur dolo, sicut constat ex l. in lege Cornelia, 7. ff. ad l. Cornel. de sicariis, & docet Gomez num. 16. Clarus lib. 5. sent. §. fin. q. 84. num. 71. Mol. disp. 21. num. 1.) hominem interimit, non ordinaria homicidij pœna afficiendus; sed Iudicis arbitrio puniendus est secundùm proportionem culpæ, iuxta l.1. §. Diuus, & l. 3. ff. eod. tit. Porrò grauitas, aut leuitas culpæ à Iudice æstimari debet secundùm quantitatem periculi, ex genere & qualitate facti, personæ, instrumenti, &c. sicuti docet Gomez num. 17. ex cit. §. Diuus, & l. omne delictum, §. si quis commilitonem, ff. de re militari, & c. sicut dignum, c. significasti, 2. de homicid. Denique quod mero casu homicidium committitur, nullam pœnam meretur; cùm extra omnem culpam sit.

QVÆSTIO PRIMA. Quid sentiendum de ebrio hominem interficiente? Respondeo & dico I. Qui in ebrietate inuoluntaria, & inculpata hominem occidit, extra omnem culpam, nulláque pœna dignus est. Talis erat ebrietas Noe, nondum agnoscentis vini virtutem, Genes. 9. vbi S. Chrysost. hom. 29. Theodor. q. 69. Et quod de ebrio dixi, eadem ratione dicendum de infante, amente, dormiente; si in tali dispositione cædem faciant, teste Claro §. fin. q. 60. n. 1. Couar. Clem. si furiosus, p.3. initio, Molin. tr.3. disp.38. Andr. Gaill. lib.2. obseru. 110. 2

Dico II. Qui voluntariè & non sine culpa se inebriauit, si animi propensionem, & rixandi in ebrietate consuetudinem suam perspectam habens, homicidij periculum suspicatus fuerat, duplicis quidem peccati reus est, videlicet intemperantiæ, & iniustitiæ; vt alicui pœna duplici dignus videri possit, sicuti legimus apud Aristotelem 3. Ethic. cap. 5. Veruntamen commisso in ebrietate homicidio, non ordinariæ, sed arbitrariæ pœnæ subiectus est, iuxta l. omne delictum, §. per vinum, ff. de re militari, & docent Clarus, Couarruuias, Molin. ll. cc. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 1. diffic. 8. num. 74. Less. lib. 4. c. 3. dub. 3. num. 26. Ratio est, quia tale homicidium non est ex proposito, siue voluntarium directè; sed indirectè tantùm, & in causa sua culpabile. Quare si aliquis cognitam habens propensionem suam, ideo se inebriasset, vt hominem occideret, secuto effectu, tanquam voluntarius homicida, ordinaria pœna afficiendus foret, teste Couar. n. 3. Mol. n. 5.

Dico III. Qui culpatè se inebriauit, sed de homicidij periculo nihil suspicatus fuit, quia antea expertus non erat, se inebrietate ad pugnam inclinatum esse; secuto infelici cædis euentu, non est de crimine homicidij arguendus; aut puniendus. Ita docet Castro lib. 2. de lege pœn. cap. 14. conclus. 1. Gutierez lib. 2. can. qq. c. 4. num. 95. Caiet. 2. 2. q. 150. a. 4. Couar. l. c. num. 4. Molin. num. 8. Less. num. 27. Vbi rectè etiam negant, eiusmodi homicidam irregularem fieri, contra Syl. ver. homicid. 3. q. 4. Probatur: Tale homicidium neque est directè voluntarium, vt patet, neque indirectè, & in causa; nam vt aliquid ita voluntarium censeatur, necesse est, effectum vt plurimùm, aut frequenter coniunctum esse cum aliqua voluntaria operatione: alioquin non censebitur effectus per se, & secundùm intentionem virtualem; sed casualis ac per accidens. Atqui hominis occisio nec vt plurimùm, nec frequenter, sed valde rarò cum ebrietate coniuncta est. Ergo non voluntarium, sed casuale & inculpatum homicidium censeri debet. Peccauit quidem ille peccato intemperantiæ quatenus ebrius; sed non contra iustitiam peccato homicidij; vtpote de quo nec cogitauit, nec probabiliter cogitare poterat, aut debebat. Qua eadem prorsus ratione S. August. lib. 22. contra Faustum cap. 44. factum Loth Genes. 19. excusat: *Inebriauerunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem, non quantùm ille incestus; sed quantùm illa merebatur ebrietas.* refertur causa 15. q. 1. & consentit S. Ambros. lib. de Abraham c. 6. & refertur c. sanè, ead. q. Orig. hom. 5. in Genes. Hieron. ad Eustoch. de custodia virginit. Hoc fateor, si in aliqua Repub. consuetudo sit ebrios puniendi, ob euentum homicidij in externo foro pœnam augeri posse, iuxta c. aut facta, §. euentus, d. 1. de pœnit. & legi potest Bartolus in l. aut facta, cit. §. euentus, ff. de pœnis.

QVÆSTIO SECVNDA. Quid sentiendum de procurante abortum? Respondeo & dico I. Qui malitiosè

impedit,ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, non verè, ſed quaſi homicidium committit,ac mortaliter peccat. Sumitur ex c. ſi aliquis,&c.ſicut ex literarum, de homicid. iuncto c. quod verò, 32. q.2.l. Diuus, ff.de extraordin.criminibus, l. Cicero, ff. de pœnis, & docet Nau. c.ſi quis necandi, d. 1. de pœnit.num.3. Gomez 3.reſol.c.3.num. 32. Couar. Clem.ſi furioſus, p.2.§.3.num.1. Mart. Nauar.c.16.num.33. Pet. Nauar.lib.2.c.3.num.141.Leſſ.lib.2.c.9.dub.10.Sanch. lib.9.de matrim.diſp.20.num.10.vbi ait,nullo fine bono cohoneſtari poſſe ſumptionem portionis, qua prolis conceptio impediatur. Ratio eſt, quam Tertull. attigit in Apolog. cap.3. *Homicidij feſtinatio eſt, prohibere naſci. Nec refert,natam quis eripiat animam, an diſturbet naſcentem: Homo eſt qui futurus eſt: nam fructus in ſemine eſt.*

3 Dico II. Qui fœtum animatum enecat, verè ac propriè homicida eſt. Ita colligitur ex cit. c. ſicut dignum, vbi id notat Abb num.1. Gomez loc.c. Clarus § final.q. 68.num.2. Mart.Nau.l.c.Pet.Nau.lib.2.c.3.num.140. Couar.2.reſolut.cap.20.num.10. Mol.diſp.27. poſt Gl. receptam in l. Diuus, ff.de extraordinar. criminibus. Quin & parricida eſt,ſi parens animato fœtui abortum procuret, teſte S. Cypriano martyre lib. 2. Epiſt. 8. ad Cornelium Papam, apud Pamelium 44. vbi Nouatum parricidij crimine ſugillat, quòd vxorem, pedis calce incuſſo, abortire fecit.

Porrò plurimum ſcire intereſt, vtrum fœtus tempore abortus animatus fuerit,nécne. Nam primò, ſi animatus fuit, irregularitas incurritur: non item ſi animatus necdum fuerat, ſicuti conſtat ex cit.c.ſicut ex literarum,de homic.& cit.c.quòd verò. Communiter autem DD.arbitrantur, maſculum rationalem animam accipere quadrageſimo die à conceptione, fœmellam verò octogeſimo,ſicut videre eſt apud Abb.c.ſi aliquis, in fine,de homicid. Nau. c. 15. num. 14. Finellium caſu de abortu,num.5.Couar.cit.§.3.num.1.poſt. Gloſſ.in Clement.vn. de ſumma Trinitate, ver. *ſimul vnitas*, & in procem.d. 5. verbo *quadraginta*; ducto argumento ex c. 12. Leuit. quaſi ibi præceptum fuerit, vt quot diebus mater immundum, & anima non informatum fœtum vtero portaſſet, totidem diebus poſt partum immunda cenſeretur: quod tamen non placet Leſſio cap 9.dub. 10 in fine.

4 Secundò, ſi certum ſit, fœtum in vtero nondum animatum eſſe, faciliùs permittitur ob matris ſalutem eum expellere: Idque directa intentione, ſi fœtus matri mortem allaturus putetur, ſicuti docet S. Anton.p. 3.tit.7. c.2. §. 2. Syl. ver. medicus, q. 4. Lopez p. 1. inſtruct.c.3.Couar.p.2.Clem.§.3.n.1.Nau.c.25.n.62.Leſſ. & Sanchez ll.cc.contra Pet.Nau. lib. 2. c. 3. diffic. 2. n. 40.§.mihi videtur. Quia tali caſu fœtus eſt quodammodo aggreſſor,ſeu cauſa efficiens materni obitus; igitur eum abigere, ſi nondum animatus eſt, naturali iure licet. Indirecta verò intentione ſeu per accidens, fas erit interdum fœtum expellere, ſi matri grauiter ægrotanti v.g.venæ ſectio, aut purgatiuum pharmacum neceſſarium videatur,non ſine aliquo abortionis periculo.

Sin autem fœtus animatus exiſtimetur,tunc aliter diſtinguendum cum Sanchez.n.13. Quòd medicinas, quæ directè ad fœtus occiſionem tendunt, puta venenum, dilacerationem, &c. adhibere nunquam licitum eſt: cùm hominem innocentem per ſe & directè occidere nefas ſit. Medicinas autem, quæ per ſe ac directè ordinatæ ſunt an ſanitatem matri conferendam,licet per accidens timeatur fœtus occiſio, v. g. venæ ſectionem, pharmacum ventris purgatiuum adhibere non eſt illicitum; ſi certo medicorum iudicio mater cum prole ante eius natiuitatem moritura ſit, niſi eiuſmodi medicamentum adhibeatur, ſicut docent Nau. Sanch. & Leſſ. ll.cc.Petr. Nauar.lib.2.c.3.num.143.Sairus lib.7.clauis reg.cap. 12. num. 21. Finell. caſu 4. num.17. Ratio eſt: Quia innocentem per accidens, & præter intentionem in caſu neceſſitatis occidere, à recta ratione alienum non eſt: In propoſito autem caſu occiſio maximè per accidens contingit: cùm enim fœtus pendeat à vita & ſalute matris, atque rariſſimum ſit, fœtum viuum progigni poſt matris mortem; ideo, ſi ad procurandam ſalutem matri medicamentum præbeatur, tendit id ſecundariò ad ſalutem fœtus; licet per accidens illi noceat. Confirmatur. Quis enim neget inuadente fera matrem, ipſi licitum fore, imò etiam in præcepto naturali,vt fuga vitam ſuam certo interitui expoſitam liberet, ſi poſſit, quamuis cum probabiliſſimo abortus periculo? Veruntamen in caſu vnico repugnabit charitatis legi matris vitam medicamento ſeruare cum probabili periculo necandi fœtus; ſi, non adhibito tali medicamento, demortua matre, credatur, fœtum viuum in lucem edendum, & baptizandum fore. Cuius ratio eſt, quia ordo charitatis poſtulat, vt vita ſpiritualis animati fœtus præferatur vitæ corporali ipſius matris: quamuis hunc caſum vix poſſibilem eſſe, teſtatur Sanchez num.17.

5 QVÆSTIO TERTIA. Quid ſentiendum de conſulente, auxiliante, mandante, ratum habente, non prohibente homicidium? Reſp.& dico I. Qui maligno conſilio, vel auxilio permouit hominem ad necem ſibi, vel alteri inferendam, verè ac propriè homicida eſt,ſi euentus ſequatur, ſicuti conſtet ex c.ſicuti dignum,§ Clericos, de homicidio, c.ſi quis viduam, d. 50. & tradunt Legiſtæ in l.ſæpe,ff.de verb.ſignif. Quòd ſi ille propoſitum antea conceperat, quem maligno conſilio, vel auxilio tuo magis confirmaſti, mitiùs quidem puniendus eris, ſicuti colligitur ex cit. c. ſicut dignum, §. qui verò, & docet Couar.in Clem.p.2.§.2.n.1.Mol. tract.3. diſp.33.mem. 2.ſed irregularitatem non effugies, teſte Mol.mem.6.n.6.

Dico II. Qui homicidium fieri mandauit, ſecuto euentu, propriè homicida eſt, ordinariis pœnis & cenſuris ſubiectus. Ita Gomez 3.reſol.cap.3.n.39. Finel.caſu 4.n.21.Mol.mem.3.arg.c.perniciosè,de pœnit.d.1.& videri poteſt S.Auguſt.in Pſal.63. ver. 2. licet aliter ex Bartolo doceat Nauar. c.27. n.51. Duo verò diſcrimina inter mandantem,& conſulentem obſeruare licet: Primum. Qui mandatum occidendi datum ante eius executionem expreſsè, vel tacitè reuocauit, ab irregularitate ſecurus eſt; dummodo reuocatio ad notitiam mandatarij peruenerit. At verò qui maligno conſilio dato, quòd v. g. turpe ſit vindictam non ſumere, aliquem ad inferendam necem permouit, licet poſtea reuocârit, tamen irregularitatem incurrit, ſi perſuaſus conceptum ſemel propoſitum nihilominus executus fuit,ſicut ex doctrina Innoc.c.ad audientiam, de homic. probabiliter docent Gomez n.40.& 44.Nau.c. 27.n. 233.Mol.tr.2.to.3.poſter.diſp.731. Rationem autem huius diſcriminis aſſignaui in lib.1.tr.5.p. 2. c. 5. num. 7.

Alterum. Si alicui mandaueris, vt hominem occideret, illéque mandatum acceptet, tuóque nomine exequatur, irregularitatem non effugies; licet mandatarius, iam ante concepto occidendi propoſito, quamuis tu non mandaſſes, nihilominus hominem occidiſſet. Sin autem alicui ſuaſiſti homicidium, ſed conſilium tuum nihil ad effectum contulit,quia per ſeipſum ad occidendum planè determinatus, nihil omnino in propoſito ſuo per te confirmatus fuerat; ab irregularitate immunis eris. Ita ex communi Mol.cit.diſp.33.mem. 2.n. 7. Ratio verò diſcriminis eſt: Quia mandatum fit in gratiam mandantis: conſilium autem datur in gratiam capientis. Ex quo ſequitur, ſi ſuadeas Titio occidere, qui antea tale propoſitum firmiter conceperat, quòd nihil efficias: ſin verò eidem mandes, iſque mandatum exequatur, efficis, vt iam tuo nomine homicidium fiat,

tibique vt causæ adscribatur.

Dico III. Si affirmanti, tui gratia se hominem necaturum, credas id ab ipso futurum esse, neque contradicas & impedias, cùm possis; tacitè consentire, ac mandare censeberis, arg.c.constitutis, 1. de testibus, l. in delictis, ff.de noxalibus action.l.3.§.item is, ff. ad l. Cornel.de sicar.l.qui patitur, ff.mandati, & docet Gomez cap.3.n.47.& seqq.Mol.t.2.disp.550.& tr.3.disp. 33.mem.3.Ioan.Faber in §.1.Instit.de noxal.actionibus. Eadémque est ratio, si te rixante v.g.cum Ioanne, amici tui superueniant, & à te non prohibiti, aut repulsi, Ioannem in tuam gratiam occidant. Quare vtroque etiam casu irregularis fies, arg. c. Petrus, de homic.v bi id docet Abb.not.2.Couar.in Clem.p.2.§.2.n.8.casu 4. Henriq.lib.14.c.13.n.4.Auila p.7.disput.6.s.3.dub.5. Nau.cap.27.n.231.

6 Dico IV. Qui suo nomine necem patratam postea ratam habet, iuris pœnas homicidis decretas incurrit, v. g. excommunicationis censuram, si Clericus occisus sit, iuxta cap. cùm quis, de sent. excom.in 6.iunct.Gl. ver. tuo nomine, & docet Clarus 5.sent.§.finali,q.87. Mol.tr.2,to.3.poster.disp.729. Quia, vt dicitur in reg. 10. in 6. *Ratihabitionem retro trahi, & mandato non est dubium æquiparari.* Ad damnorum tamen restitutionem minimè tenebitur eiusmodi mandans, sicuti dixi tract. præced.c.5.num.2.dub.2.Sed neque irregularitatis notam contrahere videtur, sicuti docet Couar.in Clem.p 2.§.1.num.4.Suar.to.5.disp.44.sect.3.n.24. Auila l. c. sect.2.dub.6.Henriq.c.16.n.2.cum Glos.in c.si quis viduam,d.50.contra Nauar.c.27.n.233.Mol.tr.3.disp.33. memb.4.Ratio verò discriminis, cur is, qui suo nomine patratū homicidiū Clerici postea intelligens, ratum habet, excommunicationem incurrat; non item irregularitatis notam, hæc est; Quia excommunicatio genus quoddam pœnæ est, per leges inflictæ ratum habenti homicidium, perinde ac mandanti. Irregularitas verò non tam pœna est, quàm moralis quædam macula, ab eo contrahi solita, qui homicidij causa existit. Similiter rest tuendi obligatio effectus quidam est inde consequens, quòd aliquis causa damni, puta homicidij extitit: Atqui nemo per ratificationem homicidij antè commissi causa efficitur: cùm ad præteritum non sit potentia. Ergo, &c. Porrò, si quis homicidium non suo nomine patratum postea approbet, non censetur ratificare, ita vt ex eo censuram aliquam, vel restituendi obligationem contrahat: Quia *nemo ratificare potest, quod suo nomine gestum non est*, c. cùm quis, de sent. excom.in 6.

7 Dico V. Si quis hominis necem, cùm facilè impedire possit, negligat; interest, vtrum ex lege solùm charitatis impedire obligatus sit, an etiam ex iustitia, vel quasi iustitia. Nam priore casu homicidium non committitur: siquidem homicidij peccatum virtuti iustitiæ propria aduersatur: Ergo qui contra iustitiam non peccat, homicida censendus non est, consequenter nec irregularis, sicuti docet Nau.c.24.num.22.&c.27. num. 231.Mol.memb.5.contra Couar.p.2.Clem.§.2.num 7. Quare neque illum irregularem censeo, qui hominis occisionem impedire volentem maligna dissuasione ab hoc opere charitatis reuocat: non enim peccat contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, teste Auila p. 7.disp.6.sect.2 dub.7.conclus.2.§.ex dictis, etsi contrarium doceat Suar.to.5.disp.45. sect.4.n.3. Id fateor, in externo foro contra talem, qui necem, cùm facilè posset, impedire neglexit, præsumptionem orituram, consensisse vel conspirasse in cædem, sicuti constat ex c.sicut dignum, §. illi etiam, de homic.&c. quantæ, de sent. excom.

8 His adde; Si quis sciens tractatum, vel conspirationem aduersus Principem, non reuelet ad impediendū, capitali pœna plectendum esse, secundùm l.quisquis, §. id quod, C. Ad l.Iuliam Maiest. Neque requiri videtur, vt conspiratio iuridicè probari possit: cùm satis sit simplici denuntiatione admonere, vt Princeps sibi caueat. Vide Ioach. Mynsing. cent. 5. obseru. 40. & 41. Clarum lib.5.sent.§.fin.q.87.n.2. vbi tamen monet, si quis mali consilij, seu conspirationis particeps non sit, ordinaria mortis pœna affici non solere, ob solam taciturnitatem.

Quod verò attinet ad posteriorem iustitiæ obligationem; si Iudex, Gubernator, &c. innocentem occidi; Medicus, Chirurgus infirmum ex morbo decedere permittant, cùm facilè impedire possent, homicidij rei sunt, atque irregulares, teste Nauar. cap. 24. num. 18. Auila l. c. Henriq.lib.14.cap.12. n.7.in comment.lit.d. Mol. cit. memb. 5. Idemque sentiendum videtur de liberis comparatione parentum; & de parentibus comparatione liberorum: cùm inter eos non merum vinculum charitatis, sed quasi naturalis iustitiæ obligatio intercedat. Quare si mulier aperiat fornicatio propositum abortum faciendi, prole iam animata: & pater non impediat, si possit, irregularem fieri arbitror, cum Rodriq.t 1.sum.c.178.concl.10.Auila cit.dub.7.§.sequitur quartò, licet contrarium sentiat Less.lib.2.c.9.n.94.

CAP. V.

De Duello.

SVMMARIVM.

1 *Licitum non est Iudici, duellum Reo indicere: sed quandoque licitum est Reo in tali necessitatis casu acceptare.*

2 *Ad liberandam vitam ex certo periculo, quandoque fas est cum iniquo accusatore duellum instituere: seu offerendo, seu oblatum acceptando: non ita verò pro defensione honoris ac bonorum fortunæ.*

3 *In bello seu offensiuo, seu defensiuo plerumque licitum non est duellum cum hoste instituere; nisi in certis casibus.*

4 *Pœna excommunicationis decreta est contra duello congredientes, & eorundem patrinos, auxiliatores, &c.*

DVellum, græcè μονομαχία, est pugna singularis ex condicto. Varias ob causas institui potest: Primò, ad demonstrandam veritatem, & in testimonium innocentiæ. qua ratione inter purgationes vulgares numeratur, & damnatur in c. monomachiam, 2.q.5. &c.1.& 2.de purgat. vulgari, & apud S.Th.2.2 q.95. a. 8. ad 3. Causa est, quia medium illud per se valde difficile, atque abhorrens à natura humana, non est etiā idoneum ad finem, qui intenditur veritatis eruendæ, aut purgationis inducendæ: quandoquidem sæpe accidit, vt qui innocens est, in duello succumbat.

Dubitatur autem primò: Si iniquus Iudex alicui innocenti mortis supplicium illaturus sit, nisi duello se purget, vtrum oblatum duellum acceptare possit? Negat Syl.ver.duellum,q.2. Armilla n.5. Henricus quodl. 5.q.32.Abulensis in 1. Reg.c 17.q.vlt. S.Anton.3.p. tit. 4.c.vlt.§.vlt.Affirmāt Angel.ver.duellū,n.2.Tol.l.5.c. 6.prope finem, Sanchez lib.2.moral.cap.39. n. 4.& alij apud Caiet.2.2.q.95.a.8.ad 3. Respondendum mihi videtur, id licitum esse cum duabus conditionibus. I. Vt duellum ineatur non causa veritatis, vel innocentiæ tanquam certo signo demonstrandæ, sine speciali Dei instinctu: sed ad sui necessariam defensionem. II. Vt is, contra quē duello certādum est, nocens sit, & iniqui Iudicis tanquam minister, vel satelles: ac proinde locum habeat ius naturale defensionis, tanquam contra aggressorem. Sin verò etiam alter innocens sit, non apparet, quo iure duello congredi liceat: Ponamus enim duos in criminis falsam suspicionem venisse, iisque optionem dari, vt vel mortem subeant, vel duello congrediantur: arbitror confligere non posse: cùm per se 1

atque intrinsecè malum sit ad innocentis occisionem aggredi.

Dubitatur secundò : Vtrùm Princeps duobus Reis capitis supplicium commeritis mutuum duellum indicere possit? Et num Reis acceptare licitum sit? Ad primam partem quæstionis resp. cum Maior.in 4.d.15. q.23. §. quartò arguimentor, Paulo Comitolo lib. 6. moral.resp.q.16.Azor t.3.lib.2.c.5. q.7. Licet secundùm se,& speculatiuè rem æstimando, non videatur id alienum à iure naturali : quòd id aliud non sit, quàm vtrumque Reum in alterutrum iustitiæ ministrum decernere, vt iustam mortis sententiam in ipsum exequatur; ei autem ,qui præuenerit, vita condonetur; attamen ob adiunctas circumstantias non vacat periculo scandali: quare neque expediens, neque licitum est. Ad alteram partem resp.cum Azorio l.c. Postquam Princeps eiusmodi facultatem duello decertandi reis concessit, licitum videri id acceptare; non ex odio, sed tùm publicæ iustitiæ zelo, tum propriæ vitæ saluandæ causa.

Altera causa duelli instituendi afferri potest ad litem terminandam. Sed neque hæc causa sufficit : cùm id non sit medium idoneum ad hunc finem , sicuti suprà ratiocinatus sum. Sed quæstio est; Si alicui certò , vel probabilissimè cognitum sit , per accusatoris calumniam, iniustè in iudicio se oppressum iri; vtrum liceat ei duellum offerre , vel oblatam acceptare , quando vnico hoc medio periculum mortis , vel grauissimæ infamiæ, aut bonorum amissionis à se auertere posse putat? Difficilis quæstio est, & inter DD. controuersa. Negatiuam partem tenuit Abulensis 1. Reg.cap.17. q.vlt.Salon 2. 2.q.64.a.3.contr.3.Sed Maior in cit. q. 25.§.sextò arguitur, Nau. c.11.n.39. Valent.t.3. disput. 3. q. 17. p.1. affirmant, licitum esse ob vitæ defensionem: Idem dicit Caiet.2.2.q.95.a. 8.causa 4. requirit tamen, vt Principis consensus accedat. Nauarrum sequitur Mol.tr.3.disp.17.n.7. At verò Pet. Nau.lib.2.c. 3.dub.13.n.289. Sanchez l.c. n.7.vniuersim aiunt, licitum esse tam offerre, quàm acceptare duellum, etiam propria auctoritate ; & non solùm ob defensionem vitæ, sed etiam honoris, ac fortunarum. Deinde addunt, in tali casu præstare calumniatorem clàm è medio tollere, quàm duelli pesiculo se committere.

2 Mihi dicendũ videtur : primò: Ad liberandã vitã suã à periculo moraliter certo, licitum est duello congredi tam offerendo , quàm acceptando ; præsertim si Principis consensus accedat. Ratio est, quia contra iniquum aggressorem, vel insidiatorem vitæ naturali iure cuiuis permissa est defensio : Calumniator autem ille iniustam tibi necem machinatur : *non enim interest*, inquit Caiet. *propriône gladio, an alieno, Iudicis te impetat* : Vnde etiam Nathan ad Dauid dixit 2. Reg. 12. *Vream percussisti gladio*. Et Iudæi dominum interfecerunt gladio linguæ, *Crucifige , crucifige* , sicuti notat S. August. in Psal.63.ver.2.& refertur in c.perniciosè, d.1. de pœnit. Ergo si aliud medium non suppetat periculum euadendi, poteris te duello defendere. Præsertim, dixi, Principis accedente consensu: Etsi enim Princeps malè agat decernendo , vel permittendo tali casu duellum, pœnásque Trident. Concilij incurrat; innocens tamen duello decertaturus cum Principis consensu, minùs timere debet de scandalo inde orituro, malóque exemplo.

Dicendum secundò : In praxi vix occurret casus, quo licitum sit ob honoris, vel fortunarum defensionem cum calumniatore duello congredi. Ratio est. Nam vel innocentiam tuam demonstrare potes , vel non: Si primum, nulla erit duelli necessitas : Si secundum, etsi duello certes, ac vincas, non ideo criminis suspicionem abolebis; sed nouo etiam homicidij dedecore famam tuam maculabis. Ob bonorum verò defensionem seipsum mortis periculo per duellum exponere, non sine populi scandalo, aliisque Reipub.incommodis, quæ plerumque cum duellis coniuncta sunt, non videtur Christiano homini consentaneum. de qua re vide Maiorem l. c. Becanum c. 26. q. 6.

Dicendum tertiò : Practicè vix probari potest, quod docet Sanchez loc. cit. & tanquam probabile defendit Petrus Nauar.lib.2.cap.3. num. 359. & 376. fas esse calumniatorem, aut falsum testem clam è medio tollere, ne iniustè noceat in vita, vel externis bonis magni momenti. Probatur : Nam si calumniam passus innocentiam suam ostendere potest, non deerunt alia media se à calumniatore liberandi : Si autem innocentiam demonstrare non potest, res plena scandali, ac pessimi exempli erit, si innotescat hominem de calumnia non conuictum per insidias occisum esse. Accedit, si sententia illa vel scripto, vel ipso facto à viris doctis defendatur, multos facili negotio persuasos, sibi ab Actore iniuriam vel calumniam inferri, ad eundem è medio tollendum clanculum aggressuros, cum maximo Reipub. detrimento. quod notauit Less.lib.2.c.9.dub. 8. n. 47.

Tertia causa duelli indicendi est ad vindictam sumendam, quod nunquam licitum est, si sermo sit de priuata vindicta. Sed dubium est, vtrum in bello offensiuo duellum publica auctoritate institui possit? Eadémque quæstio locum habet in bello defensiuo. Respondeo: Ordinariè in neutro bello licitum esse duellum cum hoste instituere. Ita Caiet. cit. a. 8. causa 4. Valentia cit.p.1. Sanchez n. 15. Nam qui iniuriam vindicat, debet esse velut agens comparatione eius, qui puniendus est : Agens autem fortior esse debet patiente, vt penes illum quasi certæ victoriæ spes existat : quod in duello non cernitur : quia vel par vtriusque conditio est , vel multa accidere possunt, vt is, qui videtur esse valentior, succumbat. In bello autem defensiuo naturalia agentia imitari oportet, quæ modo, quàm fieri potest, efficacissimo contrariis suis resistunt. Inefficax verò est modus resistendi per vnum, quippe quem facilè vinci contingit: efficacior autem modus resistendi coniunctim, atque vnitè. Ergo iniquè communis defensio vni soli committitur. 3

Quibusdam tamen casibus licitum erit duellum: Primus, si hostis exercitui duellum offerat ; idque ab aliquo acceptari ab auertendam ignominiam, animos hostium debilitandos, suorúmque confirmandos necessarium videatur. cuius rei exemplum habemus in Dauide contra Philistæum 1. Reg 17.& docet Nauar.c.15.n. 27. Valent.cit.p.1.col.penult. §. quamquam.

Secundus. Si ad experiendos , ac debilitandos aduersariorum militum animos , finémque belli, ac victoriam faciliùs consequendam, opportunum medium Duci videatur, priuata duella suorum militum contra hostes indicere, sicuti docent Nauar.c. 15. man. n. 27. Sanch.n.15.Valentia cit.p.1.Becanus 2.2.c.26.q.1.

Tertius. Si ad Reipubl.bonum, belli exitum, securitatem ab hostibus consequendam , imminente belli conflictu, magis expedire Ducibus videatur, vt totum bellum ad duellum , vel paucorum certamen reuocetur, hostique offeratur, vel ab eo oblatum acceptetur, sicuti docent Nicolaus Lira in cit. c.17. lib. 1. Regum, Maior in 4.d.15.q.23.Caiet.cit.art.8.causa 5. & in summa verbo duellum, Sa ibid.n.2. Nau.c.9. n. 39. Valentia cit.q.17.p.1. Tolet.lib.5.c.6.§.aduertendum, P.Nau. lib.2.cap.3.n.293. Becanus cit.c.26.q.4. Sanch.cit.c.39. n.16. qui rectè admonet, si huiusmodi duellum communi vtriusque exercitus, vel Ducum consensu instituatur, semper expressum, vel tacitum pactum annexum esse, vt neutrius factionis militi succumbenti à circumstantibus succurri debeat: eamque conditionem ab iis quoque, qui iusto bello decertant , seruandam esse : quandoquidem bonum commune, cui reliqua posthabenda

ſunt, ita poſtulat, vt etiã hoſti fides ſeruetur, maximè in rebus ad bellum pertinentibus, teſte S. Auguſt. epiſt. 207. & refertur c. noli, 23. quæſt. 1.

Alia verò ratio eſt de duellis priuatis: hæc enim, ſi ex vtraque pugnantium parte illicita ſint, circumſtantes ex charitatis lege dirimere tenentur. Si autem ex parte tantùm vnius illicitum eſt duellum, v.g. ex parte iniuſti calumniatoris, vel alienæ vitæ inſidiatoris (quo caſu ſuprà dixi, licitum eſſe innocenti duello congredi) tunc licet circumſtantes calumniatori v.g. ſuccumbenti ſuccurrere non debeant; innocenti tamen debent, ſi ipſum ſuccumbere contingat: tametſi conditio poſita fuiſſet, vt neutri ſuccurreretur. Nam pactum iſtud ex parte innocentis, ob neceſſariam ſui defenſionem cõtra calumniatorem vel vitæ inſidiatorem pugnãtis, iniqua eſt. Ita docent Maior in 4. d. 15. q. 20. ante 5. obiect. Pet. Nauar. lib. 2. c. 3. n. 289. Sanchez l. c.

4 Pœna excommunicationis latæ ſententiæ decreta eſt in Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de reform. cùm in locorum dominos, qui duellum illicitum ſua auctoritate permittunt, tum in ipſos duello concertantes, eorúmque patrinos, auxiliatores, ſpectatores: inſuper, vt qui in tali conflictu deceſſerunt, Eccleſiaſtica ſepultura careant. Loquitur autem Concilium duntaxat de duellis publicis, & cum ſolemnitate inſtitui ſolitis.

Poſtea verò Greg. XIII. motu proprio, *Ad tollendam*, ac denique Clemens VIII. in Bulla quæ incipit, *Illius vices*, apud Sairum to. 1. lib. 3. theſauri, cap. 31. n. 21. Trident. Concilij pœnas etiam ad priuata duella extendit, & Sedi Apoſtolicæ reſeruauit. Ex quo colligũt Delrius lib. 4. diſquiſ. Magic. cap. 4. q. 4. ſ. 2. n. 26. Sanchez cit. cap. 39. n. 28. ex vi harum Bullarum excommunicationis pœnam ab iis etiam incurri, qui certo loco, ac tẽpore deſignato, ad pugnam ſeu certamen ſingulare, quãuis nulla alia ſolemnitate adhibita, ex condicto accedunt. Verùm Germani, aliique ſeptentrionales ſeu ob ignorantiam, ſeu quia conſtitutiones illæ ſecundùm hunc ſenſum promulgatę, & in vſum deductę non ſunt, à cenſura excuſari videntur.

CAP. VI.

De obligatione compenſandi damnum ex homicidio, vel mutilatione.

SVMMARIVM.

1 *In æſtimationem damni, quod iniuſtè vulnerans reſarcire tenetur, inprimis veniunt impendia facta in medicos, chirurgos; deinde operæ, quibus homo caruit, vel cariturus eſt.*

2 *Pro cicatricis deformitate; membri, ipſiuſque vitæ iactura nulla compenſatio facienda eſt, ante Iudicis condemnationem.*

3 *Homicida damnum compenſare debet, quod exinde prouenit occiſi parentibus, liberis, vxori: ſed quod familiaribus, & clientibus per accidens prouenit, non videtur ex iuſtitiæ lege compenſandũ eſſe.*

4 *Creditoribus illatum damnum homicida ex iuſtitia reſarcire debet; quamuis id in praxi non obſeruatur.*

5 *Vt homicida, vel vulnerans in conſcientia obligatus ſit ad damni illati compenſationem, neceſſe eſt, eum aduerſus iuſtitiam deliquiſſe.*

Contra iniquum aggreſſorem, mutilatorem, occiſorem duæ actiones oriuntur, inter quas exactè diſtinguendum eſt: Vna ad compenſationem illati damni, ſecundùm commutatiuæ iuſtitiæ æqualitatem, cuiuſmodi obligatio ex ipſa natura facti, ante Iudicis ſententiam naſcitur. Veruntamen, ſi homicidæ pœna mortis à Iudice decernatur, compenſatio damnorum exigi ferme non ſolet; licet in rigore exigi poſſit: cùm damna priuata per publicam punitionem non reſarciantur, ſicut docet Gomez 3. reſol. c. 3. n. 37. Nau. c. 15. n. 25. Leſſ. lib. 2. c. 9. n. 138. Altera eſt actio cùm ciuilis, tum criminalis ad ſatisfactionem pro iniuria, quæ ſecundùm iuſtitiam vindicatiuam ab offenſo æſtimatur, & à Iudice decernitur, penſata qualitate facti, & circumſtantiis perſonarum, iuxta ea quæ ſuprà dixi hoc tract. p. 2. c. 6. n. 6. Nos hîc agimus tantũ de priore illa obligatione dãni cõpẽſandi.

Assertio I. In æſtimationẽ damni veniunt inprimis mercedes Medicis præſtitæ, cæteraque impendia, quæ ob curationem vulnerati facta fuerunt, iuxta c. 1. de iniuriis, & l. qua actione, ff. ad L. Aquil. & l. vlt. ff. de his qui deiecerunt vel effuderunt. Secundò fieri debet æſtimatio operarum, quibus homo caruit, aut cariturus eſt, ob id quod inutilis factus fuit, ſicuti dicitur in cit. l. vlt. & tradit Abb. in c. 1. de iniuriis. Adrianus in 4. vbi de reſtitut. bonorum corporis, §. poſtquam egi. Veluti ſi opifex vulneratus eſt, qui idcirco per temporis interuallum opus ſuum perficere nequiuit, lucrum illi ceſſans compenſari debet. Intelligitur autem lucrum deductis expenſis, quas facere oportuiſſet. 1

Sed dubitant DD. vtrum deducenda etiam ſit æſtimatio moleſtiæ, ac laboris, quem præſtando officio, aut opificio ſubiturus fuiſſet? Affirmat Maior in 4. d. 15. q. 19. Rebel. p. 1. lib. 3. quæſt. 13. Molin. tract. 3. diſp. 87. concluſ. 1. Alij tamen probabiliùs negant, vt Sotus lib. 4. q. 6. a. 3. circa 3. argum. Couar. 2. reſol. c. 10. n. 7. Pet. Nau. l. 4. cap. 1. n. 68. Leſſ. lib. 2. c. 9. dub. 19. Eſt enim communis DD. ſententia, & vulgi perſuaſio, ſi alterum iniuſtè impediuiſti à labore diurno, lucrum, quod per te ipſi abſcedit, integre reſtituendum, non detracta æſtimatione laboris intermiſſi: tum quia alioquin parum, vel nihil reſtituendum foret; cùm lucrũ plerumque labori cõmenſuratum ſit: tum quia fieri poteſt, vt ille laborem ſuum libenter impendiſſet, neque pretio redimere paratus fuiſſet.

Assertio II. Pro cicatricis deformitate, membri, ipſiuſque vitæ iactura, ſecundùm ſe, nulla compenſatio facienda eſt, ante Iudicis ſententiam. Ita docet Iureconſul. in cit. l. vlt. Gl. in c. 1. de iniuriis, Nau. c. 15. n. 22. Gomez 3. reſolut. c. 6. n. 12. Pet. Nau. lib. 4. c. 1. n. 80. & ſeqq. Leſſ. cap. 9. dub. 23. & 25. Vaſq. in moral. de reſtit. c. 2. §. 5. dub. 6. Eſt tamen hæc aſſertio contra S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. Scotum in 4. d. 15. qu. 3. Hadr. 4. de reſtit. q. vlt. Sotum lib. 4. de iuſtit. q. 6. art. 3. Syl. ver. reſtitut. 3. qu. 2. Azor to. 3. lib. 5. cap. 3. q. 4. Molin. tr. 3. diſp. 84. arbitrantes, cõpenſationem in pecunia faciendam eſſe. Sed contrà eſt, quòd, vt Iureconſ. ait in l. vlt. & l. 1. §. ſed cùm homo, ff. de his qui effuderunt, &c. *In homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt.* Senſus eſt, quòd vita hominis liberi, membrorúmque integritas, & incolumitas alterius generis, altioriſque ordinis ſunt, quàm vt in commutationem pro pecunia venire, & quaſi venialia fieri poſſint. Conſule, quę in ſimili dixi ſuprà p. 2. huius tract. cap. 7. n. 3. 2

Deinde eadem aſſertio repugnat Scoto l. c. Gabr. ibid. q. 1. Adriano loco cit. Rebel. p. 1. lib. 3. qu. 14. Molin. tr. 3. diſp. 84. n. 11. arbitrantibus, homicidam ex iuſtitia obligatũ eſſe, vt pro anima defuncti ſacrificia, preces, eleemoſynas Deo offerat. Sed contrà eſt, quòd nemo teneatur damnum reſarcire ex bonis diuerſi generis, ac ordinis, ſi in eodem non poſſit: Quia ſolùm bona eiuſdem generis ac ordinis inter ſe commenſurari poſſunt, ſecundùm proportionem dati & accepti. Sermo enim eſt de reſtitutione ſiue compenſatione damni per iuſtitiam commutatiuam. Interim nemo negat, quin Iudex in foro externo ſecundùm iuſtitiam vindicatiuam, mulctam pecuniariam homicidæ decernere poſſit, applicandam offenſo, eiúſue hæredibus. Similiter quoque in foro interno decet Confeſſarium pro ſatisfactione ſacramẽtali imponere homicidæ preces, ſacrificia, &c. animę occiſi applicanda.

Assertio III. Sumptus funebres non veniunt in reſtitutionem: niſi occaſione necis illatæ, v.g. in loco alie-

no, vel extra patriam, maiores fieri oportuerit. Ita ex communi Mol.disp.83.n.1. P.Nau.lib.4.c.1 n.73. Azor cit.c.3.q.5.Less.dub.24.contra Nau.c.15.n.22.

3 Assertio IV. Homicida debet compensare damnũ, quod per se prouenit liberis, parentibus, vxori, ob coniunctionem, quam gerebant cum persona defuncti, atque inde ortum legale ius petendi ab eo alimẽta seu sustentationem: Cuiusmodi ius competit non tantũ vxori, ac liberis sed etiam parentibus, si indigeant. Accedit, quòd liberi, iisque deficientibus parentes occisi, hæredes necessarij sunt: Quamobrem, si ipsis hæreditas ob iniustæ mortis accelerationem minuatur, compensatio illati damni facienda erit, sicuti ex cõmuni docet Abb. c.1.de iniuriis, Gomez cap.6.n.14. Nau.c.15.n.24.Mol. tr.3.disp.2.& 83.Less.dub.26.qui rectè id limitant; Nisi percussus percussori omnem restitutionem sponte condonârit: tunc enim hæredes nihil exigere possunt.

Assertio V. Damnum, quod familiaribus, vel clientibus per accidens prouenit, non videtur esse ex iustitiæ lege ab homicida resarciendum. Ita docet Sotus l.4. de iust. quæst. 6.a.3. circa 3. argum. Molin tr.3.disp. 83.n. 6 Lopez p.1.instruct c.72.Less.cit.dub.26.Salon.2.2.q. 62.art.2.controu.7.contra Pet.Nau.l.4.c.1.n.76. Vasq. in moral.de restit.c.2.§.3.dub.7. Cùm enim defunctus ex iustitia nihil debuerit, sed sola liberalitate alimenta præstare decreuerit, non fuit ipsis aliquod ius ablatum; sed omnis iniuria tendebat in occisum.

Eadémque probabilitate asseritur, non contrahi obligationem cõpensandi damnum alicui tertio, cui per errorem crimen homicidij imputatum fuit: quamuis homicida id præuiderit, dummodo per se non intenderit, neque sua aliqua actione, v.g. vtendo ense alieno, causam falsæ suspicionis præbuerit, sicuti docet Mol. tr.3. disp.86.n.3. Ratio est, quod euentus ille valde casualis, & per accidens sit, qui proinde homicidæ imputari non debet. Imò Less.dub.26.putat, etsi homicida expressè intenderat, vt alteri eiusmodi damnum inferretur, si tamen actio illa talis non erat, ex qua vt plurimùm effectus sequeretur; non committi peccatum contra iustitiam, cum restituendi obligatione. Sed quod dixi, videtur probabilius: cùm actus humani ex intentione speciem accipiant.

4 Assertio VI. Creditoribus valde probabile est, illatum damnum ad homicida resarciendum esse. Ita docet Molina tr.3.disp.83.n.8.contra Salonem l.c.controu.8. Less.dub 26.&alios. Nã occisus arctiore obligatione iustitiæ tenebatur erga creditores, quã erga parentes, vxorẽ & filios: cuius rei signũ est, quia his alimenta, & hæreditas non præstatur, nisi deducto ære alieno. Ergo si homicida damnũ resarcire cogitur, quod vxori, liberis, parentibus occasione iniustæ cædis accidit; multò magis creditoribus, si ob eandem homicidij causam debito suo priuati fuerunt, iactura hæc ab homicida compensanda erit, secundùm iustitiæ rigorem: Quamuis in praxi id non obseruatur.

5 Ad extremum moneo. Vt homicida ad restitutionem illati damni teneatur, necesse est, eum contra iustitiã deliquisse. Vnde colliges primò, Eum, qui ex condicto in duellum descendit, & vulnus aut mortem alteri infert, ad nullam restitutionem obligari vulnerato, eiúsue hæredibus. Ratio est: Qui alter alterũ iniuria non afficit: hæc enim non fit volenti ac consentienti, sicuti notauit Mol.tr.3.disp.82. Less.dub.21. Similis ratio videtur de iis, qui ludo periculoso, v g.hastiludio, congrediuntur: si enim ludi leges seruentur, & aliquis ludentium alterum sine dolo seu formali intentione occidat, non exigitur compensatio, propter pactũ remissionis, quod implicitè inter lũdẽtes intercedere censetur, sicuti notauit Mol. tr.3.disp.37.n.4. Quòd si talis ludus publica auctoritate permissus sit, nulla pœna homicidæ decerni debet: sin autem prohibitus, pœna arbitraria affici poterit.

Colliges secundò: Etsi ille, qui alterum iniustè inuadit, illatum damnum resarcire cogatur; non tamen vicissim inuasus: quamuis fortè plura vulnera inflixerit. Quod limita, nisi moderamen inculpatæ tutelæ excesserit, id est, plus contra iniquum aggressorem molitus fuerit, quàm ad sui defensionem necessarium erat: Quia cùm sufficeret v.g. alapam infligere, brachium amputauit; vel cùm sufficeret brachium amputare, omnino occidit. Tunc enim illatum damnũ resarcire tenetur: saltem secundùm proportionem iniusti excessus, ita vt restitutio damni minuenda sit, sicuti probabiliter opinatur Sotus lib.4.q.6.a.3. ad 3.Syl.verb.restitutio, 3. q.2. Less.cit.dub.21.n.135. Quamuis contraria sententia, integrum damnum restituendum esse, in rigore vera est, quàm expressè docet Nau.c.15.man.n.27. Vasq. de restit.c.2.§.3.dub.4.Pet.Nau.cit.c.1.n.92. Quicunq; enim damnum iniustè infert culpa mortali, ad integram restitutionem obligatur: Talis autem excedendo limites iustæ defensionis, damnum amputati brachij iniustè intulit, per culpam, vt ponimus, mortalem: Ergo æquè restituere tenetur, atque si dolosè aggressus fuisset.

Excipe, nisi Iudex in tali casu restitutionem damni condonet, partim in pœnam iniusti aggressoris, vel rixæ auctoris; partim in satisfactionem iniuriæ; quam vulnerans, vel occidens prior acceperat. Imò probabiliter docet Molina cit.disp.81. n. 10. Eum, qui ob acceptam iniuriam iusto dolore aut ira affectus vulnerauit, vel occidit, v.g. maritus deprehensum in adulterio, in cõscientiæ foro posse denegare restitutionem damnorum; donec ad Iudicem causâ delatâ, cognoscatur, vtrum in pœnam delicti, atque iniuriæ compensationem restitutio ipsi remittenda sit, nécne. Idque per modum exceptionis, si debitũ exigatur ex eadem causa, ex qua etiam debitori ius agendi competit: secùs, si ex diuersis causis: vt puta si herus nolit stipendium famulo debitum soluere, quia in domo sua stuprum admisit: audiri non debet, sed soluere cogitur: saluo interim iure postea agendi contra eundem famulum ciuiliter, aut criminaliter, sicuti ibidem Mol. resoluit.

Tertiò probabiliter colligitur: Eum, qui prouocatus ad pugnam accessit, etsi deliquerit vulnerando, ad restitutionem damni non obligari: quia prouocans, quantùm in se erat, potestatem fecisse censetur inferendi damni. Ita docent Bannes loco suprà cit. Less. cit. dub. 21. assert.1. Rebel.p.1.lib.3.q.12.Azor tom.3.lib.5.c.3.q. 7.etsi aliter Molina disp.82.

CAP. VII.

De irregularitate orta ex homicidio, vel mutilatione, publica auctoritate facta.

SVMMARIVM.

1 *Ad irregularitatem contrahendam, v.g. ob defectum perfectæ lenitatis, non requiritur culpa.*

2 *Necesse tamen est, vt cooperatio ad mortem, vel mutilationem notabilis sit, & non admotum remota.*

3 *Prelati Ecclesiastici absque irregularitatis periculo Reum veluti, incorrigibilem, seculari potestati tradere possunt.*

4 *Si Episcopi, & similes Prelati temporalem etiam iurisdictionem obtinent, leges aduersus malefactores condere, Iudices creare, vsque causas criminales committere non prohibentur.*

5 *Qui in persona, vel rebus suis, aut suorum, iniuriam passus est, absque irregularitatis periculo, malefactorem Magistratui denuntiare, & ciuiliter contra ipsum agere potest, cum expressa protestatione, quod sanguinis vindictam non intendat.*

6 *Canones non infligunt notam irregularitatis propter officium debitum ex lege charitatis, alteriusue virtutis.*

1 INprimis obseruandum est, quòd ad irregularitatem ex homicidio, vel mutilatione contrahendam culpa necessariò non requiritur: sed sufficit occidendi,

vel mutilandi voluntas actualis, aut virtualis; dummodo effectus sequatur, & necessitas non compulerit. Ratio est, quòd irregularitas non tam pœna sit, quàm moralis macula, siue indignitas ad altaris ministerium, ob mansuetudinis defectum, sicut colligitur ex c. suscepimus, de homic. Indecens enim videtur, vt is, qui voluntariè nullâque cogente necessitate, hominis sanguinem fudit, Christi mansuetissimi personam in altari repræsentet, hostiam immaculatam Deo Patri offerens, sicuti notauit Nau.c.27.n.218.

Assertio I. Iudex, Assessor, Accusator, Denuntiator, Testis, Tabellio, Qui torquendo exprimit confessionem Rei, Qui dictat, scribit, signat, publicat literas pro vindicta sanguinis destinatas; item sententiæ Executor, eiusque cooperatores ac Satellitum comitatus, irregularitatem incurrunt ob perfectæ lenitatis siue mansuetudinis defectum. qua de re vide c. aliquantos, d.51. Abb. & DD. in c.sententiam, Ne clerici vel Monachi. S.Anton.3.p. tit. 28.cap. 2.Henriq. lib.14.c.12.Auilam p.7. disp.5.s.2.dub.1.Sa ver. irregularitas ex deformat.licita.Nau.c.27.n.212. Adde, irregularem etiam fieri eum, qui criminosum Iudici tradit, si postea iusto supplicio afficiatur, sicuti docet Gl. recepta, iuncto texto, in c. vnum, 23.q.5.Nau.in c.periculosè d.1.de pœnit. ad finem, not.2.

2 Assertio II. Vt aliquis irregularitatem incurrat, præsertim ex capite defectus perfectæ lenitatis, necesse est, vt cooperatio ad mortem, seu mutilationem aliquo modo notabilis sit, & non admodum remota, aut per accidens. Ita DD. in c.tua nos, de homic. Gl. in c. de cætero, eod. tit. Ex quo colligitur primò; Opifices irregulares non esse, qui furcam ædificârunt, funes, scalam confecerunt, &c. Sed irregulares fiunt, qui funes ad suspendium deferunt, scalam applicant: hi enim censentur causa propinqua; illi remota.

Colligitur secundò: Si Titio literæ missæ sint, quibus contineatur, vt malefactorem capi iubeat; easque literas sibi à clerico, vel laico legi iubeat; non videtur lector irregularitatem contrahere, secuta morte malefactoris: cùm non sit causa mortis propinqua, & per se; sed valde remota & accidentaria: licet contrarium senserit Abb. in cit. c.sententiam, n.14.

Colligitur tertiò; Irregularem non esse eum, qui impetrat, ne Reus per viam publicam cum suo, & familiæ maiore dedecore ducatur, sed via breuiore, etsi per accidens contingat mortem accelerari. Ita Henriq. cit.c.12.n.7. Auila l.c.§.octauò.

Colligitur quartò: Meritò Sotum lib.5. de iust. q.1. a.9.§. His præhabitis, ridere scrupulum alicuius Confessarij, qui Reum ad supplicium comitatus, quòd asinum, in quo vehebatur, pupugisset, irregularem se æstimabat, quasi mortem homini accelerasset. Similis ratio est, si Confessarius hortetur Reum, vt in via procedat: nam parum pro nihilo reputatur. Sin verò cooperatio, vel acceleratio mortis notabiliter facta sit, fatentur omnes irregularitatem contrahi. Vide Mol. tr.3.disp.74.n.4.

3 Assertio III. Inquisitores hæreticæ prauitatis, & Prælati Ecclesiastici, eorúmque Officiales irregularitatem non contrahunt, si Reum velut incorrigibilem seculari potestati tradant, posteaquam officio suo in proprio tribunali functi fuerunt. Ratio est: Quia ipsi mortis sententiam nec pronuntiant, nec exequuntur; sed seculari potestati id munus relinquunt: ad quod exequendum ipsos etiam generatim adhortari possunt, absque irregularitatis periculo, sicuti docet Medina in som.lib.1.cap.11.§.10.Henriq.l.14.cap.12.n.5.in comment. lit.O. Auila l.c.s.2.dub.2.licet aliter Couar.p.2. Clement.§.5.n.6.

4 Pari ratione Episcopi, & Prælati, qui temporalem etiā iurisdictionē obtinent, etsi propria præsentia auctoritatem sententiæ sanguinis præstare non debeant, sicuti constat ex c.literis, de excess. Prælat. alioquin irregularitatem incurrent, sicuti notat ibi Gl. ver. corporalem, & Abb.n.2. Nihilominus possunt leges pœnales contra malefactores ferre, Iudices creare, causarum criminalium cognitionem, etiam in particulari, committere, adiecto mandato, vt iuris ordo seruetur, secundùm leges iudicetur. Ita habetur in c. vlt. Ne Clerici vel Monachi, in 6. & docet Gl. in c. literis. ver. nec iudicent. ibid. Abb.n.12. Ne Clerici vel Monachi. Syl. ver. homic.3.q.7.S.Ant.p.3. tit.28.c.2. ante §.1. Caiet. 2.2. q.33.a.7.Cou.cit.§.5.n.8.Mol.tr.3.disp.8.n.2.Auila s. 2. dub.4. qui bene admonent contra Henriq.lib.14. c.12. n.6.lit.N. talem cōmissionem fieri posse etiam in causa particulari. Sed definitè iubere, seu demandare absque nota irregularitatis non possunt, vt Reus iste mortis, aut mutilationis pœna afficiatur, sicuti notat Nau.lib. 5.consil.16.de homic.edit.2. Possunt tamen, vt arbitror, sine nota irregularitatis, latam à Iudice sententiam moderari: vt videlicet dicant; Si omnino Reus, propter latam sententiam, morte afficiendus est, non rota, vel igne puniatur, sed pœna mitiore. Quia hoc modo non causa mortis aut supplicij existunt, sed potiùs vt pars supplicij dematur, qui misericordiæ, non seueritatis actus est.

Assertio IV. Si Clericus, vel Iurisperitus etiam in particulari de aliquo Reo interrogatus, vtrum liceat, vel deceat eum denuntiare, condemnare, ius generatim explicuit, ac edocuit, nihil in particulari suadendo, vel iubendo, irregularitatem non incurrit: etsi præuiderit, mortis supplicium secuturum: quippe ad quod ille directè non mouit, sed solam rei veritatem aperuit. qua cognita, alter seipsum ad id, quod iustum est, permouit. Ita docet Gl.c.ex literis, ver.consuluit, de excess. Prælat. Mol.tr.3.disp.74.cōtra Syl.ver.homic.1.q. 8. Henriq.c.16.n.4. Auilam dub.6. qui aiunt, si in particulari immineat periculum hominis deformandi, non posse Clericum de iure consultum, etiam generalem responsionem dare.

Insuper rectè ibidem fatentur Mol. Auila, & Henriq. quod & docet Suar.n.8. Confessario plus etiam permissum esse, videl. vt absolutionis beneficium Iudici deneget, nisi officio satisfacere, ac Reum Reipub. noxium morti adiudicare proponat. Item hortari Reum, vt in iudicio fateatur crimen morte dignum, cum iuridicè interrogatus ad confitendum obligatur, teste Auila dub. 7.Henriq.c.16.n.4.lit.B. Neque enim credibile est, voluisse Ecclesiam irregularitatis obicem ponere, quominus Iurisperiti, & Confessarij scientia ac munere suo salubriter fungi possent.

Asssertio V. Qui vel in persona, vel rebus suis, aut suorū, aut etiā Ecclesiæ suæ, iniuriam passus est, absq; irregularitatis periculo malefactorē Magistratui denuntiare, eundem à se in custodia detentū tradere, atque actionem ciuilem instituere iure potest. dummodo expressè protestetur, se sanguinis vindictam nō postulare: quamuis interim ex qualitate criminis intelligat, fore, vt Iudex ex officio moueatur ad mortis supplicium inferendum. Sumitur ex c.2. de homic. in 6. & docet Couar. in Clem.p.2.§.5.Nau.c 27.n.213. Caiet. 2.2. q.33.a.7. Sotus l.5.de iust.q.5.a.1.in fine, Mol.tr.3.disp.8.n.3. Auila p.7.disp.5.dub.9.Suar.to.5.disp.47.s.2. Ratio huius canonicæ constitutionis redditur in cit.c. 2. Nā *alioquin, si Prælati, aut Clerici propter metū huiusmodi, quia Iudex ad pœnā sāguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderēt, daretur plerisq; materia trucidādi eosdē, et eorū bona liberè deprædandi.* Ex quo etiā sequitur, sicut Ecclesiasticus, sine irregularitatis nota, malefactorem Magistratui cum tali protestatione denunciare potest: ita etiā posse ad eum finē capere, detinere, & Iudici tradere: quia cui finis permissus est, etiā media ad eū necessaria permissa censentur, sicuti notauit Couar,

in clem.p.2.§.5.n.3.Mol.tr.3.disp.74.n.11.

Sunt autem diligenter obseruanda verba, quibus in assertione vsus sum: Primò, *In persona, vel rebus suis, aut suorum*, videlicet domesticorum, aut ita coniunctorum, vt iniuria per consequentiam in ipsum conquerentem redundare censeatur, iuxta ea quæ dixi hoc tract.p.2. c.6.n.5. & videri potest Mol.tract. 3. disp. 44. n.11. Verùm, si aliquis in foro seculari denuntiet, vel accuset de iniuria, aut damno alieno, quamuis protestetur, se criminalem vindictam non intendere, irregularitatem tamen incurret, si mortis, vel mutilationis supplicium, criminis enormitate ita exigente, Iudex inflixerit, sicuti ex communi docet Nau. c 27.n. 217.§. duodecimo, Cou. n. 4. Auila dub.11.concl.2. Mol.n.8. Suar.n.11. Ratio est, quia canones speciatim succurrere illis voluerunt, qui iniuriam ad se attinentem iudicio prosequuntur, vt nihil ipsis obesset, etsi ea re occasionem Iudici præbeant mortis, vel mutilationis sententiam decernendi: qualem indulgentiam non concesserunt in causa aliena.

Exinde colligitur cum Couar. cit.p.2.§. 5. n. 5. Henriq.lib.14. c.12.n.9. Mol. tract.3.disp.74.n.10. Suar.disput.47. s.3.in fine, Claro lib.5.sent.§.vlt.q.24.n.8. Aduocatum, ac Testes in causa criminali nihil per protestationem adiuuari, si ex eorum allegationibus Iudex ad pœnam sanguinis Reo inferendam motus fuerit. Ratio est, quia Aduocatus, ac Testis non propriam, sed alienam causam prosequuntur. Quæ etiam est, cur Clerici ordinariè compelli non possint ad ferendum testimonium in causa criminali, sicuti ex communi docent Abb.in c. sententiam. n.13. Ne Clerici vel Monachi, Sot.l.5.q.7.a.1.in fine, Auila dub.13. Mascard. vol.3.probat.concl.1357.n. 62. Quòd id per canones ipsis prohibitum sit, arg. cit. c. sententiam, &c. his à quibus, 23. q. 8.

Secundò dixi, *Qui iniuriam passus est*: Nam si agatur de iniuria inferenda, aut crimine pernicioso pendente in futurum, quod alia ratione emendari non possit, quàm per iudicialem processum; tunc non solùm ad cauendum vel auertendum malum proprium, sed etiam alienum Reipub. aut priuatæ personæ, malefactorem accusare, aut de crimine testificari cuiuis sine irregularitatis periculo concessum est, sicuti docet Caiet. cit. art.7. Suarez cit.disput.47.s.2.n.11. Henriq.cap.12.n.8.
6 Sotus de secr. mem. 2. q. 4. concl. 2. in fine. Ratio est, quia Canones nunquam infligunt irregularitatis notam propter officium debitum ex lege naturali, vel diuino charitatis, alteriúsue virtutis. Atqui accusare malefactorem, si ita necesse sit ad defendendum, vel liberandum Rempub. aut innocentem ab impendente graui periculo, opus charitatis est. Ergo, &c.

Quapropter neque hoc casu protestatione aliqua opus erit: quandoquidem opus suapte natura ab irregularitate exemptū est, sicuti rectè docet Mol.to.1.tr.2.disp. 109.post.3.concl.& tr.3.disp.8.n.9. Auila dub.11. concl. 3. Vide etiam Sa ver. irregularitas ex deformat.licita, n. 4. vbi pari ratione colligit, irregularem non esse, qui infantem ob necessitatem frigidā baptizat, etsi contingat idcirco citiùs mori: Neque eum, qui causa liberandi bona proximi è manibus furum, clamorem tollit, etsi contingat idcirco fures capi, & à Iudice puniri: Neque eum, qui contra proximi iniustum aggressorem clamorem tollit, etsi hac occasione mors aggressoris sequatur. Quia talis defensio proximi est de iure naturę, quod lege positiua impediri non debet.

Sed quid si aliquis clamorem tollat, vt fur seu raptor bonorum capiatur, & postea occidatur? Respondeo: Vel agitur de conseruatione, aut recuperatione rerum propriarum, vel alienarum: Si primum, iterum distingue: Vel enim fur deprehensus, postea Iudici tradetur, & occidetur. hoc casu non est periculum irregularitatis: cùm ipsemet etiam læsus furem capere, & Iudici tradere potuisset, præmissa protestatione. Vel fur à circumstantibus occiditur; idque periculum præuiderat clamans, licet non ea intentione clamârit, sed vt res suas recuperaret. hoc casu communiter docent Doctores contrahi irregularitatem, Innoc. & Abb. in c. significasti, 2. de homic. Nauar. c. 27. n. 236. Syl. ver. homicidium, 3. q. 7. Suarez disp. 47. s. 2. n. 21. De qua tamen doctrina dubitat Couar. p. 2. Clem. §. 5. n. 3. & Auila p. 7. disput. 5. s. 2. dub. 5. magis inclinat, in tali casu non contrahi irregularitatem: quòd & mihi placet. Non enim hoc casu incurritur irregularitas tanquam ex homicidio casuali culpabili: cum homo ille clamando, & homines aduocando ad res suas liberandas, nihil peccârit: Neque incurritur irregularitas tanquam ex homicidio inculpato quidem, sed commisso cum mansuetudinis defectu: Cùm enim fur à concurrentibus occisus sit, præter, imò contra clamantis intentionem; vtpote qui solùm res suas recuperare voluit, non est illi occisio tanquam morali causæ adscribenda.

Exinde etiam intelligitur decisio alterius membri, si nimirum agatur de conseruatione rerum alienarum, præsertim non modici momenti, probabiliter dici posse; Clamantem non fieri irregularem, etsi postea contingat furem à circumstantibus occidi, vel Iudici tradi, & supplicio extremo affici, quæ videtur etiam sententia Sa cit. n. 4. Ratio est, tum quia talis homo opus charitatis erga proximum exercuit; ergo non debet idcirco irregularitatis notam contrahere: tum quia, vt ponimus, non ea intentione clamauit, vt fur occideretur, neque ad id vllo modo cooperatus est; sed solùm impedire voluit damnum proximi.

Tertiò dixi, *actionem ciuilem institui posse*, vel ad compensationem illati damni, vel ad pœnam pecuniariam applicandam actori. Nam actionem criminalem de delicto, quod mortem, vel mutilationem mereatur, à Clerico sine peccato, & periculo irregularitatis institui non posse, communis est Doctorum sententia, teste Suar. n. 10. Auila dub. 10. Esto accusator protestetur, cupere se criminis vindictam, citra mortis tamen, vel mutilationis seueritatem. Cùm enim Iudex ab Actore postulatus, secundùm leges iudicare soleat, ac debeat; consequens est, quòd protestatio illa Actoris accusantis de crimine, morte, vel mutilatione digno, facto contraria sit, adeóque inutilis.

Aliter verò sentiendum, si crimen non esset morte dignum; tunc enim accusare potest, etiam non præmissa protestatione, sicut Mol. notauit, tract. 3. disput. 8. n. 5. Sed etsi in tali casu Iudex vel propria sæuitia, ignorantia; vel ob aliam accidentariam causam, moueretur ad mortis, vel mutilationis sententiam Reo inferendam, id tamen accusatori imputari non posset, sicuti idem Mol. docet & Couar.p.2.§. 5.n.3. Nau.n.214. Henriq.cap.12.n.8. Auila dub.9.§. secundò notandum, arg. c. postulasti, de homic.& indicat Gl. in c. 2. de homic. in 6.

Quartò dixi, *dummodo expressè protestetur*, &c. Ita enim requiritur in cit. cap. 2. de homic. in 6. Ratio est: Qui enim denuntiat, vel accusat (etiam ciuiliter) de crimine, quod scit dignum morte, vel mutilatione, is indirecta voluntate censetur esse causa mortis, vel mutilationis; quippe ad quam decernendam Iudex ratione officij sui vt plurimùm moueri solet, occasione eiusmodi denuntiationis, vel accusationis. Verùm talis indirecta voluntas, secundùm canonum constitutionem, retractari censetur per protestationem illam, eo saltem casu,

quo quis suam, vel suorum iniuriam prosequitur.

Ex quo rectè colligunt Couar.cit.c.5.n. 2.Henriq. c. 11. in fine, Auila dub.9.contra Nau.n.226.Syl.ver. homic.2.q. 8. Quamuis potestatio ficta sit, & accusator animo intendat, vt malefactor per Iudicis officium morte puniatur; nihilominus irregularitatem euitari. Contrà verò aiunt Couar. & Auila ll. cc. irregularitatem incurri, si quis protestationem intermittat, quamuis interiore animo cupiat mortem, vel mutilationem accusato non inferri. Ratio esse videtur, quia accusans de crimine, quod scit esse dignum morte, & ob id Iudicem ex officio motum iri ad mortis pœnam infligendam, is irregularitatem incurrit, siue mortis sententiam directè intendat, siue non; præterquam si per canones excipiatur: Canones autem excipiunt eum tantùm casum, si quis suam, vel suorum iniuriam ciuili accusatione prosequitur, præmissa potestatione externa, quòd sanguinis pœnam non flagitet.

CAP. VIII.

De irregularitate ex homicidio contingente in bello offensiuo.

SVMMARIVM.

1 *Qui in bello offensiuo propria manu occidit, vel mutilat, irregularis efficitur.*

2 *Qui bello iusto intersunt, opémque adferunt, si neminem propria mutilent, vel occidant, irregularitatem non contrahunt. Secùs est in bello iniusto, in quo ob vnius hominis occisionem, vel mutilationem, omnes, qui auxilium attulerunt, irregulares efficiuntur.*

1 Assertio I. Quicunque in bello offensiuo hominem propriis manibus mutilant, vel occidunt, irregulares efficiuntur. Est omnium DD. sententia, & habetur in c.si quis, d.51. Sed discrimen hoc aduerte, quòd qui in bello iusto hominem mutilat, vel occidit, irregularis fit ex defectu perfectæ lenitatis, sine peccato, si laicus sit. Qui verò in bello iniusto; is alterius generis irregularitatem contrahit, quæ est ex iniusta deformatione, de qua infrà cap.10.

2 Assertio II. Qui in bello iusto sua præsentia pugnantibus animum addiderunt, aliúdve auxilium præstiterunt, si neminem propria manu occiderunt, vel mutilarunt, licet vulnerârint; irregularitatem non incurrunt. Ita habetur in c. petitio, de homic. Et debet id censeri speciale noui iuris priuilegium, ideo concessum, ne homines metu irregularitatis à bellando absterreantur, sicuti notauit Mol.t.1.tract.2.disput.110 & tract. 3. disp.73.Auila p.7. disp.6.s.3. dub. 2.& colligitur ex cit. c. si quis, d. 51.

Assertio III. Qui in bello iniusto qualecunque auxilium attulerunt, secuta vel vnius hominis occisione, aut mutilatione, irregularitatem omnes contrahunt. Ita sumitur ex c.sicut dignum, §. vlt. de homicid. & c.quod in dubiis, de pœnis, iunct. Gloss. & ex communi docet Syl. ver. bellum,3.q 3.Nauar.c.27.n. 216.234. Couar. cit. Clem p.2.§.3.n.2. Ratio est: Quia cum plures coniuncto consilio, vel auxilio concurrunt ad homicidium, aliúdve delictum vel damnum, censentur veluti vna causa moralis, sicuti notant DD. in c. significasti, 2. de homic. Syl.eod.ver.1.

CAP. IX.

De irregularitate ex homicidio ob defensionem.

SVMMARIVM.

1 *Qui ob necessariam corporis sui defensionem occidit, vel mutilat hominem, irregularis non fit.*

2 *Qui ob necessariam Reipubl. vel hominis innocentis defensionem ex obligatione charitatis pugnant, irregularitatem non contrahunt.*

3 *Qui iniquum aggressorem ob famæ, aut bonorum defensionem mutilat, vel occidit, irregularis efficitur, propter mansuetudinis defectum.*

Assertio I. Qui ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem hominem mutilat, vel occidit, irregularis non efficitur. Ita habetur in Clem. vn. de homicid. *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem.* 1

Assertio II. Neque Clericus, neque laicus irregularitatem contrahit, si iniustum Reipub. vel hominis innocentis inuasorem mutilet, vel occidat, cùm ex lege naturali & diuina ad eiusmodi necessariam defensionem obligatus est. Ita docet Syl.ver.bellum,3.q.2.§.adde tu, Couar.p.3. Clem.§.vn.n.5.Mol.t.1. tract.2. disp. 109. Auila disp. 5. sect.3.dub.5.contra Caiet. 2.2. q. 40. a.2.Nau.c.15.n.2.& c.27.n.213. Probatur primò: Irregularitas non incurritur nisi ex homicidio spontaneo: hoc autem, de quo loquimur, non omnino sponte, sed cogente legis necessitate patratum est. Secundò: Irregularitas ex homicidio licito contrahitur propter defectum perfectæ lenitatis seu mansuetudinis: Vbi autem charitas, pietas, vel iustitia per se & simpliciter obligat ad occidendum aggressorem Reipub. aut hominis innocentis, non potest dici defectus mansuetudinis: ne vnam virtutem cum altera pugnantem fateri cogamur. Dixi autem per se & simpliciter: Quia Iudicem, Carnificem obligat quidem lex iustitiæ ad inferendam mortem noxiis; sed ex hypothesi muneris ab ipsis sponte ac voluntariè assumpti: ideóque hi irregularitatem contrahunt. Tertiò: Non est credibile, mentem Ecclesiæ esse, vt irregularitatis macula homini inferatur, propterea quòd legem naturalem seruauit, propriā animam morte spirituali liberauit. Quid enim id aliud esset, quàm auocare homines ab obseruatione præceptorum Dei? 2

Corollarium. Qui in bello merè defensiuo ad liberandam patriam, Ecclesiam à violentia aggressorum ex obligatione charitatis, aut pietatis pugnantes, hostem merè defensionis causa, mutilant, vel occidunt, irregularitatem effugere videntur. Neque obstat c. petitio, de homic. vbi Clericus irregularis iudicatur, si in bello contra inimicos Fidei Catholicæ aliquā interfecit. Nam Clericos, præsertim qui in maioribus ordinibus sunt, plerumq; non conuenit in publico bello defensiuo propria manu pugnare; quia per alios, videl. laicos, vis & iniuria depelli potest, ait Abb. ibid. & docet Syl. ver. homicid. 3. q. 6. secùs verò dicendum, si in aliquo casu ineuitabilis necessitas sit: quia aliter Ecclesia, vel patria ab iniquis inuasorib. liberari nequeat, sicuti ex communi notauit Abb.l.c.Syl.ver.bellum, 3. q.2.

Assertio III. Qui iniquum aggressorem mutilat, vel occidit ob defensionem famæ, aut honoris: quia v. g. fugere indecorum esse videtur: Item, qui ob rerum defensionem furem interficit, aut deformat, irregularitatē contrahit. Prior pars colligitur ex sensu con- 3

trario Clem. si furiosus, *Qui mortem aliter vitare non valens, &c.* Ergo si mortem fuga declinare possit, irregularis efficitur, sicuti notat Gl. ibid. Abb. c. olim 1. de restit. spoliat. n. 18. Syl. ver. excom. 6. q. 9. Nau. lib. 5. consil. 7. n. 4. de homic. edit. 2. Auila disput. 5. s. 3. dub. 2. post. 3. concl. contra Couar. in Clem. p. 3. §. vn. n. 1. & 4. in fin. P. Nau. l. 2. c. 3. n. 418. Suar. disp. 46. s. 1. n. 4. Ratio est, quia ad irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis non requiritur culpa; sed satis est, si sponte ac voluntariè aliquis accesserit ad hominis mutilationem, vel occisionem; cùm Christianæ charitati, patientiæ, ac mansuetudini ad Christi imitationem magis conforme esset iniuriam sustinere: excepto casu, si agatur de defensione vitæ. hunc enim canones exceperunt: quòd tantò minor in ea cernatur mansuetudinis defectus, quantò maior, & naturæ conformior vitæ defendendæ necessitas.

Qua eadem etiam ratione probari debet altera assertionis pars; eamque probationem indicat c. suscepimus, de homic. ibi; *Quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quàm pro conseruandis vilibus et transitoriis rebus tam acriter in alios exardescere.* Et Gl. in c. 2. eod. tit. ait: *Irregularis factus est, quia potiùs debuit dimittere sua, quàm interficere.* Confirmatur: Si alterum ob rerum suarum iustam defensionem occidens irregularitatem non incurrit, sequitur, quòd neque ij incurrant, qui vim passum pugnando adiuuant: consequenter dicendum erit, milites, si voluntariè & sine ineuitabili obligatione seu necessitate se conferant ad militandum alicui domino in bello defensiuo iusto, irregulares non fieri propria manu occidentes cuius contrarium docetur communiter in c. petitio, de homic.

Quare hanc nostram sententiam tenent Abb. & alij Canonistæ in c. 2. de homic. S. Anton. 3. p. tit. 4. c. 3. §. 2. Armilla ver. irregularitas n. 41. Syl. ver. homic. 2. q. 16. Nau. c. 27. n. 211. 213. & c. 15. n. 4. (vbi addit, id ipsum obseruare stylum Curiæ Romanæ, qui ius facit, iuxta c. quàm graui, de crimine falsi, c. ex literis, de Constit.) Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 6. n. 61. Mol. tr. 3. disput. 72. Henriq. c. 11. n. 3. lit. B. Auila disp. 5. s. 3. dub. 4. aliique Doctores communiter, contra Couar. cit. §. vn. n. 6. in fin. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 14. Suar. disp. 46. s. 2. Pet. Nau. cit. n. 418. Quorum tamen sententia saltem eo casu defendi debet, si famæ, honoris, bonorúmve defensio alicui necessaria sit ad vitam suam, vel suorum, vel aliud eximium bonum consequendum; vt vel ineuitabilis necessitas appareat, vel consilij, maiorisque virtutis opus esse videatur, occidere, quàm iacturam pati: Ne fateri cogamur, canonica sanctione Clericos à virtutis opere impediri.

CAP. X.

De irregularitate ex homicidio voluntario, & casuali.

SVMMARIVM.

1 *Ob homicidium merè fortuitum non incurritur irregularitas: siue aliquis operam dederit rei licitæ, siue illicitæ.*

2 *Adulter irregularis efficitur, si occasione adulterij homicidium secutum est; modo ille tale periculum præuiderit.*

3 *Clericus in sacris irregularis efficitur, si exercendo artem chirurgicam, per incisionem, vel adustionem, quamuis omni adhibita diligentia, hominem occidat, vel mutilet.*

4 *Ad contrahendam irregularitatem ex homicidio indirectè voluntario, requiritur culpa mortalis, si quis operam dederat rei licitæ: sin verò rei illicitæ, sufficere videtur culpa venialis.*

5 *Si vulneratus vulnere non lethali, tamen mortuus est ob chirurgi penuriam, aut imperitiam, iniquè vulnerans irregularis efficitur.*

Repetenda sunt ea, quæ suprà dixi cap. 4. Homicidium vel casu fieri, vel voluntate: Item vel voluntate directa, vel indirecta. Quibus addendum, actionem, ob quam homicidium alicui indirectè imputatur, interdum secundùm se ac præcisè spectatam, esse honestam, ac licitam: interdum verò illicitam.

Assertio I. Ob homicidium merè casuale ac fortuitum 1
non incurritur irregularitas. Sumitur ex c. lator, c. ex literis, 1. & 2. c. significasti, 1. c. exhibita, de homic. Neq; referre videtur, vtrū aliquis dederit operam rei licitæ, an illicitæ: cum etiam comparatione illicitè operantis homicidium fortuitum esse possit, si de tali euentu vel nunquam in mentem venit cogitare, vel, etsi cogitauerit, tamen morali certitudine sibi persuasit, procul abesse periculum, sicuti docent Arrag. 2. 2. q. 64. art. 8. dub. 2. Cordub. lib. 2. quæstionarij q. 26. Sot. lib. 5. q. 1. a. 9. Auila p. 7. disp. 6. s. 1. dub. 1. Sairus lib. 7. thesauri c. 5. n. 13. Gutierez lib. 2. canon. qq. c. 6. n. 156. vbi ait: Non satis esse ad incurrendam irregularitatem, quòd opus, ex quo homicidium sequitur, culpabile sit, nisi etiam dirigatur in homicidium, arg. c. quantum, d. 50. Quamuis contrarium sentiant multi Canonistæ, Couar. p. 2. Clem. §. 4. n. 1. & 10. Syl. ver. homicid. 2. reg. 3. quin & S. Tho. 2. 2. q. 64. a. 8. ad 3. Caiet. ibid. arg. c. continebatur, c. dilectus, c. Ioannes, & c. vlt. de homic. Quibus tamen iuribus solùm habetur, quòd is, qui dando operam rei licitæ casuale homicidium fecit, irregularitatem non contrahat: Ex quo per sensum contrarium inferri non potest, quòd dans operam rei illicitæ, si hominem casu occidat, irregularis fiat. Cùm enim irregularitas non incurratur nisi in casibus iure expressis, ideo non valet argumentum à sensu contrario ad statuendam irregularitatem. Accedit, in citatis iuribus causam præcipuā afferri, cur operans irregularitatem incurrisse censendus non sit, quia per nullam eius negligentiam, sed mero casu homicidium euenerit: id enim faciliùs ac manifestiùs præsumi poterat, si operans rei alioquin licitæ vacabat: quare talis circumstantia, quòd rei licitæ opera data fuerat, ad remouendum omne dubium non inutiliter adiecta fuit.

Exinde dubiū resolui potest: Vtrū adulter irregularis 2
sit, qui maritū aggressorem necessariæ defensionis causa mutilauit, vel occidit? Affirmat S. Anton. p. 3. tit. 5. c. 8 §. 1. Nau. c. 27. n. 238. man. & l. 5. consil. 33. de homic. edit. 2. Gutierez l. 2. c. 6. n. 43. Mol. tr. 3. disp. 72. n. 5. Negant vniuersim Sotus l. 5. q. 1. a. 9. Henriq. l. 14. c. 10. n. 3. in fine, Auila disp. 3. sect. 5. dub. 3. conclus. 1. Less. l. 2. c. 9. n. 105. Mihi placet distinctio Suarezij disp. 46. sect. 1. n. 12. Si adulter temere, & non sine periculo excitandæ rixæ, ad peccandum cum aliena vxore accessit, irregularē effici: quia indirectè causam præbuit secuti homicidij propter vitæ defensionem. Quemadmodum, si aliquem indignis cōtumeliis lacessens, prouideas fore, vt te gladio inuadat: postea verò eum inuasorem, tui defendendi gratia, occidas, irregularis fies: potuisses enim vitare necem, tacendo, & ab iniuria abstinendo; non minùs quàm inuasus à latrone clamando, vel fugiendo: quo casu plerique fatentur, nisi quis clamet, aut fugiat, irregularitatem contrahi, secuta occisione latronis.

Simile dubiū est: Vtrū adulter irregularis fiat, si maritus, cognito adulterio, vxorē interficiat? Affirmat Nau. l. c. ex responsione Pij V. Gutierez l. c. n. 41. Negat vniuersim Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 14. Couar. p. 2. Clem. §. 4. n. 9. Auila l. c. cōclus. 2. P. Nau. l. 2. c. 3. n. 365. Mihi placet persistere in dist. Suar. quam tradit disp. 45. sect. 6. n. 5. Vt attendatur, num adulter temere se ingerendo, exposuerit adulteram mortis periculo: an verò præter omnem opinionem maritus facinus intellexerit, & de adultera indignam pœnam sumpserit. Neque obstat, quod Sotus, & Auila obij-

ciunt; Maritum contra ius occidisse vxorem: quare ipsi homicidium tanquam causæ, non adulteræ adscribendum esse. Respondeo enim, ad irregularitatem sæpe sufficere occasionem præbuisse homicidio per alterum iniquè illato; quamuis præter, aut contra directam intentionem eius, qui occasionem præbuit. Veluti si scias, in aliqua silua paratos esse latrones ad occidendos transeuntes, & nihilominus alicui suadeas, vt ingrediatur: Aut si Titium detractione concites aduersus Caium, cùm prouideas subesse periculum, ne eum occidat: Vel si iubeas aliquem verberari, prohibens ne mutilet, vel occidat; ille verò mandati fines egressus mutilârit, vel occiderit, irregularis fies, iuxta decisionem c. vlt. de homic. in 6. vbi ratio additur: *Cum mandando in culpa fuerit, & hoc euenire posse debuerit cogitare.*

3 Assertio II. Vnicus casus est, quo Clericus irregularis fit secuto homicidio præter intentionem, etsi omnem diligentiam adhibuerit, ne sequeretur: si videl. opus ea ratione illi illicitum ac prohibitum sit, quòd cum homicidij periculo coniunctum esse soleat: qua ratione Monachis, & quibuscunque Clericis in sacro ordine constitutis specialiter prohibitum est exercitium artis chirurgicæ per incisionem, vel adustionem, iuxta c. sententiam, Ne Clerici, vel Monachi, &c. tua nos, de homic. vbi id docet Glos. & Abb. ibid. Couar. cit. §. 4. n. 9. Mol tract. 3. disp. 75. n. 2. Auila disp. 6. sect. 1. dub. 2. Quia, vt dicitur in reg. 19. in 6. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se miscet.* Excipitur tamen casus necessitatis, in quo ipsum ius naturale id exigit: vt si Chirurgus alius præter Clericum non adsit, qui curationem homini periclitanti adhibeat, sicuti docet Mol. tract. 3. disp. 8. n. 11. & fusiùs in cit. disp. 75. vbi etiam admonet, dictam prohibitionem artis chirurgicæ cum periculo irregularitatis incurrendæ, si mors, vel mutilatio, quamuis sine peccato aduersus quintum præceptum Decalogi, sequatur; extendendam non esse ad Clericos in minoribus ordinibus, licet beneficiati sint: cùm canones de iis non exprimant. Interim fatendum, quòd Monachis seu Religiosis, ac Clericis omnibus, qui in sacris constituti, vel beneficiati sunt, studium & exercitium artis medicæ ac chirurgicæ prohibitum sit, tanquam alienum ab eorum professione, nisi necessitas, vel pietas excuset. qua de re Nau. c. 25. num. 110. Sanchez l. 6. moral. c. 14. n. 18. Videri etiam potest compend. priuilegior. Societatis Iesu, ver. Medici.

Sed nunquid similiter sentiendum de Clerico venatore aprorum, ceruorum, &c. si omni adhibita diligentia, hominis cædes sequatur? Ita affirmant Caiet. 2. 2. q. 64. a. 8. Nau. c. 27. num. 237. Mol. tract. 3. disput. 77. §. Clerici, Angelus ver. homicidium, 2. §. 13. Sed contrarium est probabilius, quod docet Couar. cit. §. 4. num. 10. ver. quartò, Suar. cit. sect. 6. n. 14. Auila cit. sect. 1. dub. 1. Castro cit. c. 14. Henriq. c. 15. num. 3. Quia perrarò cùm venatione coniuncta est hominis occisio: quare neque ob tale periculum; sed ob status honestatem, Ecclesiasticis personis venatio cum clamore & armis prohibita est.

Assertio III. Quicunque iniusti homicidij voluntaria causa existit, directè, vel indirectè, irregularitatem contrahit. Est communis Doctorum sententia, quę colligitur ex c. sicut dignum, de homic. & aliis iuribus. Et quidem de homicidio directè voluntario siue ex proposito nulla est dubitatio. De homicidio verò non doloso; sed indirectè tantùm voluntario, atque culpabili dubium est, quanta culpa ad contrahendam irregularitatem requiratur? Multi venialem culpam sufficere arbitrantur, inter quos Caietan. ver. irregularitas, Armilla eodem num. 14. Molin. tract. 3. disput. 77. neque dissentit Gloss. in cap. significasti, 1. de homicid. Abb. cap. quæsitum, de pœnit. Couarruu. cit. §. 4. num. 9. Alij autem culpam mortalem requirunt, Sotus lib. 5. de iustit. quæst. 1. a. 9. Pet. Nau. lib. 2. de restit. c. 1. num. 69. Auila disp. 6. sect. 1. dub. 11. conclus. 3. Henriq. lib. 14. c. 15. n. 7. in fine.

Arbitror dicendum primò: Si operam quis dedit rei per se honestæ, ac licitæ; sed debitam non adhibuit diligentiam, ne mors accideret: necesse est latam siue mortalem culpam interuenire, vt irregularitas contrahatur. Exempla habes: I. in Iudice Reum torquente, ac præter intentionem directam mutilante, vel occidente, contra l. quæstionis modum, ff. de quæstionibus Reorum, & docet Gomez 3. resol. cap. 13. n. 5. Auila disp. 6. sect. 1. dub. 4. 4

II. In Iudice, vel custode, Reum ad carcerem damnatum victus tenuitate ita premente, ad audientes vt fame conficiatur, licet præter intentionem illius, sicut docet Abbas cap. cùm non ab homine, num. 33. de iudic. Nau. lib. 5. consil. 11. §. sextò, de homic. & consil. vn. de pœnis, edit. 2.

III. In Magistro disciplinæ causâ puerum castigante: sed, moderatione non adhibita, causam mortis, vel mutilationis adferente, contra l. præceptoris, ff. ad l. Aquil. de hoc casu agitur in cap. Presbyterum, in c. audientiam, de homic. Vide Nauar. c. 27. num. 235. Couar. p. 2. §. 4. num. 5. Henriq. cit. lib. 14. n. 4. in fine, Auila dub. 3. vbi rectè hi aiunt, irregularem fieri, si modum nimis excessit: aliàs non.

IV. In Medico, vel Chirurgo sanare volente, sed interficiente, per imperitiam, vel negligentiam latam, sicuti notat Glos. in c. ad aures, de ætate & qualit. ordinandorum, ver. remordeat.

V. In infirmario, qui irregularitatem non incurrit, si dum infirmum charitatis causâ in lecto mouet, vt ei cibum ministret, vel vt quietiùs cubet, mortem paululum accelerasse videatur: præterquam si culpa lata interuenit, sicuti docet Syl. ver. homicid. 2. q. 15. Sotus lib. 5. de iust. q. 1. a. 9. Caiet. 2. 2. q. 64. a. 8. Nauar. c. 27. num. 228. Auila p. 7. disp. 6. sect. 1. dub. 8. Henriq. cap. 15. n. 5. Mol. tract. 3. disp. 75. num. 5.

VI. In patre, paupertatis causâ prolem in lecto suo collocante, & opprimente, qui casus est in c. quæsitum, de pœnit. & remiss. & videri potest Caiet. 2. 2. quæst. 64. a. 8. circa medium.

VII. In patrefamilias ferocem canem alente, & incautè ligante. Qua de re Syl. verbo homic. 2. q. 24. Nau. c. 27. num. 227. Auila dub. 7.

Dicendum secundò: Si quis, dum operam dedit rei illicitæ, homicidij, vel mutilationis causa extitit, sufficere videtur culpa venialis ad irregularitatem contrahendam. Exempla habes: I. In Clerico venatore aprorum, vrsorum, si non omnem diligentiam adhibeat, ne hominis occisio, vel mutilatio sequatur. de quo casu suprà dictum est.

II. In Clerico impudicè iocante, vel saltante cum muliere grauida, vnde abortus prolis animatæ contigit. qui est casus cap. sicut ex literarum, de homic. & videri potest Caietan. cit. a. 8. resp. ad 3. Couarruu. cit. §. 4. num. 4. Nauar. cap. 27. num. 236. Fundamentum traditę doctrinæ est, quòd canones passim significent, sicut videre est in cit. cap. ad audientiam, & seqq. dę homic. & notat Syluest. ver. homic. 2. in princip. Gutierez lib. 2. canon. qq. cap. 6. num. 143. Caietan. cit. quæst. 64. a. 8. faciliùs incurri irregularitatem, cùm quis rei illicitæ operam dat, si exinde homicidium sequatur, quàm si licitam operationem exerceat. Respondent tamen ad id Henriq. c. 15. num. 2. Auila cit. disp. 6. sect. 1. dub. 11. conclus. 3. discrimen hoc, vtrum homicidium secutum sit ex operatione secundùm se licita, an illicita: pertinere tantùm ad forum externum, in quo præsumptio fieri solet contra eum, qui rei illicitæ operam dedit, non sine lata eius culpa homicidium accidisse: præsumptio autem cedit veritati. Quam doctrinam fateor esse probabilem,

bilem, ideoque in praxi tutam, vt in conscientiæ foro nemo ob delictum, nisi mortale sit, se irregularem censere debeat.

3 RESTAT QVAESTIO. Quid censendum sit eo casu, cùm aliquis, accepto vulnere non lethali, mortuus tamen est accidentibus aliis causis? Respondeo & dico I. Si vulneratus vulnere alioquin non lethali, mortuus est, quia nemo aderat, qui curationem adhiberet; iniustè vulnerans irregularis efficitur, & perinde atque alius homicida ad damni compensationem obligatur. Est communis apud Sotum lib. 5. de iust. quæst. 1. a. 9. Nau. c. 27. num. 223. ver. octauò. Auilam p. 7. disput. 6. sect. 1. dub. 5. Nam hoc casu solum vulnus causa physica mortis existit. Eadémque ratio erit, si occasione vulneris alius morbus accessit, mortem inferens. Nam *causa causæ censetur etiam causa causati*. Et tradit id Couar. p. 2. Clem. §. 2. num. 9. arg. c. Presbyterum, &c. ad audientiam de homic. qui tamen admonet, homicidam hoc casu mitiùs ferme, quàm pœna ordinaria, puniri solitum.

Cæterùm, si vulneratus vulnere non lethali semel conualuit, & postea in morbum recidit, quo extinctus est, censebitur non causa siue occasione vulneris mortuus; & vulnerans ab irregularitate, aliisque obligationibus homicidij immunis erit, sicuti constat ex l. qui occidit, §. vlt. ff. ad l. Aquil. & c. 2. de homic. & docet Abb. in cit. c. Presbyterum, num. 3. Couar. cit. §. 2. num. 9. in fine, Auila cit. sect. 1. dub. 5. conclus. 2. Mol. tract. 3. disp. 32. num. 2. Vbi rectè monent; Medicorum iudicio, nec non Iudicis arbitrio, considerantis circumstantias, relinqui, num percussio occasionem morbi præbuerit; adeóque tam vulnus, quàm morbus accedens mortis causa extiterint, ita vt irregularitas contrahatur, an morbus planè per accidens, atque extrinsecùs acciderit, hominémque extinxerit, quo casu irregularitatem euitari dixi.

Dico II. Si vulneratus vulnere non lethali, mortuus tamen est Medici, aut Chirurgi imperitia, seu negligentia, vel propria incuria, vulnerans tenetur tantùm de vulnere; non item de homicidio, quod attinet ad pœnam, & obligationem resarciendi damni. Ita habetur in l. qui occidit, §. vlt. & videri potest Couarruu. cit. num. 9. Molin. cit. num. 2. Alexander de Neuo apud Abb. super cap. 2. de Clerico percussore, Clarus lib. 5. sentent. §. homicidium, num. 42. Less. lib. 2. cap. 9. dub. 15. Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 111.

Dico III. Nihilominus talis in hoc casu irregularitatem contrahere videtur. Ita docet Anton. 3. p. tit. 28. cap. 2. princip. Nauar. num. 223. Molin. l. c. Gutierez lib. 2. cap. 6. num. 93. Auila cit. dub. 5. conclus. 2. Henriq. l. 14. c. 14. num. 4. contra Sotum cit. l. 5. quæst. 1. a. 9. Syluest. ver. homicidium, 2. quæst. 22. Less. cit. c. 9. num. 102. Nam qui per actionem suam culpabilem, periculosam, & iniuriosam homicidij occasionem præbet, eo secuto, irregularis fit, argum. cap. significasti, 2. extrà, &c. vlt. de homic. in 6. Atqui vulnerans in nostro casu per culpabilem, periculosam, & iniuriosam actionem, occasionem præbuit secutæ mortis. Nisi enim vulnus illatum fuisset, mors non accidisset: quare non sola Medici, aut vulnerati negligentia; sed simul etiam ipsa vlneratio mortis causa extitit. Ergo, &c.

Rectè tamen monent Auila, Henriquez, si vulnus leue fuisset, quod exigua cura sanari potuisset, tunc vulneranti nullo modo, sed solùm medicamento, atque extrinsecæ causæ mortem adscribi. Deinde licet aliquis vulnus lethale ab aliquo acceperit, si tamen postea alia de causa, v. g. bombardæ explosione occisus fuisset; ita vt vulnus priùs acceptum nihil omnino contulerit ad mortem, neque vllo modo illam accelerârit, in tali casu eum, qui lethaliter antè vulnerauerat, irregularitatem non incurrere, valde probabile est, & annotauit Molina tract. 3. disput. 33. memb. 6. num. 4.

CAP. XI.

De irregularitate ex mutilatione.

SVMMARIVM.

1 *Mutilasse is solùm dicitur, qui alicui membrum abscidit.*
2 *Qui alteri aurem, nasum, aut digitum vnum ex maioribus amputauit, videtur irregularitatem incurrere.*
3 *Qui sibi ipsi digitum per iniquitatem abscindit, haud dubiè irregularis est.*

HOmicidium, & mutilatio in iure æquiparantur, quod attinet ad irregularitatem incurrendam, sicuti constat ex cap. 1. de Clericis pugnantibus in duello, c. vlt. de homicid. in 6. & Clem. vn. eodem tit. iuncta Gloss. ver. mutilat. Quare & nos hactenus promiscuè egimus de irregularitate orta cùm ex homicidio, tum ex mutilatione.

Solùm hic superest explicandum, quid propriè sit mutilatio. Respondeo: Mutilasse dicitur non omnis, 1
qui vulnerauit, sanguinem fudit, vel membrum inutile reddidit, sicuti notauit Caietan. 2. 2. quæst. 65. a. 1. Nauar. cap. 27. num. 223. Suar. disput. 44. sect. 2. num. 6. & 11. Molin. tract. 3. disput. 68. contra Abb. c. cùm illorum, num. 8. de sent. excommunicat. Syluest. ver. homicidium, 3. quæst. 3. Sed is solùm mutilasse dicitur, qui membrum alicui abscidit, sicut colligitur ex c. sicut vrgeri, 1. q. 1. c. Clericis, Qui Clerici, vel Monachi, c. In Archiepiscopatu, de raptoribus.

Hoc ex communi sententia posito, restat adhuc difficultas, quid intelligendum sit nomine membri, cuius abscissio irregularitatem inducat. Nam Bartolus l. 2. ff. de publ. iudic. Abb. in c. Ego N. num. 2. de iureiurand. Syluest. loco suprà cit. Nauar. num. 206. Couar. p. 3. Clem. in princ. num. 8. Mol. tract. 3. disput. 69. Auila p. 7. disput. 5. sect. 1. arbitrantur, nomen membri strictè accipiendum esse, vt aliud non sit, quàm organum, siue corporis pars principalis, peculiarem in corpore functionem obtinens; vt manus tangendi, pes ambulandi, oculus videndi, &c. ducto argum. ex l. idem O filius, ff. de ædil. edict. Aristot. 10. Ethic. c. 5. & Apost. 1. ad Corinth. 12. *In vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent.* Ex quo inferunt, irregularem non esse, qui aurium, vel narium cartilaginem, aut qui vnum, vel alterum digitum alicui abscindit. Nam auris, vel nasi cartilago, inquiunt, etsi sensorio adiumentum adferat, sentiendi tamen actionem minimè exercet: igitur nec membrum, siue corporis organum censeri debet. Neque digitus membrum est, sed pars membri, siue membrum membri: cùm propriam operationem non habeat, sed manui in operatione inseruiat, & instrumenti loco sit.

Hæc opinio probabilis est, & ob Doctorum auctoritatem in praxi tuta. Suspicor tamen, contrariam sen- 2
tentiam canonibus conformiorem esse, quam tradunt Caietanus, Sotus ll. cc. Suarez num. 7. irregularem fieri, qui alteri aurem, aut nasum, vel qui digitum amputat, præsertim vnum ex maioribus: (nam de minoribus ipsemet Suarez dubitat num. 9.) Fundamentum est, quia canones nusquam meminerunt huius physicæ potiùs, quàm moralis definitionis membri; sed mutilationem appellare videntur, quamlibet partis organicæ abscissionem, ob quam corpus humanum notabiliter sua integritate priuatur, atque imperfectum seu mutilum redditur.

3 Illud verò certius esse debet, qui sibi ipsi digitum, aliámve corporis partem per iniquitatem abscidit, irregularem fieri: quòd in ea re maior criminis deformitas appareat, sicuti constat ex c. Qui partem, d. 55. &c. significauit, de corpore vitiatis, & videri potest Nauar. num. 198. Suarez disput. 51. sect. 2. num. 6. Mol. tract. 3. disput. 7. num. 17. vbi monet, eandem irregularitatem incurri, licet factum occultum sit: cuius contrarium senserunt Hostiensis, & alij apud Nau. l. c. Couar. in Clem. si furiosus, p. 1. init. num. 6.

CAP. XII.

De dispensatione super irregularitate ex homicidio & mutilatione.

SVMMARIVM.

1 *Cum homicida voluntario, quamuis occultus sit, nemo præter Papam dispensare potest.*

2 *Probabile est, Episcopum dispensare posse in irregularitate ex mutilatione illicita, si occulta sit; item in homicidio facto causa defensionis, cum excessu moderationis: & in homicidio indirectè voluntario.*

3 *Cum homicida indirectè voluntario, quamuis notorio, dispensare Episcopus potest ad ordines minores accipiendos.*

4 *Nomine homicidij indispensabilis intelligitur tantùm homicidium directè voluntarium, idque iniustum.*

5 *Episcopus per facultatem in Tridentino concessam, dispensare non potest super irregularitate ob lenitatis defectum.*

6 *Irregularitas non ligat cum graui periculo vitæ, aut famæ.*

NOtandum est primò; A Tridentino Concilio Episcopis priuilegium concessum esse sess. 24. c. 6. reform. dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, ea excepta, quæ oritur ex homicidio voluntario. Dico autem, id esse priuilegium: quia alioquin Episcopi dispensare non possunt in lege Pontificia, seu Ecclesiæ vniuersalis.

Notandum secundò; Ab eod. Tridentino Concilio sess. 14. c. 7. de reform. statutum esse, vt qui sua voluntate homicidium perpetrauerit, etsi crimen occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, neque illi aliqua Ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non habeant animarum, conferri liceat: sed omni ordine, ac beneficio, & officio Ecclesiastico perpetuò careat. Sin verò non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet, defensionis tamen modum excedens, homicidium commissum sit, iure quodammodo dispensatio debetur.

1 Assertio I. Cum voluntario homicida, quamuis occultus sit, nemo dispensat, præter Sum. Pontificem. Hæc est communis apud Nau. n. 194. ex cit. sess. 24. c. 6. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 5. c. 9. n. 4.

2 Assertio II. Probabile est, Episcopum dispensare posse in irregularitate ex illicita mutilatione, si occulta sit. Ita Rodriq. tom. 1. sum. c. 181. conclus. 1. Sa ver. irregularitas ex deformat. illicita, num. 7. Auila p. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 4. contra Medin. lib. 1. sum. c. 11. num. 12. Henriq. c. 9. num. 3. lit. Z. Sanchez 1. moral. c. 10. num. 49. Ratio est: Quia Concilium tantùm excipit homicidium: mutilatio autem non est homicidium: quare hæc exceptio firmat regulam in aliis. Accedit, quòd exceptiones, siue restrictiones facultatis ordinariæ (cuiusmodi est ista Episcoporum dispensandi super omni irregularitate ex crimine occulto) non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem, sicuti notauit Finellius casu 3. n. 26. Tametsi verò homicidium & mutilatio in iure æquiparantur, quod attinet ad causas incurrendi irregularitatē; non tamen semper, quod attinet ad cętera.

Assertio III. Episcopus dispensare potest in homicidio occulto, causâ defensionis facto, sed excedendo moderationem inculpatæ tutelæ. Ita Nau. cap. 27. num. 240. & consil. 36. de homic. edit. 2. Henriq. c. 19. num. 3. Auila dub. 5. Ratio est, quia tale homicidium non censetur simpliciter voluntarium esse.

Assertio IV. Probabile est, Episcopum dispensare posse cum homicida occulto, qui tamen hominis necem directè non intenderat, sed solùm indirectè, & in causa. Exempla habes: Si quis mulierem grauidam incautè percussit, & abortum procreauit: Si quis tegulam improuidè è tecto deijciens, hominem occidat. Si quis alterum iniquè verberari mandauit, prohibens ne occideretur; mandatarius verò fines mandati egressus, omnino occidit, iuxta cap. vlt. de homicid. in 6. Idque notauit Nau. cit. num. 240. & lib. 5. consil. 27. de homicid. edit. 2. Si quis ad rixam prouocatus, percutiendi tantùm animo accessit: postea verò, ne ab auctore rixæ occideretur, occidit. Nam eiusmodi homicidia, cùm non sint ex proposito directo ac formali, non sunt simpliciter ac perfectè voluntaria; sed veluti mixta ex voluntario & casuali, secundùm doctrinam S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 8. Nau. cit. c. 27. n. 219. Quare eiusmodi homicidia occulta indispensabilia non esse, docet idem Nau. cit. n. 240. Suar. disp 44. s. 1. n. 4. Henriq. lib. 14. c. 19. n. 2. Auila disp. 6. s. 5. dub. 5. contra Molin. tr. 3. disp. 3. §. illud admonuerim, qui putat, omne homicidium, quamuis directè volitum non sit: imò etiam nolitum, si tamen proueniat ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis cædes, inter homicidia voluntaria, ideóque indispensabilia numerandum esse. quod etiam sentire videtur Couar. p. 2. Clem. initio, n. 1. Azor to. 3. lib. 2. c. 14. post Caiet. in cit. q. 64. a. 8. Et rectè quidem docent hi Doctores, eiusmodi homicidium non esse casuale: fateri tamen etiam debent, non esse simpliciter, ac perfectè voluntarium: sed secundùm quid, indirectè & in sua causa: Vt proinde probabile sit, sub exceptione homicidij voluntarij à Tridentino non fuisse comprehensum.

Eadem responsio inseruire etiam poterit Parochis, qui secundùm consuetudinem diœcesium, ab homicidio voluntario, tanquam Episcopis reseruato, absoluere non possunt: attamen in cōscientiæ foro cōfitenti homicidium credere possunt asserenti, non habuisse propositum occidendi, sed solùm v. g. rixandi: postea verò necessitate compulsum occidisse, ne ipsemet occideretur: cuiusmodi peccatum non debet reseruatum censeri: præsertim si occultum sit: Sin verò notorium, conuenit plerumque, vt examini Episcopi relinquatur.

Assertio V. Probabile est, quod docet Auila in fine disp. 6. contra Henriq. c. 19. n. 3. Licet is, qui ex commiserationis affectu infirmum vertit, vt liberet eum angustiis mortis, grauiter peccet, & irregularis fiat, accelerando mortem: tamen cum eo dispensari posse ab Episcopo, aut Priuilegiato. Quia per homicidium voluntarium indispensabile intelligi videtur, quod animo crudeli, vel inimico fit.

Assertio VI. Etsi Episcopus cum homicida voluntario occulto dispensare non potest ad ordines minores seu accipiendos, seu exercendos: neque ad beneficium simplex: cùm id in Trident. clarè prohibitum sit, illis verbis: *Omni ordine, ac beneficio careat*, & notauit Nau. n. 240. Lopez p. 2. instruct. c. 93. Sairus lib. 7. thesauri, cap. 7. num. 14. Auila disp. 6. s. 5. dub. 3. contra Sa ver. irregularitas ex deformat. illicita, n. 7. Henriq. lib. 13. c. 57. n. 1. & lib. 14. c. 19. n. 1. tamen in homicidio casuali mixto, siue indirectè voluntario, quamuis notorium sit, dispensare Episcopus potest, saltem ad ordines minores, & beneficium simplex, non curatum, sicuti docent DD. in c. 2. de clericis pugnant, in duello, Syl. ver. homic. 3. q. 8. Nau. cit. n. 240. Sairus n. 20. Henriq. lib. 14. c. 19. n. 2. Auila cit. s. 5. 3

dub. 2. ex cit. c. 2. & c. ad audientiam, de homic. Quæ iura per Trident. Concilium nullatenus mutata sunt, quod attinet ad homicidium indirectè voluntarium. Addit verò Nauar. cit. n. 240. in fine, quem Auila sequitur, Episcopum dispensare etiam posse cum eiusmodi homicida, ad retinendum beneficium curatum antea obtentum.

4 ASSERTIO VII. Qui habent priuilegium dispensandi super omni irregularitate, excepto homicidio, bigamia, &c. ij dispensare possunt in irregularitatibus prouenientibus ex homicidio indirectè, vel imperfectè voluntario; & in eo, quod factum est causa defensionis cum excessu moderaminis, sicuti constat ex ijs, quæ præcedent. assertionibus probabiliter dicta sunt, & videri potest Caiet. 2. 2. q. 64. a. 8. in fine. Item in irregularitate proueniente ex homicidio iusto ob defectum perfectæ lenitatis in Milite, Iudice, Accusatore, ad Aduocato, Teste, sicuti docet Caiet. in sum. ver. irregularitas, Armilla eod. ver. n. 13. Henriq. c. 17. n. 5. lit. R. & cap. 19. n. 4. lit. f. Auila s. 5. dub. 1. Rodriq. to. 1. regul. qq. q. 24. a. 8. Ratio est: Quia nomine homicidij indispensabilis, id est, super cuius irregularitate dispensationem Papa in omnibus priuilegij sibi reseruare solet, intelligitur solùm homicidium voluntarium iniustum. Dico iniustum: Nam etsi Clericus contra canones in bello iusto pugnasset, & propria manu occidisset; posset cum eo dispensare is, qui habet priuilegium dispensandi super omni irregularitate, excepto homicidio, bigamia, &c. sicuti docent Rodriq. & Auila ll. cc. Quamquam, si facultas dispensandi Regularibus concessa tantùm sit pro foro conscientiæ, ea non facilè vti debent, si factum notorium sit: quandoquidem in externo foro Episcopi talem dispensationem admittere non coguntur. Vide etiam quæ Nauar. tradit lib. 5. consil. 39. de homic. edit. 2.

5 ASSERTIO VIII. Episcopus, ex vi facultatis concessæ à Trident. consilio sess. 24. cap. 6. dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, non potest dispensare cum milite, Iudice, Accusatore, & similibus irregularitatibus absque delicto contractis, ob lenitatis defectum. Ita ex communi Nau. c. 27. n. 194. & cit. consil. 39. de homic. edit. 2. Henriq. c. 19. n. 4. lit. L. Auila cit. dub. 1. §. ex dictis, Rodriq. in summa p. 1. cap. 174. consil. 3. contra Couar. in Clem. p. 2. §. 3. in fine. Ratio est manifesta: Quia talis irregularitas non prouenit ex delicto.

RESTAT QVAESTIO. Quid agendum sit Sacerdoti, qui occultum homicidium commisit; sed nisi Missam celebret, in suspicionem sceleris veniet cum vitæ periculo, vel graui dispendio famæ? Respondeo. Inpri-
6 mis operam dare debet, vt, quam fieri potest, citissimè à Sum. Pontif. dispensationem super irregularitate petat: Interim verò post peractam pœnitentiam, celebrare poterit, quoties absoluta necessitas postulabit ad vitandam infamiam, aliudue graue periculum. Ita docet Nau. c. 27. n. 239. Castro lib. 2. de lege pœn. c. 15. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 13. n. 21. Mol. tr. 3. disp. 79. *Quia lex naturalis, & diuina*, inquit Nauarrus, *de defendenda propria fama, præstat legi humanæ de abstinendo à sacro in irregularitate.* Eadémque est ratio de aliis irregularitatibus, & excommunicatione; licet contrarium doceat Couar. c. alma p. 1. §. 2. num. 11. in fine Adde, si in tali casu non sit facilis recursus ad Papam, Episcopum dispensare posse, vt in susceptis ordinibus ministrare liceat, teste Syluest. ver. dispensatio, num. 15. Henriq. c. 19. num. 1. & 2. Auila p. 7. disput. 6. s. 5. dub. 3. conclus. 1. Quamuis tunc Episcopus non simpliciter tollat irregularitatem; sed solùm eius effectum suspensioni similem; vt nimirum celebrare liceat, interim dum culpa & defectus occultus manet, & donec à Papa dispensatio impetratur.

CAP. XIII.

De Stupro.

SVMMARIVM.

1 *Stuprum non continet speciem peccati à simplici fornicatione distinctam, si absit dolus, vis.*
2 *Stuprator virginis, liberè consentientis, ad nullam damni restitutionem in conscientiæ foro obligatur.*
3 *Stuprator puellæ per vim, debet eam dotare, aut in vxorem ducere.*
4 *Si puella occultè stuprata, nullum aliud damnum passa fuit, non videtur ille qui stuprauit, ad aliquam damni compensationem in conscientiæ foro obligandus.*

STuprum interdum accipitur latè pro omni specie luxuriæ, siue cum masculo, siue cum fœmina, eáque vel coniugata, vel vidua, vel virgine, sicuti constat ex l. stuprum, ff. ad L. Iuliam de adulteriis, & notauit S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 6. ad 2. Interdum accipitur strictè ac propriè, vt idem sit, quod fornicatio cum virgine: qua ratione Gratianus ait in c. lex, 36. q. 1. *Stuprum propriè virginum est illicita defloratio.*

Stuprum ita propriè acceptum diuiditur in illud, quod per violentiam infertur; & in illud, quod volenti ac consentienti: idque vel plena libertate; vel accedente fraude, metu.

ASSERTIO I. Probabilis est sententia, stuprum non continere speciem peccati à simplici fornicatione distinctam, si absit dolus, violentia, aut metus iniusta incussio: quamobrem circumstantiam virginitatis violatæ in Confessione necessariò explicandam non esse. Ita docet Scotus in 4. d. 18. quæst. 2. art. 4. Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 33. Vasq. 1. 2. disp. 112. cap. 2. & in moral. de restit. cap. 3. §. 1. dub. 1. Sanch. lib. 7. de matrim. disput. 14. Less. lib. 2. cap. 10. dub. 1. Suar. to. 4. disp. 22. s. 4. n. 6. contra S. Thom. in 4. d. 41. q. vn. a. 4. quæstion. 2. & 2. 2. q. 154. a. 6. Caiet. ibid. & in sum. ver. stuprum, S. Anton. p. 2. tit. 5. §. 1. Syl. & Armillam ver. stuprum, Nauar. c. 16. n. 3. Tolet. lib. 3. cap. 18. Azor tom. 3. lib. 5. c. 5. q. 1. Valent. 3. disp. 9. q. 3. p. 5. Probatur: Cùm enim stuprum siue fornicatio cum virgine modo naturali concubitus fiat, præterquam quod extra legitimum matrimonium, non potest habere intra genus intemperantiæ, & luxuriæ aliam deformitatis speciem, quàm eam, quæ est simplicis fornicationis. 1

Sed neque speciem peccati iniustitiæ continet: Aut enim iniuria virgini inferretur; aut parentibus eius, sub quorum cura ac potestate existit. Non primum: quia *nulla est iniuria, quæ in volentem fiat*, l. 1. §. vsq; adeò, ff. de iniuriis. Statuimus autem puellam liberè consentientem in stuprum. Ergo, &c. Neque Secundum: Nam puella libertatem habet in membra, ac corpus suum: quo vel nunquam vti potest ad carnalem generationem, vel vti modo legitimo nuptiarum & coniugij, vel etiam abuti per modum illegitimæ fornicationis: vt quamuis tunc contra temperantiam peccet, nemini tamen iniuriam faciat; quia vtitur iure ac facultate sua: quemadmodum si intemperatè comedat ex horto; vel immoderatè bibat ex dolio, cuius liberum vsum habet. Consequenter neque stuprator parentibus iniuriam infert, quando particeps est huius voluntarij abusus, siue socius intemperantiæ criminis. Alia verò ratio est, si filia volens, patre inuito, domo abducatur, aut venundetur: tunc enim iniuria patri infertur, vtpote cuius ius, ac potestas patria violatur, ideóque ei actio iniuriarum proprio, non filiæ consentientis nomine, competit, iuxta cit. §. vsque adeò.

Id fateor, peccare puellam contra pietatem parentibus debitam, si in stuprum consentiat cum illorum dedecore coniunctum: quemadmodum & stuprator interdum contra charitatis legem. Verùm hæc per accidens sunt, & non solùm in stupro virginis, sed etiam viduæ sub parentum cura constitutæ locum habere possunt.

2 Corollarium. Stuprator virginis consentientis, si nullum dolum, vim, aut iniusti metus incussionem adhibuit, nullam, vel ipsi, vel parentibus eius restitutionem damni in conscientiæ foro facere tenetur, sicuti præter citatos docet Syl. ver. luxuria, q. 5. Sotus 4. de iust. q. 7. a. 1. circa 2. argum. Mol. tr. 3. disp. 106. n. 2. Rebel. p. 1. lib. 3. q. 8. contra Medinam in instruct. lib. 1. c. 14. n. 18. in fine: Ratio est, quia neutri iniuriam intulit. Deinde, etsi intulisset iniuriam patri, non tamen damnum: quia damnum corporis filiæ volenti illatum non redundat in patrem: eò quòd filia non sit possessio patris; sed liberum sui corporis vsum habeat, vt suprà dixi, & notauit Molina n. 2.

Neque obstat, etsi pater idcirco, quòd filia ob stuprum infamata erat, maiorem dotem dederit, vt honesto matrimonio locaretur. Nam id pater sponte sua fecit: Siquidem filia libera voluntate in stuprum consentiens, suscepit in se periculum infamiæ, atque iacturam siue detrimentum matrimonij, quo damno si eam pater liberare velit, data ampliore dote, neque ipsamet filia, si propria bona habeat, liberalitatem hanc patri, vel fratribus extraordinaria modo compensare cogitur; multò minùs stuprator, qui huius damni causa extitit, interueniente libera voluntate filiæ, sicut resoluit Mol. cit. n. 2. & Sanchez n. 11.

Excipe primò; Si, cùm facinus occultum esset, stuprator puellam non sine iniuria infamauit: tenetur damnum inde secutum filiæ, & parenti eius resarcire, sicut ibid. docet Molina. Secundò: Si Iudex in externo foro, secutus sententiam valde probabilem, quòd iniuria inferatur parentibus, quorum filia etiam volens constupratur, stupratorem condemnet ad pœnam illis soluendam, obtemperari debet.

3 Assertio II. Qui stuprum virgini, alteriue puellæ per vim infert, contra iustitiam etiam peccat, & omne damnum, quod inde prouenit tam ipsi, quàm parentibus eius, in conscientiæ foro restituere cogitur. Idémque dicendum, si eam per fraudem induxit, v. g. falsis pollicitationibus: vel per precum importunitatem, coniunctis minis. Videri potest Nauar. c. 16. n. 17. Ordinariè autem compensatio damnorum ita facienda est, vt vel stuprator puellam in vxorem ducat, si ipsa velit: vel tãtam illi dotem offerat, vt æquè honestas nuptias sortiatur, ac si corrupta non fuisset. Et cũ in alternatiuis debitoris sit electio, si malit tali modo dotare, non tenetur eam in vxorem ducere, ante Iudicis sententiam: etiamsi ipsa, & parentes cupiant: præterquam, si eam sub pollicitatione matrimonij vera, vel ficta, ad stupri consensum induxit. Ita docet Mol. cit. disp. 106. Azor l. c. q. 2. Julius Clarus §. stuprum, n. 3. Less. lib. 2. c. 10. dub. 2. Vasq. de restit. c. 3. §. 2. dub. 1. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 37. n. 7. & seqq.

Neque obstat c. 1. de adulterio, desumptum ex c. 22. Exodi: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt.* Nam lex ista pœnalis est, non obligans ante Iudicis sententiam, teste Nau. c. 16. n. 16. Pet. Nau. n. 440. Claro & Azorio ll. cc. Mol. disp. 104. n. 16. Imò neque in externo foro (præsertim ciuili: Nam de stupro cognoscere, si Reus sit laicus, ad forum seculare pertinere debet) cogi solet stuprator ad matrimonium, si illud non promiserat: sed ad alterutrum eorum, quæ dicta sunt.

Assertio III. Si puella ob illatum stuprum per vim, fraudem, &c. nullum aliud damnum passa fuit, quia facinus occultum mansit, & æquè honestum virum sortita fuit, probabile est, ad nullam restitutionem obligari stupratorem, ante Iudicis sententiam. Ita docet Nau. c. 16. n. 17. & 19. Corduba lib. 1. qq. q. 13. dicto 4. Pet. Nau. cit. c. 3. n. 451. Vasq. cit. §. 2. dub. 3. Less. lib. 2. c. 10. dub. 2. Azor. cit. c. 5. q. 3. diffic. 10. contra Mol. disp. 106. n. 6. Rebel. l. c. q. 9. Nam pro iniuria, secluso damno, nulla restitutio fieri debet, teste ipso Molina cad. disp. n. 2. Puella autem nullum damnum passa est, vt supponimus. Quod enim obiiciunt de claustri virginei violatione: damnum istud reparabile non est, neque pecunia æstimabile. 4

CAP. XIV.

De Adulterio.

SVMMARIVM.

1 *Adultera plerumque non tenetur manifestare prolem esse spuriam, quæ publicè legitima censetur.*

2 *Si adulter sibi persuadeat, vel meritò persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, debet compensare damnum patri putatitio, & liberis legitimis, quatenus id fieri potest.*

3 *In dubio, vtrum proles ex adulterio genita sit, adulter obligandus videtur ad restitutionem, saltem secundum dubij proportionem.*

4 *Fas est filios illegitimè natos interdum exponere, si ita necesse sit ad grauem infamiam vitandam.*

Quæstio Prima. Vtrum adultera, enixa prolem spuriam, quæ publicè existimatur legitima, teneatur facinus manifestare, ad aduertendũ damnũ mariti, & legitimorũ liberorũ? Respondeo, ordinariè non esse ad hoc obligatam. Colligitur ex c. officij, de pœnit. & remiss. vbi id notat Innoc. Scotus in 4. d. 15. q. 2. sub finem, ibid. Gabr. q. 2. a. 2. casu 2. S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. § 4. Caiet. to. 1. opusc. 31. resp. 14. Nau. c. 16. n. 43. Couar. reg. peccatum, p. 1. n. 4. Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 408. & lib. 3. cap. 1. n. 115. Vasq. tr. de testam. c. 5. n. 3. Lactant. Finellius casu reseruato 10. n. 17. Esset enim hæc obligatio valde difficilis, parum vtilis, plus noxia. Nam adultera tristitiam atque odium mariti sui excitaret: deinde infamaret seipsam, & adulterum, ipsamque prolem, quæ publicè censetur legitima: Atqui communiter Doctores aiunt, restitutionem bonorum fortunæ ordinariè faciendam non esse cum detrimento altioris boni, videlicet famæ, vti videre est apud Nau. in man. c. 17. n. 89. & seq. 1

Accedit, quòd filius & filia, qui hactenus fuerunt in possessione legitimæ natiuitatis, matri asserenti ex adulterio conceptos esse, fidem habere non tenentur, nisi liquidis seu indubiis probationibus id ostendat, puta quia tempore conceptionis maritus absens fuit, sicuti docet Gl. in cit. c. officij, ver. deneganda, Abb. c. per tuas, n. 5. de probat. & in c. transmissæ, n. 4. Qui filij sint legitimi, Richar. in 4. d. 15. a. 5. q. 4. ad 9. Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. 11. Sa ver. adulterium, n. 2. Tol. lib. 5. c. 11. Less. lib. 2. c. 10 dub. 7. n. 51. argum. l. quia semper, ff. de in ius vocando. vbi dicitur, quòd mater semper certa est: pater verò iuris præsumptione est is, quem nuptiæ demonstrant.

Idque locum etiam habet, licet mulier circa id tempus, quo proles concepta putatur, in adulterio deprehensa fuerit: cùm enim possit esse filius vtriusque, potiùs præsumendum, mariti esse, quàm adulteri, ait Abb. in cit. c. transmissæ, & Andreas Gail. lib. 2. obseruat. 97. num. 9. Molina de iustitia tract. 3. disput. 101. dummodo hoc casu graues coniecturæ in contrarium non sint: vt si maritus sterilis

credebatur; ideóque neque ipse, nec familia, aut vicina filium pro legitimo agnouit. Qua de re Mol. tr. 3. disp. 102.

Debet tamen adultera operam dare, vt marito, legitimisque liberis, quatenus fieri potest, illatum damnum compensetur, arg. cit. c. officij. Vt puta rem familiarem diligentiùs administrando; de cultu corporis sui & sumptibus detrahendo; si habeat bona propria, plus liberis legitimis, quàm spurio, relinquendo. qua de re Maior in 4. d. 15. q. 17. Mol. tr. 3. disp. 102. Vasq. l. c. n. 14. Sin verò talibus modis damnum compensari non possit, debet spurio suadere, vt renuncians hæreditati vel in totum, vel secundùm partem, statum Ecclesiasticum, vel religiosum amplectatur, si idoneus sit, teste Adriano in 4. de restitut. q. 1. ad 5. in fine, Maiore in 4. d. 15. q. 17. Abb. in c. veniens, in fine, de eo qui duxit in matrimonium. Syluest. ver. adulterium, q. 1. Mol. cit. disp. 102. n. 11. vbi aiunt, quòd mulier teneatur per se, vel per aliam idoneam personam secretò significare spurio natalium defectum, si speret id fieri posse bono successu, & sine alio maiore suo, aut filij secuturo nocumento.

Sed existimo, in praxi rarò eiusmodi obligationem adulteræ imponendam fore, si res alioquin occulta sit, & sufficientibus indiciis ostendi non possit: cùm secundùm communiorem Doctorum sententiam, in hoc casu, filius matris, quamuis iuratæ testimonio fidem habere non teneatur, sicuti bene annotauit Gabr. loco cit. Neque verum esse arbitror, quod docet Mol. in fine disp. 101. Vasq. n. 21. Si mater (considerata probitate eius, atque dilectione, qua filium prosequi solet) fide digna appareat, spurium in conscientia obligatum esse, vt hæreditate abstineat. Sed contra id est, quod iure gentium, boni communis causa, introductum esse videtur, ad multas hominum astutorum fraudes vitandas, vt nemo vnius, quamuis minimè suspecti hominis, testimonio credere teneatur in suum præiudicium, iuxta Gl. in l. Titio fundus, ff. de cōdit. Et in simili docet Nau. c. 22. n. 82. quòd coniunx non teneatur credere vni testi, quamuis iurato, amico, dicenti subesse impedimentum matrimonij dirimens, nisi id demonstret. Atque alioquin Iudex in foro externo iniustus foret, si dicta causa ad ipsum delata, hæreditatem filio adiudicaret, quam is tamen in conscientiæ foro retinere non posset.

Quod verò vlteriùs ait Mol. tr. 3. disp. 102. concl. 2. Quotiescunque ex eo, quòd filius spurius pro legitimo habetur, maiora, vel æqualia damna aliis secutura sunt, quàm sit damnum infamiæ, quod adulteræ & filio proueniet, si eius defectus natalium palàm ostendatur; mulierem obligari ad reuelandum. id verum est, si fama mulieris, ipsiúsque filij antè læsa fuit; vt si magna suspicio concepta erat, filium ex adulterio genitum esse. Sin verò mulier, ipséque filius integram famam seruēt, ordinariè non erit mater obliganda ad reuelationem, cum tanto suæ famæ detrimento aliisque incommodis, sicuti ex communi testantur Caiet. t. 1. opusc. 31. resp. 14. Nauar. c. inter verba, 11. quæst. 3. conclus. 4. num. 19. Sed in raro casu, vt si agatur v. g. de successione in Regno, Ducatu: & filius spurius sit hæreticus, vel pessimis moribus præditus, à quo Respub. graue nocumentum acceptura videatur; legitimus autem filius, cui re ipsa hæreditas debetur, Reipub. vtilis futurus speretur; tunc adultera, posthabito famæ suæ, imò etiam vitæ dispendio, rem palàm significare debet, si spes sit illegitimi successionem tali ratione impediri posse, sicuti notauit Less. cit. c. 10. dub. 7. n. 54.

2 QVÆSTIO SECVNDA. Ad quid adulter obligatus sit? Respondeo: Si adulter ex assertione adulteræ, aliisque sufficientibus argumentis sibi persuadeat, vel persuadere debeat, prolem ex se genitam esse, in conscientiæ foro restitutionem facere tenetur, inprimis patri putatitio, qui spurio alimenta præstitit; vel filiæ spuriæ dotem largitus est: Deinde compensare debet damnum reliquis liberis legitimis, quod per obtrusi illegitimi successionem patiuntur. Ita ex communi docet Nauar. n. 48. Less. dub. 6. Molin. disp. 103. n. 3. contra Sotum lib. 4. de iustitia quæst. 7. art. 2. Ratio est: Quia adulter eiusce damni causa moralis extitit, quando huiusmodi iniustam actionem exercuit, ex qua suapte natura prolis generatio consequi solet, vt plurimùm coniuncta cum damno mariti, & legitimorum eius liberorum. Interim verum est, sæpenumero adulterum excusari vel in totum, vel ex parte à restitutione, siue quòd damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensatum iri creditur; siue quod restitutio fieri non potest absque periculo vitæ, graui dispendio famæ, &c.

Sed quid, si adulter in vtramque partem probabiliter dubius sit, vtrum proles à se genita sit, nécne? In hoc casu ad nullam restitutionem adulterum obligant Sotus l. c. Nauar. num. 49. Less. num. 39. Quia nemo tenetur soluere, & re sua se spoliare, priusquam ostendatur debitor. Hæc sententia probabilis est: sed probabilior videtur esse doctrina Molinæ cit. disp. 103. In conscientiæ foro damnum resarciendum esse pro dubij quantitate. Cùm enim dubium est, vter duorum pater sit alicuius prolis, profectò æquitas non patitur, vt vnus eorum omnia ipsi alimenta præstare teneatur, alter verò omnino immunis sit: sed oportet eos contribuere secundùm proportionem probabilitatis. quod etiam in externo foro, si causa eò deferatur, obseruari conuenit. 3

Confirmatur. Nam si constet delictum admissum fuisse, præsumptio esse solet contra nocentem, seu delinquentem; vt ipsi probatio incumbat, exinde nullum damnum prouenisse eorum, quæ suapte natura consequi solent, sicuti videre est apud Sanchez lib. 2. de matrim. quæst. 41. num. 16. & lib. 1. moral. cap. 10. num. 44. Cuius ratio est: Quia in dubia causa potiùs fauendum est innocenti, quàm nocenti. Itaque non bona argumentatio est, quam aliqui faciunt: Filius in dubio legitimum se reputare potest: ergo etiam adulter ita præsumere. Nam innocentia, & fauor filij omni iure id meretur, vt legitimus censeatur, donec demonstretur illegitimus; cùm hactenus fuerit in possessione filiationis. At verò adulterum constat causam iniustam fuisse, vt maritus alimenta præbeat filio, tanquam certo & indubitato, qui tamen re ipsa dubius est: quod damnum pretio æstimabile marito compensari debet.

Quare respondetur ad fundamentum sententiæ oppositæ: licet dubium & incertum sit, vtrum proles sit adulteri: tamen in tali dubio certum videri, obligationem alendi ipsi incumbere: cùm alioquin damnum iniustū inferatur marito, quippe qui filium dubiū perinde alere cogitur, ac si indubius existat: adeóque periculum subit pretio æstimabile, ne alienam prolem tanquam propriam pascat.

QVAESTIO TERTIA, his annexa esse potest, quid sentiendum de liberis, plerumque illegitimis, qui in loco publico exponuntur? Respōdeo ex doctrina Molinæ disp. 104. n. 4. & dico I. Licitum est interdum filios illegitimos, præsertim spurios, exponere, quando ita necesse est ad occultandum crimen, & grauem vitandam infamiam: adhibita tamen cautione, ne proles frigore, &c. moriatur. Consultum etiam est, vt proles priùs baptizetur, apposita ei schedula de baptismo testante. 4

Dico II. Vix potest accidere casus, vt prolem exponere liceat, propter parentum inopiam, quia eam alere non possint. Nam inter homines, qui prolem suscepturi sperantur ad alendum ex misericordia, reperientur etiam aliqui, qui parentibus subsidium præstabunt ad alimoniam prolis.

Dico III. Si orphanotrophion, in quo proles spuria suscipitur, diues non sit, tunc pater, & in eius defectum mater, si diuites sint, compensationem aliquam Orphanotrophio facere tenentur, quatenus sine periculo suæ famæ possunt. Sin verò diues sit orphanotrophion, tum præsumptio esse potest, fundatum esse pro omnibus expositis ob causam iustam, absque compensationis obligatione.

Dico IV. Si parentes absque sui infamatione possint, tenentur nihilominus curam aliquam filij expositi habere; eique, postquam ex infantia excessit, sustentationem ministrare, si indigeat; sicuti deberent, si expositus non fuisset: quamuis per accidens, ne in suspicionem veniant, ferme excusari solent.

TRACTATVS QVARTVS. DE PACTIS ET CONTRACTIBVS.

CAP. I.

Quid sit pactum.

SVMMARIVM.

1 *Pactum est duorum, vel plurium consensus in idem.*
2 *Effectus pacti est obligatio, cui ex altera parte respondet actio, seu ius petendi.*
3 *Promissio, nisi acceptata sit, obligationem nullam parit; exceptis casibus, qui iure exprimuntur.*
4 *Non permittitur, vt quis pro altero pacisci seu stipulari possit, nisi sit persona subiecta, puta filius pro patre; seruus pro domino: Regularis pro Prælato, aut Monasterio.*
5 *Si donator misso nuntio ad donandum, antequam donatio acceptetur, è viuis excedat, exspirat ius acceptandi, & res donationi destinata ad heredes donatoris spectat.*
6 *Gratia alia est facta, & alia facienda.*

PActum à *pace* dictum esse, ait Isidorus relatus in c. pactum, de verb. signif. quia per pacta pax fieri soleat. Consentit Gl. in l. 1. ff. de pactis.

1 Definitur pactum in cit. l. 1. *Duorum, vel plurium in idem placitum & consensus.* Et in l. 3. ff. de pollicitat. *Pactum est duorum consensus atque conuentio,* videlicet ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum. *Sicuti enim conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in vnum locum colliguntur & veniunt, ita & qui ex diuersis animi motibus in vnum consentiunt;* ait Iureconsult. in l. 1. ff. de pactis.

2 Effectus, ac veluti proprietas cuiusque pacti est naturalis obligatio, iuxta regulam 84. ff. Is *naturâ debet, quem iure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus* Et in cit. l. 1. *Quid enim tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, seruare?* Definitur autem obligatio Instit. de obligat. princ. *Iuris vinculum, quo necessitate astringimur alicuius rei soluendæ, vel faciendæ.* Porrò obligationi ac debito ex altera paciscentium parte correspondet petitio, & actio; id est, *ius persequendi, quod sibi debetur,* Instit. de actionib. in princip.

3 Corollarium I. Cùm pactum duorum placitum siue conuentio sit, externo signo declarata; consequens inde est, quòd nuda promissio, siue pollicitatio, nisi acceptata sit, ac veluti formata alterius partis indicato consensu, rationem pacti non habeat; nullámque ne naturalem quidem, siue in conscientiæ foro, obligationem, actionemque pariat, sicuti præter alios docet Sotus lib. 3. de iustit. q. 5. a. 3. Iulius Clarus ver. donatio, q. 12. n. 3. Gomez lib. 2. resol. c. 9. n. 2. Couar. reg. quamuis pactum, p. 2. §. 4. n. 25.

Quapropter hoc discrimen est inter votum siue promissionem Deo factam, & promissionem homini factam; quòd illa, licet interno tantùm animo concepta sit, à Deo cordium inspectore cognoscitur, & acceptatur: Hæc verò, nisi externo signo prodita, & promissario indicata sit, ab eo nec cognosci, nec acceptari potest. *Nam homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor,* 1. Reg. 16. Vide S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 1. in corp.

Præterea necesse est, vt dum promissio offertur, alterius acceptatio sequatur, plerumque incontinenti: Si enim dum spondes pro merce dare decem aureos, mercator taceat, & ad alia negotia vos conferatis; postea verò dicat ille se contentum esse, potes tu interim consensum reuocasse; nisi copiam ad tempus deliberandi gratuitò ipsi concesseris.

Necesse item est, vt acceptatio fiat de eodem, eodémque modo sicuti promissio offertur, vti constat ex l. 1. §. si quis simpliciter, & l. vlt. ff. de verb. obligat. & §. præterea, §. si de alia, Instit. de inutil. stipulat. quibus locis habetur, quòd diuersitas interrogationis ac responsionis stipulationem vitiat. Si tamen plura promissione offerantur in sensu diuiso: & vnum eorum acceptetur, valet in eo stipulatio: v. g. *Stichum & Pamphilum dare spondes? Dabo tib stichum,* l. inter stipulantem, §. si stipulante, ff. eod. Quòd si verò Stichum mihi dari cupiam; tu verò Stichum, & Pamphilum promittas, valet promissio Stichi: quia vtilis stipulatio per inutilem non vitiatur, cit. l. 1. §. sed si mihi. Sed & Pamphili promissio valebit, si incontinenti mihi placuerit. Similitérque in pecuniis: si stipulanti mihi decem, tu viginti respondeas, non est contracta obligatio, nisi in decem: præterquam si promissionem aliorum decem illico accepes. Vide Gl. & DD. in cit. l. 1. & cit. §. præterea, vbi Ioan. Faber Instit. de inutilib. stipul. Gomez l. 2. resol. c. 9. Mol. to. 2. disp. 27.

Porrò id specialiter constitutum est, vt si quis ciuitati, vel Reipub. pollicitus fuit ob causam, puta propter incendium, vel terræ motum, vel aliquam ruinam, quæ Reipub. contigit: vel ex gratitudine, ob honorem sibi decretum, aut decernendum; statim obligetur ex pollicitatione, antequam acceptetur seu in pactum transeat: vt ad talem pollicitationem ille cogi possit, saltem in externo foro per Iudicis sententiam, iuxta l. 1. 3. 4. ff. de pollicitat. Ratio reddi debet: Quia Princeps generali lege, propter bonum publicum lata, talem pollicenti obligationem imponere potuit, ac voluit. Necesse tamen est, vt pollicens ex sua parte promissionem externam fecerit, & non solùm dandi propositum manifestârit, sicuti colligitur ex cit. l. 3. vbi dicitur, quòd *solius offerentis promissum tanquam debitum exigi possit.*

Dubium verò est, vtrum simili etiam modo pollicitatio, aut donatio facta Ecclesiæ, vel ad piam causam, ante acceptationem valeat, vt per pœnitentiam reuocari non possit? Affirmat Molina to. 2. de iust. disp. 263. § dubium, cum Felino c. 1. de pactis. Negant verò Iulius

Clarus lib. 4. fentent. §. donatio, q. 12. n. 6. Couar. 1. refol. c. 14. n. 16. Sanch. lib. 4. moral. c. 41. n. 7. Leff. lib. 2. c. 18. dub. 6. n. 38. cum Gl. in l. illud, ver. alia caufa, C. de facrofan. Ecclefiis. Quæ controuerfia ex alia quæftione dependet; Vtrum, fpectato folo iure naturali, & feclufo pofitiuo, promiffio feu pollicitatio facta abfenti, ante eius acceptationem, promifforem obliget, vt in confcientiæ foro teneatur promiffionem indicare promiffario, num eam acceptare velit. quod arbitratur Molina cit. loco; confequenter affirmat, donationem factam ad pias caufas ante omnem acceptationem validam effe: eò quòd difpofitio iuris ciuilis, requirentis acceptationem ad valorem pollicitationis, caufis piis nihil præiudicare poffit, ante Sum. Pontificis approbationem.

Sed Sotus, Gomez, Leffius locis citatis, Sanchez lib. 1. de matrim. difp. 7. num. 24. & alij plerique contrarium fentiunt, omnem promiffionem fuapte natura refpectiuam effe, cuius proinde vis & obligatio ex alterius partis confenfu, tanquam à forma fua, dependeat. Iuxta quam probabiliorem fententiam dicendum eft, pollicitationem factam Ecclefiæ, ante acceptationem eius nomine factam, reuocari poffe: quòd hæc fit natura pollicitationis, neque aliud iure fpeciali pofitiuo in Ecclefiarum fauorem ftatutum reperiatur.

Excipe: Nifi eiufmodi pollicitatio in fauorem Ecclefiæ, vel cuiufcunque alterius concepta, fit etiam iuramento firmata, ficuti DD. docent apud Sanch cit. difp. 7. quæft. 3. Quia iuramentum feruandum eft, quotiefcunque fine difpendio falutis feruari poteft, c. fi verò, de iureiur. Quamuis enim hoc cafu pollicitatio non obliget vi pacti ex iuftitia, quod bene probat Sanchez cit. loco; negari tamen non poteft, quin obliget ex virtute religionis, fi animus iurantis fuit, pollicitationem non reuocaturum, donec abfenti, in cuius gratiam facta fuit, intimetur ad acceptandum. Et ita docet Ioan. Faber Inftit. de inut. ftipulat. §. fi quis alij, num. 8.

4 Corollarium II. Vnufquifque pacifcendo, feipfum, non alterum obligare; fibi, non alteri acquirere poteft. Prior pars habetur in l. 11. ff. de obligat. & action. *Quæcunque gerimus, cùm ex noftro contractu originem trahunt, nifi ex noftra perfona obligationis initium fumam, inanem actum noftrum efficiunt.* Quamobrem certi iuris eft, factum alienum promitti non poffe, l. inter ftipulantem, in princip. & l. ftipulatio ifta, in princ. ff. de verb. obligat. Pofterior verò pars habetur in cit. l. ftipulatio ifta, §. *alteri ftipulari nemo poteft*; & ratio additur, quia *inuentæ funt eiufmodi obligationes, vt vnufquifque fibi acquirat, quod fua intereft.*

Excipitur autem in cit. §. alteri, & §. fi quis alij, Inftit. de inut. ftipulat. quòd qui alterius iuri fubiecti, fiue fub alterius poteftate conftituti funt, pro illo ftipulari, promifforémque illi obligare poffint; videlicet feruus pro domino fuo, filiusfam. pro patre; Regularis pro Prælato, vel Monafterio. Ratio eft: Quia propter arctam coniunctionem, quodammodo eædem perfonæ cenfentur cum ijs, pro quibus ftipulantur, feu obligationem acquirunt. Idémque plerique docent de publico Tabellione, ftipulante & acceptante pro altero in publica fcriptura promiffionem, etiam extra iudicium; nam fi in iudicio fiat ad Iudicis præfcriptum, nemo dubitat. Vide c. quãquam, de teftib. in 6. Abb. in proœm. lib. 2. decret. num. 22. Couar. rubr. de teftam. p. 3. num. 18. & 20. Clarum ver. donatio, q. 13. Mol. to. 2. difp. 264. Sanch. cit. difp. 7. num. 11. Andr. Fachin. l. 8. controuerf. iuris, cap. 91.

Interim tamen pofitum eft in arbitrio domini, patris, Capituli, &c. pofteaquam intellexerunt, promiffionem fuo nomine acceptatam effe, eandem vel ratam habere, vel refpuere: quare interim pactum, feu contractus, fi reciprocus eft, puta mutui, commodati, claudicat; fi Religiofus nomine Monafterij contrahens, mandatum non habuerat.

Denique qui aliorum adminiftratores funt, puta tutor pro pupillo; curator pro minore, prodigo, amente: Parochus feu Rector pro Ecclefia, caufis piis, vel rebus ad confcientiam pertinentibus ftipulari poffunt, cit. c. quamquam, & l. eum qui, §. vlt. ff. de conftituta pecunia. Vide etiam Sanchez cit. difput. 7. num. 6. & 10.

Corollarium III. Quotiefcunque promiffio, vel donatio acceptata eft vel ab ipfo donatario præfente: aut abfente per epiftolam, nuntium ad id fpecialiter deftinatum: vel denique eo ignorante, ab alia perfona, cui pro altero ftipulari conceffum eft: atque re non tradita, donator è viuis exceffit: poftea hæredes eius donationem reuocare haud poffunt: cùm neque ipfe donator, cui hæredes fuccedunt, eiufque perfonam repræfentant, talem reuocandi poteftatem habuiffet.

Sed quæftio eft, fi nulla omnino acceptatio anteceffit, fed donator confenfu fuo in epiftola, vel coram nuntio, expreffo, interea dum nuntius, vel epiftola ad abfentem eius rei omnino ignarum deftinatur, donator è viuis excedat: vtrum res nihilominus donatario tradi, & ab eo acceptari poffit: an potiùs ad hæredes fpectare debeat? Pro donatario, quòd ad ipfum res deftinata pertineat, ftant Sanchez lib. 1. de matrim. difp. 6. num. 5. eumque fecutus Leff. lib. 2. c. 18. dub. 6. num. 45. Probant primò: Quia donatio hæc ex parte donantis valida & perfecta eft: licet ab eo reuocabilis, ficuti colligitur ex l. nec ambigi, C. de donat. Secundò: Si gratia expedita fit ex parte concedentis, licet is moriatur antequam ad executionem proceffum eft, tamen executor nihilominus exequi debet: Donatio autem eft genus quoddam gratiæ: Ergo fi nuntius deftinetur non cum mandato donandi, (aiunt illi) fed vt merus executor, & traditor rei donatæ, id etiam poft donantis mortem exequi poterit. Tertiò: Si in hoc ipfo cafu donatarius moriatur antequam donationem acceptet, hæredes illius acceptare poffunt: quod fignum eft, donatarium, cui ipfi fuccedunt, ius in re donata acquifiuiffe, etiam ante acceptationem.

Sed contraria fententia eft communis, & vera, ficuti colligitur ex iis, quæ tradit Couar. p. 3. rubr. de te- 5 ftam. num. 20. & lib. 1. refolut. c. 14. num. 13. Gomez 2. refolut. c. 4. num. 3. Mol. tom. 2. difp. 263. & difp. 264. §. iuxta hactenus, & habetur in l. 2. ff. de donat. *Sed fi quis donaturus mihi pecuniam, dederit alicui, vt ad me perferret: & antè mortuus erit, quàm ad me perferat, non fieri pecuniam dominij mei, conftat. Quod verum eft*, ait Gloff. ver. dominij, *quamuis mihi dictam pecuniam poftea tradat*: confentit l. abfenti, ff. eodem. Secundò probatur ratione: Nam vel donatarius in hoc cafu haberet ius acceptandi donationem ex vi pacti feu donationis, vel ex vi mandati. Primum dici non poteft: Quia omne pactum requirit duorum confenfum in idem: ante mortem autem donatoris donatarius neque per fe, neque per alium confenfit, aut acceptauit: per mortem autem extinguitur confenfus donantis, argum. cap. fi gratiosè, de refcript. in 6. Ergo vtriufque confenfus in pacti obligationem concurrere nunquam potuerunt. Neque fecundum dici poteft: Quia mandatum extinguitur morte mandantis, fi executioni nondum dari cœpit, iuxta l. mandatum, C. mandati, & §. præterea, Inftit. eod. Et confirmabitur hæc fententia ex refutatione argumentorum.

Ad I. refpondeo. Hæc duo inter fe pugnare, donationem ex parte donantis validam & perfectam effe, atque ab eodem reuocari poffe: In dicta autem l. Nec ambigi, aliud non habetur, quàm *donationes etiam inter abfentes validas effe.* quod intelligitur, pofteaquam abfens de donatione certior factus eft, & quidẽ per perfonam

ad id destinatam. Si enim aliquis dicat, *hanc rem Caio donatā volo*; & Titius id fortè audiens Caio referat; non sufficit ad donationem, donec nuntius destinatus perueniat, cum quo tanquam instrumento donantis, pactum per mutuum consensum impleatur. Quare ipse Sanchez rectè docet lib. 1. disp. 7. num. 33. & lib. 3. disp. 37. num. 7. Non satis esse ad pactum perficiendum, si posterior paciscentium, intellecto prioris consensu ex epistola, vel nuntio, coram aliis consensum exprimat; sed opus esse, vt consensum seu acceptationem intimet ipsi paciscenti, vel saltem nuntio eius tanquam instrumento ad id destinato: cùm alioquin consensus duorum sensibiliter non vniantur. Sed neque in casu nostro consensus duorum vniuntur, si antequam nuntius destinatus peruenit, donator mortuus est: cùm enim principalis consentire tunc non possit; neque nuntius potest, vt instrumentum. Hæredes autem donatoris ideo non obligantur ad donandum; quia non succedunt, nisi in contractis iuribus, & obligationibus: donator autem ante mortem nullam obligationem contraxerat. Ergo, &c.

6 Ad secundum resp. Id specialiter decretum fuisse in prouisionibus beneficiorum, dispensationibus, & eiusmodi gratiis, quæ ex debito officio Ecclesiasticæ potestatis procedunt; vt ea ex parte conferentis valida & irreuocabilia censeantur; licet alteri ius & dominium non antè acquiratur, quàm re intellecta consensum præbeat. quod etiam habetur in c. si tibi absenti, de præb. in 6. Vbi Gl. marginalis notauit, vt collatio beneficij absenti fiat, non esse necessariam personam intermediam; secùs autem esse in pactis & contractibus; imò verò in omnibus merè gratuitis concessionibus, donationibus, aut gratiis, quæ ad absentem diriguntur, vti notauit Sanch. lib. 3. disp. 37. num. 4. Excepto, si iura ob specialem causæ fauorem aliud statuerunt, vti dixi lib. 1. tract. 4. c. 23. num. 9.

Quare hoc loco diligenter notandum est: Tametsi in Ecclesiasticis beneficiis, dispensationibus, &c. distinguere oporteat inter gratiam *factam* ab ipso statim principali; & *faciendam* à Commissario: quòd illa ab executore executioni mandanda sit, etiam post mortem principalis concedentis: non item gratia facienda conferri potest, si res adhuc integra sit, sicuti habetur in c. si cui, de præb. in 6. & ex communi docet Sanch. lib. 8. disp. 28. num. 48. & 64. Hæc tamen distinctio locum habere non potest in donationibus, aliisve pactis: cùm pactum perfici nequeat absque alterius acceptatione: quare nuntius in nostro casu nunquam est executor donationis factæ; sed semper faciendæ ex voluntate domini, ideóque propriè dictus mandatarius.

Ad tertium resp. Antecedens non esse verum, nisi in casu, quo publicus Tabellio, vel alius, cui pro altero stipulari concessum est, v. g. seruus pro domino suo: Procurator seu Syndicus pro Principe, vel ciuitate sua, rem donatam acceptat: & de hoc loquuntur Couar. & Molina ll. cc.

Nihilominus in praxi permitterem donatario, vt etiam post mortem donatoris, rem sibi transmissam à nuntio reciperet, & seruaret, donec ab eo hæredes repetant. Ratio est. Quia cum nuntius rem tradendo, tum alter eam accipiendo, sequuntur voluntatem defuncti, quæ tanquam meræ liberalitatis latè ac benignè explicari debet: vt quandocunque res ad eum, cui destinatur, peruenerit, eam accipere & sibi retinere possit. Nihil autem tam naturale est, quàm voluntatem cuiusque rem suam in alterum transferri volentis ratam haberi, §. traditionem, Instit. de rerū diuis. Quamuis autem iura ciuilia aliter statuerint, non videntur tamen naturalem exequendi facultatem in hoc casu irritam facere: sed solùm ciuiliter cassare, & hæredibus ius rescissionis concedere, sicut in simili dixi lib. 1. tr. 4. c. 17. n. 4. de legatis in testamento minùs solemni relictis.

Porrò ex tradita doctrina infert Molin. cit. disput. 263. §. iuxta hactenus dicta: Si nuntius destinatus à donatore rem iniustè detinens, vel absumens, suo tempore non tradat donatario, atque interea moriatur donator: ad duplicem restitutionem nuntium obligari: vnam hæredibus faciendam: quia mandatum morte mandantis expirauit: alteram verò donatario: quia nuntius iniusta causa fuit, cur ille donatam rem nón acquisierit. Ego fateor, hanc posteriorem partem simpliciter veram esse: ad priorem autem restitutionem nuntium non obligarem, ante Iudicis condemnationem.

CAP. II.

De Pacto nudo, & vestito.

SVMMARIVM.

1 *Pactum aliud est nudum, quod in ciuili foro actionem non parit, licet pariat exceptionem: aliud verò est pactum vestitum, seu confirmatum, ex quo ciuilis actio nascitur.*

2 *Pacta seu conuentiones sex modis confirmantur, vt ex iis ciuilis obligatio, & actio oriatur.*

3 *Si pactum simplex initum fuit cum expressione causæ, in foro canonico actio ex illo institui potest.*

HÆc est præcipua diuisio pacti in nudum, & vestitum, quam tradunt Doctores in c. 1. vbi Abb. num. 4. de pactis Neque discrepat diuisio, quam affert Vlpianus in l. iurisgentium, ff. de pactis: Pacta, siue *conuentiones quædam actiones pariunt, quædam exceptiones.* Dicitur enim simplex conuentio, siue nudum pactum, cuius naturalis vis, & obligatio ciuili iure confirmata non est, ita vt in foro externo actionem pariat: sed tantùm exceptionem, sicuti constat ex cit. l. iurisgentium, §. sed cùm, & videri de hoc potest Ioan. Faber tit. Instit. de obligation. §. nunc transeamus. 1

Explicatur: Si alicui volenti, & acceptanti nudè ac simpliciter promisisti, mutuò te daturum, aut commodaturum: dicitur nuda conuentio, cuius naturalem, siue in conscientiæ foro ortam obligationem ius ciuile minimè quidem tollit, multò minùs rei de qua conuentum, solutionem, executionémve prohibet, aut retractat: tamen ad vitandam ciuilium actionum & litium multitudinem, eiusmodi simplices conuentiones non confirmat, id est, non vult, vt Iudex ad earum executionem debitorem compellat. Nihilominus exceptionis beneficium contra Actorem, ex simplici pacto siue conuentione obligatum tribuit.

Exemplum. Titius ex vendito debet tibi aureos 100. soluendos in die S. Georgij: tu autem eidem promisisti mutuò daturum aureos 100. hoc casu petentem te coram Iudice debitos 100. Titius exceptione promissi mutui repellere potest. Idque ob remanentem obligationem naturalem, quæ iure ciuili non penitus extincta est, sed aliquos effectus retinet: quorum I. iam dictus est, quia tribuit ius excipiendi, & compensatione vtendi. II. Si solutum fuerit, quod naturali iure debetur, non conceditur repetitio. III. Pro naturali eiusmodi debito efficaciter obligatur fideiussor: potéstque pro eo pignus retineri. Quæ in progressu magis patebunt.

Pactum vestitum, siue ciuili iure confirmatum dicitur, quod ciuilem etiam actionem parit: v. g. ex empto competit emptori actio aduersus venditorem ad mercem sibi tradendam, numerato pretio. qua actione institutā, & causa cognita, Iudex compellit venditorem,

ſecundùm iuſtam petitionem actoris.

2 Sex autem modis facta ſiue conuentiones ciuili iure confirmantur, vt ex iis actio oriatur, ſecundùm Gl. receptam Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio, & in cit. l. iuriſgentium, §. quin imò. Primò enim pacta quædam ſpecifica natura ac nomine ſuo perfecta, & quaſi veſtita ſunt, vt *emptio, venditio, locatio, conductio, ſocietas, commodatum, depoſitum, & ceteri ſimiles contractus*; videlicet *mandatum, mutuum, pignus*, cit. l. iuriſgentium, in princ. iunct. Gl. ver. ſimiles.

Secundò veſtiuntur, & confirmantur pacta interuentu rei datæ ob cauſam, quod accidere ſolet in contractibus innominatis, v.g. conueniſti tu & Titius, vt dares ei decem oues, pro vno boue: vterque ciuili iure (non item naturali, ac canonico) altero etiam inuito, reſilire poteſtis ante rei traditionem. Poſteaquam verò promiſſas oues Titio tradidiſti, competit tibi aduerſus eundem actio ciuilis; ſiue ea quæ dicitur *condictio ſeu repetitio dati ob cauſam, cauſa non ſecuta*: ſiue ea quæ dicitur *actio in factum*, ſeu *præſcriptis verbis*, per quam compellitur contrahens ad præſtandum id, de quo conuentum eſt, videlicet dandum bouem, vel quantùm tua intereſt, bouem datum non eſſe: & eſt in optione actoris, vtram harum actionum inſtituere malit, ſicuti habetur in l. naturalis, §. & ſiquidem, & §. ſeq. ff. de præſcriptis verbis, l. quoniam, C. eod. Verùm in foro conſcientiæ, atque canonum, dum alter contrahens paratus eſt ex ſua etiam parte ſine culpabili mora implere, pœnitentiæ ſeu reuocationi locus non eſt, ſed contractus perfici debet, ſicuti docet Mol. diſp. 258. §. Nihilominus.

Tertiò veſtitur, & confirmatur pactum adiectione ad aliud pactum iure ciuili firmum, iuxta cit. l. iuriſgentium, §. quin imò. Veluti, ſi ædes Titio vendidiſti, atque incontinenti ſeu non ex interuallo pactum adieciſti, vt inquilinum te recipiat; pactio iſta, quæ per ſe & ſeorſim ſpectata, nuda & informis foret, adiectione ad venditionem confirmatur: quare Titium actione ex vendito ad vtrumque compellere potes; & vt pretium pro ædibus numeret, & in eas inquilinum te recipiat.

Quo eodem modo ex pignoris promiſſione obligatio & actio ciuilis oritur, propter cohærentiam cum contractu, cui accedit: niſi dicere malis, id eſſe ſpeciale priuilegium pignoris, vt ſimplex eius promiſſio per ſe actionem pariat. l. ſi tibi, §. de pignore, ff. de pactis. Quemadmodum etiam dos ſimpliciter promiſſa actionem hodie parit, vt mox dicam.

Quartò confirmantur pacta per ſtipulationem, quæ Romano more interrogatione, ac reſponſione mutua perficiebatur: v.g. *Promittis decem oues pro boue daturum? Promitto.* Vnde & verborum obligatio dicta fuit, tit. ff. & Inſtit. de verborum obligatione, l. 1. §. verbis, ff. de actionib. & obligat. l. omnes, C. de contrahen. & commit. ſtipulat. Hodie verò promiſſiones & pacta ferme confirmari ſolent vel publico tabellionis inſtrumento, vel etiam ſimplici ſcriptura, manu promiſſoris ſubſcripta, aut obſignata.

Quintò confirmantur pacta legis auxilio, ſicuti notat Gl. in cit. l. iuriſgentium, §. ſed cùm, ver. igitur. Nam iure nouo C. de donat. l. ſi quis argentum, ex ſimplici donatione, poſteaquam acceptata eſt, actio conceditur ad rei ita promiſſæ traditionem. Item ex ſimplici dotis promiſſione acceptata, l. vn. C. de rei vxoriæ actione, in princip. l. ad exactionem, C. de dotis promiſſ. Præterea, ſi quis, quod alius naturali iure debet, (ſiue etiam ciuiliter debeat, ſiue non) ſe ſoluturum conſtituit, obligatur ciuili iure, l. 1. ff. de conſtituta pecunia, & §. de conſtituta, Inſtit. de actionib. Vide Gl. ibid. ver. nulla.

Sextò confirmatur pactum iuramento, vt etiam ciuili iure actionem pariat, ſecundùm probabiliorem ſententiam Couar. c. quamuis pactum, p. 1. §. 2. & p. 2. §. 4. num. vlt. Mol. tom. 2. diſp. 256. contra Bartol. in l. iuriſgentium, §. quin imò, ff. de pactis, & confirmabitur ex iis, quæ infrà dicam c. 9. aſſert. 3. in fine, & lib. ſeq tract. 3. cap. 8.

Restat Qvaestio. Vtrum ex nudo pacto actio oriatur, ſpectato iure canonico? ſecundùm quod procedi ſolet in terris Eccleſiæ Romanæ ſubiectis: item in toto Chriſtiano orbe, quod attinet ad cauſas, quæ vel ratione materiæ, vel perſonarum, ad Eccleſiaſticum tribunal pertinent.

Reſponderi debet cum Abb. in c. ſi cautio, de fide 3
inſtrumentorum, Syl. ver. pactum, q. 3. Couar. cit. §. 4. n. 24. Leſſ. lib. 2. c. 17. dub. 6. Mol. diſp 257. In canonico foro actionem tribui ex nudo pacto, ſi initum eſt cum expreſſione cauſæ; ſecùs, ſi nulla cauſa expreſſa ſit, neque ab actore oſtendi poſſit. Explico: Si manu Titij ſcriptum reperiatur, vel teſtibus probari poſſit, aut ipſemet Titius confiteatur, ſe promiſiſſe daturum tibi centum, ſeu ex mera liberalitate, ſeu propter præſtita obſequia, vel titulo & pactione mutui v.g. compellitur fidem ſeruare. Sin verò nihil aliud coram Iudice oſtendi poſſit, quàm Titium ſimpliciter promiſiſſe daturum tibi centum. tunc Titius excipere poteſt, ſe promiſiſſe quidem; ſed ſub conditione, vel cauſa pendente in futurum, v. g. ſi ipſi obſequia præſtiteris, quæ præſtita tamen nondum fuerunt: eiuſque contrarium probandi onus in te actorem reiiciet. Nam neque ciuili iure ex ſtipulatu actio conceditur contra promiſſorem, niſi conſtet, vel probata fuerit cauſa promiſſionis, ſicut conſtat ex l. 2. §. circa primam ſpeciem, ff. de doli mali & metus exceptione, iuncta Gloſſ. ver. ſine cauſa. Ius autem canonicum ita tribuit actionem ex pacto nudo, ſicut ius ciuile ex ſtipulatu: eò quòd in canonico foro non attendatur ad verborum ſolemnitatem; ſed rei, de qua agitur, veritatem, ac contrahentium voluntatem.

Illud porro addendum; Licet actio, quæ ex nudo pacto ſecundùm ius canonicum datur, tantùm locum habeat in cauſis, quæ vel ratione perſonarum, vel ratione materiæ ad Eccleſiæ tribunal ſpectant; tamen in quibuſcunque pactis obligantibus in conſcientia locum habere poteſt denuntiatio canonica, vt ad tollendum peccatum, Eccleſiæ Prælatus cogat promittentem promiſſis ſtare, iuxta cap. nouit, de iudiciis: idque notauit Mol. cit. diſput. 257. ex Felino in cap. 1. de pactis.

CAP. III.

Quid ſit contractus, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Pactum aliud eſt gratuitum, & aliud oneroſum ſeu reciprocum.*
2 *Contractuum alij ſolo conſenſu; alij verbo, alij ſcriptura, alij re perficiuntur.*
3 *Iterum diuiditur contractus in nominatum, & innominatum.*
4 *Alia diuiſio eſt, quod inter contractus alij bonæ fidei dicuntur; & alij ſtricti iuris.*

Contractus tum latè, tum ſtrictè accipitur. Si 1
latè accipiatur, idem eſt quod pactum. Pactum verò aliud eſt gratuitum, quod ex vna tantùm paciſcentium parte obligationem parit: cuiuſmodi eſt promiſſio ſtipulata, vel nudè acceptata, ſecundùm ius natu-

rale, & canonicum, dandi, vel faciendi in gratiam alterius, sine reciproca obligatione. Imò donatio simplex, etsi nec solemni stipulatione, nec traditione, sed sola liberali voluntate declarata sit, etiam ciuili foro actionem, & tradendi necessitatem parit, l. si argentum, §. vlt. ff. de donat. & §. aliæ autem, Institut. eod. Aliud verò est gratuitum pactum, per quod ex vna tantùm parte non quidem obligatio in futurum oritur, attamen ius aliquod confertur, vel extinguitur. Huc pertinet inprimis acceptilatio, per quam debitum à creditore debitori gratis remittitur, & quasi acceptum habetur. Secundò spectat huc donatio ea, quæ à traditione incipit, & rei dominium in alterum gratis, & sine vllius obligatione transfert. Vide Molin. tom. 2. disput. 252. Syluest. ver. contractus, quæst. 1. Aliud denique est pactum reciprocum, siue onerosum, quod ex vtraque paciscentium parte obligationem parit; & idem omnino est, quod contractus strictè acceptus, qui à Græcis συνάλλαγμα dicitur, & definitur in l. Labeo, ff. de verb. signif. *Vltro citroque obligatio.*

2 Iterum pactum (puta vestitum) seu contractus latè acceptus, diuiditur in eum, qui solo consensu, & qui verbis, & qui scriptura, & qui re siue traditione perficitur, Institut. de obligationibus, §. vltimo. Contractus, qui solo consensu inuicem explicato perficiuntur, sunt emptio ac venditio, locatio & conductio, societas, & mandatum: quibus annumerari possunt iure nouo ciuili donatio; item ex iuris priuilegio pignus & hypotheca; denique sponsalia, ac matrimonium. Cùm primùm enim v.g. emptor ac venditor de merce ac pretio conuenerunt, ratus est contractus; vt actio & obligatio iure ciuili vtrinque oriatur. Et possunt hi contractus etiam inter absentes per epistolam, vel nuntium celebrari, vti habetur tit. Instit. de obligationibus ex consensu.

Inter contractus qui verbis perficiuntur, primum locum tenet stipulatio, siue obligatio verborum: alterum acceptilatio, per quam ex stipulatione orta obligatio, contraria verborum interrogatione, ac responsione tollitur: v.g. *Quod ego tibi stipulatus promisi, habésne acceptum, perinde ac si solutum esset? Acceptum habeo.* Igitur acceptilatio est imaginaria quædam solutio, §. item, Instit. Quibus modis tollitur obligatio. Hæc tamen ad iuris ciuilis subtilitatem pertinent: naturali autem, & canonico iure non attenditur ad eiusmodi verborum solemnitatem, vt suprà dixi.

Scripturâ contractus perficiuntur vel ipsorum contrahentium voluntate, si nolint v.g. emptionem, stipulationem, aliúmve contractum antè firmum esse, quàm instrumentum ob eam causam editum, & subscriptum sit, sicuti constat ex l. contractus, Cod. de fide instrumentorum. Vel ex iuris seu ciuilis, seu canonici dispositione ad formam ac veluti substantiam alicuius contractus scripturam requirentis: v.g. ad donationem 500. solidos excedentem; item ad emphyteusin, præsertim Ecclesiasticam, sicuti ex communi obseruat Clarus lib. 4. recept. senten. §. emphyteusis, quæst. 4. Aliàs verò sæpe instrumentum conficitur non ad substantiam; sed eius probationem.

Re, siue traditione perficiuntur contractus, qui ipso nomine suo dationem, vel factionem significant, sicuti Bartolus docet in l. iurisgentium, ff. de pactis, & in rubr. C. de rerum permutat. Tales sunt mutuatio, commodatio, depositum, permutatio, & omnis innominatus contractus. Est autem ciuili iure discrimen inter contractus qui solo consensu, & contractus qui traditione perficiuntur: quòd emptor v.g. cùm primùm consensit pro merce se traditurum certum pretium, ciuilem quoque obligationem contrahat, neque per pœnitentiam recedere possit. Quanquam adhuc magis consummatur & perficitur contractus mercis traditione, vtpote per quam dominium eius transfertur, & ius in rem aquiritur. Qui verò promisit se mutuò daturum v.g. aut permutaturum, ciuili iure non obligatur, sed per pœnitentiam recedere potest: secùs tamen est secundùm ius naturale, & canonicum, vt præced. cap. dictum est.

Præterea diuiditur contractus in nominatum, & innominatum. Contractus nominatus est, *qui in nomine generali pactionis non stat; sed transit in proprium & specificum nomen contractus: Vt emptio ac venditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum*: quin & mandatum, mutuum, pignus, & hypotheca, iuxta cit. l. iurisgentium, iunct. Gl. ver. similes: quibus adde I. feudum, emphyteusin, sponsalia, & matrimonium. II. Si nomen contractus latè accipias, annumera donationem, gratuitam stipulationem, & acceptilationem. 3

Contractus innominatus est, qui proprio ac specifico nomine carens, in generali vocabulo συναλλάγματος siue commutationis persistit. Eius quatuor sunt species, de quibus in l. naturalis, ff. de præscriptis verbis: I. est, *Do vt des*: v.g. do tibi aurum, vt des mihi argentum. Do tibi equum, vt des mihi pannum. quæ species interdum nomen permutationis sibi proprium vendicat, sicut videre est in §. actionum, Institut. de actionibus. II. *Do vt facias*, v.g. do tibi pannum, vt colas mihi agrum. Do tibi frumentum, vt desistas à lite: nam sub faciendo comprehenditur etiam non faciendum. III. *Facio vt des*, v.g. colo tibi agrum, vt des mihi pannum. IV. *Facio vt facias*, v.g. colo tibi agrum, vt vehas mihi frumentum.

His omnibus innominatis contractibus seu commutationibus id commune est, quòd per pœnitentiam recedere possit pars contrahens, etiamsi ex sua parte contractum impleuerit, si ex altera parte impletum non sit, l. si pecuniam, ff. de condictione ob causam. Exempli causa: Dedi pecuniam tibi, vt Romam ires; iure ciuili repetere possum pecuniam, antequam iuisti: nisi tua intersit non reuocari, quia te ad iter parando aliquid expendisti, aut lucrum omisisti: tunc enim te indemnem seruare debeo, l. si pecuniam, ff. de condict. causa data, &c. At verò in contractu nominato non est locus pœnitentiæ & reuocationi: sed qui ex sua parte impleuit, agere debet, vt etiam pars altera impleat; nisi placeat, contractum mutuo consensu dissoluere, & l. inciuile, Cod. de rei vindicat.

Denique diuiditur contractus latè acceptus in eos qui bonæ fidei sunt, & qui stricti iuris. Sumitur autem hîc bona fides, non vt opponitur dolo ac fraudi (nam hoc sensu omnes contractus bonæ fidei esse debent) sed vt idem sit, quod benigna interpretatio secundùm æquum & bonum. Ius verò strictum hîc accipitur, non prout opponitur æquitati siue epikeiæ; atque verborum prolationi tenaciter adhæret, etiam contra mentem & intentionem proferentis. Nam hoc sensu nullus contractus stricti iuris esse debet: cùm enim verba substituantur vt signa & nuntia mentis, contra rationem est, ad verba potiùs, quàm intentionem contrahentium attendere. Dicuntur igitur contractus bonæ fidei comparatiuè ad eos, qui iuris stricti appellantur; quòd in illis maiorem potestatem habeat Iudex arbitrãdi quod æquum & iustum est, etiamsi contrahentium verbis expressum non fuerat. In his autem, Iudex magis ad id, quod expressè dictum, conuentúmque fuit, attendere; & non vltrà iudicium protendere debet. Breuiùs dici potest: Contractus, qui bonæ fidei dicuntur, latiorem interpretationem secundùm æquitatem recipere; qui verò stricti iuris appellantur, strictioris interpretationis esse oportere. Vide de hac re Interpretes in §. actio- 4

num, Institut. de actionibus, Gloss. in cap. cùm venerabilis, ver. bonæ fidei, Abb. ibid. num. 20. Couarruu. in reg. possessor, p. 2. §. 6. num. 4. Rebellum p. 2. lib. 1. de contractibus, quæst. 2. sect. 1. Felicianum de Solis lib. 1. de censib. c. 3.

Contractus bonæ fidei sunt emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum gestorum, mandatum, depositum, societas, & cæteri qui numerantur §. actionum, Instit. de actionibus. Reliqui autem omnes, qui eo loco non numerantur, contractus sunt stricti iuris; vt plerique innominati contractus, item mutuum, censꝰ, emphyteusis, gratuita item stipulatio, aut donatio, iuxta l. 99. ff. de verb. obligat. *Quicquid astringendæ obligationis est, id nisi palàm verbis exprimatur, omissum intelligendum est: ac ferè semper secundùm promissorem interpretamur.* Idque etiam in votis, & legatis ad pias causas locum habere, putat Couarruu. c. indicante, de testam. num. 5. Sanchez lib. 4. moralium, c. 15. in fine, Rebellus in fine cit. sect. 1. argum. c. ex parte, de censibus, ibi: *cùm huiusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris Ecclesiasticis exigenda.* Cui consonat l. semper in stipulationibus, ff. de regulis iuris. Quamuis Abbas in cit. c. ex parte, & alij apud Couar. l. c. ob fauorem causæ piæ contrarium doceant, arg. l. Titia, §. Seia, ff. de auro & argento legato. Vide quæ dicam tract. seq. c. 11. num. 4.

Id verò certum est, quòd Principis donatio, siue beneficium, si nemini præiudicet, & communi iuri non refragetur, latissimè interpretandum sit, sicuti constat ex l. 3. ff. de constit. Principum, l. Princeps, ff. de verborum signif. c. cùm dilecti, de donationibus. Idque ob liberalitatem, & munificentiam, quæ de Principe præsumitur.

CAP. IV.

De qualitatibus contractuum.

SVMMARIVM.

1 *Quod purè & simpliciter promissum est, confestim peti debet; quod verò in diem certum, id solui non debet, antequam ille dies transactus sit.*
2 *Dies incertus interdum promissioni adijcitur causa obligationis suspendendæ: interdum verò causa solutionis differendæ.*
3 *Conditio de præsente, vel præterito, si vera est, confirmat promissionis obligationem: sin falsa est, statim infirmat.*
4 *Conditio de futuro impossibilis, reddit contractum seu promissionem irritam.*
5 *Conditio de futuro possibilis & honesta promissioni adiecta, eius obligationem suspendit.*
Pactum conditionale, mortuo paciscente ad hæredes transmittitur, sed non legatum, mortuo legatario.
6 *Modus promissioni adiectus, licet eam non suspendat, tamen promissario vicissim obligationem affert, qua non impleta, interdum reuocari potest, quod sub tali modo datum est.*
7 *Donatio facta Ecclesiæ sub conditione suspendente, eâ non impletâ, corruit: sed donatio facta sub modo, eo non impleto, reuocari non potest: nisi id expressum sit.*
Prælatus Ecclesiæ nocere potest in iure acquirendo; non in iure quæsito.
8 *Quod promissum est meretrici ob fornicationem: vel sicario ob cædem faciendam, patrato opere, ex iustitia debitum est.*
9 *Pro eo, quod iam antè ex iustitia debitum, pretium seu merces accipi non potest, nisi quid amplius, vel modo exactiore præstetur, quàm obligatio incumbit.*
10 *Iudices, alijque Officiales munera accipientes, licet frequenter peccent, acceptorum tamen dominium comparant: modo liberaliter oblata sint, non verò ad iniustam vexationem redimendam.*
11 *Pro opere, debito ex sola charitatis lege, si pretio æstimabile sit, pretium exigi potest: si non licitè, saltem validè.*
12 *Promissio facti alieni nullam obligationem parit.*

PActum, seu contractus, omnisque promissio, alia pura est; alia in diem, certum aut incertum; alia sub modo; alia sub causa: Item alia rei possibilis: alia impossibilis: alia rei, aut facti proprij; & alia alieni. De quibus singulis dicendum est.

Assertio I. Quod purè ac simpliciter, nulla adiecta 1
conditione, tempore, promissum est, confestim peti potest, l. eum qui Kalendis, §. quotiens, ff. de verb. obligat. & §. omnis stipulatio, Instit. eod. & reg. 14. ff. de reg. iur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsente die debetur.* Monet tamen Gl. in cit. §. omnis stipulatio, quod dicitur *confestim*, non excludere breuem aliquorum dierum moram, quæ viri boni, vel Iudicis arbitrio concedi debet debitori, vt commodè soluere possit, iuxta l. quod dicimus, ff. de solution. Deinde expectare plerumque poterit debitor, donec promissarius seu creditor exigat, si nullum solutioni tempus, aut conditio apposita erat, secundùm Glos. in l. debitores præsentes, ver. conueniendi, C. de pignorib. & notat Sanch. l. 1. disp. 28. Quòd sponsus ad nuptias non obligatur, nisi alter petat: si enim taceat, censetur esse contentus mora: modò tamen facilè petere possit: secus, si ob metum, etiam reuerentialem, aut obtinendi desperationem, vel propter obliuionem, promissarius petere omittat.

Assertio II. Si promissio facta est in diem certum, causa solutionis differendæ, v.g. ad Kalendas, ad festum Paschæ (qua loquendi forma proximæ Kalendæ, & proxima Paschæ festiuitas intelligi debet, sicuti habetur in cit. l. eum qui Kalendis) statim oritur obligatio, & actio, quæ & ad hæredes transit: tamen si creditor ante eum diem petat, exceptione repelli potest. Vide l. cedere, ff. de ver. signif. & cit. §. omnis stipulatio. Quòd si promissio facta erat ad certum diem, mensem, annum, non cogitur promissor soluere ante finem diei, mensis, anni, cit. §. quotiens & l. qui hoc anno, ff. de verbor. obligat. Quia adiectio diei, alteriúsue temporis, in fauorem debitoris facta est, non stipulatoris, l. cùm tempus, ff. de regulis iuris. Sin verò annua quantitas, v.g. decem annui eleemosynę, vel alimentorum nomine promissi sint, videtur solutio facienda in principio anni: quia ita de legatis annuis decretum est in l. 1. C. Quando dies legati cedit, & docet ibid. Gl. Accursij ver. ab initio, & §. at si ita, Instit. de ver. obligat.

Assertio III. Si promissio facta est in diem incer- 2
tum, censetur conditionalis: ideóque obligationem, actionémque suspendit, iuxta ea, quæ dicam assert. 6. Exempli causa: Cùm naues ex India appulerint, dabo tibi centum: Cùm hæres meus morietur, tradantur Titio centum. Perinde est ac si dicatur, Si naues ex India appellant: Si hæres meus ante Titium moriatur. Ita habetur in l. stipulatio ista, §. inter incertã, ff. de verb. obligat. l. si dies apposita, ff. Quando dies legator. cedat, & l. 1. §. dies autem, ff. de condit. & demonstrationibus, & aliis iuribus, quæ citat Gomez l. 2. resol. c. 11. n. 21. Molina to. 1. tr. 2 disp. 205. & to. 2. disp. 284.

Intelligenda autem ita assertio est, vt incertum sit diem extiturum esse: Nam si certum sit diem, futurum, licet incertum, quando; vt si dicatur: Promitto, me Reipub. daturum, cùm pater meus morietur. Aut, Volo, vt Titio, cùm morietur, centum dentur ab hærede meo; non censetur dies, vel tempus appositum causa obligationis suspendendæ: sed solutionis & executionis differendæ: quapropter tale legatũ ad hæredes transmittitur. Ita habetur in l. si cùm hæres, & l. si dies apposita, ff. quando dies legator. cedet, & expresè in l. hæres meus, ff. de condit. & demonstrat. *Hæres meus, cùm morietur Titius, centum ei dato; purum legatum est. Quia non conditione, sed mora suspenditur: non potest enim conditio non existere.* Vide Gl. in l. vn. C. Vt actiones ab hæredibus, & contra hæredes incipiant.

Deinde limitari debet eadem tertia assertio: Nisi dies incertus promissioni adiectus fuerit in gratiam solius promissarij, legatarij: Veluti, si famulo propter obsequia promittas 400. aureos, dandos ei, cùm

matrimonium contraxerit; ne fortasse antè acceptos malè absumat; isque ante matrimonium moriatur, aut Religionem ingrediatur; transmittitur actio ad hæredes, vel Monasterium, sicuti notauit Mol. cit. disp. 205. §. si tamen dies, Rebellus p. 2. de obligat. iustit. lib. 18. q. 13. & videri potest Abb. in c. nos quidem, de testam. Medina q. 24. de restitut. §. inde etiam est.

3 ASSERTIO IV. Conditio de præsente, vel præterito, v. g. Promitto me daturum, si pater meus viuit; si mater mea mortua est; promissionis obligationem, & actionem non suspendit, sed statim confirmat, si vera est; infirmat autem, si falsa est: licet à paciscentibus ignoretur. Ita habetur in l. cùm ad præsens, ff. si certum petatur, & §. conditiones, Instit. de verborum obligat. Idémque sentiendum, si conditio de futuro necessaria sit: v. g. promitto me daturum si moriar, vel si futuris Kalendis sol oriatur, l. si pupillus, §. qui sub conditione, ff. de nouation. Nisi appareat, intentionem loquentis fuisse, tali loquendi forma tempus & diem definire, ante quem peti non debeat; vt sensus sit, dabo tibi cum moriar, vel cùm futuris Kalendis sol orietur.

4 ASSERTIO V. Conditio de futuro impossibilis secundùm naturam, aut secundùm mores, reddit contractum vel promissionem irritam. Ita habetur l. impossibilis, ff. de verbor. obligat. Instit. de inutilibus stipulat. §. 1. & §. si impossibilis. Et reg. 145. ff. vbi dicitur: *Impossibilium nulla est obligatio.* Vide quæ dicam lib. 5. tract. 10. p. 2. cap. 7. numero 10.

5 ASSERTIO VI. Conditio de futuro honesta, & possibilis parit obligationem suspensam, quæ etiam ad promissoris hæredes transmittitur: cuius obligationis ea vis est, quòd licet promissor ante euentum conditionis, rem promissam tradere non teneatur; euentum tamen expectare debeat, atque interim promissionem reuocare non possit, sicut constat ex cit. l. cedere diem, ff. de verb. obligat. & §. sub conditione, §. ex conditionali, Instit. de verb. obligationibus. Postea verò si conditio eueniat, purificatur promissio & obligatio, iuxta l. potior, ff. Qui potiores in pignore: Si non eueniat, penitus expirat vis promissionis.

Nota autem hìc primò, discrimen esse inter legatum & contractum: quòd legatum sub conditione, si ea pendente legatarius moriatur, penitus expirat, & ad hæredem non transmittitur, sicuti habetur in l. 4. 5. & l. huiusmodi, ff. quando dies legatorum cedat, & l. vn. §. sin autem aliquid, C. de caducis tollendis: Contractus autem conditionalis ad hæredes sub eadem conditione transmittitur, vt suprà dictum. Rationem discriminis affert Gl. § ex conditionali, Instit. de verb. obligat. Quia in contractu, vel stipulatione interuenit factum stipulantis, seu contrahentis, volentis sibi, & hæredibus suis prospicere, arg. l. si pactum, ff. de probat. *Plerumque tam hæredibus nostris, quàm nobismetipsis cauemus.* In legato autem & fideicommissis nullum factum legatarij, aut fideicommissarij interuenit. Plerique tamen Doctores in l. si decem, §. cùm petiero, ff. de verb. obligat. Gomez lib. 2. c. 11. n. 36. excipiunt conditionem potestatiuam, id est, quæ à sola voluntate promissarij pendet: v. g. Dabo tibi centum, si capitolium ascenderis: si seruum manumiseris: si enim talis conditio ab ipsomet stipulatore impleta non sit, aiunt, ab hæredibus impleri non posse, ideóque promissionem in morte stipulatoris siue promissarij expirare. quibus repugnant Couar. in practicis qq. c. 39. num. 2. Mol. cit. disp. 285.

Nota secundò, discrimen esse inter promissionem vel legatum sub conditione, & promissionem vel legatum in diem certum. Nam quod in diem certum promissum, vel legatum fuit, purè ac simpliciter debetur: quapropter si ante definitum diem soluatur, eius repetitio non conceditur, l. fideiussor quamuis, ff. mandati, & notauit Gomez n. 23. Mol. disp. 284. Quod verò sub conditione, vel in diem incertum promissum, vel legatum fuit, eius debitum suspensum manet: quare si ante conditionis euentum per errorem iuris, aut facti soluatur, repetitio conceditur, l. sub conditione, l. qui promisit, ff. de condict. indebiti.

ASSERTIO VII. Modus promissioni, contractui, vel legato adiectus: puta promitto, dono, lego tibi centum, vt Romam eas, vt sepulchrum mihi ædifices: non suspendit promissionem, donationem, legatúmue: donatario tamen, vel legatario vicissim imponit grauamen siue obligationem aliquid præstandi. Ita colligitur ex tit. C. de donationib. quæ sub modo, & docet Gl. recepta in c. verùm, ver. conditione, de condition. appositis, ibid. Abb. n. 2. Rebell. p. 2. lib. 18. q. 13. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 208. Ratio est: Quia donatio, vel legatum sub modo, suum esse substantiale habet absolutum, quodammodo independenter ab accessorio modo seu grauamine. Ex quo sequitur primò: Quòd promissum, legatúmue sub modo statim peti potest, etiam nondum impleto modo: quamuis legatarius satisdare debet de eo implendo, l. quibus diebus, §. Thermus, ff. de condition. & demonstrationibus. Sequitur secundò: Quòd tametsi promissarius, vel legatarius modum necdum impleuerit: ius tamen omne suum ad hæredem transmittit: qui etiam modum implere potest, ac debet, l. à testatore, iun. Gl. ver. conditio, ff. cod. Similiter, si legatarius ante cautionem, quam præstare debuisset, è vita excesserit, hæres eius, si eandem cautionem præstet, in possessionem mittendus erit: Et hæc dicta sunt pro intellectu assertionis, quoad priorem partem. 6

Quod ad posteriorem partem attinet: Vt modus, seu grauamen promissioni accessorium censeatur, ideóque à promissario implendum, requiritur primò, modum incontinenti, veluti vnica pactione, donationi, alteriue dispositioni adiectum fuisse. Si enim omnino perfecta, seu simpliciter facta fuerat donatio, modum aut conditionem non ampliùs recipit, donatario inuito, l. perfecta, C. de donat. quæ sub modo. Secundò requiritur, adiectum modum possibilem esse: si enim impossibilis sit iure, aut facto; v. g. Dono tibi ea lege, vt à Religione Catholica deficias, aut in hæresi perseueres: Vt cœlum digito tangas; perinde valet promissio, donatio, vel legatum, ac si talis modus adiectus non esset sicuti ex communi docet Molina disp. 208. §. modus impossibilis. Ratio est: Quia modus promissioni, vel dispositioni est veluti accessoria pactio seu obligatio; qua corruente propter sui impotentiam, non etiam corruit pactio principalis: cùm principale non pendeat à suo accessorio.

Quæstio autem est. Si modus possibilis ac honestus à donatario, vel legatario non seruetur, vtrum donatio, vel legatum corruat, aut reuocari possit? Resp. ex doctrina Abb. cit. c. verùm, de condit. appositis, num. 3. Molinæ cit. disp. 208. Inuestigandam esse mentem donantis, legantis: partim ex verbis, quibus vsus est, partim ex circumstantiis, vtrum modus ab eo adiectus fuerit, tanquam causa finalis ac principalis, quæ in euentu resolui debeat in conditionem sine qua non: puta, lego tibi centum, ea lege, vt monumentum mihi ædifices: alioquin legatum retinere non possis. An verò non fuerit causa finalis ac principalis donandi, legandiue: quamuis interim donator, vel legator, occasione ista, aliquam etiam obligationem imponere intéderit: tunc reuocari non potest donatio, vel legatum: sed compelli debet donatarius, vel legatarius admodum seruandum: vel præstandam æstimationem eius, quod interest modum non seruari.

Id verò peculiariter fauore causæ piæ statutum est in c. verùm, de condition. appositis: Vt donatio facta Ecclesiæ sub modo, eo non seruato, reuocari non debeat: 7

debeat, nisi in donatione expresſũ fuerit. Quia in dubio præſumatur donatio principaliter facta propter Deum, & pro remedio peccatorum, ait. Abb. loco ſuprà cit.

Cæterùm, etſi expreſſum fuerit, vt, ſi modus non ſeruetur, (v.g. ſi fundus Eccleſiæ donatus, & alienari prohibitus alienetur) reuocetur facta donatio; non nocebit tamen Eccleſiæ, ſi ſolus Prælatus ſine Capituli conſenſu modum donationis tranſgrediatur. Alia ratio eſt, ſi donatio facta fuerit ſub conditione ſuſpendente, eámque Prælatus, qui res Eccleſiæ adminiſtrat, non adimpleat; corruit tunc donatio. Cauſa diſcriminis eſt, quia Prælatus Eccleſiæ nocere poteſt in iure acquirendo; non item in iure acquiſito, ſecundùm Gl. in c. vlt. 16. quæſt. 6. Atqui res donata ſub conditione, ante eius euentum, non acquiritur donatario; ſed donata ſub modo ſtatim acquiritur, antequam modus impleatur, vt ſuprà dictum. Et ita reſoluit Abbas loco cit. & in c. verùm, n. 28. de foro compet.

Exemplum habes, Titius promiſit Eccleſiæ ſe donaturum centum aureos, ſi pro ſuis maioribus anniuerſarius celebretur; ſed Paſtor Eccleſiæ poſtea recuſat conditionem implere, promiſſor liberatur obligatione. Sin verò ius fundationis legato, aut donatione Titij acquiſitum eſt Eccleſiæ, cum modo & obligatione, vt anniuerſarius dies celebretur; fundatio reuocari non poteſt, ob non impletum poſtea modum; ſed agi debet ad eius impletionem. Tum quia adminiſtratores Eccleſiæ obeſſe non poſſunt in iure iam acquiſito: tum quia res ſemel Eccleſiæ acquiſita, quaſi ſacra facta eſt, & in ſpeciali dominio Chriſti conſtituta: ideóque reuocari non poteſt, vti Innoc. notauit in c. verùm, de foro compet.

Illud etiam obiter notandum cum Abb. in cit. c. verùm, num. 4. de condit. appoſitis; Licet donator, vel teſtator conditionem aut grauamen appoſuerit, vt res alienari non poſſet; non cenſeri tamen prohibitam alienationem in caſu neceſſitatis, v.g. ad redemptionem captiuorum, ſi alia bona non ſuppetant, & ius naturale charitatis, &c. talem alienationem poſtulet.

ASSERTIO VIII. Promiſſio rei impoſſibilis ſiue ſecundùm naturam, ſiue ſecundùm mores, ipſo iure irrita eſt. Nam *nemo poteſt ad impoſſibile obligari*, reg. in 6. Et, *in malis promiſſis fidem non expedit obſeruari*. reg. 69. eod. Fieri enim non poteſt, vt aliquis ex iuſtitiæ virtute obligetur ad id, quod vel nullo modo, vel ſaltem non ſine peccato præſtari poteſt. Quare Iſidorus relatus in c. 5. cauſæ 22. q. 4. *In malis promiſſis reſcinde fidem: In turpi voto muta decretum*. Cuius ratio adiungitur, Quia *impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*. Sed etſi promiſſioni rei malæ iuramentum acceſſerit, *non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum iuramentum*, reg. 58. in 6. Neque iuramentum poteſt eſſe vinculum iniquitatis, c. quanto, de iuramento. Exempli cauſa: Si iuratus promiſiſti puellæ quippiam daturum, vt turpiter agat, nulla oritur obligatio: & quod ob eam cauſam nondum impletam, à puella acceptum eſt, naturali iure, ſiue in cõſciẽtiæ foro reſtitui debet danti.

Veruntamen, poſteaquam puella non ſine peccato, corporis ſui copiam fecit; non tantùm, quod ob eam cauſam datur, accipere, & retinere poteſt; ſed etiam quod veluti pretium promiſſum & nondum datum, omni iure exigere, ſicuti conſtat ex l. 4. §. ſed & quod, ff. de condict. ob turpem cauſam, & docet S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. Abb. in c. quia plerique, n. 14. de immunit. Eccleſ. Adrian. in 4. vbi de reſtit. §. oritur alia quæſtio, vtrum meretrix. Caiet. 2. 2. q. 32. a. 7. Sotus lib. 4. q. 7. a. 1. ad 2. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 2. n. 1. Syl. ver. reſtitutio, 2. §. ſed quod dictum, Pet. Nauar. lib. 4. c. 2. n. 114. Rebel. cit. lib. 18. q. 1. num. 9. Vaſq. in moralib. c. 7. dub. 1. & ſeqq. contra Ioannem Medinam C. de reſtitut. q. 20. Nau. in man. c. 17. n. 58. 41. Item promiſiſti ſicario daturum decem aureos, ſi hominem occiderit, nulla naſcetur obligatio; niſi poſteaquam ille facinus non ſine labore ac periculo ſuo, in tui gratiam patrauit; tunc enim, ſpectato iure naturali, teneris ſoluere; vel ſi ſoluiſti, repetere non potes: propterea quòd moleſtia & periculum ab illo in tuam gratiam ſuſceptum, pretio æſtimabile ſit, ſicuti docent Nau. c. 17. n. 31. Couar. cit. §. 2. n. 4. & 5. Sauer. reſtitutio, n. 9. & 18. P. Nauar. lib. 4. de reſtit. c. 2. n. 130. Leſſ. lib. 2. c. 18. n. 18. contra Sotum l. c. ante ſolut. tertij, Cordub. lib. 1. quæſtionarij, q. 32. & alios apud Couar. exiſtimantes, eum qui promiſit quippiam pro opere patrando legibus prohibito, ac puniri ſolito, v.g. homicidio; ſecuto opere, non obligari ad implendum promiſſum.

Præterea, ſi cum Iudice pactus fueris, vt non ſine periculo ſuo, in tui gratiam ſuſcepto, iniquam ſententiam ferat, eâ latâ, probabilis eſt opinio Nauar. c. 17. n. 39. Rebelli loco cit. Toleti lib. 5. c. 21. in fine, Rodriq. in ſum. p. 2. c. 40. concl. 2. Molinæ to. 1. tr. 2. diſp. 94. §. contraria ſententia, Leſſij lib. 2. c. 14. dub. 8. n. 52. Obligationem ſaltem naturalem exinde oriri; vt quod ob eam cauſam à Iudice acceptum fuit, reſtitutioni obnoxium non ſit in conſcientiæ foro: quamuis contrarium doceant Adrianus in 4. vbi de reſtit. §. reſtat inquirere, an extorta, Sotus cit. a. 1. S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 5. §. 1. Lopez p. 1. inſtruct. cap. 106. Sairus in claui lib. 10. tract. 5. cap. 3. num. 12. & alij, quibus fauere videtur S. Auguſt. epiſt. 54. ad Macedonium.

Denique ſi cum aliquo pactus ſis, pecuniâ promiſſâ, ne te accuſet de crimine patrando, qui iure te accuſare poteſt, turpis quidem eſt pactio; ſed poſteaquam crimen patratum fuit, vtrinque obligatio oritur, & pretium acceptum ante Iudicis ſententiam reſtituendum non eſt: Siquidem ius accuſandi, quo ille ſe priuat, pretio æſtimabile eſt. Ita Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 9. n. 10. Quamuis non pauci Doctores contrarium reſponderent, propter regulam traditam à Palud. in 4. d. 15. q. 2. a. 4. Medina cit. q. 20. Syl. ver. reſtitutio, 2. §. 1. Soto cit. a. 1. Si turpitudo verſetur tam ex parte dantis, quàm ex parte accipientis, (ſicuti in propoſitis caſibus videre eſt) reſtitutionem rei acceptæ faciendam eſſe fiſco, vel Eccleſiæ, aut pauperibus. Sed regula iſta locum tantùm habet in externo foro, in quo pacta de patrando crimine contra iuſtitiam; aut ſi patretur, non accuſando, ſeuerè prohibentur, ac puniuntur; ideóque eiuſmodi ſceleratorum hominum actiones non admittuntur, iuxta l. 3. ff. de condict. ob turpem cauſam, & l. generaliter, & ſeqq ff de verb. obligat. l. in hæredem, ff. de calumniator. vbi dicitur; Eiuſmodi datum ob turpem cauſam etiam ab hærede auferri. Quæ in conſcientia locum non habent ante Iudicis condemnationem.

ASSERTIO IX. Nulla oritur obligatio, neque dominij tranſlatio, ſi aliquid tanquam pretium promiſſum, datúmue fuerit eius rei gratia, ad quam præſtendam promiſſarius iam antè ex iuſtitia obligatus eſt: veluti ſi latroni aliquid dederis, ne te, vel alterum iniquè occidat; vel Iudici, iuſtum ſalarium habenti, vt iuſtam ſententiam ferat, cauſæ executionem iniquè ne differat. Ita docet ex communi S. Anton. & Adrianus ll. cc. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 1. Nau. c. 17. man. n. 96. Sairus l. c. dub. 2. Mol. to. 1. tr. 2. diſp. 93. Valentia t. 3. diſp. 5. quæſt. 6. p. 5. §. 2. quæſt. 4. Leſſ. dub. 9. n. 63. Pet. Nau. lib. 4. c. 2. n. 94. Rebel. p. 2. lib. 10. q. 20. & ſumitur ex l. 1. & 2. ff. de condict. ob turpem cauſam. Ratio eſt: Quia hoc caſu Iudex v. g. nullum accipiendi, vel datum retinendi titulum ſiue ius habet. Neque enim habet ex pacto gratuito: quia ſuppono, non eſſe tibi animum donandi; ſed tanquam pretium dandi. Non item ex pacto oneroſo: Oneroſi,

enim pacti ea natura & conditio est, quòd vtrinque obligationem pariat: Atqui nulla noua obligatio imponitur ei, qui iam antè ex iustitia obligatus est facere, vel intermittere aliquid: adeóque contrarium agendo, præsentem iniuriam infert. Quapropter dici solet, *Opera iustitiæ non posse fieri venalia*: id est, quod alicui iam antè ex iustitia debitum est, non posse eidem constituto pretio vendi.

Quædam hoc loco notanda: Primò, Si Titius mecum paciscatur, seu fœdus ineat, quòd imposterum nullam mihi, vel amico meo iniuriam inferre velit, certum est, illum ex tali promissione voluntariam iustitiæ obligationem contrahere, ita vt perfidus censeatur, si non impleat. Exinde autem videtur consequens, quòd in compensationem susceptæ obligationis pecuniam illi, aliúdue pretio æstimabile promittere possim; adeò, vt spectato iure naturali, eiúsce mercedis solutio valida existat, & à Titio res data retineri possit. Quamquam, si Titius promissum exigat, per exceptionem defendere me licet: cùm etiam datum iuxta legum decreta condicere seu repetere possim, l. 2. ff. de condict. ob turpem causam: ne videlicet aliquis commodum inde ferat, ex quo pœnam meretur.

Secundò notandum est: Si Iudex, Tabellio, Aduocatus, Medicus, artium Professor, &c. à Rep. conducti sint absque stipendio sufficiente; quamuis hoc casu ex iustitia obligentur ad præstandam operam partibus litigantibus, contrahentibus, ægris, &c. non tamen gratis: sed mercedem exigere iure possunt. Eademque ratio est de piscatore v.g. qui naufrago ex charitatis lege succurrere debet; sed interim laboris sui pretium omni iure exigit.

Deinde, licet Iudex, Tabellio, &c. sufficiens salarium habeant, nihilominus cessante scandalo, & prohibitione legis positiuæ, accipere aliquid possunt, tanquã pretium laboris ac diligentiæ extraordinariæ, ad quam adhibendam alioquin non obligantur: veluti si Iudex augendo laborem, alicuius causam, sine aliorum damno velociùs expediat: Si artium Professor nihil in publica prælectione prætermittens, priuato & extraordinario labore aliquos erudiat: quo modo limitari debet doctrina Nau. c. 25. n. 58. Item, si famulus expeditionem causæ apud dominum diligenter, ac frequenter vrgeat. Cautè tamen tali licentia vtendum esse, monet Molina to. 1. tr. 2. disp. 88. Atque cauendum, ne talia cum alterius iniusto damno coniuncta sint: Vt si Minister publicus, propter oblatum sibi munus, vnius causam citiùs expediat, posthabitis alijs, qui diutiùs expectarunt, & ante alios expediri deberent.

Sed ponamus, plures adesse, qui æquali iure gaudeant, vt in Iudicis arbitrio positum sit, quem cui præponat; peccabítne Iudex, si vnius causam ante alios expediat, ex pacto oblati muneris? Res ista periculo non vacat: spectato tamen naturali iure, non audeo hominem damnare: quia ea in re alijs iniuriam non infert: in gratiam verò Titij remuneratoris suscipit nouam obligationem, ante alios expediendi causam ipsius. quæ obligatio pretio æstimabilis videtur.

10 Præterea, licet Iudices à partibus contendentibus munera liberalia accipientes, non rarò grauiter peccent, seu scandali causa seu ob periculum iustitiam peruertendi, conuenienter illi Exod. 23. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Acceptorum tamen dominium comparant, naturali iure spectato: tametsi nihil in fauorem partis donantis, sed secundùm merita causæ etiam contra donatorem iudicent. Sed esto donanti propositum fuerit muneribus conciliare animum Iudicis, vt sibi litis victoriam adiudicet, fuit tamen hæc tantùm causa impulsiua donandi, non continens conditionem sine qua non, vti dicam cap. seq. n. 3. & 4.

Quinetsi lex positiua acceptionem munerum prohibeat, non tamen accipiens ante Iudicis sententiam ad restitutionem obligandus videtur; præterquam si lex exprimat, vt non tantùm illicita, sed etiam inualida acceptio sit: sicuti expressum est de delegato Papæ in c. statutum, §. si quid, de rescriptis in 6. Et de Ecclesiarum visitatoribus c. 2. de censib. in 6. Excipiuntur tamen esculenta & poculenta moderata, quæ mera liberalitate offeruntur, cit. c. statutum, §. insuper, &c. Felicis, de censib. in 6. Vide Syluestrum ver. Iudex, 1. q. 8. Rebell. p. 2. lib. 18. q. vlt. Molinam disp. 85. Ioach. Mynsinger. cent. 2. obseruat. 75.

Sin verò Iudex, aliúsue Officialis, quæ iusta sunt, neget, v.g. instrumento sigillum apponere, nisi donum ipsi offeratur; iniusta hæc erit extorsio, ex qua restituendi obligatio nascitur, si Officialis publicum stipendium habens, neque iure, neque permissa consuetudine aliquid vt debitum sibi exigere possit. qua de re Gabr. in 4. d. 15. q. 6. a. 3. dub. 5. Deinde si iudici, vel alteri Officiali munus offeratur causa redimendæ vexationis, ne causam nimis diu protrahat, aut ne parti aduersariæ iniustè faueat; tale acceptum restitutioni obnoxium videtur: cùm non merè liberaliter datum sit, sed ex metu & admixto inuoluntario: quamquam etiã hoc casu interdum præsumi potest, eum qui munus obtulit, restituendi obligationem remittere, sicuti notauit Rebel. lib. 18. q. vlt. n. 5.

Illud porro in quæstione est, vtrum ob aliarum virtutum, v.g. Charitatis, Religionis opera, ad quæ præstanda aliquis simpliciter obligatus est, pretium accipi possit? Negant Salon 2.2. q. 62. a. 5. controu. 3. concl. 4. Ioan. Medina C. de restit. q. 25. concl. 2. Sairus loco suprà cit. n. 23. Mol. disp. 93. concl. 2. Less. lib. 2. c. 14. dub. 9. n. 69. cum Nau. c. 17. n. 34. vbi ait, consequentiam hanc regulariter validam esse: Iste tenetur opus gratis facere. i. tametsi ei nihil detur: ergo pretium accipere nõ potest. Contrariũ spectato iure naturali affirmant Valentia cit. q. 4. Vasq. de rest. cap. 7. dub. 5. n. 45.

Sed arbitror distinguendum esse: Vel enim opus pretio æstimabile non est; vt Missæ auditio, Baptismus; 11
& tunc simoniacum esse videtur, illud agere quasi ex obligatione pro re temporali data, vel promissa. qua de re dicam lib. 4. tr. vlt. c. vlt. §. 2. n. 7. Vel opus secundùm se pretio æstimabile est; tunc etsi ex charitate alicui debitum sit, probabiliter dicitur, si non licitè, saltem validè pretium accipi posse, sine restituendi obligatione: v.g. si cum paupere, cui in grauissima necessitate constituto, gratis etiam succurrere ex charitate debebas, pactum reciprocum ineas; videtur id subsistere. Cùm enim ex sola charitate obligatus sis, paciscendo suscipis nouam, auctiorémque obligationem iustitiæ, quæ pretio compensabilis est; si non licitè hoc casu, saltem validè. Deinde verò, cùm tale pretium accipiendo pro opere, quod gratis præstare debebat, contra charitatem solùm peccâris; non videris ad restituendum obligatus: quia radix seu obligatio restituendi ex violatione iustitiæ, non charitatis oritur, sicuti notauit Mol. l. c. §. maius dubium, Rebell. cit. lib. 18. q. 21. Eáque resolutio multò magis locum habet, si ab altero non paupere pretium pactus sis, vel acceperis, in compensationem operis, quod alioquin ex charitate alicui indigenti præstare tenebaris: suscepisti enim tali pactione nouam iustitiæ obligationem, moderato pretio æstimabilem, vt dixi.

Cæterùm, si tibi non veluti pretium boni operis detur; sed liberaliter donetur sub conditione, causa, modo; v.g. depositum alicui personæ reddas, vt ab homicidio abstineas, vt Christianus, vel Religiosus fias, Missam audias: valebit pactum, & quod ita promissum est, exigi ac retineri potest in conscientiæ foro. Quia sicuti precibus, aut minis; ita & promissis, ac muneribus fas est inducere homines ad opera bona virtutum atque abducere à peccatis. Vide Med. q. 27. de rebus ob

cauſam honeſtam acceptis, Cod. de reſtitut.

Denique ex his infertur doctrina Vaſq. cit. c. 7. n. 49. Licet valeat pactum dandi Titio decem ſub conditione, ſi debitum ex iuſtitia reſtituat perſonæ tertiæ; non autem valet pactum ſub conditione, ſi reſtituat debitum tibi ipſi promiſſori. Ratio diſcriminis eſt; Quia in priore caſu Titius accipit iure donationis gratuitæ: In poſteriore autem caſu, ſi videlicet opus, pro quo aliquid datur, cedat in commodum dantis, cenſetur datio fieri per modum commutationis: quæ tamen commutatio nulla eſt, ſi Titius alioquin debitor ſit ex iuſtitia; ideóque nihil tibi viciſſim tradat, quod ſecluſo tali reciproco pacto, non debeat, vt ſuprà dictum.

12 Assertio X. Promiſſio facti alieni inutilis eſt. Ita habetur in l. quæcunque gerimus, ff. de action. & obligat. l. ſtipulatio iſta, ff. de verbor. obligat. & inſtitut. de inutilibus ſtipulationibus: *Si quis alium daturum, facturúmue quid promiſerit, non obligabitur: veluti, ſi ſpondeat Titium quinque aureos daturum. Quòd ſi effecturum ſe, vt Titius daret, ſpoponderit, obligatur:* quia tunc proprium factum manifeſtò promiſit, ait Gl. ibid. Sed etſi id promiſſor facti alieni non exprimat, tamen in dubio præſumendum eſſe in foro canonico, promittere eum voluiſſe curaturum ſe, vt ab altero fiat, ex communi docet Couar. c. quamuis pactum, p. 2. §. 5. n. 1. & 2. Mol. to. 2. diſp. 268. §. quod ad ſecundum, Sanch. lib. 1. de matrim. diſp. 24. n. 8. Quia alioquin inutilis eſſet promiſſio. Idque etiam ciuili iure locum habet, ſi iuramentum promiſſioni adiectum ſit, teſte Gl. & Doctoribus citatis: quia præſumendum non eſt, promiſſorem periurij periculo ſe committere voluiſſe, factum alienum temere promittendo. Alios præterea caſus numerant Gl. Sanchez ll. cc. in quibus alieni facti promiſſio obligationem parit, ciuili iure.

CAP. V.

De contractibus ob errorem, aut dolum initis.

SVMMARIVM.

1 *Error circa rei ſubſtantiam, omnem contractum naturali iure irritum reddit.*
2 *Error circa obiecti qualitatem; licet dolo alterius contrahentis proueniat: ſi tamen concomitans tantùm ſit, non reddit contractum infirmum, aut infirmandum.*
3 *Error circa obiecti qualitatem, non proueniens ex dolo contrahentis, etſi ſit cauſa operis, non infirmat contractum; præterquam ſi intentio conditionalis ſit, non aliter promittendi; aut contrahendi, niſi exiſtente tali circumſtantia.*
4 *Defectus cauſæ principalis tribuit donatori ius repetendi: non item defectus cauſæ impulſiuæ tantùm.*
5 *Contractus alij faciliùs, alij difficiliùs ſolui poſſunt.*
6 *Si error, vel dolus dans cauſam contrahendi, proueniat ab altera parte contrahente, non ſine iniuria; valet quidem contractus propter conſenſum abſolutum, tamen reſcindi poteſt.*

Svpponendum. Quòd error vel verſatur circa rei ſubſtantiam; vel circa qualitatem, & tunc vel eſt error antecedens, qui dedit cauſam contrahendi; vel tantùm error concomitans. Similiter dolus (ſiue is ab altero contrahente, ſiue à tertia perſona proueniat) interdum eſt antecedens, ſiue cauſa contractus: quando, niſi dolus interueniſſet, non contraxiſſes. Interdum verò eſt tantùm concomitans, ſiue incidens in contractum: quando nihilominus contraxiſſes, tametſi deceptus non fuiſſes.

1 Assertio I. Error circa rei ſubſtantiam, ſiue obiectum ſubſtantiale, omnem contractum ipſo naturali iure irritum reddit. Veluti, ſi emas vitrum pro gemma, acetum pro vino, aurichalcum pro auro, ſtannum pro argento. Item ſi liberaliter dones, aut beneficium aliquod confetas Petro, quem putas eſſe Ioannem, donatio irrita eſt. Ita omnes. Quia *errantis nullus eſt conſenſus*, l. 9. C. de iuris & facti ignorantia. Sine conſenſu autem non conſiſtit contractus, quippe à libera voluntate pendens. Quare donatarius in tali caſu obligatur ad reſtituendam rem ſibi datam; & venditor ad reſtituendum pretium, recepta merce ſua.

Oportet autem rei ſubſtantiam non ſpectare abſolutè, ſed in ordine ad voluntarium actum ſeu contractum; vt illud dicatur obiectum ſubſtantiale, circa quod voluntarius actus per ſe, non per accidens verſatur. Qua ratione colligis, quòd perſona, cui aliquid donatur, plerumque pertinet ad obiectum ſubſtantiale donationis, per quam voluntatis liberalitas ergà certum hominem exercetur. Non item plerumque pertinet ad obiectum ſubſtantiale emptionis: cùm ferme nihil interſit ementis, num ab hac, an ab alia perſona emat: neque interſit vendentis, ſiue huic, ſiue alteri vendat. Quòd ſi verò aliquis explicitè, vel implicitè intendat donare, aut eleemoſynam dare homini præſenti, quicunque ſit; aut emere rem præſentem, quæcunque ſit; tali caſu error circa rem, vel perſonam accidentalis tantùm cenſeri debet.

Aſſertio II. Error circa obiecti qualitatem, ſeu circumſtantiam, quamuis dolo alterius contrahentis ingeneratus, ſi tamen concomitans tantùm ſit, non reddit contractum infirmum, aut infirmandum. Eſt communis aſſertio. Cùm enim error iſte non auferat conſenſum ſubſtantialem, ideo naturali iure validum contractum relinquit: & cùm non exiſtat cauſa contractus, ideo non eſt ratio, cur remoto errore, ſiue acquiſita ſcientia veritatis, contractus infirmari debeat. Exemplum. Si emiſti vinum Auſtriacum, perſuaſus eſſe Rhenanum, quod tamen emiſſes, etſi non ignoraſſes. Interim verò decepto aduerſus decipientem actio competit, vt ſoluat quanti intereſt, dolum adhibitum non fuiſſe. Videri poteſt Medina C. de reſtit. q. 33. Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. Molin. to. 2. diſp. 352. concl. 4. Sanchez lib. 1. de matrim. diſp. 64. n. 6. & diſp. 65. n. 2. Leſſius l. 2. c. 17. dub. 5. n. 28. Becanus t. 2. opuſc. de fide hæreticis ſeruanda, c. 3. aſſert. 2. & quæ infrà dicam cap. 17. n. 8. 2

Aſſertio III. Etſi error circa qualitatem det cauſam contractui, ſi tamen non proueniat ex dolo eius, qui tecum paciſcitur; ſed vel propria perſuaſione, vel tertiæ perſonæ malicia decipiaris, validus eſt contractus tam gratuitus, quàm oneroſus. Ita Bartolus in l. & eleganter, ff. de dolo, Gl. in c. cùm dilecti, de emptione & vendit. ibid. Abb. n. 6. & 7. Couar. reg. poſſeſſor, p. 2. §. 6. n. 6. Leſſ. l. c. n. 33. Becanus aſſert. 3. Cùm enim error non ſit circa obiecti ſubſtantiam, permanet conſenſus ſubſtantialis, quo contractus perficitur. Quamobrem qui ex tali contractu rem aliquam à te conſecutus eſt, non tenetur ad eius reſtitutionem; cùm nullam tibi iniuriam intulerit. Si tamen à tertia perſona deceptus fuiſti; competit tibi aduerſus eam actio de dolo, cit. & eleganter, §. 1. 3

Verùm aſſertio hæc limitari debet; Quòd error circa qualitatem vitiat promiſſionem, aut contractum, ſi intentio actu, aut virtute conditionalis eſt non promittendi, aut contrahendi, niſi exiſtente tali qualitate, aut circumſtantia. Ita Valentia t. 3. diſp. 5. q. 20. p. 4. concl. 4. Sanch. lib. 10. de matrim. diſp. 9. n. 13. & lib. 4. moral. c. 2. n. 6. eadémque videtur ſententia Conradi de contract. q. 57. Cenſeri autem debet intentio virtute conditionalis primò; Si rem aliquam non ſimpliciter promittere, vel in contractum deducere voluiſti, ſed vt affectam tali circumſtantia, quam falsò ineſſe exiſtimabas: tunc enim qualitas ſiue circumſtantia ad obiectum promiſſionis ſiue contractus intrinſecè pertinet. Exemplum

momenti esse. Cùm autem secundùm ius canonicum, & conscientiæ, inter contractus bonæ fidei, ac stricti iuris, nullum in hac re discrimen sit; ideo dicere cogimur, omnes omnino contractus, quibus dolus malus à contrahente adhibitus causam præbuit, inualidos esse. Probant secundò ratione: Naturalis æquitas non patitur, vt aliquis per iniuriam ius & actionem consequatur, arg. c. 1. de eo qui duxit, &c. ibi, *nec lucrum de dolo suo reportet*. Ergo doloso nulla actio competit, neque ius vllum ex contractu acquiritur; licet ipse vicissim obligatus maneat ad seruandum contractum, si deceptus velit.

Ad primum respondetur ex doctrina Gl. in cit. §. 1. Instit. de exception. & aliorum in c. cùm dilecti, num. 6. de empt. Contractus bonæ fidei ipso iure (intellige ciuili, sicut explicat Couarruu. l. c.) irritos, seu nullius momenti esse, non secundùm suam substantiam; sed secundùm effectum, quia Iudicis auctoritate rescindi debent, facta etiam restitutione fructuum, (iuxta c. 2. de his quæ vi) & concessa vtili vindicatione rei contra quemuis possessorem; perinde ac si ea semper in dominio decepti permansisset, & contractus ab initio irriti fuissent. Quod iure Prætorio, canonico, & naturali in omnibus etiam stricti iuris contractibus locum habet. Vide Less. cit. c. 17. dub. 6. num. 39.

Ad alterum respondetur; Deceptorem ius & actionem consequi non ex iniuria; sed ex mutuo, eóque absoluto & substantiali consensu. Ex iniuria autem potiùs obligationem acquirit, vt contractum rescindi patiatur, si deceptus petat, & exceptione aduersus deceptorem se defendat. Imò tametsi non excipiat, quia dolum commissum ignorat, nihilominus in conscientia obligatus est deceptor integrum damnum resarcire, quod ob eam causam deceptus incurrit: nisi præsumere possit, eum talem restitutionem remittere, sicut suprà etiam dixi de eleemosyna per fraudem & simulationem acquisita: quæ licet ob iniuriam, restitutioni obnoxia sit, tamen interdum præsumi potest, eam remitti. idémque dicendum de acquisitis per ementita seruitia à Magnatibus.

Illud verò ad extremum annotare libet; Multùm referre, vtrum ipse contrahens dolo induxerit alterum ad contractum, an verò is à tertia persona inductus fuerit. Si enim ipse contrahens induxit, omnia detrimenta, quæ ex eiusmodi contractu alteri acciderunt, præstare debet: quandoquidem eorum iniusta causa fuit, sicuti habetur in l. Iulianus, ff. de action. empti. Interdum verò, si contractus necdum omnino consummatus est, v.g. instituto contractu venditionis, res nondum tradita; tenetur deceptor abstinere à consummatione: quia sicuti iniuriam facit contractum incipiendo per dolum, ita eundem consummando. Idémque videre est in sponsalibus: si enim dolo ac mendaciis puellam induxisti ad promittendum, debes abstinere à matrimonio, vel dolum seu simulationem aperire: alioquin iniuriam cœptam non aufers, sed continuas & auges. Sin verò, sine tua culpa, alter contrahens deceptus est: tunc ordinariè potes petere ab eo executionem contractus: quamuis is ius excipiendi habeat in sponsaliorum contractu, suapte natura magnam libertatem requirente. Si tamen defectus occultus in sponso grauis ac perniciosus sponsæ esset, vt morbus gallicus, lepra, epilepsia, &c. tunc sponsæ indicandus foret, vel à matrimonio abstinendum: cùm alioquin grauis & iniusta pernicies ei inferatur à sponso; sicuti, si quis mercem, dissimulato occulto pernicioso vitio, vendat, v.g. ligna cariosa, quæ ædificio, ad quod emuntur, certam ruinam allatura sint. Qua de re vide Coninck tom. 2. disput. 23. dub. 12.

CAP. VI.

De contractibus ob metum initis.

SVMMARIVM.

1 *Promissiones & contractus initi ex metu, proueniente ab intrinseco, omni iure valent.*

2 *Promissiones & contractus directè extorti per metum grauem, prouenientem ab extrinseco, licet valeant iure naturali, & ferme etiam iure positiuo; tamen pro arbitrio metum passi, rescindi possunt.*

3 *Matrimonium, & sponsalia; Item Religionis professio, & votum profitendi, vel Religionem ingrediendi, per metum grauem infirmantur, positiuo iuris constitutione.*

Vtrum alia vota simplicia per metum grauem ipso iure infirmentur, non satis constat.

4 *Metus leuis iniustè incussus, & qui dici solet reuerentialis, si efficiat inuoluntarium mixtum, sufficientem causam præbet in foro conscientiæ, atque etiam implorato Iudicis officio rescindendi contractus, qui solubiles sunt.*

5 *Idémque sentiendum de importunitate precum, si efficiant inuoluntarium mixtum voluntario.*

SVppositis ijs, quæ de metu & coactione dixi lib. 1. tract. 2. cap. 6. sit prima assertio: Promissiones & contractus initi ex metu proueniente ab intrinseco, omni iure validi ac firmi sunt. Ita ex communi Medina de rebus restituendis, q. 3. causa 2. Sanch. lib. 4. de matrim. disp. 9. num. 7. Mol. tom. 2. disp. 267. Matt. Becanus 1. 2. tract. 1. c. 2. Exempli causa: Si puellam in matrimonium ducere, aut Religionem profiteri sponte eligas, vt mortis tibi decretum supplicium effugias: aut si castitatem Deo voueas; eleemosynã pauperi promittas, vt naufragio, vel alio malo iustè, vel iniustè, aut fortuitò tibi impendente, per Dei auxiliũ libereris. Eadémq; ratio est, si alius tibi iustum metum incutiat, ad extorquendam donationem, aliúmve contractum, quin & matrimonium, ac Religionis professionem, sicuti docet Nau. c. 17. num 15. man. & lib. 1. consil. 8. de his quæ vi, edit. 2. Sanch. lib. 4. disp. 13 num. 3. Mol. cit. disp. 267. Becanus cit. c. 2. conclus. 1. Sic qui sponsalia contraxit metu excommunicationis, compellitur ad ineundum matrimonium, c. ex literis, 2. de sponsalib. Et qui virginem violauit, compellitur eam dotare, vel ducere, iuxta c. 1. de adulteriis: Monachus item ob crimen simoniæ compelli potest ad ingrediendum, & consequenter profitendum Ordinem strictiorem, c. de regularibus, de simonia. Et qui aliquid promittit, ne accusetur de crimine ab eo, à quo iustè accusari posset, obligatur promissione, alterúmque vicissim sibi obligat. qua de re Nau. Sanch. ll. cc. Rodriq. to. 1. summæ, c. 206. n. 11. Ratio horum est; Nam qui ob metum contrahit, aut promittit, is habet absolutum & simpliciter dictum consensum: ergo obligatur. Nec refert, quòd habeat adiunctum inuoluntarium conditionatum; nollem, nisi malum timerem. Conditio enim nihil ponit in esse: sed relinquit absolutam electionem boni minoris, ob vitandum malum maius. Vide de hac re S. August. epist. 48. ante medium. Deinde, cùm metus iste dans causam contractui, omni iniuria careat: non est ratio, cur contractus postea rescindi possit, aut debeat.

Assertio II. Promissiones & contractus directè extorti per metum grauem, ab extrinseca persona prouenientem, non sine iniuria, validi quidem sunt iure naturali, & ferme etiam iure positiuo: tamen pro arbitrio metum passi, rescindi possunt. Hæc est sententia Gl. in c. Abbas, de ijs quæ vi, ver. coactus, ibid. Panormitani, & aliorum, qui dicunt, quòd *renuntiatio beneficij per metum facta valet: licet peti possit restitutio in integrum, actione quod metus causa.* Item Gl. in c. vn. ver. vacuamus, 2

eod.tit.in 6.Syl.ver.metus,q.8.Gabr.in 4.d.15.q.4.in fine, Nau.lib.1.consil.4.de iis quæ vi, edit.2.Ion. Fabri Instit.de obligat.§.nunc transeamus, ver. quæritur vnde, Feliciani de Solis lib.1.de censib.c.1.n.12. Vasq.1.2. disp.27.c.3 n.18.Suar.t.2.de relig.lib.1.de voto,c.7. & lib.6.de voto,c.27.n.17.Coninck t.2.disp.28.dub.1.n.1. Becani ll.cc.& aliorum, quos citat,& sequitur Sanch. lib.4.de matr.disp.8.n.4. Atque apertè traditur in l.dolo, C. de inutil. stipulat.l.vlt.C.de his quæ vi,Instit. de exception. princ. & in l.si mulier, §.vlt.ff. Quod metus causa: *Si metu coactus adij hæreditatem, puto me hæredem effici: quia quamuis, si liberum esset, noluissem: tamen coactus volui. Sed per Prætorem restituendus sum, vt abstinendi mihi potestas tribuatur.* Similiter in l.si medicus,ff. de variis & extraordin. cognit. dicitur: Restituendum esse eum, qui tempore infirmitatis à medico compulsus est ad venditionem celebrandam: ne alioquin ipsi ob malam curationem periculum inferretur. Debet autem assertio hæc eodem modo probari,& explicari, sicuti in cap. præcedente assertio quarta: Quia doli mali, & metus iniusti eadem ratio est: quandoquidem neuter tollit voluntarium simpliciter & absolutè: sed vterque iniuriam continet.

Hoc tamen peculiare est in metum grauem passo, quòd huic per Iudicis officium succurratur, & in integrum restituatur: etiamsi à tertia persona metus incussus sit, sine iniuria alterius contrahentis, sicuti constat ex c.1.3.& 4. De his quæ vi, & l.si cum exceptione, ff. quod metus causa, vbi dicitur: *In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecit: sufficit enim docere metum sibi illatum, vel vim.* Rectè tamen admonet Less. lib. 2. c. 17. n. 39. In conscientiæ foro non esse ad restitutionem aut rescissionem contractus eum obligandum, qui bona fide contraxit cum metum passo: priusquam is actionem intentet, quæ ex iuris positiui beneficio ipsi competit: ea autem actione intentata, in externo foro contra quemuis rei per metum grauem alienatæ possessorem à Iudice restituẽdus erit: quia res metu iniusto extorta, veluti vitio quodam affecta ad alteram personam transferri censetur, sicuti notauit Sanch.lib.4.disp.9.n.6.

Aduersus secundam assertionem arbitratur Azor t.3. lib.6.c.7. Rebell.lib.1.de contract.q.5.concl.1.Lopez p. 2.instruct.c.27.q. 2. promissiones & contractus gratuitos à quacunque persona metu extortos, ipso naturali iure irritos esse: quia gratuito ac liberali quàm maximè aduersari videtur, quod per vim ac metum extortum est. Sed respondetur: Gratuitum non aduersari metui, sed debito & obligationi reciprocæ. Gratuita enim & liberalis promissio ac datio dicitur, quæ non ex debito, ac sine reciproca obligatione sponte fit. Metus autem neque spontaneum aufert: neque in onerosum aut reciprocum contractum transire facit. Ergo metus contractui gratuito absolutè non repugnat.

Cæterùm id rectè obseruat Vasq. in fine cit.disp.27. Valentia to.3.disp.6.q.7.p.4.§. posito igitur,in resp.ad 2.Si metu adactus ad pecuniã v.g.dandã,non habeat animũ donãdi,sed tantùm redimẽdi vexationem: tunc non transferri vllum ius, seu dominium: quia deest accipiendi titulus. Verùm id perpetuum non est: sed fieri etiam potest, vt metum passus verè animum donandi habeat, sicuti & alium contractum celebrandi.

Contra eandem assertionem secundam existimant Sotus lib.8.de iust.q.1.a.7.ad 3. Rebell.cit.q.5.concl. 3. Mol.t.2. disp. 326. ad 2.argum. Etiam ex contractibus onerosis, quibus metus ab altero contrahentium iniustè illatus causam præbuit, nullam obligationem nasci ex parte metum passi: neque ius aut dominium inferenti metum acquiri. Probant tum auctoritate Iureconsulti in l. metum, §.licet, ff.quod metus causa, vbi dicitur: *metum passo actionem in rem dandam existimamus: quia res in bonis eius est.* Tum ratione: Nam æquitas naturalis non patitur, vt aliquis per iniuriam ius acquirat: quare S.Th.2.2.q.88.a.7.ad 3. ait: *Qui vim intulit, hoc meretur, vt ei promissio non seruetur.*

Ad I. rectè ibi respondet Glossa ver. in bonis: Id accidere Prætorij iuris fictione, quod vtilem rei vindicationem concedendo, integrè restituit vim passum, perinde ac si ab initio contractus irritus fuisset, arg.reg. 15. ff. iunct. Gl. *Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur.* Et l. nemo, ff. de in integrum restit. *Nemo videtur re exclusus, quem Prætor in integrum se restituturum pollicetur.* Quare retinet dominium fictũ, vt Gl. ibidem notauit. Vide quæ præced. cap. de dolo dixi, & Sanch. cit.disp.8. n. 11. ad 1.

Ad II. respondetur sicuti cap. præced. Obligationem, & actionem oriri non ex iniuria; sed ex mutuo contrahentium consensu. Ex iniuria autem potiùs infirmatur ius & effectus obligationis, actionisque: tum quia vim iniustam passo actio tribuitur ad rescissionem contractus, si traditione consummatus est; vel exceptio, si consummatus non est: tum quia is, qui iniuriam intulit, ex iustitia obligatur, vt læsum in integrum restituat, sicuti bene notat Less. lib.2.c.17.n.44.

In eadem assertione secunda dixi, contractus ferme etiam positiuo iure secundùm substantiam subsistere. Aliqui enim hinc excipiendi sunt, vti notat Gl. c. 2. de iis, quæ vi, ver. coactos. Inprimis matrimonium, quod metu graui & iniusto extortum, Ecclesiastico iure irritum est, c.cùm locum, c.veniens, 2. de sponsal. Cur autem Ecclesia infirmârit matrimonium ex tali metu, non itẽ ex errore, aut dolo celebratũ, arbitror hanc esse causam præcipuã: Nã qui errore accidentali ad contrahendũ inducitur, plerumq; habet substantialẽ internũ consensum se obligãdi: Qui verò metu directè incusso cõpellitur, is sæpe non habet animum verè contrahendi, seque obligandi; sed tantũ simulatè, ad redimendã vexationem. Ne igitur valor matrimoniorum in dubium reuocari posset, expediebat certas de ea re leges ferre. 3

Secundò, sponsalia simili metu directè extorta Ecclesiastico etiã iure irrita sunt, secundũ probabiliorẽ sententiã apud Sanchez l.4. disp.19. arg.c.ex literis, de despõsat.impub.ex quo tamen nihil ostendi potest: quandoquidẽ puella in eo casu omnino inuita ac nolẽs à parentib. desponsata fuerat, vti Gl. Abb.& alij ibid. notarunt. Quare Henriq.lib.11.c.9.n.6.lit.h. Less.c.17.n.37. Coninck t.2.disp.25.dub.1.n.7. contrariũ docent, sponsalia, sicuti & alios cõtractus, ipso iure non infirmari propter metũ: (cum nullũ tale ius extet) quãuis rescindi possint, per metu exceptionẽ, vel Iudicis sentẽtiam. Sed responderi potest ex doctrina Rodriq. t. 1. sum. c. 231. concl.4.& c.244.concl.4. Quãuis sponsalia ob grauem metũ celebrata, per se ac directè non reperiatur in iure Ecclesiastico cassata; cassari tamen indirectè & per consequentiã, eo ipso quòd matrimoniũ tali metu celebratũ ipso iure irritũ pronuntiatur. Siquidẽ fieri nõ potest, vt aliquis promissione sua obligetur ad actũ seu contractum inualidũ: Matrimoniũ autem inualidè contrahitur à persona graui metu compulsa: Ergo spõsalia siue promissio matrimonij talem personam non obligant.

Dices: Seposito tali metu, posse matrimonium validè celebrari. Respondeo: Posse quidem celebrari, sed ad id contrahendum nullam obligationem oriri.

Tertiò: Professio Religionis facta ex metu graui & iniustè incusso nullius roboris est, ob Ecclesiastici iuris dispositionem in cap.1.de iis, quæ vi, & docent Doctores omnes. Non item si metus leuis, v.g. solùm reuerentialis sit, sicuti colligitur ex c.vlt. Qui Clerici, vel vouẽtes, vbi id notat Gloss. ver. regio metu, & Abb.num.7. Quòd imperium Regis, vel parentum non sufficit ad infirmandum votum: nisi accedat maior coactio. Vide quæ dicam lib.5.tract.vlt.p.2.c.5.n.2.

Dubitant verò Doctores, vtrum votum simplex, graui & iniusto metu à quacunque persona iniustè extortum, iure ipso naturali, an tantùm Ecclesiastico irritum existat? Priorem partem defendit Sotus lib. 7. de iust. quæst. 2. a. 1. ad 2. & idem videntur sentire Glossa & Abbas in cap. 2. num. 11. De iis quæ vi. Probant: Quia promissio non obligat promissario non acceptante: Vota autem & sacrificia coacta Deo accepta non sunt: Ergo, &c. Sed contraria sententia est vera, & communis. Nam metus consensum absolutè voluntarium non aufert. Quare negari debet, talia vota Deo grata & accepta non esse: dummodo adsit internus animus verè se obligandi Deo per votum. Confirmatur. Iuramentum metu graui extortum, ob honorem diuini numinis seruandum est, nisi eius relaxatio impetretur, iuxta c. debitores, c. si verò, de iureiur. Ergo etiam votum. Nam obseruatio voti non minùs spectat ad reuerentiam Dei, quàm obseruatio iuramenti, sicuti argumentatur Suar. lib. 1. de voto, c. 7. n. 14. Imò non desunt DD. vt Syl. ver. metus, q. 8. Suar. cit. lib. 1. c. 8. existimantes, neque Ecclesiastico iure votum simplex infirmari: quia nullum tale ius extat; ideóque dispensatione opus esse, quę tamen facilè confertur, quando plena libertas defuit in voti conceptione. Excipit verò Suar. c. 8. n. 10. votum simplex Religionis, quod ipso iure ob metum grauem irritum est; non minùs, quàm religiosa professio, sicuti suprà de sponsalibus argumentatus sum. Nam *accessorium naturam sequi congruit principalis*, reg. 42. in 6.

Alios actus, qui ex metu directè & iniustè incusso, ipso iure infirmantur, vide apud Gl. in cit. c. 2. de iis quę vi, Syl. l. c. Azorium to. 3. lib. 6. c. 7. & speciatim de resignatione beneficij metu extorta, Nau. in c. accepta, de restitut. spoliatorum, oppos. 5.

4 Assertio III. Quæ metu leui directè & iniustè incusso extorta sunt, æquè in foro conscientiæ & secundùm legem naturæ obnoxia sunt rescissioni ac restitutioni, sicuti suprà dictum est de metu graui extortis. Est communior sententia DD. Syl. ver. restitutio 2. dicto 7. Nau. c. 17. n. 15. vbi ait: *Quoad forum conscientiæ idem esse censetur, num quis iusto* (seu graui) *metu consentiat; vel eo minore, dummodo coram Deo fuerit causa principalis consensus.* Idem docet in lib. 1. consil. 5. de elect. n. 3. edit. 2. & tenet Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 7. Mol. to. 2. disp. 267. Less. cit. c. 17. dub. 6. n. 46. Lopez p. 1. instruct. c. 96. §. Cæterùm in foro conscientiæ, Sanchez lib. 4. disp. 9. n. 4. Nam ratio, cur metus grauis efficiat actum siue contractum, cuius principalis causa extitit, rescissioni obnoxium, hæc sola est, quia iniuriam in se continet, ac vim directè intentatam ad extorquendum contrahentis consensum, secundùm quid inuoluntarium. Ergo si idem accidat in metu leui, aderit quoque sufficiens ratio rescindendi contractum, & restituendi contrahentem. Quòd verò in foro externo leuem metum passo actio non conceditur; id fit ob multitudinem litium vitandam; quemadmodum ob eandem causam decepto infra dimidium iusti actio denegatur. Adde, etiam in foro externo leuem metum passo Iudicis officio subueniri, si probetur, vel præsumi possit, effecisse consensum mixtum cum inuoluntario, sicuti docet Gl. in c. cùm dilectus, ver. metum mortis, de iis quæ vi, ibid. Abb. n. 9. Sanch. cit. disp. 9. n. 5. Mol. cit. disp. 267. in fine, & colligitur ex l. non est ve. isimile, §. vlt. ff. eod. tit.

Porro circa 3. assertionem aduerte; Eam locum non habere in matrimonio, & professione Religionis: quippe quæ absoluto consensu semel validè constituta, dissolui ampliùs non debet. Etsi verò ius positiuum Ecclesiasticum vtrumque matrimonium tam carnale, quàm spirituale ex metu directè & iniustè incusso statim ab initio nullius roboris esse decernat; semper tamen mentionem facit metus grauis & cadentis in virum constantem: quare constitutio hæc extendi non potest ad metum leuem, & non cadentem in constantem virum. quod clarè etiam indicatur in c. 1. & penult. de iis quæ vi, &c. quamuis contrarium, quod ad conscientiæ forum attinet, docuerit Nau. lib. 1. consil. 5. n. 4. de his quæ vi, & probabile censeat Less. n. 47. Sanchez eod. lib. 4. disp. 17. n. 4.

Assertio IV. Metus quoque, qui dicitur reuerentialis, si efficiat consensum secundùm quid inuoluntarium, sufficientem causam præbet in conscientiæ foro, aut Iudicis implorato officio, rescindendi acta, vel contractus, qui solubiles sunt. Quæ est communis doctrina Syl. ver. metus, q. vlt. & ver. restitutio, 2. dicto 7. Nau. c. 17. n. 30. & lib. 1. consil. 8. de renunt. n. 6. edit. 2. Mol. cit. disp. 267. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. n. 444. Rebel. p. 2. lib. 1. de contract. q. 5. n. 13. Sanch. cit. disp. 9. n. 11. Lessij cit. dub. 6. n. 48. arg. l. vlt. C. de iis quæ vi, & l. 1. §. quæ onerandæ, ff. quarum rerum actio non datur.

Tunc autem metus reuerentialis censeri debet efficere inuoluntarium secundùm quid, siue (vt alij loquuntur) inuoluntarium mixtum; si ideo aliquis consentiat in rem aliquam, à qua eius voluntas alioquin (id est, seposito metu) abhorret, quia nimirum voluntati, precibus, aut iussui domini, Prælati parentis, tutoris, vel similis personæ auctoritatem vel potestatem habentis, contradicere non audet.

Exempla sunt: I. Si Caia sponsalia celebret cum Titio, ideo solùm quia ob naturalem verecundiam, patri, tutori, vel ipsi Titio cum auctoritate petenti, contradicere non est ausa; eo casu resilire poterit. Qua de re Nau. lib. 1. consil. 10. de his quæ vi, edit. 2. Sanchez cit. disp. 9. n. 12. Beia p. 4. casu 23. II. Si filia, causa metus reuerentialis, efficientis inuoluntarium mixtum, (sicuti explicaui) renuntiet hæreditati paternæ, contenta dote, retractari potest renuntiatio, sicuti docet Lopez lib. 2. de contract. cap. vlt. Rodriq. t. 1. sum. cap. 132. concl. 2. Sanchez l. c. n. 13. III. Si vxor, aut filij simili metu reuerentiali inducti, promiserunt soluere debita patris, mariti, ne moriturum molestia afficiant; possunt opponere metus exceptionem, teste Gl. in cit. §. quæ onerandæ, ver. metu solo, Lopez p. 1. instruct. c. 96. §. ceterùm, Sanch. n. 16. Ioan. Baptista Conrado p. 1. casuum, q. 114. Gutierez lib. 1. canon. qq. c. 37. n. 16. IV. Si creditor desperans, integrum debitum suum, propter debitoris iniquitatem, se consecuturum esse, partem ei debiti remittat, debitor in conscientia non est tutus, sicuti ex communi docent Syl. ver. restitutio, 7. q. 2. Nauar. c. 17. n. 75. Sanch. cit. disp. 9. n. 17. Ratio est: Quia huiusmodi metus reuerentialis efficiens inuoluntarium mixtum, licet non semper grauis sit, sed plerumque leuis (quod æstimandum tum ex qualitate & auctoritate personæ rogantis, iubentis; tum ex qualitate, infirmitate, ac verecundia personæ, cui iubetur) semper tamen iniuriam aliquam continet. Loquimur enim de actibus & contractibus, in quibus alicui ius proprij arbitrij ac libertatis competit consentiendi, vel contradicendi: cui iuri repugnat dominus, pater, tutor, &c. si sua auctoritate verecundi hominis voluntatem coarctet, vt contradicere ille non audeat, cùm alioquin contradiceret.

Assertio V. Simili modo ac ratione, vti de metu reuerentiali dictum est, etiam precum importunitas efficiens inuoluntarium admixtum voluntario, facultatem præbet rescindendi actum vel contractum. Cùm nimirum aliquis vehementer instans rogando, molestiam infert; non sine aliqua iniuria, à qua vt se liberet rogatus, denique consentit in rem, à qua alioquin eius voluntas abhorret. Ita Syl. ver. restitutio, 2. dicto 9. Lopez p. 1. instruct. cap. 96. §. at quamuis, Sanchez lib. 4. disput. 10. & alij mox citandi. Exempla sunt: I. Si moriturus importunitate precum, efficiente mixtum inuoluntarium, 5

hæredem instituat, vel legatum alicui relinquat, institutio cassari poterit, teste Anton p.3. tit.10. cap.1.§. 2. ad finem Gutierez cit. cap. 37.n. 20. Sanchez loc. cit. Molin.to.1.tr.2.disp.135. §.si tamen preces: qui tamen rectè aduertit, plerumque accidere, vt tametsi testator precum importunitate, vel metu reuerentiæ adactus aliquem instituat, nihilominus velit suam hanc dispositionem validam esse. quo casu institutus, etsi peccârit contra charitatem, & iustitiam, testatori molestiam, violentiámue aliquam inferendo; rem tamen sibi relictam secundùm defuncti voluntatem accipere, & retinere poterit, donec per Iudicis sententiam testamentum rescindatur. Quam Molinæ doctrinam immeritò refutat Sanchez num. 4. Nam hoc ipsum etiam in donationibus, quæ magnam quoque animi libertatem requirere censentur, videre est; vt licet aliquis magna precum importunitate ab amico v. g. donum aliquod extorserit, nemo tamen eum ad restitutionem obliget ante Iudicis sententiam; si præsumi possit, voluntatem dantis fuisse, vt res data accipientis fieret. Talis enim consensus sufficit ad dominij translationem.

II. Qui precum importunitate virginem ad stuprum traxit, cogi potest, vt illatum ei damnum resarciat, teste Corduba lib.1.quæstionarij, q.13. Nauar.c.16.num. 17. Henriq.lib.11. cap.9.num.5. Gutierez cit.c.37.num. 19. Abulen. in c.22.Exod.q.12. Lopez p.1.c. 76. §. cæterùm, si talis virgo, Sanchez disp.10 num.5. Pet Nauar. lib.2.c.3. num.444. Qui tamen rectè notat, solis precibus, quamuis assiduæ sint, sicuti & blanditiis, muneribus non effici actum mixtè inuoluntarium; quin potiùs augeri voluntatium. Nisi insuper accedat rogantis & instantis importunitas ac molestia, præsertim hominis auctoritate, vel potestate aliqua præditi; vt ea ratione puellæ metus inijciatur, sicuti aduertit etiam Mol.l.c.& Sanchez cit.disp.10.n.2. & 5.

III. Qui importunitate precum efficiente inuoluntarium mixtum ad ludendum tractus fuit, non tenetur soluere, secundùm S.Th.2.2.q.32.a.7.ad 2. Couar. reg. peccatum, p.2. §.4.num.7. Gutierez num. 18. Syl. ver. ludus, q.11. Rebellum q.5.n.15. Si tamen lucranti in hoc casu solutum fuerit, existimant Molin.to.2.disput.516. Sanch.cit.disp.10.num.10 non obligari ad eum ad restituendum lucrum ante Iudicis sententiam: quia specialis natura contractus ludi requirit, vt par ludentium sit conditio seu ius lucrandi: quare, cùm is, qui precum importunitate, aut etiam minis & conuitiis ad ludendum traxit, repetere non potuisset, si ludendo perdidisset; consequens videtur, quòd neque is qui inductus fuit, repetere possit, quod perdidit.

Hæc sententia probabilis est: Sed contraria magis placet, quæ est communis apud Lessium lib. 2.cap.26. dub.2. Rebel.p.2.lib.12. q.3.num.8. Qui enim alterum per iniuriam ad ludendum coegit, causa iniusta secuti damni extitit: ergo illud resarcire tenetur: sicuti, si quis vi alterum coegerit, vt cum tertia persona luderet; accidat verò coactum ludendo perdere, ac damnum pati, vtique illud resarcire debet, qui vi adegit. Ad fundamentum contrariæ sententiæ resp. Licet per se & ordinariè in ludo par ludentium conditio esse debeat, & ius lucrandi; non tamen si iniuria ex altera parte interueniat: quia iniuria tollit æqualitatem, & constituit inæqualitatem. Quemadmodum etiam in aliis contractibus, v.g. emptione ac venditione vterque contrahentium æqualiter obligari debet, & contractu stare; nisi iniuria, v.g. iniusta coactio interuenerit: tunc enim vni, non etiam alteri parti tribuitur facultas rescindendi contractum, quatenus id in suum commodum cedere potest.

IV. Si Religiosus diuturna solicitatione, querelis, murmure aliquid impetret à Prælato, ideo solùm permittente, vt hominis molesta importunitate se liberet, quam alia ratione difficulter repellere potest: non est tutus in conscientia, sed paupertatis violator: quia hæc non est licentia, sed violentia, vti docet Sanchez cit. disp.10.n.9. & lib.7.moral.c.19.n.16. Rodriq.to.3. Regul.q.29.a.12.corol.2. Secùs est, si Prælatus importunitatem facilè repellere queat: tunc enim metus censeri non potest principalis causa concessionis. Porrò quod de metu hîc dicitur, similiter dicendum de dolo, si subditus fingat causas, ob quas illi concedatur: vel taceat aliquid intrinsecè ad rem pertinens, quod si exprimeretur, Prælatus licentiam non daret: censeri non potest iustè impetrata licentia, ad eum modum sicuti de dispensatione dixi lib. 1. tract. 4. cap. 22. num. 19. & videri potest Sanchez cit. c.18. n. 17.

CAP. VII.

Si res post contractum pereat, vel deterior fiat, cuius damno id accidat?

SVMMARIVM.

1 *Contractuum alij instituuntur in gratiam vnius contrahentium; alij in gratiam vtriusque.*

2 *Refert, vtrum res, quæ in contractum venit, casu pereat, culpa, an dolo.*

3 *Si res certa siue in specie debita casu pereat, creditoris damnum est.*

4 *Si res indeterminatè siue in genere debeatur, etsi vnum, vel alterum eius generis pereat, non tamen liberatur debitor.*

5 *Si contractus institutus fuit in gratiam solius accipientis, omnis etiam leuissima culpa præstanda venit: si in gratiam solius dantis; dolus, non item culpa ciuilis: si denique in gratiam vtriusque, culpa lata & leuis præstari debet.*

6 *Confessarius obligatur ex culpa lata, vel dolo: sed magis pœnitenti, quàm tertiæ personæ.*

7 *Si in domo commodatarij, depositarij, &c. incendium ortum fuerit, iustè agunt, si quæ pretiosiora sunt, seu propria, seu aliena, eripiendo præferant. Sin verò aliena propriis præferendo iacturam passus sit depositarius, vel conductor, compensationem damni exigere potest: non ita verò commodatarius.*

SVpponendum est primò ex doctrina Abb.in c.vn.de commodato: Contractuum alij sunt, qui instituuntur in gratiam vnius tantùm contrahentium: vel dantis, vti videre est in deposito, si nulla merces interueniat: vel accipientis, vt videre est in donatione, commodato, precario. Alij verò instituuntur in gratiam vtriusque contrahentium, vt venditio, locatio, societas, pignus, dos, &c. Vide l. contractus, ff. de reg. iuris. 1

Supponendum secundò ex communi doctrina Bartoli in l. quod Nerua, ff. depositi, Abb.in c. vn. num. 15. de deposito, Adriani in 4. vbi de restit. §. vtrum in foro animæ tenetur, Syl.ver.culpa, num.1. Nauar.c.17.num. 178. Mol.to.2. disp.293. Plurimùm refert, vtrum res, quæ in contractum venit, casu pereat, an culpa, an dolo debitoris. Casus est rei inopinatæ euentus, qui neque à diligentissimo caueri potest, aut debet, iuxta c. Ioannes, de homic. Culpa est discessus ab eo, quod bonum ac debitum est, hominisque diligentia præstari potest. 2

Diuiditur culpa in latam, leuem, ac leuissimam. Culpa lata siue crassa est omissio eius diligentiæ, quam passim omnes homines eiusdem conditionis, professionis, ætatis, &c. adhibere solent. Culpa leuis est omissio eius diligentiæ, quam prudens quisque ac solers eiusdē professionis, ætatis, &c. adhibere consueuit. Culpa leuissima

est omissio exactæ diligentiæ, quam non nisi experientissimi eiusdem ætatis, artis, professionis, homines adhibere solent. Exemplum habes apud Syl. n. 2. Nauar. c.17.n.177. Mol.cit. disp.293. Si librum tibi commodatum in publico foro relinquas, indéque subripiatur, censeberis amisisse per latam culpam. Sin autem in conclaui domus tuæ, ostio non clauso, reliquisti, censeberis amisisse per culpam leuem. Si denique reliquisti in conclaui clauso, sed non obserato, quia manu non tentasti, vtrum sera inducta esset; censeberis amisisse per culpam leuissimam. Aliud exemplum leges apud Ioan. Fabrum Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. item is cui.

Quædam insuper aduerte: I. Sermonem non esse de culpa Theologica, quod est peccatum contra mores, & legem Dei; sed de culpa ciuili, siue iuridica, quod est peccatum contra artem, industriam; sæpe inuoluntarium, & coram Deo excusatum, sicuti bene præter alios annotauit Adrian. cit. loco. Veluti si ex naturali obliuione librum tibi commodatum in publico foro reliquisti; culpam ciuilem commisisti, quamuis coram Deo nihil peccâris.

II. Interdum etiam fortuitus casus imputatur, & præstandus est v. g. à commodatario, conductore, si culpa antecessit ad casum fortuitum ordinata, siue eius causa existens: vt si contra conuentionem rem aliò abduxit.

III. Frequens hoc est, vt secundùm iuris ciuilis præsumptionem, aliquid culpâ euenisse dicatur, cùm tamen fieri potuerit, vt omnis culpa etiam ciuilis abesset. Exempli causa in l. cum duobus, §. damna, ff. pro socio habetur; Si quid furto ablatum fuerit, à socio præstandum fore, quippe qui custodiam diligentem adhibere debebat. Quis autem neget, fieri posse, vt diligentem custodiam socius adhibeat, & res nihilominus à callido fure subripiatur? quo casu præsumptio cedere debet veritati.

IV. Vt ex culpa iuridica alteri obligeris, necesse est, te verè causam fuisse illati damni. Quare si librum publico foro relictum nullus abstulit; vel tametsi aliquis abstulit, si tamen nihilominus id euenisset, licet à te diligenter custoditus fuisset: quia paulò pòst incursione hostium v. g. omnia bona ciuium reclusis arcis direpta fuerunt, non obligaris ad resarciendum damnum commodanti.

Denique dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, sicuti Labeo definit in l. 1. §. dolum malum, ff. de dolo malo. Differt autem dolus à culpa: quia dolus committitur cum formali proposito nocendi; culpa non item.

3 ASSERTIO I. Si res certa, siue in specie ex aliquo contractu debita, puta hic equus, hæc ouis, casu pereat, aut deterior fiat, creditoris damnum est, arg. l. quod te, iun. Gl. ff. si certum petetur, & apertiùs in l. id quod, ff. de periculo & commodo rei venditæ, l. vlt. C. eod. & Instit. de empt. ac vendit. ibi: *Cùm autem emptio & venditio contracta est (quod effici diximus, simul ac de pretio conuenerit) periculum rei venditæ statim ad emptorem pertinet: tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit.*

Hinc collige; Regulam illam, quæ afferri solet ex l. pignus, ff. de pignerat. actione; *Si res casu pereat, domino suo perit*, vniuersim veram non esse; sed in ijs tantùm contractibus locum habere, quibus rei dominium non transfertur, videlicet in deposito, commodato, pignore, iuxta l. quæ fortuitis, C. de pigneratitia actione, & l. argentum, ff. commodati: *Argentum commodatum, si tam idoneo seruo meo tradidissem ad te perferendum, vt non debuerit quis æstimare futurum, vt à quibusdam malis hominibus deciperetur; tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.* Consentit c. vn. de commodato.

Cæterùm tota hæc assertio & doctrina patitur aliquas exceptiones, quas videre potes apud Abb. in cit. c. vn. I. Nisi aliter conuentum sit, vt v. g. commodatarius etiam fortuitum casum præstare debeat, iuxta cit. c. vn. Vel si venditor periculum rei venditæ in se susceperit, iuxta §. quòd si fugerit, Instit. de empt. & vendit. Nam contractus legem ex conuentione accipiunt, l. 1. §. si conuenit, ff. depositi.

II. Nisi debitor in mora soluendi fuerat, ideóque res periit, ipsemet damnum præstare cogitur, l. quod si neque, ff. de peric. & commodo rei venditæ, l. quod te, ff. si certum petetur, & c. vn. de commodato, c. 2. de deposito. Nam *mora sua cuilibet nocet*, reg. 25. in 6. Quod tamen intelligi debet primò, dummodo mora culpabilis sit; secùs si legitimè impeditus debitor fuit, quominus tempore constituto solueret, sicuti ex communi docet Mynsingerus cent. 6. obser. 36. Couar. c. quamuis pactum, p. 2. §. 5. n. 4. Rebel. p. 2. lib. 8. q. 7. concl. 4. & colligitur ex cit. l. quod te mihi. Adde, tametsi pœna conuentionalis adiecta fuerit, nisi ad tempus præfixum solueretur, liberari debitorem à pœna, si culpa caruit, teste Couar. n. 5. Mol. to. 2. disp. 317. prope finem, arg. reg. 66. in 6. *Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.* Secundò intelligi debet exceptio, dummodo ob moram debitoris damnum euenerit: secùs, si nihilominus euenisset, v. g. equus commodatus perijsset, tametsi statuto tempore remissus fuisset: tunc in conscientiæ foro nulla restitutio fieri debet. Quia æquum non est, vt creditor cum aliena iactura lucretur, ait Syl. ver. mora, q. 4. & docent Nau. cap. 17. man. n. 80. Armilla ver. commodatum n. 7. Sa ver. mora, in fine, contra Gl. in c. 2. de deposito, verbo de culpa, & alteram Gl. Instit. de empt. & vendit. §. cùm autem.

ASSERTIO II. Si res incerta, & indeterminata in aliquo genere debeatur, etsi vnum vel alterum eius generis casu pereat, non ideo liberatur debitor. Quia *genus perire non potest*, arg. l. incendium, C. si certum petetur. Exempli causa: Si equum aliquem dare debeas, aut bouem, licet plures tibi equi, aut boues pereant, non tamen liberaris: quia potes alium dare. Ita etiam se res habet in mutuo, sicuti traditur in Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. item is: *Qui mutuum acceperit, si quolibet fortuito casu amiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum hostiúmue incursu, nihilominus obligatus manet.*

Corollarium. Si mutuatarius, aut venditor census pecuniam debitam per fidelem (vti existimabatur) ac diligentem nuntium creditori transmittat, atque ille in via fugiat, aut spolietur, debitoris detrimentum est, sicuti colligitur ex c. significante, de pignorib. & ex communi docet Abb. in cit. c. vn. de commodato, n. 8. Gomez to. 2. resol. c. 7. n. 3. Nau. c. 17. n. 185. & alter Nauar. lib. 4. c. 5. Limita. Nisi creditor famulum, aliúmue nuntium ipsemet designauerit, aut destinauerit non tantùm ad debitorem monendum, sed etiam debitum recipiendum, aut transferendum: tum periculum in se suscipere censetur, ideóque ipsius damno infortunium accidet, sicuti constat ex l. si mei causa, ff. depositi, & videri potest Gomez l. c. Vasq. in moral. de restit. c. 2. §. 2. dub. 9. Molin. to. 2. disp. 296. dub. 2. Loquimur autem hîc solùm de debitis iustè contractis: At verò de debitis iniustè contractis per furtum, vsuram, &c. quid sentiendum sit, constat ex tract. 2. huius libri, c. 12. n. 10.

ASSERTIO III. Si contractus celebratus fuit in gratiam solius accipientis, omnem culpam, etiam leuissimam, præstare is debet, v. g. commodatarius, sicuti habetur in l. si vt certò, §. nunc videndum, ff. commodati, c. vn. de commodato, & notant ibid. Gl. & Abb. 5

id tamen intelligi debet, si gratis commodatum sit: nam vbi merces interuenit, transit in locationem, vel contractum innominatum, ait Gl. ibid. Ab hac verò assertione excipi debet precarium, de quo infrà c. 14.

Assertio IV. Si contractus celebratus fuit in gratiam solius dantis, sicuti accidit in deposito; solus dolus, non item culpa ciuilis præstanda venit. Ita habetur expresse in l. contractus, ff. de regul. iuris, & l. si fine, ff. depositi, iun. Gl. Accursij, & Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. præterea. Quòd verò in l. 1. C. depositi dicitur, à depositario dolum & latam culpam præstandam esse, id pertinet ad præsumpionem fori externi: nam lata culpa dolus præsumitur, sicuti notauit Gl. in c. 2. de deposito, ver. de culpa, Armilla ver. depositum, n. 2. & 8. Rebell. p. 2. lib. 16. q. vn. de deposito, & colligitur ex l. quod Nerua, ff. depositi. Adde, tametsi dolus propriè dictu absit, si tamen depositarius culpa seu negligentia Theologica crassa siue mortali rem depositam destruat, vel amittat, in conscientia obligari ad damnum resarciendum, quippe cuius causa, virtualiter voluntaria, extitit.

Et quod dixi de depositario, idem quoque locum habet in Medico, Confessario; si ille corpori: hic animæ gratis medeantur: tenebuntur enim tantùm de dolo. Gratis dico. Sicuti enim depositarius, si mercedem accipiat, culpam etiam leuem præstare debet, iuxta c. 2. de deposito: quia transit contractus in locationem. Ita etiam de alijs plerisque ex officio obligatis sentiẽdum, puta de Medico, Iudice, si mercedem aliúdue commodum accipiant, obligari eos ex quasi contractu ad restitutionem damni euenientis per negligentiam seu culpam eorum etiam leuem, sicuti docet Pet. Nau. lib. 3. c. 3. n. 5. Quamquam probabiliter dici potest, id accipiendum esse de culpa non merè ciuili, sed Theologica: nunquam enim Medicus v. g. vel Iudex acceptando officium obligare ita se volet, vt in conscientia teneatur resarcire damnum, quod ex humani ingenij infirmitate, aut naturali obliuione præter omnem eius voluntatem euenerit. Alia verò ratio est de Tutore, Curatore, quippe qui ob legum constitutionem in gratiam Minorum factam, quasi ex contractu obligantur, vt culpam etiam, seu negligentiam leuem præstare teneantur, non minùs, quàm voluntarij negotiorum gestores, iuxta l. Tutori, ff. de negot. gestis.

6 His adde: Licetis, qui non in suum commodum, sed alterius tantùm gratiam officium exercet puta Iudicis, Medici, Confessarij, ordinariè non teneatur nisi de lata culpa; excipi tamen debet, nisi seipsum aliquis eiusmodi muneri, puta corporis, vel animæ curationi, sponte & sine necessitate ingerat, & præ alijs solertem ac peritum iactet; tunc censebitur ad damnum præstandum se obligare, quod per imperitiam, vel culpam eius etiam leuem euenerit, etsi nullam mercedem, aut stipendium accipiat. Censetur enim causa damni, quod (vt supponimus) alter non incurrisset, nisi ita illectus fuisset. Ita habetur in cit. c. 2. & docet Syl. ver. culpa, q. 4. & alij communiter.

De Confessario autem hoc vniuersim monere volo, probabiliter dici posse, eum nunquam obligari ad compensationem damni, quod per ipsius negligẽtiam, secluso delicto seu iniuria mortali, alteri tertiæ personæ illatum fuit: puta si neglexerit imperare restitutionem alicui iure faciendam. Cuius ratio est, quia cum alijs personis, in ordine ad eam debita temporalia consequenda, nulla ipsi nec expressa, nec tacita conuentio intercedit: Ergo non tenetur nisi ex delicto: delictum autem, seclusa omni conuentione, non obligat ad restitutionem, nisi sit mortale, iuxta probabilem sententiam, quam attuli suprà hoc lib. tr. 3. p. 1. cap. 6. num. 4. Atque ita docent Sa ver. restitutio, num. 2. Valent. t. 3. disp. 5. q. 6. p. 3. contr. 3. Suar. 3. p. to. 4. disp. 32. s. 6. n. 9. contra Petr. Nauar. lib. 3. c. 4. n. 125. vbi ait; Confessarium curatum obligari etiam ex culpa leui, citátque Rosellam ver. restitutio, 2. num. 5. Angelum ver. eod. vlt. n. 5. Nau. c. 17. n. 22. qui tamen culpæ leuis non meminerunt: Imò Rosella, & Nauar. expressè loquuntur de culpa crassa & affectata, ac rationem suæ doctrinæ dant; quia dum per crassam negligentiam intermittit restitutionem imperare, est causa damni.

Sed rectiùs hoc loco distinguitur: Si enim Confessarius scienter, aut per ignorantiam crassam dicat, debitori restitutionem faciendam non esse; tunc in illius defectum obligatur; cùm positiuè concurrat ad damnum iniustum. Sin verò negatiuè se habeat, solumque intermittat imperare restitutionem; tunc probabiliter dicitur contra Angelum & Nauar. non contrahere obligationem restituendi: cùm non peccet aduersus iustitiam, sed solùm aduersus charitatis legem. Siquidem hoc discrimen est inter causas positiuè concurrentes ad damnum iniustum mandando, consulendo, & concurrentes negatiuè tantùm; quòd illæ per solum voluntarium & efficacem concursum sint causæ morales damni: negatiuæ autem non ob solam voluntariam taciturnitatem cẽsentur esse causa damni; sed requiritur, vt ex iustitia obligatæ sint ad significandum, impediendum, sicut dixi suprà tr. 2. c. 5. n. 7. & 8.

Assertio V. Si contractus in vtriusque contrahentium vtilitatem cedat, sicuti accidit in emptione ac venditione, locatione & conductione, societate, pignore, dote, &c. præstanda est culpa lata, & leuis. Ita habetur in suprà cit. §. nunc videndum, & cit. l. contractus, & docet Abb. in c. 2. n. 3. de deposito, Gomez cit. c. 7. in fine, Nau. c. 17. n. 181. 184. Lessius lib. 2. c. 7. dub. 8. aliíque communiter. 7

Restat Quæstio. Si in domo commodatarij, depositarij, &c. incendium oriatur, propriísne, an alienis rebus commodatis, depositis prospicere, debeant, si vtrisque non possint? Respondeo & dico I. Ratio imprimis dictat, vt tali casu quæ prætiosiora sunt, seu propria, seu aliena, præ alijs periculo eripiantur, sicuti annotauit Abb. in cit. c. 2. num. 2.

II. Si aliena prætiosiora præferendo, propriorum iacturam fecerunt depositarius, conductor, caupo, compensationem damni proprij iure exigunt. Cùm enim in pari causa quisque præferre possit propria alienis, vtiliter domini negotium gesserunt, quando in eius gratiam, posthabitis proprijs, res magis pretiosas incendio liberârunt. Nulli autem officium suum damnosum esse debet.

III. Non idem dicendum videtur de commodatario: Nam quisque vir prudens, ac diligens, quæ pretiosiora sunt, anteponit minùs pretiosis: Commodatarius autem, secundùm naturam huius contractus, tacitè se obligat ad exactam rei cõmodatæ custodiam, qualem quisque prudentissimus paterfamilias suis rebus adhibet, l. in rebus, ff. commodati. Accedit, quòd æquitas non patitur, vt is qui commodauit, damnum sustineat occasione eius contractus, qui in gratiam solius commodatarij institutus erat; ipsemet verò commodatarius à damno immunis sit. Quæ est communis sententia Syl. ver. commodatum, q. 12. Armillæ n. 11. Molinæ to. 2. disp. 296. Lessij lib. 2. c. 27. dub. 6. n. 28.

IV. Si commodatarius eripiendo propria, quæ magis pretiosa sunt, deserat aliena sibi commodata, restituere nihil debet, teste Gl. in l. si vt certò, §. quod verò, ff. commodati, Syl. Armilla ll. cc. Abb. c. 1. de commodato, Azor to. 3. lib. 7. de commodato, c. 7. q. 6. etsi contrarium doceat Mol. l. c. Ratio est: Quòd hoc casu commodatarius ab omni culpa immunis sit: cùm hoc idem diligentissimi cuiusque officium, & consilium esset pretiosa præferendi vilibus.

V. Etsi Gl. citata idem sentire videtur, si res com-

modatæ & propriæ æqualis pretij sint; contraria tamen sententia communis est, & colligitur ex cit. §. quod verò. Nam in pari alioquin causa magis conuenit commodatarium, in cuius solius gratiam contractus institutus fuit, ex fortuito casu damnum sustinere.

CAP. VIII.

Vtrum filiusfamilias contractus instituere possit.

SVMMARIVM.

1 *Filij familias quadruplex est peculium; Castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium.*
2 *Licet per filij clericatum, item per professionem seu filij, seu patris in Religione, soluatur patria potestas, tamen bona aduentitia manent in priore statu penes patrem, vel eo profitente, penes monasterium.*
3 *Certi casus sunt, quibus aduentitiorum bonorum vsus fructus non ad patrem, sed ad filium spectat.*
4 *Filiusfamilias impubes, ne patre quidem auctore, vllo ex contractu ciuiliter obligatur.*
5 *Filiusfam. pubes ex omni contractu, etiam sine patris auctoritate, tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur.*
6 *Lucra filij familias, quæ ex artificio eius proueniunt, inter aduentitia bona numerantur; sed lucra ex bonis paternis inter bona profectitia.*
7 *Pater prohibere non potest, quominus filius familias ex domo paterna discedat, artis discendæ causa.*
8 *Patria potestas in filium septem ferme modis soluitur.*

HActenus egimus ferme vniuersim de natura & proprietatibus contractuum. Nunc autem de personis dicendum, de quibus dubium esse potest, vtrum, & quo modo contrahere eis liceat: Et primò de filio familias.

Notandum est primò: Filij familias dicuntur, non solùm filius, & filia, sed etiam qui ex illis nati sunt nepotes, ac neptes, &c. quamdiu sub patris, vel aui paterni potestate existunt, licet maiores natu sint, siue annum ætatis xxv. excesserint. Ita habetur Instit. de patria potestate, §. vlt. Quinam autem effectus sint patriæ potestatis, videbis in Gl. §. ius autem eod. tit.

1 Notandum est secundò: Quadruplex est peculium filij familias: Castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium, de quibus vide Gabr. in 4. d. 15 q. 3. a. 3. dub. 2. propr. 5. Syl. ver. peculium, 1. Nau. cap. 17. n. 141. Lessium lib. 2. cap. 4. dub. 3. In castrensi peculio numerantur ea omnia, quæ occasione militiæ à filio familias acquiruntur, l. Castrense, ff. de castrensi peculio, l. 1. C. de castrensi peculio, lib. 12. Eiusmodi sunt militum stipendia, hostium spolia, Ducis, vel commilitonum dona, aut legata occasione militiæ; itē bona mobilia, quæ à parētibus, vel cognatis filio familias profecturo, aut profecto in militiam donata sunt. Et nota hîc, inter milites numerari ministros omnes, qui exercitum comitantur, qualecunque munus obeant, l. vlt. C. de Castrensi peculio, l. 12. & l. vn. §. item nauarchos, ff. de bonorum possess. ex testamento militis. Sed & præsidiarios milites accenseri, qui castri alicuius, quamuis pace constituta, custodiam gerunt, testis est Molin. to. 1. tr. 2. disp. 130. Præterea ad castrense peculium spectare censentur, quæcunque milites palatini, id est, qui Principem in aula siue palatio sequuntur, vel proprio labore, ac parsimonia; aut Principum donatione acquisiuerunt, l. vn. C. de Castrensi palatinorum peculio.

In peculio quasi castrensi numeratur primò, Quod ex publico munere, seu officio, puta Doctoris, Iudicis, Aduocati, Tabellionis, Medici, &c. acquiritur, l. cùm antiquis, C. de inoffic. testam. Neque opus esse videtur, vt publicum salarium habeant: sufficit, si ex munere aut scientia publica acquirant, vti docet Pet. Nauar. lib 3. c. 1. n. 68. contra Syl. ver. peculium, 1. q. 1. Secundò, Quæ à Principe, vel Augusta alicui donata sunt, l. cùm multa, C. de bonis, quæ liberis, &c. Tertiò, Bona Clericorum ex clericali titulo, vel beneficio acquisita, iuxta l. sacrosanctæ, C. de Episc. & Clericis. Imò, (vt dicitur in Authent. Presbyteros, eod. tit.) *res quolibet modo in clericatu venientes, in potestate sua habent* Clerici, *ad similitudinem castrensium peculiorum*. Consentit c. quia nos, de testam. vbi Abbas n. 5. ait; Quicquid in aliis filiis aduentitium bonum esset, in clerico filio familias censeri castrense, aut quasi castrense, vt de eo liberè disponere possit.

Id vero, spectato communi iure, intelligi debet de iis tantùm bonis, quæ post clericatum, vel post Religionis professionem, non verò quæ antea acquisita sunt: horum enim vsum fructum pater retinet vsque ad mortem suam, adeò quidem, vt licet ipsemet pater professionem edat, vsus fructus interim dum pater viuit, ad Monasterium pertinere debeat. Ratio est: Quia licet per filij clericatum, (intellige si clericalibus priuilegiis gaudere incipiat) item per professionem seu filij, seu patris in Religione approbata, soluatur patria potestas; tamen ex hac liberatione solùm sequitur, vt bona filio deinceps aduenientia, administrationi & vtilitati patris subiecta non sint; non autem, vt vsusfructus bonorum antè penes patrem existentium, cesset, exceptis casibus iure expressis: vt si filius patria potestate egrediatur propter assecutionem dignitatis, vel per emancipationem, quo tamen posteriore casu dimidium vsus-fructus patri relinquitur. Ita de vsufructu filij familias præter alios docent Nauar. in c. non dicatis, seu to. 2. Regul. num. 38. & 55. Molina to. 1. tr. 2. disp. 9. & 138. ver. dicendum est, Azor. t. 1. lib. 12. c. 8. q. 2. & to. 2. lib. 1. c. 23. q. 9. Sanchez lib. 7. moral. c. 13. n. 26. & seqq. Vasq. de testam. c. 4. contra Couar. c. 2. de testam. n. 9. Fachinæum lib. 6. controu. iuris, cap. 12. vbi aiunt, post patris professionem vsumfructum bonorum aduentitiorum ad filium pertinere; non ad Monasterium. Et Abb. in c. præsentia, n. 56. de probat ait; Filio faciente professionem, vsumfructum bonorum à patre auferri, & liberæ dispositioni filij relinqui, vt pleno iure Monasterio assignare possit: quorum tamen sententia vera est spectata consuetudine quorundam locorum: sicuti etiam consuetudine obtentum est, vt post contractum matrimonium à filio, aut filia, potestas patria adeò soluatur, vt omnium bonorum administratio & vsusfructus ad filium, vel filiam à patre transferatur. Vide Molin. to. 1. tr. 2. disp. 229. 2

Aduentitia bona sunt, quæ præter castrensia, & quasi castrensia, filio familias obueniunt, non à patre, neque intuitu patris, sed vel ex propria industria, vel liberali alicuius donatione, legato: matris, vel aui materni hæreditate, &c.

Denique profectitia bona dicuntur, quæ cùm nec castrensia, nec quasi castrensia sint: vel ex bonis patris profecta, vel patris intuitu filiofamilias donata sunt.

Inter hæc quatuor bonorum genera hoc discrimen est, quòd in castrensi: & quasi castrensi peculio nihil omnino iuris pater habet, sed ipse filius plenum dominium, liberámque administrationem, sicuti constat ex tit. ff. & C. de castrensi peculio, l. vlt. C. de inoffic. testamento. Aduentitiorum autem bonorum sola proprietas ad filium spectat: vsusfructus ad patrem, l. cùm oportet, C. de bonis, quæ liberis, &c §. sancitum, Instit. per quas personas nobis acquiritur.

Non potest tamen pater bona filij famil. immobilia absque Iudicis decreto alienare, vti constat ex l. non solùm, l. ob æs alienum, C. de prædiis Minorum: multò minùs bona immobili filij emancipati, si pater curator existat, l. cùm emancipatis, C. de prædiis Minorum. Faciliùs tamen patri, quàm tutori, permittitur alienatio bonorum immobilium, absque Iudicis auctoritate; videl. propter necessitatem, ad æs alienum dissoluendum, iuxta l. vlt. §. sin autem æs, C. de bonis, quæ liberis, &c. Idque partim propter affectionem patris erga filium, partim quia ipsius etiam patris interest, venditionem vti-

cem

lem esse filio, præsertim in potestate eius constituto, quippe ex cuius bonis pater vsumfructum habet. Videri potest Tiraquellus l. si vnquam, in præfat. num. 28. C. de reuoc. donat. Couar. 1. resol. c. 8. num. 5. Mynsing. cent. 6. obseruat. 61. post Azonem in summa C. de bonis, quæ liberis, &c.

His adde, quòd filius ne consentiente quidem patre, de bonis aduentitiis testari possit, præterquam ad pias causas, iuxta c. licet, de sepultur. in 6. quamquam cum patris consensu mortis causâ donare non prohibetur, etiam ad causas prophanas, l. tam is, ff. de mortis causa donation.

3 Sunt tamen aliquot casus, in quibus aduentitiorum vsusfructus non ad patrem: sed ad filium spectat: videlicet, si vsusfructus bonorum aduentitiorum filio à patre remissus est: si pater vnà cum filio successit in hæreditate fratris: si pater sine causa iusta diuortium instituit: si filius hæreditatem adijt, legatum, vel donum accepit patre contradicente: si vsusfructus nudus, seu à proprietate seiunctus filiofam. à quocunque donatus est: denique si aliquid donatum, aut relictum fuit, ea lege, vt vsusfructus ad ipsum, & non ad patrem pertineat. quam tamen conditionem mater, vel auia legitimæ filio, aut nepoti debitæ adiicere non potest, sicuti docet Andr. Fachinæus lib. 5. contrprincipal. cap. 21. ex Auth. Vt liceat matri & auiæ, in princip. contra Gl. ibid. ver. participium. Vide etiam Auth. de hæredibus ab intestato, c. 2. §. si verò, l. cùm oporter, cum Authenticis, & l. vlt. C. de bonis, quæ liberis, Syl. ver. peculium, 1. q. 3. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 8.

Denique bona profectitia, id est, quæ ex rebus patris, vel occasione patris à filio acquiruntur, ad patrem pleno iure spectant, §. sancitum, Instit. per quas personas, &c.

4 Assertio I. Filiusfamilias impubes, ne patre quidem auctore, ex contractu, quamuis circa castrensia bona instituto, ciuiliter obligatur, sicuti constat ex §. pupillus, Instit. de inutilibus stipulat. Obligatur tamen naturaliter, si pubertati proximus sit, sicuti de pupillo dicam cap. seq. assert. 4.

Porro, cur pupillus auctore tutore etiam ciuiliter obligetur, non item filius impubes auctore patre, rationem dat Gl. in cit. §. pupillus, ver. patre: Quia pupillus tutorem sibi obligatum habet, si malè auctoritatem præstet; non item filius patrem, sicuti colligitur ex l. cùm oportet, §. sub hac tamen, ver. Non autem hypothecam, Cod. de bonis, quæ liberis, &c. Vide Sanch. lib. 6. de matrim. disp. 39. num. 2. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 230. & to. 2. disp. 261.

5 Assertio II. Filiusfamilias pubes, ex omni contractu, etiam sine patris auctoritate, tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur. Ita habetur in §. inutilis, Instit. de inutil. stipulat. & l. 58. ff. de actionibus & obligation. *Filiusfamilias ex omnibus causis tanquam paterfamilias obligatur: & ob id agi cum eo tanquam cum patrefamilias potest.* Quia patria potestas instituta est ad personæ correctionem, non ad bonorum eius curationem. Sed limitari debet assertio: Nisi contractus vel alienatio cedat in præiudicium patris: quamobrem filius sine expresso, aut tacito patris consensu, alienare non potest bona profectitia; imò neque aduentitia, quorum vsusfructus & administratio ad patrem spectat. Etsi enim alioquin proprietarius, inuito etiam fructuario, proprietatem alienare non prohibeatur; filiofamilias tamen concessum non est bona aduentitia inscio, vel inuito patre distrahere, vel obligare, iuxta l. vltimam, §. filiis, C. de bonis, quæ liberis, &c.

Addendum verò est, filiumfamilias etiam ex delicto vel damno dato, per seipsum obligationem contrahere, non autem parentem, si culpa eius non interuenit, sicuti habetur §. vlt. Instit. de noxalib. action. & docet Syl. ver. restitutio 2. dicto 16. Less. lib. 2. c. 9. dub. 17. num. 121.

Qvaestio Prima. Quæ filiusfamilias in domo paterna lucratur; ad ipsúmne, an ad patrem pertineant? Respondeo & dico I. Lucra ex operis artificialibus prouenientia, si filius sit v. g. faber, fistulator, musicus, inter aduentitia bona numerantur: quæ proinde post patris mortem præcipua habere debet. Eapropter filius operam suam patri locare, ab eóque salariũ exigere iure potest; deductis tamen expensis, quas pater eo alendo facit: Quandoquidem pater filium alere non tenetur propria bona aduentitia, vel castrensia habentem, sicuti colligitur ex l. si quis à liberis, ff. de liber. agnosc. Et hæc est communis Doctorum sententia apud Rebel. p. 2. lib. 1. de contract. quæst. 8. sect. 3. conclus. 2. Nau. c. 17. num. 14. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 3. a. 3. dub. 2. prop. 5. Sanchez l. c. num. 5. Diaz in pract. qq. q. 8. §. 2. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 234. & sumitur ex l. penult. ff. de obsequiis, ibi; *Pietatem liberi parentibus, non operas debent.* Aduerte tamen, si filius opificis v. g. operam suam patri præstet, nullo seu expressè, seu tacitè petito salario; quod censeatur id patri remittere, pietatis & gratitudinis causâ: vt si postea à patre, eóve mortuo, à fratribus repetere velit, audiendus non sit. Qua simili ratione docet Sanch. lib. 9. disp. 5. n. 7. Si vir vxorem alat, antequam ei dos debita soluta sit, non posse repetere alimenta; quippe quæ affectu maritali condonasse præsumitur.

Dico II. Si filiusfamilias ex bonis paternis nomine ac voluntate patris lucretur, v. g. filius cauponis, mercatoris; neque consuetudo, neque iura permittere videntur, vt exinde salarium, vel partem lucri exigat. Ita docet Glos. in l. cùm oportet, Cod. de bonis, quæ liberis, &c. ver. ex eius substantia, Syl. ver. peculium, 1. q. 12. P. Nau. lib. 3. c. 1. n. 76. Diaz, & Medina ll. cc. Nam iura indistinctè aiunt, quæ ex re siue substantia patris proueniunt, ipsi patri acquiri, Instit. per quas personas nobis acquiritur, §. 1. & cit. l. cùm oportet. Neque facilè reperietur filius, qui ob eiusmodi paternorum bonorum administrationem, salarium à patre petere audeat; vel, si petat, non illico à patre repellatur; eo quòd ex gratitudine erga patrem, dum in eius domo degit, tanquam ad obsequiales operas, obligatus esse videatur. 6

Contrarium tamen non improbabiliter, post Bartolum, docent Angelus ver. peculium, n. 11. Nauar. c. 17. n. 144. Lopez p. 2. instruct. c. 21. Less. lib. 2. c. 12. n. 81. Cùm enim lucrũ non tãtùm ex bonis patris, sed etiam ex filij industria proueniat; ideo partim inter profectitia, partim verò inter aduentitia bona numerandum esse videtur. Ex quo inferunt; Si solus pater lucrum accipiat, nullámque eius partem filio quasi societatis iure relinquat; tunc tantundem salarij ipsi dare obligatum esse, quantum extraneo alicui deberet, saltem si filius exigat. Sin autem ob metum reuerentialem petere non audeat, vel probè sciat, si petat, se repulsam laturum esse; consequenter aiunt, filium clam à patre accipere posse. Quæ sententia ad id saltem Confessario inseruire poterit, vt cum eiusmodi filiofamil. mitiùs agat; & non facilè ad restitutionem obliget, nisi vltra æstimationem laboris ac industriæ suæ acceperit.

Porrò id certum est, atque omnes fatentur; si filius ex re patris non frugifera suo periculo negotietur, ita vt propositum habeat & rem ipsam, quam seu clam, seu mutuò accepit; & damnum, si quod patri inde euenerit, plenè restituendi; tunc lucrum omne ad filium pertinere, tanquam aduentitium peculium.

Qvaestio Secvnda. Vtrum pater filiumfamil. 7

O

prohibere possit, quominus ex domo paterna discedēs, artem aliquam addiscat, operam suam alicui locet, vel quoduis honestum vitæ genus amplectatur? Responsio est negatiua, ex communi sententia apud Rebellū, Sanchez ll.cc. Nam alioquin homo liber seruilis conditionis efficeretur, si à patre in domo paterna, veluti carcere quodam, perpetuò detineri posset. Limita: Nisi pater inops sit, sibique alendo non sufficiens; tunc filius naturali lege pietatis operam ipsi suam præstare tenebitur.

8 QVÆSTIO TERTIA. Quibus modis filiusfam. patris potestate liberetur, suique iuris efficiatur? Respon. Septem ferme modis: I. Per mortem naturalem patrisfamilias, Instit. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur, in princip.

II. Per eiusdem mortem ciuilem, videlicet deportationem in insulam, ob maleficium, Instit. eod. §. cùm autem is.

III. Per lapsum patris in hæresin, etiam ante condemnationem, vbi ius commune viget, c.2. de hæreticis, in 6. Quamobrem vsusfructus, quem habuerat in bonis filij, per lapsum illius in hæresin amittitur, & cum proprietate filij consolidatur, sicuti docent Iacob. Minanca in Cath. instit. cap. 9. num. 81. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 9. §. ab hac regula, Lessius lib. 2. cap. 3. dub. 5. in fine.

IV. Per emancipationem filij coram Iudice factam, §. præterea, Instit. eod. & l. vlt. Cod. de emancip. liberorum. Quibusdam verò locis, cumprimum liberi coniugio locati sunt, emancipati, suique iuris esse censentur.

V. Per electionem filij ad patritiam, vel consularem dignitatem, l. vlt. Cod. de decurionibus, lib. 10. & l. vlt. Cod. de Consulibus, lib. 12. & §. filiusfamilias, Instit. Quibus modis ius, &c.

VI. Per electionem filij in Episcopum, c. per venerabilem, Qui filij sint legitimi. Adde & Cardinalatum, atque professionem, siue statum Religiosum, ex communi DD. sententia.

VII. Per adoptionem filijfamilias factam non ab extraneo, sed ab auo paterno, aut materno, l. cùm in adoptiuis, §. si verò, C. de adoptionibus.

Denique si ab hostibus pater captus sit, pendet ius filiorum: Nam si ex captiuitate postea redierit, postliminio recuperat pristina iura erga liberos, perinde ac si semper eos in potestate sua habuisset. Sin autem ibi decesserit pater, tunc liberi à principio captiuitatis paternæ sui iuris fuisse censentur, §. si ab hostibus, Instit. eodem. Lege, si placet, commentatores super cit. tit. Instit. Molin. tom. 1. tract. 2. disput. 219. Rebell. cit. q. 8. sect. 6.

CAP. IX.

Vtrum pupillus, & Minor XXV. annis contrahere possint?

SVMMARIVM.

1 *Pupillus, postquam ex patris potestate excessit, tutorem accipere cogitur; sed curator puberi non datur si inuitus sit.*

2 *Inter tutorem, ac curatorem plures differentiæ sunt.*

3 *Triplex est tutela; testamentaria, legitima, & datiua.*

4 *Clerici cogi non possunt ad suscipiendam tutelam, nisi personarum miserabilium: sed à Religiosis omnino alienum est tutelæ munus.*

5 *Pupillus, aut Minor contrahens cum consensu tutoris, aut curatoris sui, tam ciuiliter, quàm naturaliter obligatur*

6 *Pupillus, itémque Minor curatorem habens, si contrahant sine tutoris, aut curatoris auctoritate, ciuiliter non obligantur.*

7 *Obligatur tamen pupillus sine tutoris auctoritate, obligatione naturali, quæ sufficiens sit ad transferendum dominium; si nihil excipiatur, repetatur.*

8 *Quibusdam casibus neque naturalis obligatio in contractu pupilli subsistit.*

9 *Obligationis naturalis non vnicus, sed plures effectus sunt.*

10 *Quod pupillus, vel minor XXV. annis curatorem habens ludendo perdidit, soluere non tenetur, nisi iurarit: sin autem soluatur, ab altero retineri potest, donec repetatur.*

11 *Si pupillus, vel Minor, quod indebitè soluit, aliter recuperare non possit, per compensationem aliquam prospicere sibi poterit.*

NOtandum est: Pupillus (id est, puer, siue puella 1 impubes) postquam ex patris potestate, per mortem eius, excessit, cogitur habere tutorem: cuius præcipuum munus est personam pupilli tueri, vt piè ac honestè educetur, instituatur. Deinde verò eiusdem bona administrare, tali cura, qualem diligens paterfamilias propriis bonis adhibere solet: quod posterius similiter de curatore dicendum, l. à tutoribus, ff. de administr. tutorum. Porrò impuberes masculi censentur, vsque ad completum ætatis annum XIV. puellæ vsque ad completum XII.

Differt autem tutor à curatore: I. Quòd tutor vsque 2 ad tempus pubertatis datur; ideóque præcipuè ad personam pupilli tuendam; secundariò autem ad bona eius administranda: secuta autem pubertate, tutela finitur, §. 1. Instit. Quibus modis tutela finitur. Si tamen tutor rationes tutelæ non offerat, nec pubes factus contradicat, officium administrationis retinet, secundùm Imperij consuetudinem apud Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 96. Curator autem pueris ac puellis puberibus datur, vsque ad annum ætatis XXV. (quo tempore Minores appellantur) potissimùm, vt bonis eorum præsit, seu administrator existat.

II. Tutor impuberi etiam inuito dandus est, l. 2. ff. de tutelis, l. nec non, ff. de tutorib. & curatorib. Sed curator puberi non datur, si inuitus sit, §. item inuiti, Instit. de Curator. Si tamen pubes curatorem suscepit, seu in eum consensit, tunc cogitur esse sub illo, vsque ad ætatem legitimam completorum annorum XXV. sicuti docet Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 220. Similiter si à patre testamento puberi datus est curator, à Iudice confirmari debet, §. 1. Instit. de Curator. Præterea minor natu in iudicio, seu vt Actor, seu vt Reus, sine tutore, aut curatore non admittitur, cit. §. item inuiti, l. 1. & 2. C. Qui legit. person. in iudic. Exceptis tamen causis spiritualibus; puta Ecclesiastici beneficij, matrimonij, & his annexorum, in quibus pubes, XXV. annis minor, per se, vel per Procuratorem agere, & conueniri non prohibetur, c. vlt. de iudiciis, in 6. Denique furiosis ac prodigis, licet maiores XXV. annis sint, sicuti & mente captis, surdis simul ac mutis, & qui perpetuo morbo laborant; quia rebus suis ipsi præesse non possunt, curatores dandi sunt, iuxta §. furiosi, Instit. eodem.

Tutor (sicuti & curator) cumprimum Iudicis auctoritate interueniente, bonorum administrationem suscepit, inuentarium conficere debet, iuxta l. tutor, qui repertorium, ff. de administr. tutor. vbi id docent DD. & Mynsinger cent. 6. obser. 39. Deinde operam dare debet, vt ex bonis immobilibus fructus proueniant; pecunia quoque in annuos reditus conuertatur: alioquin restituere cogetur, quod ab eo non sine culpa neglectum fuit. Quæ de re Syl. ver. tutela, q. 4. & 6. Rebell. p. 2. lib. 17. q. vn. de officio tutoris, & curatoris, Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 224. Vt verò omnem à se fraudis ac negligentiæ suspicionem tutor amoueat, consultum ipsi erit, propinquorum etiam consilio in bonorum administratione vti, sicuti notauit Syl. q. 5. Adde, quòd pro hac sua cura seu administratione salarium accipere tutori interdictum est, præterquam si ei à Iudice constitutum sit, l. à tutoribus, § vlt. ff. de administrat. tutorum, & docet Gl. in l. in eos, ff. de tutelis. Cæterùm, si pauperes pupilli sint, vt bona vix ad sustentationem eorum sufficiant; tunc charitatis lex non permittet aliquid per Iudicis auctoritatem adimi.

Triplex est tutela, secundùm Gl. Instit. de tutelis, §. 3

permissum est; Testamentaria, legitima, & datiua. Qui in testamento à patre tutores dati sunt, ij reliquis præferuntur. Adde, quòd non tantùm pater, sed quilibet etiam extraneus, si impuberem hæredem instituit, tutorem ei dare potest, qui tamen cum inquisitione confirmari debet, l. si patronus, & l. seq. ff. de confirman. tut. & curat. Sin verò testamento nullus tutor assignatus est, accersendi sunt tutores legitimi, qui olim, secundùm 12. tabularum leges, censebantur proximi agnati, id est, per virilis sexus cognationem coniuncti; exclusis alijs consanguineis, vti habetur in l. 1. C. de legitima tutela. Nunc verò, sublato discrimine inter agnatos, & reliquos cognatos, quod attinet ad hæreditarias successiones, & tutelas; æquo iure omnes admittuntur, si idonei sint, Auth. de hæred. ab intestato, §. ex his, collat. 9. & habetur post cit. l. 1. Cod. *Sicut hæreditas, agnatione non inspecta, proximis defertur, sic & tutelæ onus comitatur emolumentum, si masculi & perfectæ sint ætatis*, (videl. XXV. annis maiores, l. vlt. C. eod. nisi Minor testamento datus sit tutor, tunc tutela, alio interim subrogato, illi reseruatur, donec ad ætatem legitimam peruenerit, §. furiosus, Instit. Qui testam. tutores, &c.) *& nulla lege prohibeantur suscipere. Quòd si plures sint eiusdem gradus, & ad tutelam vocantur; iubemus communiter apud Iudicem conuenientibus, vnum, vel plures eligi; & eum, vel eos administrare: vt magis idoneo, vel idoneis committatur tutela, periculo tutelæ omnibus imminente, qui ad tutelam vocantur: & substantijs eorum Minoribus tacitè subiacentibus pro huiusmodi gubernatione.*

Porrò iure nouo Cod. Quando mulier tutelæ officio, &c. Matri & auiæ paternæ ante omnes agnatos, aut cognatos ius tutelæ permittitur, si recipere velit. Repellitur tamen primò: Si ad secundas nuptias transeat. Secundò; Si luxuriosam vitam ducat, secundum Gloss. in Authen. matri & auiæ, Cod. eodem tit. Abb. cap. ex parte, 2. de appellat. Syluest. ver. tutela, quæst. 10. Sa ver. curator, num. 3. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 220. Nauarrus c. 25. man. num. 67. & colligitur ex l. vlt. Cod. eodem. Ob easdémque causas matri negari potest educatio pupilli, quæ alioquin ei ante alios debetur, l. 1. C. vbi pupilli educari debent.

Denique si neque testamento tutor datus sit; neque legitimus aliquis idoneus adsit, à Iudice tutor pupillo dandus est. Hæc tamen locum non habent, si mortuo patre, superstit auus ex linea virili: qui demortuum in potestate habuerat, & consequenter etiam ab eo relictos liberos: vt proinde alio ipsis tutore opus non sit; cùm in aui potestate ac gubernatione permaneant, vti constat ex l. 1 tit. Instit. 13. de tutelis, in princ. & §. permissum. Videri potest Nau. lib. 3. consil. vlt. n. 10. de conuers. infidelium, edit. 2.

Tutores, & curatores etiam inuiti esse coguntur, l. 1. ff. de administrat. tutorum. Quia est vnum ex publicis muneribus, à quibus lex neminem immunem esse vult, tit C. de decurion. lib. 10. Verùm iustę causæ allegatione apud Magistratum, onus tutelæ declinare concessum est, vti videre licet tit. Instit. de excusat. tutorum vel curatorum, & tit. ff. eod. titulo.

4 Veruntamen Cleric. ad suscipiendam tutelam cogi nequaquam debent: præterquam personarum miserabilium, si aliæ personæ idoneæ non reperiantur, iuxta c. vlt. d. 86. & c. 1. d. 88. Deinde si Clerici velint legitimã, tanquam proximi cognati, tutelam suscipere, non prohibetur, vti colligitur ex cit. c. vlt. d. 86. Quòd verò Syluest. ver. tutela, q. 3. hæc eadem ad Religiosos transfert, vt & ipsi in his casibus cum Prelati licentia tutelam suscipere possint, id non rectè dictum videtur: cùm tutelę munus à religiosa professione nimis alienum sit. Nam tutor, seu curator ex mala administratione obligatur pupillo, aut Minori: imò antequam administrationem suscipiat, cauere seu satisdare cogitur per fideiussores, aut pignora; nisi testamento nominatus, vel à Iudice cum inquisitione datus sit, ideóque hoc ipso vt idoneus electus, sicuti habetur Instit. de excusat. tutor. vel curat. §. sed hoc non est. At verò Religiosi neque talem cautionem facilè præstare, neque vllam pro tutelæ administratione obligationem contrahere possunt, cùm bona nulla habeant, vti bene notauit Sanch. lib. 6. moral. c. 14. n. 26. Atque in iuribus suprà citatis nihil dicitur de Religiosis: quin imò in Authen. de SS. Episcopis, §. Deo autem amabilis, tutelæ officium illis omnino interdictum legimus.

Assertio I. Pupillus, multóq; magis minor XXV. annis 5
cũ consensu & auctoritate tutoris, vel curatoris contrahẽs, obligatur tam ciuiliter, quã naturaliter. Ita habetur in l. impuberes, ff. de auctorit. & consensu tutorum, iunct. Gl. ver. obligantur, & aliis iuribus apud Sanchez l. 6. de matrim. disp. 38. num. 5. Intelligi autem debet assertio de pupillo pubertati proximo; ita vt rationis discretionem, quæ ad contractum naturali, ac gentium iure sufficiat, acquisiuisse censeatur. quod secundùm iuris pręsumptionem accidit post exactum annum decimum cum dimidio, si masculus sit; vel nonum cum dimidio si fæmella, §. pupillus, Instit. de inutil. stipulat. iunct. Gloss. ver. infantiæ proximus. Ante eam verò ætatem solus tutor contractus celebrare debet: ipsemet verò pupillus ex proprio consensu non obligatur. Vide Molin. cit. disput. 224. §. vt ad Minorum. Ioannem Fabrum tit. Instit. de auctoritate tutorum, §. 1. Deinde excipienda est alienatio bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium, quæ seruando seruati possunt: hæc enim pupillis, & adolescentibus, etiam interueniente curatoris auctoritate, interdicta est, nisi Iudicis insuper decretum accedat, l. lex, 4. Cod. de administratione tutorum, l. vltim. Cod. quando decreto opus non est, & l. non solùm, l. si Minor, Cod. de prædiis Minorum, l. clarum, Cod. de auctorit. præstanda. Et quod dico de alienatione, intelligi etiam debet de hypothecæ aut seruitutis in re immobili, aut mobilis pretiosæ constitutione: item de transactione, si cum alienationis periculo iuncta sit.

Assertio II. Pubes, qui curatorem non habet, etiamsi minor sit XXV. annis, obligatur tam ciuiliter, quàm naturaliter: potest tamen petere restitutionem in integrum, si ex contractu læsus sit. Ita habetur in l. 3. iunct. Gloss. Cod. de in integrũ restitut. & docent omnes. Sed intelligi debet de alienatione eorum bonorum, videlicet mobilium, quam cum curatoris consensu facere potest; vt ipsi etiam talis alienandi facultas concessa sit, si curatorem non habeat: in aliis verò alienationibus Minorum Iudicis decretum requiritur, vt suprà dictũ.

Assertio III. Pupillus, & minor XXV. annis cura- 6
torem habens, sine auctoritate eius non obligatur ex contractu ciuiliter. Ita habetur in §. admonendi, Instit. Quibus alienare licet, & tit. ff. & Instit. de auctorit. tutorum, & l. 5. C. de in integrum restitut. & aliis iuribus. Interim tamen alterum ætate maiorem, quo cum contrahit, ciuiliter etiam ex contractu obligat, l. obligari, ff. de auctoritate & consensu tutorum, §. pupillus, Institut. de inutilibus obligat. & cit. §. nunc admonendi, & Institut. de auctoritate tutorum, princip. *Si quid dari sibi stipulentur pupilli, non est necessaria tutoris auctoritas: quod si alys promittant, necessaria est. Namq; placuit, meliorem quidem suam conditionem licere eis facere, etiam sine tutoris auctoritate: deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris auctoritate.* Exempli causa: Celebrato emptionis contractu, licet venditor pupillum, qui sine tutoris consensu emit, inuitum compellere non possit ad pretium numerandum; ipse tamen pupillus, si contractu stare velit, ciuili actionẽ coge-

re potest venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio, l. si id, ff. de rescindenda venditione. Quapropter ait Gloss. cit. tit. Instit. de auctoritate tutorum, *contractus claudicat quandoque* : videlicet ex parte pupilli. Ita enim habetur in l. Iulianus, prope finem, ff. de actionibus empti: *Si quis à pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex vno latere constat contractus: nam qui emit, obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat.*

Cæterùm dicta assertio limitari debet primò: Quòd pupillus sine tutoris auctoritate obligetur ex contractu, quatenus inde locupletior factus est, iuxta l. pupillus, §. pupillus, ff. de auctoritate tutorum, l. vlt. Cod. de vsucapione pro emptore. Nam *locupletari non debet aliquis cum alterius iactura*, regul. 48. in 6. Exempli causa; Si venditor pupillo mercem tradidit, non accepto pretio, repetet mercem suam: Sin verò merx amissa, vel absque dolo absumpta sit, non plus in ciuili foro soluere compellitur pupillus, quàm exinde ditior factus est. Eadémque ratio est, si pupillo, vel minori XXV. annis curatorem habenti, mutuò datum sit.

Secundò; Si res tradita pupillo dolo eius periit, datur contra eum actio ciuilis, qua soluere compellitur, l. 1. §. an in pupillum, ff. depositi, l. 3. §. pupillus, iunct. Gl. ff. de negot. gestis. Si tamen infantiæ proximus sit, dolus in eo non præsumitur, arg. l. quod infans, ff. de rei vindicat.

Tertiò: Minor Religionem professurus omnia bona sua absque tutoris auctoritate alienare, seu cuicunque velit donare potest, sine beneficio restitutionis in integrum: censetur enim mori, teste Abb. c. in præsentia, de probat. Syluest. Armilla, Sa ver. Minor, num. 2. Quin imò in donatione aut renuntiatione bonorum intuitu Religionis ingrediendæ, aut profitendæ nulla omnino iuris ciuilis solemnitas requiritur, iuxta §. illud quoque, Authen. de Monachis, &c. de his, in fine, de sepulturis: *Liberum est eis tunc*, si ad religiosa loca se transtulerint, vel transferre velint, *bona sua non solum Religiosis, sed etiam quibusque priuatis conferre personis.* Vide Sanch. lib. 7. moralium, c. 6. num. 19. & quæ dicam infrà tractatu seq. cap. 7. Pari quoque ratione Religiosi Mendicantes, quibus bona immobilia possidere non licet, ea sibi donata vendere possunt, nulla iuris solemnitate interueniente, teste Sa ver. alienatio, num. vlt.

Quartò: Si Minor contractum absque curatoris auctoritate celebratum iuramento confirmauit, ciuili etiam foro obligatus est, Authent. sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, &c. Eáque constitutio locum etiam habet in alienatione rerum immobilium, sicuti apertè colligitur ex l. 1. C. eod. tit. & docet Gomez 2. resol. c. 14. num. 18. Sanch. lib. 6. disp. 38. n. 13. Couar. c. quamuis pactum, p. 3. §. 4. num. 6. Loquor autem de pubere tantùm: Nam pupillus non videtur ex iuramento ciuiliter obligari, vt suo loco dicam.

7 Assertio IV. Licet pupillus, & minor XXV. annis sine tutoris auctoritate contrahens non obligetur ciuiliter, vt dictum est; obligatur tamen naturaliter, siue in foro conscientiæ. Ita contra quosdam ex communiore tradunt Gomez 2. resolut. cap. 14. Sanchez cit. disp. 38. num. 21. Less. lib. 2. c. 17. num. 61. Mol. cit. disp. 224. Rebell. p. 2. lib. 1. de contract. q. 8. sect. 2. Lopez p. 1. instruct. c. 124. quæst. 3. Ratio est: Nam obligatio naturalis oritur ex consensu, l. Stichum, §. naturalis, ff. de solution. Sed pupillus (si pubertati proximus sit) & minor XXV. annis sufficientem consensum habent, sicuti colligitur ex §. pupillus, Instit. de inutil. stipulat. Ergo naturaliter obligantur ex contractu. Neque leges ciuiles obligationem hanc naturalem omnino infirmârunt; licet in externo foro actionem aduersus pupillum denegârint. Quod probatur primò ex l. si pupillus, ff. ad l. Falcidiam, l. si eius, iunct. Gl. ver. reddiderit, ff. Ad Trebellianum, & l. 1. ff. de nouationibus, quibus locis expressè habetur, pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem naturaliter obligari. Secundò: Deficiente obligatione principali, non valet accessoria, iuxta reg. 138. ff. Si autem ad contractum pupilli, sine tutoris consensu celebratum, fideiussor accedat, is etiam ciuiliter obligatur sicuti constat ex l. vlt. §. si verò, ff. de iureiur. & l. si pupillus, ff. de receptis, qui arbitrium, &c. Ergo signum est, principalem obligationem pupilli aliquo modo subsistere, videlicet naturaliter. Confirmatur ex l. naturaliter, ff. de condict. indebiti, vbi ratio redditur, cur fideiussor pro seruo acceptus teneatur; quia seruus naturaliter obligatur. Idémque docet Nauar. comment. 2. de Regul. num. 42. de promissione Religiosi, antequam à Prælati contradictione cassetur, fideiussionem efficacem accedere posse. Qua de re dicam infrà c. 29. num. 2.

Sed limitari debet assertio I. Nisi pupillus infantiæ proximus sit; tunc enim neque naturaliter obligabitur: 8
sic conciliari possunt l. pupillus, ff. de actionibus & obligat. & l. quod pupillus, ff. de condict. indebiti, quibus locis negatur, pupillum naturaliter obligari. Cùm enim pupillus, qui infantiæ proximus est, vix vllum intellectum habeat, & non multùm à furioso distet, (sicut dicitur in suprà cit. §. pupillus) ideo iura ciuilia eius contractui resistunt, omnémque obligationem tollunt. Vide Gl. in cit. l. pupillus, & l. 1. ff. de nouat. & reg. 149.

Quamquam etiam alio modo iura ciuilia conciliari possunt, quorum alia aiunt, pupillum sine tutoris auctoritate contrahentem naturaliter obligari; alia hoc ipsum negant: quòd hæc loquantur de obligatione naturali omnino efficaci; illa autem de naturali obligatione, atque inde orta actione aliquo modo inefficaci: quippe quæ per exceptionem, ex beneficio legis ciuilis non compellentis pupillum ad solutionem, contra petitorem opponi potest, vt neque in conscientiæ foro soluere cogatur, nisi quatenus locupletior factus est.

Limita secundò: Si pupillus cum ipsomet tutore contrahat, neque naturaliter obligabitur: quia leges eiusmodi contractui resistunt, sicuti colligitur ex l. pupillus, ff. de auctoritate tutorum, l. non licet, Cod. de contrahend. empt. & docet Gloss. in l. pupillus, 149. ff. de regulis iuris, & alia Gloss. in l. naturaliter, ff. de condict. indebiti, Molin. cit. disput. 224. §. quamuis autem, Sanchez num. 24. Si tamen plures tutores sint, obligari pupillus tutori potest, auctore altero tutore, sicuti habetur in cit. l. pupillus, ff. de auctor. tutorum.

Limita tertiò: Si pupillus, vel Minor absque Iudicis decreto, quamuis auctore tutore, promittat, vel alienet bona immobilia, aut mobilia, quæ seruando seruari possunt, ne naturaliter quidem obligatus esse videtur: quia iura ciuilia resistunt, sicuti colligitur ex l. 7. 11. 15. Cod. de prædiis, & aliis rebus Minorum, & docet Rebell. cit. quæst. 8. sect. 2. num. 24. Less. lib. 2. c. 17. dub. 7. n. 56. §. vbi non, Sanchez num. 26. ex Bartolo in l. 1. ff. de Nouat.

Cæterùm, pro huius tertiæ limitationis, & aliorum 9
quæ hac quarta assertione dicta fuerunt, pleniore intellectu diligenter obseruandum est; Obligationis naturalis non vnicum, sed plures effectus esse: Primus, isque præcipuus est, quòd creditori ius tribuat accipiendi, ac retinendi, si, quod naturaliter ipsi debitum est, nulla opposita exceptione soluatur, l. naturales, ff. de action. & obligat. iunct. Gloss. vbi dicitur, quod naturaliter debitum est, si soluatur, repeti non posse. II. In obligatione naturali accedere potest fideiussor, iuxta l. 1. & l. stipulatus, ff. de fideiussoribus. Item pignus, l.

naturaliter, ff. de condict. indebiti. III. Naturalis obligatio impedit soluti debiti repetitionem, iuxta cit. l. naturaliter, iunct. Bartolo ibid. IV. Naturalis obligatio, licet in foro externo actionem non tribuat, tribuit tamen ius exceptionis & compensationis, sicuti colligitur ex l. iurisgentium, §. sed cùm ff. de pactis, & habetur expressè in l. etiam quod naturaliter, ff. de compensat. Inter hos naturalis obligationis effectus, primus maximè necessarius & inseparabilis est; adeò, vt vbi is deest, naturalis obligatio nullo modo consistere possit: sicuti videre est in contractu cum infante, aut furioso; in quo contrahenti nullum omnino ius accipiendi, aut retinendi acquiritur: cùm enim desit consensus, nulla omnino obligatio contrahitur.

Quod attinet ad alterum effectum, non est incredibile, eum dispositione legum separari posse, persistente interim aliquo modo obligatione naturali. Quis enim credat, prodigum, cui bonis interdictum est, non magis ex promissione, aut contractu obligari, quàm furiosum, qui consensum non habet? Et tamen in promissione prodigi fideiussorem interuenire non posse, dicitur in l. is cui bonis, ff. de verb. obligat. Eadémque ratione neque in alienatione bonorum Ecclesiæ, vel Minorum, facta sine debita solemnitate, fideiussor in externo foro obligationem aliquam contrahit: cùm leges eiusmodi alienationi resistant. Attamen in hac alienatione, si omni alioquin fraude careat, naturalem non omnino sublatam esse, constat ex iis, quæ dixi tractatu de legibus, in fine cap. 16. & consentit Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 7. his verbis: *Res est valde perplexa apud Iurisconsultos: & probabile est, quando contrahentes sunt habiles,* (quod dicit propter matrimonij contractum, sicuti explicat infrà c. 19. num. 33.) *& adest vtrinque plenus consensus, contractum inducere obligationem naturalem, etiamsi solemnitas iuris non seruetur.* Vide Abb. cap. 1. de in integrum restitut. & cap. quia plerique, de immunit. Eccles. Syluest. ver. alienatio, q. 13. Et confirmatur ex ipsorum Iureconsultorum assertis. Est enim doctrina Bartoli in l. si quis pro eo, ff. de fideiussorib. quam refert, & probat Sanchez cit. disp. 38. n. 21. §. quartò: Si promissio, vel contractus iuramento confirmetur, signum esse, naturalem saltem ex eo obligationem oriri. Atqui alienationem immobilium bonorum à Minore absque decreto factam iuramento confirmari, constat ex l. 1. & Authent. Sacramenta, C. si aduersus venditionem; & fatetur Sanchez n. 13. ergo fateri etiam cogitur, naturalem inde obligationem contrahi, quod tamen negat n. 26.

Quamobrem pro conciliatione respondere oportet: Cùm naturalis obligationis effectus plures sint, quorum vnus interdum promissioni, vel contractui inest, alter verò ex legũ dispositione non inest; ideò secũdùm variorum effectuum considerationem modò affirmari, quòd ex promissione vel contractu naturalis obligatio oriatur; modò autem negari.

Tertius naturalis obligationis effectus ferme etiam in ciuili foro tollitur, quando pupillus, aut Minor absque tutoris, vel curatoris sui consensu alicui se obligauit. Nam pupillus, si, quod naturaliter ita debebat, soluit, solutum repetere potest: similiter etiam pubes minor xxv. annis, si curatorem habet, l. interdum, ff. de condict. indebiti. Ex quo colligitur, posse etiam alia ratione conciliari, quod alicubi scriptum reperitur, pupillum sine tutore contrahentem neque naturaliter obligari, considerato videlicet vno effectu naturalis obligationis, sicuti videre est in l. 41. ff. de condict. indebiti. *Quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit, soluerit, eius repetitio est: quia nec naturà debet:* quasi diceret, naturalem obligationem pupilli non eò se extendere, vt soluti repetitionem impediat.

Ex eodémque fonte arbitror explicari posse, quod dicitur Instit. Quibus alienare licet, §. nunc admonendi, & §. vlt. Si pupillus sine tutoris auctoritate pecuniam debitam soluerit, non fieri eam accipientis, & in l. 11. & 15. C. de prædiis Minorum: Si Minor prædium sine Iudicis decreto distrahat, non transferri eius dominiũ. Verum enim id est secũdùm effectum: quia translatum vindicari & repeti potest à quocunque possessore. Nam, vt dicitur reg. 150. ff. *Quod euincitur, in bonis non est:* id est, perinde se habet, ac si in bonis non fuisset. Neque aliter intelligo responsionem Molinæ cit. dispu. 224. prope finem, Sanch. cit. disp. 58. resp. ad 2. cùm aiunt, tametsi creditor habeat ius rem sibi à pupillo naturaliter debitam accipiendi, ac retinendi; non tamen acquirere eius dominium, eò quòd restituere eandem debeat, si repetatur. Fateor enim, spectato hoc vno dominij effectu, creditorem dominum non fieri: at secundùm alium effectum, puta ius retinendi, si non repetatur, negari non potest eum dominum effici.

Quod denique ad quartum effectum attinet; Licet pupilli debitor, cui vicissim à pupillo aliquid debetur, ex contractu sine tutoris consensu instituto, compensatione vti possit, si pupillus id fieri permittat, & legis ciuilis beneficio se non defendat, iuxta l. 3. §. pupillus, ff. de negotiis gestis. Attamen si pupillus, legis beneficium opponat, ius compensandi cadit, sicuti ibid. notat Gl. & Mol. cit. disp. 224. §. quod ad reliqua. Cũ enim pupillus in foro externo audiatur, si, postquam debitum soluit, repetere velit, multò magis audiendus est, si debiti, quod nondum soluit, compensationem impedire cupiat. Eadémque intelligi debent de Minore, qui curatorem habens, absque eius auctoritate contrahit.

Ad extremum colligamus ea, quæ suprà dictis consentanea ad praxin obseruârunt Molina, & Sanchez 10
circa ludum, vel alium contractum à pupillo, aut minore xxv. annis; sine tutoris, vel curatoris auctoritate institutum: I. Quod pupillus, vel Minor ludendo perdidit, aut alio contractu promisit, soluere non tenetur; sed exceptione beneficij legis ciuilis defendere se potest: quia tametsi soluisset, repetere posset, seu condictione indebiti, seu in integrum restitutione. *Qui autem ad agendum admittitur, est multò magis ad excipiendum admittendus;* reg. 71. in 6. ex reg. 156. ff. *Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multò magis quis dixerit.* Quid enim opus est inani circulo, vt soluat quis, quod ipsi restituendum erit? Excipe, vt suprà, nisi Minor se soluturum iurârit.

II. Si pupillus, vel Minor creditori soluit, potest is tuta conscientia rem retinere, donec ab eo repetatur per beneficium legis ciuilis, talem repetitionem concedentis. Ratio est: Quia pupillus, & Minor curatorem habens saltem naturaliter obligantur, vt suprà dictum: at verò legis ciuilis beneficium ipsis non prodest, si eo non vtãtur; siue quia vti nolunt, siue quia ignorant.

III. Si pupillus, Minor, eorúmue nomine tutor, & 11
curator indebitè solutum repetere velint, sed propter alterius contradictionem, vel Iudicis negligentiam, recuperare non possint, compensationem aliquam seu palàm, seu occultè facere non prohibētur. Ratio est, quia alter iniuriam infert non restituendo, si repetatur. Quo sensu recipienda est doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 33. art. 7. ad 2. S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 23. §. 3. princ. Med. Cod. de restitut. quæst. 22. ver. vt igitur in summa, Angles in florib. p. 2. de restitut. ex ludo, a. vn. dub. 1. propos. 2. cùm aiunt, lucrantem à Minore summam notabilem ad restitutionem obligari. Idque sumitur ex l. si curatorem, C. de in integrum restitut. *Minor curatorem habens non absimilis ei est, cui à Prætore, curatore dato, bonis interdictum est.* Sin autem Minor curatorem non habens, ludendo, vel aliter contrahendo notabiliter læsus fuit, tamen sine dolo, aut iniuria alte-

rius contrahentis; hoc casu, si in integrum restitutionem apud Iudicē facilè cōsequi non possit, non ideo ipsi cōcesū est cōpensatione aliqua vti: quia cōtractus omni in re subsistit, donec à Iudice rescindatur: ergo antequā per restitutionem in integrum rescissio impetratur, iniuria alteri fiet, si ipsi res, aut ius suum auferatur. Et hoc sensu rectè docuerunt Sanchez cit. lib. 6. de matrim. disp. 38. n. 32. Less. lib. 2. c. 17. dub. 9. n. 68. contra Lopez p. 1. instruct. c. 124. §. Sin autem talis.

CAP. X.

De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclesiastica immobilia, & mobilia pretiosa, quæ seruari possunt, absque iusta causa, certáque solemnitate alienari prohibentur.*

2 *Nomine alienationis prohibitæ in hac materia Ecclesiis fauorabili, comprehenditur etiam locatio in tempus longum, census perpetui, pignoris, vel hypothecæ specialis constitutio.*

3 *Causæ, ob quas Ecclesiasticorum bonorum alienatio fieri posit, sunt: Necessitas, Maior vtilitas, Pietas, Incommoditas.*

4 *Solemnitas ad alienationem requisita in his consistit: Vt præcedat tractatus cum Capitulo: Vt accedat consensus Capituli: Vt interueniat auctoritas Prælati, cui Ecclesia subest.*

5 *Beneficiatus prædia Ecclesiastica, quorum reditus in propriam vtilitatem percipit, ad tempus longum, sed non vltra vitam suam, locare potest, non adhibito consensu Superioris.*

6 *Prælatus, sine consensu Capituli, Ecclesiæ præiudicare non potest in iuribus quæsitis; sed in acquirendis.*

7 *Non satis constat, vtrum Prælatus sine consensu Capituli renuntiare posit hæreditati, vel legato rei immobilis, aut mobilis pretiosæ.*

8 *Quædam licet alienari validè non posint, tamen vsucapi possunt.*

9 *Iuramentum non alienandi duobus modis concipi potest.*

10 *Prælatus, qui iurauit se bona Ecclesiæ non alienaturum Papa inconsulto; prohibetur etiam locare ad tempus longum.*

11 *Papa non potest pro arbitratu, & sine iusta causa, res Ecclesiæ alienare.*

12 *Contra eos qui illegitimè Ecclesiastica bona alienant, pœnæ canonicæ decretæ sunt.*

1 Bona Ecclesiarum, quæ immobilia sunt, vel mobilia pretiosa, & seruando seruari possunt, alienari prohibentur; præterquam ob iustam causam, & interueniente certa solemnitate. Ita habetur in c. nulli de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. & extrauag. ambitiosæ, eod. titulo, post l. iubemus, 2. C. de sacrosanctis Ecclesijs, & Authenticam de non alienandis, coll. 2. Atque extenditur hæc prohibitio alienationis etiam ad loca pia, v. g. xenodochia, si Episcopi auctoritate constituta sint, sicuti habetur in c. hoc ius porrectum, 10. q. 2. & notat Abbas in c. nulli, n. vlt. de rebus Eccles. non alien. Siquidem Ecclesiæ, & loca pia in eiusmodi æquiparantur, arg. c. requisisti, §. secùs autem, de testam.

2 Etsi verò alienationis nomen, si strictè & propriè accipiatur, non nisi venditionem, permutationem, donationem, & similes contractus comprehendat, quibus directum rei traditæ dominium transfertur, iuxta l. 1. C. de fundo dotali; & l. alienatum, ff. de verb. significat. tamen in materia hac Ecclesiæ, & priuilegiatis personis fauorabili, accipi debet latè, vt comprehendat etiam feudum, emphyteusin, & locationem in longum tempus, quibus rei vsusfructus siue dominium vtile transfertur: multò magis contractum censualem, per quem dominium seu directum, seu vtile in alterum transfertur, constituta pensione annua, qua de re Guilelmus Redoanus de rebus Ecclesiæ non alienandis, cap. 27. Sed & perpetui, ac vitalitij census, quibus annui Ecclesiæ reditus, vel pars aliqua eorum constituto pretio venditur, alienationis prohibitæ nomine comprehendi censentur: quia iura, & reditus annui inter bona immobilia numerantur, quorum alienatio Ecclesiis ac natu minoribus prohibita est, sicuti docet idem Redoanus de rebus Ecclesiæ non alienandis, rubr. 13. & rubr. 16. Andreas Gaill. lib. 2. obseruat. 10. qui tamen notat num. quibusdam Germaniæ locis receptum esse, vt reditus redimibiles, etiam super immobilia bona constituti, inter bona mobilia numerentur.

Præterea nomine alienationis in materia ista Ecclesiis fauorabili comprehenditur quæuis constitutio pignoris, aut hypothecæ specialis, non item generalis, vti colligitur ex cit. c. nulli, vbi id docet Abb. num. 3. Redoanus cap. 6. Molina disput. 466. Quia per generalem hypothecam non tantum iuris in rem, cum periculo eam alienandi transfertur, quàm per specialem. Sin verò loqui velimus de alienatione prohibita in materia odiosa, non debet comprehendi hypotheca, aut pignus, nisi sit constitutum pro tanta quantitate, vt non sit spes facilis redemptionis, ideóque probabili alienationis periculo exponatur: quia prohibito aliquo actu, censetur prohibitum omne illud, per quod peruenitur ad actum, vti docet idem Redoanus num. 2. & 11. Et cum tali declaratione accipi debet rubrica Saliceti in l. vlt. Cod. de rebus alienis non alienandis: *Si res prohibetur alienari, non solùm prohibetur dominij* (directi) *translatio; sed pignoris obligatio, & vsusfructus, & seruitutum constitutio.*

Deinde si res aliqua ab antiquo in feudum, vel emphyteusin concedi solita erat, poterit etiam deinceps sine alia solemnitate à Prælato concedi, si Ecclesiæ expedire videatur, sicuti expressè habetur in cit. extrauag. ambitiosæ à Paulo II. edita. Et rationem dat Abb. in c. vt super, num. 11. de rebus Ecclesiæ alien. *Quia hæc non est noua alienatio, sed potiùs executio ordinationis antiquæ.*

Ex hoc infert Gl. communiter recepta in c. prohibemus, de decimis, Couarruuias 1. resolut. cap. 17. numer. 5. §. præter hæc; Decimas, quæ ante Lateranense Concilium laicis dabantur, si postea ad Ecclesiam reuertantur, posse iterum concedi, argum. cap. 2. de feudis, vbi Gl. & DD. licet repugnet Andreas Fachinæus lib. 7. controuers. iuris, cap. 72. Vide etiam Iulium Clarum §. Emphyteusis, quæst. 28. num. 7. §. etsi dicas, vbi testatur, multis locis consuetudinem esse, vt fundi Ecclesiastici sine iuris solemnitatibus in emphyteusin licitè, ac validè tradantur.

Mobilia pretiosa, quæ seruando non corrumpuntur, sunt v. g. vasa aurea, argentea, gemmæ, item integer grex ouium, caprarum, ex quo Ecclesia reditus annuos accipere consueuit. Quæ autem seruando seruari non possunt, & sine iuris solemnitate rectè alienantur, sunt ferme ea, quæ vsu absumuntur, vel breui tempore inueterascunt; vt fructus, pecudes, pleræque vestes, item pecunia vsui quotidiano deseruiens. Qua de re Syluest. ver. alienatio, quæst. 7. Denique iura & actiones eodem discrimine censentur, quo res ipsæ, ad quas tendunt: vt si sint rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, alienari nequeant: Sin verò aliarum rerum immobilium, v. g. debita pecuniaria, absque solemnitate vendi possint, sicuti tradit Syl. q. 9.

Causæ iustæ, ob quas rerum Ecclesiasticarum alienatio fieri possit, quatuor numerantur in glossa summaria causæ 12. q. 2. quam sequitur Abb. in cit. c. nulli, n. 3. Syl. ver. alienatio, q. 1. Couar. 2. resol. c. 17. n. 2. Nauar. comment. de alienat. rerum Ecclesiast. notab. 3. Mol. disp. 468. & alij communiter: Prima est, Necessitas, puta si debita vrgeant, quibus alia ratione satisfieri non possit. Altera est, Maior vtilitas, puta vt res alia Ecclesiæ vtilior comparetur: quæ duæ causæ adferuntur in 3

Authent. hoc ius, C. de sacrosanctis Ecclesiis. Tertia est, Pietas, puta pro redemptione innocentium captiuorum, vel alia graui pauperum necessitate subleuanda: ob quam causam etiam vasa sacra frangere, & pretium erogare (si alia non suppetant) quandoque concessum est, exemplo S. Ambrosij sub tyranno Maximo. quod factum laudauit S. August. apud Posidonium in vita eius c. 24. Vide c. aurum, &c. Sanctorum, 12. q. 2. ipsúmque Ambrosium lib. 2. Offic. c. 28. Exemplo item Acacij, Episcopi Auidæ, apud Socratem lib. 7. cap. 21. & Cæsarij Episcopi Arelatensis apud Surium 27. die Augusti. Nam (vt dicitur in l. sancimus, C. de sacros. Ecclesiis) *absurdum non est animas hominum quibuscunq; vasis, vel vestimentis præferri.* Quarta causa est, Incommoditas, puta si res alienanda plus incommoditatis, quàm commoditatis Ecclesiæ afferat: quia v.g. multùm distat, argum. c. terrulas, 12. quæst. 2.

4 Positâ vnâ ex his causis, solemnitas ad alienationem requisita in his consistit: I. Est, Vt præcedat tractatus cum Capitulo; id est, discutiatur, num expediat rem alienari, nécne, iuxta c. sine distinctione, 12. q. 2. & c. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis, in 6.

II. Vt accedat etiam consensus Capituli, iuxta c. 1. c. tua, & totum tit. de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli. Sufficit tamen, si maior pars Capitularium, qui tunc præsentes sunt, consentiat, sicuti ex communi docet Molina cit. disp. 468. §. tertiò dictum est. Cæterùm, etsi Capitulum ante alienationem non consenserit, vel etiam contradixerit, potest tamen eandem postea ratam habere, & alterum contrahentem ad contractus obseruationem compellere: quare *fauore Ecclesiæ contractus interim claudicat*, inquit Abbas in cit. cap. 1. & colligitur ex c. cùm nos, de his quæ fiunt à Prælatis, &c.

III. Vt interueniat auctoritas Prælati, id est, consensus eius, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, puta Episcopi, Abbatis exempti, Generalis Ordinis, iuxta c. 1. De his quæ fiunt à Prælatis, &c. Quòd si Abbas Episcopo subiectus sit, etiam Episcopi consensus requiretur: idémque sentiendum de quouis inferioris Ecclesiæ Rectore, qui si Collegium siue Capitulum Clericorum non habeat, sufficit ad alienationem ipsius consensus, cum Episcopi auctoritate, teste Abbate in cit. c. 1. Sin verò Ecclesia inferior Rectore careat, constituendus est ei administrator, priusquam Episcopus alienatione faciendæ auctoritatem præbere possit, vti habetur in c. 1. de rebus Eccles. alien. vel non, in 6. & notat Abb. in cap. 1. Ne sede vacante, &c. n. 7.

Porro sciendum hîc est, non requiri consensum expressum; sed sufficere tacitum, qui fit cum scientia, & patientia eius quod agitur: talémque consensum, atque alias extrinsecè requisitas solemnitates interuenisse, præsumi debet ex diuturnitate temporis, præsertim immemorialis, etsi in instrumento nulla earum mentio reperiatur. quod singulariter notandum ex Petr. Ancharano consil. 139. docent Felinus in c. sicut, n. 30. & n. 33. §. contrarium, de re iudicata, Ioseph. Mascard. volum. 1. de probat. concl. 75. 108. & 417.

IV. Requisitum: Vt fiat subscriptio à Capitularibus, iuxta c. tua, de his quæ fiunt à Prælatis, &c. idque saltem in alienatione propriè dicta, per quam rei dominium transfertur. Quamquam neque in hac vbique id consuetudo obseruat, teste Abb. cit. c. 1. Armilla ver. alienatio, n. 6. qui ait, satis esse, si subscriptio manu Notarij fiat.

Quod si rei Ecclesiasticæ alienatio contra iuris terminos facta sit, ipso facto irrita censetur, iuxta c. si quis, de rebus Ecclesiæ alien. vel non. Et non tantùm Capitulũ, siue Ecclesia, sed ipsemet quoq; Ecclesiæ prælatus rem à se malè alienatã repetere potest, allegans propriã turpitudinem; teste Abb. cit. c. si quis, Nau. lib. 1. consil. 20. de rescriptis. edit. 2. Quia licet ordinariè non liceat contrauenire facto proprio, & allegare propriam turpitudinem; exipitur tamen, nisi id fiat ob causam necessariam ad animæ salutem; vel nomine Ecclesiæ, aut Reipubl. Is autem, cui alienatio facta fuit, rem ipsam cum omnibus fructibus, in foro externo restituere compellitur, iuxta cit. l. iubemus, C. de sacrosanctis Ecclesiis, &c. non liceat, 12. q. 2. Poterit tamen tunc emptor v.g. contra Prælatum malè alienantem agere ad recuperandum pretium; si bona fide, & sine dolo emit: imò & ab ipsamet Ecclesia repetere, quatenus locupletor inde facta fuit. Qua de re vide Abb. in cit. c. si quis, ad finem, Syl. q. 14. Denique si rei Ecclesiasticæ alienatio facta sit in casu licito, & cũ præscripta solemnitate, tunc valida quidem est: attamen si exinde Ecclesia enormiter læsa reperiatur, competit ei beneficium restitutionis in integrum, de quo dicam cap. seq. & videri potest Abb. in c. fraternitatem, n. 5. de donat. Vide quæ in simili de pupillo & Minore contrahente docui cap. præced. in fine.

Cæterùm his, quæ hactenus dicta sunt, irritam esse alienationem rei Ecclesiasticæ, factam sine iusta causa, aut sine certa solemnitate; quædam declarationes siue limitationes adhiberi debent: I. Si Ecclesiæ Rector, Parochus, Canonicus, aliúsue beneficiatus habeat ius ex prædiis Ecclesiasticis percipiendi reditus in propriam vtilitatem; & non tanquam administrator in vtilitatem fratrum, aut Ecclesiæ fabricam; tum nihil obstat, quominus ea sine solemnitate ad longum tempus, vel ad vitam suam locare possit. Cùm enim talis locatio morte locantis expiret, nullum exinde periculum Ecclesiæ, vel successori imminet, sicuti singulariter annotauit Abb. in cap. 2. de his quæ fiunt Prælatis, &c. & in c. veniens, n. 1. de transact. vbi ait, quòd *Rector Ecclesiæ siue Curatus potest contrahere super rebus Ecclesiæ, sine auctoritate Superioris, ità vt contractus valeat tempore vitæ suæ.* Accedit alia ratio, quòd in locatione eiusmodi iuris beneficiarij ad tempus longum non transfertur dominium vtile beneficij; sed sola commoditas siue ius percipiendi reditus nomine ipsius beneficiarij, dum is viuit, sicuti annotauit Molin. cit. disp. 466. §. in tertio autem euentu. Sin verò Abbas, vel quiuis alius Administrator Ecclesiæ prædium locet, non expirat locatio morte locantis, sicuti notauit Couar. 2. resol. cap. 15. n. 6. Molin. cit. disp. 466. Syl. ver. Simonia, q. 14. Quamobrem interdictum ei est, ne ad longum tempus, videl. ad decennium, vel ampliùs locet. Imò Paulus II. in extrauag. ambitiosæ decreuit, vt locatio etiam vltra triennium inualida, & canonicis pœnis obnoxia esset: quam tamen constitutionem pluribus locis receptam non esse, monet Caiet. ver. excommunicatio, cap. 75. Nauar. cap. 27. num. 149. Tolet. lib. 5. cap. 91.

II. Prælati, sine dicta solemnitate, alienare possunt res Ecclesiæ modicas, & parùm vtiles; tametsi immobiles sint, arg. c. terrulas, 12. q. 2. & docet Mol. disp. 468. §. licet prædictæ, Sa ver alienatio, n. 7. aliique communiter.

III. Licet Prælatus, absque Capituli consensu, aliisque solemnitatibus Ecclesiæ obesse, ac præiudicare non possit in bonis, aut iuribus acquisitis, vt suprà dictum; nihilominus solus Prælatus, sine consensu Capituli, & solemnitate, obesse ac præiudicare Ecclesiæ potest in bonis ac iuribus acquirendis, iisque validè renuntiare, sicuti notat Gl. recepta c. vlt. 16. q. 6. & Legistæ in suprà cit. l. iubemus, Abbas & Canonistę in c. tua, de his quę fiunt à Prælatis, Syl. ver. alienatio, n. 18. Nam *aliud est nocere, aliud vero est non prodesse*, arg. l. si sponsus, §. si maritus hęres, ff. de donation. inter virum & vxorem. Quapropter Prælatus validè repudiat donationem 6

Ecclesiæ suæ oblatam; & Abbas, cùm Nouitium suscipit, validè renuntiat hæreditati, quæ post eius professionem & mortem patris v.g. Monasterio obuentura esset, vti docet Sanchez lib. 7. moral. c. 6. n. 4. Veruntamen his casibus Prælatus Ecclesiæ obligatus manet, si officio administrationis suæ malè functus, illius vtilitati non prospexit, iuxta c. 2. causa 12. q. 4. & docet Abb. in c. 1. n. 9. de in integr. restitut. Syl. l. c. Less. lib. 2. c. 24. dub. 10. n. 65. Sanch. lib. 6. disp. 4. n. 15. Quia Prælatus habet se ad Ecclesiam tanquam tutor seu curator, secundùm Gl. in c. auditis, ver. iure minoris, de in integrum restitut.

Vide etiam Nauar. cons. 2. de Regul. n. 32. vbi similem regulam tradit de Regularibus; Quòd Monachus Monasterio prodesse potest, non tamen obesse in iure quæsito; puta si rem sibi testamento legatam absque Prælati sui licentia acceptet; peccat quidem, sed acceptatio valet, & legatum Monasterio acquiritur, secundùm Abb. in c. cum ad Monasterium, n. 1. de statu Monachor. Sin autem legatum absque consensu repudiaret, non valeret repudiatio. At verò in iure quærendo non tantùm prodesse potest; sed etiam obesse, videlicet si donationem sibi faciendam respuat.

Præterea licet Prælatus absque Capituli consensu obesse non possit alienando res Ecclesiasticas; potest tamen obesse in iudicialibus, sinendo aduersus Ecclesiam ferri sententiam; item in vsucapionibus, sinendo res Ecclesiæ ab altero tēporis diuturnitate vsucapi. Quamuis in vtroque casu apparentis læsionis restitutio in integrum intra quadriennium conceditur, sicuti docet Abb. in c. 1. n. 9. de præscript.

7 QVAESTIO PRIMA. Vtrum Prælatus sine consensu Capituli renūtiare possit hæreditati, vel legato rei immobilis, aut mobilis pretiosæ? Ita affirmant Abb. in cit. c. tua, n. 8. Menochius de arbitr. Iudicum qq. lib. 2. casu 171. n. 52. Sanchez cit. disp. 4. n. 12. propterea quòd hæc non sit alienatio, sed potiùs non acquisitio. Contrarium docet Mol. disp. 468. §. dubium est, & alij apud Sanchez. Quia licet ante hæreditatem aditam ius in re siue dominium Ecclesiæ acquisitum non sit, est tamen acquisitum ius ad rem. cui iuri Prælatus sine Capituli consensu renuntiare non posse videtur: cùm eiusmodi iuris abdicatio alienationis speciem censeri debeat in causa Ecclesiæ fauorabili, sicuti etiam de pupillo statuitur in l. magis puto, §. si pupillus, ff. de rebus eorum qui sub tutela, &c. quòd *fundum legatum repudiare pupillus sine tutoris auctoritate non potest*. In aliis verò prohibitoriis edictis certum est, nomine alienationis non comprehendi repudiationem legati, aut hæreditatis, sicuti constat ex l. si sponsus, ff. de donat. inter virum & vxorem, vbi permittitur marito repudiatio hæreditatis, aut legati, vt vxori obueniat: & in l. qui autem, ff. quæ in fraudem creditorum, vbi repudiatio legati, vel hæreditatis non censetur alienatio facta in fraudem creditorum. Puto igitur, hanc quæstionem valde dubiam esse. Quòd si amplecti velimus primam probabilem, & cōmuniorem opinionem; dicendum tamen est, Ecclesiæ in hoc casu competere beneficium restitutionis in integrum, ratione lucri cessantis, propter negligentiam, & malam administrationem Prælati, sicut ex communi docet Sanchez n. 15. vbi bene ait; In optione Ecclesiæ tunc esse, agere contra Prelatum, vel petere in integrum restitutionem.

8 QVAESTIO SECVNDA. Vtrum, quæ alienari iure prohibentur, vsucapi tamen possint? Respondeo cum Abb. in c. cùm non liceat, n. 7. de præscript. Vel alienatio simpliciter prohibetur fauore ipsius rei; tunc tacitè etiam vsucapio impeditur; qua ratione dum fundus dotalis sub mariti administratione est, & vxor agere prohibetur, vsucapio inchoari non potest, l. si fundum, ff. de fundo dotali, l. in rebus, C. de iure dotium. Similiterque, dum bona filij aduentitia penes patrem sunt, & filius pro iis agere impeditus est, vsucapio incipere nequit, l. 1. C. de annali exceptione, & notauit Abb. in c. 2. n. 11. de præscript. Dico *incipere non posse*: Si enim antè cœpta vsucapio rei, postea in statū perueniat, quo vsucapi non potest, v.g marito in dotem tradatur; vsucapio interim suspenditur, ac veluti dormit, vt suprà explicaui tr. 1. c. 7. n. 19. Vel alienatio rerum non est simpliciter prohibita, sed potiùs limitata, vt fiat cum certa forma ac solemnitate; prout videre est in rebus Ecclesiæ, & Minorum: atque has vsucapi interdum nihil obstat, sicuti annotauit Gl. in l. vlt. C. In quibus causis restitutio non est necessaria, vbi ait: *Quædam etsi alienari validè non possunt*, (puta sine certa solemnitate) *tamen vsucapi posse*.

QVÆSTIO TERTIA. Si Prælatus in ordinatione 9 sui Papæ iurauerit, se bona Ecclesiæ non alienaturum, quousque eiusmodi iuramentum se extendat? Respondeo cum Abb. in c. vt super, de rebus Ecclesiæ alienan. Syl. ver. alienatio, q. 16. Iuramentum hoc duobus modis formari potest: Vel simpliciter non alienaturum; vel non alienaturum inconsulto Papa. Primo modo, intelligitur iuramentum de alienatione illicita, vt perinde sit, ac si Prælatus iurasset, se bona Ecclesiæ non alienaturum sine iusta causa, & præter iuris formam. Secundo modo, extenditur etiam ad alienationem alioquin licitam, & iure concessam, sicuti fusè ostendit Nauar. in cit. loco, & colligitur ex verbis *Possessiones ad mensam meam pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignerabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ; inconsulto Romano Pontifice*. Excipitur tamen casus magnæ necessitatis, quæ tantam dilationem non patiatur, vt Papa, aliúsue Superior prius consuli possit. *Et hoc nota*, inquit Syluester q. 17. *quia facit pro exemptis habentibus Superiorem in locis remotissimis*.

Porrò, tametsi Couar. 2. resol. c. 16. n. 2. arbitretur, 10 Prælatum, qui iurauit, se non alienaturum inconsulto Papa, posse nihilominus sine periurij periculo prædium Ecclesiasticum locare ad longum tempus, Papa non requisito; eò quòd *iuramentum stricti iuris atque interpretationis esse debeat*, arg. c. penult. de iureiurando. Contrarium tamen est probabilius, quod docet Mol. disp. 466. §. ex dictis, Abb. c. intellecto, n. 9. de iureiurando. Nam *iuramentum simpliciter prolatum intelligi debet secundùm materiam subiectam, & secundum iuris dispositionem*, ait Syl. l. c. Atqui alienationis nomen in materia subiecta locationem quoque ad longum tempus ex iuris dispositione comprehendit, sicuti constat ex c. ad audientiam, de rebus Eccles. non alien.

Hoc tamen rectè infertur: Prælatum, qui iurauit, se non alienaturum inconsulto Papa, posse nihilominus alienare res modicas, aut Ecclesiæ parùm vtiles, teste Abb. in cit. c. vt super, n. 15. Quia tales res in hac materia non censentur comprehensæ nomine alienationis, solemnitatem aliquam, vel consensum postulantis.

Atque hæc dicta intellige, considerata const. c. nulli, aliorumque iurium antiquorum. Interim nouum negotium facessit Constitutio extrauagans Pauli II. *Ambitiosæ*, in qua sub pœna excommunicationis, &c. omnis bonorum Ecclesiasticorum immobilium, ac mobilium pretiosorum alienatio prohibetur, adeò stricta acceptione, vt etiam locationem & conductionem vltra triennium comprehendat; atque ita simpliciter & absolutè, vt nisi consulto prius, ac facultatem concedente summo Pontifice, nulla talis alienatio fieri queat; & aliter facta irrita existat. Ita enim hanc extrauagant. intellexerunt Guil. Redoanus de rebus Ecclesiæ non alienandis, rubr 8. n. 50. Less. lib 2. c. 24. n. 64. Cæterùm testantur Syl. ver. excommunicatio 7. n. 83. Nau. lib. 3. con-

sil. 10. eod. tit. edit. 2. & c. 27. man. n. 149. Couar. 2. resolut. c. 16. n. 6. extrauag. istam pluribus locis secundùm hūc rigorem receptā non esse. Id verò intelligo, quoad pœnas siue censuras; & quoad locationem vltra triennium. Alioquin verò ab Episcopis, & aliis Prælatis, qui à Papa confirmantur, iuramentum exigi solet, non alienaturos Papa inconsulto.

11 QVÆSTIO QVARTA. Quid de summo Pontifice sentiendum, vtrum bona Ecclesiæ arbitratu suo alienare possit? Respondeo cum Nauar. comment. de spoliis clericorum, §. 2. & 3. Licet Papa canonici iuris solemnitatibus, absolutè loquendo, astrictus non sit, sicuti alij Prælati; tamen & ipse naturali, ac diuino iure prohibetur alienationes inutiles efficere: cùm bonorum Ecclesiæ non dominus, sed summus administrator à Christo constitutus sit, non ad dissipandum, sed ad dispensandum. Quare ita distinguit Nau. cit. §. 3. n. 8. iuncto §. 15. n. 4. Quòd alia alienatio rerum Ecclesiasticarum facta à Papa est iusta, & valida: quæ videlicet rationabili causa nititur: alia est valida, & non iusta, si absque rationabili causa res vnius Ecclesiæ in aliam Ecclesiam, aliúmue pium vsum transferatur: alia denique neque iusta, neque valida, si res Ecclesiæ sine rationabili causa in vsus profanos alienentur, v. g. laicis sine iusta causa donentur.

12 Denique quod attinet ad pœnas canonicas, videri potest c. 2. de rebus Ecclesiæ non alienandis, vbi variæ suspensiones ponuntur aduersus clericos, qui immobilia bona aut iura Ecclesiarum laicis, sine consensu Capituli, & licentia Papæ, subiiciunt: & contractus talis ipso iure irritus pronuntiatur. Et Clem. 1. eod. tit. vbi censura suspensionis ab officio ipso iure lata est in Religiosum, qui Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, aut cuiuis administrationi præsidens, eiusdem iura, reditus, aut possessiones alicui ad vitam eius, aut ad certum tempus concedit: nisi necessitas, vel vtilitas exposcat, & Conuentus, vel, si Conuentu caret, proprij Prælati consensus accedat.

CAP. XI.

De in integrum restitutione Minorum, Ecclesiæ, &c.

SVMMARIVM.

1 *Beneficium restitutionis in integrum competit minoribus XXV. annis, si ex quocunque contractu, aut quasi contractu læsi sunt.*
Restitutio in integrum conceditur, si aliud remedium suppetat contractum reuocandi.
2 *Minor, itemque Ecclesia non tantum in damno emergente: sed etiam in lucro cessante restituuntur.*
Facilius tamen conceditur restitutio propter damnum, quàm propter lucrum cessans.
3 *Ecclesia iure Minoris fungitur in restitutionis beneficio.*
4 *Quadriennium continuum hodie conceditur ad petendam in integrum restitutionem.*
Si Minor contractum iuramento firmauerit, non conceditur ei restitutio: secùs dicendum de Prælato Ecclesiæ.
5 *Respublica etiam Minorum iure gaudet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest.*
6 *Etiam maiores natu interdum restituuntur: sed hæc restitutio differt ab ea, quæ fit Minori, Ecclesiæ, Reipublicæ.*
7 *Rescisso contractu emptionis ac venditionis, qui iusto pretio celebratus erat, fructus interim percepti ad emptorem spectare debent.*

RESTITVERE, (inquit Gl. in c. auditis, de in integrum restitut.) est, reducere aliquem in eum statum, in quo erat ante læsionem. Nam Prætor hominibus in contractu, vel alia sua actione læsis, aut deceptis, naturali æquitate motus, cognitâ causâ, subuenit, restituendo eos in integrum, l. 1. ff. de in integrum restitutione. Conceditur autem beneficium istud restitutionis, si *nulla alia actio competere possit: nam si* aliquis *communi auxilio, & mero iure* ciuili *munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium* Prætoris *auxilium*, l. in causæ, 2. ff. de minoribus xxv. annis. & notat Gl. in c. 1. & c. constitutus, ff. de in integrum restitut. Verùm, si læsio spectatis circumstantiis secundum boni viri arbitrium modica sit, tunc extraordinarium istud auxilium tribuere non conuenit, sicuti constat ex l. scio, ff. de in integrum restitut. & c. penult. de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, iun. Gl. ver. enorme, & docet Abb. in c. 1. n. 2. de in integrum restit. Hinc dici solet, quòd *minima non curat Prætor.* Vide Cou. 1. reso. c. 3. n. 11.

Beneficium restitutionis inprimis conceditur omnibus ætate minoribus, id est, qui annos xxv. ætatis non compleuerunt, si ex contractu, aut quasi contractu, (quamuis institutus sit cum patris, vel tutoris consensu, imò etiam Iudicis decreto interueniente) læsi sint, sicuti constat & l. 1. & toto tit. ff. de minoribus. 1
Ratio affertur in cit. l. 1. *Cùm inter omnes constet, fragile esse atque infirmum huiusmodi ætatum consilium, & multis captionibus suppositum.* Excipe I. Si Minor, antequam cum curatoris sui, aut Iudicis requisita auctoritate contraxit, veniam ætatis impetrauit, tanquam ætate maior reputatur, ideóque restitutionis beneficio priuatur. Vide l. 1. C. de iis qui veniam ætatis. Excipe II. Si maior factus, id est, post exactum xxv. ætatis annum, ratificet ea, quæ in minore ætate gesta sunt, restitutionis petendæ beneficium amittit, l. 1. C. si maior factus ratum habuerit. Quòd si autem impubes absque tutoris auctoritate; vel pubes minor xxv. annis sine consensu curatoris sui contraxit; vel vterque sine Iudicis decreto rem immobilem, aut mobilem pretiosam, quæ seruari potuerat, alienauit; locus non est beneficio restitutionis: eò quòd contractus ipso iure irritus, ideóque Iudicis officio rescindendus sit, l. in causæ, 2. ff. de minoribus, l. 3. C. de in integrum restit. l. 2. C. de prædiis minorum, & notat Gloss. in c. 1. de in integrum restit. ver. redire, Mol. tom. 2. disp. 573. §. dictum est.

Exempla restitutionis sunt: I. Si Minor ex contractu emptionis, aut venditionis debita cum solemnitate instituto læsus fuit, quia vendidit rem minoris iusto; vel emit iusto pluris, quamuis infra dimidium pretij iusti: restituendus erit, pretium contractus ad æqualitatem reducendo. Sin autem læsus fuit, quia non expediebat ei rem vendi, aut emi; rescindetur contractus Prætoris officio, & dabitur ei actio aduersus quemuis rei venditæ possessorem, iuxta l. in causæ, 1. §. interdum, ff. de minoribus, & docet Abb. in cap. constitutus, num. vlt. de restit. in integrum, Gomez 2. resol. c. 14. num. 7. Less. lib. 2. c. 17. dub. 9. num. 63. Mol. to. 2. disp. 573. §. vtrum autem.

II. Si Minor rem alicuius momenti donauit, quamuis cum tutoris, seu curatoris consensu, censetur læsus, & restitutionem petere potest; nisi ob rationabilem causam donârit, puta iustæ remunerationis causa: vel si consuetas sponsalitias donationes, nuptiarum gratia, fecit. Tunc enim prætextu ætatis non restituitur, iuxta l. 1. C. si aduersus donationem.

III. Si Minor ob negligentiam tutoris, curatoris, vel procuratoris non producentis v. g. in iudicio probationes necessarias, læsus fuit, competit illi beneficium restitutionis in integrū, sicut cōstat ex l. etiā, ff. si tutor, vel curator, &c. Idēque locū habet in Ecclesia, quippe quę iure minoris fungitur. idque colligitur ex c. 2. de in integ. restit. vbi id notat Gl. ver. restituimus, in fine, Abb. num. 19. vbi aiunt, in tali casu optionem dari Minori, vel Ecclesiæ, agere contra tutorem, procuratorem, ad interesse; aut petere restitutionem in integrum. Cùm

tamen maior natu, si v.g. acta iudicij ob procuratoris negligentiam rescindi, aut renouari petat, ordinariè non audiatur; sed sibi imputare debeat, quòd negligentem procuratorem constituerit; quare hoc casu contra ipsum duntaxat procuratorem actio mandati competet: Si tamen is soluendo non sit, restitutionis beneficium causâ cognitâ concedetur, l. cum mandatu, ff. de Minor. & notat Gl. in c. 2. ver. restituimus, de in integ. restit. Gaill. lib. 1. obseruat. 45.

2 IV. Si Minor, quamuis auctore tutore, vel curatore, hæreditatem minùs lucrosam adiit, vel legatum, aut hæreditatem sibi vtilem repudiauit, restitui debet, l. ait Prætor, §. non solùm, 2. ff. de Minoribus. Ex quo, & seq. §. habetur; Minorem non tantùm in damno; sed etiam in lucro cessante restituendum esse: Quod etiam in restitutione Ecclesiæ locum habet, teste Gloss. in c. auditis, de in integrum restit. Abb. c. constitutus, n. 5. eod.

Ex multorum tamen sententia notat Molin. tom. 2. disp. 573. §. illud verò, Restitutionem eius læsionis, quæ in damno emergente consistit, magis priuilegiatam esse, pleniúsque fieri, quàm si læsio in lucro cessante consistat: Tunc enim restitutio non conceditur, nisi res (v. g. hæreditas repudiata) adhuc integra sit; secùs, si distracta à substituto. Idémque sentiendum, si beneficium Ecclesiasticum à Minore repudiatum alteri collatum fuerit: Sin verò alteri collatio nondum facta, interdum restitui potest, si ipsi, & Ecclesiæ vtile fore videatur, secundùm Gl. in c. ex parte, ver. quamuis minor, ibid. Abb. num. 16. de restit. spoliator. Deinde, si Ecclesia de lucro cessante agat aduersus alteram Ecclesiam, cui lucrum illud acquisitum iam est, præferetur illa altera Ecclesia, tanquam in possessione existens, & certans de iure acquisito non perdendo, sicuti notauit Sanchez lib. 6. disp. 4. n. 15. Nam Ecclesia contra Ecclesiam, quippe pariter priuilegiatam, non restituitur, si ex tali restitutione altera Ecclesia pariter, aut magis lædenda sit, per ea quæ docet Abb. in cit. c. auditis, n. 8.

Verùm in delictis Minor non restituitur, si dolo commissa sunt; secùs, si per culpam, l. 1. C. si aduersus delictum: Etenim malorum mores infirmitas animi non excusat. Non censetur autem dolo commissum, si ætate infans sit, aut proximus infantiæ, teste Claro lib. 5. sent. §. fin. quæst. 60. num. 4. Deinde si Minor crimen in iudicio confessus fuerit, cùm sola indicia, aut semiplena probatio adesset, aduersus propriam confessionem, veluti læsus, in integrum restitui debet, sicuti docet Mynsinger cent. 3. obseruat. 81. Mol. tract. 3. disp. 36. num. 3.

3 Secundò conceditur restitutionis beneficium Ecclesiæ, sicuti constat ex tit. decret. de in integrum restitut. extra, & in 6. Nam *Ecclesia iure Minoris fungitur*, c. auditis, eod. tit. Nomine autem Ecclesiæ omnia pia loca comprehenduntur, iuxta l. omnia, Cod. de sacros. sanctis Ecclesiis, & notauit Abb. in c. 1. num. 15. de restit. in integrum. Si verò personæ Ecclesiasticæ in propriis bonis, aut iuribus læduntur, non competit eis restitutionis beneficium: quia *cessat tunc communis fauor Ecclesiæ*, ait Abb. in cit. loco. Deinde, si alienatio bonorum Ecclesiæ immobilium, aut pretiosorum mobilium sine iusta causa, aut requisita solemnitate instituta sit, locus etiam non est restitutioni: cùm alienatio ipso iure positiuo irrita, ideóque Iudicis officio rescindenda sit, sicuti ex suprà dictis constat, & videri potest Gl. in cit. c. 1.

4 Porro cùm hodie continuum quadriennij spatium concedatur ad petendam restitutionem ex quacunque causa, iuxta l. vlt. Cod. de temporibus in integrum restitutionis; quadriennium istud in restitutione Minorum inchoatur ab ætate legitima, siue exacto XXV. ætatis anno, sicuti dixi hoc lib. tract. 1. cap. 8. num. 21. In restitutione verò Ecclesiæ, &c. incipit à tempore factæ læsionis, sicuti constat ex c. 1. de restit. in integrum in 6. Excipe, nisi iusta causa postulare videatur, vt etiam post elapsum quadriennij tempus, Ecclesiæ, vel Reipub. restitutio concedatur, sicuti notauit Gl. in c. 1. hoc tit. in 6. & Abb. c. cum ex literis, num. 10. & seqq. extrà, eod. Mol. to. 2. disp. 574.

Tales causæ sunt: I. Si læsio valde enormis sit, secundùm viri boni arbitrium, teste Gl. & Abb. in c. 1. de in integrum restitut. num. 2. Couar. 1. resol. cap. 3. num. 11. Less. cap. 17. num. 66.

II. Si inculpata ignorantia, aliúdve iustum impedimentum obstitit, quominus intra quadriennium restitutio peteretur: quia legitimè impedito non currit tempus iure definitum, arg. c. 1. & 2. eodem tit. in 6. vbi dicitur; si Ecclesia spatio quadriennij beneficium restitutionis petere *negligenter omittat*, postea admittendam non esse. Ex quo collige, si læsio principio non apparuit, postea verò emergat, tēpus quadriennij inchoandum esse à tempore læsionis apparentis. Deinde colligit Gl. in cit. c. 1. in 6. quòd *quadriēnium non currit durante vita Prælati, qui malè administrauit, fuitque causa læsionis: sed eius successor poterit petere restitutionem post mortem prædecessoris intra quatuor annos.* Nam *delictum personæ debet in detrimentum Ecclesiæ redundare*, reg. 76. in 6.

Exinde aliud discrimen colligitur inter restitutionem Minoris, & Ecclesiæ: Si enim Minor pubes contractum à se celebratum spontaneo iuramento firmauerit, rescissionem postea, vel restitutionem petere non potest, iuxta Authenticam, sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem, &c. Sin autem Prælatus iurârit, se contractum seruaturū; non ideo Ecclesiæ præiudicat, quominus restitutionis beneficio frui possit, sicuti notauit Gl. in c. 1. de restit. in integrum, in 6. ver. contractum, Abb. c. 1. n. 16.

Tertio loco *Respublica Minorum* etiam *iure gaudet*, 5 *ideóque auxilium restitutionis implorare potest*, l. 4. Cod. Quibus ex causis Maiores, &c. Idque extendi potest primò, ad Principem, tanquam caput Reipubl. Qua de re Tholos. lib. 3. de Rep. c. 8. Secundò, ad vniuersitatem studiosorum: cùm in ea non pauci minores XXV. annis reperiantur, ait Abb. in c. 1. num. 15. de restit. in integrum, & videri potest Mol. disp. 574. Less. num. 67. Tertiò, ad vicos communitatem habentes, vt perinde ac ciuitates beneficium restitutionis in integrum petere possint, teste Gaill. lib. 2. obseru. 62. arg. l. 1. §. si hæres iussus, §. vicis, ff. de legat. 1.

Adde I. Quod interdum ob iustam causam etiam post quadriennium, numeratum à tempore læsionis, beneficium restitutionis in integrum Reipub. competere possit, sicuti suprà de restitutione Ecclesiæ dictum fuit. Ratio est, quia fauor publicus, quæ causa est restituendi Communitatem, semper manet. Quare alia ratio est de Minoribus, qui ob ætatis imbecillitatem restituuntur; ideóque, postquam maiores facti sunt, non ampliùs eis subuenitur, quàm intrà quadriennium: nisi vel militiam interim exerceant, vel Reipub. causâ absentes sint, aut alio legitimo impedimēto detenti, ob quod Prætor etiam natu maioribus subueniendum esse, causâ cognitâ, decernet, iuxta tit. ff. & Cod. Ex quibus causis maiores XXV. annis in integrum restituuntur, & tradit Abb. c. ex literis, num. 11. de in integrum restit. & in c. cum ex literis, num. 12. eodem tit. vbi discrimen affert inter restitutionem, quæ fit Minori, Ecclesiæ, vel Reipubl. & eam, quæ fit maiori natu; quòd ad illam sufficit interuenisse læsionem grauem: Minori enim læso propter ætatis imbecillitatem, secundùm quandam æquitatem Iudicis officio succurritur; Ecclesiæ autē ac Reipubl. propter publicum fauorem. Ad restituendum au- 6

tem maiorem natu, præter lesionem, requiritur causa iusta, ob quam Iudex, præsertim supremus, æquum esse arbitretur succurrere, iuxta l.1. Ex quibus causis maiores, &c. Videl. si læsus aliquis fuerit, per id tempus, quo Reipub. causa aberat, vel cùm in vinculis, seruitute, hostiúmve potestate esset: aut siqua alia iusta causa videbitur in integrum restituẽdi, spectata æquitatis ratione. Vt si aliquis enormiter læsus sit, propter ignorationem iuris valde obscuri aut dubij: quade re regula tradi potest. Si vnus certet de lucro capiendo, alter verò de damno vitando, error iuris obscuri excusationem tribuet, vt læso per in integrum restitutionem succurratur.

Adde II. Quod Ordinarius ex officio suo Ecclesiæ grauiter læsæ succurrere debeat, per restitutionem in integrum, etsi nemo sit qui petat, sicuti notat Abb. in cap. cùm venissent, num.9. de institut. Quemadmodum & Iudex Minori grauiter læso; idque ratione vtilitatis publicæ: at verò restitutio natu maioris potiùs conceditur ad instantiam partis, quàm ex Iudicis officio, sicuti docet idem Abb. in cit. c. ex literis, n. 11.

7 Ad extremum, si contractus v.g. venditionis celebratus ab Ecclesia, Republica, Minore, &c. per in integrum restitutionem rescinditur; ante omnia pretium emptori restituendum erit, vnà cum melioramentis. Alioquin vtitur iure retentionis, donec ipsi satisfactum sit, teste Abb. c.1. de in integr. restit. num.3. Id verò valde probabile est, quod docet Mol. disp.575. Less. dub. 10. num.70. fructus interea bona fide perceptos, ad emptorem, tanquam dominum, iure pertinere, neque rescisso venditionis contractu restituendos esse, si res iusto pretio vendita fuerat. Tunc enim Ecclesia, vel Minor læsus non fuit ratione perceptorũ fructuum; (cum acceptum pretium ad lucrum capiẽdum adhiberi etiam potuerit) sed tantùm ratione rei venditæ etsi aliter cum aliis pluribus doceat Couar. cit. c.3. num.1.

CAP. XII.

De Donatione.

SVMMARIVM.

1 *Propositum, promissio gratuita, & donatio inter se differunt.*

Promissio interdum ex sola fidelitate: interdum verò ex iustitia obligat promittentem.

2 *Donatio vna verbalis est, & altera realis.*

3 *Item alia est donatio inter viuos, & alia mortis causa.*

4 *Donatio mortis causa partim cum pactis conuenit: partim verò cum vltimis voluntatibus.*

5 *In dubio potiùs præsumitur donatio facta inter viuos: quam causa mortis.*

Expedit donatario, vt res donata ipsi statim tradatur, & donationi factæ testes adhibeantur.

6 *Vxor eleemosynas, aliasque donationes arbitratu suo facere non potest ex bonis dotalibus, aliisve, quorum administratio ad maritum spectat.*

7 *Filiusfam. ex bonis suis castrensibus, etiam inuito patre, donare potest, non item ex bonis aduentitijs, multò minus ex profectitijs.*

8 *Minores natu donationes, & sumptus moderatos facere non prohibentur: quamuis curatores inuiti sint.*

9 *Religiosus donare non potest: nisi administrationem aliquam habeat: vel licentiam à Prælato suo.*

10 *Si alicui personæ habenti administrationem bonorum, prohibitum sit donare, tali prohibitione non censetur prohibita donatio remuneratoria.*

11 *Donatio simplex coniugi facta à coniuge, non statim firma & irreuocabilis est: sed morte donantis confirmatur.*

Quibusdam tamen casibus statim valida donatio à coniuge facta coniugi.

12 *Similiter donatio simplex facta filiofamilias à patre, ante mortem reuocari potest.*

13 *Donatio à patre facta filio emancipato: item donatio filio sub potestate constituto facta ob causam, post mortem patris conferenda est.*

14 *Quæ pater filio donauit ad militiam, ad studia, ad decentem sustentationem, vel beneficij remunerandi causa, ea conferenda non sunt.*

Pater filium propria sufficientia bona habentem alere non cogitur.

15 *Donatio facta vltra solidos 500. iure Cæsareo non subsistit: exceptis quibusdam casibus.*

16 *Donatio omnium bonorum tum præsentium, tum futurorum irrita est: nisi facta sit Ecclesiæ, vel pauperibus.*

17 *Donatio legitimè perfecta ob magnam donatarij ingratitudinem reuocari potest.*

18 *Donatio liberis inofficiosa reuocari potest, licet iuramento confirmata fuerit.*

19 *Iusta causa reuocandi donationem magnæ partis bonorum, est inopinata susceptio prolis.*

20 *Æquitas interdum postulat, vt donationem Ecclesiæ factam Prælatus ob hanc causam remittat.*

21 *Renuntiatio hæreditatis nondum aditæ, quamuis delatæ, natiuitate liberorum non reuocatur.*

DEinceps in specie agendum erit de nominatis contractibus, & inprimis de donatione.

Ante omnia notandum, quòd hæc tria inter se differunt: Simplex propositum, promissio gratuita, atque donatio. Simplex propositum seu deliberata voluntas dandi aliquid, vel agendi in alterius gratiam, obligationem non parit, sicuti constat ex c. literarum, de voto, vbi id notauit Abb. num.2. ex doctrina S. Thom. 2.2.q.88. a.1. Promissio gratuita includit in se propositum dandi, vel agendi, teste S. Thom. in corp. cit. a.1. Addit verò deliberatam volũtatem alicui denuntiatam, se gratis obligandi ad præstandum quippiam, si ipsi acceptum sit: v. g. promitto me donaturum, mutuaturum. 1

Duplex est promissio: vna impropriè dicta; cùm intentio dicentis, se facturum aliquid in alterius hominis gratiam, solùm est ad obligandum se ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, secundùm quam in dictis constantes, veraces, ac fideles esse debemus: cuiusmodi constantiæ atque fidelitatis obligatio ex genere suo, atque per se loquendo, leuis est, & solùm sub peccato veniali, 3
sicuti docet Caiet. 2.2.q.113.a.1. Mol. tom.2. disput. 262. quamuis per accidens ratione euenturi damni possit esse grauis: Vt si alicui dicas, te pecunias ei mutuaturum ad frumentum emendum, & postea dictis non stes; fieri potest, vt exinde damnum incurrat, cuius tu causa existis.

Altera verò est promissio propriè dicta, cùm intentio promittentis est ex iustitia se obligare, ita vt alteri promissionem acceptanti ius & actio tanquam verè debitum promissum exigendi, saltem in conscientiæ foro acquiratur: & talis promissio ex genere suo obligat sub peccato mortali. Quamuis rectè monet Lud. Lopez lib. 2. de contract. c. vlt. §. at verò, Sanchez lib.1. de matrim. disp.5. num.24. Less. lib. 2. c. 18. dub. 8. num.56. longè maiorem materiam requiri ad mortalem iniuriam in violatione promissionis homini factæ, quàm requiratur in furto: quia malitia furti consistit in inferendo damno, quod homines magis iniquo animo ferunt; violatio autem gratuitæ promissionis consistit in lucro alteri non afferendo, quòd minùs homines æstimare solent.

Porro in dubio, an qui asseuerauit, se in alterius gratiam aliquid facturum esse, habuerit animum verè promittendi, atque ex iustitia se erga hominem obligandi; tum ex verbis colligi debet, tum ex adiunctis circumstantiis: si v.g. chirographum, vel testes adhibiti sunt: vel manus stipulatio intercessit. Denique notat Caiet. cit. q.88. a.1. promissionem, vti à simplici proposito distinguitur, non tantùm significari posse actu signato *oblige me ad id*; sed etiam actu exercito, *Faciam id*. Quamuis hoc ipsum verbum *faciam* æquiuocum est: quia significare etiam potest solum faciendi propositum, vel rem in effectu futuram esse. Quare nihil certi ex hoc verbo colligi potest, nisi ponatur cum conditionali: *Faciam, si & tu hoc feceris: Intrabo Religionem, ô Deus, si*

valetudinem mihi restitueris: tunc videtur esse potiùs promissio, vel votum (obligans ex genere suo sub mortali) quàm mera denuntiatio propositi, aut euentus.

Donatio dicta est, quasi doni datio, teste Iureconsulto in l. senatus, ff. de mortis causa donationibus. Donum autem est datum gratuitum, id est, quod neque ex iustitia debitum est, neque alteri vicissim aliquam obligationem siue debitum ex iustitia imponit. Interim tamen donationi non repugnat debitum siue obligatio gratitudinis. Hinc enim existit donatio ea, quæ dicitur remuneratoria: quamuis ea nonnihil recedat à proprietatibus donationis, vti inter alios annotarunt Clarus lib. 4. sent. ver. donatio, q. 3. Andr. Fachineus lib. 3. controu. iuris, c. 82. ex l. Attilius, aliàs Aquilius, ff. de donat. iunct. Gloss. ver. non meram, & l. 1. ff. de donationibus.

2 Duplex est donatio, sicuti præter alios notauit Less. lib. 2. cap. 18. dub. 2. Vna verbalis & imperfecta: Vt si dicam, *dono tibi equum meum*, vel *donatus sit tibi equus meus*, qui tamen absens est. Cuiusmodi donatio, licet rei donatæ dominium non transferat (lege ita disponente, vt non solus consensus cum titulo; sed traditio quoque ad acquirenda rerum dominia requiratur) parit tamen obligationem, & actionem personalem, etiam externo ciuili foro, vt suprà dictum cap. 2. Altera est donatio realis, & perfecta, in qua res, quæ donatur, etiam traditur, vt statim accipientis fiat.

3 Iterum diuiditur donatio, quòd alia est inter viuos, quæ nomen donationis magis propriè & absolutè sibi vendicat; *cùm is, qui donat, mauult habere illum, cui donat, quàm se*, sicuti constat ex cit. l. senatus. Altera verò est mortis causa donatio, *cùm quis habere se mauult, quā eum cui donat; magisque eum cui donat, quàm hæredem suum*, l. 1. ff. de mortis causa donationibus.

4 Conuenit mortis causâ facta donatio partim cum pactis & contractibus, videlicet secundùm formam, siue modum constitutionis suæ: Opus enim est, vt donatarius donationem mortis causa sibi factam, acceptet per se, vel per alium, cui pro altero stipulari iure concessum est, l. inter mortis, ff. eodem. Si enim nemine acceptante, donatio mortis causa fiat in testamento, vel codicillo, cẽseri debet legatum, iuxta l. si donatio, Cod. de donat. Partim verò, videlicet secũdùm effectus, conuenit cum vltimis voluntatibus, præsertim legato, sicut habetur in §. 1. Instit. de donat. Nam in donatione causa mortis, perinde ac in legato, locum habet Falcidia, l. cùm pater, §. eorum, ff. de legat. 2. l. si mortis, l. penult. Cod. ad l. Falcidiam. Item ius accrescendi, si duobus causa mortis donatum fuit, perinde vt in legatis, l. vn. §. vbi autem, & §. hæc autem omnia, Cod. de caduc. legatis. Præterea in donatione causa mortis, vtrum eius capax sit donatarius; sicuti & in legato, vtrum eius capax sit legatarius; attenditur secundùm tempus mortis, non autem factæ dispositionis, iuxta l. in mortis, ff. de mortis causa donat. Quin & ipsius mortis causa donantis, sicuti & legantis in codicillo, capacitas tempore mortis consideratur, sicuti colligitur ex l. 1. §. sed si filiusfam. iunct. Gl. ff. de legatis, 3. Adde, quòd eo ipso mortis tempore dominium rei donatæ sine vlla traditione donatario acquiri censetur, l. 1. & 2. ff. de Publiciana. Denique sicuti omnis alia vltima voluntas; ita & donatio ob mortis causam facta, ante donantis mortem omnino firma non est; quominus per donatoris pœnitudinem vel ob donatarij præuenientem mortem reuocari possit, sicuti constat ex l. mortis causa, 16. l. si mortis causa, 29. l. qui mortis, 30. l. Senatus, 35. in fine, l. 32. ff. eod. cuius verba sunt: *Non videtur perfecta donatio mortis causâ facta, antequam mors* donatoris *insequatur*. Vide Clarum lib. 4. sent. §. donatio, q. 5. Gomez 2. resol. c. 4. n. 16. & 19. Couar. in rubr. de testam. p. 3. num. 27. & seqq. Mol. to. 2. disput. 288.

Differt tamen mortis causa donatio à legato, quòd legatum à testamento pendeat tanquam accessorium à principali. quare infirmato testamento corruit etiam legatum: stante autem testamento, legatum ab hærede præstandum est non antè, quàm is hæreditatem adiit. Sed donatio causa mortis à testamento, & hæreditatis aditione prorsus independens, ipsa donantis morte perficitur & confirmatur, sicuti docet Gl. recepta in l. legatum, §. penult. ff. de his quibus vt indignis, &c. adeò quidem, vt si res mortis causa donata donatario à donatore tradita fuerat, eius dominium plenè & irreuocabiliter ipsi tunc acquiratur, vt nulla actione opus sit: cùm ante mortem donantis acquisitum quidem ipsi dominium esset, quamuis reuocabile, l. si mortis causa, vbi Gloss. ff. eodem, & alia Gloss. l. sed interim, ff. de donat. inter virum & vxorem, vbi notatur, aliam rationem esse in donatione inter coniuges facta. Sin verò res mortis causa donata sit verbis tantùm, sed non tradita; tunc donatario post mortem donantis actio in rem veluti domino competit aduersus hæredem, vel iacentis hæreditatis curatorem, aut alium quemcunque possessorem, sicuti constat ex l. 1. & 2. ff. de Publiciana in rem actione, iun. Gl. & docet Gomez num. 17. Couar. in rubr. de testam. p. 3. num. 24. Mol. §. Quod etiam ad secundam.

Id verò specialiter statutum est in l. vlt. C. de donat. causa mortis: Vt ad solemnitatem & valorem donationis causa mortis quinque testes requirantur. quod intellige, si donator talis persona sit, quæ testamentum factura septem testium numerum adhibere debeat, & quinque ad codicillum, sicuti notat Molina loco cit. §. dictum est. Ideo autem ad valorem huius donationis, perinde atque ad vltimas voluntates, tantus testium numerus requiritur: quia in ea causa defuncti agitur, qui cùm seipsum defendere non possit, facilè esset dolos ac fraudes componere.

Donatio mortis causa duobus modis fieri potest, sicuti constat ex l. 2. & cit. l. senatus, §. mortis causa, ff. eodem. Primò, ob timorem periculi tunc imminentis, adeòque sub conditione expressa, vel tacitè intellecta, si ex hoc periculo morbi, aut periculosæ nauigationis, &c. mors secuta fuerit: tunc tali periculo cessante, statim reuocata censetur donatio, iuxta l. 2. & l. si mortis, 29. iunct. Gloss. ad l. 3. ff. eodem tit. & videri potest Gomez cit. cap. 4. num. 19. Secundò fieri solet donatio in euentum mortis donatoris absolutè: si videlicet donationis tempore nullum propinquum periculum mortis timeatur; vel etsi timetur, non tamen illud sit causa finalis donandi, sed tantùm impulsiua. Quamuis etiam hoc casu donatio reuocari potest, licet traditione completa sit; si vel donatarius ante donatorem moriatur; vel eo etiam viuente, per solam pœnitudinem donatoris; ita vt non tantùm res ipsa donata, sed etiam fructus tum percipiendi ex re, tum percepti, vel perceptorum æstimatio repetantur, l. cùm quis, ff. de condictione causa data, causa non secuta, & l. videamus, §. Idémque est si mortis causa, ff. de vsuris.

Porrò licet donator donationi mortis causa factæ conditiones præter eius naturam adijcere possit, v. g. vt donatio non repetatur, sed ad hæredes donatarij transeat, si is ante donatorem moriatur, iuxta l. si alienam, §. Marcellus, iunct. Gloss. ver. omnimodo, ff. de donat. mortis causa. Tamen si tali pacto mortis causa donetur, vt donatio nunquam reuocari possit: causa moriendi censeri debet tantùm impulsiua, & non propriè finalis; ideóque donatio inter viuos & absolutè facta: vt proinde inter coniuges subsistere non possit, neque ex tali donatione Falcidia detrahenda sit, sicuti habetur in l. vbi, ff eod. & docet Clarus §. donatio q. 4. Mol. disp. 287.

Sed & vniuersim loquendo, in dubio potiùs præsumendam esse donationem inter viuos, quàm mortis 5

causa

causa factam, tradit Gl. recepta in l. vlt. C. de donation. causa mortis, ver. indigere. Et ad contrarij probationem non satis est, si hæres ostendat donatorem infirmum fuisse, vel in mortis periculo constitutum, cùm donaret; sed ostendi debet, donationem in mortis tempus collatam, seu dependenter à morte donatoris factam esse: idque vel verbis expressis, vel saltem præsumptiuè, quia mortis mentionem in dispositione fecit. qua de re Nau. lib. 3 consil. 4. num. 9. de donat. edit. 2. Syluest. ver. donatio, 4. q. 3. Clarus lib. 4. sent. §. donatio, q. 4. num. 4 Mol. tom. 2. disp. 287. ad finem. Addit verò Nauar. Licet donator infirmus aliam conditionem apponat, tamen non dependentem à morte ipsius, v. g. donatæ tibi sint ædes meæ, nisi intra mensem reuocauero; censendam fore donationem inter viuos, quæ elapso tempore, & non facta reuocatione, simpliciter purificatur.

Ex dictis colligitur, multùm referre ad donationem tum inter viuos, tum mortis causa adiuuandam, si res donata donatario statim tradatur, ita vt accipientis fiat. Expedit etiam, vt donationi testes adhibeantur; quamuis cum discrimine: Nàm ad donationem mortis causa quinarius testium numerus per se requiritur, tanquam ad actus valorem, saltem secundùm considerationem legis ciuilis, iuxta ea, quæ dixi lib. 1. tractatu 4. cap. 16. num. 5. At verò ad donationem inter viuos testes duo, aliúdve probationis genus requiritur per accidens, ne res donata in externo foro ab hæredibus euinci possit. Verùm in conscientiæ foro tutus est donatarius, quamuis nulla probatione munitus, si sciat, aut credat defunctum animum donandi habuisse.

Nunc omissa donatione mortis causa, de donatione inter viuos est, QVÆSTIO PRIMA: Quinam, & ex quibus bonis donare possint? præcipuè autem dubitatur de vxore, filiofamilias, pupillo, Minore, Ecclesiæ Prælato, & similibus personis, quæ vel bona propria non habent, vel etsi habeant, eorum tamen administratio penes alterum est.

Quod ad vxorem attinet, respondeo & dico: Vxor eleemosynas, aliásque donationes arbitratu suo facere potest de bonis paraphernis, id est, quæ præter dotem marito allatam, sibi reseruauit, vt eorum administratio penes ipsam maneat: Non item de dote, aliísque familiæ bonis, quorum administratio ad maritum spectat, sine licentia eius expressa, vel præsumpta donare potest. Ita S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 2. Abb in c. si quis, num. 4. de furtis, Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 3. dub. 2. Nau. c. 17. man. num. 153. aliique communiter.

Posterior tamen pars assertionis limitanda est primò: Nisi bonorum illorum administratio vxori relinquatur, quia maritus absens est, vel prodigus, aut mente captus, sicuti docet Palud. in 4. d. 15. q. 3. a. 6. conclus. 2. Gabr. l. c. Nau. in man. c. 17. n. 154. Mol. to. 2. disp. 274. in fine, Vasq. tract. de eleemosyna, c. 4. n. 3. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 86. Less. lib. 2. c. 12. dub. 14. Lopez p. 2. instr. c. 24. §. sed adhuc.

Secundò: Nisi opum abundantia, vel pauperum grauis necessitas, aliáve iusta causa postulet, vt eleemosynæ, aliæve donationes, præsertim remuneratoriæ fiant: maritus autem ob auaritiam, vel imprudentiam intermittat, pro eo vxor facere potest, exemplo Abigail 1. Regum 25. & docent Palud. Gabr. vterque Nauar. Molina, Vasq. Lopez ll. cc. Angelus ver. eleemosyna, §. 7. Syl. num. 8. Armilla num. 7. Tolet. de peccatis mortalibus, seu lib. 8. instr. sacerd. cap. 29. Theodorus Peltanus de bonis operibus, lib. 1. de eleemosyna, c. 7.

Tertiò: Probabilis est sententia Medinæ C. de eleemosyna q. 4. De quibus bonis, &c. §. ex dictis. Lopez p. 2. instruct. cap. 24. §. potest etiam, Less. cit. dub. 14. num. 85. Molinæ disput. 274. §. equidem, contra D. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 19. §. 1. Nauar. cit. num. 153. Quòd vxor, etiam inuito marito, facere possit moderatas eleemosynas, aliásve donationes, maximè remuneratorias, spectata qualitate status sui, & quantitate allatæ dotis: præsertim si bona in coniugio acquisita secundùm morem regionis, aut pactum dotale, communia sint. Ratio est, quòd vxor non sit mariti ancilla, vel famula, sed socia, & domesticæ administrationis particeps, ac quasi compar: vt proinde maritus ea in re inuitus meritò esse non possit. Quia tamen ipsa marito, tanquam familiæ capiti, subiecta esse debet, ideo non potest eleemosynas, aliásve donationes superfluas arbitratu suo, & contra mariti voluntatem largiri, sicuti in assertione dixi.

Addunt Molina, Medina, Less. ll. cc. Petr. Nauar. nu. 88. Iniuriam marito non fieri, si absolutas donationes, aliósve sumptus, quos in largiores eleemosynas, sui ornatum, vel honestam recreationem vxor facere potuisset, propria parsimonia collectos, in pauperem v. g. consanguineum, vel nutricem suam, quamuis ipso inuito, conferat. Deinde, si vxoris parentes, aut filij ex priore matrimonio geniti miserè victitent, & maritus eis succurrere nolit: potest vxor, etiam eo inuito, ex dote sua, vel cōmunibus lucris necessarium ac debitum ipsis subsidium afferre: dummodo, cùm ad partitionem ventum fuerit, hæc in partem suam referat, sicuti docet Pet. Nau. lib. 3. c. 1. num. 159. Caueat tamen Confessarius, ne in eiusmodi rebus maiorem, quàm par est, fœminis licentiam tribuat: sed moneat eas potiùs, vt virorum suorum voluntati se accomodent, quatenus iustè possunt. Lege Molinam cit. disp. 275. §. nonnulla tamen.

Maior verò facultas marito, tanquam bonorum administratori, concessa est ex communibus lucris, (vbi matrimonium cum societate bonorum institui solet) suopte arbitratu, faciendi eleemosynas, & sumptus etiam superfluos, absque restituendi obligatione: si dos, & alia bona propria vxori salua maneant, sicuti ex Lupo in rubrica de donat. inter virum & vxorem docet Nau. num. 155. Lopez l. c. §. secundò dicitur. qui tamen rectè excipit, nisi superfluæ donationes frequentes, vel magna bonorum communium profusio ac dilapidatio in manifestam iniuriam vxoris cedant, non sine præsumpta fraude. Tunc enim maritus, eiúsve hæredes ad restitutionem vxori obligantur: vel ipsa quoque per occultam compensationem sibi, liberísque suis prouidere non prohibetur, si scandalum absit. quod etiam docent, Nauar. in man. c. 17. n. 154. Pet. Nau. lib. 3. c. 1. n. 114. Less. l. c. num. 87. Mol. §. media tamen. Quod multò etiam magis dicendum, si vxoris dos periclitari incipiat.

Quod ad filiumfam. attinet, respondeo & dico I. De bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus, etiam inuito patre, ad libitum donare potest: cùm plena eorum administratio ipsi competat. Adde, probabile esse, quòd filiusfam. de ijs bonis aduentitijs, quorum vsusfructus ad patrem non spectat, donare possit tum inter viuos, tum mortis causa, sine patris consensu, sicuti videre est apud Andr. Fachin. lib. 5. controu c. 25. 7

Dico II. Si ex bonis suis aduentitiis, quorum administratio & vsusfructus penes patrem est, contra eiusdem voluntatem donet, vel ludendo, aliáve ratione alienet, suprà dictum fuit cap. 8. n. 5. donationem infirmam, quippe à patre reuocabilem esse: quamuis interim filiusfamil. personaliter ex contractu obligatus maneat, ita vt si res à patre reuocetur, filius de euictione teneatur, sicuti monet etiam Less. lib. 2. c. 26. n. 35. Verùm tametsi alienatione bonorum aduentitiorum, contra patris voluntatem facta, damnum patri non sine iniuria aliqua inferatur, quandoquidem vsusfructus commodo priuatur, rarò tamen præsumendum est patrem tam seuerum in filium existere, vt eius damni compensationem sibi fieri postulet, sicuti notat Mol. t. 2. disp. 277. & 519. Quare neque is in conscientia restituere obligatus est, cui aliquid ex bonis aduentitijs à filiofamilias contra patris voluntatem donatione, ludo, vel alia causa traditum est: nisi pater

repetat; vel constet illum velle, vt restituatur.

Dico III. Donatio facta à filiofam. de bonis profectitiis absque patris expresso, aut tacito consensu, omni iure irrita est. Rectè tamen docet Sotus lib. 4. de iust. q. 5. a. 2. Nauar. cit. c. 17. n. 157. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 242. Si parens filio in Academia, aut Principis aula versanti sumptus mittat, censendum esse indulgere ei aliquid, v. g. ex centum aureis, quinque ad eleemosynas, aliásue donationes faciendas, & honestas animi recreationes, quas alij eiusdem status & conditionis exercere solent.

Addit Molina primò: Nihil contra iustitiam peccaturum, etsi hanc ipsam pecuniam, quam secundùm præsumptam patris voluntatem, in honestas recreationes, vel donationes expendere potuisset, malè absumat, v. g. meretricibus donet: eò quòd pater tunc inuitus non sit quoad rem insumptam, sed quoad insumendi modum.

Addit secundò: Etsi filius plus iusto contra patris voluntatem expenderit non sine iniuria; sæpe tamen præsumendum non esse, quòd parens restitutionem fieri postulet: nisi magnus impendiorum excessus in notabile reliquorum liberorum grauamen cedat: vel aliæ coniecturæ certò, vel probabiliter persuadeant, talem esse patris voluntatem. Hoc enim casu vera est sententia Bartoli in Authen. Quod locum, C. de collationibus, Syl. ver. peculium, 2. q. 9. Nau. n. 164. Quæ filius in Academia in ludos, alióse vanos vsus insumpsit, mortuo patre in partem hæreditatis legitimam numeranda esse. Tunc autem excessus notabilis æstimari debet, ideóque ad hæreditatis diuisionem necessariò conferendus; cùm prudentis viri arbitrio sumptus superant alimenta, quantumuis largiora, quæ pater vni filio præ aliis liberis condonare iure potest. Vide Lopez p. 2. c. 21. Sa ver. hæreditas, n. 45.

Tertiò addi potest: Si pater filio, versanti v. g. in studio literarum, certam pecuniæ summam, tanquam competentia alimenta, definiat: quicquid deinde propria parsimonia ex victu, aut vestitu sibi ipsi subtrahit, arbitratu suo donare, vel alia ratione alienare potest, sine restituendi obligatione: nisi constet aliam esse patris voluntatem. Vide Lessium lib. 2. c. 12. dub. 13. n. 77.

8 Quod attinet ad natu Minores, ij, præsertim si puberes sint, inuitis etiam tutoribus, vel curatoribus, facere possunt eleemosynas, & alias donationes, ac sumptus moderatos, secundùm statum, & facultates suas, sicuti ex communi testatur Molin. tom. 2. disp. 277. Sed etsi modum in ea re excesserunt, contra tutorum, vel curatorum voluntatem, peccant quidem, (quamuis rarò mortaliter, per se loquendo) & tutores repetere possunt, quæ donata, aut inutiliter expensa sunt: si tamen non repetantur, nihil restitui debet, sicuti suprà dictum cap. 9. n. 7. Adde, ipsos etiam tutores ac curatores ex bonis pupillorum, atque Minorum pro facultate patrimonij, & dignitate natalium eorum, eleemosynas & donationes remuneratorias facere non prohiberi, sicuti colligitur ex l. cùm plures, §. cùm tutor ff. de administr. tutorum, & docet Medina q. 4. de eleemosyna, §. 7. Sa, eod. n. 15. Mol. l. c.

9 Quod ad Religiosos attinet, illi in quadruplici differentia sunt. Quidam enim extra Monasterium viuunt, cum libera ipsis permissa bonorum, seu redituum administratione, v. g. Religiosi beneficiarij, qui de reditibus Ecclesiasticis æque, vt seculares beneficiati, inter viuos disponere, ideóque etiam eleemosynas arbitratu suo, licet inuito Prælato Ordinis, facere possunt, sine voti paupertatis violatione.

Quidam verò sunt Prælati Ordinum, ij ex bonis Monasterij, quorum administrationem habent, eleemosynas, & donationes remuneratorias, aliásque decente causa subnixas facere possunt, & sæpe debent: tamen secundùm facultates Monasterij, vel Conuentus, Ordinis, vel Ecclesiæ, cui præsunt, constitutionem, aut consuetudinem. Sin verò Monasterij, vel Ecclesiæ bona superfluis & illicitis donationibus dissipent, v. g. dando consanguineis suis, inualida est alienatio, & restitutioni obnoxia, vti docet Abulensis in cap. 6. Matth. q. 37. Nauar. in comment. 2. de Regul. n. 12. Molina to. 2. disp. 276. & videri potest Sanchez lib. 7. moral. cap. 19. quæst. 1.

Duo hoc loco obseruanda sunt: Primum ex Abbate in rubr. de donationibus, &c. per tuas, n. 2. eod. tit. Syluest. ver. donatio, 1. q. 3. Molina disp. 292. Si alicui personæ, cui bonorum administratio competit, prohibitum sit donare: ea prohibitione non censentur comprehensæ donationes remuneratoriæ: modò sint commensuratæ meritis, seu obsequiis: siquidem talis donatio, cùm sit compensatio beneficij antecedentis, recedit à proprietate donationis.

Exinde citati DD. colligunt, Prælatum Ecclesiæ, qui sine Capituli consensu, &c. bona Ecclesiæ alienare prohibetur, posse tamen sine eiusmodi iure requisitis solemnitatibus, facere competentes donationes, remunerandi causa, argum. c. si quos, 12. q. 2. Adeò quidem, vt Ecclesia, vel Minor restitutionem in integrum petere nequeat, ob donationem remuneratoriam, vel aliam similem, quæ honestè intermitti non potuit, vti colligitur ex suprà cit. §. cùm tutor, & docet Gomez to. 2. resol. c. 14. n. 1. Molina to. 2. disp. 573. §. Si minor. Rectè tamen obseruat ex communi Clarus §. donatio, q. 3. n. 2. Non satis esse in externo foro, vt is, cui alioquin donare prohibitum est, v. g. Ecclesiæ Prælatus, aliúsue administrator bonorum, in instrumento donationis asserat, ob merita donatum fuisse: nisi etiam ostendatur, re ipsa interuenisse merita, digna tali donatione. 10

Alterum ex Medina C. de pœnit. tract. 5. de eleemosyna, q. 4. ver. Pro Capitulo, Arrag. 2. 2. q. 32. a. 8. ver. Sed dubitabit aliquis: Si Ecclesiæ seu regularis, seu secularis Prælatus ex bonis Capituli, seu conuentus eleemosynam, aliámue donationem facturus, eiusdem Capituli consensum requirere debeat, spectata quantitate rei donandæ, ipsiúsque Ecclesiæ ordinatione, &c. eo casu distinguendum est, vtrum bona, quæ in eleemosynas, vel alias largitiones distribuenda, sint communia collegialiter, ita vt singuli è Communitate non habeant ius ad certam bonorum portionem: tunc sufficit consensus maioris partis Capituli, iuxta c. cùm in cunctis, De his, quæ fiunt à maiore parte Capituli. An verò bona sint communia particulariter, quorum certa portio singulis debita est, neque ad communem massam aliquid pertinet, quod non inter singulos seu æqualiter, seu proportionaliter distribuatur. & tunc requiritur consensus omnium, iuxta c. cùm omnes, de constit. iun. Gl. ibid. & reg. 29. in 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

Tertiò sunt Religiosi, qui Prælati non sunt, attamen bonorum Monasterij administrationem sibi commissam habent, vti sunt Procuratores, & Oeconomi. Hi eleemosynas, aliásue donationes, aut alienationes facere possunt, secundùm limites suæ commissionis; seu secundùm legitimam suorum Superiorum voluntatem expressam, aut rationabiliter præsumptam: si amplius aliquid expendant, aduersus paupertatis votum peccabunt. Qua de re videri potest S. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. Mendoza in quodlib. Theolog. q. 8. concl. 1. Tabiena ver. eleemosyna, q. 8. n. 9. Rodriq. to. 2. regular. qq. q. 57. a. 2. & to. 3. q. 29. a. 10. concl. 1. Sanchez lib. 7. moral. cap. 19. n. 92. & 93. Debent igitur attendere Administratores, partim quantam ipsis potestatem Superior seu immediatus, seu mediatus expresse commiserit: partim verò quid Ordinis constitutio, vel consuetudo permittat: siquidem Superior committens officium procuratoris, eo ipso censetur committere potestatem faciendi ea, quæ communiter Procuratores alij eiusdem Ordinis absque reprehensione facere solent.

Denique sunt Religiosi, qui sub obedientia Prælato-

rum Viuentes, nullam bonorum administrationem habent: ij nullas omnino eleemosynas, aliásue donationes facere possunt, sine licentia Prælati, iuxta c. cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, & c. non dicatis, 12. q. 2. Excepto vnico casu necessitatis extremæ, si pauper fame moriturus sit, nisi ipsi ex bonis Monasterij subueniatur, vti docet S. Th. cit. a. 8. ad 1. Tunc enim licet decens sit licentiam subueniendi à Prælato petere: tamen si is contradicat, nihilominus subueniri debet.

Alij verò casus sunt, quibus facilis præsumptio fieri potest Superiorem contentum esse, vt eleemosyna detur: Primus: Si pauper graui necessitate prematur, & Superior adiri non possit, vti docet Angelus ver. eleemosyna, §. 6. Syl. ibid. q. 5. dicto 2. Tabiena q. 8. n. 9. Secundus: Si Religiosus cum legitima licentia extra Monasterium degat v. g. in peregrinatione, aut studio literarum: potest tunc eleemosynas moderatas, aliásque remuneratorias donationes facere, quales alij eiusdem Ordinis & conditionis Religiosi solent, vti bene docet Azor tom. 2. lib. 12. c. 10. q. 3. Tertius: Si Religioso seu extra claustrum commoranti certa quantitas ad sustentationem assignata sit, eo pacto, vt suo damno, & commodo eam expendat, quod parciùs viuendo reliquum ipsi fuerit, ex præsumpta Superiorum voluntate in eleemosynas expendere potest, vti docet Nauar. consil. 3. de statu Monachorum, num. 46. edit. 2. Valentia to. 3. disp. 10. p. 3. corol. 5. Rodriq. to 3. q. 29. a. 10. concl. 3. Sanchez lib. 7. moral. c. 19. n. 100. Molina to. 2. disp. 276. ver. Religiosus in Conuentu.

11 QVÆSTIO SECVNDA. Quibus personis donari possit? Peculiariter verò dubitatur de donatione factâ côiugi, & liberis. Quod ad priorem donationem attinet, respondeo & dico: Donatio simplex & merè liberalis facta coniugi à coniuge, nô statim firma est: sed ad arbitriû donantis reuocari potest, iuxta l. 3. princ. & §. sciendum, l. sed interim, ff. de donationibus inter virum & vxorem, & c. vlt. extra eod. *Maiores nostri*, inquit Antoninus Augustus in cit. l. 3. *inter virum & vxorem donationes prohibuerunt: amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes, ne concordia pretio conciliari videretur.*

Veruntamen donatio inter coniuges facta, morte donantis confirmatur, si neque expressè, neque tacitè, v. g. facto diuortio, reuocata fuerat, sicuti constat ex cit. legibus, & l. res vxoris, l. donationes quas parentes, C. de donat. inter virum & vxorem. Sed requiritur, vt rei donatæ traditio antecesserit, sicuti habetur in l. Papinianus, ff. eod. tit. iun. Gl. margin. & docent DD. ferè communiter apud Clarum ver. donatio, q. 9. Nicol. Euerhard. to. 1. consil. 19. n. 26. Sanchez lib. 6. de matrim. disp. 14. nu. 6. Molin. to. 2. disp. 289. §. illud obserua. Accedit itaque hæc donatio quadantenus ad naturam vltimæ voluntatis: adeò, vt & Falcidia ex ea detrahi possit, iuxta l. cùm hic status, ff. eod. tit. l. in donationibus, C. ad l. Falcidiam: magis tamen retinet naturam & proprietatem pacti, donationis: quamobrem neque testium solemnitatem ad sui valorem requirit: deinde retro trahitur ad diem factæ donationis, vel potiùs traditionis, quod attinet ad fructus rei lucrandos, iuxta l. cùm pater, §. pater filiæ, ff. de legatis, 2. l. si mortis, 40. ff. de mortis causa donat. & cit. l. donationes quas parentes, iun. Gl. ver. referatur. Denique more aliarum donationum Iudicis consensum hæc donatio requirit, si 500. solidos excedat, iuxta cit. l. donationes quas parentes. vbi tamen exceptio habetur, nisi donationem excedentem coniunx mortis tempore expressè confirmet, valituram vt legatum, quod insinuatione apud Iudicem non indiget: habéntque hæc eadem locum in donatione patris erga filium. Plura vide apud Sanchez lib. 6. disp. 1. & 14.

Porrò dicta assertio extendi debet primò, vt locum etiam habeat in donatione facta inter sponsas, cum conditione à nuptiis pendente, id est, vt rei donatæ dominium non antè acquiratur, quàm nuptiæ secutæ sint, sicuti habetur in l. cùm hic status, §. si sponsus, ff. de donat. inter virum & vxorem, & l. quod spôsæ, C. de dona. ante nuptias. Ratio est: Nam sicuti institutio, vel donatio facta inhabili in tempus, quo habilis erit, valida est: sic è contrario facta habili in tempus, quo habilis non erit, inualida est, sicuti notant DD. in l. in tempus, ff. de hæredibus instituendis. Valet tamen donatio simpliciter facta sponsæ ante nuptias, etsi eadem die nuptiæ secuturæ sint, l. inter eos, ff. de donat. inter virum & vxorem.

Extenditur secundò, ad venditionem coniugi factam, minore pretio, quàm alioquin merx valeat. Licet enim talis venditio statim valida sit: (modò principale propositum fuerat non donandi, sed vendendi, quamuis pretio minore: Si enim principale propositum sit donandi, inter coniuges nullius momenti esset talis venditio, l. si quis donationis, ff. de contrah. emptione (attamen remissio siue condonatio partis pretij suspensa est vsque ad mortem donantis, ita vt interea per pœnitudinem reuocari possit, l. si sponsus, §. circa venditionem, ff de donat. inter virum & vxorem. Ex quo colligit Tiraquellus in l. si vnquam, ver. donatione largitus, n. 3. & 4. c. de reuoc. donat. Sâchez lib. 6. disp. 1. concl. 6. Eiusmodi partialis pretij remissionem, licet 500. solidos excedat, insinuatione apud Iudicem non indigere: quia in contractibus principale propositum inspiciendum est, arg. l. rogasti, ff. de rebus creditis. Coniugi autem, vt pono, animus fuit venditionis contractum instituere, qui nullam insinuationem requirit.

Eadem verò assertio limitari debet primò, Quòd donatio inter coniuges Principes illico valet: quia Imperiales contractus legis vim obtinent, l. penult. C. donat. inter virum & vxorem.

Secundò, Valida est donatio inter coniuges, ex qua donans non redditur pauperior, iuxta l. si sponsus, ff. eod. & colligitur ex cit. c. vlt. vbi id notat Abb. n. 8. Veluti si maritus hereditatem vel legatû repudiet, vt vxori substitutę, vel ab intestato succedenti obueniat, sicuti habetur in cit. l. si sponsus, §. si maritus hæres. Aut si, quod maritus prodigus certò prodigere decreuerat, vxori donet. Num verò vxor in fauorem mariti renuntiare possit medietati lucrorum seu acquisitorum, seu acquirendorum, diuersæ sunt DD. sententiæ apud Sanchez lib. 6. disp. 5.

Tertiò, Valet donatio inter côiuges, ex qua donatarius nô fit ditior, etsi donator pauperior fiat: veluti si Maritus vxori locum sepulturæ donet: non enim locupletior fit vxor in ea re, quam Religioni dicauit, cit. l. si sponsus, §. concessa. Item si coniunx coniugi donet ea lege, vt res donata nô maneat penes donatariû, sed alteri donetur, l. profectitia, §. si quis certam, ff. de iure dotium. Aut si donatio fiat ad refectionem ædium incendio côsumptarum, sicuti habetur l. quod si vir, ff. de donat. inter virum & vxorem. Denique reuocari non poterit donatio, postquam côiunx donatarius rem donatam inutiliter expendit: cùm locupletior factus nô sit, sicuti docet Gl. in cit. c. vlt. Abb. ibid. n. 8. Sanch. disp. 3. n. 3. ex l. quod autem, §. si maritus, ff. de donat. inter virum & vxorem.

Quartò, si vxor marito donet causa honoris, vel dignitatis adipiscendæ, l. 40. & seqq. ff. eod. tit.

Quintò, Si vir vxori dotem promissam remittat, iuxta l. si côstante, C. de donationibus ante nuptias. Vel si vxorem dotet causa remunerationis, puta quia iuuêcula seni, nobilis ignobili nupsit. Alioquin verò non est côcessum, vt vir vxori post nuptias, vel in tempus nuptiarum dotem constituat, l. si quis vxori, ff. de donat. Quia hæc dotis constitutio species donationis est, l. vlt. §. si à socero, ff. Quæ in fraudem creditorum, &c. Vxor autem constante matrimonio non prohibetur dotem marito constituere, vel antè constitutam augere; cùm hæc non sit donatio mera, neque omnino dominij translatiua. Vide Sanchez lib. 6. disp. 7.

Sextò, Si coniunx in ædibus coniugis gratis habitare permittatur; vel eius seruis, aut vestimentis vsus fue-

rit, valet donatio, l. si vir vxoris, ff. de donat. inter virum & vxorem.

Denique quæuis donatio facta inter coniuges iuramento confirmatur, secundùm communiorem sententiam Couar. 1. resol. c. 17. n. 4. Gomez 2. resol. cap. 14. n. 26. Rodriq. in sum. cap. 92. n. 2. Sanchez disp. 11. n. 2. Mol. to. 2. disp. 289.

Illud quoque obseruandum, quod in assertione dixi, simplicem ac merè liberalem donationem inter coniuges ante donantis mortem ratam non esse. Aliter verò sentiendum de donatione remuneratoria, sicuti colligitur ex l. quod autem, §. si vir, ff. de donat. inter virum & vxorem; eò quòd talis non sit propriè, & simpliciter dicta donatio, sed quasi compensatio, seu debiti retributio. Et ita ex communi docent Abb. in c. cùm in Ecclesiæ n. 4. de simon. Mol. disp. 289. §. tertius, Syl. ver. donatio, 2. q. 1. Sanchez n. 11. & 14. Tiraquel. lo. suprà cit. n. 108. vbi exemplum adferunt, si vxor nobilis marito ægrotanti vilia, aut valde diuturna obsequia præstiterit.

12 Quod ad alteram donationem attinet, simili modo dicendum est, quòd donatio patris simpliciter ac purè facta filio sub potestate eius constituto, firma statim non sit; sed reuocari possit: Si tamen res donata filio à Patre tradita fuerit, & nunquam reuocata, morte patris confirmabitur, perinde, ac si ab initio valida fuisset, sicuti constat ex l. 2. iun. Gl. ver. adminiculo, C. de inofficiosis donationib. & l. donationes quas parentes, C. de donat. inter virum & vxorem, & docet Nau. c. 17. n. 145. Gomez 2. resol. c. 4. in fine, Couar. c. Raynaldus, de testamentis, §. 2. n. 12. Molin. to. 1. tr. 2. disp. 243. & to. 2. disp. 291. Clarus §. donatio, q. 8. Adde, quòd donatio etiam per emancipationem filij confirmatur, si res ei tradita fuit, vel quomodocunque in possessione eius, cum voluntate patris, tunc extitit, l. 2. C. si quis alteri vel sibi, & l. siue emancipatis, C. eod.

Nota autem primò; Quod dixi, *simpliciter ac purè*: Nam quæ ob causam fit donatio, statim valet: puta si pater filio donet in beneficij remunerationem, ad nuptias, aut filiæ in dotem; item ad Religionis ingressum, captiuitatis redemptionem, ad militiam, ad sacros ordines. Qua de re Clarus loco cit. Couar. in c. Raynaldus, de testam. §. 2. n. 15. Syl. ver. donatio, 2. q. 7. Nau. n. 145. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 238. & to. 2. disp. 291. Less. lib. 2. c. 18. dub. 12. Valet etiam donatio patris erga filium in potestate constitutum, si iuramento confirmetur: vel si filio donetur vsusfructus bonorum aduentitiorum, l. cùm oportet, §. sin autem, C. de bonis quæ liberis. Denique ait Syl. l. c. Nau. c. 17. n. 147. ex Azone, eisdem ferme casibus, quibus donatio inter virum & vxorem valida est, consistere inter patrem & filium in potestate constitutum.

Nota secundò; Quod dixi, *Filio sub potestate constituto*: Nam donatio facta filio emancipato, valida est, iuxta cit. l. 2. C. de inoffic. donationibus, l. cùm de bonis, C. de donat. Multóque magis constat donatio, quæ liberis fit à matre, auia, aut auo materno, teste Gomez cit. c. 4. in fine, Molin. cit. disp. 291. Lessio n. 90.

13 QVÆSTIO TERTIA. An quæ à patre liberis donata sunt, eo mortuo, ad diuisionem hæreditatis conferenda sint? Resp. & dico I. Simplex donatio facta filio emancipato conferenda est, l. vt liberis, C. de Collationibus, & ex communi docet Molin. to. 1. tr. 2 disp. 243. Andr. Fachinæus t. 2. controu. iuris, lib. 5. c. 81.

Dico II. Simplex donatio facta liberis in potestate patris constitutis, post eius mortem conferenda non est: Quia censetur à patre, vt præcipuum, filio relictum, arg. l. penult. C. de Collat. vbi id docet Gl. communiter recepta, Cou. cit. §. 2. n. 13. Præterquam, si pater, cùm ius reuocandi donatione haberet, voluerit, vt conferretur. Vel nisi frater, aut soror talem collationem petat; eò quòd & ipsi donationem seu simplicem, seu ob causam, v. g. propter nuptias, vel dotem, conferre teneantur: vt nimirum inæqualitas euitetur, iuxta cit. l. penult. iun. Gl. §. imposuerit.

Dico III. Donatio facta ob causam, puta propter nuptias, vel in dotem, post mortem parentis, vel aui donatoris conferenda est, iuxta cit. l. vt liberis, & l. penult. C. eod. Nisi donans expresserit, velle se vt filius, vel filia hanc partem præcipuam haberet; tamen sine diminutione legitimæ aliis liberis debitæ, iuxta Authent. ex testamento, C. eod. Idémque iudicium esse debet de donatione facta filiis, vel nepotibus ad Religionis ingressum; vel in patrimonij titulum ad sacros ordines suscipiendos: Per hæc enim stabilem sibi statum comparant; non minùs, quàm per dotem, vel donationem ad nuptias, sicuti notat Couar. cit. c. Raynaldus, §. 2. n. 14. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 237. & seq. Vasq. de testam. c. 7. num. 145. & 163.

Quæ verò filiofam. à parentibus ad militiam, vel Principis palatium donantur, ea inter castrensia bona numerantur, ideóque non conferuntur, l. 3. §. sed si in castra, ff. de donat. inter virum & vxorem. Libri autem, qui à patre filio ad studia literarum empti ac traditi sunt, inter bona quasi castrensia censentur; saltem posteaquam Doctor creatus, vel ad publicum officium aut dignitatem habilis effectus est, teste Nau. n. 159. Mol. disp. 239. Vasq. de testam. c. 7. n. 153. Claro q. 8. 14

Donatio verò remuneratoria, cùm sit quodammodo debita filio ob eius merita, inter bona aduentitia meritò numeratur: vt proinde post mortem patris conferenda non sit, secundùm communem Doctorum sententiam, quam explicat Couar. c. cùm in officijs, n. 11. de testam. Nau. c. 17. n. 147. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 244. & to. 2. disp. 292. Constat enim ex l. vlt. C. de collat. aduentitia bona non conferri, sicuti neque castrensia, vel quasi castrensia.

Neque conferenda sunt, quæ pater filio ad studia litterarum mittit, l. quæ pater, ff. familiæ herciscundæ: Aut quæ ipsi donauit, seu liberè pro ipso expendit ad instituendam peregrinationem, redimendam captiuitatem, soluendam mulctam ex delicto contractam: sicuti colligitur ex l. liber captus, C. de captiuis. Item quæ pater largitus est ad publicos ludos, aliámue recreationem honestam; item ad artem discendam, ad conuiuium doctorale, ad primitias, comparandum sibi beneficium, dignitatem. qua de re Syl. ver. peculium, 2. q. 12. & 14. Nauar. n. 165. Mol. disp. 240. & 291. Sa ver. hæreditas, n. 43. Vasq. cit. c. 7. n. 147. Ratio est: Quia hæc omnia aliquo modo pertinent ad decentem sustentationem, & alimenta, quæ pater filio debet: & vni quidem filiorum copiosiùs (spectata facultate, aliísque circumstantiis) subministrare potest, quàm reliquis liberis: adeò, vt non solùm illi condonare ac remittere permissum sit; sed neque in eam partem numerare cogatur, de qua liberè ante mortem disponere potest. Qua de re Molin. disp. 242. Nau. n. 160. Sin verò pater expressit, vt quæ filio propria bona non habenti, v. g. causa studiorum transmisit, in cumulum hæreditatis conferrentur, vel in portione legitima numerarentur; deducenda nihilominus erunt necessaria alimenta, quæ ipsi etiam in domo paterna degenti, naturali iure debita sunt. qua de re Bartolus in cit. l. Nesennius, ff. de negot. gestis, Abb. in c. vn. de Infantibus, &c.

Locutus sum autem in casu, quo pater filio sponte, ac liberaliter ob causam donat: secùs enim est, si aliquo modo coactus donet, vt quia ludo, aliísque illicitis actionibus debita contraxit, ea pater in dubio censetur impendisse animo repetendi, seu in hæreditariam portionem computandi, sicuti docet Bartolus cit. loco. Nau. lib. 5. consil. 5. n. 6. de iniuriis, edit. 2. & in man. c. 17. n. 164. vbi monet; Filium, qui acceptam pecu-

niam à patre ad libros emendos inutiliter consumpsit, obligari ad restituendum, vel conferendum post mortem. Quod intelligo cum Mol. disp. 242. in fine; si spectatis circumstantiis personarum magna pecuniarũ profusio sit, vt præsumi debeat, patrem remittere non voluisse.

Deinde locutus sum in casu, quo filius propria bona non habet: Si enim pater penes se habeat bona filij aduentitia, vel castrensia, nihilque exprimat, censebitur ex iis filio suppeditare ad studia literarum, &c. iuxta cit. l. Nesennius & l. vlt. ff. de petit. hæredit. Quia pater filio propria bona habenti ne alimenta quidem præstare cogitur. Quamobrem respondit Nau. lib. 2. consil. 4. de iureiur. edit. 2. Si pater, vel mater pro filio expensas fecit animo repetendi, & non donandi, quas postea ex bonis eiusdem filij animo cõpensandi debiti repetat; quòd in redditione rationum iuramento affirmare possit, se nihil ex bonis filij retinere.

15 QVÆSTIO QVARTA. In qua quantitate donari possit? Resp. & dico I. Cæsareo iure l. penult. & vlt. C. de donat. & §. aliæ autem, Instit. eod. donatio excedens 500. solidos (quæ summa hodie ad 700. vel secundùm quosdam ad 800. aureos Italicos excurrit, vti videre est apud Clarum lib. 4. ver. donatio, q. 15. n. 1. Rebel. p. 2. lib. 18. q. 6. n. 5. Nicol. Eucrard. t. 1. consil. 19. n. 32.) nisi insinuatio, siue Iudicis auctoritas accedat, inualida existit; duntaxat quo ad excessum: nam *vtile non debet per inutile vitiari, quando vtili ab inutili separari potest*, sicuti habetur in l. sancimus, iun. Gl. ver. superfluum, Cod. de donat. Ratio constitutionis est: Quia non expedit Reipublicæ, vt ciues facultate donandi ad paupertatem redigantur. Neque tamen requiritur iudicialis cognitio causæ, aut decretum, sed sola Iudicis præsentia & consensus, vti ex communi docet Clarus cit. q. 15.

Excipiendum tamen est I. Quòd valet donatio in quacunque quantitate, & sine insinuatione facta Ecclesiæ, vel ad causam piam. Quia leges ciuiles Cod. de sacrosanctis Ecclesiis, l. illud. & C. de donation. l. sancimus, §. aliàs, Ecclesiasticis causis nullum præiudicium afferre possunt, sicuti ex communi notauit Clarus q. 17. n. 1. Rebell. q. 7. Less. lib. 2. c. 18. n. 102. Mol. to. 2. disp. 279.

II. Similiter valet donatio facta à Principe, vel Principi à priuato, l. sancimus C. de donationibus. Veruntamen donationes immodicæ, quæ cum Reip. detrimento factæ videntur à Principe, ab ipso, vel successore eius reuocari possunt, teste Greg. Tholos. lib. 3. de Rep. c. 3. n. 1. & seqq.

III. Donatio, quæ fit militibus à belli Duce ex bonis propriis mobilibus, vel hostium spoliis, l. penult. C. eod.

IV. Donatio, quæ fit ob causam, puta ad militiam, ad nuptias, ad captiuitatis redemptionem, ædium, quæ incendio vel ruina destructæ sunt, reparationem, iuxta cit. l. penult.

V. Donatio remuneratoria beneficiorum, obsequiorum, sicuti colligitur ex l. si pater, §. si quis, ff. de donation. & docet Clarus q. 16. n. 6. Mol. to. 2 disp. 279. Et simile est, si duo reciprocè donationes faciant inmagna quantitate, quòd insinuatione opus non sit, sicuti docet Baldus in l. sancimus, C. de donation. Illud verò suprà etiam monui, ad probandam donationem remuneratoriam necesse esse, vt in instrumento donationis speciatim exprimatur præstitum obsequium, aut meritum, tali remuneratione dignum; etsi non ex iustitia, tamen ex congrua æquitate. Sin autem generalis tantùm mentio obsequiorum fiat, ea nihil adiuuat, nisi à donatario probata fuerit, sicuti docet Abb. rubr. de donat. Clarus, q. 8. n. 3. Mynsing. cent. 4. obser. 75. & 88. arg. l. Attilius, aliàs Aquilius, ff. de donat.

VI. Si pater filio remittat vsumfructum bonorum aduentitiorum, sicuti ex communi docet Gomez cit. c. 4. n. 10. Rebel. cit. q. 6. concl. 4.

Adde ex Lopez p. 2. instruct. c. 27. Less. cit. cap. 18. n. 99. donationem vltra 500. solidos sine insinuatione factam, in foro conscientiæ valere, & dominij translatiuam esse; donec à donatore reuocetur, aut per Iudicis sententiam rescindatur. Quòd si donans iurauit, se non repetiturum, iuramenti obligatione adstringitur, etiam in externo foro, sicuti ex communi docet Clarus q. 18. Syl. q. 6. Sa ver. donatio, n. 1.

Dubitari verò potest, si donationes alicui per temporum interualla factæ quingentorũ solidorum summam excedant, vtrum infirmari possint? Ita affirmat Abb. c. Apostolicæ, n. 5. de donat. quòd id in fraudem legis actum videatur. Sed non arbitror hoc semper verum: cùm ex diuersis occasionibus donationes inter se verè disparatæ eidem fieri possint; & lex illa restringens libertatem disponendi de propriis, tanquam odiosa, extendenda non sit.

Dico II. Donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum; tam mobilium, quàm immobilium, irrita est, iuxta l. stipulatio hoc modo concepta, ff. de verbor. obligat. Ratio est: Quia liberam testandi facultatem aufert. quod iure ciuili indecens, ac Reipub. noxium existimatur. Quare si hæc ratio cesset, donatio valebit: veluti si bona tantùm præsentia dones; vel si solam bonorum proprietatem, reseruato tibi vsufructu, qui tamen excedat quantitatem alimentorum, quatenus absolutè necessaria sunt ad vitæ sustentationem; vel si omnium omnino bonorum donationem facias mortis causa, reseruata tibi facultate donationem reuocandi, qua de re lege Clarum q. 19. Couar. 3. resol. c. 12. n. 3. Molin. to. 2. disp. 280. Andream Fachinæum lib. 6. controuers. 89. Adde, omnium bonorum absolutam donationem Ecclesiæ, vel pauperibus factam, consistere, sicuti ex communi docet Abb. c. in præsentia, n. 2. de probat. Couar. p. 2. rubr. de testam. n. 13. Clarus, q. 20. Rebel. q. 7. Less. c. 18. dub. 13. num. 95. Mol. disp. 280. Nam ius ciuile pietatis officia impedire & restringere non potest. Cùm etiam Christi consiliũ sit Matth. 19. *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Quapropter rectè docent Cou. n. 12. Mol. cit. disp. 280. Less. n. 96. contra Clarum cit. q. 20. donationem omnium bonorum validam esse, si iuramento confirmetur. Nam adimere sibi facultatem testandi per donationem bonorum omnium, seruatis solùm alimentis necessarijs, per se malum, siue peccatum non est; sed potest esse opus bonum: alioquin ab Ecclesia talis donatio non acceptaretur; ergo poterit confirmari iuramento, sicuti latiùs dicam lib. seq. tr. 3. c. 6. assert. 5. exemplo 6. 16

QVÆSTIO QVINTA. Vtrum donatio semel perfecta reuocari possit? Responsio est negatiua, quæ sumitur ex l. vlt. C. de reuocandis donation. *Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatásque manere*. Sed excipiuntur aliquæ causæ, ob quas donatio simplex, quamuis traditione perfecta sit, reuocari potest: Prima est ingratitudo donatarij. cuius quinque species numerantur in cit. l. vlt. Videlicet, si manus impias (non sine mortali culpa) in donatorem inferat: 17 Si atrocem iniuriam siue contumeliam in eum effundat: Si graue damnum bonis eius per iniuriam adferat: Si vitæ eius insidias struat: Si modum siue conuentionem donationi appositam implere noluerit. Quibus Gl. ibid. Clarus q. 21. n. 3. Gomez cit. c. 4. n. 14. Syl. ver. donatio 1. q. 13. Less. dub. 14. n. 104. cum Abb. c. vlt. de donationibus, sextam adiungunt: Si donatarius magnæ quantitatis inopia pressum donatorem subleuare nolit. quam tamen causam reiicit Gl. in l. condemnatione, ff. de reg. iuris, Mol.

disp. 281. quia repugnat cit. l. vlt. ibi: *Ex his tantummodo causis, si fuerint in iudiciis dilucidis argumentis cognitionaliter approbata, donationes euerti concedimus.* Et cùm lex ista pœnalis sit, non debet extendi ad casus similes.

Porro donatio nihilominus ob quinque illas causas reuocari poterit, tametsi iuramēto confirmata sit. Nam iuramentum sortitur conditionem actus, cui adiungitur: Donatio autem ex iuris dispositione hanc tacitam conditionem habet, nisi donatarius ingratus fuerit; vel nisi donatori liberis orbato proles postea nascatur. Veruntamen, si donator huic ipsi licentiæ reuocandi donationem propter futuram ingratitudinem, iuramento renuntiet, valet renuntiatio. Quia omne iuramentum seruandum est, quod sine peccato & dispendio salutis seruari potest, c. quemadmodum, de iureiurando. Quamuis rectè dicat Molin. cit. disput. 281. tale iuramentum à potestate cùm Ecclesiastica, tum ciuili relaxari posse, in pœnam donatarij ingrati.

Non potest autem hæc querimonia contra ingratum institui ab hæredibus donatoris, sicuti habetur in cit. l. vlt. & cit. c. vlt. de donat. vbi Gloss. ver. successores, & alia Gl. in cit. l. vlt. ver. instituere, monet, hoc ius reuocandi donationem personale esse, neque transire ad successores. Sed neque ab ipso donatore contra hæredes donatarij ingrati actio moueri potest: cùm sit vna ex iis, quæ ex delicto descendunt, atque ad hæredes delinquentis non transeunt; nisi lis cum delinquente contestata fuerit: tunc quatenus ad hæredes peruenit, repeti potest, iuxta l. vn. Cod. ex delictis defunctorum, &c. Accedit, quòd donator iniuriam passus, si tacuit, eam condonasse censetur: qua simili ratione aiunt Glossæ citatæ, neque filio auferendum esse feudum propter gratitudinem patris, si patri quæstio mota non fuerat. Verùm, si donator commissam ingratitudinem ignorauerit, vel conqueri cùm vellet, impeditus, aut morte præuentus fuerit, nihilominus donationem reuocari posse, notarunt Abb. in cit. c. vlt. n. 7. Syl. ver. donatio, 1. q. 18. Less. n. 107.

Illud porrò rectè admonet Clarus q. 21. n. 5. contra Abb. in c. verum, n. 3. de condit. appositis: Donationem Ecclesiæ factam reuocari non posse propter ingratitudinem Prælati, ipsiúsque Capituli: quia censetur facta non intuitu personarum; sed ex pietate erga Deum.

18 Altera causa donationem reuocandi est, si liberis inofficiosa sit, paternorum bonorum legitimam, id est, lege debitam portionem ipsis adimens, vel minuens, iuxta l. 1. & seqq. C. de inofficiosis donationibus. Plerúque tamen inofficiosa donatio, per querelam apud Iudicem institutam, reuocatur solùm quatenus modum excedit, & legitimam portionem diminuit, sicuti constat ex l. si mater, C. eod. & docet Abb. in c. vlt. n. 5. de donat. Couar. 1. resol. c. 19. n. 12. Mol. tom. 2. disput. 283. Clarus q. 24. Neque refert, etsi parens donator donationem iuramento confirmârit: cùm enim beneficium reuocandæ donationis in fauorem liberorum introductum sit, non potest patris iuramento tolli, aut ei validè renuntiari, sicuti docet Tiraquel. in l. si vnquam, C. de reuoc. donation. in præfat. n. 90. Clarus cit. q. 24. n. 3. Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 40. n. 11. vbi generalem regulam tradit: Quòd iuri non in suum tantùm, sed etiam alterius fauorem constituto, nemo plenè renuntiare potest.

Illud porro rectè notant ibidem Clarus, & Nauar. c. 26. man. n. 59. tametsi parentes gratuitis donationibus liberorum legitimas minuere non possint; posse tamen donationibus remuneratoriis, & contractibus onerosis; præsertim sine fraude alterius contrahentis, aut donatarij institutis.

Hoc adde cum Mol. in fine cit. disp. 283. Non solùm descendentibus liberis; sed etiam ascendentibus parentibus ius competere instituendi querelam contra inofficiosam donationem liberorum suorum. Nam querela inofficiosa donationis introducta fuit ad similitudinem querelæ inofficiosi testamenti, l. vlt. C. de inoff. donat. Hanc autem non minùs ascendentibus, quàm descendentibus competere certum est ex l. nam etsi, ff. de inofficioso testamento.

Tertia causa reuocandi donationem partis notabilis, 19 quamuis infra dimidium bonorum est, ob inopinatam susceptionem prolis, l. si vnquam, C. de reuocandis donationibus. Est enim pia & iusta iuris præsumptio, donatorem liberis orbum donationem magnam fecisse cum virtuali seu tacita conditione, nisi liberi nascerentur; quia nemo censetur alienos posteritati suæ præferre velle. Cæterùm plerique DD. arbitrantur, Clarus q. 22. num. 2. Tiraquel. in cit. l. si vnquam, in præfat. num. 63. Andr. Fachin. lib. 3. controuers. c. 84. Mol. disp. 282. §. quoniam lex; Si constet, donatorem de futura liberorum natiuitate cogitantem, nihilominus donasse; vel priuilegio dictæ l. si vnquam, expresè renuntiasse; non posse deinde donationem reuocari; nisi quatenus liberis inofficiosa est, id est, vsque ad legitimam, quæ ipsis à patre auferri nequit. Vide de hac re Mynsingerum cent. 5. obser. 64.

Similiter, si Ecclesiæ, vel ad aliam piam causam donatum sit, reuocari non potest vltra legitimam liberorum. Etenim si in filium donatio facta fuit, & postea aliis natis inofficiosa appareat, reuocatur tantùm vsque ad legitimam, l. si totas, & l. si mater, C. de inoffic. donationibus. Causa autem Ecclesiæ non minùs fauorabilis est, quàm filiorum, sicuti colligitur ex Authent. si qua mulier, C. de SS. Ecclesijs. Accedit, quòd Ecclesia donatori instar filij esse censetur, sicut docent DD. apud Clarum q. 22. num. 2. Couar. 1. resol. c. 19. post num. 5.

Interim tamen expedit ad populi ædificationem, vt 20 quod Ecclesiæ, vel Monasterio ante natos liberos donatum est, susceptis iis, totum restituatur, sicuti monet Clarus ibid. Mol. to. 2. disp. 282. Less. c. 18. dub. 14. num. 109. cum Gl. in c. si quis irascitur, 13. q. 2. & egregiè annotauit S. Augustin. serm. 49. de diuersis, cap. 4. *Quàm laudabile factum S. Aurelij Carthaginensis Episcopi? Quidam enim, cùm filios non haberet, nec speraret; res suas omnes (retento sibi vsufructu) donauit Ecclesiæ. Nati sunt ei filij, nec opinanti. Reddidit Episcopus ea quæ donauerat. In potestate habebat Episcopus non reddere* (præter legitimam) *sed iure fori, non poli.* Non quòd ex iustitia totum reddere teneretur, sed vel ex charitate; vel certè ex æquitate & maiore honestate. Vide Gl. in c. vlt. 17. q. 4. Ioan. Molanum tract. de testam. piis, cap. 61.

Ad extremum duo addo: Primum. Quod Anton. Gomez 2. resol. c. 4. num. 12. Less. cit. loco arbitrantur, pari ratione etiam donationem factam ascendenti patri, matri, auo, auiæ reuocari tantùm vsque ad legitimam, nouiter susceptæ proli debitam: id nullo iure probari potest. quare contrarium tenendum cum Molina cit. §. dubium vlterius est, in fine.

Alterum. Quod de reuocatione donationis dictum est, eam reuocari, si legitimam bonorum liberis debitam diminuat: aut si donatori præter opinionem proles postea nascatur: accipi debet de donatione bonorum ac iurium acquisitorum, non verò acquirendorum. Quamobrem renuntiatio hæreditatis non- 21 dum aditæ, siue ea delata sit, siue tantùm sperata, natiuitate liberorum non reuocatur, vti ex communiore docent Tiraquell. C. si vnquam, de reuoc. donat. ver. donatione largitus, num. 180. Molina tom. 3. priore, disp. 579. num. 23. Sanchez lib. 7. moral. c. 7. num. 51. Quia lex illa ciuilis, cum exorbitans sit, de donatione

ſemel facta reuocanda, ſtrictè interpretanda eſt de donatione propriè dicta, quæ eſt iuris acquiſiti. Quamobrem etiam donatio inter coniuges, iure ciuili prohibita, ad eiuſmodi renuntiationem hæreditatis nondum aditæ, adeóque nec acquiſitæ, extendi non debet.

CAP. XIII.

De dote, paraphernis, donatione propter nuptias, & ſponſalitia largitate.

SVMMARIVM.

1 *Dos marito datur ad onera matrimonij ſuſtinenda.*
2 *Maritus dotis dominium non habet, ſed plenam adminiſtrationem, & fructus eius.*
3 *Duplex eſt dos; profectitia, & aduentitia.*
4 *Pater debet filiam dotare, tametſi propria aduentitia bona habeat.*
5 *Mater, imò etiam frater, ſi diues ſit, in defectum aliorum, filiæ, aut ſorori inopi dotem dare debet.*
6 *Dos profectitia ſoluto matrimonio reuertitur ad dantem, qui eſt pater, aut auus, filiam in poteſtate habens: ſed dos aduentitia manet mulieri, eiuſve proximo hæredi.*
7 *Maritus dotem aduentitiam lucratur propter adulterium vxoris.*
8 *Si dos apud maritum periclitari incipiat, vxor ſibi conſulere poterit. Vxor habet tacitam hypothecam in bonis mariti, donec ei dos reſtituatur.*
9 *Bonorum paraphernalium adminiſtratio marito non competit, niſi ita conuentum fuerit.*
10 *Donatio propter nuptias ad ſimilitudinem dotis conſtituitur.*
11 *Sponſæ à ſponſo interdum arrha conſtituitur; vel ſponſalitia largitas confertur.*

DOs, quatenus à patre v.g. filiæ offertur, ex lucratiuo titulo prouenit: ſed comparatione mariti, cui dos datur, ſortitur rationem contractus reciproci, vti mox dicam, & videri poteſt Gloſſ. in cap. ſalubriter, verb. onera, de vſuris, & rubr. legis vlt. Cod. de iure
1 dotium. Dos definitur ex Azone: *Quod ab vxore, vel alio eius nomine marito datur, ad onera matrimonij ſuſtinenda*; puta alendam vxorem, liberos, familiam. Hęc enim cura marito incumbit.

Corollarium I. Dos ſine matrimonio eſſe, aut intelligi non poteſt, iuxta l. 3. ff. eod. Quare promiſſio, quin & traditio dotis, tacitam conditionem habet, ſi nuptię ſecutæ fuerint, l. ſtipulationem, ff. eodem: ſoluto item, aut ſeparato matrimonio, maritus dotem reſtituere cogitur, ſicuti habetur in cap. 1. & 2. vbi videri poteſt Gloſſ. verbo, tantum, de donation. inter virum & vxorem.

2 Corollarium II. Maritus traditæ ſibi dotis fructus lucratur, quamdiu matrimonium conſiſtit, iuxta l. 7. ff. eodem. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere, æquitas ſuggerit: cùm enim ipſe onera matrimonij ſubeat, æquum eſt, eum etiam fructus percipere.* Præterea, licet maritus res dotales abſque neceſſitatis caſu alienare non poſſit; cùm neque earum dominus propriè exiſtat, l. in rebus, Cod. de iure dotium, l. quamus, ff. eodem. Imò iure nouo Cod. l. vnic. §. & cùm lex, de rei vxoriæ actione, & Inſtitut. Quibus alienare licet in princip. neque cum vxoris conſenſu bonum immobile, ſiue dotalem fundum alienare, vel hypothecæ ſubijcere conceſſum; ſed contractus irritus cenſetur. Verùm adminiſtrationem dotalium bonorum adeò plenam maritus habet, vt ea à quouis poſſeſſore reali etiam actione vindicare; & de iis in iudicio contendere iure poſſit, iuxta l. doce ancillam, Cod. de rei vindicat. atque ob eam cauſam, iuris quadam fictione, dominus rerum dotalium cenſetur, ſicuti videre eſt in l. ſi prædium, Cod eodem titulo.

Duobus verò caſibus dominium dotis plenè ad maritum tranſit, cum obligatione tantundem ſoluto matrimonio reſtituendi: I. Si dos conſiſtat in pecunia, vel aliis rebus vſu abſumptibilibus: tunc enim quaſi mutui contractus interuenit, vt ſoluto matrimonio tantundem eiuſdem generis, & qualitatis reſtituatur, iuxta l. res in dotem, ff. de iure dotium. II. Si res dotales, vſu non conſumptibiles, marito æſtimatæ tradantur; non eo ſolo animo, vt ſciatur earum valor, ſi fortè perditæ vel diminutæ fuerint culpa mariti; ſed vt æſtimatio efficiat venditionem, ſicuti notauit Gloſſ. in l. ſi inter, C. eod. ver. æſtimatæ, Mol. diſp. 426. §. quando res. Quare his duobus caſibus periculum rerum dotalium ad maritum ſpectat: cùm alioquin ad vxorem tanquam dominam pertineat, ſiue res meliores, ſiue deteriores fiant, aut omnino pereant; tamen ſine dolo & culpa (etiam leui) ipſius mariti, ſicuti conſtat ex l. plerumque, ff. eod. iuncta l. penul. & vlt. ff. ſoluto matrimonio quemadmodum dos petatur, & l. vlt. C. de pactis couuentis, iun. Gl. ver. dolum.

Duplex eſt dos: Vna profectitia, quæ à patre, alióve 3
per virilem ſexum aſcendente, filiámque in poteſtate ſua habente, profecta eſt, l. profectitia, ff. de iure dotium, iun. l. vn. Cod. de rei vxoriæ actione. Maximè autem proprium officium eſt patris liberos elocare, & dotare: ſecundùm facultates ſuas, & liberorum numerum, nec non filiæ, & mariti dignitatem, denique loci conſuetudinem: ad quod proinde Iudicis officio compelli poteſt, iuxta l. qui liberos, 19. ff. de ritu nuptiarum, & l. vlt. C. de dotis promiſſione, §. neque enim.

Idque extendi debet primò, vt verum ſit, etſi filia, 4
cum patris conſenſu nubens, propria aduentitia bona habeat, ſicut conſtat ex cit. l. vlt. & docet Gl. ibid. ver. intelligi, Molina tom. diſput. 424. Sanchez lib. 4. de matrimon. diſput. 26. num. 5. aliique communiter apud Couarruuiam in epit. p. 2. cap. 3. §. 8. num. 9. aduerſus Bartolum in l. mulier, §. cùm proponeretur, ff. ad Trebellian. Ex quo infertur in cit. l. vlt. Si pater penes ſe habens bona aduentitia, vel v. g. materna liberorum, dotem filiæ, vel donationem propter nuptias filio conſtituerit, nihil exprimens vtrum ex maternis, an propriis bonis, exiſtimandum eſſe ex proprijs conſtituiſſe. Contrarium verò præſumendum, ſi alius quiſpiam bonorum adminiſtrator dotem conſtituat: imò tametſi auus paternus ſit; cùm neque iſte nepotes ſuos ex propriis dotare cogatur, ſi aliunde bona habeant, v. g. ex hæreditate patris, aut matris.

Secundo extendi debet, vt verum ſit, etſi filia cum patris conſenſu in matrimonium collocata ſit, nulla facta dotis mentione: nihilominus eam dare cogitur, ſecundùm Gl. in l. obligamur, ver. lege obligamur, ff. de action. & obligat. & videri poteſt Sanchez loc. cit. num. 3. & lib. 1. diſput. 60. Nam tacitè intelligitur ſponſo dos promiſſa: eò quòd pater non ſolùm obligatus ſit ad prouidendum filiæ maritum; ſed etiam ad dandam ei dotem, ſicuti habetur in cit. l. qui liberos. Nam mulier indotata facilè contemnitur: & Reipubl. intereſt dotes mulieribus dari, & conſeruari: quamobrem cauſa dotis maximè fauorabilis eſt, ſicuti conſtat ex l. 1. ff. ſoluto matrimonio. Eadémque ratione ſi mulier diues, non facta expreſſione dotis, ducta ſit, tacitè cenſentur eius bona, vel ſaltem pars bonorum, pro conditione & dignitate viri, in dotem conſtituta: quæ ſi non ſoluatur, iuſtam cauſam maritus habet alimenta vxori negandi, vti docet idem Sanchez lib. 9. diſp. 5. concl. 2. Andr. Gaill. lib. 2. obſer. 95. n. 10.

Tertiò: Licet filia inconſulto, aut inuito patre nu-

ſerit viro digno, communior & vera ſententia eſt, nihilominus dotem à patre deberi, ſicuti videre eſt apud Couarruuiam cit. §. 8. num. 8. Andr. Gaill. cit. obſeruat. 95. num. 10. Sanchez cit. diſput. 26. quæſt. 1. Ratio eſt: Quia pater hoc caſu ægrè ferre non poteſt matrimonium ſecundùm ſe, cùm vtiliter contractum fuerit: licet ægrè ferre poſſit, quod attinet ad modum, quia ipſo inconſulto contractum fuit.

Id verò limitari debet primò: Niſi municipalibus conſtitutionibus aliter decretum ſit. Secundò limitant non improbabiliter Couarruu. num. 9. Gutierez lib. 2. pract. quæſtion. quæſt. 1. numero 5. Niſi filia ex propriis aduentitiis bonis ſatis dotata ſit: quod durum eſſe videatur, patrem compellere ad filiam non indigentem dotandam, quæ ſine eius licentia nupſit: dummodo culpa filiæ interceſſerit; quia vel patrem nunquam conſuluit, vel eius ſalubriori conſilio non obtemperauit, iuxta ea, quæ dicam lib. 5. tract. vlt. p. 1. c. 1. num. 15. Sin autem filia (præſertim minor XXV. annis, vel antequam pater in culpabili mora eam elocandi fuit) abſque eiuſdem licentia nupſerit viro indigno moribus, aut genere; vt exinde in patrem, & familiam dedecus aliquod redundet, tunc cogi non poteſt pater ad plenè dotandum; ſed ſolùm ad alimenta neceſſaria prçſtanda, quæ pater liberis ſuis indigentibus, etiam ingratis & immorigeris, naturali iure debet. teſte Couar. l. c. num. 7. Sanchez num. 19. Rodriq. to. 1. ſum. c. 14. num. 4. arg. c. cùm haberet, de eo qui duxit, & c. l. ſi quis à liberis, §. ſi vel parens, ff. de liberis agnoſcendis. Quare ad Iudicem pertinebit arbitrari, conſiderata indignitate mariti, & inobedientia filiæ, vtrum delictum eius, dotis ſubtractionem mereatur.

Quartò extenditur: Quòd pater etiam obligatus ſit dotem conſtituere filiæ Monaſterium ingredienti, ſicuti ex communi docet Sanch. num. 7. Quia cauſa Religionis fauorabilior etiam ex matrimonio carnali, iuxta Authent. de ſanctiſſ. Epiſcopis, §. ſed & hoc, collat. 9.

Porrò dotis quantitas conſtituenda eſt ſecundùm loci conſuetudinem, dignitatem filiæ, facultates dotantis patris: quæ tamen conſiderandæ ſunt deducto ære alieno; adeò, vt dos poſt patris mortem reſtituenda ſit, quatenus eam pater ære alieno grauatus, ſine creditorum, vel aliorum liberorum præiudicio dare non poterat, ſicut docet Nau. cap. 17. num. 271. Mol. to. 2. diſp. 330. in fine. Videri etiam poteſt Palud. in 4. d. 15. quæſt. 2. art. 5. in fine. Atque hæc de dote à patre profecta.

5 Mater autem *non cogitur pro filia dotem dare, niſi ex magna & probabili cauſa. Neque pater de bonis vxoris ſuæ inuitæ vllam dandi habet facultatem.* Sunt verba l. 14. C. de iure dotium. Magna & probabilis cauſa intelligi debet, ſi filia & pater inopes ſint, mater autem diues: tunc mater ſicut alere tenetur filiam, ita & dotare, teſte Mol. tom. 2. diſp. 424. poſt princip. Petro Greg. Tholoſ. lib. 9 ſyntag c. 18 num. 6. Nam dos ſuccedit loco alimentorum, ait Syl. ver. dos, q. 5. Confirmatur ex eo, quòd mater obligata eſt liberis legitimam relinquere: dos autem, ſicuti & donatio propter nuptias, in legitima computatur, conferenda poſt mortem matris, alteriúſve aſcendentis, ſicuti conſtat ex l. quoniam, C. de inoffic. teſtam.

Quin & frater in defectum aſcendentium, ſi diues ſit, ſorori inopi dotem dare cogitur, ſaltem quæ ſit inſtar neceſſariorum alimentorum, teſte Syl. Tholoſ. ll. cc. Sa ver. dos, num. 1. Angelo ver. dos, §. 5. poſt Gl. in l. qui filium, ff. vbi pupillus educari debeat, & altera Gl. in l. 1. §. ſed nonnullos, ver. præſtiterit, ff. de tutelæ, & rationibus diſtrahendis, vbi ait; *In perſonas neceſſarias non dici liberalitatem, ſed debitum*, arg. l. tutor, §. aliud eſt, & l. plures, §. cùm tutor; vbi id notant DD. ff. de adminiſtratione & periculo tutorum, & Abbas Panorm. in c. peruenit, de arbitris, num. 1. vbi addit, quòd Clericus etiam de reditibus Eccleſiaſticis ſororem inopem dotare, ſicuti & alere poſſit: cùm cauſa dotis non minùs fauorabilis ſit, quàm alimentorum. Idémque docent Angel. & Syl. locis cit.

Altera eſt dos aduentitia, quam vel vxor ex propriis bonis adfert, vel extraneus aliquis eidem confert. *Extraneum autem intelligimus omnem, citra parentem, per virilem ſexum aſcendentem, et in poteſtate dotandam perſonam habentem*, dicitur in l. vn. §. accedit, C. de rei vxoriæ actione. Diſcrimen eſt inter vtramque dotem, quòd profectitia, ſoluto matrimonio, niſi aliud conuentum fuerit, reuertitur ad dantem, qui eſt parens per virilem ſexum aſcendens, & filiam in poteſtate habens. Habetur in l. dos à patre, C. ſoluto matrimonio, l. ſi ab hoſtibus, ff. eod. & l. 6. ff. de iure dotium. *Iure ſuccurſum eſt patri, vt filiâ amiſſâ, ſolatij loco cederet, ſi redderetur ei dos ab ipſo profecta: ne & filia amiſſa, & pecuniæ damnum ſentiret.*

Sed etſi matrimonium ſoluatur per mortem mariti, dos in poteſtatem patris reuertitur, ſicuti & ipſa filia: cui deinde iterum nubenti eandem dotem nihil imminutam dare cogitur: niſi fortè ſubſtantia patris fortuita aliqua clade decreſcat. tunc enim amplius ſecundo marito in dotem præſtare non cogitur, quàm facultates eius patiuntur, ſicuti habetur in Auth. ſed quamuis, l. vn C. de rei vxoriæ actione.

Dubium verò eſt: Si filia moriatur ſuperſtitibus liberis, vtrum nihilominus dos ad parentem dotantem reuertatur; an verò liberis relinqui debeat, eorúmque patri quoad vſumfructum? Reſpondeo cum Andr. Fachinæo p. 1. controuerſ. iuris, lib. 3. controu. 71. Rebello p. 2. de oblig. iuſt. lib. 5. quæſt. 3. de contractibus. Si filia mortua fuit in poteſtate patris conſtituta, haud dubiè dos profectitia patri reddenda eſt: quia licet liberi ſiue deſcendentes, excluſo aſcendente auo ſuo, ſuccedant in reliquis defuncti parentis, filijfamilias, bonis; puta caſtrenſibus, & aduentitiis; non tamen in profectitiis: hæc enim ad eum reuerti debent, à quo profecta ſunt, ſicuti conſtat ex Authent. de hæredibus ab inteſtato, § 1. iunct. Gloſſ. ver. parentibus. Sin autem filia emancipata fuerit, non reuertitur dos ad patrem dotantem: cùm deſinat eſſe profectitia, & filiæ pleno iure acquiſita ſit: de qua proinde tanquam materfamilias teſtari; vel ab inteſtato decedens, liberis ſuis relinquere potuit, ſicuti colligitur ex ſuprà cit. l. vn. §. videamus.

Ex hoc infertur, quibus locis ſtatuto, vel conſuetudine receptum eſt, vt liberi vtriuſque ſexus, poſteaquam in matrimonium locati ſunt, emancipati ſiue patria poteſtate ſoluti cenſeantur; dotem vel donationem propter nuptias, ſoluto matrimonio, non reuerti ad patrem dotantem: cenſetur enim aduentitia, quæ in eo maximè differt à dote profectitia, quòd ſoluto matrimonio, non redditur dotanti; niſi aliter conuentum ſit; ſed manet mulieri, eiúſve proximis hæredibus, ſicuti conſtat ex l. vltima, Cod. de iure dotium, & ſuprà cit. l. vnic. §. accedit, vbi dicitur, quod *niſi expreſſim extraneus ſibi dotem reddi pactus fuerit, donaſſe magis mulieri, quàm ſibi aliquod ius ſeruaſſe videatur.*

Duobus autem caſibus maritus dotem aduentitiam lucratur, ſoluto matrimonio per mortem vxoris. I. Si pactum interceſſit de dote lucranda: nam contractus ex conuentione legem accipiunt: & nominatim contractui dotali ſpecialia pacta adijci poſſe, & frequentiſſimè ſolere, conſtat ex cit. l. vnic. Cod. de rei vxoriæ act. §. illud etiam, & ex tit. ff. de pactis dotalibus, tit. Cod. de pactis conuentis tam ſuper dote, &c. II. Si vxor inte-

stata decedat, deficientibus liberis, & propinquis, iuxta l. vn. Cod. vnde vir & vxor. Qui duo casus vicissim locum habent in lucranda donatione propter nuptias, mortuo marito. Vide Angelum ver. dos, §. 13. Syl. eod. ver. q. 17.

7 Constante autem matrimonio, maritus dotem aduentitiam lucratur ob adulterium vxoris: similiter vxor donationem propter nuptias ob adulterium mariti; nisi inter se reconciliati fuerint, cap. plerumque, de donat. inter virum & vxorem, & l. consensu, §. si verò causam, Cod. de repudiis. Quod tamen intelligi debet post Iudicis sententiam: est enim pœna, sicuti ex communi docent Sa ver. diuortium, num. penult. Sanch. lib. 10. de matrim. disp. 8. num. 13. Vbi tamen rectè ait; Maritum, si certus sit de adulterio vxoris, in conscientiæ foro posse retinere dotem, defendendo se contra vxorem repetentem, per exceptionem. Quia cui competit actio, eidem multò magis exceptio competere debet, reg. 71. in 6. Id tamen operatur Iudicis sententia, vt maritus dotem irreuocabiliter lucretur; adeò, vt quamuis post latam sententiam & ipse fornicatus fuerit, dotem tamen semel sibi acquisitam restituere non teneatur. Porrò, si adultera liberos habeat, ad ipsos dotis proprietas pertinebit, post mortem matris, sicuti docet Syl. q. 15. Sanchez num. 12.

Præter alia dotis priuilegia, quæ recenset Syluest. quæst. 12. hæc duo præcipua sunt: Primum. Si maritus ad inopiam vergat, vt dos apud eum periclitari incipiat, neque alia cautio sufficere videatur, ab vxore repeti poterit; vt vel ipsamet, si industria sit, aut alius eam administret, vel tuto aliquo loco, puta apud mercatorem collocetur; quò, dotis substantia interim salua permanente, ex fructibus eius familia sustentari possit, l. si constante, ff soluto matrimonio, l. vbi adhuc, Cod. de iure dotium, Authent. de æqualitate dotis, §. illud quoque, cap. per vestras, de donat. inter virum & vxorem, ibid. Abb. num. 12. Syluest. quæst. 16. Molina disput. 429. Rebell. quæst. 12. sect. 1. Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 83. Imò, cessante scandalo, ipsamet vxor clam marito dotem subtrahere non prohibetur; ita tamen, vt otiosa non maneat, sed exposita lucrum afferat, quod ad familiam alendam applicetur, sicuti Mol. annotauit.

Sin verò maritus dotem, vel partem eius, aut matrimonij communia lucra prodigè absumpsit, vxori damnum iniustum illatum censeri debet: ad cuius compensationem maritus, eiúsque hæredes obligantur, sicuti docet Pet. Nauar. lib. 3. cap. 1. num. 114. Less. lib. 2. c. 12. num. 87. contra Nau. in man. c. 17. num. 155. qui contrarium docuit de communibus lucris. Addit Less. non prohiberi vxorem, si ita opus esse videatur, occulta compensatione vti aliquid de mariti bonis subtrahendo: modò caueat, ne soluto matrimonio, propter ignorantiam factę compensationis, dotis restitutio vxori, vel hæredibus eius denuo fiat.

8 Alterum priuilegium. Vxor habet tacitam hypothecam in omnibus bonis mariti, donec sibi restituatur dos, l. in rebus, Cod. de iure dotium, cap. ex literis, de pignoribus, vbi Gloss. ait, & sequitur Syluest. quæst. 12. pari ratione bona Episcopi, alteriúsve Prælati oppignerata esse Ecclesiæ pro administratione bonorum. Et præfertur vxor in repetenda dote omnibus alijs personalibus creditoribus etiam tempore prioribus, tacitam quoque hypothecam habentibus, iuxta l. assiduis, Cod. Qui potiores in pignore, &c. & cit. l. vbi adhuc, cit. l. in rebus. Imò etiam habentibus hypothecas expressas, sed posteriores; id est, post dotis constitutionem appositas, sicuti docet Couarruuias 1. resolut. cap 7. n. 1. Syluest. cit. quæst. 12. Petrus Nauar. lib. 4. cap. vlt. num. 20. & videri potest Gloss. in cit. l. assiduis, ver. licet anterioris. Vide quæ dixi suprà tractatu 2. cap. 11. assert. 5. casu 4.

Ad extremum nota; quòd exceptionem dotis non numeratæ soluto matrimonio, vel facto diuortio inter coniuges, maritus apponere potest intra annum, si matrimonium vltra biennium non durauit; alioquin intra tres menses, si ampliùs biennio; dummodo non integro decennio, hoc enim casu exceptio nullo modo admittitur; ad eum finem, vt onus probandi reijciatur in eum, qui dotem promisit, sicuti habetur in l. vlt. iunct. Auth. C. de dote cauta, non numerata. Atque hæc de dote.

Parapherna dicuntur reliqua omnia bona vxoris, 9
præter dotem: in quorum administratione, & fructibus maritus vxore nolente nequaquam se immiscere debet: quamuis bonum, seu consultum sit *mulieri, quæ seipsa marito committit, res etiam eiusdem pati arbitrio gubernari*, l. hac lege, C. de pactis conuentis. Tunc verò si administratio paraphernorum marito commissa fuerit, pro iis quoque tacitam in bonis mariti vxor hypothecam habet, sicuti colligitur ex cit. l. vbi adhuc, iunct. Gloss. ver. suppositas, Cod. de iure dotium, & ex l. vlt. C. de pactis conuentis. Quamuis hypotheca pro paraphernis non sit ita priuilegiata, sicuti pro dote, secundùm Gl. in l. si ego, ver. sed condici, ff. de iure dotium, Couar. 1. resol. c. 7. num. 1. &c. quamuis pactum, p. 2. §. 2. n. 21. Syl. ver. paraphernum, q. 2. Mynsinger cent. 5. obser. 4. Mol. to. 2. disp. 430.

Donatio propter nuptias, græcè ἀντίφερνα dicitur, quasi dotis compensatio, germanicè *ein Segenroiden*. Est 10
enim donatio, quam vir, aliúsve eius nomine sponsæ ducendæ facit, in compensationem, vel potiùs securitatem dotis. Cùm enim donatio ista soluto matrimonio ad maritum redeat, sicuti dos ad vxorem, iuxta cap. vlt. de donat. inter virum & vxorem, & l. si liberis, Cod. de donat. ante nuptias; nisi pacto speciali aliud prouisum fuerit, l. vnic. §. illo, Cod. de rei vxoriæ actione; constante autem matrimonio administratio tam dotis, quàm donationis propter nuptias pariter ad maritum spectet, sicuti colligitur ex cit. l. vbi adhuc, iunct. Gloss. ver. sustentationem, & ex communi docet Syluest. ver. donatio, 3. quæst. 3. Ideo præcipua hæc est donationis propter nuptias vtilitas, vt mulieri securior dos maneat, si maritus bona possideat, quæ illi pro dote specialiter obligata sint, cit. l. vbi adhuc, & notat Abb. in cap. peruenit, num. 9. de emptione ac vendit. & in c. vlt. n. 12. de donat. inter virum & vxorem.

Accedit, quòd donatio propter nuptias ad modum & similitudinem dotis constituta intelligatur: ita, vt sicut vir dotem lucratur ob adulterium vxoris; ita etiam mulier donationem propter nuptias ob adulterium mariti. Deinde, si pactum intercessit de dote lucranda post mortem vxoris, intelligitur etiam interpositum de lucranda donatione propter nuptias post mortem mariti, sicuti constat ex cit. cap. vlt. & l. ex morte, Cod. de pactis conuentis. Eandémque ob causam statutum est in Authent. æqualitas, & subsequente l. lege Leonis, Cod. eodem tit. vt in dote & donatione propter nuptias æqualitas seruetur, non tantùm in prouenturis lucris, sed etiam in vtriusque præstatione & constitutione: id est, vt quanta dos marito constituitur, tanta vicissim donatio propter nuptias vxori decernatur. Quod tamen hodie plerumque non obseruari, notant Gloss. in cit. Authent. Abb. in cap. vlt. num. 12. de donat. inter virum & vxorem, Nicolaus Eucrardus tom. 1. consil. 40. num. 47. cùm fieri soleat, vt sæpe vel nulla constituatur donatio propter nuptias; vel non æqualis doti, sed minor, aut maior, vel sub alia forma.

Quibusdam locis constituitur sponsæ à sponso arrha, 11

id eſt, donatio facta in remunerationem dotis, virginitatis, nobilitatis: germanicè *ein Morgengab.* Quæ poſt mortem mariti, pleno iure vnà cum dote vxori exhibenda eſt: ſin autem contingat eam ante maritum decedere, ius habet de tali donatione, ſicuti de dote addecedere, ius habet de tali donatione, ſicuti de dote adventitia, arbitratu ſuo diſponendi, vel hæredibus ab inteſtato relinquendi. Qua de re Couarruuias in epit. p. 2. cap. 3. §. 7. num. 12. Molin. diſput. 431. Sanchez lib. 6. de matrimon. diſput. 27.

Denique ſponſalitia largitas dicitur, quam vnus ſponſus alteri ſponſo facit, cauſa, & quaſi conditione ſecuturi matrimonij. Quare ſi matrimonium ratum & carne conſummatum poſtea conſequatur, plenè confirmatur donatio, argum. l. ſi à ſponſo, Cod. de donat. ante nuptias, & docet Molin. to. 2. diſput. 290. Sanchez lib. 6. diſput. 19. Si autem matrimonium, eiúſve conſummatio non ſequatur; tunc inſpiciendum, vtrum id culpa donantis, vel donatarij acciderit. Si enim alteruter ſponſus, vel is, in cuius poteſtate conſtitutus eſt, cauſam non contrahendi matrimonij præbuit, reſtituere cogitur, quod ipſi nuptiarum cauſa donatum fuerat: ſi quid verò ipſe donârat, repetere non poteſt, l. cùm veterum, Cod. de donationibus ante nuptias. Sin autem neutrius ſponſorum culpa; ſed v. g. alterius morte, aut Religionis profeſſione matrimonium impeditum fuerit; tunc iura Cæſarea diſcrimen faciunt inter ſponſum & ſponſam; quòd donatio facta ſponſo omnino reſtituenda ſit; donatio verò facta ſponſæ, reſtituenda tantùm ſecundùm partem dimidiam, ſi oſculum, vel carnalis copula poſt donationem interuenit: alioquin tota, ſi nihil tale accidit. Ita habetur in cit. l. ſi à ſponſo. Quæ leges Cæſareæ, cùm iniuſtæ non ſint, ideo, vbi vigent, etiam in conſcientiæ foro obſeruandas eſſe, admonet Sanchez diſput. 18. concluſ. vlt.

Ad extremum nota: Quòd quicquid mulier, quæ, ſuſceptis ex priore matrimonio filiis, ad ſecundas nuptias tranſijt, à priore marito ſponſaliorum iure, donatione, aut vltima voluntate acquiſierat; vt ſi vni filiorum prioris matrimonij hæreditario iure ſucceſſerat; id totum moriens relinquere debet liberis, qui ex priore matrimonio ſuperſtites ſunt, l. fœminæ, Cod. de ſecundis nuptijs. Similitérque ex altero matrimonio ſuſcepti liberi ſponſalitias largitates, vel dotis lucra, quæ à ſuis parentibus prouenerunt, ſibi præcipua habere debent, l. cum aliis, l. generaliter, Cod. eodem. Vide quæ dicam lib. 5. tractat. vlt. p. 3. cap. 6. quæſt. 3.

CAP. XIV.

De Commodato & precario.

SVMMARIVM.

1 Commodatum eſt rei alicuius ad ſolum vſum gratuita conceſſio.

2 Commodatarius etiam leuiſſimam culpam præſtare debet, ſi in eius ſolius gratiam commodatum fuit.

3 Res commodata ante tempus reuocari non poteſt; niſi præter opinionem graue aliquid eueniat.

4 Precarium eſt, quod precibus petenti vtendum conceditur, quamdiu is, qui conceſſit, patitur.

5 In precario non præſtatur culpa, niſi lata ſit, quæ dolo æquiparatur.

6 Precarij contractus, de quo lib. 3. decret. tit. de precariis, non ita reuocari poteſt, ſicuti alia precariò conceſſa.

1 COmmodatum eſt *rei alicuius ad ſolum vſum gratuita conceſſio.* Dicitur *alicuius rei,* ſiue ea immobilis ſit, v. g. domus, ſtabulum; ſiue mobilis, præſertim quæ vſu non conſumitur; licet minuatur, ſeu atteratur, vt equus, veſtis, &c. Nam quæ vſu ſtatim abſumuntur, vt pecunia, vinum, commodari non poſſunt, niſi forte ad pompam & oſtentationem, l. 3. §. vlt. ff. commodati. Adde ex l. 1. §. 1. ff. eod. Eum, cui rei alienæ vſus, vel habitatio competit, poſſe etiam alteri commodare.

Ad ſolum vſum: In quo commodatum inprimis differt à pignore, & depoſito, quorum vſus non conceditur: nam ſi creditor pignore, vel depoſitarius re depoſita domino inuito vtatur, furtum committit, §. furtum autem, Inſtit. de obligationibus quæ ex delicto naſcuntur. Deinde differt commodatum à mutuo, vtpote in quo rei datæ dominium transfertur; in cōmodato verò ſolus vſus, dominio ac poſſeſſione penes commodantem remanente, l. rei commodatæ, ff. commodati. Ex quo aliud diſcrimen oritur, quòd in commodato res eadem numero, non deterior per culpam reddita, reſtituenda ſit: in mutuo res eadem, vel ſimilis, ſecundùm genus & qualitatem, vt infrà dicam, & habetur in §. item is, Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio.

Gratuita conceſſio: In quo differt à locatione. Nam, vt dicitur in cit. §. item is, *commodata res tunc propriè intelligitur, ſi nulla mercede accepta, vel conſtituta, vtenda data eſt: alioquin mercede interueniente locatus vſus rei videtur: gratuitum enim commodatum eſſe debet.* Nec refert, etſi res commodata vſu deterior fiat, v. g. veſtis atteratur: ſi enim ſine vlla negligentia aut culpa commodatarij accidat, commodantis damno fit: quippe qui in hoc tacitè conſenſiſſe cenſetur, niſi aliter pactus fuerit, l. eum qui, ff. commodati, & notauit Abb. in c. vlt. num. 3. de pignoribus.

In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, 2 qualem quiſque diligentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet, l. in rebus, ff. eodem. Quare etſi per culpam leuiſſimam perierint, aut deteriores redditæ fuerint, commodatarius damnum præſtare debet; quando in ipſius ſolius gratiam commodatum fuit. Quòd ſi aliquis ſua duntaxat cauſa commodauerit, v. g. ſponſæ ſuæ, vel vxori, quò honeſtiùs culta ad ſe deduceretur; vel ſi Prætor ludos edens ſcenicis commodauerit, dolus tantùm, & culpa lata, (quæ dolo æquiparatur, vbi de obligationibus ex contractu agitur) à commodatariis præſtanda erit, l. ſi vt certo loco, §. interdum, ff. eodem. Denique ſi gratia vtriuſque commodatum ſit, veluti ſi communem amicum ad cœnam inuitauerimus, tuque eius rei curam ſuſceperis, & ego tibi argentum commodauerim; culpa tibi præſtanda erit non tantùm lata, ſed etiam leuis, ſicuti in rebus pignori datis, & dotalibus, cit. l. in rebus, ver. hæc ita duntaxat, & docet Nauarrus cap. 17. num. 184.

Vocatur autem hæc actio commodati directa, per quam qui commodauit, poſt tempus tranſactum, rem commodatam repetit, eiuſve æſtimationem, ſi periit, aut deterior facta eſt, culpa commodatarij; non caſu. Niſi commodatarius in culpabili reſtituendi mora fuiſſet; vel ad alium locum, aut vſum rem commodatam, præterquam conuentum fuerat, & contra domini voluntatem, adhibuiſſet, eáque cauſa ſiue occaſione res amiſſa, vel deſtructa fuiſſet, caſus etiam fortuitus præſtandus erit, quippe cui culpa cauſam præbuit. Ita habetur in cit. §. item is. & in c. vn. de commodat. & tradit. Nau. c. 17. n. 183.

Quòd ſi res aliqua indiuidua, v. g. plauſtrum, iumentum duobus commodata fuit; & vnius dolo, vel culpa periit, aut deterior facta eſt, ille ſolus damnum præſtare cogetur. Sin autem neuter culpa caruit, vterque in ſolidum obligatur: Sed ſi alter totum præſtiterit, ab altero dimidiam partem repetere poterit, vti habetur in l. ſi vt certo loco, §. ſi duobus, ff. eod. Idémque

in locato locum habet, atque in deposito, iuxta l. 1. §. si apud duos, ff. depositi. Sin autem duo obligationem contrahunt non ex culpa, sed ex pacto, quia v. g. casum etiam fortuitum rei commodatæ, locatæ, vel depositæ in se susceperunt; singuli tantùm pro parte tenentur; nisi expressè conuentum fuerit, vt in solidum teneantur, sicuti sentire videtur Gl. in cit. §. si apud duos, ver. peruenietur, & videri potest Mol. to. 2. disp. 297. in fine.

Interdum verò ipsemet commodatarius contrariam commodati actionem aduersus commodantem instituere potest: vtputa ad recipiendas impensas maiores & extraordinarias, quas fecit circa rem commodatam, v. g. in curationem equi. Modica verò impendia, sicuti & cibariorum, ad commodatarium pertinent, cit. l. in rebus, §. possunt. Præterea si ex re commodata commodatarius damnum accepit, non sine dolo, vel crassa culpa commodantis; vtputa, quia sciens vasa vitiosa commodauit, & vinum, vel oleum infusum corruptum, effusúmue est, cit. l. in rebus, §. item qui sciens. Deni-
3 que, si is qui commodauit, ante tempus præscriptum, vsúmue finitum intempestiuè repetat, iniuriam infert: *Adiuuari quippe nos, non decipi beneficio oportet*, dicitur in l. in commodato, §. sicut, ff. eod. & consentit. c. vn. de commodato. Etsi enim liberæ voluntatis & officij, non necessitatis sit commodare, beneficiúmque tribuere; postquam tamen commodatum est, quod principio beneficij ac meræ voluntatis fuerat, conuertitur in obligationem, ciuilémque actionem, iuxta cit. §. sicut. Et confirmatur ex iuris reg. 33. in 6. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*

Valde tamen probabiliter excipiunt Angelus ver. commodatum, §. 4. Syl. eod. q. 4. Mol. disp. 294. Less. lib. 2. c. 27. n. 18. contra Nau. c. 17. n. 182. Nisi præter opinionem accidat, vt commodans maius, vel æquale detrimentum passurus sit; nisi rem commodatam ante tempus, vel vsum finitum reuocet. Ad hunc enim inopinatum euentum non censetur se obligare voluisse, qui gratis commodauit: quandoquidem quisque præsumitur ex re sua magis sibi ipsi, quàm alteri prospicere velle. Neque refert, quòd donator reuocare non possit donationem traditione perfectam, ideò quia re donata præter opinionem valde indigere incipiat. Est enim dispar ratio: quia in donatione transfertur omne ius dominij in donatarium; non item in commodato, locato, in quibus ius dominij commodans, vel locans sibi reseruat, sicuti rectè notarunt Mol. & Less. ll. cc. arg. l. ædem, C. de locato, de qua infrà dicam c. 23. n. 9.

Precarium ferme conuenit cum commodato, iuxta l. 1. ff. de precario. Imò tota definitio commodati, suprà à nobis tradita, in precarium etiam cadit. Si tamen strictè, & vt iura solent, de commodato, & precario loquendum sit; in eo præcipuè differunt, quòd commodatio fiat ad certum tempus, vel certum vsum; ita, vt antè res commodata à domino repeti non possit; eo autem finito, restituenda sit, licet non repetatur: *Nam dies statuta pro domino interpellat*, l. magnam. C. de contrah. stipul. c. vlt. de locato.
4 Precarium definitur ab Vlpiano in cit. l. 1. *Quod precibus petenti vtendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur*, id est, non reuocauerit. Et paulò pòst: *Qui precariò concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium soluere. Est enim natura æquum* (dicitur in l. seq.) *tamdiu te liberalitate mea vti, quamdiu ego velim: &, vt possim reuocare, cum mutauero voluntatem.* Dummodo non statim reuocetur, sine cogente necessitate, ne frustra & illusoriè concessum fuerit: quia etiam à precario fraus & dolus abesse debet; ne beneficium alicui præstitum ipsi damnosum existat, sicut notat Abb. in c. vlt. n. 13. de precario.

Atque hæc causa est, cur in precario dolus tantùm; non etiam culpa (nisi lata, quæ dolo æquiparatur l. 1. 5
§. ideo, ff. si mensor falsum modum dixerit, & l. quod Nerua, ff. depositi) præstanda veniat. Cùm enim, qui precariò dederat, non ex obligatione, sed mera voluntate, rem hucusque habere alterum patiatur, non censetur eum arctè obligare velle, l. 2. & l. quæsitum, ver. illud adnotatur, ff. eod.

Precarium non solùm in rebus corporalibus, tam mobilibus, quàm immobilibus; sed etiam in iuribus constitui potest: veluti, si me precariò rogaueris, vt per fundum meum ire, agere, vel in aream meam stillicidium mittere tibi liceat, l. 2. in fine, & l. 3. ff. eod.

Soluitur & reuocatur precarium I. Expressa concedentis voluntate. II. Voluntate tacita; videl. si rem, quam alicui precariò dedisti, postea vendas, dones. Si tamen emptor, vel donatarius non statim rem ad se reuocet, censetur & ipse precariò eam concedere, cit. l. quæsitum, ver. illud tamen, &c. vlt. de precariis. III. Soluitur precarium morte eius, cui concessum fuit; & non transit ad hæredes: cùm sit veluti gratia personalis, l. cùm precariò, ff. eod. & cit. c. vlt. Non tamen finitur morte eius, qui concessit; sed transit ad eius hæredem, vel successorem, sicuti eisdem locis dicitur. Id tamen intelligendum est, si absolutè alicui quippiam concessum; vel gratia facta fuerit. hæc enim durat, quamdiu à concedente, eiúsue hærede aut successore non reuocatur. Secùs se res habet, si alicui concessum fuerit ad beneplacitum concedentis, vel dum is voluerit. Eo enim mortuo, cessat beneplacitum ac voluntas: ideóque concessio seu precarium expirat, vt fusiùs dixi lib. 1. tract. 4. cap. 23. n. 17. & videri potest Abb. in cit. c. vlt. n. 5. de precariis, Couar. 3. resol. c. 15. Mol. tom. 2. disp. 298.

Denique ad intelligendum hunc ipsum tit. decret. de precariis, nota cum Gl. in cit. c. vlt. ver. præcariæ: Precarium contractum esse, per quem aliquid vtendum conceditur in perpetuum, vel ad tempus, pro annua pensione, aut gratis ob remunerationem beneficiorum, &c. idque ante tempus reuocari non potest: præterquam si à Prælato Ecclesiæ irrationabiliter concessio facta fuerit: tunc successor eius reuocare poterit, vti habetur in c. 2. de precariis. 6

CAP. XV.

De mutuo.

SVMMARIVM.

1 *Mutuum consistit in rebus quæ sub eodem genere functionem recipiunt, videlicet quæ in numero, pondere, aut mensura consistunt.*
2 *In mutuo rei datæ dominium transfertur; non item in commodato.*
3 *Filiusfamil. pecunias mutuò accipiendo iure Cæsareo non obligatur, ob S.C. Macedonianum.*
4 *Certi casus sunt, in quibus huic Senatusconsulto locus non est.*
5 *Probabilius est, etiam in conscientiæ foro exceptionem Senatusconf. opponi posse: modò mutuator in culpa aliqua fuerit, vt pœnæ locus esse queat.*
6 *Si administrator, vel curator alicuius personæ, aut loci pecuniam mutuò accepit, mutuans ostendere debet, pecunias in vtilitatem eius personæ, aut loci versam fuisse.*
7 *Si constet, aut ostendatur, Administratorem, vel alium quemuis mandatarium habuisse plenam facultatem mutuò accipiendi, probari non debet, in vtilitatem illius versum fuisse, pro quo acceperat.*
8 *Qui spe mutui accipiendi chirographum dedit, intra biennium opponere potest exceptionem non numeratæ pecuniæ.*

MVtuum dictum fuit, quia ita à me tibi datur, vt ex meo tuum fiat, Instit. Quibus modis re

contrahitur obligatio, in principio, & l. 2. ff. de rebus creditis.

1 Definiri solet ex eisdem iuribus: Mutuum *est traditio rei in suo genere functionem recipientis, vt statim accipientis fiat, & postea tantundem eiusdem generis, ac qualitatis restituatur.* In suo genere functionem recipere dicuntur, quæ sub eodem genere adeò similia sunt, vt in commutationibus, vel solutionibus alterum alterius vice fungi, siue pro altero substitui iure possint: illa nimirum, quæ in numero, pondere, aut mensura consistunt: videl, in pecunia numerata, vino, oleo, frumento, auro, argento, &c. quas res aut numerando, aut metiendo, aut appendendo damus: vt accipientis fiant, & vel eædem omnino, vel aliæ eiusdem naturæ ac qualitatis reddantur.

Quod dicitur *eiusdem qualitatis*, idem est, ac bonitatis: non enim licet debitori rem deteriorem, quæ ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum nouum pro vetere, l. 3. ff. de rebus creditis. Deinde intelligendum est de eadem qualitate, seu bonitate rei *intrinseca*, non extrinseco valore, qui pro temporum varietate variari potest: ita vt si frumenti scapham accepi mutuò, satisfaciam si tempore constituto simile frumentum eadem quantitate restituam: etsi eius valor imminutus sit, sicuti ex communi docent Abb. & Alexander de Neuo, & alij in c. vlt. de vsuris.

2 Differt igitur mutuum à commodato, precario, locato: v. g. si aurum, vel argentum ad pompam alicui commodaueris, pretio locaueris: quòd in his rei datæ dominium penes dantem maneat, ideóque eadem numero res reddenda sit: Sin autem casu perierit, vel decrementum aut accrementum valoris acceperit, commodantis, vel locantis commodo pariter, ac damno accidat. Contrà verò res euenit in mutuo, sicuti habetur in l. 2. ff. de rebus creditis, §. item is, Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio.

A permutatione verò, ipsáque emptione differt mutuum: quòd in illa non idem, sed aliud rei genus recipiamus: vt pro vino pecuniam, vel oleum, sicuti conuentum est: nam in his aliud pro alio inuito creditore solui non potest, cit. l. 2. §. mutui: v. g. si ex vendito debeas equum, non satisfacis dando duos boues, quamuis eiusdem æstimationis sint.

Si mutuo reddendo certum tempus præscriptum fuerit, & mutuatarius in mora culpabili extiterit, tam in externo, quàm conscientiæ foro omne damnum, & lucrum cessans mutuanti compensare debet, sicuti colligitur ex l. numis, ff. de in litem iurando, & docet Rebel. p. 2. lib. 8. q. 1. s. 1. Mol. to. 2. disp. 299. §. si certus terminus. Sin autem nullo definito tempore, mutuatum fuit, solutio fieri debet, cùm primum mutuator postulauerit: dummodo non statim postulet, absque cogente necessitate, sicuti super. cap. de precario dictum fuit.

3 Illud peculiariter constitutum est tit. ff. & C. Ad SC. Macedonianum, vt licet alioquin filiusfamilias pubes, etiam sine patris consensu, ex omni contractu obligationem, etiam ciuilem & efficacem, contrahat, vt suprà dictum est: tamen ex mutuo accepto efficaciter conueniri non possit, etiam post mortem parentis eius, in cuius potestate fuerat: sed perpetua exceptione Senatusconsulti tutus sit non solùm ipsemet filius: sed etiam pater eius, si peculium filij possideat, l. penult. C. eod. Imò etiam fideiussores, nisi donandi animo intercesserint, sicuti habetur in l. sed si, §. non solùm, ff. eod. Atque hoc Senatusconsult. etiam ad filiasfam. pertinet, iuxta cit. l. sed si, §. hoc Senatusconsultum.

Si tamen filius, aut filia, eiúsue fideiussor, non opposita exceptione, re ipsa soluant, solutum repetere non possunt: quia naturalis obligatio manet, ait Paulus Iureconsul. in lib. 10. ff. eod. Quamuis, vt obtimè ibi Gl. annotauit, hæc non sit sufficiens ratio: nam etiam in muliere fideiubente naturalis obligatio durat: (sicuti & in pupillo, ac Minore) & tamen, si soluerit, conceditur ei condictio, seu repetitio veluti iure ciuili indebitè soluti, vti constat ex l. debit[illegible], ff. ad SC. Velleianum. Causa itaque, cur filiofamilias, eiúsque fideiussoribus repetitio debiti soluti non concedatur, ea dari debet: quia hoc S C. non principaliter ob fauorem personæ, sed magis in odium fœneratorum introductum fuit, vti egregiè Vlpian. annotauit in l. sed si, §. vlt. ff. ad S C. Macedonianum: *Quia hi demum non repetunt solutum, qui ob pœnam creditorum actione liberantur, non quoniam exonerare eos lex voluit*: secuti mulierem, pupillum, Minorem. Quare etiam id consequens est, quòd mulier renuntiare possit beneficio S C. Velleiani, quippe quod in eius gratiam constitutum fuit: at verò filiusfam. exceptioni renuntiare nequeat: quia non ipsius causa, sed in odium creditoris introducta fuit, l. tamen, ff. eodem iunct. Gl.

Cæterùm non dubito, si ex pecunia mutuò accepta filiusfamilias, aut pater eius ditior factus est, eatenus naturali iure ad restitutionem obligatos esse. Etsi aliud secundùm ciuile forum significetur in cit. l. sed si, §. hoc Senatusconsultum, iun. Gl. ver. an extent.

Appellatur autem hoc Senatusconsultum Macedonianum: quia occasione fœneratoris Macedonis latum fuit, qui filiisfamilias pecunias numerare solebat, reddendas post mortem patrum: vnde illi ansam ceperunt patribus suis mortem machinandi: quò hæreditate parentum potiti, haberent, vnde se ære alieno liberarent, sicuti habetur in l. 1. ff. eod. Cùm autem verba Senatusconsulti dumtaxat ad pecuniam numeratam referantur: extendi non debent ad res alias mutuò datas: puta frumentum, vinum, oleum: nisi fraus Senatusconsulto adhibita fuisset, vt eiusmodi distractis fructibus pecunia proueniret, l. item si, §. mutui, ff. eod. Sed neque ad emptionem, aut alium contractum Senatusconsult. extenditur: licet in mutuum desierit: Puta, si filiusfam. equum à mercatore emit pecunia non numerata, sed in confessionem mutui, seu crediti deducta: præterquam si in fraudem Senatusconsulti id factum: cùm principalis intentio esset non vendendi, sed mutuandi, cit. l. 3. ff. eod.

Alij quoque casus sunt, quibus Senatusconsultum locum non habet: I. Si filiusfamilias, cùm pecuniam mutuò accepit, peculium castrense, vel quasi castrense habeat: Siquidem in eo quasi paterfamilias censetur, l. 2. ff. eod. Idémque dicendum videtur, si peculij aduentitij vsumfructum, & administrationem, cum patris consensu habeat. 4

II. Si filiusfamilias miles sit, cùm pecuniam accipit, l. vlt. C. eod.

III. Si filiusfamilias sui iuris esse publicè videatur, quando mutuam pecuniam accipit: vel patremfamilias se esse dicat, eiúsque affirmationi iusta ratione mutuator credat, iuxta l. 3. & penult. ff. eod. & l. 1. & 2. Cod. eod.

IV. Si filiusfamil. pro altero sui iuris existente, & mutuum accipiente, fideiussit, tenebitur: nisi id factum fuerat in fraudem Senatusconsulti, l. item si filiusfam. iun. §. 1. ff. eod.

V. Si filius mutuum acceperit iussu patris, aut cum consensu eiusdem saltem tacito: quia sciuit, & non contradixit: aut si pater postea contractum approbauerit, seu verbis, seu facto: quia v. g. partem debiti soluit. Ita habetur in cit. l. item si, §. vlt. & l. tamen si, ff. eod. & l. vlt. C. eod.

VI. Si filiofamilias legationis, vel studiorum causa alibi degenti, pecunia credita fuerit ad necessarios sumptus, quos ipsi patris pietas recusare non potest. Secùs est, si vltra eam quantitatem mutuatum fuerit, quàm pater ministrare solebat, &c. l. item si, §. proinde, ver.

de; ver. quod dicitur, & l. Macedoniani, C. eod. Pari etiam ratione Monasterium soluere cogitur pecuniam, quæ Religioso suo studiorum, aliáue iusta causa absenti ad sumptus necessarios mutuò data fuit, teste Abb.c. quod quibusdam, de fideiussoribus, Mol. disp.301. Imò ex his absolutè infertur cum Innoc. in c. quia plerique, de immunit. Ecclesiæ, Gomez 2. resol.cap.6.n.2. Quotiescunque pecunia credita versa est in sumptus filio, aut Religioso necessarios, quos proinde ei pater, vel Prælatus præstare debuerat, à patre, Monasterio, &c. obligationem contrahi.

VII. Si pecunia, quam filius mutuò accepit, in rem patris versa fuit: tunc enim non sibi, sed patri accepit, cit. l. item si, §. proinde.

VIII. Si pater, aliúsue filiumfamilias negotiationi suæ præposuit. tunc enim præsumitur facultatem dare mutuandi; nisi id prohibuerit seu expressè, seu tacitè, cit. l. item si, §. interdum. Vide Gomez loco cit.

Restat Quæstio. Vtrum filiusfamilias etiam in conscientiæ foro exceptione Senatusconsulti Macedoniani defendere se possit aduersus creditorem, creditam pecuniam repetentem, postquam ea consumpta est, & filius inde locupletior redditus non est? Negat Couar. c. quamuis pactum, p.2.§.3. n. 6. Fachin. lib. 2. controu.c.62. Rebellus l. c. s. 2. Eò quòd Senatusconsulti propositum tantùm sit in externo ciuili foro actionem, petitionémque denegare; sed nequaquam naturalem obligationem infringere, argum. l. sed si, & seq. ff. eod.

5 Verùm contraria sententia est communis Innocentij cit. c. quia plerique, Gomez cit. c.6. n.2. Less. lib.2. c.20. dub.2. n. 8. Mol. cit. disp.301. §. habet verò locum, Sanchez lib.7. mor. cap.31. n.22. Certum enim est, quòd lex ciuilis potuerit tum ob odium, ac pœnam fœneratorum; tum etiam ob Reipub. commodum ita statuere; vt tam extra iudicium, quàm in iudicio, adeóque in vtroque foro exceptio creditoribus opponi queat, ad filijfamilias liberationem. Voluisse autem id statuere, colligitur ex cit. l. sed si, §. sed etsi, iun. l. tamen si ff. eod. vbi absolutè dicitur, filiumfamilias perpetua exceptione tutum esse contra creditorem; adeò, vt etsi non opposita exceptione à Iudice condemnatus sit, nihilominus Senatusconsulti exceptione vti liceat: quod vel falsum, vel iniquum foret, nisi etiam in animæ iudicio exceptio illum tutum redderet. Debent autem hæc intelligi, dummodo mutuator siue fœnerator in aliqua culpa fuerit, vt pœnæ locus aliquis esse possit, sicuti singulariter notauit Abb. in cit. c. quia plerique n.26. Secùs, si mutuando nihil contra legem peccauit, vtputa, si probabiliter credidit patremfamilias esse, vel si mutuauit ad sumptus necessarios, vt pater rationabiliter conuentus esse debuerit, sicuti suprà dictum. Ad Couarruuiæ obiectionem respondetur: Mentem Iureconsulti in ea lege fuisse, rationem discriminis afferre; cur pupillus v.g. si quod ciuiliter indebitum erat, soluit, repetere possit: non item filiusfamilias. Quòd enim pupillus ex contractu sine tutoris consensu efficaciter non obligetur, id ob fauorem ætatis constitutum est; quòd autem filiusfamilias sine patris sui consensu efficaciter non obligetur ex contractu mutui, id potiùs ob pœnam & odium creditorum decretum fuit: *Odia autem restringi, & fauorem ampliari decet*, sicuti Gl. ibidem notauit. Interim non nego, quin filiusfamilias, sicuti & pupillus, ex contractu naturaliter obligatus maneat; sed vterque ea ex parte inefficaciter, quia exceptione legis ciuilis actio repelli potest, non tantùm in externo, sed etiam in animæ iudicio, vbi leges Cæsareæ in vigore sunt.

Porrò, etsi filiusfam. exceptioni SC. Macedoniani simplici promissione renuntiare non possit; cùm non in ipsius fauorem, sed potiùs parentum & Reipub. constituta fuerit; si tamen iuramento promissionem confirmet, obligabitur filius ad soluendum: cùm omne iuramentum seruari debeat, si possit sine dispendio salutis, c. quemadmodum, de iureiurando. Et ita docent Couar. Less. ll. cc. contra Abb. in c. cùm contingat, n. 22. casu septimo, de iureiurando. Neque facilè huius iuramenti relaxatio conferri potest, nisi in pœnam creditoris, fraude aliqua vtentis: vel nisi in aliqua prouincia ad quietem Reipub. admodum vtile esse videatur, ab eiusmodi mutuis omnino abstinere, sicut notauit Couar. in fine dicti n.6.

Præterea tam ciuili, quàm canonico iure specialiter constitutum est, vt si aliquis administrator siue curator personæ, aut loci fauorabilis, videlicet pupilli, Minoris, Ecclesiæ, Hospitalis, Ciuitatis, eius nomine mutuum accepisset, creditori probandi onus incumbat, pecuniam creditam curatori in vtilitatem pupilli, Ecclesiæ, ciuitatis, &c. conuersam fuisse. Ita enim in Ecclesiarum & piorum locorum fauorem statutum est, Auth. hoc ius porrectum, C. de SS. Ecclesiis, relata in causa 10. q. 2. & annotauit Abb. super cap.1. de deposito, n.9. Ratio constitutionis est: Cùm enim administratores valdè proni esse soleant ad pecunias mutuò accipiendas, ne ea res in fauorabilium personarum, vel locorum detrimentum cedat, iure ita prouisum fuit. 6

Quod attinet ad ciuitatem, si eius administrator, siue Rector mutuum accepit, non aliter Ciuitatem obligari, nisi creditor ostenderit in vtilitatem Ciuitatis pecunias conuersas fuisse, habetur expressè in cit. l. Ciuitas, ff. de rebus creditis, iun. l. 1. C. de solutionibus & liberationibus, lib. 11. Additur tamen in dicta l. Ciuitas, etsi id probatum non fuerit, nihilominus ad solutionem obligari ipsummet ciuitatis Rectorem, cui pecunia credita fuit: quod etiam in aliis suprà dictis curatoribus, vel administratoribus locum habet, teste Lessio lib. 2. cap. 20. dub. 2. n. 16. Molin. to.2. disp.300. in principio.

Si tamen cum auctoritate, vel consensu Concilij siue Senatus ciuici pecunia mutuò accepta fuerit; non opus est creditorem probare, in eiusdem ciuitatis commodum conuersam fuisse; tametsi fortasse ad mutui solutionem bona ciuitatis immobilia alienare necessarium sit: quippe cùm senatus ciuicus illorum alienationem, etiam sine euidente vtilitate, facere non prohibeatur. Ita ex Bartolo in cit. l. Ciuitas, docet Molina cit. disput. 300. §. hæc autem ratio, Arius Pinellus, l.2. Cod. de rescind. vendit. p.2. c.4. n.69. 7

Quod verò attinet ad mutuum datum Ecclesiæ, interueniente auctoritate Prælati, (vel etiam Capituli, vbi eius consensus necessariò adhibendus) distinguendum est cum Abb. in c quod quibusdam, numero 4. de fideiuss. Vtrum ad eius solutionem necesse sit bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa alienare, nécne. Nam in primo euentu necesse erit creditorem probare, pecuniam mutuò datam in Ecclesiæ vtilitatem conuersam fuisse: eò quòd talia Ecclesiæ bona sine euidente vtilitate, aut necessitate alienari non possint. In posteriore autem euentu opus non est tali probatione: quia Prælatus Ecclesiæ liberam habet administrationem bonorum mobilium, quæ pretiosa non sunt.

Hæc doctrina sumitur ex cit. c. quod quibusdam, in quo dicitur: Si Religiosus absque consensu Prælati, & maioris partis Capituli, pecuniam mutuò acceperit, non obligari Monasterium: nisi constet in vtilitatem eius conuersam fuisse: tunc enim inquit Gloss. agitur *actione de in rem verso*. Hinc autem ducto argumento ex sensu contrario, colligunt DD. si Religiosus cum consensu ac licentia requisita, pecuniam mutuò acceperit, demonstrandum non esse, eam in vtilitatem Ecclesiæ, siue Monasterij versam fuisse.

ergo multò magis ita dicendum est, si ipse Prælatus, cui plena fructuum administratio competit, mutuò acceperit.

Cæterùm obserua, si Prælatus qui mutuum acceperat, mortuus sit, cùm creditor ab Ecclesia repetit, saltem hoc eum ostendere necessarium esse, quòd Ecclesia pecunia indiguerit, adeóque prudenter ac rectè egerit Prælatus antecessor, pecuniam nomine Ecclesiæ mutuò accipiendo, sicuti colligitur ex c. 1. de solutionibus, vbi dicitur: Quòd Prælatus debita antecessoris soluere tenetur, quæ pro necessitate Ecclesiæ contracta sunt. Vbi Gl. ait: *Successor ad id tenetur, quod prædecessor facere debuit.*

Quod denique ad Minorem, & pupillum attinet, ij similiter soluere non tenentur, quæ ipsorum nomine à tutore, vel curatore mutuò accepta sunt; nisi mutuator ostenderit, in eorundem vtilitatem pecuniam profectam fuisse, sicuti habetur in l. 3. C. Quando ex facto tutoris, vel curatoris Minores agere, vel conueniri possint. Alioquin verò duntaxat contra tutorem, vel curatorem actio personalis institui poterit. Videri potest Arius Pinellus l. 2. C. de rescind. vendit. p. 3. c. 1. n. 31.

8 Ad extremum sciendum est ex l. in contractibus, & toto tit. Cod. de non numerata pecunia, & Instit. de literarum obligat. Eum, qui spe pecuniæ, alteriusue rei mutuò dandæ, propriæ confessionis chirographum creditori dedit, intra biennij spatium opponere posse exceptionem non numeratæ pecuniæ; eo fine, vt in creditorem, actorem onus probandi reijciat, pecuniam, &c. à se numeratam fuisse: qui si in probatione deficiat, absoluetur mutuatarius conuentus. Ratio est, quia desiderans rem aliquam sibi mutuò dari, fiducia huius beneficij consequendi, facilè inducitur ad anticipandam confessionem accepti, quod nondum acceptum est.

Similis porrò exceptio intra triginta tantùm dies creditoribus conuenit in quocunque debito, si opponant, spe eius recipiendi se instrumentum confessionis, seu apocham maturiùs tradidisse, l. in contractibus, §. super cæteris, C. de non numerata pecunia. Cautio verò est ad excludendas eiusmodi exceptiones, si Tabellio in publico instrumento scribat, in præsentia sui & testium pecuniam, vel aliud simile numeratum fuisse, sicuti monent Molina tom. 2. disput. 302. Abb. c. cùm P. num. 11. de fide instrument.

CAP. XVI.

De Vsura.

SVMMARIVM.

1 *Vsura est lucrum ex mutuo: quare vbi mutuum non reperitur, vsuræ locus non est.*

2 *Lucrum vsurarium est, quicquid temporale ac pretio æstimabile vltra sortem mutuò datam accipitur, quasi ratione mutui ex iustitia debitum sit.*

3 *Vsura non est, nolle mutuare alteri v. g. pecuniam, nisi is vicißim mutuò det frumentum. Sed vsura est, dare alicui mutuò, obligatione ipsi imposita, vt & ipse futuro tempore mutuare, aliudue officium præstare debeat.*

4 *Vsurarius non est, qui ob speratam remuneationem mutuò dat; alias non daturus, nisi id speraret. Sed obligatio remunerandi in pactum iustitiæ propter mutuum deduci haud potest.*

5 *Vsura alia est realis, & alia mentalis: Item alia aperta, & allia palliata: cuius plura exempla afferuntur.*

6 *Omnis vsura illicita est non solùm Ecclesiastico iure: sed etiam diuino, ac naturali.*

7 *Vsurarius non comparat dominium rerum per vsuram acceptarum.*

8 *Mutuo alij iusti tituli adijci possunt, quibus vltra sortem aliquid accipere licitum sit: videlicet lucri cessantis, damni emergentis, pœnæ conuentionalis, &c.*

9 *Etiam ob periculum probabile sortis amittendæ, aliquid iustè exigi potest.*

10 *Necesse tamen est, vt lucrum cessans, damnum emergens, vel sortis periculum in pactum deducatur, expressè, aut tacitè.*

11 *Mons, qui in Italia dicitur Pietatis, ab vsuræ iniquitate defenditur.*

12 *Pœna alia legalis est, alia conuentionalis, & alia iudicialis.*

Pœna iudicialis benigniorem interpretationem habet, quàm conuentionalis.

13 *Si mutuans nauigaturo, periculum sortis in se suscipiat, ratione huius grauaminis, aliquid accipere in conscientiæ foro non prohibetur.*

Noua interpretatio c. nauiganti, de vsuris.

14 *Licitum est mutuare frumentum in autumno, vt restituatur tempore verno; si æquale dubium sit, plusne, an minùs tunc valiturum sit: secùs, si quasi certum sit, eius pretium auctius fore: nisi in hoc casu ratio lucri cessantis excuset.*

15 *Si moraliter certum sit, valorem monetæ extrinsecum secundùm se auctum iri, non est licitum in censu redimibili pacisci, vt pretium emptionis eadem monetæ specie restituatur.*

16 *Si mercator mercem, quam pretio summo vendidit, postea pretio minore redimat, interdum ab vsura excusari potest.*

17 *Contractus antichriseos secundùm se illicitus, accessorijs titulis cohonestari potest.*

18 *Venditio cum pacto redemptionis licita est: & potest pretium emptionis minui, vel augeri, propter obligationem impositam redimendi, aut reuendendi.*

19 *Maritus, donec ei dos soluatur, fructus ex pignore sine sortis diminutione percipere potest.*

20 *Proprietarius ex oppignerato sibi feudo, vel emphyteusi fructus absque sortis exoneratione percipit.*

21 *Pœnæ vsurarijs canonico, & ciuili iure decreta sunt.*

VSura latinis idem est, quod vsus; sicuti cultura idem quod cultus. quo sensu Cicero in Verrem dixit: *Cur piratis lucis vsuram tam diuturnam dedisti?* Et videri potest Gregor. Tholosanus lib. 22. Syntag. cap. 22. Felician. de Solis lib. 1. de censib. cap. 5. princ. Sæpe tamen accipitur pro commodo siue fructu, ex rei vsu proueniente: *Terra*, inquit idem Cicero lib. de senectute, *nunquam sine vsura reddit, quod accepit.* Denique accommodatione vulgari sumitur vsura, & definitur, *Lucrum ex mutuo.* Aliàs fœnus dicitur, græcè τόκος: quòd sit fœtus, siue genitura pecuniæ, alteriúsue rei mutuò datæ. Sed partus infelix, ac spurius; cùm tales res suapte natura parere non debeant. Vide S. Basilium in psal. 14. 1

Pro intellectu descriptionis vsuræ, quòd sit *lucrum ex mutuo*, aduerte primò; Mutuum esse vnicam veluti sedem vsuræ, sicuti colligitur ex congestis à Gratiano causa 14. quæst. 3. & doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 78. & tradit S. Antoninus p. 2. tit. 1. ca. 7. §. 8. Nauarrus comment. de vsuris, num. 4. aliique communiter. Quare, vbi mutuum seu expressum, seu tacitum & virtuale non est, ibi vsura locum non habet.

Secundò nomine *lucri* intelligi debet quicquid temporale, ac pretio æstimabile vltra sortem mutuò datam 2
accipitur, quasi ratione mutui ex iustitia debitum sit. Quæ doctrina sumitur ex cit. causa 14. q. 3. vbi ex Ambrosio lib. de Tobia cap. 14. refertur: *Quodcunque sorti accedit, vsura est.* Et ex Concil. Agathensi, *vsura est, vbi amplius requiritur, quàm quod datur.*

Porro diligenter examinanda sunt verba singula, quibus vtor in descriptione lucri vsurarij: I. *Quicquid temporale.* Si enim paciscaris, vt vltra sortem restituendam pro te oretur, sacrificetur, &c. non est vsura, sed potiùs simonia: quia commodum seu beneficium mutuationis temporale confertur, quasi in compensationem pro re spirituali.

II. *Et pretio æstimabile.* Nam si vltra sortem intendas consequi mutuatarij beneuolentiam, amicitiam, non committis vsuram: tum quia amicitia ac beneuolentia pretio æstimabilis non censetur, quando gratis ac voluntariè, non ex iustitiæ obligatione exhibetur. Attamen munus à lingua, & munus ab obsequio (vt videlicet mutuatarius obligatus sit ad obsequia, vel honorem externum mutuatori præstandum, vel laudem apud alios & commendationem impertiendam) pretio æstimabilia censentur, ideóque

materia vsuræ: si in pactum deducantur, quòd vltra sortem præstari debeant. Quia licet fateamur, famam, & honorem pretio secundùm se æstimabilia non esse; obligatio tamen & onus laudandi, honorandi, obsequendi pretio æstimantur: quamobrem nihil frequentius est, quàm vt pro eiusmodi opere, & obligatione operis mercedes seu salaria constituantur.

Quamobrem rectè colligunt Conradus de contract. quæst. 37. Pet. Nauarrus lib. 3. cap. 2. num. 386. Molin. tom. 2. disput. 307. Vsuram esse, si alicui mutuò des cum pacto, vt remittat tibi obligationem restituendi ipsi famam, quàm antè iniustè læseras: quippe cùm talis obligatio tibi onerosa & molesta sit, ideóque eius condonatio pretio æstimabilis.

Simili ratione vsura est, si alicui mutues, cum pacto, vt mutuatarius actione iniuriarum, quam iustè intentare potest, abstinere obligatus sit: quippe cùm hoc ius ipsius pretio æstimabile sit, sicuti docet Angelus ver. vsura, 1. §. 3. Medina de rebus per vsuram acquisitis, quæst. 1. §. lucrum, Molina cit. disp. 307. contra Sotum lib. 6. quæst. 1. art. 2. paulò post princ. Nauarrum cap. 17. num. 238. ea ratione motos: Quia satisfactio pro illata iniuria non debetur ante sententiam Iudicis: ergo nihil remittitur pretio æstimabile. Sed respondetur: Non remitti quidem ipsam satisfactionem, quippe quę nondum debita est; sed remitti ius exigendi satisfactionem à Iudice. quod ius mutuatario læso iam competit. Fateri tamen debemus, rarò in eiusmodi casu vsuram timendam esse: quia plerumque præsumi potest, mutuatarium, si homo liberalis sit, propter præstitum sibi mutuationis beneficium, dictas obligationes seu debita gratis remittere ac condonare.

3 Exinde aliæ quæstiones soluuntur: Videlicet: An vsura sit alicui mutuare pecuniam, cum pacto, vt is vicissim mutuò det v. g. frumentum; vel ad molendinum mutuatoris frumenta deferat? Aut mutuare viro principi pecunias, cum pacto, vt is officium vacans mutuatori conferat, aut prædium suum vendat, in emphyteusin det: Vel mutuare literarum studioso ea conditione, vt mutuatoris potiùs, quàm alterius Professoris lectiones audiat? Ad hæc neganter respondent Adrian. de restit. vbi de vsura, Angelus verb. vsura 1. §. 5. Ioan. Maior in 4. d. 15. quæst. 29. Nam vsura non est, nisi mutuator aliquid lucri vltra sortem datam accipiat: Mutuans autem in dictis casibus vltra datam sortem nihil accipit, aut lucratur. Quia tametsi ipsi vicissim mutuandum sit frumentum, tantundem tamen restituere cogetur. Similiter nec molitori, aut officiali, aut prædij emptori, vel conductori seu emphyteutæ aliquid accrescit; posito quòd pactum, cuius celebrandi conditio adiecta est, secundùm se iustum & æquum sit, vt opera exhibita à molitore, officiali, colono, &c. respondeat stipendio, mercedi, pensioni. Denique neque laus, fama, aut gratia, quæ Professori ex discipulorum multitudine accrescit, pretio æstimabilis est, vt lucrum aliquod ex mutuo censeri possit.

Contrarium verò in his quæstionibus docent alij DD. plerique, Caiet. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 2. & in sum. ver. vsura, cap. lucrum vsurarium, casu 7. & seqq. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 3. dub. 8. Abb. in c. vlt. num. 17. de vsuris, Sotus l. 6. q. 1. a. 2. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 7. §. 8. Nau. c. 17. nu. 220. & 223. Syl. ver. vsura, 1. q. 7. Medin. de rebus per vsuram acquisitis, q. 4. Mol. to. 2. disp. 309.

Pro concordia vtriusque sententiæ respondeo, & dico I. Vsura non est, nolle mutuare alteri pecunias v. g. nisi is etiam beneficium aliquod præstet, v. g. frumentum mutuò det, vacans seculare officium conferat; vel nisi simul alium contractum v. g. venditionis, locationis pretio seu pensione iusta celebret. Ita sentiunt Adrianus, Angelus, & Maior ll. cc. Pet. Nau. lib. 3. c. 2. num. 24. & sumitur ex S. Thom. 2. 2. q 78. a. 2. ad 4. Less. lib. 2. c. 20. dub. 8. Mol. tom. 2. disp. 308. §. dubium est. Requiritur tamen, vt sit mera conditio cum qua, & sine qua non mutuandi: non autem propriè in pactum deducatur, cum obligatione iustitiæ mutuatario imponenda ad vicissim mutuandum, vendendum. Quod fiet, si dicatur homini: Si vis à me obtinere pecunias mutuas, oportet te quoque mutuare frumentum: vel iusto pretio vendere, aut locare mihi prædium: aliàs nihil obtinebis. Vel: Volo tibi mutuò dare pecunias: sed oportet te gratum esse ob beneficium, & scholas meas frequētare, vel ad molēdinum meum frumenta adferre, merces ex mea taberna pretio iusto emere, aut vacans officium mihi conferre: non quidem vt ex iustitia ad talia mihi præstanda ratione mutui accepti, vel accipiendi obligatus sis, (id enim apertè vsurarium esset) sed in tuo arbitrio sit talia præstare: tamen si non præstes, mutuum non accipies, vel acceptum illico repetetur. Quamuis eiusmodi pactiones periculo vsurariæ intentionis non carent.

Dico II. Vsura est alicui mutuare cum pacto, vt mutuatarius ex iustia obligatus sit vicissim mutuò dare, officium aliquod conferre, molendinum, scholas, tabernam mutuatoris frequentare, prædium quamuis iusto pretio, aut pensione vendere, elocare. Ita expressè S. Thom. cit. a. 4. ad 2. Caietan. in sum. ver. vsura, Sotus cit. a. 2. Nau. cit. num. 20. Mol. disp. 308. & 309. Ratio est: Quia vltra sortem suo tempore reddendam, mutuatario onus seu grauamen imponitur, quod pretio æstimabile est. Quamobrem mutuator in tali casu ad aliud non tenetur, quàm vt mutuatarium imposito grauamine liberet, nolitque eum ciuiliter obligatum esse, sed in eius libera voluntate positum, ex gratitudinis affectu tale ipsi beneficium præstare. Sin verò grauamen executioni mandatum fuerit, restitutio facienda erit ipsi grauato, quatenus eius interest; nisi talem restitutionem remittere censeatur.

Porrò rectè Mol. cit. disp. 309. contra Sotum cit. a. 2. ante medium, contractum istum defendit; Si mercator indigenti dicat: Nolo tibi pecunias mutuare: sed conduco tuas operas ad futuram messem, mercede pecuniaria nunc anticipata: cùm verè contractus iste mutui non sit, sed conductionis & locationis. Quemadmodum, si rustico pecuniis indigenti nolim mutuare: sed pretio anticipato emam ab eo triticum, tradendum post futuram messem: venditionis, non mutui contractus censeri debet.

Dico III. Nihil prohibet, quominus contractui mutui in futurum instituendo accidentaria grauamina vicissim adijciantur: modò ea vtrinque æqualia sint. Ita docet Less. cit. c. 20. num. 61. Mol. disp. 308. colum. 3. v. g. Obligo me ad mutuandum tibi pecunias, si vicissim te obliges ad mutuandum mihi frumentum, emendum à me merces. Etsi enim pro actu mutuandi non liceat talem pretio æstimabilem obligationem vltra sortem exigere: licitum tamen id est pro suscepta mutuandi obligatione: cùm & ipsa non minùs pretio æstimabilis sit. Simile quiddam est, si mutuatarius indigeat pecuniis Augustæ: sed mutuator malit solutionem sibi fieri Monachij: tunc obligare se potest ad mutuandum pecunias Augustæ in gratiam mutuatarij, vt is vicissim se obliget ad restituendum Monachij in gratiam mutuatoris; modò obligatio vtrinque æqualis sit. Accedit, quòd contractus iste potiùs videatur esse iustæ permutationis seu cambij localis, quàm mutui, sicuti Molin. annotauit, disp. 310. §. quod attinet ad quartum.

III. Particula, seu conditio lucri vsurarij erat, vt acceptum sit *ratione mutui*. Si enim alicui pecunias ad pompam concedas, postulato pretio, vsura non committitur: quia non accipis ratione mutui, sed ratione locati, sicuti notauit S. Thom. 2. 2. quæst. 78. a. 1. ad 6.

IIII. *Quasi ex iustitia debitum.* Nam si speres, vel 4

+ H[illegible] damnata est a S. D. Inn. 11.

etiam roges mutuatarium, vt memor præstiti beneficij, ex spontanea gratitudine remunerare velit; vel etiam eiusmodi gratuitum donum accipias, vsurarius non es, iuxta doctrinam S. Thom. in corp. a. 2. Nec refert, etsi principaliter mutues propter remunerationem, ita vt nisi sperares donum gratuitum te accepturum, mutuò non dares: quemadmodum etiam Clericus sæpe non seruiret Episcopo, nisi speraret ab eo beneficium Ecclesiasticum se assecuturum. Ita docent Sotus lib. 6. quæst. 1. a. 2. Petr. Nauar. lib. 3. cap. 2. num. 197. Mol. disp. 305. Less. c. 20. n. 37. contra Henric. Gandauens. quodlib. 6. q. 26. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 1. Syluest. ver. vsura, in princ. Medin. Cod. de restit. q. 1. Couar. 1. resol. c. vlt. num. 4. Adrian. in 4. de restit. vbi de vsura, dub. 7. Nauar. comment. de vsur. notab. 10. qui oppositum docent, argum. cap. consuluit, de vsuris. Ad quod respondetur; Ibi sermonem esse de eo, qui mutuò dat cum intentione, (licet in pactum non deducta) aliquid supra sortem recipiendi, tanquam ex iustitia debitum ratione mutui: talis enim censeri debet vsurarius mentalis, obligatus etiam ad restitutionem rei datæ: Excepto, si consideratis circumstantiis præsumi possit, mutuatarium gratis & liberaliter dedisse, & non vt debitum. Sic enim potuit, & voluit transferre dominium; esto mutuans vsuraria intentione acceperit. quod bene docet Petr. Nauar. num. 216. iuncto num. 230. *Ex qualitate rei datæ, ex signis amicitiæ, ex paupertate vel copia, ex iactura vel lucro dantis, ex eo demum, quod virtus gratitudinis poscit, erit à prudente Confessore donatio conijcienda.* Similia habet Adrianus in 4. de restit. vbi de bello, in 5. dub. Mol. disp. 305. Less. num. 45.

Sed quæstio est; Vtrum vsura sit, si mutuator in pactum deducat, vt mutuatarius obligatus sit vicissim beneficium prestare, v. g. futuro tempore etiam mutuare, merces à mutuatore emere, non ex obligatione iustitiæ; (id enim suprà refutatum est) sed solius gratitudinis & naturalis æquitatis? Negant Angelus verbo vsura, 1. §. 4. Couarruu. 1. resolut. cap. vlt. num. 4. Less. cit. cap. 20. dub. 8. num. 56. vbi aiunt; Non esse vsuram, si mutuator in pactum deducat faciendam remunerationem seu ἀντίδωρον, modò tali pactione nulla noua obligatio mutuatario imponatur. Sed respondeo, hanc doctrinam ambiguum sensum habere. Vera enim est, si nihil aliud velint citati Doctores, quàm quòd mutuator inter mutuandum mentionem facere possit, seu admonere mutuatarium de beneficio vicissim præstando; nullam interim nouam obligationem iustitiæ ei adferre intendens. Quamuis enim hoc casu, si mutuator mentionem faciat de aliquo vltra sortem præstando, aut dando, periculum & præsumptio sit vsurariæ intentionis; re ipsa tamen abesse potest, vt animus sit dandi, & accipiendi tanquam liberale donum in compensationem præstiti beneficij mutuationis, sicuti notat Caietan. cit. quæst. 78. a. 1. Molin. disput. 305. §. dicendum est. Falsa autem, & secum ipsa pugnans doctrina est, si intelligatur, quòd mutui contractui aliud pactum sine vsuræ vitio adijci possit: videlicet vt mutuatarius obligatus sit non quidem ex iustitia, sed gratitudinis virtute, certum beneficium vicissim præstare mutuanti. Nam inprimis, licet mutuatarius ex mutuatione beneficium accipiat, tamen gratitudinis virtus plerumque eum determinatè non obligat ad certum aliquod officij genus vicissim præstandum; sed qualecunque ipsi placuerit: quare, si certum officij aut beneficij genus in pactionem deducatur, noua obligatio imponitur, sicuti bene notauit Medina de rebus per vsuram acquisitis, quæst. 1. Deinde, etsi ponamus, tales in aliquo casu adesse circumstantias, vt mutuatarius ex gratitudine, vel saltem morali honestate obligatus censeatur tale officium seu beneficium præstare; tamen non rectè dicitur, illud in pactum deduci posse. Quia pactum omne, si propriè loquendum sit, iustitiæ obligationem adfert: atque ad id, quod pacto promissum est, quisque compelli potest. Ergo pactum repugnat gratuitæ ac liberali remunerationi. Quæ est doctrina S. Thom. 2. 2. qu. 78. a. 2. ad 2. vbi debitum ex pacto vocat debitum ex iustitia; Gl. in Clem. 1. de vsuris, ver. onera, Abb. cum sua additione in c. consuluit, in fine, de vsuris, Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 3. dub. 1. Rebell. p. 2. lib. 8. de vsuris, q. 4. & sumitur ex l. rem legatam, ff. de alimentis legatis: *Nemo in necessitatibus liberalis existit.* Vbi Gl. ait: *Qui dat aliquid ex necessitate, non dicitur donare.*

condenada

Contrarium quidem docuit Adrianus in 4. de restit. vbi de vsura, §. sed contra; Si mutuatarius ex gratitudine obligetur ad aliquid dandum, vel præstandum, posse id in pactum deduci, per quod strictiùs, videlicet ex iustitia, obligari incipiat. Quæ doctrina refutari debet: quandoquidem strictior illa obligatio, adeóque nouum grauamen, quod mutuatario imponitur, pretio æstimabile est. Illud tamen fateor, si mutuatarius vltro promissionem faciat: v. g. Si mutuò mihi des 100. aureos, ecce ἀντίδωρον istud tibi do, vel daturus sum; non fore te vsurarium, si spe accipiendi mutuò des, alioquin non mutuaturus, modò appareat, animum mutuatarij esse donandi seu liberaliter dandi; non veluti ex reciproca obligatione pro mutuo. Deinde certum esse debet, si mutuatarius liberali animo promissionem fecit, acceptante mutuatore: exinde obligationem iustitiæ illum contrahere, non vi mutui, sed gratuiti pacti.

His explicatis, quæ ad vsuræ definitionem pertinere videbantur, diuiditur vsura primò, in realem ac mentalem: Realis est, in qua lucrum ex mutuo in pactum deducitur seu expressè, seu tacitè. Mentalis est, si mutuans in pactum non deducat: speret tamen atque intendat lucrum non gratuitò offerendum, sed quasi ratione mutui debitum sit. Vide de hac diuisione Nauar. comment. de vsuris, num. 12. 5

Secundò diuiditur vsura in apertam, & palliatam. Aperta est, quæ in mutuo formali atque expresso fundatur: videlicet, do tibi mutuò 100. flor. vt post annum reddas mihi 105. Palliata vsura committitur in contractu mutui non formalis & expressi, sed alterius contractus nomine ac specie, veluti pallio, occultati. Exemplum habes primò in mercatore, qui ob dilatam solutionem pretij, cariùs mercem distrahit, v. g. florenis 100. cùm valeat tantù 95. Non enim is aliud agit, quàm quòd 95. florenos, qui velut iustum pretium statim soluendi essent, emptori mutuò det, ea lege, vt eos post annum reddat cum auctario, quod reprobatur in cap. in ciuitate, c. consuluit, de vsuris. Nisi, vt postea dicam, mercatoris intersit, seu ratione lucri cessantis, seu ratione damni incurrendi, solutionem pretij non differri; neque lateat emptorem, ob solutionis dilationem, mercem cariùs vendi.

Alterum exemplum habes in emptore, qui ob anticipatam pretij solutionem minoris emit, quàm res empta valeat. Ita colligitur ex c. nauiganti, de vsuris, vbi id notat Gl. ver. verosimiliter dubitatur, Abb. num. 6. S. Thom. 2. 2. quæst. 78. a. 2. ad 7. Adrianus in 4. de restit. §. occurrit insuper. Binsfel. in cit. cap. in ciuitate, quæst. 3. & 4. Si tamen ob aliam causam, quia videlicet existimatur verno tempore mercem minoris valituram esse, minus pretium soluatur mense Augusto, nulla vsura committitur: v. g. si lignorum plaustrum, quod nunc valet quatuor florenis, tradendum tibi post sex menses, emas tribus cum dimidio: quia fieri posse existimatur, vt illo tempore adhuc minùs valiturum sit: quamuis accidere possit, vt etiam plus valeat: quia vterque contrahentium æquali periculo subijcitur, argum. cit. c. nauiganti.

Tertium exemplum. Si deponas apud alterum pecuniam, data ipsi facultate vtendi, eo pacto, vt propterea obligatus sit pretium aliquod soluere. In veritate enim talis contractus non est depositi, sed mutui, sicut constat ex l. certi, §. vlt. & l. seq. ff. de rebus credit. Nam in deposito rei dominium manet penes deponentem: sed cùm datur ius vtendi seu potiùs absumendi pecunã, transfertur ius dominij; consequenter fit mutuum, & quidem vsurarium, quando ex eo pretium exigitur, vel recipitur, sicuti docet Nauar. lib. 3. consil. 1. n. 6. iuncto consil. 4. num. 2. de deposito, edit. 2. & in man. c. 17. num. 181. vbi hanc regulam tradit: Omnis depositio rei consistentis in numero, pondere, vel mensura, concessa facultate vtendi, & adiecto pacto aliquid propterea soluendi deponenti, iniusta est. Simile est, si constituam aliquem Procuratorem redituum meorum, finito anno mihi soluendorum, data facultate, vt interim acceptis pecuniis Procurator lucrari possit; sed propterea aliquod pretium pro hoc iure mihi soluere cogatur, sicuti tradit Nau. consil. 2. eod. tit. Nisi animus sit societatis contractum cum tali Procuratore instituere. qua de re infrà cap. 20.

6 Nunc verò dicendum; Omnem vsuram tam mentalem, quàm realem; tam palliatam, quàm apertam illicitam & prohibitam esse, non solùm canonico iure Clem. vn. & lib. 5. ac 6. decretal. de vsuris; sed etiam diuino pariter, ac naturali, sicuti constat ex c. 22. Exodi, c. 18. Ezech. c. 28. Prouerb. & Ps. 14. *Qui pecuniam dedit ad vsuram.* Psal. 54. *Vsura et dolus.* Lucæ 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.* Quæ verba licet inprimis consilium contineant, quatenus suadent, vt mutuò detur; præcipiunt tamen, vt postea quàm mutuo datum fuit, nihil amplius exigatur, quàm mutuatum est: quemadmodum & verba Psal. 75. explicanda sunt: *Vouete & reddite Domino.* Eandémque veritatem naturali lumine agnouit Arist. 4. Eth. c. 1. & 1. Polit. c. 7.

Ratione probatur: Quia iustitia commutatiua non permittit, vt pars contrahens plus reddere cogatur, quàm accepit: Ponimus autem, mutuatarium accepisse tantùm 100. florenos: ergo tantundem, & non plus ex contractu mutui restituere cogitur. Neque refert, quòd mutuatarius data sibi pecunia vti, atque lucrari possit: quandoquidem ius vtendi, sicuti & lucrum pertinet ad dominum, qui pecuniam suam adhibet ad lucrandum: mutuatarius autem statim efficitur dominus pecuniæ ipsi mutuò datæ. Ergo ad eum vsus & commoditas, itémque lucrum, quod ex re sua percepit, spectare debet; sicuti bene inter alios annotauit Scotus in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Ioan. Gerson. p. 2. operum, opusc. de contractib. consider. 15. Maior in 4. d. 15. q. 29. Gabr. q. 11. a. Non ita verò se res habet in re locata, vel societati tradita; quippe cuius dominium, ideóque etiam periculum pariter ac commodum, penes dantem manet: quamobrem pro eius vsu, & commoditate tanquam ad se pertinente aliquid accipere potest, sicuti notauit S. Thom. cit. q. 78. a. 2. ad 5. Richardus in 4. d. 15. q. 5. Confirmatur: Pecunia, vinum, frumentum, & aliæ eiuscemodi res, in quibus mutuum consistit, in seipsis steriles & non fructiferæ sunt: Ergo iniquum est, pro earum vsu, aut fructu alteri concesso quippiam exigere; quemadmodum in locatione, aut emphyteusi exigi potest. Probatur antecedens: Res fructifera dicitur, ex qua permanente vsus, commoditas, vel fructus percipi ac separari potest; veluti ex domo inhabitandi commoditas, ex agro frumentum, ex vacca lac, caseus, vitulus. Atqui pecunia, vinum, frumentum, &c. ipso vsu absumuntur, seu vsus earum est abusus, id est, absumptio. l. Hoc SC. in fine, ff. de vsufructu rerum, quæ vsu absumuntur. Ergo non sunt res fructiferæ, neque earum vsus à dominio sæparatus æstimari, aut in commutationem venire potest, sicuti edocet S. Thom. in corp. a. 1. cit. quæst. 78. & bene explicant Abb. in rubr. de vsuris, Gabriel loc. cit. Pet. Nauar. lib. 3. c. 2. num. 180. Mol. to. 2. disp. 304.

Corollarium I. Vsurarius non comparat dominium rei per vsuram acceptæ. Nam deest titulus, siue iusta causa accipiendi: absque titulo autem rerum dominia non acquiruntur. Quæ est communior DD. sententia Gl in c. transmissæ, ver. licitè, de decimis, S. Th. q. 78. a. 3. Caiet. ibid. & to. 3. opusc. tract. de vsuris, q. 1. Alex. Halens. p. 3. q. 66. memb. 4. Richard. in 4. d. 15. a. 5. q. 6. Maioris ibid. q. 38. Gabr. q. 11. a. 1. in fine. Angeli ver. vsura, 2. §. 18. Syl. eod. ver. q. 1. conclus. 1. Couar. 3. resol. c. 3. Soti lib. 6. de iust. q. 1. a. 4. Binsfeld. c. cùm tu, de vsuris, q. 1. conclus. 1. Pet. Nau. lib. 3. c. 2. n. 388. Molin. to. 2. disp. 326. Less. c. 20. dub. 18. contra Abb. & alios Canonistas in cit. c. cùm tu, Nau. c. 17. man. n. 265. Palud. in 4. d. 15. q. 2. a. 5. Adrian. in 4. de restitut. vbi de vsura, §. sed hæc opinio Excipiendum verò est, nisi pecunia v. g. vsuraria cum aliis iustè acquisitis permixta sit, vt discerni non possit, iuxta l. si alieni, ff. de solutionibus, & docent Less. l. c. n. 156. Molin. cit. disp. 326. qui tamen rectè monet, dum pecunia vsuraria in aceruo permixta manet, competere mutuatario realem actionem, qua petat sibi ex illo aceruo ante alios creditores restitutionem fieri. 7

Corollarium II. Christiani Principes Iudæis subditis suis possunt, ac debent prohibere vsuras, quæ naturali ac diuina Decalogi lege interdictæ sunt; etsi id consuetudine non vbique obseruari, annotauit Clarus lib. 5. sentent. §. vsura, n. 7. Etenim, quòd permissio vsurarum, si approbatiua non sit, maioris mali vitandi causâ interdum licita esse possit, docet etiam Less. lib. 2. c. 20. n. 179. Mortaliter tamen aduersus iustitiæ legem peccabit Magistratus, si vsuræ licentiam det cum obligatione seu pacto magni tributi soluendi; quippe cùm propterea vsurarij vsuras augere, & pauperes magis opprimere cogantur, sicuti Less. l. c. annotauit, & Mol. disput. 304. in fine. Præterea in Clem. vn. de vsuris habetur excommunicatio latæ sententiæ contra Iudices, qui ad vsurarum solutionem compellunt, aut impediunt quominus solutæ repetantur, vel restituantur. Et in cap. 1. de vsuris in 6. excommunicatio, & aliæ censuræ latæ sententiæ reperiuntur contra personas Ecclesiasticas, si vsurarios alienigenas in suis terris habitare permittant.

Contra traditam doctrinam objicitur primò illud Deuteronom. 23. *Non fæneraberis fratri tuo ad vsuram, &c. sed alieno.* Respondet S. Thom. cit. a. 1. ad 2. Vsuram erga extraneos, tanquam minùs malum Iudæis permissam fuisse, vt à maiore malo fratribus fænerandi arcerentur. Aliter respondet S. Ambrosius lib. de Tobia, c. 15. & refertur c. vlt. 14. q. 4. *Cui meritò inferuntur arma, huic merito auferuntur vsuræ. Quem bello vincere non potes, ab hoc vsuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat. Sine gladio se de hoste vlciscitur, qui fuerit vsurarius executor inimici: Ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vsuræ.* Vide Conradum de contract. quæst. 24. Greg. Tholos. lib. 22. syntag. c. 3. num. 21. Mol. disp. 304. Adrianum in cap. de restitut. §. Quia tactum est, Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 1. Felicianum de Solis lib. 1. de censib. c. 5. n. 16.

Objicitur II. Cæsareis legibus vsuras approbari. Respondetur: Si leges Cæsareæ alicubi lucratorias vsuras statuunt, canonico iure correctas esse, sicuti constat ex Clem. vn. de vsuris.

Objicitur III. Laborem mutuatoris in numerãda pecunia pretio æstimabilem esse. Respondetur; Ordinariè laborem istum non esse alicuius momenti: si tamen notabilis sit, pretium exigi posse, non veluti ex mutuo: sed tanquam ex opera mutuatario locata, sicuti notauit Maior in 4. distinct. 15. quæst. 3 r. casu 14. Nau. c. 17. nu. 209.

Obijcies IV. Qui mutuò v.g. pecunia dedit, habet ius eas repetendi cùm voluerit; modò non statim repetat, ita vt officium mutuandi frustraneum fuerit: Si ergo se obliget, quòd intra anni spatium v.g. mutuum repetiturus non sit, poterit pro tali obligatione sua pretium accipere. Respondeo cum Molina disput.308. Verum esse antecedens; sed negandam consequentiam. Qui enim mutuò dat ad definitum tempus, non inducit vllam super se obligationem; sed beneficium mutui ad certum tempus extendit: sicuti neque ille vllam super se obligationem inducit, qui rem suam alteri donat, ac tradit. Nam etiam in mutui datione dominium rei datæ in mutuatarium transfertur: & post perfectū contractum mutui, omnis obligatio ipsi soli incumbit suo tempore restituendi quantum acceperat. Alia verò ratio est de re locata, cuius dominium, cùm penes locantem maneat, ideo pro eius vsu & commoditate, quæ conductori permittitur, aliqua pensio exigi iure potest.

Interim verò fateri debemus, obligationem, quam quis in se suscipit in alterius gratiam, quòd paratus esse debeat ad mutuandum ipsi, pretio æstimabilem esse: eáque ratione defenditur praxis quorundam locorum, secundùm quam numularij seu à Repub. seu ab ipsis mutuatariis mercedem accipiunt pro eiusmodi obligatione mutuandi pecunias quibuscunque petentibus, debitámque restituendi cautionem præstantibus, sicuti docet Sotus lib. 6. q.1.a.2. Mol.to.2. disp.308. §. ex decisione.

8 Porro, licet hactenus ostensum sit, vsuram, id est, lucrum ex mutuo expresso aut virtuali acceptum, illicitum & restitutioni obnoxium esse; attamen alij iusti tituli contractui mutui adiungi possunt, quibus aliquid vltra sortem, seu rem mutuò datam rectè accipitur. Primus titulus est ex parte mutuatoris, si eius verè intersit non mutuari. Id autem interesse duplex est; Vnum dicitur lucri cessantis, si videlicet mutuatori propterea quòd mutuò daturus est, lucrum abscedet: veluti si mercator ex 1000. quos mutuò tibi dat, æstimatis omnibus, lucraturus sit 80. hos ipsos à te stipulari potest, vt suo tempore vnà cum sorte ipsi restituas, secundùm receptam doctrinam Gloss. in cap. conquestus, ver. de feudo, de vsur. Adrian. in 4. de restit. vbi de vsuris, §. quia factum est, Conradi de contract. quæst.30. Maior. dist. 15. quæst.30. Ioan. Medin. Cod. de restit. q.38. causa 2. Caietan. cit. quæst.78.a.2. ad 1. obiect. Nauar. c.17. man. num.211. & comment. de vsur. num.40. Pet. Nau. lib.3. cap.2. num.288. Valentiæ to.3. disp.5. q.20. p.2. conclus. 3. Less. lib.2. c.20. num.80. Molin. to.2. disp.316. contra Innocent. & quosdam alios Canonistas in cap. vlt. de vsuris, Durandum in 3. distinct.37. q.2. ad 1. quibus, tametsi dubius, assentitur Sotus lib.6. quæst.1.a.3. conclus. 4. Probatur autem ex eo, quia spes lucri, qua se priuat mutuator in gratiam mutuatarij, prætio æstimabilis est: ergo eius compensatio in pactum deduci potest. Idémque habet locum in emptionis contractu, puta si mercem mercator in aliam regionem, vbi pluris valet, delaturus fuisset, nisi hoc loco emere cupienti venderet; potest hanc sui lucri sperati compensationem expetere, sicuti notat Abbas in cap. vlt. de vsuris. Necesse tamen est, vt in æstimatione lucri sperati non solùm expensæ deducantur; sed etiam incertitudinis periculum: quia lucrum in spe minus valet, quàm in re; & tantò quidem minus, quantò incertior spes est.

Addunt verò Molin. cit. disput.316. Less. num. 87. Tametsi mercator alias pecunias in arca seruet, si tamen has negotiationi non destinârit; sed solùm illas, quas postea mutuò dat; posse aliquid exigere ratione lucri cessantis, quippe quod verè ipsi ratione mutui cessat. Quin imò ait Lessius; Etsi mercator pecunias absolutè non destinârat negotiationi, tamen voluisset negotiationi exponere; sed ideo abstinuit, quia sciuit multos mutuò petituros; probabiliter dici, quod compensationem lucri cessantis postulare possit: cùm re vera in gratiam mutuatariorum lucro alioquin sperato abstinuerit; cauendum tamen esse, ne vsura palliata interueniat.

Cæterùm pro sola carentia pecuniæ, seu mera obligatione non repetendi, v.g. ad annum, nihil accipi potest: quandoquidem carentia illa pecuniæ ad tempus aliquod, est intrinseca & essentialis mutuo: ergo sicut pro mutuo nihil accipi potest sine vitio vsuræ; ita neque pro carentia, seu obligatione non repetendi ante tempus, quamuis productius: quia id aliud non est, quàm mutuum prorogatum, seu extensio beneficij gratuiti ad maius seu longius tempus, vt supra dictum.

Alterum interesse damni emergentis: quod duplex est: Vel enim est damnum intrinsecum, quod in ipsa re mutuò data inest: vt si tempore veris mutuò des frumentum, restituendum autumno, cùm minoris valebit. Vel est damnum extrinsecum, seu aliunde proueniens: vt si pecuniam, quam mutuò das, destinaueris ad emendum frumentum tempore abundantiæ: postea verò pretio maiore emere cogaris: eiusmodi damni tui compensationem meritò in stipulationem deducis. Quę est doctrina S.Th. q.78.a.2. ad 1. communiter recepta, contra Scotum in 4.d.15.q.2.a.3.

Sed & probabile periculum damni, cui mutuator, aut venditor se exponit, si homini non industrio, & pluribus debitis obstricto mutuò det, aut vendat, æstimari, & idcirco, interueniente pacto, aliquid exigi potest: quia quiuis prudens mallet decem florenos v.g. donare, quàm cētum tali homini credere, aut mutuò dare. Quæ est sententia Maioris in 4. distinct. 15. quæst. 31. casu 15. Medinæ de restit. quæst.38. §. ad tertiam causam, Petr. Nauar. lib.3. cap.2. num. 110. & 343. Valent. to.3. disput. 5. quæst.20. p.2. conclus.4. Molin. to.2. disp.356. Lessij lib.2. cap.20. dub.13. contra Sotum lib.6. de iust. quæst. 4.a.1. ad 1. Nauar. cap.23. num 81. Accidit enim contractus innominatus suapte natura iustus: Subijciam me periculo in tui gratiam (modò id probabile sit, & non vano timore conceptum) si dederis mihi decem florenos. Qua ratione Nauar. lib.5. consil.23. de vsur. edit.2. rectè defendit pactum, quo aliquis mercatori in Siriam nauiganti dedit centum aureos, ita vt si nauis periret, nihil omnino recipiat: sin verò rediret salua, centum & viginti quinque consequatur. Vide eundem Nauarrum consil. 29. num. 4. eodem tit. vbi defendit similes contractus; Do tibi centum, ea lege, vt si presbyter factus fueris, vel post sex annos vixeris, des mihi duplum; sin minùs, nihil accepturus sim: dummodo periculum, ne intra id temporis spatium moriatur, vel à presbyteratu reijciatur, tantæ æstimationis meritò censeri possit. Confirmatur ex eo, quod etiam fideiussor paciſci potest, vt ipsi aliquid à debitore detur, non solùm pro onere siue obligatione, quòd in eius gratiā suscipit; sed multò etiam magis pro periculo, quod interdū subest, damni incurrendi, teste ipso Nauar. cap. 17. num. 285. Couarruu. 3. resolut. cap.2. num.6. Caietan. cit. a.2. ad 4. Pet. Nauar. lib.3. cap.2. n.247. Binsfeld. in cap. nauiganti, de vsuris, quæst. 3. & constat ex l. hoc iure, §. Labeo scribit, ff. de donat.

Ex his intelligitur primò; Discrimen inter vsuram lucratoriam, id est, quæ merum lucrum continet, omnique iure prohibita est, vt mox dicam: & vsuram compensatoriam, id est, per quam damnum, vel lucrum cessans compensatur, iuxta l. socium, ff. pro socio, vbi dicitur; Socium, qui reddendo pecuniam moram adhibuit, *vsuras quoque præstare debere: sed non quasi vsuras,* (propriè dictas & lucratorias) *sed quòd socij intersit, moram eum non adhibuisse.* Et l. vsuras, Cod. de vsuris; Co-

gitur emptor, qui in solutionis mora est, vsuras insuper soluere venditori.

10 Secundò intelligitur; Necessarium esse, vt lucrum cessans, vel damnum emergens, vel sortis periculum in pactum deducatur expressè, aut tacitè; fiatque contractus innominatus: In tuam gratiam desistam ab hoc lucro; vel damnum hoc, aut periculum subibo, vt des mihi decem. Ad eum modum, quo opifex v.g. si ob tuam gratiam ac petitionem tecum lusurus, vel spatiaturus sit, pacisci potest, vt des illi pecuniam, quam, nisi tibi obsecundaret, interim lucraturus esset. Sin autem mutuator nihil in pactum deduxit, tametsi postea ex mutuatione damnum incurrerit sine culpa mutuatarij, nullam compensationem postulare poterit.

11 Tertiò exinde cohonestatur, qui in Italia dicitur *Mons pietatis*. Videlicet ærarium publicè constitutum, ad mutuandum indigentibus, ea lege, vt pro mutuo ipsis dato pignus relinquere cogantur, & intra tempus definitum recepto pignore, pecuniā mutuò datam restituere; insuper vero exiguum aliquid adijcere pro Ministrorum sustentatione, & publica obligatione: Sin autem intra tempus definitum solutio facta non sit, pignus distrahi possit; vt, detracta sorte, exiguóque illo adiecto, quod reliquum est mutuatario restituatur. Idque approbatum est à Leone X. in Concilio Lateranensi, sess. 10. apud Nau. in comment. de vsuris, notab. 20. Rebell. cit. lib. 8. quæst. 13. Molin. disput. 325. Less. lib. 2. cap. 20. dub. 23.

Non absimilis negotiatio est, quam in Germania nostra quibusdam locis vsitatam audio. Ciuis maiore anni parte pecunias paratas habere debet, ex quibus indigentibus opificibus, præsertim textoribus, mutuum dare possit, relicto ipsi in securitatem solutionis pignore, v.g. tela. Cùm autem recepto pignore solutio facienda est, post annum medium, in singulos florenos mutuo datos auctarium adijciendum est, v.g. vnus patius. Considerandum enim est; auctarium istud non accipi ratione mutui; sed ratione obligationis, oneris ac curæ, quam ciuis ille ob gratiam textorum in se suscipit, vt toto fermè anno pecunias pro illis in promptu habeat, quocunque tempore in domum suam aduenientes intromittat, pecunias numeret, &c. quæ obligatio pretio æstimabilis est. Deinde addi potest, lucrandi illam rationem defendi posse titulo societatis, cum annexo pacto assecurationis, de quo dicam infrà cap. 20. num. 2. Etenim textores pecuniis à Titio acceptis negotiantur, quando materiam tempore opportuno coëmunt ad telas texendas; atque inde lucrum reportant, cuius aliquantulam partem ciuis ille iure deposcit; quandoquidem ad hoc lucrum pecuniæ ipsius non parum contulerunt.

Moneo tamen, talem numulariam negotiationem instituendam non esse, nisi cum auctoritate & approbatione Magistratus: ad quem pertinet examinare, vtrum ea ipsis opificibus vtilis sit: quia alioquin textores v.g. nisi hyemis tempore, quo fila in minore pretio sunt, ad emendum pecunias habeant, otiari debebunt, & ad paupertatem adigi. Curandum etiam à Magistratu, vt auctarium, quod ciui penditur, non immoderatum sit: sed tale, vt neutra contrahentium pars iustè conqueri possit.

Quartò resoluitur: Si quis pecunias sub vsuræ obligatione mutuas acceperit, quibus etiam deinceps in suum commodum vsurus fuisset, posse eum cum mutuum petente pacisci: Dabo tibi mutuos mille aureos, priuando me commodo, quod alioquin ex ijs percipere volebam, vt in eius compensationem tu tenearis pro me vsuras creditori meo soluere. Sin vero nullum, aut exiguum commodum ex pecunia mutuo accepta capturum se putet, ideóque pœniteat eum mutuo sub vsuris accepisse: tunc nefas est, tali pacto alteri mutuare: cùm grauamen illud re vera non imponatur mutuatario in compensationem lucri, aut commodi cessantis: sed potiùs ratione mutui, quod vsurarium esse constat. Et ita notauit Mol. disp. 314.

Alter iustus titulus vltra sortem accipiendi est ex parte mutuatarij: si pœna conuentionalis adiecta sit, quam is soluere cogatur, nisi ad tempus præscriptum mutuum restituerit. Neque opus tunc esse videtur, vt creditor exigat: sed dies statuta pro homine interpellat: *Cùm ea, quæ quis promisit, ipse in memoria sua seruare, non ab alijs sibi manifestari debeat poscere*, sicuti habetur in l. magnam, Cod. de contrahenda stipul. Multò minùs requiritur Iudicis sententia: cùm ex mutua conuentione ac pacto debeatur, sicuti docet Syluest. ver. pœna, num. 14. Couarruu. in epit. p. 2. cap. 6. §. 8. num. 14. licet contrarium probabile censeat Less. cap. 20. num. 136. Vide etiam Rebellum q. 9. Petr. Nauar. lib. 3. c. 2. num. 335. Mol. disp. 317.

Quo loco notandum est ex cit. Doctoribus: Quòd triplex pœna sit: vna legalis, quæ lege decernitur, propter crimen seu culpam: Altera iudicialis, quàm in particulari causa Iudex imperat: Tertia conuentionalis, quę partium contrahentium consensu statuitur, soluenda ab eo, qui à contractu recesserit, vel in mora culpabili fuerit restituendi debiti, iuxta l. si pacto, C. de pactis, c. significante, de pignoribus. Inter quę pœnarum genera discrimen hoc est, quòd strictioris interpretationis sit pœna legalis, quam conuentionalis, & iudicialis. sicuti notat Bartolus & alij Doctores in l. cùm stipulatus, ff. de verb. oblig. Sanch. lib. 4. moral. cap. 22. n. 25. Nam si lex pœnalis lata fuerit, quòd ad certum temporis terminum aliquid peractum esse debeat, alioquin pœna contrahatur: v.g. Nisi Parochus intra annum sacerdotio initiatus sit, eius parochiale beneficium vacare oportet, c. licet canon, de elect. in 6. talis pœna antè non incurritur, quàm tempus anni integrè elapsum est, c. commissa, eod. in 6. At verò pœna conuentionalis, sicut & iudicialis, constituta, nisi ad certum tempus aliquid perfectum fuerit: statim committitur, quando tantum temporis, non sine culpabili mora, elapsum est, vt in residuo perfici non posse certum sit, sicuti constat ex cit. l. cùm stipulatus, & docet Gl. in l. in illa stipulatione, ff. eod. vbi rectè monet: Licet hoc casu ante diem pœna commissa sit, non tamen peti posse, donec dies aduenerit. quod etiam notat Gl. margin. in c. commissa, de elect. & sumitur ex l. hoc iure, l. si ita stipulatus essem, ff. eod. Quare in effectu discrimen hoc est inter pœnam statutam ab homine, & pœnam legis: quòd, si ante lapsum temporis, quando iam certum est, opus perfici non posse, terminus prorogatur, non contrahitur pœna legalis, sed pœna conuentionalis permanet, quippe quæ ante prorogationem temporis incursa est, sicuti colligitur ex cit. l. cùm stipulatus, & docent DD. ferè communiter. Quare mitiùs agitur cum lege, quàm cum homine, secundùm Gl. in l. Celsus, ff. de recept. arbitr. 12

Addit Sanch n. 26. Idem sentiendum de voto pœnali, quippe cuius obligatio quasi cōuentionalis est, & ab homine prouenit. Quamobrem, si aliquis votum edidit v.g. Religionis ingrediendæ, nisi intra certum tempus, puta biennium, templi ædificationem perfecerit, vel Hierosolymam voti causa peruenerit: postea verò, culpabili mora interposita, cùm impossibile esset in residuo biennij votum exequi, temporis prorogationem, vel dispensationem à Sum. Pontifice impetrauit: non ideo etiam adiecta, & iam contracta pœna sublata censeri debet, si eius mentio specialis facta non sit.

Tertius titulus aliquid vltra sortem accipiendi est pacti accessorij: Si v.g. pecuniam mutues auream, vt restituatur in moneta ærea vel minuta: accedit mutuo contractus cambij, iuxta cuius taxam consuetam amplius, quàm datum est, accipere licet, sicuti docet

Nauar. lib. 3. consil. 2. de empt. edit. 2.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum contractus iste vsurarius sit; Si Mercatori ad nundinas nauiganti pecuniam mutuò das, adiecto pacto, vt fortuitus eius casus ad te pertineat, atque in eius rei compensationem aliquid tibi vltra sortem soluatur? Respondent Doctores communiter apud Nauar. c. 17. man. n. 284. Binsfeld. in c. nauiganti, de vsuris, q. 1. Henricum Canisium de vsuris, cap. 4. n. 5, Couar. 3. resol. c. 2. n. 5. Mol. disp. 318. Rebellum l. c. q. 4. Si tali conditione mutuò dedisti, vt mutuatarius, propter mutuandi officium ipsi præstitum, obligatus sit ad accessorium illum assecurationis contractum celebrandum, vsuram commisisti, perinde ac si aliam obligationem pretio æstimabilem eidem imposuisses, v. g. vt obligatus sit à te merces emere: talis enim obligatio siue onus, quod ratione mutui inijcitur mutuatario, pretio æstimabile est, & consequenter materia vsuræ, sicuti bene explicat Pet. Nauar. lib. 3. c. 2. n. 404. Angelus ver. vsura, §. 38. quamuis contrarium sentiat Adrian. in 4. de restit. §. occurrunt circa prius.

13 Sin autem mutuatarius vtrumque contractum plena libertate, nullóque inuoluntario admixto, tecum celebrauit; nihil prohibet, quominus aliquid vltra sortem accipias, non ratione mutui, sed ratione contractus accidentaliter mutuo adiecti, qui dicitur assecurationis.

Quare cit. c. vlt. de vsuris; *Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscepit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* aiunt Doctores plerique, explicandum esse secundùm priorem, non posteriorem contrahendi modum. Alia est responsio Adriani, & Nauarri loc. cit. intelligendum esse duntaxat secundùm præsumptionem fori externi; vt propter periculum vsurariæ intentionis, talis contrahendi modus vsurarius censeatur: eò quòd facilè fit in auctario vltra sortem petendo, non solum periculum, sed etiam mutui dati beneficium attendere: quod ciuili iure permissum erat, tit. ff. & Cod. de Nautico fœnore, sed canonico correctum, qua de re videri potest Molina cit. disp. 318.

Sed mihi magis placet suspicio Bernartij de vtilitate legendæ historiæ, lib. 2. in princip. In textum illius c. vlt. de vsuris, mendum irrepsisse, omissione voculæ, NON. vti clarè colligitur ex connexione sequentium verborum: *Ille quoque, qui dat decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, vtrum plus, vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur; non debet ex hoc vsurarius reputari.* Si iste QVOQVE vsurarius reputari non debet: ergo nec prior. Alioquin non collectiuam, sed aduersatiuam particulam Pontifex ponere debuisset.

QVAESTIO SECVNDA. Vtrum vsura sit tempore autumni mutuò dare frumentum, ea lege, vt vere restituatur? Vel vendere frumentum in autumno, eo pacto, vt pretium soluatur, quanti illud valiturum erit tempore veris? Respondeo ex Greg. IX. in cit. cap. nauiganti, §. ille quoque, iunct. Gl. & Abb. n. 6. Adriano loco suprà cit. Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 1. Couar. 2. resol. c. 3. n. 6. Canisio cap. 3. de vsuris, Molin. to. 2. disp. 255 Less. lib. 2. cap. 20. n. 145. & c. 21. num. 28. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 2. n. 280. & dico I. Si dubium sit, plurisne, an

14 minoris frumētum verno tempore valiturum sit, quàm in autumno valet; rectè ita venditur, aut mutuò datur. Quia vterque contrahentium æquali fortunæ sponte se subijcit: & cùm dominus frumenti obligatus non sit ad mutuandum aut vendendum, potest non aliter mutuare, aut vendere velle, nisi cum dicta conditione iusta. Simile quiddam est: Si quis vere emat frumentum pretio tunc currente, & solutione anticipata, vt frumentum soluatur in autumno; modò æquale dubium sit de pretio ad illud tempus augendo, aut minuendo. Sin verò longè probabilius sit, pretium frumenti auctum iri, vsurarius erit contractus emere pretio tunc currente, vt tradatur in autumno. Sed esto postea contingat, vt pretium non augeatur, id casui adscribi debet: atque nihilominus contractus iniquitas, & restituendi obligatio semel contracta permanet, sicuti in simili notauit Adrian. loc. cit. Quòd si autem tali pacto pecuniæ solutio anticipetur, vt pretium constituendum sit secundùm valorem, quem merx habitura erit tempore faciendæ traditionis; tunc nullum periculum vsuræ est: cùm anticipatio ista in solius venditoris commodum cedat, sicuti notauit Mol. disp. 309.

Dico II. Si valde probabile, aut quasi certum sit, pretium frumenti ad vernum tempus auctum iri, vsuram palliatam committit mutuator, aut venditor: quia supra id quod dedit, onus æstimabile imponit alteri contrahenti, videlicet quòd restituere debeat frumenti scapham, vel pretium eius, tempore quo plus valitura est. Accedit, quòd post peractam venditionem periculum mercis ad emptorem spectat: ergo ad eundem quoque mercis incrementum spectare debet; si videl. contingat eius pretium postea augeri. Atque ita docent Medina de restit. q. 38. causa 5. Cou. 2. resol. c. 3. n. 6. Less. lib. 2. c. 21. n. 52. etsi aliter Caiet. q. 78 a. 2. ad 7.

Excipe: Nisi intersit venditoris, aut mutuatoris non vendidisse, aut mutuò dedisse: quia ipsemet frumentum seruaturus erat in vernum tempus, quo pluris distrahere posset. Quamquam etiam tunc deducenda est æstimatio custodiæ, laboris, ac periculi, quod venditor, vel mutuator seruando frumento subire deberet. Vide Couar. l. c. Binsfeld. cit. c. in ciuitate, q. 3. Mol. disp. 355. §. licet tempore, vbi rectè annotat; Vsurarium esse, si venditor sub prætextu lucri cessantis paciscatur, vt frumenti pretium ipsi soluatur secundùm valorem maximum, quem habiturum erit à die celebrati contractus vsque ad tempus vernum. Etenim, si ponamus, venditorem vsque ad illud ipsum tempus seruaturum fuisse frumentum; frustra obligationem imponit emptori, vt quocunque etiam intermedio tempore pluris valeat, tale illi pretium soluendum sit.

Deinde limitari debet: Si mutuò dans frumentum non obliget mutuatarium, vt certo tempore reddat, quo pluris valiturum putatur; sed cùm ipsi placuerit, vel cùm mutuator exegerit: tum nihil contra iustitiam peccabit mutuator, etsi frumentum in eadem quantitate repetat, aut recipiat tempore, quo plus valet: quare in hoc casu sibi imputare mutuatarius debet, quòd non citiùs restituerit: quandoquidem etiam vice versa, si mutuator sibi non cauit, aut citiùs non repetiuit, mutuatarius restituere poterit tempore, quo frumenti pretium imminutum est. Ita docent Sotus lib. 6. q. 1. a. 2. Nauar. cap. 17. n. 219. Binsfeld. c. in ciuitate, de vsuris, q. 5. Molin. to. 2. disp. 311. Tol. lib. 5. cap. 34. contra Less. lib. 2. cap. 20. n. 154. Rebel. p. 2. lib. 8. q. 8. n. 7. Medin. de restit. q. vlt. §. ex dictis sequitur. Ratio peti debet ex natura mutui, quæ est, vt quod mutuò datur, eadem mensura, genere, & bonitate intrinseca restituatur: quare in cōtractu isto æqualitas inter datum & acceptum non attenditur secundùm pretium seu valorem extrinsecum, nisi id exprimatur, & alius contractus quasi venditionis aut permutationis alicuius instituatur: Do tibi nunc 20. modios frumenti pretij auctioris, vt in autumno restituas modios 30. pretij (vti probabilissimè existimatur) diminutioris: est enim perinde ac si duo cadi vini veteris permutarentur cum tribus cadis vini noui.

Confirmatur ex praxi: Quia nihil frequentius est, quàm ita dare mutuò frumentum, vinum, oleum, &c.

vt tantundem recipiatur, etsi mutuans credat pretium tempore restitutionis auctius fore. Alia verò ratio est de pecunia, quippe cuius essentia plurimùm pendet ab extrinseca æstimatione: adeò quidem, vt alia quasi pecunia censeatur, si eius valor extrinsecus crescat, vel decrescat. Quare si quis mutuò dederat 100. thaleros, eorúmque postea valor merè extrinsecus secundùm se augeatur, non tenetur thaleros totidem, sed pauciores restituere; nisi mutuator propter lucrum cessans sibi cauerat, sicuti bene notat Tol. cit. loco, & dixi suprà tract. 3. c. 5. n. 15.

Neque illud illicitum erit, si frumentum v. g. vendatur, vel mutuò detur, cum pacto, vt restituatur secundùm valorem medium, quem ad tempus vsque vernum v. g. habiturum erit: quia tunc æquale vtriusque contrahentium periculum est, sicuti notat Nau. c. 17. man. n. 239. Similis ratio est de pecunia: Qui enim mutuò dat in certa specie, v. g. ducatos mille, pacisci potest, vt restituantur ipsi post annum, secundùm valorem, quem tunc, vel quocunque alio designato tempore habituri sunt, posito quòd vsque ad illud tempus seruare decreuerat. Non potest tamen pacisci, vt restituantur illi post annum, secundùm valorem maximum, quem interea temporis ducati habebunt. Cùm enim valor & accrescere, & decrescere possit; hominísque prouidentiâ punctum valoris maximi per illud tempus certò attingi non possit; liquidò apparet, securitati mutuatoris consuli, omnéque periculum in mutuatarium conijci, non sine vsuræ vitio. Qua de re vide Maiorem in 4. d. 15. q. 32.

15 Qvæstio Tertia. Vtrum similiter in censu redimibili, si mille florenis in auro emas quinquaginta flor. annuos, licitum sit apponere pactum, vt redemptio fiat in eadem specie monetæ, videlicet ducatorum, vel quanti solutionis tempore ducati valebunt? Hanc quæstionem proponit Less. lib. 2. cap. 22. dub. 8. & respondet; In quibusdam saltem euentibus id licitum esse: *I. Si certum erat, æstimationem monetæ non esse mutandam. II. Si vtrinque par erat dubium, num esset augenda, an minuenda. III. Si certum erat, æstimationem monetæ augendam: sed emptor statuerat, pecuniam suam seruare: tunc enim ratione damni, quod patitur, pecuniam illam tunc exponendo, potest tale pactum apponere.* Primum, & secundum responsum nullam difficultatem habet; at verò tertium: Nam, vt ipse Lessius postea n. 50. argumentatur; Iniquitas committitur, si in censu emptitio venditori supra naturam contractus, & loci consuetudinem, aliquod nouum onus pretio æstimabile imponatur, eique non compensetur. Id autem accidit in proposito: Cùm enim iustum pretium census redimibilis apud nos censeantur 20. floreni in vnum, & 1000. in 50. secundùm valorem, quem data pecunia habebat tempore contractus; magnum profectò onus venditori imponitur, si tempore redemptionis reddere debeat pretium census non secundùm valorem, quem habebat tempore contractus; sed secundùm eum valorem, quem certò, vel probabilissimè habebit auctiorem: idque onus nullo modo venditori compensatur.

Neque verò prætextus ille lucri cessantis probabilitatem habet; quin imò contradictionem inuoluere videtur. Cùm enim emptor census, ratione eius contractus, ex 1000. florenis accipiat annuos 50 non potest dicere, tantum sibi lucrum decedere, eò quòd monetam auri in specie seruaturus fuisset, donec eius valor cresceret: Si enim seruasset, 50. annuos lucratus non fuisset. Igitur necesse est, vt vel 50. annuos ex censu dimittat; (neque enim nego, contractum mutui honestissimè institui posse, cum pacto, vt pecunia in eadem monetæ specie restituatur) vel valoris incrementum non exigat.

Nota autem, quòd hæc responsio locum habet, si valor extrinsecus monetarum, v. g. thalerorum in censum elocatorum, secundùm se augeatur: Sin verò per accidens tantùm augeatur, propter intrinsecam diminutionem minutiorum monetarum, tunc fateor, tale pactum iustum, & naturæ contractus censualis conforme esse. Quandoquidem in redemptione census idem seu æquiualens pretium emptori redhiberi debet: si autem thaleris mille, qui contractus tempore conficiebant MCC. florenos Rhenenses, emisti annuos florenos 60. Postea autem propter deprauationem minutiorum monetarum, thalerus earum comparatione crescat, vt valeat florenos sesqui, aut duos; non satisfiet restituendo thaleros DCCC. aut DC. quia tale pretium in veritate non æquiualet acceptis thaleris mille; sed solùm externa nominis impositione, quatenus totidem florenos Rhenenses continere dicuntur, sed longè alios ac deteriores.

Qvæstio Qvarta. Vtrum vsura sit? si mutuam pecuniam petenti dicam: Non do tibi mutuò, sed pecunia ista emo à te vaccam, quam tibi locatam volo pro annua pensione. Respondeo cum Maiore in 4. d. 15. q. 46. casu secundo; Si is, qui mutuò petit, vaccam nullam habet, neque mox habiturus est, tunc vsuram esse sub fictæ venditionis, ac locationis nomine palliatam: Sin verò ille re vere vaccam habeat, non esse vsuram: modò seruetur natura contractus locationis, quæ esse solet, vt periculum vaccæ incumbat locatori.

Qvæstio Qvinta. An vsura sit: Si mercator, 16 credita pecunia, vendat pannum summo pretio, v. g. aureis centum & octo: vt statim eundem pannum numerata pecunia redimat pretio infimo, videlicet aureis centum? Vsurarium contractum esse ait Gabr. in 4. d. 15. q. 11. a. 3. dub. 3. Sed placet mihi responsio Angeli ver. vsura, 1. n. 60. Nau. c. 23. n. 91. Vsuram quidem præsumendam esse: quia sub specie venditionis ac redemptionis, re ipsa aliud non agi videtur, quàm quòd homini indigenti centum aurei credantur, siue mutuò dentur, cum pacto, vt postea restituantur centum & octo. Si tamen mercator bona fide, & sine vsuraria intentione pannum vendidisset pretio summo, videlicet 108. constituens in emptoris libertate reuendendi cui vellet: emptor autem rogaret mercatorem, vt ipsemet pretio minore, videlicet aureis centum redimeret, ab iniquitate & vsura immunis censeri potest. quod etiam docet Pet. Nau. l. 3. c. 2. n. 17. Less. c. 21. n. 130. Etenim cõstat ex suprà dictis: Multùm referre, vtrum mutuatarius cum mutuante alterum redemptionis contractum liberè in suum, vel vtriusque commodum instituat: an verò cum inuoluntario mixto, quia cogitur à mutuatore, propter mutuum ipsi datum.

Veruntamen etiam huius grauaminis alius iustus titulus esse potest. Exempli causa: Si mercator ex mille aureis quotannis centum lucraturus putetur, deductis impendiis: fas est pacisci cum mutuatario: Dabo tibi mutuò duo millia aureorum: modò paratus sis, suo tempore compensare lucrum mihi exinde cessans: vel, si malis, loco huius compensationis emas nunc à me pannos pretio auctiore: modò hoc onus tali modo emendi compensationi faciendæ æquale sit.

Qvæstio Sexta. Vtrum contractus, qui dicitur ἀντιχρήσεως, germanicè *Ein Ofandeschaffr*, vsurarius sit? Videlicet, vt creditor fructus ex pignore lucretur, donec debitum ipsi restitutum sit? Responsio est affirmatiua, cum Caiet. 2. 2. quæst. 78. art. 2. Soto lib. 6. quæst. 1. a. 2 & aliis Theologis, contra Alciatum lib. 2. dispunct. cap. 3. & alios apud Mynsingerum cent. 6. obser. 71. Andr. Gaill. lib. 2. obser. 3. Sumitur ex cap. 1. c. 2. &c. conquestus, de vsuris, vbi dicitur, fructus rei oppigneratæ computandos esse in sortem, deductis expensis. Ratio 17 est, quia alioquin creditor vltra pecuniam, quam credi-

dit, aliquid lucrabitur causa solius mutui: quæ vsura est. Cæterùm, alij iusti tituli interuenire possunt fructus ex pignore sine diminutione sortis lucrandi. Primus est apud Binsfeldium cap. 1. de vsuris, q.2.concl. 1. Maiorem in 4. d. 15. q. 33. Conradum q. 33. de contractibus, concl. 7. Si fructus ex pignore vel hypotheca percepti, non superent quantitatem pensionis, quæ iure census, super eadem hypotheca secundùm morem patriæ constituti, exigi potest, cum pacto redhibitionis, &c. Exemplum est: Si Princeps aureis 10000. indigeat, quos nobilis pecuniosus gratis mutuare non vult: vt euitetur vsura, oppignerari ei potest oppidum, adiecto contractu censuali, per quem ex oppidi reditibus 500. annuos percipiat, donec sors restituatur.

Secundus ex communi doctrina apud Caiet. 2.2. q.78. a.2. ad 6. Sotum cit. a.2. ad finem. Si creditor fundum, qui pignori destinatus erat, certo pretio emat, cum pacto reuendendi. Tunc enim pignoris naturam, realémque obligationem amittit, & possessori tanquam vero domino fructificat, eiusdémque periculo perit. Nam licitam esse venditionem cum pacto redemptionis apposito, constat ex l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit.

Interdum etiam nihil obstat, quominus maiore pretio redimatur, quàm venditum fuerat: videlicet si postea res pluris valitura putetur: vt si in autumno vendatur scapha frumenti tribus florenis, cum pacto, vt in vere reuendatur florenis quatuor: Vel si pactum redimendi in gratiam venditoris, cum onere emptoris, adijciatur: puta si Princeps ciuitatem viro nobili vendat aureis 10000. adiecta conditione, vt ipsi liberum sit, si voluerit redimere, sed pretio maiore, v.g. aureis 10300. Cùm enim obligatio, quam emptor reuendendi ad petitionem primi venditoris contrahit, onus quoddam sit pretio æstimabile, in partem pretij rectè computatur: quandoquidem onus pacto adiectum, est quasi pars pretij, l. fundi pretium, ff. de contrah. emptione. Igitur propter onus istud emptori in gratiam venditoris impositum, minus pretium decerni potest, quàm alioquin res valeat; adiuncto pacto, vt in redemptione pretio consueto veneat, sicuti docet Abb. c. in aliquibus, n.2. de decimis, Medina, q. vlt. de vsur. Couar. 3. resol. c.9. Nau. c.17. n.248. & lib. 3. consil. 7. de empt. edit. 2. Binsfeld. c. in ciuitate, de vsuris, q. 7. Canis, c. 5. de vsur. n. 30. Pet. Nau. lib. 3. c.2. n.97. Mol. to.2. disp.375. & seq.

Eodémque recidet, si prima venditio communi seu consueto pretio fiat, cum pacto, vt futuro tempore redimi possit, sed pretio maiore, quàm tunc res valitura putetur; idque propter onus, quod emptori imponitur, vt de re empta suo arbitratu disponere non possit, sed venditoris voluntati subiectus esse debeat.

Interim semper cauendum est, ne sub eiusmodi contrahendi formulis animus vsurarius lateat. quod ex circumstantiis interdum meritò præsumitur: vt si pretium venditionis nimis diminutum sit, iuxta c. ad nostram, de empt. & vendit. Quamuis neque in hoc casu pretij nimis diminuti, si verè fuit animus vendendi, cum pacto redimendi, vsurarius contractus interuenit; sed potiùs iniusta & inæqualis venditio. quæ proinde ad æqualitatem reducenda est, soluendo venditori defectum pretij iusti in prima venditione decreti, vnà cum compensatione damni, vel lucri propterea cessantis, quòd pretium ab initio iustum non fuerit, sicuti docet Mol. in fine disp. 375. Less. lib. 2. c. 21. n. 119.

18 Sed & simili ratione in venditione apponi potest pactum reuendendi ad arbitrium emptoris; v. g. vendo tibi prædium, tali pacto, vt si tibi venditio displicuerit, reuendere mihi possis. Secundùm quam formam contrahendi æquitas postulat, vt primæ venditionis pretium maius sit, quàm alioquin esse deberet, propter grauamen venditori impositum reemendi ad arbitrium primi emptoris. Fructus tamen temporis intermedij, si vera emptio cum pacto reuendendi intercessit, ad emptorem spectare debent, tanquam dominum.

Quamobrem meritò in c. illo vos, de pignor. vsurarius contractus præsumitur, in quo emptus est fundus, cum pacto, vt maiore pretio ad arbitrium emptoris redimatur, fructibus in partem pretij computatis: quandoquidem duo in illo pacto continebantur, aliena à natura talis contractus; videlicet, vt & pretium maius esset redemptionis, quàm primæ emptionis; & vt fructus inter emptionem & redemptionem percepti ad venditorem pertinerent. Præsumebatur igitur fuisse mutuum vsurarium cum traditione pignoris, cuius fructus in sortem computari consueuerunt: præsertim cùm emptor solitus etiam fuerit vsuras exercere. Vide Gl. ibi, ver. percepti, Less. c.21. n.119.

Tertius titulus. Maritus, donec dos ei promissa soluitur, fructus ex pignore, sine sortis imminutione, iure percipit; vt nimirum interea habeat, vnde onera matrimonij sustinere possit, c. salubriter, de vsuris, vbi Abb. in princip. Nau. comment. de vsuris, notab. 21. Mol. to.2. disp.321. Less. lib.2. c.20. dub. 16. n.141. Binsfeld. cit. c. salubriter, q. vn. Cùm enim fructus & commoditas dotis marito debeatur in compensationem onerum, quæ ipsi incumbunt familiam alendi; iniquitas foret, si vno, vel altero anno talem obligationem sustinere deberet, nullumque ex dote promissa fructum percipere posset; nisi alio id ei modo compensaretur. Quare licitum etiam est pactum, vt interim dum dos soluitur à promissore, certa pecuniæ quantitas quot annis numeretur, in compensationem onerum, quæ interea maritus sustinere cogitur. Quin & vicissim iustum est, si facto diuortio, dos, ex qua se alere deberet vxor, eidem non soluatur; vt interim alimenta competentia ipsi à marito præstentur: idque ex natura pacti dotalis, multum etiam adiuuante consuetudine, & iuris, præsertim canonici, dispositione, sicuti Nauar. l. c. notauit. 19

Quartus. Proprietarius ex feudo, vel emphyteusi sibi oppignerata fructus, absque sortis exoneratione percipit, iuxta c.1. de feudis, c. conquestus, de vsuris. Ratio afferri debet, quia tali pacto seu conditione contractus isti seu primitus, seu per diuturnam consuetudinem constituti sunt, vt si res feudalis, aut emphyteutica oppignerata sit domino directo, ipsi fructificare debeat. Congruentia autem est, partim quia indecens esse videtur, rem penes dominum directum existentem alteri fructificare: partim quia interea dominus fructuario pensionem remittere tenetur. Vide Abb. aliosque Canonistas in cit. c. conquestus, Maiorem in 4. d. 15. q. 31. casu 1, Gabr. q. 11. a. 2. concl. 4. casu 2. Syl. ver. feudum, q. 29. & 30. Mol. to. 2. disp. 323. Less. cit. c.20. n.41. 20

QVAESTIO SEPTIMA. Quænam pœnæ vsurariis iure decretæ sint? Respondeo. Pœnæ vsurarij notorij, iuris, aut facti notitiâ, hæ sunt: I. Ipso iure est infamis, l. improbum fœnus, C. Ex quibus causis infamia irrogatur. Et ob eam causam, si clericus sit, ad Ecclesiastica officia, & beneficia inhabilis, adeóque irregularis, iuxta c. infames, 3. q.7. c. si quis oblitus, 14. q.4. c. inter dilectos, de excessibus Prælatorum, c. 1. c. præterea, de vsuris, vbi tamen monet Gl. ver. suspendas communiter approbata, Episcopum post pœnitentiam & satisfactionem dispensare posse. Qua de re vide Molinam disp. 334. §. clericus. 21

II. Admittendus non est ad communionem altaris, id est, sumptionem sacræ Eucharistiæ: neque eius oblationes accipiendæ sunt: neque Ecclesiasticæ sepulturæ

tradi debet, c. quia in omnibus, de vsuris, vbi in fine adiungitur: *Qui autem oblationes acceperit, vel Christianæ tradiderit sepulturæ, reddere compellatur: & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officij sui maneat executione suspensus.* Verùm Lessius c.20.dub.22.n.188. & Suarez t. 5. de censur. disp.31.s.1.in fine notant; Post extrauag. *Ad euitanda*, Vsurarium publicum vitandum non esse, etiam in sacris, antequam denuntiatus sit. Vide etiam Palud. in 4.d.15.q.2.a.6.

III. Testamentum, & quæuis alia voluntas vsurarij manifesti ipso iure irrita est; nisi ante mortem restituerit, quæ per vsuras acquisita sunt, vel de eorum restitutione idoneam cautionem, (per pignora videlicet, aut fideiussores) dederit, c. quamquam, de vsuris, in 6. Vide Syl. ver. vsura, 9. q. 4. & 7. Couar. 3. resol. c. 3. Mol. l. c. §. circa prædicta.

CAP. XVII.

De emptione ac venditione.

SVMMARIVM.

1 *Contractus emptionis ac venditionis, cuso numo seu pecunia, de nouo introductus est: cùm antea rei aliæ inter se permutari solerent.*

2 *Contractus iste, quà pretium interuenit, emptio; quà verò merx, venditio dicitur.*

1 Contractus emptionis, ac venditionis mutuo consensu dandi mercem pro pretio substantialiter constituitur: quare etiam inter absentes per nuntium, vel literas vtrinque datas institui potest, iuxta l. 1. ff. de contrah. emptio. in fine. Vtraque tamen parte tendit ad traditionem, & consequenter ad dominij trãslationem; hinc mercis, illinc pretij: licet per accidens impediri possit; si v.g. merx, quæ pro pretio traditur, venditoris non sit. vt infrà patebit.

Origo huius contractus à rerum permutationibus cœpit: nam olim, cùm non erat numus; neque aliud merx, & aliud pretium vocabatur, vnusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, vtilia inutilibus permutabat: quandoquidem plerumque euenit, vt quod vni superest, alteri desit: v. g. qui vino abundat & panno indiget, is vinum cum panno permutare potest. Sed quia non semper, nec facilè concurrebat, vt cùm tu haberes, quod ego desiderarem, inuicem haberem quod tu accipere velles; insuper etiam rerum permutandarum non æqualis esset valor: nam si vaccat v. g. commutanda sit cum equo, pluris æstimatur equus, quàm vacca: Ideo electa est materia, cuius publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subueniret, sicuti habetur in cit. l. 1. & docuit Aristot. lib. 1. Polit. c. 6. Dicitúrque numus ἀπὸ τῶ νόμω, quia publica lege æstimationis suæ quantitatem consecutus est. Item pretium, quia aliarum omnium rerum siue mercium, quæ in commutationem venire possunt, publica mensura, seu æstimatio existit, teste Arist. 5. Ethic. c. 5. denique pecunia, eò quòd primùm æs pecudis nota signari solebat, teste Plinio lib. 33. c. 3.

2 Igitur in hoc contractu, quà emptio dicitur, pecunia siue pretium; quà verò venditio dicitur, merx, id est, aliquid pecunia æstimabile interuenit: Sic enim latè accipi merx debet, vt sit correlatiuum pretij. Nam si nomen mercis strictè ac propriè accipias, pro sola re mobili, sicut Iureconsultus accepit l. merx, ff. de verbor. significatione, non comprehendit omnem venditionis materiam: siquidem etiam res immobiles emi, ac vendi possunt, vt fundus, & soli superficies; item iura ac debita: seruitus quoque venditione constitui potest: vt si tibi vendam ius per agrum meum eundi.

Quæres. Quid si pro merce, v. g. pro gladio, partim pretium numeretur seu pecunia, partim alia res, v.g. caseus; censetúrne emptio, an permutatio? Respondet Abb. in c. ad quæstiones, n. 4. de rerum permutat. Si data pecunia valore superet, emptio censeri debet: sin altera res superet, potiùs permutatio erit. Quòd si quasi æqualis valoris sint, attendenda est mens contrahentium, arg. regulæ 34. Semper in stipulationib. ff. de reg. iuris. Plura vide apud Gomez 2. resol. c. 2. n. 10. Arium Pinellum p. 2. c. 2. in l. 2. Cod. de rescind. vendit.

§. I.

De pretio rerum venalium.

SVMMARIVM.

3 *Duplex est rerum venalium pretium: vnum legitimum, & alterum naturale.*

4 *Tempore sterilitatis non potest solis agricolis pretium frumenti taxari; aliis mercibus non taxatis.*

5 *In pretio emptionis, ac venditionis, quòd liceat contrahentibus se circumuenire, IC. dictum est.*

6 *In externo foro contrahentibus non succurritur, nisi vltra dimidium iusti læsi fuerint. Sed in conscientiæ foro omnis notabilis contrahentium læsio ad æqualitatem reducenda est.*

7 *Pari modo sicuti in decepto venditore, ita etiam in decepto emptore dimidium iusti æstimandum est.*

8 *Rescisso contractu emptionis ac venditionis propter læsionem immodicam, fructus temporis intermedij, ad emptorem, tanquam dominum, spectare æquum est.*

9 *Iustum mercis pretium est, quod loci consuetudo approbat, secundùm communem hominum æstimationem.*

10 *Variæ causæ sunt, ob quas rerum venalium pretia augeri, vel minui solent.*

Nemo suum commodum emere cogitur.

Duplex est rerum venalium pretium, auctore Aristot. 5. Ethic. cap. 7. Vnum legitimum, id est, publica lege taxatum, ad cuius taxationis obseruationem venditores omnes obligantur, vt sine iniustitiæ peccato excedere eam non possint: præterquam si manifestè iniusta sit; veluti si pistoribus taxetur pondus panis non secundùm proportionem valoris tritici: Aut si lex iubeat, vt frumentum superueniente sterilitate eodem pretio vendatur, quo antè vendebatur, cùm esset frumenti copia. Nam vbi notabilis circumstantiarum, vnde mercium æstimatio pendet, mutatio accidit, pretium quoque à Magistratu mutari conuenit, teste Medina Cod. de restitut. q. 36. Nauar. cap. 23. n. 88. Less. cap. 21. dub. 2 in fine, Molina to. 2. disp. 353. §. obserua si pretium, & tota & disp 264. 3

Exinde dubium solui potest: Vtrum Magistratus ius habeat, post magnam agrorum sterilitatem, pretium frumenti taxandi vendentibus agricolis? Respondetur. Quamuis Magistratui potestas competat ob bonum Reipub. & ad reprimendam hominum auaritiam taxandi rerum pretia; debet tamen id facere intra limites æquitatis, atque iustitiæ: alioquin lex iniusta erit, & nullam obligationem pariens. Si igitur Magistratus pretium frumenti taxare velit, debet id facere considetatis circumstantiis abundantiæ, aut sterilitatis; nec non sumptuum, ac laboris, quem agricolæ agris colendis impenderunt; & secundùm ea iustum frumenti pretium æstimare: alioquin iniustam læsionem agricolæ paterentur. Accedit, quòd ferme euenire soleat, vt sterilitatis tempore aliarum quoque mercium, & rerum ad victum necessariarum pretium accrescere soleat: quare iniquo damno agricolæ afficientur, si ipsi omnia magno pretio coemere cogantur, proprias autem merces, videl. frumentum, & similia, vili pretio, perinde ac si talis sterilitas non esset, distrahere. Neq; obstat, si quis 4

obijciat, taxationem frumenti tempore sterilitatis fieri in commodum Reipub. præsertim pauperum, cui posthabendum sit priuatorum agricolarum damnum. Respondeo enim, Si Respub. præsertim pauperes, tempore sterilitatis miseriam patiantur, æquitatem non permittere, vt vnum solum hominum genus, videl. vendentes agricolæ inopiam subleuare debeant: sed ab omnibus, secundùm proportionem facultatum, contribuendum esse ad communem inopiam subleuandam. Vide Mol. tom. 2. disp. 346. Med. q. 31. de restitut.

Alterum est pretium naturale, quod, seclusa legis definitione, ex ipsarum mercium natura sumitur: non tamen consideratione absoluta, sed cum habitudine ad humanum vsum, affectionem, voluptatem. Sic enim v. g. panem pluris æstimamus, quàm mures aut publices: ob maiorem illius vtilitatem, non naturæ præstantiam. Et gemma plerumque cariùs emitur, quàm equus aut bos, ob affectionem, voluptatem, sicuti notauit S. August. lib. 11. de ciuit. Dei, c. 16. Gabr. in 4. d. 15. q. 10. regula 1. Conradus de contract. q. 56. supposit. 2. Couar. 2. resol. c. 3. n. 4.

Discrimen est inter hæc duo rerum pretia: quòd pretium legitimum in indiuisibili consistit, secundùm legis taxationem. Naturale autem siue vulgare pretium latitudinem habet: quia plurimùm pendet ab hominum æstimatione & affectu: siquidem varij homines de rebus variè iudicant, iisque afficiuntur: vt proinde, quod alij censent valere nouem florenis, alij æstiment decem, alij vndecim. Quare triplex pretium à Doctoribus statuitur; supremum, mediocre, infimum: quam latitudinem siue limites pretij iusti dum venditores non excedunt, à peccato iniustitiæ immunes sunt; licet aliis summo, aliis mediocri, aliis infimo pretio vendant, sicuti rectè docet Scotus in 4. d. 15. q. 2. a. 2. Maior ibid. q. 40. Gabr. reg. 4. Nauar. c. 23. man. n. 79. Caiet. 2. 2. q. 77. a. 1. in fine, Binsfeld. c. in ciuitate, de vsuris, q. 1. Pet. Nau. l. 3. c. 2. n. 8. Quamobrem etiam emptoribus concessum est licitari, siue pretium offerre; sed intra latitudinem iusti.

5 Id fortasse Pomponius Iureconsultus voluit, cùm dixit in l. in causæ, 2. §. Pomponius, ff. de minoribus: *In pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire.* Siquidem id verum est, ait Couar. 2. resol. c. 3. n. 2. Nau. c. qualitas, n. 45. d. 5. de pœnit. modò ea deceptio intra latitudinem iusti pretij contingat. Nisi malis dicere cum Ario Pinello in cit. l. 2. p. 1. in fine, Medina q. 3. de restit. Mol. to. 2. disp. 351. mentem Iureconsulti fuisse; Quòd omnium gentium iure liceat, id est, impunitum maneat, si in contractu emptionis ac venditionis pretij iusti limites excedantur; modò excessus non nimis magnus ac notabilis sit.

Verùm in conscientiæ foro omnis venditio, in qua iusti pretij latitudo exceditur; & omnis emptio, in qua iusti pretij quantitas non attingitur, iniquitatem continet; ideóque per restitutionem ad æqualitatem reducenda est, nisi liberalis datio, vel remissio eius, qui deceptus fuit, saltem præsumpta, accesserit, sicuti docet S. August. lib. 13. de Trinit. c. 3. S. Tho. 2. 2. q. 77. a. 1. ad 1. Henricus Gandauens. quodl. 3. q. 28. Maior in 4. d. 15. quæst. 40 § octauò requiritur, Gabr. quæst. 10. a. 2. conclus. 2. S. Anton. p. tit. 1. cap. 15. §. 3. Nauar. in cap. nouit, notab. 6. num. 42. de iudiciis, & in man. cap. 23. num. 84. &c. qualitas, cit. d. 5. & colligitur ex Apost. ad Thessal. 4.

6 Dixi autem; Nisi *libera remissio, &c.* Vbi inprimis aduertunt Scotus in 4. d. 15. q. 2. a. 2. ibid. Gabr. q. 10. a. 1. In dubio potiùs esse existimandum, quòd contrahentes inuicem remittere & condonare velint, si in contractu inæqualitas modica, & non admodum notabilis accidat. Sin verò notabilis inæqualitas, præsumendam non esse donationem, tradit Couar. 2. resol. c. 4. n. 8. Pet. Nau. lib. 3. c. 2. n. 44. Less. c. 21. n. 37. Nisi ex circumstantiis de liberali donatione coniectura sumi possit: vt si emptor cognatus sit venditoris, & aliàs benefacere solitus. Non displicet tamen, quod Nau. annotauit in cit. c. nouit, notab. 6. n. 51. & Mol. to. 2. disp. 35. Si contrahentes sciant iustum mercis valorem, atque sine cogente necessitate, nulla item vi, aut fraude interueniente, supra, aut infra iusti pretij limites contractum emptionis & venditionis celebrent, donationem præsumendam esse: idémque sentiendum de locatione, aliisque contractibus onerosis. Nam vniuersim, si quis sciens se non debere, aliquid soluat, donare censetur: quare tanquam indebitum repetere non potest, iuxta l. indebitum, C. de empt. & vendit.

At verò in foro externo cùm ciuili, tum canonico, venditori, ob litium multitudinem vitandam, non succurritur, nisi supra dimidium iusti pretij deceptus fuerit, id est, neque dimidiam iusti pretij partem acceperit: v. g. si merx, cuius iustum pretium venditionis tempore minimùm erat 10. aureorum, vendita sit minùs quinque aureis: competit venditori actio aduersus emptorem, vt vel rescisso contractu mercem restituat, pretiúmque suum recipiat, vel iusti pretij defectum suppleat, sicuti habetur in l. 2. C. de rescind. vendit. & cap. cùm dilecti, de empt. & vendit. Tametsi autem beneficium istud rescindendæ venditionis, ob deceptionem vltra dimidium iusti, soli venditori expresso iure concessum reperiatur: tamen per æquiparationem etiam ad emptorem spectare, vt & is similiter restituendus sit, si vltra dimidium iusti deceptus sit, ex communi docet Arius Pinellus p. 1. cit. l. 2. cap. 2. in princip.

Non modica autem controuersia est: Quomodo dimidium iusti in emptore decepto computandum sit? Communis DD. sententia Accursij in cit. l. 2. & aliorum apud Couar. lib. 2. resol. cap. 3. num. 8. Mol. to. 2. disput. 349. affirmat: Eodem modo, sicuti in decepto vendito- 7
re, ita etiam in emptore dimidium spectandum esse, cum ordine ad iustitiam pretij; Vt si merx summùm valuit 12. aureis, & emptor soluit supra 18. contractus rescindendus sit: vel excessus pretij iusti emptori restituendus.

Contra hanc tamen sententiam sentit Abb. in c. cùm dilecti, n. 2. de empt. Cuiacius lib. 16. obseru. c. 18. Arius Pinellus l. c. Mynsinger cent. 4. obseruat. 73. Fachin. p. 1. lib. 2. controu. c. 16. Emptorem restituendum non esse, nisi duplo plus soluerit, quàm soluere debuerat: v. g. supra aureos 20. si iustum mercis pretium fuit 10. Probant: Quia sicut in venditore enormis læsio, cui lex succurrit, illa demum censetur, si nec dimidiam partem eius, quod accipere debebat, (puta iusti pretij) consecutus est: ita vicissim in emptore enormis læsio ea censeri debet, si nec dimidiam partem eius, quod accipere debebat, (puta mercis æstimatæ) consecutus fuit. Quod breuiùs, & clariùs ita proponi potest: Tunc solùm læso succurritur, si plus, quàm duplum dedit: minus autem, quàm dimidium accepit. Id autem in venditore accidit, si mercem valentem 10. aureis, vendat infra 5. In emptore autem, si mercem valentem 10. emat plùs, quàm viginti aureis. Ergo, &c.

Ego arbitror, neutram sententiam erroris condemnari posse, quominus secundùm illam in foro externo 10
procedere liceat. Aduerto enim in foro externo ad duo Iudicem attendere posse: Primò ad quantitatem læsionis siue damni, quod alter contrahentium passus est: Secundò, ad publicam iudiciorum quietem, & declinandam litium multitudinem. Quod ad primum attinet, negari non potest, si merx valeat v. g. 10. aureis, æqualem læsionem siue damnum fore emptoris, si emat 16. quale damnum esset venditoris, si vendidisset quatuor: idque non tantùm absolutè, quia vtrinsque læsio

læsio siue damnum est sex aureorum; sed etiam cum ordine ad contractum reciprocum. Nam sicuti sex aurei, in quibus venditoris læsio consistit; superant partem dimidiam pretij iusti: ita vicissim sex aurei in quibus emptoris læsio consistit, superant dimidiam partem mercis: quando vt ponimus, merx 10. aureis æstimatur. Accedit ad confirmationem communis sententiæ; Minùs decens esse, quòd iura maiorem læsionem permittant in emptore, quàm in venditore: cùm contrahentium æqualis debeat esse conditio, & quidem arithmetica, siue absoluta æqualitas. At verò secundùm posteriorem sententiam duplo plus lędi potest emptor, quàm venditor: Si enim merx valeat 10. aureos, venditor restituitur, si læsio eius superet quinque aureos: emptor autem non restituitur, nisi læsio eius superet 10. aureos. Atque hæc pro communi sententia, quæ & mihi magis placet.

Quod verò ad alterum attinet; Ex vtraque parte venditoris, ac emptoris ferme æqualis accidet litium multitudo, si læsionem notabilem siue enormem definiamus, secundùm proportionem non arithmeticam & absolutam; sed geometricam siue respectiuam, sicuti posterior sententia definit: videlicet, læsionem enormem ex parte venditoris esse, si infra dimidium pretij iusti accepit; ex parte autem emptoris esse, si vltra duplum iusti pretij dedit. Secundùm priorem verò sententiam sæpius continget læsio ex parte emptoris, quàm venditoris: Citiùs enim alicui persuadebitur, vt det 16. numos pro 10. emendo: quàm accipiat 4. pro 10. vendendo. Eò quòd hæc maior & apparentior improportio sit: quæ fortasse causa est, cur posterior sententia in Camera Imperiali approbata fuerit, vt Mynsingerus testis est.

His quædam addenda sunt: Primum. Si contractus emptionis ac venditionis, propter apparentem læsionem immodicam, postea rescindatur, fructus temporis intermedij ad emptorem, tanquam dominum spectant; sicuti & periculum rei ad eundem pertinebit. Quæ est communior sententia Gomez 2. resolut. c. 2. num. 24. Arij Pinelli in cit. l. 2. p. 2. cap. 4. Gutierez 2. pract. quæstion. quæst. 154. Molin. tom. 2. disp. 349. Less. lib. 2. cap. 21. dub. 15. Sa ver. emptio, num. 2. contra Couarruuiam 2. resolut. c. 3. num. 9. Alia verò ratio est, si venditio rescindatur propter pactum adiectionis in diem; id est, si intra certum temporis spatium alius maius pretium obtulerit, res inempta sit, l. 1. ff. de in diem addictione. Vel si venditio rescindatur ob adiectum pactum commissorium; Videlicet, si intra certum temporis spatium pretium solutum non sit, res inempta esto, l. 2. & seqq. ff. de lege commissor. Reschissa enim postea venditione, secundùm venditoris arbitrium, fructus temporis intermedij ad eundem venditorem spectare debent, l. item quod, l. Imperator, ff. de in diem addict. l. lege fundo, ff. de lege commissoria, & videri potest Mol. disp. 377. & seq. Ratio est: Quia rescisso contractu propter eiusmodi pactum, perinde est, ac si emptio & venditio nulla interuenisset; adeò vt dominium mercis absque vlla traditione ad venditorem transeat: cui proinde vendicandi ius competit aduersus quemcunque possessorem, l. si quis hoc. ff. de rei vendicat. l. commissoriæ, Cod. de pactis inter emptorem, &c. & docet Couar. 3. resol. c. 8. Non ita verò se res habet, si contractus rescindendus sit propter appositum pactum redemptionis: ex eiusmodi enim actio non realis, sed solùm personalis aduersus primum emptorem competere videtur, sicuti docet Molin. disp. 373. & seqq. Gall. lib. 2. obser. 16. arg. l. 2. Cod. de pactis inter emptorem, contra Paulum Castrensem apud Couarruu. cit. cap. 8. nu. 3. Deinde fructus, qui ante diem redemptionis percepti sunt, ad emptorem spectant, tanquam dominum: sed postea percipiendi ad venditorem, iuxta l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit. saltem secundùm ratam partem anni, sicuti interpretantur Couar. 1. resol. c. 15. n. 6. Mol. tom. 2. disput. 374. Andr. Fachin. lib. 2. controu. c. 14.

Alterum. Quod de contractu emptionis ac venditionis dictum fuit, idem etiam, secundùm proportionem, in aliis onerosis contractibus, puta permutatione, locatione, emphyteusi, &c. locum habet, vt in externo foro propter inæqualitatem actio non concedatur, nisi læsis vltra dimidium iusti, sicuti notat Gl. & DD. in l. maioribus, C. communia vtriusque iudicij, Abb. cap. cum causa, num. 8. de empt. Fachinæus p. 1. controu. iuris lib. 2. c. 22. Arius Pinellus in cit. l. 2. p. 1. c. 3. & 4.

Tertium. Licet iure etiam canonico deceptis infra dimidium denegetur actio iudicialis, conceditur tamen eis denuntiatio Euangelica, per quam deceptores de iniquo damno resarciendo frustra admoniti, tandem Ecclesiastico Prælato denuntiantur; vt ad id, quod sub peccato mortali præstare debent, compellantur, sicuti colligitur ex c. nouit. de iudic.

Nunc reuertentes ad pretium naturale siue arbitrarium, plurimùm refert, vt intelligamus, vnde eius iustitia desumenda sit. Qua quidem in re audiendus non est Scotus in 4. distinct. 15. quæst. 2. a. 2. §. sequitur de commutatione, Maior ibid. quæst. 41. cùm dicit; Mercatori, vt iustum suarum mercium pretium reperiat, vbi lex non taxauit, æstimandos esse in particulari omnes sumptus, quos fecit, damna quæ passus est, illis emendis, aduehendis, seruandis, &c. Insuper aliquid adijciendum, tanquam stipendium laboris & industriæ. Verùm hac ratione non mercator, seu mercium suarum venditor, ac dominus; sed potiùs institor, siue operæ locator describitur. Deinde sequitur, quò infortunatior mercator est, si v. g. nauis submersa fuit, domus in qua merces seruabantur, conflagrauit; eò pluris merces suas distrahere posse. quod falsum est: Quia res domino suo perit: venditor autem mercium dominus est. Igitur sicut fortunatus mercium aduẽtus cõmodo eius accidit, ita & infortunium ad eundem spectare debet.

Quare aliter dicendum cum Soto lib. 6. de iust. q. 2. a. 3. Conrado q. 56. de contractibus, Medina quæst. 31. de restitut. Couar. 2 resol c. 3. n. 4. Petr. Nau. lib. 3. de restit. c. 2. n. 25. Mol. disput. 348. Iustum mercis pretium esse, quod loci consuetudo approbat, secundùm communem hominum æstimationem, ex abundantia, vel penuria illius, ordinaria acquirendi facilitate aut difficultate, vtilitate vel vsu, aliisque circumstantiis. Hinc colligunt Doctores communiter S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. ad 4. Maior in 4. d. 15. q. 41. §. secundò, Pet. Nau. lib. 3. c. 2. n. 67. Mol. disp. 354. Less. lib. 2. c. 21. dub. 5. aduersus Ciceronem lib. 3. Officiorum, Medinam q. 35. Conradum q. 62. & 63. de contractibus, eum nihil contra iustitiam peccare, qui frumentum v. g. pretio consueto vendit, conscius breui tempore superuenturam frumenti copiam, aut anni fertilitatem, vel hostium incursionem; si hæ causæ minuendi pretij publicè ignorentur. Nam rerum pretia non ex priuata vnius, vel alterius hominis notitia aut affectione, sed, vt dictum est, ex communi ciuium æstimatione ac sensu accipienda sunt, iuxta l. pretia, ff. Ad l. Falcidiam. Addit Molina disp. 354. neque contra Charitatis virtutem talem peccaturum: vtitur enim iure suo, vendendi merces pretio iusto currente. Quo simili iure vti potest, qui pro assecuratione mercium, aut pecuniæ, pretium consuetum exigit; licet priuatim cognoscat, v. g. ex amici literis, non esse tantum nauigationis periculum, quantum vulgo existimatur, quia v. g. mare iam à piratis securum est, sicuti docet Less. c. 28. n. 27.

Simili item iure vti poterit, qui intellexit locationum pretia minuenda ob aulæ v. g. recessum, sicuti docent Pet. Nau. n. 81. Less. cap. 21. n. 44. contra Medin. loco

R

cit. Valent. to 3. diſp. 5. q. 20. p. 4. ad 4. Item, qui intellexit Magiſtratum decreuiſſe frumenti pretium taxare, certum genus monetæ interdicere, ſicuti docet Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 4. n. 6. Pet. Nau. & Leſſ. locis proximè cit. contra Medinam l. c. Arium Pinellum l. 2. C. de reſcind. vendit. p. 3. n. 22. Mol. diſp. 354. Id tamen fateor, Magiſtratum, & Aſſeſſores iniuſtè acturos, ſi eiuſmodi decretum, quod ciuibus omnibus æqualiter promulgatum eſſe conuenit, alicui antè prodant, vel ipſimet eius ſcientia vtantur, cum reliquorum damno. Diuerſa autem ratio eſt de aliis, qui non ſunt ex Magiſtratu, aut concilio: Nam quibus nulla officij obligatione incumbit impedire, ne ciues occaſione publicorum decretorum damnum aliquod patiantur, ij nulla lege iuſtitiæ, aut charitatis prohiberi videntur, quominus priuata notitia eiuſmodi decreti mox promulgandi vtantur.

Denique ex his defendi poteſt Quæſtor ille, ad quem dominus ſuus ſcripſit, iuſſitque, vt mille frumenti ſcaphas mox diuenderet; ile probè ſciens frumenti pretium breui tempore auctum iri, tanquam venditarum mille ſcapharum pretium, iuxta eius temporis taxationem miſit, videlicet 5000. florenos. Poſt vnam verò, vel alteram hedomadem, cùm frumenti pretium integro floreno in ſcaphas ſingulas auctum eſſet, mille ſcaphas ex domini ſui horreo extractas vendidit, & 1000. floren. lucrum ſibi retinuit. Siquidem antea pretio currente frumentum, quod vendendum erat, ipſe emerat, poſtea verò tanquam ſuum effectum cariùs diſtraxit.

10 Communes porro cauſas, ob quas rerum pretia augeri, vel minui ſolent, numerant Gabr. in 4. d. 15. q. 10. in corollariis, Rebellus lib. 9. de contractibus, q. 1. ſect. 7. Mol. diſp. 347. & ſeq. Leſſ. cap. 21. dub. 4. I. Penuria mercium, multitudo emptorum, paucitas vendentium auget rerum pretia: Contrà verò, mercium abundantia, emptorum paucitas, vendentium multitudo pretia minuit. Quapropter in tranſitu viri Principis cum magno comitatu rerum pretia accreſcere ſolent: In fine autem nundinarum, dilapſis emptoribus, merces viliùs emuntur; item peſtis tempore, & poſt partam ab hoſtibus victoriam.

II. Pecuniæ abundantia efficit, vt rerum pretia creſcant; eiuſdem inopia, vt decreſcant.

III. Eſt modus vendendi: nam merces, quæ ſub haſta venduntur, vel in foro ſcrutario minoris æſtimari ſolent, quàm quæ in propria officina quæruntur, & rogantur. Item quæ per partes, ea cariùs diſtrahuntur, ob maiorem moleſtiam, minúſque lucrum; quàm quæ in magna quantitate venduntur. Simili ratione ait Leſſ. cap. 21. dub. 6. num. 56. Merces, quæ communiter data fide ſolutionis ad certum tempus vendi ſolent, ob talem vendendi modum, pluris venire poſſunt; tum quia talis venditio excitat copiam, & feruorem emptorũ, ex quo pretia augentur: tum quia plerumque Mercatoribus incommodum eſt tanto tempore ſolutionem expectare: quæ ratio licet in aliquo interdum ceſſet, id per accidens cenſetur, manente interim communi pretio eiuſmodi mercium. Sed & è contrario, ait idem Leſſ. dub. 7. num. 61. Modus vendendi communiter ſolutione anticipata facit pretium decreſcere; quia inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum. quod etiam docet Molin. diſp. 360.

IV. Eſt ſingularis affectio aut commoditas, quam venditor ex re vendita habuit, eáque in gratiam emptoris ſe ſpoliat. Debet tamen venditor huius ſpecialis ſui incommodi compenſationem in pactum deducere: alioquin decipiet emptorem ignorantem, ſicuti bene monet Leſſ. num. 27. At verò è contrario ſpecialis commoditas, quam emptor ex re empta, ſeu ob fortunam, ſeu ob induſtriam ſuam, percipere poteſt, non auget pretium mercis: quia *nemo ſuam commoditatem emere cogitur*, ſecundùm doctrinam S. Tho. q. 77. a. 1. Nau. c. 23. n. 83. Leſſ. c. 21. num. 30.

V. Si emptori commodum non ſit emere, ſed à venditore rogetur, ob hanc circumſtantiam aliquantulùm minuitur pretium mercis: ſicuti & pretium locationis, ſi conductori commodum non ſit conducere. quæ eſt doctrina Nau. c. 23. n. 84. Soti lib. 6. q. 3. a. 1. Mol. to. 2. diſp. 351.

Exinde tamen nequaquam inferas, quòd præciſè ob neceſſitatem venditoris, quia rem vendere cogitur, pretium imminuere, vel ob neceſſitatem emptoris, quia rem emere cogitur, pretium augere licitum ſit, niſi liberalis donatio interueniat, quæ tamen in neceſſitatis caſu facilè præſumi non debet. Ita Molin. l. c. & Henricus Gandau. quodlib. 14. q. 14.

---

§. II.

De re vendita, ſiue merce.

SVMMARIVM.

11 *In dubio cenſetur venditor fidem habere emptori de pretij ſolutione, ideoque mercis dominium transferre.*

12 *Res in ſpecie empta, ſi etiam ante traditionem abſque venditoris culpa pereat, emptoris damnum eſt: ſecùs, ſi res indeterminatè, ſeu in genere empta fuit.*

13 *Venditio interdum fit ad numerum, vel menſuram; interdum ad corpus.*

14 *Venditor mercis vitium occultum ſignificare tenetur: alioquin reſcindi poteſt contractus, ſi dolus cauſam contrahendi dedit.*

15 *Si merx vitioſa aliqualem vſum habet ad eum finem, ob quem emitur, interdum neceſſe non eſt vitium occultum manifeſtare: plerumque tamen de pretio aliquid ob hanc cauſam remittendum erit.*

16 *Actio quantò minoris, in conſcientiæ foro etiam vltra anni ſpatium durat, ad petendum pretium iuſtum.*

17 *Peracta venditione partium conſenſu, fructus omnes pendentes, tum maturi, tum immaturi, ad emptorem ſpectare debent.*

18 *Peracta venditione, etiam fructus producendi, ſeu poſtea exorti ad emptorem ſpectare debent; etiamſi pretium ſolutum non ſit.*

19 *Vſuræ pretij non ſoluti exigi poſſunt, ſi compenſatoriæ ſint: ſecùs, ſi lucratoriæ.*

20 *Si venditio ita fiat, vt periculum rei venditæ, interim donec pretium ſoluatur, ad venditorem pertineat, tunc fructuum æſtimationem is exigere poterit.*

HActenus dixi de pretio emptionis ac venditionis: ſequitur, vt de merce, ſiue re vendita, eiúſque fructibus agamus.

Aſſertio I. Dominium mercis, quamuis traditæ, (ob 11
peculiarem huius contractus naturam, gentium, ac ciuili iure conſtitutam) emptori non antè acquiritur, quàm is pretium ſoluerit, vel cautione pignoris aut fideiuſſoris ſatisfecerit, vel venditor alia ratione emptoris fidem ſecutus fuerit. Ita habetur in §. venditæ, Inſtit. de rerum diuiſione. Ratio eſſe videtur: Quia dum contractus ex parte emptoris nondum completus eſt, meritò venditor rem venditam ſibi realiter obligatam tenet, in pretij ſoluendi ſecuritatem. Notat verò Gl. quod in dubio cenſeatur venditor, dum rem venditam emptori tradit, ipſi fidem habere de pretij ſolutione: ideóque dominium mercis transferre.

Aſſertio II. Si res empta, tanquã certum indiuiduum, 12
vel determinatum corpus, puta, integer grex ouium, vini dolium, ligni plauſtrum, ſiue aceruus: item hic equus, hæc vacca, ante traditionem ſine culpa, vel mora culpabili venditoris pereat, emptoris damno id accidit, §. cùm autem, iunct. Gloſſ. Inſtit. de empt. & vendit. l. quod ſæpe, §. ſi res, ff. de cõtrahenda empt. l. neceſſariò, ff. de peric. & commodo rei venditæ, l. 1. & ſeqq. Cod. eodem. Sin autem venditio facta fuerit rei indeterminatæ; tunc refert, vtrum omnino abſolutè & ſine vlla determinatione facta ſit, an verò cũ ordine ad determina-

tùm corpus, vel multitudinem rerum: videlicet si quis emat ex dolio tres vini vrnas, ex grege decem oues indeterminatè. Nam in priore casu, quæcunque v. g. oues depereant, nunquam liberabitur venditor, quamdiu alias oues præstare potest. In posteriore autem casu, si totum vini dolium, vel totus ouium grex pereat, contractus dissoluitur, & datum pretium emptori restitui debet.

13 Præterea si venditio facta est ad futuram mensurationem, aut numerationem; quia v.g. in singulas vini amphoras, vel in singulos frumenti modios, certum pretium statutum fuit; periculum ad venditorem spectare debet, donec mensuratum, vel numeratum sit: eò quòd venditio antea non omnino absoluta & perfecta censeatur; sed quasi sub conditione facta, si dimensio, numeratio, vel ponderatio accesserit. Ita habetur in cit. l. quod sæpe, §. in his, iuncto ver. sed etsi ex doliario, & l. 2. Cod. de peric. & commodo rei venditæ. Quòd si vinum, mel, ouium grex, vel simile quippiam non ad numerum, mensuram; sed ad corpus, id est, totum simul venditum fuerit; neque actum, vt degustaretur, eius periculum emptor præstare debet. Sed si expressè, vel tacitè actum, vt degustaretur antequam omnino rata siue perfecta venditio esset, periculum ad venditorem spectat. Ita habetur in l. 1. & l. si quis vina, §. si auersione, ff. de periculo & commodo rei venditæ. Verùm, si certus terminus mensurationi, aut gustationi præfixus fuerit, vel si venditor coram testibus emptorem monuerit, vt intra certum temporis spatium ad mensurandum, aut gustandum accederet, post culpabilem moram emptoris, periculum ad ipsum spectabit, iuxta cit. l. 2. & l. si quis vina, §. vlt. & l. si per emptorem, ff. eod.

Porrò venditio ad corpus facta tunc censeri debet, si venditio à corpore cœpit, licet postea addita sit quantitas illius: v.g. vendo tibi dolium vini, quod continet sex amphoras. Quamuis si error in expressa quantitate postea detegatur, qui causam præbuerat, cur maius vel minus pretium constitutum esset, naturalis æquitas postulat, vt pretij inæqualitas corrigatur, sicuti monet Molin. disput. 367. Sin autem venditio cœpit à certa mensura, aut quantitate, v.g. vendo tibi sex amphoras ex hoc dolio, vel decem iugera ex hoc agro, censetur venditio ad mensuram: Idémque dicendum, si venditio à corpore incipiat; tamen pretium non vnicum exprimatur, sed pro vnaquaque mensura: v.g. vendo tibi hoc vini dolium, vnamquamque eius amphoram tribus florenis. Quamquam discrimen hoc est, quòd secundùm posteriorem contrahendi formam, omnes rei partes seu mensuræ venditæ censeantur; secundùm priorem verò formam tantùm tot partes seu mensuræ, quot expressæ erant. Vt si ita facta sit venditio: *Ex hoc dolio vendo tibi decem amphoras, vnamquamque tribus florenis*; quod supra decem amphoras in dolio reliquum erit, non censetur venditum. Sin verò ita facta est: *Vendo tibi hos vini dolium, continens quinquaginta amphoras, vnamquamque tribus florenis*: tametsi plures postea repetiantur, omnes ita venditæ censentur, l. qui fundum, 40. §. qui agrum, ff. de contrah. empt. Et videri potest Couar. in pract. qq. c. 3. n. 5. & seqq. & Legistæ in l. si seruum, §. si modus agri, ff. de actionibus empti.

14 Assertio III. Si merx occulto vitio laboret, v.g. pannus adustus sit, ouis morbosa, tignum vitiosum; eiusque rei venditor conscius fuerit, censebitur dolo egisse. Sumitur ex l. 1. Cod. de ædilit. action. & docet S. Th. 2. 2. quæst. 77. a. 2. & 3. S. Ambros. lib. 1. de officiis: *In contractibus vitia eorum, quæ veneunt, prodi iubentur: ac nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emptoris transierint, doli actione euacuantur.* Quod intellige, si dolus dedit causam contrahendi: quia si emptor rei defectum cognouisset, eam empturus non fuisset. Tunc enim agere potest ad rescissionem contractus, siue ad restituendum pretium, redhibita merce venditori: Insuper, vt omnia detrimenta, (etiam lucri cessantis) quæ ex emptione traxit, ipsi præstentur, iuxta l. Iulianus, ff. de actionibus empti, l. si vina, 2. ver. planè, ff. de periculo & commodo rei venditæ. Ratio est: Quia ad officium venditoris pertinere videtur, mercis naturam & qualitates, sicuti & seruitutes, atque onera, manifestare, quatenus id scire emptoris interest.

Cæterùm de vitio per se manifesto emptorem monere necesse non est, sicuti constat ex l. ea quæ, ff. de contrah. empt. l. 1. §. si intelligatur, ff. de ædil. edict. Idque etiam secundùm forum conscientiæ; modò res pretio iusto vendatur, docet S. Th. q. 77. a. 3. in corp. Sotus lib. 6. q. 3. a. 2. concl. 6. Syl. ver. emptio, q. 19. Nau. c. 23. n. 89. Sa ver. venditio, n. 22. Mol. disp. 353. concl. 7. Nam sibi ipsi emptor imputare debet, si rem vitiosam sciēs emit, vel cùm scire posset, ac deberet. Veruntamen, si venditor intelligat, emptorem inuincibili ignorantia vitij, alioquin manifesti, laborare, etiam tunc eum admonere tenebitur, sicuti docet Maior in 4. d. 15. q. 40. §. tertiò arguitur, Mol. l. c. Pet. Nau. lib. 3. de restit. c. 2. n. 54. & indicat Abb. in c. iniustum, n. vlt. de rerum permut.

Sin verò dolus, siue dissimulatio vitij occulti causam emendi non præbuit; quia nihilominus emisset emptor, licet minore pretio; tum non competit actio ad contractus rescissionem; sed ad restituendam partem pretij, quantò minoris res empta fuisset, si vitium ignoratum non esset, sicuti constat ex l. Iulianus, §. sed si venditor, ff. de actionibus empti, l. 1. ff. de ædilit. edicto: & videri potest Gl. in l. quod venditor, ff. de dolo, Gl. in cap. cùm dilecti, ver. deceptione, de empt. & vendit. Arius Pinellus in l. 2. Cod. de rescind. vendit. p. 2. c. 2. n. 12.

Deinde, si merx vitiosa aliqualem vsum habeat ad eum finem, cuius gratia emitur, nullúmque aliud damnum emptori euenturum sit; tunc necesse non est vitium, etiam occultum, manifestare; v.g. quòd calcei ex debili corio facti sint: etiamsi probè sciat venditor, emptorem, si vitium cognitum haberet, empturum non fuisse, sicut constat ex l. 1. §. proinde, & seqq. l. ob quæ vitia, & seqq. ff. de ædilit. edicto, & docent S. Th. quod lib. 2. a. 10. Sotus cit. a. 2. conclus. 5. Angel. ver. emptio, §. 8. Maior & Sa ll. cc. Mol. conclus. 7. §. media, Pet. Nau. n. 59. Nam alioquin magnum fortunæ discrimen mercatores subire debebunt, quādo non nisi meliores merces distrahere poterunt: ipsimet autem omnis generis ac qualitatis emere solent. Debet tamen plerumque mercator in hoc casu mercem minoris vendere, ob eius vitium. Quod singulariter notandum est equorum venditoribus: licet secundùm municipales constitutiones, non nisi certa vitia, *die Hauptmangel*, edicere teneantur: si tamen equus venalis alio quocunque vitio laboret, ob quod minùs vtilis existat, necessariò remittendum esse de ipsius pretio: alioquin in conscientiæ foro iniustitia committitur, cum restituendi onere, propter inæqualitatem rei datæ, & rei acceptæ. 15

Simili ratione mercatores iniustitiæ statim damnari non possunt, si merci alienam substantiam, puta tritico secale: vino aquam, ceræ picem admisceant: modò exinde emptoribus nullum damnum inferatur, & merx proportione pretij, quo venditur, satis idonea sit ad consuetum vsum. qua de re Angelus cit. §. 8. Syl. cit. q. 19. dicto secundo, Gabr. in 4. d. 15. q. 10. a. 3. dub. 1. Conrad. q. 54. & 55. Mol. cit. disp. 353. in fine, Less. c. 21. dub. 11. Lopez p. 2. instruct. c. 42.

Addit Less. num. 83. cum Lopez cit. loco, si admixtio materiæ secundùm se deterioris, eo artificio & industria fiat, vt merx non sit minùs bona, & idonea ad vsum, quàm sine tali admixtione, posse tunc consueto pretio

vendi, & lucrum maius reportari; quippe quod industriæ esse censetur, & sine damno emptorum percipitur. *Cur enim*, inquit Lessius, *rem suam quis non possit ad eum statum deducere, in quo sunt res aliorum* mercatorum, *& tum eam vendere eodem pretio, quo illi?* Hæc vera sunt secundùm se, ac speculatiuè: sed quia hypothesis, quæ ponitur, in praxi ratissima est, vt res per admixtionem materiæ vilioris, deterior non fiat ad aliquem vsum, cuius gratia emitur: quamobrem nullus emptor contentus erit tanto pretio emere, ac si merx pura & syncera esset; ideo plerumque iniusta fraus committitur: consequenter talis ars mercatoribus approbanda, aut permittenda facilè non est, nisi idcirco pretium minuere velint, vel pondus auctius dare ementibus. Profectò etiam in externo foro tales vt falsarij puniri solent.

In specie autem de Oenopolis ita sentiendum est: I. Si vino aquam admisceant, præsertim in quantitate immodica, plerumque damnum inferunt, & peccant: quia vinum aqua dilutum faciliùs acescit, & tamdiu non conseruatur, sicuti docet Rebel. de contract. lib. 9. q. 10.

II. Qui vino valde præstanti aquam infundit ea quantitate, vt admixtio aliter non obsit, quàm quòd tenuius fiat, is plerumque non peccat: Sed necesse est, vt de pretio secundùm proportionem admixtionis remittat. Si enim auriga vendat 10. vrnas, quibus vna vrna aquæ admixta est, is non nisi 9. vini vrnas vendit; vnam verò aquæ. Neque dicas, vinum meracissimum admixtione aquæ modicæ fieri suauius, & quandoque melius: Respondeo enim, hanc artem admiscendi cuiuis obuiam, & notam esse etiam emptori: quare ea res fieri non potest sine emptoris damno.

Limita cum Rebello l. c. Si ad vini meliorem concoctionem siue confectionem vtile sit modicum aquæ infundere; non erit necesse ideo de pretio remittere. Simile est, si venditor iustum vini pretium non possit consequi, nisi aquam infundat; (modò nullum aliud damnum emptoribus accidat) quod accidere potest primò; Si emptores abhorreant à vino ob nimiam eius meracitatem, vt nisi aqua aliquantulum temperetur, eius præstantia & valor non appareat emptoribus. Secundò; Si pretium vini à Magistratu iniustè taxetur, vt œnopolæ damnum pati debeant, nisi aquam admisceant. Qua ratione etiam pistores v. g. excusantur, si panem minoris ponderis conficiant, quia alioquin iustum pretium secundùm Magistratus taxationem consequi non possunt, sicuti notauit. Rebel. l. c.

Denique si venditor quoque probabiliter mercis occultum vitium ignorauit, non tenetur præstare damna, quæ exinde emptor accepit, puta quia pecus morbosum gregem infecit, ædes tigni vitio corruerunt, &c. Insuper venditio valida est: sed competit emptori actio quantò minoris emisset, si id ita esse sciuisset, l. Iulianus, in princ. ff. de actionibus empti, & docet S. Tho. cit. a. 2. Abb. in cit. c. iniustum, n. 2. & in c. quia plerique, n. 30. de immunit. Ecclesiæ, Couar. reg. possessor, p. 2. §. 11. n. 5. ver. septimò, Medina de restit. q. 34. Syl. Nau. ll. cc. Mol. concl. 3.

16 Hoc nota, licet actio ista *Quantò minoris*, in foro exteriore, duntaxat intra anni spatium post diem scientiæ, ab emptore institui possit; illa autem, quæ dicitur redhibitoria, tendens ad rescissionem contractus, solùm intra anni dimidium, sicuti constat ex l. sciendum tamen, §. vlt. l. si tamen, §. nocebit, & l. cùm sex menses, ff. de ædil. edicto, & l. 2. C. de ædil. actionibus. attamen in conscientiæ foro, etiam post transactum illud tempus, venditor obligatus manet ad pretium, & damna restituenda, si dolus causam emendi præbuit; vel saltem ad pretium minuendum, si dolus causam non præbuit emendi mercem vitiosam, sicuti notauit Couar. l. c. Mol. disp. 353. concl. 2.

Assertio IV. Peracta venditione partium consensu, si nihil aliud conuentum fuerit, fructus omnes pendentes, tam maturi, quàm immaturi ad emptorem spectant. Ita habetur in l. Iulianus, §. si fructibus, & §. si quid seruo, ff. de actionib. empti, l. fructus, l. post perfectum, C. eod. & ex communi docet Couar. 1. resol. c. 15. n. 2. Anton. Gomez 2. resol. c. 2. n. 11. Mol. disp. 368. concl. vlt. Ratio est: Quia fructus pendentes censentur pars fundi, l. fructus, ff. de rei venditione. Ergo empto fundo censentur etiam empti fructus in eo pendentes. Pendentes dico: nam si ante venditionem perfectam percepti sint, ad venditorem spectant, vti habetur in l. 2. §. fructus, Cod. eod. His simili ratione addendum, quod vendito equo, censentur etiam vendita necessaria ornamenta, puta ephippium & frænum, sicuti colligitur ex l. ædiles, 2. §. vendendi, ff. de ædilit. edicto. Vendita domo, etiam seræ, claui, & similia (*vvas negel-haffiist*) emptori cedunt. de quibus l. fundi, ff. de actionibus empti. 17

Corollarium I. Ager, & vinea pluris æstimantur ante messem, vel vindemiam, quàm postea quam fructus collecti sunt, sicuti notauit Molina cit. disp. in princ.

Corollarium II. Si vinea v. g. empta sit ante vindemiam; traditio autem facta postea cùm fructus à venditore percepti sunt; detrahendum est de pretio constituto, quanti fructus, tempore contractus pendentes æstimabantur, sicut notauit idem Molina in fine eiusdem disput.

Corollarium III. Si domus vendatur, quæ alteri elocata est, pensio pertinet ad venditorem, proportione temporis elapsi vsque ad celebrationem contractus: quæ autem ratione temporis consequentis debetur pensio, emptori tribuenda est, sicut notat Gl. in cit. l. Iulianus §. si fructib. ver. ei cedent. Pensiones verò ex re frugifera, puta agro, vinea, diuidendæ sunt secundùm rationem, ac proportionem fructuum, quatenus ij vel ad venditorem, vel ad emptorem iure spectarent, si fundus elocatus non esset, sicuti docet Couar. 1. resol. c. 15. n. 3. & 4. Mol. cit. disp. 368. §. tradit verò. Cuius ratio est, quia pensio soluitur ratione fructuum: ergo iure illi debetur, cui aliàs fructus rei venditæ deberentur.

Hactenus de fructibus dictum est, venditionis tempore enatis, & extantibus; de aliis autem, qui post venditionem nascuntur, maior difficultas est. Nam Iureconsulti in l. Iulianus, §. ex vendito, ff. de actionibus empti, l. vlt. ff. de periculo, & commodo rei venditæ, & l. curabit, C. de actionibus empti, definiunt; Eiusmodi fructus, etiam post rei venditæ traditionem, ad venditorem spectare, donec pretium ab emptore solutum sit; vel ob præstitam cautionem, aliámue rationem venditor emptoris fidem secutus sit. Ratio huius constitutionis est, quia inter contrahentes debet esse æqualitas, neque vnus eorum tenetur implere contractum, nisi alter vicissim impleat, iuxta l. bona fides, ff. de actionibus empti. Emptor autem, vt supponimus, contractum nondum impleuit, neque præstitit, quod ex parte sua debebat, dominium, vsum, & commoditatem pretij (quatenus hominis industriæ subiacet) in venditorem transferendo. Ergo neque venditor dominium, vsum, & commoditatem rei venditæ emptori cedere tenetur: sed eousque sibi retinere potest, donec emptor ipsi de pretio satisfaciat: vel si vsumfructum in emptorem antè transtulit, huius ipsius rei compensationem iure exiget. Ita hanc ciuilem constitutionem explicant, & defendunt Legistæ in dictam l. curabit, Ioannes Bapt. Lupus tract. de vsuris, §. 7. Couar. 3. resol. cap. 4. Angelus ver. emptio, n. 5. Binsfeldius. c. in ciuitate, q. 6. de vsuris. Ioach. Mynsing. cent. 4. obser. 53. Mol. to. 2. disp. 368. Sa ver. venditio, n. 12. Confirmatur ab aliquibus hoc argumento: Res quæuis domino suo fructificat: Venditor autem rei venditæ dominus

manet, quòd pretium illi ſolutum, vel pro ſoluto habitum ſit, ſicuti ſuprà dictum eſt. Ergo interim res vendita ipſi fructificare debet.

Ex priori autem fundamento colligit Couar. cit. cap. 4. corol. 5. & poſt eum Mol. l. c. Binsfeld. concluſ. 7. Iuſtum eſſe hunc contractum: Si venditor rei venditæ dominium in emptorem transferat per traditionem adiecto pacto, vt dum moram traxerit ſoluendi pretium, vel partem pretij, reſtituat æſtimationem perceptorum fructuum, ſecundùm proportionem pretij non perſoluti, deductis tamen expenſis. Cùm enim fructus, quamdiu pretium non perſoluitur, ad venditorem ſpectare debeant, ideo iuſtè de eorum reſtitutione paciſci poteſt.

18 Contraria tamen ſententia, leges has ciuiles ita intellectas, eſſe iniquas, & vſurarias, eſt vera, & communior apud Theologos Syl. ver. vſura, 2. q.11. Roſellam eodem ver.1.§.47. Armillam ver. vſura, n.15. Pet. Nau. lib.3.c.2.n.148. Lopez lib.1.de contract.c.36.ad 1. Leſſium.lib.2.c.21.dub.13.n.109. Rebellum lib. 9. de contract.q.16.ſ.1. Probatur, contrario conſtituto fundamento; Videlicet poſt venditionem abſoluto partium conſenſu peractam, fructus omnes, etiam producendos, iure emptionis ad emptorem pertinere. Nam fructus naturaliter conſequuntur ſubſtantiam rei fructiferæ; ſiue, vt aliis verbis dicam, naturaliter inſunt in ſubſtantia & potentia rei frugiferæ. Ergo cùm emptor iuſto pretio rei frugiferæ ſubſtantiam emit, ſimul etiam emit ius atque potentiam fructuum. Confirmatur: Æquum eſt, vt ad eundem ſpectet commodum, fructus, & acceſſio rei, ad quem eiuſdem periculum ſpectat: Periculum autem rei in ſpecie venditæ, licet nondum traditæ, ad emptorem pertinet; vt ſi abſque venditoris culpa pereat, vel deterior fiat, nihilominus integrum pretium emptor ſoluere cogatur, vt ſuprà dictum fuit. Ergo etiam rei venditæ commodum, fructus, & acceſſionem ad emptorem ſpectare oportet.

19 Corollarium. Cùm venditor ab emptore rei venditæ fructus percipiente, vſuras non ſoluti pretij exigit, diſtinguendum eſt: Vel ſunt compenſatoriæ lucri ceſſantis; quia v.g. venditor pecunias negotiationi expoſuiſſet, ſi tempeſtiuè ſolutio facta fuiſſet. tunc omnes Doctores conſentiunt, eſſe hunc iuſtum exigendi titulum: Sicut etiam è contrario, *cùm per venditorem ſtat, quo minùs rem* venditam *tradat, omnis vtilitas emptoris in æſtimationem venit*, l. ſi ſterilis, ff. de actionibus empti. Quod verò ibidem dicitur, & habetur etiam in l. vlt. ff. de peric. & com. rei venditæ: Cùm intereſſe petitur propter moram tradendi pretium, vel tradendi mercem, haberi tantùm rationem intereſſe intrinſeci, non itém extrinſeci: puta ſi emptor, vel venditor negotiator fuit; & iſte quidem ſoluto pretio mercari, & ex mercibus lucrum capere; ille verò mercem tempeſtiuè traditam diuendere, & lucrum capere potuiſſet, id aliqui volunt (inter quos Accurſius ad cit. l. ſi ſterilis, §. cùm per venditorem, ver. æſtimandum) nouo iure Cod. de ſententiis, quæ pro eo quòd intereſt proferuntur, correctum eſſe. Certè in conſcientiæ foro probabilius eſt, omne intereſſe tam extrinſecum, quàm intrinſecum præſtandum eſſe, ob culpabilem moram emptoris, aut venditoris, ſicuti docet Rebellus loco ſuprà cit. concluſ. 3. in fine; Leſſius lib.2.cap.21.dub.13.num.102. contra Molin. cit. diſput. 368. concluſ. 4. prope finem: Et probatur ex generali regula Doctorum; quòd quicunque moralis cauſa alieni damni exiſtit, illud reſarcire tenetur.

Vel vſuræ, quas venditor ab emptore ob dilatam pretij ſolutionem exigit, lucratoriæ ſunt, ſicuti apertè indicat Vlpianus in cit. l. Iulianus, §. ex vendito: *Cùm re vendita emptor fruatur, æquiſſimum eſt, eum vſuras pretij pendere.* Senſus eſt, quòd, ſicuti poſt venditionem mutuo conſenſu perfectam, vtilitas rei venditæ ad emptorem ſpectat; ita etiam vtilitas, ſiue vſura pecuniæ venditori præſtanda ſit. Et has vſuras ſuprà dixi iniquas eſſe, tam diuino, quàm canonico iure prohibitas.

Quare reſpondetur ad primum fundamentum contrariæ ſententiæ; Diſcrimen manifeſtum eſſe inter mercem frugiferam, v.g. agrum, & pecuniæ pretium; quòd ager per ſe, & ſuapte natura fructus & vtilitatem proferat, quæ in æſtimationem venire poſſunt: Pecunia autem ſecundùm ſe ſterilis ſit, neque vllam vtilitatem & fructum progignat, niſi interueniente induſtria negotiantis. Quare ſi venditor eâ negotiaturus non fuiſſet, vt ſupponimus, non poteſt vſuras exigere: Sed etſi emptor, ea pecunia, quam venditori ſoluere debuiſſet, ſuo nomine negotiatus ſit, & lucrum ceperit, ad ipſummet & negotiatorem ſpectare æquum eſt; ſicuti & damnum, ſi inde aliquod accepiſſet.

Ad ſecundum fundamentum reſpondetur; ſicuti regula illa, *Res quæuis domino ſuo perit*, vniuerſim vera non eſt, vti cernere licet in re donata, legata, vendita, nondúmque tradita; Ita neque illa regula vniuerſim vera eſt, *Res quæuis domino ſuo fructificat*; ſed potiùs ita dicere oporteret: Res quæuis ei perit, eique fructificat, cui in ſpecie (ſiue, vt Dialectici loquuntur, in indiuiduo) debita eſt.

Denique verò diligenter hîc notandum eſt; ſi venditor ita contractum celebret, vt periculum rei venditæ, ante pretij ſolutionem, ad ipſummet pertineat: tunc fructuum æſtimationem iure exacturum. Quod accidet primò: ſi venditio celebrata fuerit non abſolutè, ſed ſub conditione, vt non antè rata eſſet, quàm pretium conſtitutum numeraretur. Nam hoc caſu tum periculum, tum commodum, & fructus rei venditæ ad venditorem ſpectant, donec pretium numeratum ſit, ſicuti notauit P. Nau. lib.3.c.2.n.156. 20

Secundò: Si venditio fundi facta fuerit, adiecto pacto, vt emptor pro pretio, vel parte pretij non ſoluta, annuam penſionem ſoluat, ratione cenſus ſuper eodem fundo conſtituti, ſicut docet Binsfeldius loc. cit. poſt octauam concluſ. contra Nauarrum lib. 3. conſil. 14. de empt. & vendit. edit. 2.

Tertiò: Si contractus ita inſtituatur: Vinea, aut ager, quem pretio conſtituto emendum offero, interea, donec pretium ſolueris, pro penſione annua conductus ſit, periculo interitus ad me pertinente, ſicut ex communi docet Azor t.3.lib.8.cap.15. Nauarrus cap.17.num.248. Molin.t.2.diſput.367. qui aiunt, inſtitui etiam poſſe emptionem fundi, cum pacto redimendi ad arbitrium venditoris: ita vt dum non redimitur, ipſi locatus ſit pro penſione annua: dummodo periculum rei venditæ emptori, tanquam domino: non venditori incumbat: quia alioquin eſſet vſuraria mutuatatio cum hypotheca: licet tegmine venditionis, & locationis contractuum tegatur.

Iſte autem contractus omnino damnandus eſſe videtur: Vendo, tradóque tibi vineam, agrum, ea lege, vt pretium apud te ſit in depoſito, quoad æqualis bonitatis vinea mihi emenda offeratur: interea ſoluas mihi annuam penſionem, proportione perceptorum fructuum. Tametſi enim hunc contractum approbet Molin. cit. diſput. 368. ante 4. concluſ. rectiùs tamen ab aliis improbatur, Leſſio cit. dub. 13. Azor loc. cit. Rebello n. 15. Ratio patet ex dictis: Cùm enim penſio à venditore exigi non poſſit ratione fructuum, quippe qui emptionis iure ad emptorem ſpectant: ſequitur, eam exigi ob dilatam pretij ſolutionem, quod vſurarium eſſe conſtat ex c. in ciuitate, c. conſuluit, de vſuris.

§. III.

De venditione rei alienæ, eiusque euictione.

SVMMARIVM.

21 *Venditor emptori obligatus est de mercis euictione.*
Si res aliena emptori ignoranti vendita fuerit, valet contractus, & dominium pretij venditori acquiritur.
22 *Si fur alienis numis negotietur, lucrum ipsi acquiritur.*
23 *Qui à fure emente pecunias furtiuas bona fide accepit, easque cum proprijs commiscuit, ad nullam restitutionem domino pecuniarum obligatur.*
24 *Bonæ fidei emptor, si postea intelligat rem furtiuam esse, domino suo restituere debet, non furi.*
25 *Qui rem furtiuam, quam à fure emit, alteri bona fide vendit, postea comparenti domino, restituere nihil debet: secùs, si res furtiua illi donata erat.*
26 *Licitum est res furtiuas modico pretio redimere, ea intentione, vt dominis suis restituantur.*
27 *Qui scit rem alienam esse, vendere eam non debet: sin verò dubitat, post diligentem inquisitionem, vendere eam non prohibetur, monito priùs emptore de periculo euictionis.*

21 VEnditor ex ipsius contractus natura emptori obligatus est de mercis euictione, sicuti constat ex l. 1. l. venditor, & toto tit. ff. de euict. l. non dubitatur, & toto tit. C. eod. Sensus est: Si aliquis rem emptam ab emptore, actione reali intentata, euincat & auferat; quia videlicet demonstrat se eius esse dominum, aut sibi obligatam esse; tunc venditor emptori pretium restituere cogitur: Insuper quanti eius interest rem euictam non esse; dummodo tempore contractus ignorârit emptor rem alienam esse; & lite ipsi postea mota, denuntiârit venditori, vt se defendat. Ita habetur in l. si controuersia, l. si cùm quæstio, l. si fundum C. eod. c. vlt. de empt. & vendit. idque etiam in aliis contractibus onerosis locum habet, v.g. in permutatione, secundùm l. si permutationis, C. de euictionibus, & l. 1. C. de rerum permutatione. Item in hæreditatis diuisione, l. si familiæ, C. familiæ herciscundæ. Vel si quid in dotem promissum, ac datum sit, l. 1. C. de iure dotium. Vel si debitor creditori aliquid in solutum, id est, pro debiti solutione dederat, quod postea euincatur, l. libera, C. de sententiis & interlocutionibus, l. si prædium, C. de euiction. Debet autem emptor v.g. denuntiare venditori litem motam esse, vt veniat, eámque prosequatur, l. emptor. C. de euict. Vide plura apud Gomez 2. resol. c. 2. n. 39. & sequent. Mol. disp. 380.

Est autem nihilominus validus contractus, si res aliena empori ignoranti vendita fuerit, sicut constat ex l. rem alienam, ff. de contrah. empt. Et quamuis tunc rei venditæ dominium non transferatur in emptorem, sicut constat ex l. traditio, ff. de acquir. rerum dominio; pretium tamen acquiritur venditori, l. ex empto, ff. de actionib. empti. & l. si in emptione, §. item si, ff. de contrah. empt. Tametsi malæ fidei venditor, ac fur sit, sicut constat ex l. qui vas, §. vlt. ff. de furtis: *Numus, qui redactus est ex re furtiua, non est furtiuus*: consequenter, si fur pretio illo ex venditione rei furtiuæ accepto emat postea v.g. panem, tam pistor comparabit dominium pecuniæ, quàm fur dominium panis, sicuti rectè infert Mol. disp. 327. & consentit doctrina S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 3. ad 3. quòd bona immobilia, empta pecuniâ vsurariâ emptori vsurario acquiruntur. Cùm verò ibi addit, obligata nihilominus esse, sicuti & alia bona vsurarij, pro restitutione vsurarum; id propriè intelligi non debet; quasi hypothecaria, aut simili reali obligatione deuincta sint; cùm id nullo iure ostendi possit, sicut contra Gl. in c. tua, de vsuris, & alios Canonistas antiquos ex communiore doctrina ostendit Abbas n. 3. Molin. tom. 2. disput. 329. sed intelligi debet quoad effectum: quia bona vsurarij vendi debent, vt ex eorum pretio restitutio fiat, sicuti ipsemet S. Thom. explicat.

Obijcies. Videri aliquam inæqualitatem, si emptor rei alienæ dominium non acquirat, & tamen pretij dominium in venditorem transferat. Respon. non esse inæqualitatem: quandoquidem pro eo, quòd rei alienæ venditor pretij dominium acquirit, ipse vicissim emptori de euictione obligatus manet, vt suprà dictum, & significatur in citata l. ex empto: *Si dominus fuit venditor, facit & emptorem dominum: si non fuit, euictionis nomine venditor obligatur.*

Porrò simili ratione, qui alienis numis aliquid mercatur, mercis dominium acquirit, sicut habetur expressè in l. 1. & l. penult. C. Si quis alteri, vel sibi, &c. l. si ex ea pecunia, si C. de rei vindicat. Traditi tamen numi venditori non acquiruntur: sed emptor de eorum euictione tenebitur. Excipe. Quòd venditor alienorum numorum dominium comparet, si cum propriis ita miscuerit, vt discerni non possint, sicuti habetur in l. si alieni, ff. de solut. & annotauit Syl. ver. emptio, q. 22. Medina q. 10. de rescit. §. notanter, Pet. Nauar. lib. 4. c. 1. n. 6.

Exinde varij casus resoluuntur: I. Si fur, vel similis iniustus possessor, alienis pecuniis negotietur ac lucretur, totum lucrum ad ipsum pertinet: cùm non sit fructus pecuniæ, quippe secundùm se sterilis, & infructiferæ: sed solius industriæ. Ipse autem fur personaliter obligatus manet, tum ei à quo abstulit, ad damnum omne, ac lucrum cessans resarciendum; tum etiam creditoribus, aut campsoribus, si pecuniæ ab ipsis euincantur. Hæc est communis doctrina S. Thom. 2. 2. quæst. 78. a. 3. Adr. de restit. vbi de vsura, in 3. dub. Rich. in 4. d. 15. a. 5. q. 6. Couar. 3. resol. c. 3. n. 6. Mol. tom. 2. disp. 327. concl. 2. & dixi suprà tr. 2. c. 3. n. 3. 22

Casus II. Aliquis ludendo falsis aleis pecunias lucratus est, earúmque partem aliquam socio suo donauit; quamuis scienti, tamen non cooperanti ad fraudem committendam: rectè dici potest, socium ad nullam restitutionem obligari, si lusor ille pecunias ludo iniquo acceptas cum propriis miscuerat. Ita docet Ioan. Medina loco cit. Quid autem dicendum sit, si donator tali donatione impotens fiat ad restituendum, dicam infrà hoc cap. n. 29. ver. porrò.

Casus III. Fur quidam aureis 100. furtiuis equum à Sempronio emit, bona fide vendente, statimque aufugit: postea comparet dominus, & pretium repetit à Sempronio, nunquid restituere ei debet? Respondetur, Restitui debere, si centum aurei furtiui in specie extent: sin autem consumpti sunt, vel cum propriis numis Sempronij commixti, ita vt discerni non possint, ad nullam restitutionem obligatur Sempronius: Non enim ratione iniustæ acceptionis, vel absumptionis; cùm bona fide egerit, vt ponimus: Neque ratione rei acceptæ, possessæ, cùm alienos numos non possideat, posteaquam eos vel consumpsit, vel cum propriis miscendo, eorum dominium acquisiuit: neque etiam inde locupletior factus sit: quandoquidem pretio iusto equum vendiderat. Ita docet Medina q. 10. de restit. Sanch. lib. 2. moral. c. 23. n. 15. Pet. Nau. lib. 3. c. 4. n. 216. & lib. 4. c. 1. n. 7. Sairus lib. 10. clauis regiæ, tr. 2. c. 7. n. 13. Vasquez de restit. c. 9. § 2. dub. vlt. 23

Contrarium tamen docuit Lessius c. 20. dub. 18. n. 157. argum. l. Marcellus, §. Pomponius, ff. de rei vendic. & §. si duorum, Instit. de rerum diuis. quibus locis habetur, si duorum dominorum materiæ confusæ fuerint, ita vt discerni, vel separari nequeant, vtrique vindicationem pro parte sua competere. Sed respondeo cum

Gl. in cit. l. si alieni; Esse peculiariter statutum de numis alienis, vt eorum dominium acquiratur commixtione cum propriis eiusdem generis: præsertim si bona fide commixti sint. Ratio esse videtur, quia numi siue pecuniæ ex propria institutione transeunt de manu vnius possessoris ad manum alterius: quare nemo ferme securus foret, vtrum suarum pecuniarum dominium haberet, & non aliquæ furtiuæ, adeóque alienæ essent, nisi iura statuissent, vt earum dominium per commixtionem cum aliis acquireretur; atque actio tunc personalis contra furem duntaxat competeret. Quod etiam confirmatur ex l. singularia, ff. de rebus creditis, vbi dicitur, singularia quædam circa pecuniam recepta esse.

24 Casus IV. Titius à fure bona fide emit equum, quem postea intelligit esse Caij: sed ita res comparata est, vt vel Titius iacturam prætij facere debeat, si equum restituat Caio (ponimus enim furem statim aufugiturum esse) vel Caius iacturam equi, si Titius, rescisso contractu, pretium à fure repetat, reddito ipsi equo. Respondeo, & dico I. cum Maiore in 4. d. 15. q. 26. prope finem, Medina q. 10. de restitut. Soto lib. 4. de iust. q. 7. a. 2. Cou. reg. peccatum, p. 3. in princ. n. 3. Bart. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 30. Mol. tr. 2. to. 3. poster. disp. 722. Azor t. 3. lib. 4. c. 2. Magis videri, quòd contractus iure rescindi non possit; sed domino res sua restituenda sit. Statuamus enim hoc casu dominum coram adesse, & rem suam vindicare, quod iure potest, sicut constat ex l. mater, l. aduersus, C. de rei vindicat. profectò iniuriam infert Titius, si furi, & non repetenti domino restituat: Perinde autem esse videtur, siue dominus rem suam repetat, siue ob facti ignorantiam non repetat: quia ignorantia ius ipsi suum non adimit. Deinde ponamus, Titium rem alienam publico loco inuentam secum tulisse, quam postea intelligat esse Caij: compareat postea debitor Titij, dicátque, se debito non satisfacturum, sed aufugiturum, nisi rem Caij restituat in eum locum, vbi inuenerat; vt videlicet ipsemet auferre possit: hoc in casu nemo dicet Titium rem inuentam reponere posse, proprij damni vitandi causa; cooperaretur enim furto, & Caio rei domino damnum actiuè inferret. Eadem verò est ratio in proposito illo casu, vt animaduertenti patebit.

Interim verò habet emptor actionem contra furem de rei euictione, quam si ob illius improbitatem vtiliter persequi non potest, incuriæ, vel infortunio suo adscribat, & non in alterius damnum retorqueat.

Dico II. Cùm sententia contraria, tradita à Gabr. in 4. d. 15. q. 3. a. 3. dub. 5. Syl. ver. restit. 3. q. 7. Nauar. c. 17. num. 9. man. P. Nauar. lib. 3. cap. 2. num. 196. Vasq. de restit. c. 9. §. 2. dub. 2. Sairo lib. 10. tract. 2. c. 2. n. 16. Less. lib. 2. c. 14. dub. 3. Licitum esse in hoc casu à fure pretium repetere, restituto ipsi equo, ob Doctorum auctoritatem, probabilis sit, ideo qui eam bona fide secutus fuit, in conscientiæ foro obligandus non est ad restitutionem domino faciendam: cùm neque ratione rei acceptæ teneatur (quia rem furtiuam non possidet, neque inde locupletior factus est) neque ratione iniustę acceptionis; cùm probabili Doctorum sententiæ se conformârit.

Dico III. Cum Molina l. c. Hoc certius est, si fur sua sponte restituto pretio, mercem furtiuam recipiat, emptorem permittere posse, proprij incommodi declinandi causa.

25 Casus V. Titius equum, quem à fure emerat, bona fide vendidit Semprpnio: nunc verò Caius comparet, demonstrans se equi dominum esse. Resp. cum Syl. ver. restit. 3. q. 7. Med. cit. q. 10. concl. 2. Nau. c. 17. n. 8. Rebel. lib. 9. q. 18. s. 1. Sanch lib. 2. moral. c. 23. n. 18. Lopez p. 1. instruct. c. 95. contra Sotum, & Azor ll. cc. Pet. Nau. lib. 3. c. 4. n. 206. Sairum cit. c. 2. dub. 1. n. 11. Titium in hoc casu ad nullam restitutionem Caio obligari: sed soli Sempronio ad pretium restituendum, si Caius ab eo equum euincat. Prior pars probatur: Quia per illam rei alienæ venditionem pretij sibi dati ius atque dominium acquisiuit: neque exinde locupletior factus est; cùm equum pretio iusto vendiderit.

Cæterùm si Titius equum furtiuum ex titulo lucratiuo donationis accepit, & postea alteri vendidit, obligatus est ad restituendum pretium Caio, equi domino, si is equum iure vindicationis ab emptore recuperare nequeat, sicuti docet Nau. l. c. Couar. reg. peccatum, p. 3. n. 3. Lessius cit. cap. 14. dub. 1. n. 5. Eadémque ratio est secundùm multos DD. apud Nau. c. 17. n. 8. Sanchez n. 28. Less. cit. c. 21. n. 134. Si Titius rem alienam à fure bona fide emptam maiore deinde pretio iusto vendidit, quòd teneatur restituere domino, quatenus locupletior factus est, argum. l. si. & rem, ff. de petit. hæred. Sed contrarium rectiùs docet Mol. tr. 2. tom. 3. poster. disp. 721. propterea quod illud maioris venditionis lucrum fortunæ, aut industriæ esse censeatur. Ad legem cit. resp. cum Gl. ibid. ver. quia potest; Id esse speciale in distractione hæreditatis, seu iuris vniuersalis, vt pretium succedat loco rei: secùs autem se res habet in particularibus contractibus, sicuti docent DD. in l. mater, C. de rei vendicat. Posterior pars suprà datæ respons. ex dictis constat, quia venditor emptori se obligat ad periculum euictionis præstandum. Vide Rebellum p. 1. lib. 2. q. 3.

Porrò, qui sciens rem alienam vel furtiuam emit, malæ fidei possessor fit, ac veluti particeps furti, teste S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7. Mediná q. 10. de restit. Couar. l. c. n. 2. Neque excusat, etsi empturus intelligat, rem furtiuam in domini sui potestatem nunquam reuenturam esse. Nam etiam tunc emere nefas est, animo sibi retinendi: Fas tamen est, modico pretio redimere, vt vel ipsi domino, vel si id fieri non possit, pro eius salute pauperibus restituatur; detracto inde pretio, ob rem 26
domini vtiliter gestam, sicuti docet Maior cit. d. 15. q. 26. ad finem, Caiet. to. 1. opusc. tract. 31. resp. vlt. Rebel. lib. 9. q. 18. s. 1. Syl. ver. restit. 3. q. 7. Couar. reg. peccatum, p. 3. princip. n. 5. Vasquez de restit. c. 9. §. 2. dub. vlt. in fine. Quin etiam concessum est, res sacras iusto pretio emere à raptoribus, vt eodem pretio recuperato, Ecclesiis restituantur, sicuti notant DD. cc.

Præterea, qui rem alienam seu furtiuam emit, & postea scienter alteri vendit, is etiam rei domino iniuriam 27
infert, eidémque pretium, vel potiùs, quod ipsius interest, restituere tenetur; si ille ab emptore rem suam recuperare non possit, sicuti ex communi docet Less. lib. 2. c. 21. dub. 17. n. 135. Quòd si tamen venditor rem alienam non potuit domino suo restituere, & per venditionem non reddidit eam recuperatu difficiliorem, non videtur domino ad restitutionem obligari; nisi quatenus ex venditione factus est ditior. Quia neque tenetur ratione rei acceptæ; cùm nihil possideat, quod ad dominum pertinet: Neque ratione iniustæ acceptionis; cùm ipse domino eam non eripuerit; neque causa, sit cur ipsi restitui non possit.

Hac ratione, subijcit Lessius, *multi in Anglia, & Hollandia, qui bona Ecclesiastica immobilia, ab aliis empta, alijs postea vendiderunt, excusari possunt à restitutione, Per hanc enim venditionem nihil damni Ecclesiæ, cui illa bona hoc statu rerum restitui non possunt, intulerunt. Si tamen ex fructibus, aut venditione facti sunt locupletiores, eatenus tenentur: quia fructus sunt Ecclesiæ, hoc ipso, quòd in re Ecclesiæ nascuntur.* Et paulò post: *Neque etiam hi tenentur emptoribus, qui ab ipsis ea bona emerunt: quia etsi contractus fuerit irritus, & consequenter non fuerit translatum dominium pretij: tamen quia venditor illud volente emptore accepit, & retinet: atque emptor nollet dissoluere contractum, & restituere emptum, non tenetur illi*

venditor pretium restituere, sed potest retinere loco rei venditæ. Hæc Lessius non improbabiliter: Modò interim fateatur primò, malè agere venditorem, cùm rem Ecclesiæ v.g. vendit, ad quam nullum ius habet: secundò, talem venditorem obligatum esse ad fructus Ecclesiæ restituendos, quos futuro tempore percipere, & Ecclesiæ restituere debuisset, nisi rem alienasset; si ea alienatione causam dedit, cur Ecclesia à nouo iniquo possessore recipere non possit.

Quòd si verò aliquis, post sufficientem inquisitionem, dubitet, num res à se bona fide possessa, aliena sit, & restitutioni obnoxia; iure vendere potest, admonito tamen emptore, de euictionis periculo: & iste iure emere potest, paratus tamen restituere, si dominus euicerit. Sin autem res interea absumpta fuerit, neuter plus restituere cogitur, quàm inde locupletior factus est, sicut docet Medina cit. q. 10. §. dico secundò, Couar. reg. peccatum. p. 3. in princ. n. 4. Mol. disp. 721.

§. IV.

De merce duobus in solidum venditâ.

SVMMARIVM.

28 *Si res duobus vendita, vni quamuis posteriori tradita sit, dominium huic acquiritur. Sed excipiuntur Ecclesiæ, & ciuitates: quibus per solam conuentionem, absque traditione, dominium rei comparatur.*

29 *Quæ in fraudem alienata sunt titulo gratuito, à venditoribus intra annum repeti possunt, etsi donatarius fraudis ignarus fuit: Sin verò titulo oneroso, rescindi non potest, si alienatio facta fuerat ignoranti.*

30 *Si donatarius probè sciat, donationem fieri cum iniusto damno creditorum, videtur in conscientia obligatus ad restituendum, tametsi non repetatur.*

28 SI res duobus diuerso tempore in solidum vendita fuit, & neutri tradita; prior emptor præfertur posteriori, secundùm iuris reg. 54. in 6. *Qui prior est tempore, potior est iure.* Si autem alteri, licet posteriori, per traditionem & pretij solutionem dominium acquisitum sit, præferendus est priori emptori, sicut habetur in l. quotiens, C. de rei vindicatione: & obligabitur tunc venditor priori emptori ad interesse, l. qui tibi, C. de hæredit. vel act. vendita, l. qui ancillam, C. de action. empti.

Habétque hæc regula etiam locum in aliis conuentionibus; puta in permutatione, donatione, vt donatarius v.g. cui res tradita, adeóque dominium comparatum est, priori donatario, cui tradita non fuit, præferatur. Imò aliqui de locationis quoque contractu ita sentiunt, quòd posterior conductor, cui res tradita est, iure detentionis defendere se possit contra priorem conductorem, sicuti videre est apud Couar. 2. resol. c. 19. n. 8.

Verùm dicta regula aliquas exceptiones patitur: I. Si res primò Ecclesiæ, vel ciuitati vendita fuerit, sed non tradita, postea alteri alicui vendita & tradita, præferenda est Ecclesia, vel ciuitas, sicuti ex communi docet idem Coua. n. 2. Less. c. 21. dub. 19. Mol. to. 2. disp. 369. Ratio est: Quia Ecclesiæ, loca pia, & ciuitas priuilegium habent, vt ipsis per legatum, donationem, venditionem mutuo consensu perfectam, dominium absque rei traditione acquiratur, l. vlt. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Dubitant verò DD. an idem sentiendum de donatione, aut venditione factâ à Principe? Plerique affirmant apud Cou. cit. c. 19. n. 3. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 3. Sed alij apud eundem Couar. probabiliùs negant: cum tale priuilegium seu exceptio à communi iure, nusquam reperiatur. Id fateor, semper præsumendum esse, præsertim in donationibus factis à Principe, contra priorem concessionem absolutam; eas obtentas fuisse per obreptionem, aut propter obliuionem Principis; adeóque priorem donationem præferendam esse, sicuti docet Gaill. lib. 2. obseruat. 55.

II. Si primo emptori res vendita in contractus securitatem nomine hypothecæ subiecta, adeóque ius in re acquisitum fuerit, præferendus erit posteriori emptori, etiamsi huic traditio facta sit, teste Couar. n. 7. Mol. disp. 369. obseruando sexto, & colligunt ex l. si creditor, §. vlt. ff. de distractione pignorum.

III. Si posterior emptor, cui res tradita fuit, quique pretium soluit, antecedentis venditionis conscius erat; 29 tunc primus emptor ab ipso, tanquam rem in fraudem suam alienatam, intra annum à die scientiæ numerandum, reuocare & euincere potest, sicuti docet Baldus in Rubr. Cod. quæ in fraudem creditorum, Couar. cit. c. 19. n. 5. Mol. to. 2. disp. 328. prope finem, & disp. 369. obser. septima. Lessius n. 142. Quòd si res vni vendita, postea alteri ex titulo lucratiuo donationis, &c. quamuis ignoranti, & bona fide accipienti, tradita sit, nihilominus ab eo intra annum euinci poterit, tanquam in fraudem suam alienata; modò res extet: nam si consumpta fuit, non ampliùs obligatur donatarius, quàm inde locupletior factus est, sicuti colligitur ex l. qui autem, §. simili modo, ff. quæ in fraudem, &c. & l. penult. C. eod. & docent Lessius, Mol. ll. cc.

Cæterùm si primus emptor, in cuius fraudem posterior alienatio facta fuit, intra annum rem alienatam non repetat; tunc is, cui alienatio, siue gratuita, siue onerosa: siue scienti, siue ignoranti facta fuit, neque in externo, neque in conscientiæ foro restitutionem facere cogitur: Non enim ratione rei acceptæ, siue possessæ: quippe cuius dominium ipsi acquisitum est. Neque ratione iniustæ acceptionis: quia nihil contra iustitiam peccauit, accipiendo rem in se liberam, nullique obligatam. Licet enim venditor, vel donator personaliter obligatus fuerit, ideóque alienando contra iustitiam peccauerit: hoc tamen eius peccatum, vel permittere potuit v.g. donatarius, sui commodi causa: vel si impedire debuisset, duntaxat contra legem charitatis peccauit: nisi idem donatarius, vel emptor posterior induxerit alterum ad alienandum, cũ iniuria & damno prioris emptoris, tunc sanè ad restitutionem damni, cuius actiua causa extitit, in conscientiæ foro obligatur. Quæ est doctrina Mol. cit. disp. 328. §. verùm aduersus, iuncta disp. 396. Lessij cap. 21. dub. 19. n. 142.

Porrò sciendum est, hæc vniuersè locum etiam habere in alienatione facta in fraudem creditorum ab eo, qui soluendis debitis impar est. Nam si res in fraudem creditorum alienata sit titulo oneroso v.g. venditionis, vel dotis comparatione generi: refert, vtrum ignoranti facta sit, an scienti fraudem. Primo casu rescindi à creditoribus non potest: altero casu potest, etiam non restituto pretio emptori, secundùm l. si debitor, l. si à debitore, ff. quæ in fraudem creditorum facta sunt. Sin autem alienatio facta fuit titulo gratuito v.g. donationis, vel dotis comparatione filiæ: tunc à creditoribus res donata reuocari potest, tametsi fraudis ignarus fuerit is, cui alienatio facta est, cit. l. qui autem, §. simili modo dicimus, & l. ignoti, C. de reuocandis iis, quæ in fraudem creditorum alienata sunt. Intelligo tamen hanc reuocationem, quatenus res donata extat, vel donatarius ex ea locupletior factus est.

Veruntamen nisi creditores intra annum, quo repetendi potestas est, repetant, securus est donatarius, emptor, secundùm externum forum, sicuti constat ex l. 1. & l. ait Prætor, ff. eod. l. ignoti, quæ est penult. C. eod. Sed nunquid etiam in conscientiæ foro tutus est, licet sciens donationem in fraudem creditorum fieri, eam acceptarit? Ita affirmant Pet. Nauar. lib. 3. c. 4. n. 218. Mol. cit.

disp.328. Less. lib.2.c.20.dub.19,n.168. Probant, quia donatarius, vel emptor, si res intra tempus legibus præscriptum non repetatur, neque ratione rei acceptę obligatur ad restituendum, neque ratione iniustæ acceptionis. Prius inde patet, quia acquisiuit dominium rei donatæ, emptæ, l. si sciens, ff. de contrah. empt. quandoquidem in bonis eius fuerat, qui donauit, vendidit: Esto enim is debitis soluendis impar, pecunias mutuas acceperit, vel merces creditò emerit; verè tamen comparauit earum dominium, personaliter solùm obligatus creditoribus, quibuscum contraxerat: consequenter idem rerum dominium in alium voluntate sua saltem validè transferre potuit. Posterius inde, quia licet donatio v.g. per quam donans impotentior fit ad debita soluenda, cedat in damnum creditorum, non sine aliqua donantis iniuria: tamen donatarius id, ob suum commodum, quamuis sciens permittere potest; modò ad donationem sibi faciendam non incitet precibus, suasione, sed vltro sibi faciendam acceptet.

30 Hæc sententia probabilis, & in praxi tuta videtur: quamuis contraria communior, Palud. in 4. d.15.q.2.a.5. ad finē, S. Anton. p.2. tit.1. cap.12. §.18. Caiet. in opusc. de vsuris, q.4. Nau. c.17.n.271. Cordubæ lib.1.qq.q.39. p.3. dicto 3. quorum doctrina mihi magis placet: saltem eo casu, cùm accipiens ex titulo lucratiuo seu donatione probè scit, alienationem fieri cum iniusto damno creditorum. Quandoquidem ad talem alienationem cooperatur contentiendo, seu acceptando: quare licet suadendo non impellat, ideóque non sit causa efficiens quoad principium seu propositum; est tamen eius causa efficiens quoad executionem.

---

§. V.

Quæ res vendi possint, vel non possint, vel vendi debeant.

SVMMARIVM.

31 *Res sacra, homo liber (extra necessitatis casum) item publicum forum, theatrum vendi non possunt.*

32 *Ea quæ in spe sunt, ut lucra; item iura & actiones rectè venduntur. Debitum, quod difficilem solutionem habet, tantò minus valet.*

33 *Probabile est, quòd ius, seu chirographum ad accipiendum sequente anno centum, minore nunc pretio emi possit, puta nonaginta.*

34 *Nemo inuitus rem suam vendere cogitur; exceptis casibus publicæ necessitatis, aut publici fauoris.*

31 ASSERTIO I. Quæ non sunt humani iuris, vel non in alterius commercio, vt res sacra, vel religiosa, homo liber, item publicum forum, theatrum, &c. vendi non possunt, Instit. de inutil. stipul. § 1. & §. vlt. de empt. & vendit. Excipe primò: Quòd pater filium, vel filiam, in sua potestate constitutam, cogente grauissima necessitate, vendere possit, l.1. & 2 Cod. de patribus qui filios suos distraxerunt, & colligitur ex cap.21. Exodi. Si tamen pater postea ad meliorem fortunam reueniat, cogitur filium redimere, sicuti ex multorum sententia docet Couar. 3. resol. c.14.n.4. Mol. t.1. tract. 2. disp.33. tit.3. Quin & seipsum aliquis in necessitate vendere non prohibetur. cuius rei exemplum habemus in S. Paulino, postea Episcopo Nolæ, qui pro filio cuiusdam viduæ redimendo seipsum seruituti subiecit. Ratio est: Quia homo, vti famæ & honoris sui, ita & propriæ libertatis dominus est; quam proinde ob causam iustam licitè alteri tradere potest, teste Nau. c.17. man. n.88. Conditiones verò ad hominis liberi venundationem Cæsareo iure requisitas, vide in Gl. §. penult. ver. maior, Instit. de iure personarum, S. Anton. p.3. tit. 3. §.5. Syl. ver. seruitus, q.3. Mol. in cit. loco.

Excipe secundò: Quòd res sacræ, quæ ratione materiæ pretio æstimabiles sunt, vt vasa aurea, argentea, sacræ vestes, &c. vendi possunt, vel oppignerari ob captiuorum redemptionem, vel ad soluenda debita, si alia mobilia bona non suppetant: sed alienatio fieri debet alteri Ecclesiæ, si integra sint: si verò conflata, aut profanata, etiam laico, sicuti habetur in l. sancimus, 18. iunct. Authent. præterea, C. de SS. Ecclesiis. Vide quę suprà dixi eod. tract. c.10.n.3.

Assertio II. Non tantùm ea, quæ propriè in nostro commercio atque dominio sunt, vendi possunt; sed etiam quæ in quasi dominio. Putà quæ in spe sunt, veluti ancillæ partus futurus, fœtura gregis, iactus retis, vnius diei venatio, fructus agrorum, lucrum vnius anni ex negotiatione prouenturum, secundùm Iurecons. in l. nec emptio, ff. de contrah. empt. & l. interdum, ff. de verb. obligat. Item iura nostra, seu actiones vendi possunt, etiam inuito eo, aduersus quem actio competit, l. nomina, l. venditor actionis, ff. de hæreditate, vel actione vendita, l. nominis, Cod. eodem. 32

Excipitur: Quòd actio cedi, aut vendi non possit potentiori ratione officij, seu potestatis exercendæ in debitorem. Nam talis cessio irrita est, & creditor iure agendi priuatur, l.2. cum interpretatione Baldi & Saliceti, C. ne actio potentioribus, &c. Quòd si potentiori ratione alterius qualitatis cedatur, aut vendatur, non erit locus huic constitutioni, præterquam si appareat, vel ostendi possit, actionem translatam esse ea intentione, vt alter potentiorem aduersarium habeat, à quo faciliùs vinci possit. Ita colligitur ex cit. l.2. & docet Molin. tom.2. disp.340. §. vtrum autem.

Id verò in quæstione positum est: Vtrum ius certum, ac liquidum futuro tempore petendi centum v. g. aureos, tantidem valeat atque centum aurei præsentes; an verò pretio minore rectè emi possit? Respondent Abb. cap. in ciuitate, num.7. de vsuris, Caietan. ver. vsura, in fine, Armilla eod. ver. num.50. Nauar. c.17. num.231. Tolet. lib.5. cap.31. Sa ver. debitum, num.21. Cardinalis Bellarmin. & alij apud Less. cap.21. dub.8. Ius, seu chirographum creditoris ad accipiendum futuro anno centum aureos, iustè emi pretio minore, v.g. nonaginta, secluso omni periculo, lucro cessante, &c. Vnde inferunt Nauar. Tolet. Sa, etiam ipsum debitorem tale debitum minoris redimere posse; vt hodie v.g. soluat nonaginta aureos, pro eo, quòd post annum soluere deberet centum.

Contrariam sententiam docent Angelus verbo vsura. § 63. & 64. Gabr. in 4 distinct.15. quæst.11.a.3. dub. 4. Sotus lib.6. quæst 4.a.1. ad 3. Petr. Nauar. lib.3. cap.2. num.162. Lopez de contract. lib.1. cap.3. Medina quæst. 38. de restitut. §. cæterùm, Molin. disp.361. Less. loc. cit. Valentia tom.3. disp.5. quæst.10. p.2. Nam alioquin si tibi mutuò dem centum aureos acquisito iure & actione, vt post annum eosdem mihi restituas; nisi dicamus, esse æqualitatem inter præsentes centum tibi datos, & ius mihi acquisitum; consequens est, quòd iustè pacisci possim, vt præter centum mutuò datos, post annum cogaris mihi restituere auctarium: quæ manifesta vsura est. Deinde, si à me mutuò dari petiueris aureos centum, possem tibi dicere: Nolo mutuare; sed emam à te actionem, siue ius exigendi centum aureos. quod ius cùm minoris valeat, quàm centum præsentes, ideo numerabo tantùm aureos nonaginta, vel nonaginta quinque, quæ palliata vsura est.

Hæc posterior sententia vt communior, ita & securior est. quamuis prior non omnino improbabilis, tum ob Doctorum auctoritatem; tum verò, quia, vti in rerum aliarum, ita etiam eiusmodi chirographorum, seu debitorum pretium iustum pendet ex communi hominum æstimatione: constat autem, quando talia iura, seu chirographa debitorum, instar mercis, venalia expo- 33

nuntur, minoris communiter æstimari, quàm præsentes pecunias: Ergo iustè ita emi possunt. Confirmatur: Si defunctus grauauit hæredem, vt per annos decem Titio pensionem annuam soluat centum aureorum; talis census testamento constitutus, si redimendus sit, profectò non æstimabitur mille, sed minoris, v.g. octingentis: & tamen non esset licitum mutuò alicui dare aureos octingentos ea conditione, vt spatio decem annorum soluantur mille, sicuti bene aduertit Less. lib. 2. dub. 4. num. 32. vbi rationem reddit: Quia cum ius aliquod, per modum mercis, venale exponitur, per accidens, ratione circumstantiarum, aliam æstimationem accipit, quàm ex sua natura, præcisè spectata, haberet.

Id porrò fateri nos oportet cum Molina loc. cit. Si creditor partem debiti liberaliter remittat, & condonet, vt debitorem ad anticipandam solutionem alliciat; remissionem hanc acceptari posse, secluso vsurario affectu: quia debiti spontanea remissio solutioni æquiparatur, secundùm Gloss. in reg. 4. in 6.

Deinde extra controuersiam esse debet, debitum non liquidum, sed dubium, & incertum tantò minoris emi posse. Eadémque ratione debitum alienum, quod iunctum est cum periculo, aut difficultate assequendi, minore pretio rectè emitur: Similiter ob cessans lucrum, seu commoditatem præsentis pecuniæ, qua se priuat emptor chirographi, sicuti docet Less. dub. 8. num. 73.

Secundò quæri solet; Si aliquis sua industria, fauore apud Principem, eiúsve Officiales, alienum debitum facilè consequi possit; quod alter, cui debetur, v. g. miles difficilè impetrabit, vtrum ab eo minore pretio emere fas sit? Respondeo cum Molin. loco citato. Less. cap. 21. dub. 9. Nihil iniustitiæ in hac re inesse. Quia cuiusque rei pretium accipi debet ex communi opinione, non priuata alicuius industria: atqui debitum istud, attento communi rerum statu, difficilè acquisitu æstimatur, ideóque minoris valet; nihil obstante priuata alicuius industria, vel fortuna. Quin & ipsosmet Officiales, seu Quæstores eiusmodi debita emere posse, tradit Lessius dub. 9. in fine; modò difficultas solutionis non ex ipsorum culpa, sed aliunde proueniat; scandalum quoque, ac specialis prohibitio cesset. Quamuis fatendum sit, eiusmodi negotiationem periculo non vacare in Officialibus.

34 Assertio III. Nemo inuitus cogitur rem suam vendere, sicuti constat ex l. inuitum, Cod. de contrahenda emptione, & aliis iuribus, quæ Gloss. ibidem congerit. Excipiuntur tamen certi casus, quibus aliquis ad vendendum pretio iusto à Magistratu cogi potest, quos referunt Anton. Gomez tom. 2. resolut. cap. 2. num. 51. Couarruu. 3 resolut. cap. 14. Molin. tom. 2. disput. 341. Primus; Si publica sit necessitas, siue inopia v.g. frumenti, aliorúmve victualium ad quotidianum vsum, tunc cogi possunt ciues ad vendendum, iusto à Magistratu taxato pretio, argum. l. 1. §. cura carnis, ff. de officio Præfect. vrbis, & docet Abbas cap. 1. de empt. num. 6. Syluest. ver. emptio, quæst. 5. Qua simili ratione ciues à Magistratu cogi possunt, vt necessaria coëmant ad communem inopiam euitandam. His adde primò; Etsi communis inopia cesset, nihilominus venditoribus, qui res ad victum necessarias exponunt, à Magistratu pretium taxari posse, intra quod vendere debeant: non ita verò, si res non necessariæ venales exponantur, vti sunt gemmæ, vestes pretiosæ, &c. de qua re videri potest Abbas in cap. 1. de emptione ac venditione. Adde secundò; In casu communis inopiæ eos, qui frumento, & similibus rebus abundant, cogi posse, vt solis ciuibus seu indigenis vendant, non exteris, si vtrisque non sufficiat: quòd maior in necessitate propriorum ciuium, quam exterorum ratio habenda sit. Præterea, vt emptores non plus coëmant, quàm ad familiæ suæ sustentationem indigent, sicuti notat Gomez cit. c. 2. n. 51. Cuiusmodi legibus iustis, latis in commodum Communitatis, etiam Ecclesiasticæ personæ se conformare debent.

Alter casus est: Ob publicum fauorem; videlicet si fundus personæ priuatæ necessarius sit ad constructionem vel ampliationem ciuitatis, viæ publicæ, Principis palatij, templi, Monasterij, Collegij, Hospitalis, argum. l. si locus, §. vltim. ff. Quemadmodum seruitus amittatur. Simili ratione ex communi Doctorum sententia docent Couaruu. num. 8. Molin. tractatu 2. tom. 3. poster. disp. 709. licet cuilibet communi iure concessum sit, in fundo suo ædificare, & ædificium altiùs tollere, ac fenestras in eo aperire; tamen priuatum publica auctoritate prohiberi posse, ne ædes suas altiùs tollat, vel fenestras in muro suo aperiat, si exinde videri possint personæ religiosæ intra proprias ædes habitantes; dummodo ex tali seruitute altiùs non tollendi, fenestram non aperiendi, &c. non magnum incommodum ille capturus sit; vel, si quod est, iusta illi compensatio damni, aut lucri cessantis præstetur. Artium quoque Professores cogere possunt fabrum v.g. ferrarium, vt ex officina sua migret, si publicis lectionibus, quarum publicus fauor censetur, molestiam & impedimentum creet. His adde, quòd ex causa aliqua etiam priuatus quispiam, implorato Iudicis officio, impedire poterit; ne alter vtatur iure suo, quod aloquin illi competeret: v.g. ne vicinus ædificium suum altiùs tollat: si ex tali ædificatione nullum, aut valde exiguum commodum, oblato etiam pretio compensabile, secuturum sit: alteri autem magnum præiudicium, seu incommodum: quia in tali casu ille potiùs facere censeretur ad æmulationem, grauamen. Qua de re vide Andr. Gaill. lib. 2. obs. 69.

Testantur etiam Couar. ibidem. Mol. tom. 2. disput. 341. Tametsi priuatæ ædes simpliciter necessariæ non sint ad ampliationem v.g. Monasterij: tamen valde vtiles ad plurium Religiosorum, vel Clericorum habitationem cum bono publico iunctam: communem esse DD. opinionem, etiam tunc ad vendendum subditos cogi posse, præsertim à supremo Magistratu, siue Principe. Quamquam ipse Couar. communem sententiam in dubium vocat, eámque saltem tunc veram esse fatetur, si ex tali venditione nullum, aut paruum detrimentum priuato inferatur.

III. Casus. Si dominus alicuius loci nimia sæuitia vtatur in subditos suos, & monitus non desistat, à superiore Magistratu compelli potest ad vendendum dominium, vel omnino iurisdictione priuari, arg. l. vnic. C. si quacunque præditus potestate, &c. §. vlt. Instit. de his qui sunt sui, vel alieni iuris, &c. literas, de restitut. spoliatorum, in quo habetur, ob nimiam sæuitiam viri, diuortium instituendum esse, si mulieri sufficiente securitate caueri non possit. Vide de hac re Ioach. Mynsing. cent. 5. obser. 8.

IV. Casus. Si duo cōmunem seruum habeant, quorum alter velit eum manumittere, cogitur etiam alter partem suam vendere, libertatis fauore, si adsit qui redimere velit, sicuti habetur in l. 1. Cod. de communi seruo manumittendo. Vnde inferunt DD. apud Gomez l. c. Si aliquis in loco communi Ecclesiam ædificare velit, socium ad partem suam iusto pretio vendendam cogi posse, religionis fauore.

§. VI.

De Retractu Gentilitio.

SVMMARIVM.

35 *Retractus gentilitius est ius, proximo venditoris consanguineo concessum, factam venditionem ad se reuocandi, eodem oblato pretio, alijsque quibusdam obseruatis.*

36 *Ius istud retrahendi imitatur actionem realem, ut aduersus quemcunque possessorem institui possit.*

35 RETractus gentilitius dicitur ius alicuius gentis, aut ciuitatis, statuto, vel consuetudine concessum proximo venditoris consanguineo, intra certum tempus rescindendi, & ad se reuocandi venditionem rei immobilis, eodem oblato pretio, quo illa ab extraneo, vel remotiore consanguineo empta fuerat. Huius iuris mentio fit in l. dudum, C. de contrah. empt. &c. constitutus, de restitut. in integrum, eiusdémque aliquod vestigium extat cap. 25. Leuit. &c. 32. Hierem. Ratio esse solet: Ne possessiones paternæ, atque auitæ ad alienas manus deueniant: quod satis lugubre esse, dicitur in l. lex quæ tutores, §. & tolerabilibus, C. de administrat. tutorum. Vide Pet. Greg. Tholosanum lib. 26. syntag. in fine, Tiraquel. de vtroque retractu, in præfat. Andream Gaill. lib. 2. obseruat. 19. Mynsingerum cent. 5. obser. 51.

Sunt autem aliqua annotanda: Primum. Nomen venditionis (cuius retractus proximo venditoris consanguineo, multorum regnorum constitutione, aut consuetudine permittitur) extendi non debet ad alias alienationes, puta donationem, legatum: Neque ad permutationem, sicuti ex communi docet Tholosanus cit. lib. 26. c. 12. Multóque minùs ad locationem, emphyteusin, aliúmve contractum, quo vtile tantùm dominium transfertur, directo penes alienantem permanente, sicuti testatur Couar. 3. resol. c. 11. num. 3. & 4. Tiraquel. lib. 1. de retractu, §. 33. Gloss. vnic.

Secundum. Si consanguinei, post legitimam eis factam denuntiationem, & requisitionem, iusto pretio emere nolint, post duorum mensium spatium alteri vendi potest, sicuti ex communi docet Gaill. n. 8. Sin autem irrequisito proximo consanguineo, venditio facta fuerit, ius habet ille retrahendi intra annum, & diem, communi iure, sicuti docent & colligunt DD. ex lib. 2. Feudorum, Si de feudo defuncti fuerit controuersia inter dominum, & agnatos vasalli, §. Titius filios. Currit autem annus ille, post venditionem perfectam, etiam contra ignorantem: quamuis iusta, & probabilis ignorantia causam restituendi in integrum præbere possit, teste Gaill. cit. obseru. 19. in fine.

Tertium. Si proximus consanguineus, cui ius retractus competebat, decedat morte seu naturali, seu ciuili, v.g. Religionis professione, ius retrahendi non transit ad eius hæredem, aut Monasterium: cum sit priuilegium illius personale, quod cum persona extinguitur, & ad hęredem non transit, sicuti notauit Mol. to. 2. disp. 370. §. dubium est.

Quartum. Proximus consanguineus, qui venditionem iure propinquitatis retrahere, siue ad se reuocare vult, hæc pręstare debet: Inprimis pretium offerre illud ipsum, quod extraneus vel remotior dedit, aut dare paratus est; modò nihil in fraudem committatur, cit. cap. constitutus. Qua etiam ratione emphyteutâ meliorationes suas vendente, dominus iure prælationis vti non potest, nisi quod alter obtulerit pretium, ipse quoque dare paratus sit, l. vlt. Cod. de iure emphyteutico, cap. potuit, de locato, & docet Petr. Gregor. Tholosan. cap. 22. Deinde præstare debet omnes expensas, quas prior emptor, ratione contractus, facere coactus fuit, sicuti tradit Tiraquel. de retract. conuent. §. 7. Gloss. 1. num. 5. Tholosanus c. 21. Gaill. l. c. num. 10. vbi addit, optimam cautelam esse, vt volens vti beneficio retractus, quamprimum denuntiet emptori, ne vllos in re vendita sumptus faciat: quia retractui subiecta sit. Sed priusquam id denuntiatur, fructus, qui post perfectam venditionem à priore emptore percepti sunt, ad eundem iure spectare tanquam dominum, non est improbabile, & docet Tholosanus cap. 21. num. 6. Ioan. Faber in §. actionum, verb. & ista faciunt, Instit. de actionibus, contra Gutierez l. 2. pract. quæstion. qu. 158. Mol. t. 2. disp. 371.

Quintum. Conditio hæc, quæ datur ex lege ad retrahendum, imitatur actionem realem; quia prosequitur rem ipsam aduersus quemuis possessorem, ita vt si res tertio donata, vel vendita fuerit, ab eo reuocari possit; oblato pretio, quod primus emptor soluerat: quamobrem censetur actio hæc personalis in rem scripta, sicuti ex probabiliore docet Tholosanus c. 20. Gaill. n. 6. 36

Vltimum. Necesse est, vt proximus agnatus sibi retrahat, non in vtilitatem alterius, & in fraudem emptoris, vel aliorum consanguineorum, quibus post ipsum, ius retrahendi competit. Nam ius retractus alteri extraneo vendi, vel cedi non potest, sicuti docet Tholosan. cap. 18. Gaill. num. 10. Si tamen alius nemo superfit ex consanguineis qui retrahere possit, aut velit extraneo vendere, aut cedere permissum esse, ait Tholosan. ibid. num. 2. dummodo id regionis consuetudo, vel lex municipalis permittat: nam ius istud retractus non tam iure communi, quàm particularibus regionum consuetudinibus, aut constitutionibus municipalibus regitur.

§. VII.

De Negotiatione, & Monopoliis.

SVMMARIVM.

37 *Negotiatio dicitur; cùm merces ex proposito emuntur, vt postea cariùs distrahantur, lucri causa.*

38 *Negotiatio per se mala non est: quamuis sæpe per accidens peccati causa existat.*

39 *Negotiatio propriè dicta, videl. si res emptæ, non immutatæ, postea cariùs vendantur, personis Ecclesiasticis sub mortali peccato prohibita est: excepto tamen necessitatis casu, si alio modo vitam sustentare nequeant.*

40 *Impropriè dicta negotiatio, quæ est rerum in melius mutatarum, exceptis quibusdam casibus, prohibita etiam est Clericis, ac Religiosis, licet non tam seuerè: quare ex tali etiam negotiatione tributum, & vectigal Magistratui soluere debent, sicuti alij negotiatores.*

41 *Qui coemptione v.g. frumenti, inopiam & caritatem inducunt, videntur peccare contra iustitiam.*

42 *Monopolia illicita sunt: nisi ob iustam causam, publica auctoritate permittantur.*

43 *Mercatores contra iustitiam peccare videntur, si inter se conueniant, vt non nisi summo pretio aliquod mercis genus diuendant.*

NEgotiatio dicitur, cùm merces eo animo emuntur, vt cariùs postea distrahantur, lucri capiendi causa. Verùm, si per accidens fiat, vt quod ad proprium vsum emptum est, postea offeratur occasio vendendi cariùs, non censetur esse negotiatio, sicuti annotauit S. Tho. 2. 2. q. 77. a. 7. ad 2. Cùm id potiùs spectet ad œconomicam gubernationem, quæ etiam in personis Ecclesiasticis commendatur, secundùm Apost. 1. ad Timoth. 3. & 5. 37

Licet negotiatio per se mala non sit; tum quia mercium pretij latitudo quædam est; vt proinde eadẽ merx, intra iustitiæ limites, minoris emi, ac postea pluris vendi possit: tum quia mercium pretia pro temporum ac 38

locorum varietate mutantur; Per accidens tamen, ob hominum cupiditatem ac malitiam, sæpe salutis periculum affert: partim quia animum temporalibus curis implicitum à rebus cœlestibus auocat, partim quia mendaciis, ac fraudibus occasionem ministrat. qua de re Gabr. in 4. distinct. 15. quæst. 10. Eapropter Clericis in sacris ordinibus constitutis, atque Religiosis seuerè interdicta est negotiatio, cap. consequens, cap. fornicari, distinct. 88. cap. vltim. de vita & honestate Clericorum, Clement. 1. §. aduersus, eodem tit. & toto tit. Ne Clerici, vel Monachi secularibus negotiis se immisceat.

39 Cùm autem negotiatio duplex sit; Vna propriè dicta, in qua res empta, puta vinum, frumentum, &c. non mutata, cariùs postea venduntur, quæstus gratia; negotiationem hanc Clericis, ac Religiosis sub mortali peccato prohibitam esse, Doctores non dubitant; præterquam si eos ratio necessitatis à culpa excuset, quando alio modo vitam sustentare non possunt, sicuti notauit Gloss. in cap. negotiationem, distinct. 88. Nauarrus lib. 3. consil. 3. num. 3. de vita & honestate Clericorum, edit. 2. Quamobrem admonet Gloss. in cap. dilecti, de decimis, verbo conduxistis; Si Monasterio propria prædia ad alendos fratres non sufficiant, fas esse conducere aliena, & inde perceptos fructus vel absumere, vel etiam vendere: quare in hoc casu etiam à tributo ex eiusmodi lucris, aut fructibus seculari Principi præstandis Clerici, ac Religiosi liberi esse debent. qua de re Molin. tom. 1. tractatu 2. disput. 242. §. tertiò obseruandum.

40 Altera est negotiatio impropriè dicta, in qua res empta, postea mutata, ac melior effecta, venditur: veluti si ex lana empta panni conficiantur, & vendantur, vel ex hordeo cereuisia: si empti porci, aut boues saginentur; empti equi educentur, ac vendantur, quæstus faciendi causa. Et huiusmodi quoque negotiationes Clericis, ac Religiosis, tanquam minùs decentes eorum statum, prohibitæ sunt: quamobrem ex ea tributum, aut vectigal non minùs, quàm alij negotiatores, pendere coguntur.

Excipitur tamen, si empta pecora, & in propriis prędiis nutrita vendant; vel ex propriis agrorum fructibus confectam cereuisiam, ex propriis vineis expressum vinum diuendant: hæc enim ipsis licita sunt. Quamuis non deceat, neque concessum sit, vt in propria domo, vel Monasterio tabernam constituant, sicuti notauit Rebellus p. 2. de contractibus, lib. 18. quæst. vlt. sect. 2. Locare item Clerici possunt prædia, & iumenta sua; sed non idcirco emere iumenta, vt ea locent aliis pro pensione: quia id genus negotiationis est, teste Molin. cit. disp. 242. conclus. 5. Deinde concessum eisdem est, materiam aliquam emptam, & proprio opificio, siue manuum labore elaboratam, postea diuendere, exemplo Apostoli artem scenofactoriam, consuendis pellibus, exercentis, Actor. 18. Et Monachorum veterum retia, ac corbes texentium, atque vendentium. Vide cap. nunquam, de consecrat. distinct. 5. ex S. Hieron. Epist. ad Rusticum, & cap. 1. d. 91. ex Pelagio Papa, c. Clericus, ead. d.

Præterea si Clerici, vel Religiosi etiam negotiationem primi generis ac propriè dictam, non per seipsos, sed per alterum exerceant; tradendo v. g. pecunias laico, vel societatem cum illo ineundo, vt is solus negotietur; lucrum verò, vel pars lucri ad Ecclesiasticos pertineat, non poterunt saltem grauis peccati condemnari, sicuti docet Med. q. 30. de restitut. Tametsi neque hunc ipsum negotiandi modum per alium, Ecclesiastico statui satis conuenientem esse, nisi debitis circumstantiis (puta necessitate rei familiaris, aut consuetudine regionis) cohonestetur, monet Mol. l. c. ante 2. conclusionem.

Porrò negotiatores omnes, si copiam rerum ad communem vsum necessariarum de industria coëmendo, inducant inopiam & caritatem, Reipublicæ perniciosi sunt; ideóque legibus ac pœnis coerceri possunt: cogēdo etiam ipsos in annonę caritate merces suas viliore pretio diuendere. de quo vide Doctores in l. annonam, ff. de extraord. criminibus, Petr. Nau. lib. 3. cap. 2. num. 89. Communiter verò & respectu omnium venditorum, non est licitum Magistratui taxare v. g. triticum infra latitudinem pretij iusti, considerata anni sterilitate, aliisque circumstantiis. Tametsi enim eiusmodi taxatio vtilis futura sit ad communem ciuium, præsertim pauperum, inopiam subleuandam: æquitas tamen postulat, vt omnes, præsertim diuites, secundùm proportionem facultatum suarū, eius causâ contribuant, & non vnum solum genus hominum, v. g. simplicium & innocentiū agricolarum, frumenti taxatione grauentur: quippe qui tempore caritatis omnes merces plerumque magno pretio emere coguntur; pretium autem iustum, habita ratione laboris sui, & fructuum inopiæ, ex mercibus sui consequi non poterunt. Vide plura de hac re apud Molin. disp. 364.

Illud verò controuersum est, vtrùm dicti caritatis inductores coemptione frumenti, &c. etiam contra iustitiam peccent, ideóque ad restitutionem obligētur? Negant probabiliter Mol. disp. 345. Lessius cap. 21. dub. 20. nu. 151. Vtuntur enim iure suo (inquiunt) emendo tempore abundantiæ, pretio iusto; & postea iterum vendendo, cùm pretium in communi foro auctum est. 41

Sed contraria sententia probabilior est, quam docet Angelus ver. negotiatio, in fine, Syluest. ver. emptio, qu. 10. in fine, Maior in 4. dist. 15. q. 41. arg. 4. Medin. q. 36. de restitut. quæ incipit. Quia paucis, prope finem. Nau. in man. cap. 23. n. 91. Pet. Nau. lib. 3. c. 2. n. 83. Nam rerum communium diuisio, negotiationes, & commercia gentium iure introducta, non vsque adeò permissa sunt, vel permitti potuerunt, vt his etiam in Reipublicæ detrimentum, & communem inopiam inuehendam abuti fas & iustum esset: quamobrem non solùm Cæsareo, sed omnium gentium iure, eiusmodi monopoliū per mercium cœmptionem, & collectionem, causa inducendę caritatis, seuerè prohibetur, tāquam quod iuri primęuo ac naturali, secundū quod omnia hominibus cōmuniter à Deo creata, & donata sunt, quā maximè aduersatur.

Monopolium est, cùm vnus, vel plures è Republica consequuntur, vt ipsi soli genus aliquod mercium ad vitam necessariarum, pretio, quo ipsis lubitum est, vendant. quod seuerè prohibetur in l. vnic. Cod. de Monopoliis. Interdum tamen ob mercatorum inopiam, vel aliquorum industriam, monopolia, publica auctoritate, rectè constituuntur; puta vt nemini, præter Titium, alicuius generis merces adferre, vendere; item libros cudere, distrahere concessum sit. Debet autem tunc Magistratus monopolæ pretium taxare; præsertim in mercibus necessariis. Nam in his, quæ ad luxum, & voluptatem instituta sunt, faciliùs permittitur præstantibus artificibus arbitraria æstimatio: quandoquidem nemo ab illis emere cogitur. qua de re Nauar. cap. 23. num. 92. Lessius cap. 21. dub. 20. num. 149. Sa ver. venditio, num. 14. Molin. disput. 348. in fine. 42

Eadem l. vn prohibetur, ne mercatores illicitis conuentionibus coniurent, vel paciscantur, vt merces non minoris, quàm inter se conuenerunt, venundentur; v. g. non infra summum pretium iustum. Quo casu dubitant Doctores, vtrum mercatores ita paciscendo contra naturalem iustitiam peccent, ideóque ad restitutionem obligentur? Negant non improbabiliter Pet. Nauar. lib. 3. c. 2. num. 85. Molin. & Less. locis cit. Nam hoc ipso inquiunt, quòd iusto pretio, quamuis summo, vendunt, nihil iniuriæ inferunt.

Contraria tamen sententia magis placet, quæ est 43

Soti

Soti lib. 6. quæst. 2. a. 3. Conradi de contractib. quæst. 51. prope finem, Rebelli p. 2. lib. 9. quæst. 7. num. 6. Emptoribus enim non solùm Cæsareis, sed omnium gentium legibus, si rerum pretia taxata non sint, concessum est licitari, ne semper summo pretio emere cogantur. Hoc autem iure eos spoliant mercatores, illicita & legibus interdicta illa conuentione: ergo iniustum damnum ipsis inferunt.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur; Licet pretio summo vendere, per se iniustum non sit, conuẽtionem tamen inter mercatores, vt non nisi summo pretio vendatur, iniustam ac perniciosam esse.

Eadémque ratio est, si emptores inter se paciscantur, ne quisquam emat supra pretium infimum; quamuis secundùm se iustum: nam & hæc pactio in magnum detrimentum mercatorum cedit. Quamuis eam quoque ab iniustitia excusent Pet. Nau. & alij suprà citati.

Ex quo etiam colligitur, defendi non posse, quod Pet. Nau. visum fuit, eod. c. 2. n. 18. venditorem non peccare contra iustitiã, neque ad restitutionem obligari, si emptor empturus v. g. sex panni vlnas, conueniat cũ venditore in pretio mercis infimo, v. g. vt vlna veneat 24. argenteis; venditor autem cupiens recipere pretium summum, quod est 26. argenteorum, metiendo decipiat, & tantùm det quinque vlnas cum dimidia. Nam contractus mutuo consensu perficitur: Emptor autem nullo modo consentit in pretium summum; sed in infimum: Ergo non valet emptio, quoad excessum vltra pretium infimum.

CAP. XVIII.

De Censibus.

SVMMARIVM.

1 *Census realis tam perpetuus, quàm temporalis etiam vitalitius, ab omnibus approbatur.*
2 *Duplex est census, vnus reseruatiuus, & alter consignatiuus.*
3 *Census consignatiuus diuiditur in realem, ac personalem: In fructuarium & pecuniarium: In perpetuum, ac temporalem: In redimibilem, & irredimibilem.*
4 *Pereunte re, super qua census locatus est, etiam census corruit.*
5 *Census realis, quamuis institutus sit cum pacto redimenditatem ex parte emptoris, quàm venditoris, probabiliter defenditur.*
6 *Æquum est, vt in censu vtrinque redimibili maius pretium soluatur, quàm in censu redimibili ex parte solius venditoris.*
7 *Census personalis tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte solius venditoris, suapte natura licitus est.*
8 *Census item personalis ex vtraque parte redimibilis ab iniquitate probabiliter defenditur: attamen periculo vsurariæ intentionis non caret.*
9 *Census institui potest data facultate redimendi ad certum tempus, vel non ante tempus designatum.*
10 *Census vtrinque redimibilis, adiecto etiam pacto assecurationis, absolutè loquendo damnari non potest; quamuis periculo vsurariæ intentionis non vacet.*
11 *Contractus societatis cum pacto assecurationis licitus est.*
12 *Contractus in aliqua regione etiam à viris doctis, & honestis celebrari solitus, non est iniquitatis facilè damnandus.*
13 *Inter hypothecam, & censualem rei obligationem discrimen est.*
14 *Vsura est, si census cum pacto assecurationis constituatur, vel constituatur cum persona nullos reditus habente.*

CEnsus, secundùm primæuam acceptionem, est æstimatio bonorum, ex quibus Magistratui tributum, in signum subiectionis, solui debet, sicuti constat ex l. forma, ff. de censibus, & Cod. eodem tit. lib. 11. & videri potest Couarru. 3. resolut. c. 7. Postea verò translatum est nomen census ad ipsum tributum siue pensionem significandam, vti apparet cap. 22. Matth. *Licet censum dare Cæsari?* & lib. 2. Cod. sine censu, vel reliquis, &c. Videri potest Felicianus de Solis tract. de censibus in proœmio, num. 6. Denique apud Canonistas significatius contractu aliquo constitutum, pensiones siue reditus annuos ex re aliqua percipiendi.

1 Secundùm hanc postremam acceptionem duplex census est: Vnus reseruatiuus; cùm quis fundum pleno dominij iure in alterum transfert, reseruata sibi annua pensione ex eodem fundo, iuxta l. vlt. C. de rerum permutatione. Qua etiam ratione Ioseph Gen. 47. prædia, quæ commutatione cùm tritico, pleno iure Pharaoni cõparauerat, postea Ægyptiis restituit, annua in iis pensione constituta: exceptis prædiis Sacerdotum. Alter est census consignatiuus: cùm quis contractu donationis, venditionis, vel permutationis alteri constituit, ac designat ius ex re sua (id est censum designantis) reditus annuos percipiendi: vt cùm Princeps alicui cõstituit ius ex vectigali suo, aut Cameræ suæ reditibus annuas pecunias accipiẽdi. Verùm hoc loco solùm agemus de eo censu consignatiuo, qui emptione constituitur, vtpote frequentissimo: qua acceptione census est veluti species quędam emptionis, ac venditionis: v. g. florenis 100. à te emo ius percipiendi in annos singulos ex agro tuo frumenti scapham; vel eius valorem, videlicet 5. florenos.

2 Census ita acceptus diuiditur primò in realem, ac personalem. Realis census est, qui fundatur super certa re vna, vel pluribus ex quibus pensio soluenda sit, v. g. super domo tua, agro, vinea. Quare comitatur rem, ad quemcunque possessorem perueniat, quasi seruitus, siue realis obligatio pensionis soluendæ, donec census redimatur. Personalis census est, qui fundatur super certa persona, obligante se ad annuam pensionem, sine ordine ad certam aliquam rem, ex qua pensio soluenda sit: nisi quòd interdum ad debiti securitatem certus fundus hypothecæ subijcitur.

Secundò diuiditur census in fructuarium, ex quo fructus debentur, videlicet vinum, frumentum, &c. & pecuniariũ, ex quo pecunia debetur. Cũ enim pecunia rerum omniũ venalium cõmunis æstimatio, ac valor sit; ideo non minùs in ea, quã in fructibus census etiã realis constitui potest. Veluti si centum florenis emam quinq; annuos ex agro tuo, vel pecoribus tuis pẽdendos. Vterque verò census subdiuiditur in certum, & incertum: Certus census est, in quo certa pensio designatur, v. g. frumenti scapha, quinque floreni. Incertus census est, in quo pars aliquota designatur, v. g. tertia pars fructuum, aut pro eis pecunia.

Tertiò diuiditur cẽsus in perpetuũ, ac tẽporalem. Perpetuus subdiuiditur in redimibilem, & irredimibilẽ. Redimibilis iterũ duplex est: vel enim ex parte solius venditoris, cui liceat, restituto pretio, censum redimere: vel etiã ex parte emptoris, cui liceat resignato censu pretiũ repetere: & vocari tunc solet census vtrinque redimibilis. Irredimibilis verò census est, cui nullum redimendi pactum adijcitur.

Census tẽporalis subdiuiditur in eum, qui certo annorum numero definitur, v. g. annis decẽ, viginti: & in censum vitalitiũ, qui ad vitã ementis, vel vendẽtis censum, alteriúsue personę cõstituitur: v. g. transfero in te 1000. aureos, vt obligatus sit, quãdiu viuis, vel quãdiu ego viuo, vel pater meus viuit, 100. aureos annuos numerare. De quo Binsfeld. q. 11. Nihil autẽ obstat, quominus etiã censui temporali pactum redimendi adijciatur. De his censuum diuisionibus videri possunt Conradus Sũmerhart de contract. q. 72. & seqq. Ioan. Medina C. de rebus per vsuram acquisit. q. 11. & 12. Sotus lib. 6. de Iust. q. 5. a. 1. Couar. 3. resol. c. 7. Mol. to. 2. disp. 381. & seqq. Petrus Binsfeld. c. in ciuitate, q. 9. & seqq. de vsuris. Felicianus de Solis lib. 1. de censib. c. 4. n. 15.

3 ASSERTIO I. Census realis tam pecuniarius, quàm fructuarius: & tam perpetuus, quàm temporalis, etiam vitalitius, eo pretio emptus, quod vel lex taxauit, vel loci consuetudo approbat, iustus ac licitus est.

Ita DD. omnes, auctoritate extrauagantis Martini V. & Calixti III. de emptione ac venditione: item Bullæ Pij V. editæ Anno Domini 1568. cuius initium, *Cùm onus*, apud Nauar. comment. de vsuris, n. 84. Probatur: Census realis est veluti pars quædam vsusfructus; quippe ius percipiendi partem fructuum, siue annuorum redituum, emptione comparatum: ad eundem modum, quo etiam donatione, vel legato alicui constitui potest ius percipiendi ex domo, vinea, agro donantis, legantis, reditus annuos in perpetuum, ad vitam, vel ad aliquot annos.

Neque obstat, quòd summa pensionum, temporis progressu soluendarum, pretij quantitatem superet. Nam in censu non emuntur pensiones, vt bene explicat Ioannes Maior in 4. d. 15. quæst. 42. Felicianus de Solis lib. 1. de censibus, cap. 7. numero 3. Sed ius percipiendi futuras pensiones: quod ius communi hominum iudicio minoris æstimari solet, quàm si pensiones omnes præsentes essent: Eò quòd multa accidere possint, vt fructus vel non nascantur, vel non soluantur. Eodémque recidit, si dicas, pensiones emi, quatenus sunt in potentia, atque spe: minùs autem æstimatur aliquid in spe, quàm in re.

4 Accedit, communem esse Doctorum sententiam, quæ apertè colligitur ex cit. PP. extrauagātibus periculum rei, super qua census locatus est, incumbere emptori, vt si absque domini culpa res pereat, totus census corruat: Sin autem ob sterilitatem, aliámue causam, non tantos fructus proferat, vt integræ pensioni sufficiant, satis esse partem pendere, nisi antecedentium, aut subsequentium annorum fertilitas compenset. Ideóque consultum est, censum super fundo vno, vel pluribus opulentis atque securis collocare. Ratio huius communis doctrinæ est, quam Lessius dat cap. 22. dub. 5. Quia pereunte re, perit eius dominium cùm directum, tum vtile siue vsusfructus. Census autem realis est quasi vsusfructus, vel portio eius, emptione comparata: licet aliter sentiat Couar. 3. resol. c. 7. n. 5. §. primùm.

5 ASSERTIO II. Licitus est census realis cum pacto redimendi ex parte venditoris; & probabiliter etiam, qui vtrinque redimibilis est. Prior pars est Doctorum communis, auctoritate extrauagantium citatorum. Et probatur ratione: Nam aliæ omnes venditiones sub conditione redemptionis, præsertim ad arbitrium venditoris (quo casu nulla suspicio vel præsumptio vsuræ esse potest) licita est, sicuti colligitur ex l. 2. Cod. de pactis inter emptorem & venditorem, & cap. 25. Leuit. & videri potest Ioannes Gerson p. 2. operum, opusc. de contract. consid. 5. & seqq. Ergo etiam venditio census cum eiusmodi pacto licita est.

Posterior pars est Gabr. in 4. d 15. quæst. 12. art. 2. conclus. 4. Medinæ quæst. 15. de rebus per vsuram acquisitis, §. quæ de pacto, Conradi de contract. quæst. 84. post 4. conclus. corol. 1. Valentiæ t. 3. disput. 5. quæst. 22. p. 6. Lessij lib. 2. cap. 22. dub. 10. contra Sotum loc. cit. art. 3. conclus. 1. Couarruuiam 3. resolut. cap. 9. num. 4. Canisium tract. de censibus, in fine, Binsfeld. c. in ciuitate, quæst. 12. conclus. 10. Rebel. p. 2. lib. 10 de censib. quæst. vlt. qui censum vtrinque redimibilem, tanquam vsurarium, reprobant. Sed non rectè: Nam vbicunque seruatur natura emptionis ac venditionis, neque transit contractus in mutuum, ibi vsura non interuenit: sed in hoc casu seruatur natura emptionis ac venditionis: Cùm enim aliis emptionibus apponi possit pactum redimendi ad arbitrium vtriusque, sicuti fatetur ipsemet Couarruuias num. 3. Molin. tom. 2. disput. 377. propefinem: cur non etiam in emptione census? Item, si in emptione census apponi potest pactum redimendi ad arbitrium venditoris, vti omnes fatentur, cur non item ad arbitrium emptoris, salua natura census? Non transit autem contractus in mutuum: Quia mutuum omni casu à debitore repeti potest: in reali autem vtrinque redimibili censu (nisi aliud pactum adijciatur) pretium siue sors repeti non potest: si res, super qua census fundatus est, casu pereat.

Duo addo: Primum. Æquum esse, vt maius pretium soluatur in censu vtrinque redimibili, quàm in censu redimili ex parte solius venditoris. Quare, cùm in his Germaniæ prouinciis ferme consuetudo sit, vt reditus vnius annui ematur 20. & 5. annui emantur 100. cum pacto redimendi reciproco: atque eiusmodi conuentione neque emptor, neque venditor se grauari conquerantur, sequitur introduci posse, vt reditus vnius annui ematur tantùm 17. & annui sex emantur tantùm 100. cum pacto redimendi ad arbitrium solius venditoris. Causa est, quòd obligatio isthæc, quæ emptori incumbit, reuendendi ad arbitrium venditoris, pretio æstimabilis sit: ideóque in partem pretij rectè computetur, sicuti notarunt Medin. Valent. Less. ll. cc. Conradus cit. q. 84. concl. 1. & 2. 6

Alterum. Quia sub censu vtrinque redimibili vsuraria intentio facilè latere potest, ideo modus iste contrahendi periculo non vacat, neque facilè suadendus: tamen tolerandus est, testibus iisdem DD. Quapropter non solùm in Pontificijs Martini V. & Calixti III. constitutionibus; sed etiam in Carolina Augustæ edita in Comitijs Anno Domini 1548. vsurarius contractus iudicatur, si census redimendi facultas emptori permittatur. Verùm id intelligi debet secundùm præsumptionem fori externi: præterquam, quòd dictæ constitutiones, quatenus ea prohibent, quæ iuri naturali alioquin non aduersantur, pluribus locis receptæ non sunt. Qua de re vide Nauar. comment. de vsuris, n. 106. & seqq.

ASSERTIO III. Probabile est, censum personalem tam irredimibilem, quàm redimibilem ex parte solius venditoris, spectata rei natura, licitum esse. Ita Abb. c. in ciuitate, num. 7. de vsuris, Ioannes Gerson t. 2. operum, opusc. de contractib. in 3. parte. Maior in 4. d. 15. quæst. 42. & 43. Gabr. ibid. quæst. 12. art. 1. conclus. 1. Sotus 6. de iust. q. 5. art. 1. Conrad. de contractib. q. 74. & 83. Couarruuias 3. resol. cap. 7. num. 5. Medin. de rebus per vsuram acquisitis, q. 11 & 15. Binsfeld. loc. cit. q. 10. conclus. 1. Felicianus de Solis lib. 1. de censib. cap. 8. Gall. lib. 2. obser. 7. Less. cap. 22. dub. 4. contra Innoc. Hostiensem, & alios c. in ciuitate, de vsuris, Nauar. comment. de vsur. num. 81. S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 8. §. 10. Angelum ver. vsura. 1. §. 78. Molin. tom. 2. disput. 386. & seq. Probatur: Census personalis est ius percipiendi reditus annuos, ex alicuius personæ lucris, emptione comparatum. Atqui inprimis nemo negat, super persona industria constitui posse obligationem soluendi partem aliquam lucrorum annuorum: Nam ita decimæ personales constituuntur, c. Apostolicæ, c. pastoralis, de decimis, & c. decimæ, 16. quæst. 1. Item tributa, quæ Magistratui penduntur, sicuti constat ex lib. 2. Esdræ cap. 10. Sæpe etiam testator grauat hæredem suum, ad pensionem annuam alteri personæ soluendam, l. si legatum, §. vlt. ff. de annuis legatis. Nihil autem obstat, quominus talis obligatio emi possit, perinde ac alia iura, debita, & seruitutes. 7

Neque dici potest, in tali census personalis emptione virtuale mutuum, ideóque vsuram palliatam interuenire. Qui enim mutuò dat, is datam sortem repetere potest: Emptor autem census personalis irredimibilis, vel redimibilis tantùm ad arbitrium venditoris, datam sortem repetere non potest. Neque alia inæqualitas, siue iniquitas ostendi potest: Quod enim obijciunt, emptorem vnius annui 20. florenorum pretio, elapsis annis 21. plùs recepturum esse, quàm dederat, id nihil refert: quia in censu non emuntur pecuniariæ pensiones: siquidem pecunia emi non potest: Sed emitur ius percipiendi pensiones, quod ius communi hominum æstimatione minus valet: Siquidem nemo est, qui viginti præsentes non pluris æstimet, quàm ius percipiendi annum vnum spatio

annorum viginti: partim ob periculum non recipiendæ solutionis, quod raro tot annorum decursu abesse solet: præsertim instituto censu personali, in quo (quatenus est ex vi & natura huius contractus) pensiones annuæ soluendæ amplius non sunt, si, cessante industria personæ, nulli annui reditus proueniant ex opificio, aut negotiatione, super qua census locatus est, partim ob lucrum, vel commodum cessans: Quia nemo ferme est, qui non pluris pecuniam facit, ex qua vtilitatem ipsemet capere potest, quàm ex qua vtilitatem alij hæredes sui capturi sunt, post multorum annorum decursum. Lege Lessium cap.22. dub. 4.

Confirmatur I. De æquiualentibus idem iudicium esse debet, l. vlt. ff. Mandati. Est autem iusta pactio donationis sub modo, per quam dono alteri irreuocabiliter 100. aureos, ea lege, vt in singulos annos, dum viuo, 10. mihi alimenti loco vicissim donare obligatus sit: nihil obstante, quòd accidere possit, vt vltra decem annos viuens, plus recipiam, quàm dederim, sicuti docet Nauar. l.3.c onsil.1. de donat. edit.2. & tamen in hoc contractu idem fit, quod in censu personali vitalitio.

Confirmatur II. Census realis in amplissimo fundo locatus, æquè, vel magis securus est de pensionibus futuro tempore recipiendis, quàm qui super industria, & lucris personæ locatus est. Ergo, si in reali censu nihil obstat, pensiones futuro tempore percipiendas pretij quantitatem superare, neque in personali censu id obstare debet.

8 Assertio IV. Census personalis vtrinque redimibilis super persona industria locatus probabiliter defenditur, attamen periculo vsurariæ intentionis non caret. Ita contra communem, docent DD. seq. assert. citandi. Probatur: Si enim aliis emptionibus pactum adjici potest, non solùm ad voluntatem venditoris redimendi, sed etiam ad voluntatem emptoris reuendendi: vt paria vtriusque contrahentium iura sint: cur non etiam in emptione census personalis? Deinde statuamus, iustum pretium census irredimibilis ex parte emptoris esse 100. pro annuis 6. poterit tunc propter obligationem, quæ venditori imponitur, vt ad voluntatem emptoris redimere cogatur, augeri pretium, vel minui pensio: vt v. g. pro centum soluantur annui 5.

Neque dici potest, contractum transire in mutuum. Nam mutuum cuiuis personæ dari, & omni casu repeti potest. Census autem iste personalis ex vtraque parte redimibilis, tanquam fundamentum requirit personæ industriam, lucrandíque facultatem: quo sublato fundamento, puta si mercator, vel opifex sine culpa sua nullum pluribus annis lucrum capiat, vel opificio, negotiatione spolietur: corruit census personalis, neque pensiones exigi possunt: nisi alio adiecto contractu fulciatur, de quo mox.

9 Sed priùs id aduertendum, posse etiam censum redimibilem institui non absolutè, sed ad certum tempus, v. g. decennium: ita, vt intra tale tempus redimere liceat, postea non liceat, sicuti docet Gabr. cit. q. 1. a. 2. concluf.4. Sotus lib.6. q.5.a.3. contra Couar.3. resol.c.8.n. 7. Quin etiam hoc modo, vt intra decennium v. g. redimere non liceat, postea verò licitum sit, sicuti contra Couar.n.8. & alios ab ipso citatos, docent Med. cit. q.15. §. aduerte tamen, Felicianus de Solis lib. 1. de censib. c. 7. n. 11. Less. cit. c. 22. dub. 9. qui rectè admonent, quantò magis venditori arctatur facultas ad arbitrium suum redimendi, tantò maius venditionis pretium esse oportere.

10 Assertio V. Census vtrinque redimibilis (præsertim realis) etiam adiuncto pacto assecurationis, probabiliter defenditur, ac toleratur, etsi periculo vsurariæ intentionis non caret. Ita docet Med. cit. q. 15. in fine, Valentia l. c. p. 6. vbi ait, idem visum fuisse doctissimis Romanis Theologis Anno Domini 1581. & secuti sunt Less. lib.2. cap.22. dub.10. & 11. Ioan. Malderus 2. 2. de iust. tr.5.c.5. dub.11. aliique recentiores. Probatur assertio primò: Aliis contractibus, puta commodato, deposito, mutuo, quorum natura alioquin postulat, vt periculum rei pertineat ad commodantem, deponentem, mutuatarium: pactum adijci potest, vt contra eueniat, & rei periculum rei commodatæ ad commodatarium spectet, c. vn. de commodato. Periculum rei depositæ ad depositarium, l.1. ff. depositi. Periculum item rei mutuò datæ ad mutuantem, sicuti suprà dixi cap.15.q.1. Ergo etiam contractui censuali ex vtraque parte redimibili, tam personali, quàm reali, pactum istud, quod dicitur assecurationis, adjici potest: puta si res, super qua census fundatus est, secundùm totum, vel secundùm partem intereat, non damno emptoris, sed venditoris id accidat: ideóque venditor nihilominus obligatus sit censum, restituta sorte, redimere: vel super alia re frugifera, aut quapiam negotiatione constituere: Modò obligatio hæc venditori compensetur, pretium census augendo: vel quod eodem redit, minorem pensionem designando.

Probatur secundò: De æquiualentibus idem iudicium esse debet, l. vlt. ff. mandati. Sed hi duo contractus re ipsa, & secundùm effectum æquiualentes sunt: quorum vnus societatis est; si mercatori des centum aureos, eo pacto, vt is, instituta negotiatione, siue lucrum ex pecunia capiat, siue damnum patiatur, annuos quinque tibi soluere obligatus sit: insuper etiam ipsam sortem restituere, cùm vel tibi, vel ipsi mercatori societatis contractum dissoluere placuerit. Alter verò est contractus noster censualis, quo centum aureis v. g. emis ab agricola, mercatore, caupone, opifice, ius percipiendi quinque annuos ex ipsius reditibus vel lucris; eo pacto, vt quãuis accidat, nullum lucrum, nullósue reditus annuos ab eo percipi, nihilominus annuatim pendere tibi cogatur; ipsam quoque sortem restituere, cùm vel tibi, vel illi censum redimere libuerit. Prior autem ille societatis contractus, tali forma celebratus, defenditur ab Hostiensi in sum. tit. de vsuris, §. an. aliquid, Nau. cap.17. man. n.255. & comment. de vsuris, notat.14. Ioan. Maiore in 4.d.15. quæst.49. Couar.3. resol.c.2.n.4. Binsfeld. in c. nauiganti, de vsuris, q.8. Mol. disp. 417. Barthol. Medina in instruct. confess. lib. 1. cap. 14. §. 27. Angles in floribus, p. 2. de contractu societ. diffic. 2. Pet. Nauar. lib. 3. cap. 2. n. 442. Lessio c. 25. dub.3. Valent. q.24. p.2. argum. c. per vestras, de donat. inter virum & vxorem. Ergo posterior quoque contractus censualis, dicta forma institutus, iure defendi potest.

Instabit aliquis: Discrimen hoc esse, quòd in priore societatis contractu dominium sortis non transferatur in mercatorem: sicuti in posteriore censuali cõtractu transfertur: ex quo sequitur, sub priore contractu non posse latere mutuum, sicuti sub posteriore. Respondeo: Quando contractus societatis ita instituitur, vt negotiator omne periculum pecuniæ collatæ in se recipere debeat, eandémque non determinatè, sed secundùm æquiualens restituere obligatus sit: profectò apparet, dominium sortis, seu pecuniæ translatam fuisse re ipsa, & secundùm effectum.

Probatur tertiò: Contractus, qui in aliqua regione celebrari solitus est, præsertim à viris doctis, & honestis: licet dubij, & obscuri iuris sit, atque vsuræ speciem quandam præ se ferre videatur, non tamen ideo iniustus, & vsurarius censeri debet, sicuti docet Bartolus in l. quis sit fugitiuus, §. apud Labeonem, ff. de ædil. edict. Tiraq. lib.2. de vtroque retractu, §. vlt. n. 127. Nauar. lib.5. de vsur. consil. 4. edit. 2. Binsfeld. cit. c. nauiganti, q. 10. concl. 3. Passim autem in Germania nostra à viris etiam probis, & doctis, instituitur census iste vtrinque redimibilis, cum pacto assecurationis. Ergo cessare debet præsumptio vsuræ.

Confirmatur. Neutra pars contrahentium de damno

queritur; imò vtraque ex tali contractu commodum se capere fatetur. quod nobis argumento esse debet, contractum licitum esse. Sicuti è contrario, si altera pars plerumque pauperior reddatur ex aliquo contrahendi modo, signum est, contractum iniquum esse, sicuti annotauit Maior in 4.d.15.q.46. paulò post principium.

Denique plures audiui, qui adeò contractum illum germanicum in his regionibus inualuisse testantur, vt sine maxima negotiationum & commerciorum iactura tolli non posse videatur. Ergo non est causa, cur contractum iniquitatis damnemus.

Duo addenda sunt: Primum. Cur in assertione addiderim, *præsertim realis*; causa est, quia à contractu personali vtrinque redimibili cum pacto assecurationis, multi viri docti magis abhorrent; quòd maiorem vsuræ similitudinem gerere videatur. Siquidem in eo perinde, ac in mutuo, persona immediatè obligatur: in reali autem censu obligatio rei inhæret, atque inde in personam tendit. Quod quamuis in praxi non improbem, rem ipsam tamen attentiùs considerans, parum inter vtrumque contractum interesse arbitror. Nam pactum assecurationis, ita conceptum, vt, tametsi res pereat in censu reali, nihilominus persona, vnà cum hæredibus eius, obligata sit, facit censum virtute personalem esse, adeóque quasi mixtum ex reali, ac personali, vtriusque commoda participātem, sicuti notauit Lessius dub. 11. Quamobrem non tantùm actionem realem tribuit erga rem; sed etiam, pereunte re, erga personam. Quare nemo est, qui non emere malit censum realem fundatum super vno, vel pluribus amplissimis prædiis, quàm censum merè personalem.

13 Imò tametsi census personalis hypotheca subnixus sit, tamen amplius quid habet census realis: Quia onus censuale per se ac directè transit ad quemuis rei, super qua census locatus est, emptorem, legatarium, aliúmue possessorem, qui proinde actione confessaria statim conueniri potest. Sin verò hypotheca ad securitatem census annexa alienetur, tertius ille possessor non nisi in defectum principalis debitoris, si videlicet excussis eius bonis soluendo non sit, per actionem hypothecariam, seu quasi Seruianam conueniri potest, l.hæc si debitor, Cod. de pignor. Idque discrimen annotauit Mol. to. 2. disp.383.

Alterum ex Lessio cap.20.num. 106. & cap 22.num. 62. Valent. disput. 5. quæst.25. p. 2. Licet homines rudes & indocti minùs intelligant, cur vltra sortem, suo arbitrio repetendam, pensiones annuas recipere possint; eo ipso tamen ab vsura & iniquitate excusari, quòd aliorum proborum, & doctorum virorum exemplum secuti, nihil titulo illicito, vel vsurario; sed modo, quo fieri potest, iustitissimo accipere proponunt: *Taciti enim, & expressi eadem virtus est*. Deinde, licet valde consultum sit, vt in censuali contractu certæ verborum formulæ à doctis approbatæ vsurpentur; si tamen simplices & indocti, eiusmodi contractum germanicum instituentes, vtantur verbo mutuandi, *leihen, aut leihen*, non tamen idcirco de vsura condemnandi sunt, sicut beneannotauit Maior in 4. d. 15. quæst. 33. Siquidem in cognoscenda specie contractus magis attendendum est ad pacta in illo apposita, quam ad nuda verba, ait Abb. in c. constitutus, num.22. de relig. domibus, & in c. illo, de pignor. Adde, quòd apud Germanos vocabulum *leihen* valde generale sit, cùm omnem ferme concessionem significet.

14 Assertio VI. Vsura est, si census realis, vel personalis, iuncto pacto assecurationis, constituatur, vel continuetur cum persona non habente reditus annuos, siue ex fundo, siue ex propria industria. Ita omnes. Eadémque ratio est, si contractus societatis cum eodem assecurationis pacto instituatur cum eo, qui negotiari non solet, teste Nauarro cap.17.numer.258. Binsfeldio cit. c. nauiganti, quæst.8.conclus. 5. Probatur: Tunc enim re ipsa aliud non fit, quàm quòd mutuò datur, cum pacto, vt præter sortem, annuum auctarium soluatur: licet hoc ipsum sub nomine emptionis, siue census, vel societatis, tanquā pallio occultetur. Plùs autem valet quod re ipsa agitur, quàm quod simulatè concipitur, argument. l.cum ea, Cod. de transact. Confirmatur. Si enim censualem contractum sine vllo rerum ac personarum discrimine defendamus, vno veluti falcis ictu omnis vsura præcisa erit: quam tamen iura cùm diuina, tum humana seuerè prohibent, mutuandique officium gratuitum esse decernunt.

Igitur in eo essentialiter differt censualis iste Germanicus contractus à mutuo vsurario; quòd ille certum fundamentum requirat, in quo fundatus sit: cùm sit ius percipiendi reditus annuos ex alicuius fundo, negotiatione, opificio, &c. certo pretio comparatum: eóque fundamento penitus ruente (puta si venditor census eiúsue hæredes nullos annuos reditus habere incipiant) contractus censualis nullum ampliùs locum habere potest, quamuis, ob adiectum assecurationis pactum, sors repeti queat. Contractus mutui verò cum quacunque persona rectè instituitur, vt etiam ad hæredes, & hæredum hæredes transmittatur obligatio, sine vllo ordine ad requisitum aliquod fundamentum. Sin autem vltra sortem mutuò datam aliquid accipitur, secluso alio titulo, id vsurarium est.

Ad extremum quæres. Quod pretium iustum census censeri debeat? Respondeo, quod vel lex, aut consuetudo, vel in certo casu iusta Principis voluntas taxauit: Sin verò taxatum non fuerit, quod æquitas dictat, secundùm conditiones contractus, & vtriusque contrahentis grauamina, aliásque circumstantias. Quòd si pretij iusti limites excedantur, peccatum erit aduersus iustitiam; non tamen vsura. Ita Couar. 3. resol. c. 9. n. 6.

CAP. XIX.

De Cambio.

SVMMARIVM.

1 *Cambium, seu permutatio pecuniarum inter se, est contractus secundùm se licitus.*

2 *Cambium aliud est, quod minutum dicitur, & aliud locale.*

3 *Plures tituli sunt, cur campsor in cambio minuto plus accipere possit, quàm dedit.*

4 *Pecunia duplicem vsum habet; vnum principalem, vt tanquam pretium rerum emptionibus seruiat: alterum secundarium, vt vnum pecuniæ genus cum altero commutetur.*

In commutatione pecuniarum seruari debet æqualitas inter datum & acceptum: quare iniquissima cambia fuerunt, quæ annis superioribus in Germania exercebantur.

5 *Si famulus pecunia domini sui proprio nomine cambiendo lucretur, lucrum sibi acquirit; licet de damno teneatur, si quod contra domini voluntatem cambiendo inferat.*

6 *Iusti tituli sunt in cambio locali aliquid plus accipiendi, quàm datum fuit.*

9 *Tabellarius conductus à Titio vt Augustam eat, si postea etiam ab alio rei ignaro conducatur, vt idem iter in gratiā sui conficiat, damnari facilè non potest, etsi ab vtroque integram mercedem accipiat.*

8 *Merx multùm distans à loco, in quo venditur, tantò minoris æstimari solet.*

9 *Auctarium cambij, quod à mercatoribus secundùm temporis exspectandi proportionem exigitur, probabiliter defendi potest.*

10 *Cambia sicca dicuntur, quibus nullus iustus lucrandi titulus subest.*

CAmbium est permutatio pecuniæ pro pecunia. Differt à mutuo, quòd contractus mutui 1

vnica pecuniæ traditione perficitur, quæ reddi debet post temporis interuallum, vel eadem, vel alia eiusdem generis, ac bonitatis. Cambium autem, cùm sit species quædam permutationis, *do vt des*, non antè omnino perfectum censetur, quàm vtrinque pecuniarum traditio facta sit. Deinde cambium semper fit ob aliquam diuersitatem pecuniarum vltro, citróque dandarum; siue per se, siue per accidens ratione loci, &c. cuius diuersitatis in mutuo non habetur ratio.

Interim verò in cambiis alij etiam interueniunt contractus, atque tituli, quibus lucrum capere possit is, à quo petitur, vt pecuniam permutet; quique *campsor* dici solet; alter verò, ad cuius petitionem pecunia commutatur, *campsarius*, sicuti videre est apud Couar. de collat. vet. numism. c. 7. n. 4. Conradum q. 99. suppos. 2. de contractibus, Mol. disp. 398.

Quamuis autem ars ista numularia, in pecuniarum permutatione consistens, valde quæstuosa, & non secundùm naturam sit, auctore Aristot. lib. 1. Polit. cap. 6. quandoquidem pecunia, propter necessitatem introducta primùm est ad res alias emptione comparandas: postea verò ipsarum inter se pecuniarum permutationes institutæ, potissimùm quæstus, seu lucri pecuniarij causa, cuius augendi infinita hominum cupiditas est. Nihilominus negotiatio ista permutandi pecunias secundùm se iniusta non est, & propter varias causas infrà explicandas, Reipublicæ vtilis esse potest, vti edocet S. Thom. 2. 2. q. 77. a. 4. in corp. iuncta interpret. Caietani, Conradus cit. quæst. 99. conclus. 3. Medin. Cod. de rebus per vsuram acquisitis, quæst. 5. §. Quibus præmissis. Sotus lib 6. q. 8. a. 1. Couar. cit. cap. 7. num. 4. Syluest. ver. vsura, 4. q. 1. Quòd si immoderata lucri cupido coniuncta sit, ea ad peccatum auaritiæ spectat: ex qua secluso dolo & iniquitate, nulla restituendi obligatio nascitur; licet campsor sæpius cambiendo ingens lucrum industria sua ceperit. Monendi tamen sunt eiusmodi homines in sacra Confessione, vt hac ditescendi arte moderatè, & sine Communitatis detrimento vtantur; & partem lucri sui in eleemosynas pauperum distribuant: quod interdum à Confessario loco pœnitentiæ imperari potest.

Duplex est cambium; Vnum, in quo pecunia vnius formæ, aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ, aut materiæ; puta maior cum minore, vetus cum noua, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea. Vocari solet cambium *minutum*; quia in eo frequenter pecuniæ grandiores cum minutioribus commutantur. Item cambium *manuale*; quia de manu ad manum eodem loco, ac tempore perfici solet.

Alterum verò cambium est, quod dicitur *locale*, in quo pecunia præsens commutatur cum pecunia distante in alio loco. Dici etiam solet cambium *per literas*; quia plerumque literæ dantur, quibus mandatur correspondenti, vt in illo altero loco pecuniam soluat. Porro cambium istud locale duobus modis institui potest: Primò, Si campsor præsentem pecuniam priùs accipiat, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem restituat. Secundò, Si campsor pecuniam præsentem priùs numeret, vt postea in loco distante per se, vel per suum correspondentem recipiat.

Quamuis autem nemo dubitet, quin eiusmodi commutationes pecuniarum, si secundùm æqualem valorem fiant, in se iustæ sint; quia tamen campsor non æqualem, sed minorem pecuniæ valorem dare, quàm accipere, adeóque lucrum capere solet; idcirco examinandum est, quinam in vnoquoque cambiorum genere iusti tituli, seu causæ lucrandi esse possint.

5 Quod attinet ad cambium minutum; Primus titulus accipiendi plus, quàm dandi, est locatio operæ, & obsequij, quod campsor præstat congregando omnis generis pecunias, quæ permutari debeant; exspectando, & paratum se præbendo ad easdem commutandas, secundùm campsariorum voluntatem: Cuius rei gratia & seipsum, & sæpe plures famulos alere cogitur: ideóque huius impensi laboris, & obsequiorum iustam compensationem iure exigit; præsertim, si ad tale officium exercendum publicâ Magistratus auctoritate constitutus sit. Qua de re Maior in 4. d. 15. quæst. 37. Nauarrus cap. 17. man. num. 288. & auctor consil. 31. apud Nauarrum de vsur. notab. 3. edit. 2. Medin. de rebus per vsuram acquisitis, quæst. 5. Couarruuias in opusc. de collat. veterum numismatum, c. 7. n. 4. Mol. to. 2. disp. 399. Less. lib. 2. c. 23. dub. 2.

Alter titulus est lucri, vel commodi cessantis: Nam sæpe accidit, vt vnum genus monetæ plures, easque pretio æstimabiles commoditates habeat, quàm altera. Inprimis enim monetæ grandiores, vt ducati, thaleri maiorem numerandi, transferendi commoditatem habent, quàm monetæ minutiores, vt crucigeri, numi. Secundò moneta antiqua frequenter purioris materiæ, & maioris etiam ponderis est, quàm moneta noua eiusdem taxationis: quo casu æquum est, vt antiquæ monetæ valor supra primam sui æstimationem accrescat, sicuti notauit Molina disp. 401. §. dicendum deinde. Tertiò, Monetæ aureæ, & argenteæ, quæ in aliis etiam locis, præsertim confinibus, vsitatæ sunt, maiorem commoditatem, negotiandique opportunitatem habent, quàm illæ, quæ in confinibus regni; vel omnino non accipiuntur, vel minore valore. Quartò, Si præstantiores monetæ, ducati, thaleri, &c. ex prouincia, vbi cuduntur, passim in alias prouincias, vbi earum maior valor est, extrahantur: meritò pluris fiunt, quàm aliæ minutiores monetæ: tùm ob magnam, quam illæ habent, opportunitatem cambij localis: tùm etiam quia magna tunc potest esse præsumptio, earum monetarum valorem breui tempore auctum iri, sicuti notauit Medina q. 7. de rebus per vsuram acquisitis.

Id verò in quæstione est: Si nihil tua intersit, hujúsne, an alterius speciei pecunias habeas: quia tuasque, commodiores censeri solent, in alium locum non transferres, sed statim communi valore expendere debebis, nisi permutes: vtrum in ea commutatione seu cambio aliquid supra taxationem accipere licitum sit? Negat Medina de rebus per vsuram acquisitis, q. 7. eadémque videtur sententia Caiet. opusc. de cambiis, c. 1. Si enim iusta est, vt suppono, Principis taxatio, vt thalerus v. g. valeat centum crucigeros, sequitur, in commutatione thaleri cum pecuniis minutioribus (per se loquendo, & secluso extrinseco interesse damni emergentis, vel lucri cessantis) amplius, quàm centum crucigeros iustè non accipi.

Sed contraria sententia communior est, & vera, quam indicat Auctor apud S. Thom. de regimine Principum, lib. 2. c. 14. & clarè docet Sotus lib. 6. p. 9. a. vn. Nau. c. 17. num. 288. Sa ver. cambium, n. 2. Tol. lib. 5. cap. 51. Less. c. 23. dub. 2. Ratio est: Quia pecuniæ duplicem 4 vsum, commoditatémque habent, vnum principalem, vt inseruiant rerum aliarum emptionibus, debitorúmque solutionibus: atque ad hunc tantùm finem à Magistratu taxationem acceperunt: alium verò vsum pecuniæ habent secundarium: vt vnum monetæ genus cum alio genere permutetur: inter quæ si aliqua rationabilis diuersitas commoditatis appareat, nihil obstat, quominus à legali taxatione recedatur: modò nulla falsitas aut fraus interueniat: & auctarium, quod supra taxationem accipitur, iustum sit: videlicet quod lege, aut consuetudine loci taxatum, vel si taxatum non est, quod spectatis omnibus circumstantiis, æquum apparet, sicuti docent Sotus, Nau. Tol. ll. cc. vbi consequenter aiunt, contra Caiet. cit. a. 1. Eiusmodi cambiendi, lucra-

dique industriam, cùm suapte natura iusta sit, non tantùm iis licitam esse, qui Reipublicæ auctoritate constituti sunt, sed etiam aliis quibuscunque, præterquam si Magistratus prohibeat: quamuis etiam hoc casu contractus cambij subsistit; nullaque restituendi obligatio sequitur, si, seclusa prohibitione, titulus seu causa auctarij accipiendi non defuit, sicuti docet Molin. tom. 2. disput. 399. § illud admonuerim, & disput. 405. in fine. Less. cit. dub. 2. n. 17. contra Sotum cit. a. vn. in fine.

Quare neque id certum est, quod ibidem Sotus ait, esse peccatum mortale, contra iustam Magistratus prohibitionem cambia exercere. Quandoquidem eiusmodi leges prohibentes cambia, quę suapte natura iusta sunt, sub pœna v. g. cōfiscationis bonorū, videri possunt merè pœnales, siue obligantes tantùm ad soluendam pœnam, si quis in cambiendo deprehendatur. Talium enim mulctarum solutione compensandum videtur damnum, quod alioquin Principi, seu Magistratui ex frequentibus non necessariis cambiis prouenire potest. Quare non illico damnarem hominem peccati mortalis, si cambium contra legis prohibitionem exerceat; præsertim cum conciuibus, aut prouincialibus: Sin autem cum exteris instituatur tali modo, vt bonæ pecuniæ extrahantur, & deteriores recipiantur; cedere id potest in graue Reipublicæ detrimentum: vt proinde non desit facultas Magistratui, tales negotiationes cum exteris prohibere per legem obligantem non tantùm sub pœna, sed etiam sub culpa, iuxta ea quæ dixi l. 1. tract. 4. c. 14.

Loquor autem tantùm de cambiis, quæ ex obiecto iusta sunt, seu in quibus æqualitas seruatur inter datum & acceptum: Non item de iniquissimis cambiis, quæ præteritis annis multi in Germania exercuerunt, occasionem fraudis accipientes ex diuersitate veterum, & nouarum monetarum. Pro denario v. g. veteri argenteo, veluti beneficium alteri præstantes, dederunt duos, vel tres eiusdem extrinsecùs inscriptæ taxationis denarios, septuplo deteriores secundùm intrinsecum valorem: postea acceptum argenteum denarium cum vitiatis cupreis denuo commutando, pro vno septem receperunt: quos iterum cum argenteis permutantes, & argenteos deinde cum cupreis, breui temporis spatio ex non magna pecunia ingentem numorum copiam collegerunt, & ex pauperibus repente diuites facti sunt, per iniquitatem, & cum Reip. detrimento.

Alia quæstio est: Si famulus grandiores pecunias, quas ad mercatores, aliosque creditores deferre debuerat, cum aliis minutiorib. monetis permutando, lucrum acquirat, vtrum peccet, & ad restitutionem obligetur? In hac q. aliqua supponere debemus: I. Quòd dominus creditoribus non teneatur pecunias grandiores in specie soluere; sed satisfaciat etiam per solutionem minutiorum monetarum æqualis taxationis. II. Quòd famulus non plus à mercatoribus, aliisve creditoribus in vtilitatem domini sui consequi possit, seu grandiores, seu minutiores pecunias ipsis soluat. III. Quòd famulus neque expressum, neque præsumptum mandatum habeat pecuniis negotiandi, seu lucrandi; ideóque proprio nomine, ac periculo cambium instituat.

§ His suppositis resp. ex doctrina Mol. to. 2. disp. 402. Less. lib. 2. c. 23. dub. 2. prope fin. & dico I. Famulum ad nullam restitutionem teneri ipsi domino; neque comparatione eius grauiter peccare. Prior pars probatur: Quia si commodatarius, depositarius (imò etiam vsurarius, fur, vel similis iniquus possessor) ex alienis pecuniis negotiando aliquid lucretur, lucrum sibi ipsi, non pecuniarum domino acquirit; quamuis interim teneatur ad damnum resarciendum, si quod exinde domino accidat, sicuti expressè docet S. Tho. 2. 2. q. 78. a. 3. Syl. ver. vsura, 6. q. 2. Med. de rebus per vsuram acquisitis, q. 4. ad 4. Couar. 3. resol. c. 3. n. 6. Ratio est: Quia quod ex pecunia (aliisque rebus similib. quæ vsu absumuntur, & frugiferæ non sunt) acquiritur, id non est lucrum, siue fructus rei, sed potiùs industriæ; quare non rei domino debetur, sed negotianti, siue industriam applicanti. Altera pars inde probatur: Quia licet famulus peccet, & aliqualem iniuriam domino inferat, si contra eius voluntatem pecunias expendat, iisque lucretur, re ipsa tamen nullum illi damnum infert: quia, vt suppono, eius debita æquè à famulo soluuntur: quapropter neque magna, aut mortalis hæc iniuria censenda erit.

Aduerto tamen, hæc quidem vera esse, si talis pecuniarum permutatio semel, aut iterum à famulo fiat absque domini sui detrimento. Sin verò Officialis aliquis consuetudinem habeat pro monetis grandioribus, melioribúsque, alias minutiores, ac deteriores substituendi, & expendendi lucri sui gratia; non potest hæc res non in graue domini damnum cedere: tum quia sæpe continget, vt merces maiore pretio emi debeant, propter odium minutiorum monetarum: tum quia turpe est, ex alicuius Magnatis domo, aut Principis Camera semper prouenire monetas minutiores, deteriores: quę etiam res absterrere solet negotiatores, vt ægrè suas merces pro talibus pecuniis vendant. Quare rectè agūt Magnates, si eiusmodi pecuniarum permutationem Officialibus seuerè prohibeant, ac puniant: quia si talis licentia hominibus suorum commodorum auidissimis, in vno, aut altero casu permittatur, statim eam ad multos inconcessos extendent. Accedit, quòd contrectare alienam pecuniam, eiúsque vsum, domino prohibente, sibi vendicare, furti species quædam censeatur: quod crimen tanquam noxium Reipubl. grauiter puniri solet.

Dico II. Si dominus velit omnino, vt pecuniæ in eadem illa specie auri creditoribus obueniant; tum peccat famulus, & iniuriam infert creditoribus, si eas contra ipsorum voluntatem negotiando, vel cambiendo commutet cum aliis minutioribus: Et grauiter quidem peccat, si creditorib. exinde lucrum cesset: quia ipsimet simili ratione cambij, vel commodæ mercationis lucrati fuissent, si pecunias aureas accepissent: quod proinde damnum, siue lucrum cessans famulus compensare tenetur. Ratio est clara: Quia hoc casu creditores ius habent, secundùm domini, siue debitoris voluntatem ac mandatum, exigendi à famulo pecunias grandiores in specie: quas, si ille non ita soluat, iniuriam ipsis infert; & consequenter damnum, vel lucrum ea de causa cessans compensare eisdem tenetur, sicuti docet Mol. to. 2. disp. 402. concl. 2. Quòd si verò hoc casu creditoribus nullum ea de causa lucrum decessit, quia pecunias aureas non maiore pretio, quàm minutiores expensuri fuissent; tunc ad nullam ipsis restitutionem faciendam obligatur famulus; neque censendus erit grauiter peccasse, per se loquendo, cùm nemini damnum graue intulerit, teste Mol. conclus. 3.

Dico III. Si dominus, qui pecunias mittit, putatur contentus, aut non ægrè laturus, quòd famulus talem rationem cambiendi & lucrādi instituat; tunc nihil peccat famulus, & ad nullam restitutionem creditoribus tenetur, tametsi illa pecuniarum commutatio contra ipsorum voluntatem accidat, & causa sit lucri ipsis cessantis. Ratio est: Quia creditoribus ante traditionem nullum ius in pecunias acquisitum fuit. Alia ratio est, si famulus, aut quiuis alius mandatarius ab ipso creditore destinetur, vt eius nomine pecunias recipiat; tunc hoc ipso, quòd tali mandatario pecunia traditur, mandanti creditori ius ad illam acquiritur; ideóque ei iniuria fit, si pecuniæ à famulo permutentur, cum damno, aut cessante lucro ipsius mandantis: quod proinde ipsi compensari debet.

Quod attinet ad primam speciem cambij localis, in

quo campsor præsentem pecuniam priùs accipit, vt alibi restituat, sed cum detractione, & lucro suo: v.g. Monachij accipiat campsario 100. thaleros, datis eidem literis, vt Romæ à suo Correspondente accipiat tantùm
6 90. Eiusmodi rationem cambij cum iusto & consueto campsoris lucro siue auctario, communiter defendunt DD. Caiet. tr. de cambiis, c. 1. & 6. Nau. cit. c. 17. n. 289. & in comment. de vsuris, c. vlt. n. 21. Conrad. de contract. q. 99. concl. 4. Sotus lib. 6. de iust. q. 10. a. 1. Mol. disp. 403. Less. dub. 3. Causa autem plus accipiendi, quã postea dandi, est accessorius contractus locatæ operæ ad pecuniam formaliter, aut virtualiter transferendam ad locum, quo campsarius vult. Si enim Monachio Romam vsque 100. thaleros transferre debeas, laborem ac periculum subiturus es, & expensas facturus: quo onere te liberat campsor, cùm in se recipit numeraturum tibi Romæ thaleros 100. hoc autem obsequium pretio æstimabile est. Quamobrem, quò longiùs distat locus, ad quem cambium instituitur, & quò periculosior via, eò maius auctarium exigi potest. Neque refert, tametsi campsor nullum inde onus, sed magis fortasse commodum ferat: si nimirum thaleros 100. quos à te Monachij accipit, Romam nunquam transmissurus est; sed Monachij, instituta noua ratione cambij, alteriúsve generis negotiatione, iterum lucraturus: Nam id totum ad campsoris industriam pertinet. Perinde ac si nuntius mercede conductus ad mille aureos Romam transferendos, postea aliquem reperiat, qui Romæ aureos 1000. certissimò numeraturus est, non minùs locationis mercedem accipere potest, quàm si re vera transtulisset, teste Less. lib. 2. c. 23. dub. 3.

Præterea, si nuntium conduxisti, vt equum Augustam duceret, licet ei commodissium sit Augustam proficisci negotiorum causa, ob quæ alioquin, etiam conducto equo, profecturus fuisset; is nihilominus pro locata opera pretium accipere potest, spectato iustitiæ rigore, sicuti docet Molin. disp. 405. §. simili modo, Lessius dub. 3. & 4. Esto, quòd si nuntij commoditatem illam cognitam habuisses, non tali, sed alio modo cum illo pactus fuisses.

Item, si aliquis, v.g. studiorum causa, Augusta Romam profecturus, tradat pecuniam Mercatori Augustano cognato suo, eúmque roget, vt pecuniam hanc alicui alteri det ad cambium, quò eam deinde Romæ cum lucro seu auctario recipere possit; is nihil iniquum committere videtur, sicuti docet idem Molin. contra Medinam quæst. 9. de rebus per vsuram acquisitis, §. potest etiam. Ratio horum est: Quia obsequium, quod nuntius ille, vel mercator alteri præstat, reuera dignum est tali stipendio, seu auctario: Per accidens verò est, quòd ipsemet nuntius, vel mercator ex huiusmodi contractu maius commodum capturus est: quandoquidem per id nihil decedit alteri personæ, qua cum contractus institutus fuit, sicuti rectè etiam notauit Caietan. cap. 6. de cambiis, §. si autem. Illud tamen notant plerique, quòd commoditas illa virtualis traiectionis, quæ, vti explicatum est, frequenter accidit etiam cum lucro campsorum, multùm diminuat consuetum pretium, siue auctarium cambij localis.

7 Ex dictis non improbabiliter ab iniustitia defendi poterit praxis quorundam nuntiorum, qui ab vno mercede conducti ad literas deferendas, postea, re dissimulata, ab altero se iterum ad eundem locum conduci sinunt, mercede integra postulata. Quia obligatio illa, & obsequium, quod secundo conductori præstatur ad literas v.g. deferendas, absolutè loquendo, tanta mercede dignum; & per accidens esse, atque ad industriam seu fortunam nuntij spectare videtur, quòd alioquin tale iter in suum, vel alterius commodum conficere debeat; præsertim cùm ea re secundo conductori nullum damnum inferatur; quippe, qui, vt ponimus, proprium nuntium cõstituere, eique similem mercedem dare debuisset. Simile est, si auriga iusta mercede accepta, aliquẽ Monachio Augustã vexit: postea reuersurus Monachium tantundem mercedis ab altero accipit, ac si nullam redeundi necessitatem haberet. Id enim ad industriam eius ac fortunam spectare videtur. Arcendi tamen sunt homines ab eiusmodi lucris immodicis. Si autem abstinere nolint, interdum ob eam, quam dixi, rationem, à peccato mortali excusari posse videntur.

Alteram speciem cambij localis, in quo campsor priùs dat pecuniam in loco præsente, vt postea cum auctario recipiat in loco distante, communiter etiam defendunt Doctores Caiet. c. 6. de cambiis, Medina q. 8. & 9. de rebus per vsuram acquisitis, Sotus q. 10. a. 1. Conradus q. 99. conclus. 4. §. secundò. Nau. c. 17. n. 289. & seqq. Mol. disp. 404. Lessius c. 23. dub. 4. Ratio est similis: Si enim Titius pecunias Roma Monachium transferre debeat, laborem, & pericula subibit, expẽsas faciet: quo onere eum liberat campsor, cùm ipsi pecunias Monachij numerat, recepturus Romæ per se, vel correspondentem suum: in cuius obsequij compensationem iure aliquam mercedem, siue stipendium exigit.

Ex quo colligit Mol. cit. disp. 404. §. ex dictis intelligetur, cùm Caiet. cit. c. 6. Nau. cit. n. 299. Si res vendenda existat in loco distante, ad quem venditor sine expensis, periculo, damno suo, neque accedere, neque rem ipsam aut pretium venditionis transportare possit: tunc tãtò minoris æstimari, minoréque pretio ab altero emi posse: tametsi is deinde in loco, vbi res sita est, sine vllo suo incommodo vel labore, pluris eam distracturus sit: nam id per accidens est respectu venditoris, totúmque ad fortunam, vel industriam emptoris pertinet. Accedit, quòd iustitia pretij in emptionibus, cõductionibus, &c. non ex priuata alicuius commoditate: sed ex communi hominum æstimatione, ac sensu accipienda sit, vt suprà dictum fuit. 8

Simile quiddam in cambio accidit, ob diuersitatem valoris monetæ in diuersis locis: nam ducatorum v. g. plerumque maior est valor in Germania, cum ordine ad pecunias minutiores, quàm sit valor ducatorum in Italia, & Hispania: quamobrem censeri non debet cãbium iniustum, si mercator in Germania pauciores ducatos numeret, recepturus deinde plures in Italia: esto eos deinde per se, vel Factorem suum, eo ipso valore, quo in Germania æstimantur, distrahat: instituto v. g. contractu mutui, cambij, vel emptionis cum aliquo in Germaniam profecturo: hoc enim spectat ad campsoris illius industriam. Qua tamen in re inprimis considerare oportet, quomodo valor thalerorum, ducatorum secundùm extrinsecam æstimationem in vno loco auctior sit: An propter intrinsecam deteriorationem monetarum minutiorum. Tunc augmenti illius in cambiis nulla ratio habenda erit: cùm illud non sit per se, sed omnino per accidens. Thalerus, inquam, secundùm se & in veritate plùs non valet, siue dicas, eum continere centum quinquaginta pazios ærosos, siue dicas, continere septendecim, aut octodecim pazios argenteos, qui æquiualent, imò meliores sunt quàm 150. ærosi: An verò valor extrinsecus thalerorum, ducatorum auctior sit sine intrinseca mutatione minutiorum monetarum: tũc eius augmenti maior ratio haberi potest: ita tamen, vt etiam attendatur ad accidentalem seu fortuitum monetarum valorem, de quo Less. in cit. dub. 4. Fieri enim plerumque solet, vt quantò monetæ grandiores maiorem taxationem habent in ordine ad monetas minutiores, tantò magis rerum omnium venalium pretia augeantur: vt proinde, ob hanc difficultatem res comparandi, de monetarum vtilitate nonnihil decedat, sicuti annotauit Mol. to. disp. 407. vbi contra Nau. c. 17. num. 295. probabiliter defendit praxin mercatorum vbique consuetissimam, exercentium inter se cambia, aliásque negotia-

tiones per monetas grandiores secundùm eundem numerum, vel idem pondus: do tibi hîc centum ducatos, mille thaleros; vel vnam marcham argenti, aut auri; vt tanto numero, vel pondere alibi restituas, nihil attendendo ad diuersum extrinsecum valorem: tum quia is valde instabilis, & incertus est, cuius proinde in frequentissimis commerciis ratio haberi non potest: tum quia auctio illa monetarum comparatione numorum minutiorum, si non omnino, saltem ex parte aliis incommodis minuitur: sicuti & vice versa, decretio monetarum comparatione numorum minutiorum, si non omnino, saltem ex parte aliis commodis compensatur: quia vbi pecuniæ minorem taxationem habent, ferme etiam rerum pretia tolerabilia esse solent.

Restat quæstio. Vtrum cambium cum auctario propter exspectandi temporis moram ab iniustitia excusari possit; videlicet praxis illa mercatorum, qui proficiscentibus ad nundinas v.g. Francofurdenses, pecunias ad cambium dant, tantò maiore cum incremento Francofurti recipiendas, quantò longiore temporis interuallo nundinæ distant; ita vt si vno tantùm mense ante nundinas pecuniam campsario numerent, duos v. g. grossos, vel cruciferos in singulos florenos lucrentur; si duobus mensibus antè numerent, tres lucrentur; si tribus, quatuor lucrentur, & sic deinceps. Pro parte quæstionis negatiua stat Sot. lib. 6. q. 10. a. 2. Caiet. in opusc. de cambiis, c. 6. Quia mercatores isti ob solam dilationem solutionis pretium cambij augere videntur. quod vsurarium esse constat ex c. consuluit, c. in ciuitate, de vsuris.

9 Nihilominus praxin hāc ab vsura & iniquitate defendunt Mol. disp. 404. Less. dub. 6. Et primò quidem ratione maioris lucri cessantis, quò diutiùs pecuniæ solutio differtur, sicuti notauit Nau. l. cit. & Med. de rebus per vsuram acquisitis, q. 8. Siquidem vnicum quasi instrumentum, quo mercatores negotiari, ac lucrari solent, est pecunia. Verùm titulus iste augendi pretij accidentarius est, & interdum abesse potest; si nimirum campsor pecuniam in cambium datā vel non exposuisset negotiationi, vel non tantum ex ea lucratus fuisset. Secundò itaque dicta cambiendi ratio defendi potest ex ipsa contractus natura secundùm se, ex doctrina Nau. c. 17. n. 291. Mol. disp. 406. Less. cit. dub. 4. n. 38. Tametsi monetarum valor publica lege taxatus sit, taxationem tamen istam solùm intelligi in ordine ad commutationes & commercia eiusdem loci; non item in ordine ad alia loca, ad quę commutationes & commercia in pecuniis instituuntur. Quandoquidem valor pecuniæ in variis locis varius esse solet, non tantùm formalis ac indiuisibilis in genere monetæ, secundùm taxationem legis, vel consuetudinis; sed etiam valor pecuniæ materialis, ac diuisibilis in genere mercis secundùm varias locorū circumstantias. Nam vbi maior est pecuniæ inopia, vel maior negotiandi ac lucrandi opportunitas, ibi pecunia pluris æstimatur; quàm vbi maior est pecuniæ copia, vel minor negotiandi, ac lucrandi opportunitas. Quamobrem mercatores pecuniam in vno loco considerare solent vt mercem; in altero verò loco vt pretium; & 100. v.g. florenis Antuerpiæ numeratis (vbi, & quando ob dictas circumstantias pluris æstimatur) emunt 102. vel 103. florenos numerandos Francofurti, vel Augustę, vbi, & quando pecuniæ minoris æstimantur. Porrò sicuti in aliis emptionibus ac venditionibus accidit, vt pretia rerum augeantur, si multi emptores confluant, qui mercibus valde indigeant ad maiorem suam commoditatem; ita etiam accidit in cambio considerato per modum emptionis: Quò longius enim nundinæ distāt, ideóque plus temporis campsarij habituri sunt ad negotiandum, & lucrandum; eò plures ad sunt, qui cambium postulent, ob maiorem suam vtilitatem: quandoquidem (vt rectè Lessius notauit dub. 6. n. 56.) vnum cambium plurium mensium ad solutionem concessorum, virtute æquiualet plurib. cambiis vnius mensis ad solutionem concessi.

Ergo meritò ob has causas & circumstantias tantò magis commune cambij pretium & incrementum augetur, quantò maius temporis interuallum à nundinis est, in quibus cambij solutio fieri debet. Accedit, quòd cum rerum pretia arbitraria plurimū pendeant ex communi hominum cuiusque loci æstimatione, ac consuetudine, non facilè cambiorum pretia & auctaria inter mercatores consueta, iniustitiæ damnanda sint; licet sępenumero periculo vsuræ non vacent: ideò potiùs dissuadenda quædam cambia, quàm omnino damnanda, sicuti notauit Medina cit. q. 8. in fine, Sa ver. cambium, n. 7. Mol. disp. 410. §. cùm vt dictum est. Less. cit. dub. 6. num. 57.

Ad extremum explicanda est alia diuisio cambij, in 10 reale, & siccum. Realia cambia sunt ea, quæ hactenus, quatenus fieri potest, tanquam iusta defendimus. Sicca verò cambia dicuntur, quibus nullus titulus, siue causa inest lucri, seu auctarij capiendi; cùm verè sint contractus mutui, falsa specie, ac veluti larua fictitij cambij, aut emptionis, efformati. Exemplum est; Si mercator alicui pecunias numeret Augustæ, vt postea restituantur Antuerpiæ, cum incremento consueto in cambiis ad eiusmodi loca; tametsi sciat, accipientem nullas habere pecunias, neque correspondentem Antuerpiæ: ideóque credat pecuniam eodem loco restitutum iri, quo accepta erat. Tunc enim verum mutuum cum vsurario auctario accidit: qua de re vide Bullā Pij V. apud Nau. n. 300. Si tamen mercator cambium tali modo petenti bona fide dedit, existimans in altero loco soluturū esse: poterit eum compellere, vt contractum illum innominatum, quem ipse mercator ex sua parte impleuit, vicissim etiam impleat, deferendo suis sumptibus pecuniam cum incremento ad locum destinatum: vel soluēdo mercatori quanti eius interest, contractum illum impletum non fuisse, secundum ea quæ dixi suprà cap. 2. n. 2. & tradit Mol. disp. 404. §. dubium est.

CAP. XX.

De Contractu Societatis.

SVMMARIVM.

1 *Societas est conuentio plurium ad commune lucrum, & damnum, proportione rerum contributarum.*
2 *Societas institui potest cum pacto assecurationis, ita vt vini soli periculum incumbat; modò ei hoc grauamen compensetur. Vide n. 4.*
3 *Societas interdum tali modo instituitur, vt vnus sociorum pecunias v. g. alter laborem & industriam conferat.*
4 *Societas in pecoribus variè institui potest.*
5 *Impendia, quæ socius occasione societatis fecit, à reliquis secundùm proportionem rependi debent.*
6 *Socius ratione societatis conuentus, non ampliùs obligatur, quàm commodè facere potest, habita ratione ne egeat.*
7 *Societatis contractus pluribus modis soluitur.*

Contractus societatis est conuentio inter aliquos 1 contribuendi ad cōmune lucrum, & damnum, secundùm proportionem rerum contributarum. Dicitur *conuentio*: Quia societas numeratur inter cōtractus, qui solo consensu perficiuntur, sicuti constat ex §. vn. Instit. de obligationib. ex consensu, l. 4. ff. pro socio, & ex communi tradit Gomez t. 2. resol. c. 5. n. 1. Mol. disp. 411. Less. c. 25. dub. 1. Ipsa autem cōtributio pertinet ad executionem, & perfectam consummationem cōtractus: in qua contributione id peculiare est, quòd si sors à sociis contributa fuerit eo animo, vt esset omnib. communis: hoc ipso dominium atque possessio sortis, iuris quadam fictione, singulis pro parte sua acquiritur: tametsi in ma-

nus singulorum traditione reali non peruenerit, sicuti habetur in l. 1. & seqq. ff. eod. Idemque censendum de iis, quæ socij nomine communi negotiando ex sorte acquirunt, & lucrantur; secùs, si socius negotietur tanquam propriam causam agens. quomodo intelligenda est l. si quis societatem, ff. pro socio, interprete Couar. 3. resol. c. 19. n. 1. Mol. cit. disp. 411. §. eorum verò.

Ad commune lucrum, per quod distinguitur contractus à locatione & conduct. in qua pecora v. g. alteri traduntur ad custodiam in pascuis, aut pecunia ad negotiandum; ita, vt fructus aut lucrum commune non sit, sed solius tradentis, atque conducentis alterius operam, pro qua certum illi stipendium promittitur.

Verùm, quia sæpe Mercatores, aliique domini suis institoribus vel conductitiis famulis promittere solent partem aliquotam lucri, v. g. quintam, sextam; vt ea ratione illorum industriā & lucrandi desiderium augeant; quæstio est, vtrum talis conuentio ad societatem magis, an locationem accedat? Respondetur cum Nau. c. 17. man. n. 252. Mol. cit. disp. 411. Less. dub. 2. in princ. Si aliquota pars lucri sperati assignetur famulo stipendij, siue mercedis loco, esse potiùs contractum locationis, & conductionis. quod eo etiam indicio colligi potest, quia plerumque domini nolunt famulos suos in contractus societatem adsciscere; sed solùm vt cōductitios habere.

Notat autem Mol. stipendium istud conductionis plerumque minus assignari (quantum videl. opera & industria famuli absolutè meretur) quàm si verè esset socius negotiationis; tunc enim lucrari deberet secundùm proportionem operæ suæ ad lucrum influentis, vt mox explicabitur.

Additur in definitione, *& damnum*. Æquum enim est, vt sicuti lucrum ex societate proueniens sociis commune, ita & damnum sit, secundū iuris reg. 55. in 6. *Qui sentit commodum, sentire debet & onus; & contra*: & habetur in §. illud expeditum, Instit. de societate, in l. cum duob. §. damna, in fin. ff. pro soc. & l. si non fuerint, §. Aristo. ff. eod. vbi leonina societas illa appellatur, in qua vnus quidē lucrum duntaxat, alter vero damnū sentiat. Est enim obseruandum cum S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. discrimen hoc esse inter contractum mutui, & contractū societatis; quòd in illo sors data alienetur, & transferatur pleno dominij iure in mutuatarium; cuius proinde solius periculum ac damnum est, si casu pereat: ideóque etiam commodū ac lucrum, quòd per adhibitam industriam prouenit. In societate autem, qui sortem confert, non omnino eam à se alienat; sed sicuti periculum & damnum ad ipsum spectat, si casu, vel leuissima culpa sociorum pereat; ita & commodum siue lucrum, ex ea per appositam industriam proueniens, ad eundem aliqua ex parte spectare, æquum est.

2 Quamuis autem hæc vera sint, spectata natura huius contractus secundùm se præcisè: interim tamen nihil obstat, quin adiectis aliis pactis, aliter cum socio negotiaturo cōuenire possis: vt, datis illi 1000. v. g. florenis, ipse in se sortis huius periculū suscipiat, & ex lucro sperato, quomodocunque res eueniat, soluat annuos 50. vel 60. donec societas rescindatur. In qua cōuentione (quā suprà c. 18. n. 11. ex cōmuni approbaui, contra Abb. in c. per vestras, n. 8. de donat. inter virum & vxorem, Caiet. t. 1. opusc. vlt. resp. 11. Gomez cit. c. 5. n. 5. Armil. ver. societ. n. 6.) si rectè aduertimus, tres cōtractus reperimus: quorū primus ac principalis est *societatis*. Alter, isque accessorius est *assecurationis*: Ponamus enim spē esse, quod industrius mercator ex flor. 1000. à te collatis quotannis lucraturus sit 300. cuius lucri dimidiū iure societatis tibi debeatur, vnà cū sorte. Sed quia ad te quoq; eiusdē sortis periculū spectare deberet, ideo cōuenis cū mercatore, vt periculū istud in se suscipiat: in cuius oneris cōpensationē, relinquis ei maiorē partem lucri sperati; vt videl. duæ partes lucri ad mercatorē, tertia ad te pertineat. Tertius, isq; accessorius contractus est *venditionis*: Quia enim spes lucri huius incerta est, ideo partem hāc tertiā lucri sperati, 100. inquam flor. in spe, vendis eidem mercatori pro 50. vel 60. annuis certis, & in re. Nam spē lucri capiendi non minùs, quàm retis iactū, iusto pretio vendi posse, nemo dubitat. Vide Nau. cōment. de vsuris, notab. 14. & Ioan. Maiorem in 4. d. 15. q. 47. & 48.

Sequitur in definitione, *secundùm proportionem rerum contributarum*: id est, vt quantò plus aliquis ad societatē contulit, tantò plus lucri accipiat; similiter autem & damnum, iuxta cit. §. Instit. illud expeditū, & l. si non fuerint, iunct. Gl. ff. eodem. Quamuis autē is ordinarius, & maximè naturalis modus sit contractū societatis instituēdi, vt eadem sit lucri, & damni accipiendi proportio, potest tamen etiam aliter institui: Videlicet cum adiectione pacti, vt qui æqualiter cum altero cōtribuit, duas partes lucri accipiat; sed periculū solus subeat: Vel ita, vt qui plus altero contribuit, lucrum æquale percipiat: sed periculum vel omne, vel maiorem partem eius in socium reijciat. Etenim quocunque modo pactum varietur, modò prudentis viri arbitrio ęqualitas inter partes constituatur, id seruari debet, sicuti colligitur ex cit. l. si non fuerint, & docet Mol. disp. 415.

Porrò duobus modis societas iniri solet; Primò, si omnes socij conferant sortem siue capitale æqualiter; vel inæqualiter, l. societates, §. societas, ff. eodem. Secūdò, si vnus conferat sortem; alter laborem & industriā. Nam sæpe fieri solet, vt labor ac industria negotiatoris 3 tantundem, vel plus ad lucrandum conferat, quàm alterius pecunia, sicuti habetur in cit. l. si non fuerint: *Plerumque tanta est industria socij, vt plus societati conferat, quàm pecunia: si solus ille nauiget, solus peregrinetur, pericula subeat solus.* Et consentit §. de illa, Instit. de societ.

Tunc autem quæstio est, vtrum, dissoluta societate, non tantùm lucrum, sed ipsa etiam sors inter socios diuidenda sit? Variè de hac re loquuntur Doctores, in l. 1. C. pro socio, & apud Caiet. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. & in summa ver. societas, Sotum lib. 6. q. 6. a. 1. Nau. c. 17. n. 252. Couar. 3. resol. c. 2. n. 2. Lessium c. 25. dub. 2. Respondeo autem ex doctrina Maioris in 4. d. 15. q. 47. Pet. Nau. l. 3. c. 2. n. 447. Mol. disp. 416. Prudentis viri arbitrio æstimandū est, quanti consideratis omnibus circumstantiis valere debeant, tam hinc collata sors, quàm illinc collata industria. In collata sorte inprimis æstimari debet periculum cui subiacet, ne fortè in negotiatione pereat; deinde quod sit veluti instrumentū lucri capiendi: adeò, vt si ad negotiādum exponatur alicui mercatori, quamuis assecurata sorte, vnum in 20. 16. 12. recipi possit. Ex altera verò parte collatæ industriæ inprimis considerandum est, quàm ea sit ad lucrandum præstās: quòd labor omnis, & industria, atque æstimatio periculi corporalis aliter compensanda non sit: quòd is, qui operam apponit, præstare debeat damna, quæ eius culpa, etiam leui, euentura sunt: hoc enim non exiguum eius onus quasi in partem rei collatæ numerari debet.

Ex his igitur prudētis viri arbitrio conijciendū erit, vtrū hinc collata industria & onera negotiātis, illinc collatæ sorti, eiusque periculo, & sperato lucro ęquiualeant absolutè: an verò solùm respectiuè in ordine ad lucrandum. Exemplū primi: Si Titius tibi negotiaturo contulerit mille aureos, periculúmque sortis æstimetur centum aureis: speratum autem lucrū itidem æstimari debeat centū aureis: tunc vniuersim contulisse quodāmodo censetur mille ducentos aureos. Ponamus autē mercatorē tam industriū esse, vt speret, se mille aureis lucraturū alia duo, aut tria millia aureorū: adeò, vt si proprijs pecuniis negotiaretur, spē lucri ex negotiatione reportandi, cū plena assecuratione dāni, & expensarū non venderet mille aureis: fieri tunc potest, vt iustum pactum societatis sit, quo statuitur, vt finita societate, tum capitale, tum lucrum æqualiter diuidatur inter appo-

nentem sortem, & apponentem operas.

Exemplum secundi: Si ex parte Titij conferentis mille aureos, periculum sortis, & lucrum spectatum ex pecunia, quatenus negotiationi subest, æstimentur ducentis, vt dixi: Ex parte verò negotiatoris industria tanta sit, vt speret se lucraturum sexcentos aureos: ita vt si propriis pecuniis negotiaretur, spem lucri ex negotiatione reportandi, cum plena assecuratione damni, & expensarum, non venderet minùs, quàm trecentis, aut ducentis aureis: tunc dissoluta societate, sors integra restituenda est collatori: lucrum verò inter vtrumque diuidendum, vel æqualiter, vel secundùm aliam proportionem rerum contributarum: hinc sortis cum æstimato periculo, & spe lucri: illinc verò industriæ, cum æstimatis annexis oneribus. Atque hic posterior societatis modus, secundùm quem totum capitale conferenti restituitur, communiter frequentatus est.

4 Similem contrahendi varietatem cernere est in societate pecorum: quæ interdum ita instituitur, vt tam pecora ipsa, quæ alteri pascenda, & nutrienda traduntur: quàm emolumenta, & fructus: ipsáque detrimenta ac damna vtrique danti, inquam, & accipienti, communia sint: Interdum verò ita, vt pecorum dominium, ideóque etiam periculum, siue casus fortuitus spectet ad solum dantem: emolumenta autem fructuum ad vtrumque. Interdum verò ita, vt pecora inprimis æstimata tradantur, eorúmque pretium vel ex fructibus, vel ex venditione pecorum inprimis extrahat dans: reliqua verò emolumenta ipsi cum recipiente communia sint: quem modum contrahendi aliqui improbant apud Syl. ver. Societas. 2. q. 9. concl. 2. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 7. §. 39. Sed defenditur ab ipso Antonino, Nau. c. 17. n. 261. Binsfeld. c. nauiganti, de vsur. q. 9. Mol. to. 2. disp. 420. duplici cum limitatione: I. est, vt pastor non nimis grauetur: sed tanta pars fructuum relinquatur, quanta ipsi meritò, ac iustè debita est, considerata eius cura, industria, expensis: necnon natura contractus societatis, (siquidem plus illi debetur, quàm si esset merus conductitius famulus) ac loci denique consuetudine. II. Vt pastor, seu rusticus non nisi dolum, & culpam præstare teneatur: non item casum fortuitum. Quia res, si casu pereat, domino suo perit: dominus autem pecorum manet is, qui ea pascenda dedit: quandoquidem ea suo etiam tempore repetere poterit. Ergo, si ea sine culpa, aut dolo rustici moriantur, ipsius domini damno accidet, ad quem proinde pertinebit alia capita in locum demortuorum substituere.

Vlteriùs autem quæri potest: Vtrum dicto societatis contractui etiam assecurationis pactum iustè adijci possit: vt tamen hoc onus pastori compensetur, minorem ab ipso fructuum portionem exigendo, quàm alioquin, secluso tali pacto, exigi posset: v. g. Do tibi certum numerum gregis pascendum, v. g. 10. vaccas, ea lege, vt tibi incumbat etiam pro casu pereuntibus capita substituere, atque annuam pensionem soluas modicam, v. g. quinque, sex, aut decem vitulos.

Huiusmodi contractum, tanquam illicitum & vsurarium, damnat S. Anton. loc. cit. Conradus de contractib. q. 91. Bartol. Medina lib. 1. instruct. c. 14. §. 27. Nam perindè est, inquiunt, atque mutuas dare pecunias, ea lege, vt, salua sorte suo tempore restituenda, insuper aliquod lucrum acquiratur danti. Sed placet mihi sententia contraria, quæ est Maioris in 4. d. 15. q. 46. casu 4. Less. lib. 2. c. 25. dub. 3. in fine, Pet. Nau. lib. 3. c. 2. n. 473. Mol. disp. 503. talem contractum vt licitum defendentium, per se loquendo. Nam vsuram hîc non interuenire certum est: Etenim vsuræ vnica sedes est mutuum: hic autem contractus non est mutui: quia mutuum consistit in rebus, quæ vsu absumuntur, ideóque frugiferæ non sunt: In hoc autem contractu datur res frugifera, ideóque pars fructuum ex ea iustè exigitur, societatis iure. Deinde in mutuo transfertur rei datæ dominium: In illo autem contractu non transfertur dominium pecorum: cùm pastor teneatur pecora seruare, & non possit suo arbitratu absumere, alienare: sicuti si earum dominus esset. Denique nec ob eam rationem contractus iniquus est: quia periculum capitalis non ad dantem, sicuti natura contractus societatis præcisè spectati postulat, sed ad rusticum seu pastorem pertinere debeat: Nam tale onus adiectæ assecurationis iustè compensari illi potest, minorem partem fructuum exigendo: dummodo, spectatis omnibus circumstantiis, totus contractus ita instituatur, vt pastor non nimis grauetur. Imò audio, in quibusdam locis Germaniæ ex dicto societatis contractu, vtrumque tam dominum, quàm rusticum, magnum emolumentum capere solere: si videlicet in loco frugifero, tuto, salubri, vbi raró pestis ingruit, nec periculum est ab hostibus, latronibus, &c. dominus det rustico vaccas iuuencas, cásque post aliquot annos recipiat pro familia sua alenda, & in earum locum alias iuuencas substituat: nihílque aliud à rustico exigat, quàm in singulas vaccas, vnum quot annis vitulum: atque vt periculum casus fortuiti, qui tamen propter circumstantias, vt dixi, raró contingit, ipsi pastori incumbat.

Veruntamen bene admonet Maior cit. loco, hunc contrahendi modum iniquum, & palliatè vsurarium præsumi. Si Titius tibi tradat 100. vaccas æstimatas, tali pacto, vt liceat tibi eas distrahere, absumere arbitratu tuo: post triennium verò, quomodocunque interim res eueniat, similes vaccas, earúmque æstimationem reddere cogaris: atque interea quot annis pensionem ipsi soluere: cùm hoc sit virtuale mutuum. Quia perinde est, ac si Titius tibi vaccas venderet, & pretium numerandum crederet, seu mutuò dares ad triennium, interim pensionem seu lucrum ex credito accipiens.

Nunc dicendum est de damnis, & impendiis, quæ ab aliquo sociorum facta sunt propter societatem, v. g. in mercibus aduehendis, custodiendis: vtputa, quæ in itinere victus causa expendit, aut si in latrones incidit, propriámque pecuniam perdidit (debet enim, si opus sit, ad res custodiendas pecuniam etiam propriam expendere, teste Mol. disp. 418. §. quando aliquis, Less. cap. 16. n. 36.) Item si socius vulneratus fuit, & aliquid in Medicos expensum est: reliqui socij partem competentem contribuere debent, si talia causa societatis, & sine dolo, aut culpa, etiam leui, socij illius acciderunt, sicuti habetur in l. cum duobus, §. damna, & §. si quis ex sociis, ff. eod. & videri potest Petr. Nauarrus lib. 3. cap. 2. numer. 466. vbi ait, etiam eleemosynas, quas socius in itinere moderatas fecit, communiter ab omnibus præstandas fore. 5

Sed dubitatur primò: Vtrum integra itineris impendia ex communibus bonis societatis accipienda sint: an detractis iis, quæ socius domi suæ manens impendisset? Posterius hoc docet Syl. ver. societas, 1. q. 12. Angelus n. 12. Sed Nauar. cap. 17. n. 283. Mol. disp. 418. Less. c. 25. dub. 4. magis accommodatè ad iura, & praxin, contrarium edocent, integra impendia communiter à sociis præstanda esse, argum. cit. §. si quis ex sociis, ver. viatica autem.

Dubitatur secundò: Si impendia, ad mercium v. g. conseruationem necessaria ex communibus bonis societatis non suppetant, an lex iustitiæ postulet, vt socius negotiator ex propriis bonis veluti mutuò det, postea suo tempore à sociis recepturus? Affirmant rectè Molin. cit. disp. 418. §. quando aliquis, Less. numer. 36. Ratio est: Quia alioquin merces non sine culpa socij periisse censebuntur, si eas vel mutuò petitis, vel ex propria substantia suppeditatis sumptibus, conseruare potuisset.

Porro circa ea, quæ hactenus dicta sunt, duo obseruanda occurrunt: Primum. Quod ab initio inter socios

iusta pactione conuentum fuit, id omnino seruari oportet: Si nihil expressè conuentum, quod loci consuetudo approbat: Nam *contractus ex consuetudine loci interpretationem accipiunt*, l. si fundus, ff. de euictionibus.

6 Alterum. Societatis hoc priuilegium est, vt, si vnus socius ab aliis conueniatur ob ea, quæ ratione societatis debet, non condemnetur ampliùs, quàm commodè facere potest, ita vt non egeat, sicuti habetur in l. verùm, ff. pro socio, vbi & ratio affertur: quia societas ius quodammodo fraternitatis in se habet. Ceterùm priuilegium istud limitari debet primò: Nisi dolo aliquis egerit, quominus integre satisfacere posset: *nec enim æquũ est dolum suum quemquam releuare*, dicitur in l. cit. §. tempus autem. Secundò: Socius cauere debet de satisfaciendo integre, si ad meliorem fortunam venerit, cit. l. verùm, §. id quod facere. Tertiò: Cùm æstimatur, quantum socius facere possit, ne egeat, non est deducendum æs alienum, quod à socio debetur. Etsi, inquam, socius pluribus creditoribus paris conditionis, ac iuris obligatus sit; si tamen socij, instituta actione societatis, præoccupent, & debiti condemnationem, executionémque petant, aliis tacentibus, integre ipsis soluitur, sicuti constat ex cit. §. id quod, iuncta l. sunt qui, & l. inter eos, cum Gl. ver. occupantis, ff. de re iudicata, vbi vniuersim dicitur: Si aliquis conueniendus, aut condemnandus sit in id, quod facere potest; accipiendum id esse non deducto ære alieno: Excepto solo donatore, qui si rem donatam necdum tradidit, in quantum facere potest, deducto ære alieno, condemnatur. Cùm enim ex mera liberalitate factus sit debitor, ideo benigniùs cum ipso agitur, quàm cum aliis debitorib. cit. l. inter eos, §. is quoque.

Denique id moneo; Quòd ij, qui gaudent priuilegio, vt non totum, quod habent ipsis à creditore extorqueatur, sed in quantum facere possunt, habita ratione, ne egeant (sicuti dicitur l. in condemnatione, ff. de reg. iuris) tali exceptione se tueri possint etiam post sententiam, quæ in rem iudicatam transiuit, ante ipsius executionem: Nam exceptio, quæ latam sententiam non impugnat, aut destruit, sed solùm ad eius moderationem tendit, ea opponi etiam potest in illius executione, l. Nesennius, §. vlt. ff. de re iudicata, & videri potest Mol. disp. 413.

7 Societatis contractus soluitur his modis: I. Cessante negotio, aut pereunte re, in qua societas fundatur, l. verùm, §. actione, ff. pro socio. Potest tamen etiam societas bonorum absolutè contrahi: quo tamen casu, nisi exprimatur, vt sit omnium bonorum, non censentur comprehendi lucra ex vltimis voluntatibus, l. coiri, & seqq. ff. pro socio.

II. Elapso tempore, ad quod societas inita fuit: si tamen socij in communione persistant, videntur tacitè approbare societatem, donec alter renuntiet. Ita colligitur ex l. actione, §. item si, ff. eod. III. Morte vnius sociorum soluitur societas, etsi plures alij socij superstites sint, nisi cautum sit, vt vno decedente inter alios societas permaneat, cit. l. actione, §. morte. Veruntamen dum mors socij ignoratur, valent quæ interim societatis iure aguntur, cit. §. morte, ver. Item si alicuius. Ad hæredem autem adeò societas non transit, vt neque ab initio pacisci possimus, quò hæres etiam succedat in societate, l. adeò, ff. eod. Quod statutum videtur propter lites vitandas, quas bonorum communio plerumque parit, l. cùm pater, §. dulcissimis fratribus, ff. de legatis, 2.

III. Soluitur societas renuntiatione seu expressa, seu tacita; ita vt vnus etiam renuntiare possit, modò sine dolo id agat, cit. l. actione, §. diximus.

IV. Publicatione aut cessione bonorum vnius ex sociis, cit. l. actione, §. publicatione. & §. soluitur, Instit. de societate.

CAP. XXI.

De Ludo & sponsionibus.

SVMMARIVM.

1 *Ludus alearum, licet suapte natura licitus contractus sit, tamen per accidens adiuncta mala habet; ideóque humana lege prohibitus est, præsertim Clericis.*

2 *Si Clerici chartis ludant propter recreationem, & sine scandalo, excusari interdum possunt à peccato.*

3 *Qui credito lusit, ac perdidit, soluere non tenetur, spectato iure communi Cæsareo.*

4 *In sponsionibus, qui propria persuasione, sine alterius dolo, decipitur, sibi ipsi imputare debet.*

5 *Qui propria bona non habet, vt ad lucrandum, ita & ad perdendum in ludo inhabilis est: videl. Religiosus, aut filiusfam. ex bonis profectitiis à patre.*

6 *Filius, aut Religiosus vna pecuniæ depositione plus lucrari non potest, quàm perdere; sed pluribus iactibus potest.*

7 *Olla fortunæ contractus licitus est; & reuocari potest ad emptionem, ac venditionem.*

LVdus chartarum, alearum secundùm se, & seclusa 1
humana lege, contractus licitus est, in quo partium consensu vtrinque deponitur, vel spondetur pecunia, aliúdue pretio æstimabile, certis legibus ex fortuna, vel industria pendentibus, sicuti ex communi docent Med. de restit. q. 21. Sotus lib. 4. de iust. q. 5. a. 2. Maior in 4. d. 15. q. 14. vbi regulam tradit: *Omnes ludi, quibus prudentes reputati in Rep. vtuntur; & ex quibus non constat multa mala sequi, sed fiunt causa solatij; possunt sine peccato exerceri.* Quin ait Mol. to. 2. disp. 510. in fine, & colligitur ex S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. Si ludus debito modo instituatur, duarum virtutum, iustitiæ, & eutrapeliæ opus esse; preterquam quòd ad vitandum otium, & quę inde consequuntur peccata, vtilis esse possit. Neque obstat, tametsi ludens potiùs lucrum, quàm animi oblectationem intendat; dummodo fraus, & dolus absit; & cupiditas lucri immoderata non sit, ne ad auaritiam spectet: in quo casu peccatum veniale committitur. Ita docet Caiet. cit. q. 168. a. 2. in summa ver. ludus, Sotus c. l. Med. q. 22. Beia p. 1. casu 61. Rebell. p. 2. lib. 12. q. 1. contra Gabr. in 4. dub. 15. q. 13. a. 2. concl. 3. vbi ait, esse peccatum mortale ludere principaliter intentione lucrandi aliquid notabile; & contra Abb. in c. penult. n. 12. de vita & honestate Clericorum, vbi ait, tale lucrum restitutioni obnoxium esse. Vide S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2.

Veruntamen ob plurima mala & incommoda, quæ per abusum ludi ex hominum cupiditate ac malitia oriuntur, alearum ludus Clericis prohibitus est can. 41. Apostolorum, qui refertur d. 35. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, vel ebrietati deseruiens, aut desinat, aut deponatur.* Et c. Clerici 2. de vita & honestate Clericorum, sumpto ex generali Concilio Lateranensi, *Ad aleas, et taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint.* Qui canones renouati sunt in Concil. Trident. sess. 22. c. 1. de refor. Quamobrem Doctores apud Nauar. c. 20. man. n. 9. ex canonicis illis grauibus pœnis colligunt, esse mortale peccatum, si Clericus magnam quantitatem aleæ lusu deponat. Sed bene monet Less. lib. 2. c. 26. dub. 1. Rebellus p. 2. lib. 12. q. 1. n. 10. Clericos (præsertim hoc tempore, quo de antiquorum canonum rigore per desuetudinem derogatum videtur) non esse mortalis peccati damnandos; nisi frequenter, aut publicè cum scandalo populi ludant, sicuti notauit etiam Gl. c. 1. d. 35. Syl. ver. ludus, q. 2. dicto 5. & colligitur ex c. inter dilectos, de excessibus Prælatorum, vbi collatio beneficij facta Clerico, publico aleatori, irrita decernitur: *cùm personis vilibus & indignis porta dignitatis patere non debeant.* Qui tamen beneficiũ legitimè obtinuit, si publicus aleator esse incipiat, priùs

moneri debet, quàm deponatur, iuxta c. 1. d. 13. Quia *multa impediunt promouendum, quæ non deiiciunt promotum*, ait Gl. c. penult. de vita & honestate Clericorum, ver. ad aleas.

2 Sin verò Clerici priuatim, & sine scandalo, ex bonis patrimonialibus; aut etiam ex beneficiorum suorum reditibus, sed in quantitate modica, spectato statu suo, & redituum copia, chartis v. g. ludant, sine aliorum officiorum suorum neglectu: tunc distinguendum est, vtrum lex seu consuetudo diœcesis tales fortunæ ludos conuenientet sacris canonibus prohibeat: hoc enim casu peccant Clerici, saltem venialiter: An verò lex Diœcesana ipsis non prohibeat, & consuetudo loci permittat, ac quodammodo cohonestet: tunc si raro & moderatè ludant propter recreationem, à peccato excusari possunt. Porrò Religiosos adhuc magis alearum, vel chartarum ludus dedecet, quàm seculares Clericos.

Idem ludus alearum (quo nomine omnis ille intelligi debet, qui magis fortuna, quàm arte & industria ludentium regitur) ciuili iure omnibus prohibetur in l. alearum, C. de religiosis & sumptibus funerum. Insuper decernitur, vt, qui ludendo perdidit, soluere non cogatur; &, si soluerit, ius repetendi habeat. Cùm autem lex ista pœnalis sit, in ludi odium lata: ideo naturali obligatione soluendi perdentem non liberat: qui, si nihil excipiens, soluat, dominium pecuniæ solutæ in lucrantem transfert, neque postea occulta compensatione, sed solùm Iudicis implorata sententia, sibi succurrere potest, sicuti docent Maior in 4. d. 15. q. 13. Sotus lib. 4. q. 5. a. 2. Medina q. 22. de restit. Castro lib. 2. de lege pœnali, c. 2. corol. 3. Molin. disp. 514. Less. cit. c. 26. dub. 3. neque repugnare videtur Adrianus in 4. de rest. vbi de ludo, §. sed oritur ex his dubium.

3 Quæstio autem est de eo, qui non pecunia exposita, sed data ipsi fide solutionis, lusit, ac perdidit: an postea exceptionem legis alearum opponere possit, quominus in conscientiæ foro soluere cogatur? Affirmant Adrianus l. c. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 4. n. 8. Nauar. c. 20. n. 17. Sotus cit. a. 2. Molin. disp. 515. Less. c. 26. dub. 4. Tol. lib. 5. c. 27. Probant ex l. inuitus, ff. de reg. iuris: *Cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit.* Ei autem, qui ludo perdidit ac soluit, datur actio ad repetendum. Ergò multò magis eidem competit exceptio, antequam soluat. Quid enim opus sit soluere, si, postea quam solueris, repetendi coram Iudice ius habeas? Quæ sententia secundùm iuris rigorem vera esse videtur. Id verò certius est, eum, qui iurauit se soluturum, vel solutum non repetiturum, iuramenti obligatione constringi.

Contrarium tamen docet Medina cit. q. 22. de restit. resp. ad 6. rationem, corollar. 2. Castro loco suprà cit. Azor to. 3. lib. 5. c. 24. q. 7. Valentia t. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. §. 2. q. 8. quorum sententia amplectenda est, saltem iis prouinciis, quibus vel non recepta, vel abolita constitutione illa Cæsarea, in externo foro non conceditur actio ad recuperandum id, quod ludo alearum, vel chartarum per se licito perditum, & solutum fuit: nisi valde magnæ quantitatis sit, vt in graue detrimentum proprij status, ac familiæ cedat: quo casu vel partes inter se transigere debeant, vel Iudicis æquitatem implorare.

Porro aduertunt DD. communiter, Nau. cit. n. 17. Mol. disp. 517. Azor cit lib. 5. c. 25. q. 4. Eman. Rodriquez p. 1. sum. c. 189. concl. 6. Si tanta alicui sit ludendi peritia, vt quasi certus sit se lucraturum, iniquum effici ludi contractum: Propterea quòd error præbeat causam perdendi: quia si alter inæqualitatem cognitam haberet, periculo se non committeret. Quare aliter sentiendum, si qui ludi imperitior est, inæqualitatem cognitam habens, expresè, vel tacitè consentiat, sicut cit. locis notant Rodriquez, Mol. Less. dub. 5. Lopez 2. p. instruct. c. 35. Eadémque ratio esse videtur, si ita animo comparatus sit, vt, tametsi inæqualitatem cognosceret, nihilominus in ludum consentiret: tum enim virtualiter inæqualitatem remittit, ac condonat.

Sed nunquid idem in sponsionibus locum habet: si tu apertè profitearis, rem, super qua sponsio fit, perfectissimam tibi esse: atque alter nihilominus errore inductus, tecum contendere, atque deponere velit, an hoc casu ipsum spondentem tibi obligare potes? Negat Mol. disp. 508. & 517. Nam error, inquit, efficit inuoluntarium mixtum, quod repugnat liberali, & gratuitæ donationi, seu remissioni. Sed contrarium est verum, quod docet 4
Nauar. c. 20. n. 18. Med. C. de restitut. q. 22. §. vlt. atque indicat Tol. lib. 5. c. 27. Nam error circa qualitatem, cui causam non præbet alterius contrahentis dolus, neque gratuitam, neque onerosam promissionem vitiat: cùm absolutum consensum non auferat, vt suprà dixi hoc tract. c. 5. n. 3. Perinde ac si aliquis tibi stipulatus promittat donaturum se 10. aureos, si riuum, vel fontem transilias, existimans id omnino fieri non posse: profectò obligationem contrahet, si tu conditionem impleueris.

Colligunt secundò Maior l. c. Nau. c. 20. n. 12. Mol. 5
disp. 519. 520. Less. cit. dub. 5. Eos, quia propria bona non habent, quæ ludo perdere, & alienare possint, ad lucrandum quoque inhabiles esse. Ex quorum numero primò est Religiosus, sub Prælati obedientia viuens: Secundò filiusfamilias, qui alitur bonis à patre profectis, v. g. in Academia. Si tamen pater filio, vel Prælatus Religioso permittat, vt aliquam pecuniæ summam in ludos honestos insumere possit, tunc & ipse ab aliis lucrandi facultatem nanciscitur. Quinimo docent Nau. in sum. c. 20. n. 12. Valentia to. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. q. 8. ver. Tertiò obseruandum, Mol. to. 2. disp. 520. Sanch. lib. 7. moral. c. 19. n. 79. Non solùm filiofamil. sed etiam Religioso, si ille à patre, hic à Monasterio in Academia, vel alio loco sustentetur, ex præsumpta voluntate sustentantium, concessum videri, vt ex centum aureis annuis quatuor vel quinque in honestos ludos recreationis causa insumat: nisi pater, vel Prælatus expresè prohibeat: aut Ordinis regula, vel recepta consuetudo talem pro pecunia ludendi modum omnino interdicat. Deinde si in alias recreationes tantam pecuniam filius, vel Religiosus insumpsit, non poterit deinde ludendo perdere: cùm reliqui sumptus ad vsus necessarios transmitti cen eri debeant: nisi ob circumstantias, maiorem de patris liberalitate præsumptionem facere liceat. Prælatus autem licentiam dare non potest magnam pecuniæ quantitatem immoderatis ludis, aliisue recreationibus insumendi. Quare qui ab eiusmodi personis lucratur, quatenus ipsis ludendo perdere concessum non est, ad restitutionem obligantur. qua de re videri potest Sanch. n 80.

Id verò dubitatur: Vtrum filius, vel Religiosus, qui 6
non potest vltra certam pecuniæ summam ludendo perdere: possit tamen maiorem lucrari, absque restituendi obligatione? Respondeo, & dico: Vno depositionis iactu non potest filius, vel Religiosus plus ab altero lucrari, quàm perdere: ideóque restituere tenetur excessum, nisi ei expresè, vel tacitè condonetur. At verò successiuè pluribus iactibus nihil obstat, quominus magnam pecuniæ summam lucretur. Ita docent Barthol. Medina lib. 1. instruct. Confessar. c. 14. §. 28. Azor cit. c. 25. q. 6. Mol. to. 2. disp. 519. Valentia lo. cit. notab. 3. Sanchez n. 85. qui tamen discrimen indicat inter filiumfam. & Religiosum, quòd ille præsumere facilè possit, patrem contentum esse, vt, quamcunque pecuniæ summam ludendo acquisiuit, iterum aliis vicibus ad lusum deponat: at verò Religiosus talem præsumptionem facere nequit. Quia pecunia, quam Religiosus ludendo lucratur, Monasterio parta est: non potest autem Prælatus licentiam dare, vt bona Monasterij in magna quantitate alienentur sine necessitate, aut vtilitate. Quare licet Religiosus, dum idem

idem ludus moraliter continuatur, omnem pecuniam, quam lucratus erat, deponere possit: postquam verò à ludo omnino cessatum fuit, non potest nisi tantam, quantam Prælatus rationabiliter illi, spectatis circumstantiis, permittit.

Contra hanc responsionem Nauar. c. 20. man. n. 12. Tolet. lib. 5. sum. c. 27. n. 8. Armilla ver. ludus, n. 8. & alij absolutè docent; Filiumfam. vel Religiosum plus ab altero lucrari posse, quàm perdere: quia contractus potest claudicare, id est, obligatorius esse ex parte vnius, non item alterius; vti patet in contractu emptionis instituto cum pupillo, §. pupillus, Instit. de inutil. stipulat. aut cum Ecclesia, sine Prælati consensu, c. si qua de rebus, 12. q. 2. Sed contrarium est verum, quod docent Sotus lib. 4. de iustit. q. 5. a. 2. Syl. ver. ludus, q. 17. dicto 3. Angelus ibid. §. 8. San. 6. Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 4. n. 4. Sanchez n. 86. Quia vt claudicatio illa contractus locum habeat, opus est, alterum saltem naturaliter obligari, ita vt per traditionem rei promissæ dominium transferatur, si nihil excipiatur, aut repetatur: sin verò altera pars nullo modo obligetur, tum constat nullum esse contractum reciprocum; cùm is vltro citróque obligatorius sit. Atqui filiusfam. ex bonis patris, & Religiosus ex bonis Monasterij adeò ludendo supra quantitatem ipsis concessam perdere nequeunt, vt ex contractu ludi nulla obligatio oriatur, & dominium in lucrantem non transferatur: ergo neque lucrari possunt. Alia ratio est de pupillo, & Minore ludentibus sine consensu tutorum; illi enim licet ludendo perdere nequeant, quominus contra lucrantem excipere; aut per rei datæ condictionem, seu repetitionem, extra, aut intra iudicium, solutum recuperare possint; tamen lucrari honesto ludo non impediuntur: cùm naturalis in ipsis quoque obligatio subsistat, sicuti dixi suprà hoc tract. c. 9. n. 7. & in fine. Interim verò peccabit minor natu, si ad ludendum accesserit animo lucrum capiendi; sin autem perdiderit, non soluendi, aut solutum repetendi: Imò propter commissum dolum, in tali casu ad restitutionem lucri obligatus erit.

De vxore, & marito, quatenus eis ludere, & ludendo perdere concessum sit, colligi potest ex iis, quæ dixi suprà cap. 12. n. 6. & 7. Lucrum, quod dolo & fraude à ludente acquisitum est, restitutioni obnoxium esse, constat; excepto quòd colludentibus concessum sit se mutuò decipere, secundùm cuiusque ludi leges, vel consuetudinem. Exempli causa, si certus de ludi victoria re dissimulata, sponsionem augeat; vel quasi meliorem ludi conditionem habens, aucta sponsione colludentem deterreat. Qua de re Couar. p. 2. reg. peccatum §. 4. n. 5. Mol. cit. disp. 517.

7 Ad extremum annotare libet, ludi quoddam genus esse, quod apud nos ollam fortunæ vocant, *Ein glückhafen*, in quam coniectis schedulis, partim inanibus, partim verò continentibus fortunæ dona, tum pretiosa, tum exigua, cuiuis permittitur facultas extrahendi tot schedas, quot v. g. denarios numerârit. Quæ res secundùm se licita est; modò iusta taxatio rerum in olla contentarum facta sit, & aliæ omnes fraudes remoueantur. Videtur autem mihi, eiusmodi contractum etiam ad emptionem reuocari posse: quandoquidem consideratis rebus, quæ in schedulis continentur, sex v. g. crucigeri iustum pretium æstimantur, quo ematur ius extrahendi vnam schedam, cum spe aliquid seu multum, seu parum consequendi.

CAP. XXII.

De Contractu Locationis & conductionis.

SVMMARIVM.

1 *Locatio est contractus, quo rei alteri vtenda, vel fruenda conceditur, certa pensione constituta.*
2 *Conductor rem sibi locatam alteri locare non prohibetur.*
3 *Si impedimentum accidit ex parte rei conductæ, liberatur conductor à soluenda pensione, secundùm proportionem temporis, quo vti, frui non potuit: Sin verò ex parte conductoris impedimentum incidit, non ita liberatio contingit.*
4 *Expensas in rem conductam, quæ duraturæ sunt; item tributa & onera publica præstare, ad locatorem seu dominum spectat.*
5 *Conductor, custos, &c. ostendere debent, rem sibi commissam periisse, & quidem sine culpa.*
6 *Incendium culpa inhabitantium accidisse, in dubio præsumitur.*
7 *Propter modicum infortunium nihil colono de pensione remittitur: secùs, si magna, & plus, quam tolerabilis clades facta est.*
8 *Si pluribus annis, ob cæli clementiam, vberiores fructus ex fundo prouenirent, colono emphyteutico pensio augeri potest: sicuti & vice versa diminui pensionem conuenit, ob cladem immodicam.*
9 *Locator conductorem, durante tempore conductionis, expellere non potest, nisi in casibus iure expressis.*
10 *Successor vniuersalis; non item particularis, locationis contractu stare tenetur.*

IN hoc tractatu de contractibus eum ordinem secutus sum; vt inprimis agerem de gratuitis contractibus, deinde de reciprocis seu onerosis; & hactenus quidem ferme de iis, quibus dominium rei traditione transfertur: deinceps autem de iis contractibus dicendum, quibus dominium, saltem directum, non transfertur; & ante omnia de locatione & conductione.

Locatio est contractus, *quo quis rem aliquam alteri vtendam, vel fruendam concedit, certo pretio, siue mercede constitutâ.* Et dicitur is, qui concedit, *locator*; qui suscipit, *conductor.* Nomine *rei* in definitione intelligitur tam res mobilis, vt equus ad equitandum, vacca ad fructum capiendum, bos ad arandum; item opera hominis, v. g. fabri, pictoris; quàm res immobilis, vt domus ad inhabitandum; ager, vinea ad fructus percipiendos, saltem infra decennium: nam si ad longum tempus, videlicet decennium, vel vltrà concessio fiat, efficitur contractus emphyteuticus, de quo cap. seq. 1

Dicitur in definitione, *vtendam, vel fruendam:* Quia interdum solus vsus conductori conceditur, sicuti videre est in domo, equo locato: interdum verò etiam fructus, vt videre est in locata vacca, capra, fundo.

Constituto pretio, siue mercede, & quidem in pecunia numerata. Nam si alia merces statuatur, non erit propriè contractus locationis: sed innominatus, v. g. do tibi equum ad vsum, vt des mihi frumenti scapham, iuxta l. naturalis, §. at cùm do, iun. Gl. ver. si res, ff. de præscript. verbis. Quamuis etiam talis contractus locationi assimilatur, vt dispositum de vno censeatur etiam dispositum de altero; sicuti notant Doctores in l. 1. §. si quis seruum, ff. depositi, Gomez 2. resol. c. 3. n. 3. Mol. disp. 486. Vide Instit. de locat. & conductione, principio, & §. præterea, iun. Gl. Porrò rectè annotauit Gabr. in 4. d. 15. q. 10. a. 3. dub. 6. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 17. §. 8. Nau. c. 17. man. n. 108. Mercede pecuniaria conductum cogi non posse, vt pro ea res alias, quamuis æquiualentes, accipiat, v. g. cibos, pannos. Quia sicuti debitor cogi non potest pro vna specie aliam soluere: ita nec creditor recipere: Excepto tamen casu necessitatis, si debitor alio modo soluere non possit.

Hinc etiam est, quòd locatio, & conductio magnam cum emptione, & venditione affinitatem habeat: eisdemque iuris regulis consistat, iuxta cit. tit. Inst. princ.

& §. adeò, & l. 2. ff. locati. Differunt tamen primò: Quia emptio ac venditio tendit ad dominij translationem; locatio solùm ad vsus vel fructus concessionem, l. non solet, ff. locati, & l. cùm manu sata, §. vlt. ff. de contrah. empt. *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.* Secundò: Quia si res vendita ante traditionem sine culpa venditoris pereat, emptor nihilominus pretium soluere debet: Sin autem res locata ante traditionem intereat, contractus penitus dissoluitur, & conductor liberatur, l. item quęritur, ff. locati, & l. 1. in fine, C. de iure emphyteutico, & docet Gomez l. c. n. 1.

2 QVÆSTIO PRIMA. Vtrum conductor rem sibi locatam alteri locare possit? Respondeo, ita affirmandum esse, ex l. si cui, ff. locati, l. nemo C. de locato: *Nemo prohibetur rem, quam conduxit, fruendam aliis locare, si nihil aliud conuenit.* Debet tamen primus conductor locare rem æquè idoneo, ad eundemque vsum: tunc autem secundus conductor actione personali obligatur ad soluendam pensionem non primo, sed secundo locatori; quippe quocum contraxit: quamuis interim fructus in prædio nati; item res conductoris sciente locatore in prædium rusticum, vel etiam eo ignorante in prædium vrbanum illatæ, tacitè pro pensione obligatæ sint, l. si in lege, §. 1. ff. locati, l. certi iuris, C. de locato & conducto. Quam proinde pensionem, si secundus conductor primo locatori soluerit, penitus liberatur, l. solutum, §. solutam iun. Gl. ff. de pigneratitia actione, & docet Gomez n. 12. Vide Mol. disp. 489. Anton. Negusantium de pignorib. p. 2. mem. 4. n. 182.

3 QVÆSTIO SECVNDA. Si impedimentum accidit, quominus conductor re conducta vti, frui possit, vtrum pensione liberetur? Respondeo, & dico I. Si impedimentum accidit ex parte rei conductæ, vtputa quia domus ruinam minatur, nocturnis spectris infestatur, ob periculum pestis, aut belli tutam habitationem non pręstat, liberatur conductor à soluenda pensione, pro tempore, quo inhabitare, vel alia re conducta vti, frui non potest: quamquam, quod attinet ad impedimentum pestis, non vbique ita receptum est. Atque ita docet Nau. c. 17. n. 187. Gomez n. 3. Mol. disp. 493. Less. c. 24. dub. 2. Couar. in pract. qq. q. 30. n. 3. & habetur in cit. l. item quæritur, §. exercitus, & l. habitatores, in fine ff. eodem, vbi dicitur: *Si causa iusta fuisset, cur periculum timeret* (conductor) *quamuis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem.*

Duæ autem assertionis limitationes sunt: I. Quòd cessante impedimento, conductor, eiusve hæredes, contractum conductionis cōtinuare coguntur, si facilè possint, & res adhuc integra sit: qua de re Cou. cit. n. 3. Mol. cit. disp. 493. §. vtrum autem. II. Interdum ob circumstantias, aut consuetudinem contrahentium aliud agi videtur, vt videlicet pensio, v. g. naulum nauigantium in mari, nihilominus debeatur, etsi impedimentum, v. g. naufragium, vel piratarum incursus incidat. qua de re idem Mol. to. 2. disp. 502.

Dico II. Si res aliena bona alicuius fide elocata, postea euicta sit, debet locator petere à domino rei, vt conductorem, eadem pensione vti, frui, sinat: si nolit, tenetur conductori aliam rem non minùs commodam v. g. domum ad inhabitandum præstare, si possit: alioquin de pensione remittere cogitur, l. si quis domum, iun. l. si fundus, ff. codē. Vide Gomez n. 2. vbi addit, idē esse in fideiussore, ac pignore; quòd satisfiat præstando æquè idoneum, l. qui autem, §. 1. ff de cōstituta pecunia. Sin verò culpa, vel dolo locatoris, res locata euicta fuerit, aliùdve impedimentum acciderit, quominus conductor ea vti, frui potuerit; ille omnino præstare cogitur, quanti huius interest, sicuti habetur in cit. l. fundus. Vide Syl. ver. locatio, q. 12.

Dico III. Si impedimentum ex parte conductoris inicidit, quominus re conducta vti, aut frui possit; v. g. si quis operas conduxerit, quibus, mutato consilio, vti nolit, mercedem nihilominus soluere cogitur, sicuti constat ex l. qui operas, ff. eodem, & tradit Gl. l. ex conducto, §. item cum quidam, ver. personis, ff. eod. Syl. cit. q. 12. Nau. n. 197. Mol. & Less. ll. cc. Si tamen conductus operam suam alteri in idem tempus locauit, vel locaturus est, tantundem de pretio detrahēdum, quantum à posteriore conductore acceptum erat, sicuti bene docet Less. n. 9.

QVÆSTIO TERTIA. Ad quem pertineat expensas in rem conductam facere, v. g. vt villa, stabulum, puteus, domus sarta, tecta conseruentur? Respondeo, & dico; Ad locatorem pertinere. Ita ex communi docet Gomez n. 20. Mol. disp. 496. & habetur in l. sed addes, §. si inquilinus, l. dominus, l. colonus, ff. eodem. Atque in hoc differre colonum ab vsufructuario, & emphyteuta, monet Gl. cit. l. ex conducto, in princip. ver. reficitur. 4

Corollarium I. Si conductor in rem conductam necessarias, vel vtiles expensas fecerit, potest eas de pensione detrahere, vel finita locatione à locatore repetere, sicuti habetur expresse in cit. l. dominus, & cit. l. colons, vbi additur, etiam eum, qui propter pensionem non solutam eijcitur, expensas vtiliter factas repetere posse: in quo differt colonus siue conductor ab emphyteuta, vt infrà dicam. Monet autem Mol. in fine disput. 496. Interim dum expensæ à locatore non soluuntur, rem conductam à conductore retineri posse.

Corollarium II. Ad locatorem, non conductorem pertinet, tributa, & onera publica præstare, quæ ratione domus, aut fundi locati debentur, sicuti constat ex tit. ff. de via publica, & si quid in ea factum dicatur: *Construat vias publicas vnusquisque secundum propriam domum: & aquæ ductus purget, qui sub diuo sunt: & construat ita, vt non prohibeatur vehiculum transire. Quicunque autem mercede habitant, si non construat dominus, ipsi construentes computent dispendium in mercedem.*

Limitari autem debet dicta assertio: Nisi de expensis faciendis aliter inter contrahentes conuentum sit. Secundo: Nisi consuetudine loci aliud receptum sit: id enim seruari debet. Vtrumque horum colligitur ex l. circa locationes, C. locati. Tertiò: Expensas non duraturas, quæ quotannis pro fructuum collectione fieri debent, arando, seminando, metendo, à conductore, siue colono præstandas esse, nemo dubitat, & constat ex l. sumptus, ff. de rei vindicat. Vide Fachin. p. 1. lib 1. controu. c. 85.

QVÆSTIO QVARTA. Si res periit apud conductorem, vel deterior reddita est, vter damnum præstare debeat, locator, an conductor? Respondeo, cum Gl. Instit. de locat. & conductione, §. penult. aliisque Doctoribus cōmuniter: Dolum & culpam, tum latam, tum leuem à conductore præstandam esse: non item culpam leuissimam, multò minùs casum fortuitum, sicuti constat ex l. si vt certa, §. nunc videndum, ff. commodati. Excipe primò: Nisi aliter conuentum sit: quominus tamen conductor, aliúsve contrahens de dolo teneatur, conueniri non potest: quia id bonis moribus repugnat, l. si vnus, §. illud, ff. de pactis, l. pacta quæ, C. eodem. Excipe secundò: Quòd consuetudo interpretatur, vt si valde pretiosa locata sint: v. g. vasa aurea, argentea, conductor culpam etiam leuissimam præstare teneatur, vti notauit Maior in 4. d. 15. q. 45. §. tertiò arguitur. Ratio est, partim quia talia suapte natura exactissimam seruandi diligentiam postulant: partim quia nemo ea, nisi cum tali conditione, locare vellet. Excipe tertiò: Nisi conductor culpa sua causam casui fortuito præbuit: vt quia in mora restituendi fuit, aut *si in locatione v. g. conuenit: Ignem ne habeto, & habuit: tenebitur, etiamsi fortuitus*

casus admisit incendium, quia non debuit ignem habere, l. videamus, §. in hoc, ff. locati.

5 Dubium autem est: Si nesciatur, casúne, an culpa, vel dolo conductoris, aut custodis, res perierit, cui onus probandi incumbat? Respondent communiter Doctores in l. si quis argentariis, prope finem, ff. de edendo. Ioseph Mascardus vol. 1. de probat. conclus. 272. Gomez cit. c. 3. n. 22. Molina disp. 494. §. qui rem. Conductorem, custodem, &c. obligari ad vtrumque ostendendum; & quod res perierit, v. g. pecus mortuum vel abactum sit; & quòd sine culpa sua. Ratio est, partim quòd ea quæ facti sunt, puta rem perijsse, furto ablatam esse, non creduntur, nisi ostendantur; partim quòd talis obligatio conductori, custodi, aliisque officialibus, præsertim publicis, ex natura contractus veluti gentium iure imponitur, vt ostendant rem sibi commendatam absque culpa ipsorum perijsse. Quod limita primò: Nisi graues coniecturæ siue indicia pro hominis innocentia adsint; tunc Iudex, considerata qualitate personæ, interdum iuramentum in probationis supplementum deferre, vel partibus compositionem suadere poterit. Limita secundò; Nisi consuetum sit, eiusmodi res perire, & quidem sine culpa conductoris, custodis; tunc præsumptio stat pro ipso; vel saltem, delato ei iuramento, liberatur. Qua de re vide Gomez loco cit.

His affine dubium est: Vtrum in dubio præsumatur incendium ortum culpa conductoris? Respondetur ex communi Doctorum sententia apud Ioseph. Mascardum, volum. 1. concl. 467. n. 8. Menoch. de arbitrar. qq. casu 390. n. 4. Ioach. Mynsing. cent. 6. obser. 88.
6 Conductorem absoluendum esse, nisi locator culpam ostendat. Tametsi enim incendium inhabitantium plerumque culpa accidat, vt proinde in dubio contra illos præsumptio existat, l. 3. §. cognoscit, ff. de officio Præfecti vigilum; non tamen semper patrisfamilias; sed sępenumerò famulorum culpâ, quam paterfamilias præstare non cogitur, sicuti constat ex l. si vendita, ff. de periculo & commodo rei venditæ, atque notauit Menoch. loco cit. Andr. Gaill. lib. 2. pract. obseruat. c. 21. Id fateor, ad commodatarium, qui ædes alienas gratis inhabitat, ideóque leuissimam etiam culpam, quæ facilè præsumitur, præstare debet, incendij damnum pertinere, nisi præter omnem culpam suam fortuito casu accidisse, ostendat.

QVAESTIO QVINTA. Vtrum ob anni sterilitatem, hostium incursionem, aliúmve fortuitum casum, de
7 pensione remittendum sit? Respondeo & dico I. Ob damnum, siue infortunium modicum nihil de pensione colono remittitur. Ratio est: Quia si colonus ob vnius, vel alterius anni fertilitatem maius commodum capiat, nihil ipsi aufertur, neque pensio augetur: Ergo etiam modicum damnum æquo animo ferre debet, sicuti habetur in l. si merces, §. vis maior, ff. locati.

Dico II. Si colonus magna, & plùs, quàm tolerabili clade affectus est, ex cœli iniuria, aliáve vi extrinseca, sine culpa sua, remittendum est de pensione. Ita habetur cit. §. vis maior, & l. ex conducto, §. si vis tempestatis, ff. eodem, l. licet Cod. de locato, cap. propter sterilitatem, extra, eod. Illam autem cladem Doctores immodicam æstimant, si deducto semine, aliisque impendiis, ne dimidium quidem soluendæ pensionis superfit: tunc enim eo oblato, reliquum remittẽdum est. Ita Couar. in pract. qq. c. 30. n. 1. Pinellus l. 2. Cod. de rescind. vendit. p. 1. c. 3. num. 13. Rebellus p. 2. de contract. l. 14. q. 7. Less. lib. 2. c. 24. dub. 3. Quamuis aliter Abb. in cit. c. propter, num. 13. Tunc immodicam læsionem censeri, *si colonus vix recolligat tertiam partem soliti*. Et aliter Bartolus in cit. §. si vis maior, Nau. num. 188. Si vix duæ tertiæ colligantur: vt si ager plerumque ferebat quindecim modios tritici; hoc verò anno vix decem protulit, aiunt, hanc immodicam coloni cladem videri. Fortasse autem rectiùs dicitur apud Gaill. lib. 2. obser. 23. n. 1. vt vicinorum communis opinio attendatur, num immodica clades coloni, alteriúsve conductoris censeri debeat, nécne.

Excipe primò: Nisi conuentum sit, vt ob casum fortuitum, nihil conductori de pensione remittatur, vti habetur in l. si quis domum, §. Iulianus, ff. eodem. Quãuis neque tunc casus insolitus, & extraordinarius comprehensus censetur, nisi id exprimatur, sicuti ex communi docet Gomez num. 19. Molin. disp. 495. arg. l. fistulas, §. frumenta, ff. de contrah. emptione, vbi DD. communiter, & Bartol. in l. sed etsi quis, §. quæsitum, ff. si quis caution. quibus tamen contradicit Pinellus cit. c. 3. n. 27.

Excipe secundò: Nisi antecedentium, vel etiam consequentium annorum fertilitate damnum compensetur, cit. l. ex conducto, §. Papinianus, & cit. c. propter sterilitatem.

Excipe tertiò, cum Gloss. & Abb. in cit. c. propter, Nau. in c. 17. man. n. 190. Colono partiario (id est, qui aliquotam fructuum partem vẽdere debet v. g. tertiam, aut quartam) ob anni sterilitatem nihil de pensione remittitur. Ratio est: Quia, vti dicitur in cit. §. vis maior; *Partiarius colonus, quasi societatis iure, & damnum & lucrum cum domino fundi partitur.*

Adijciamus hîc etiam, quid in hac re de emphyteuta sentiendum sit: Primò, si pensio, quam is soluere cogitur, comparatione fructuum, quos capit, modica sit, & solùm ad recognitionem dominij, non liberatur; nisi emphyteuticus fundus omnino pereat. Ita habetur l. 1. C. de iure emphyteutico, & §. adeò, Instit. de locatione & conductione: vel nisi in hostium potestatem deuenerit, sine spe breui tempore recuperandi, arg. l. cùm vnus, §. vlt. ff. de rebus auctoritate Iudicis possidendis, vbi dicitur: *Si prædium inundatum sit, aut propter latronum potentiam non possit possideri rectè dicitur, non esse quod possideatur.* & ita docet Abb. in c. potuit, num. vlt. de locato, Clarus lib. 4. recept. §. emphyteusis, q. 8. n. 8. Nau. num. 187. Fachinæus p. 1. l. 1. controu. c. 90. Andr. Gaill. cit. obseruat. 23. num. 23.

Secundò: Si magna pensio soluenda sit ab emphyteuta, non tam in recognitionem dominij, quàm fructuum, quos capit, vel capere potest, compensationem; æquitas postulat, vt remissio aliqua fiat, sicuti docet Iulius Clarus & Gaill. ll. cc. Gomez cit. c. 3. n. 18. Less. dub. 8. Rebell. q. 8. Ratio est: Quia hoc casu emphyteuticus colonus parum à conductitio differt. Vide Syl. ver. Emphyteusis, q. 1.

Porrò vicissim æquitas postulat, & consuetudo seruat, vt pensio augeatur, si fructus longè vberiores ex fundo aliquot annis proueniant, sicuti notauit Gl. in cit. §. vis maior, ibidem Bartolus, Abb. in c. propter, in fine, de locato, Gomez cit. num. 18 qui tamen id limitant, nisi fructuum abundantia ob coloni industriam proueniat, tum pensio augeri non debet; ne diligentia illi sua damnosa sit: sed si ob cœli clementiam, aut fortuitum casum, rerúmve mutationem, augmentum accidat. Vt si quis conduxerat molendinum, ac postea alia vicina impetu aquarum destruantur, augendam esse pensionem, aiunt DD. citati. 8

QVAESTIO SEXTA. Vtrum locator conductorem arbitrio suo expellere, vel rem locatam alteri locare possit? Respondeo & dico I. Non posse durante tempore conductionis, sed post. Ita habetur l. ne cui, Cod. de locato, & l. ędem, C. eod. vbi quatuor causæ adferuntur, ob quas ante tempus conductorem inuitum expellere liceat: I. Si integram pensionẽ tempore statuto non soluat. II. Si casus improuisus incidat, ob quem domus v. g. locata vsibus domini necessaria sit. III. Si rem locatã reficere necesse sit. IV. Si conductor in re locata malè 9

versetur. quo casu etiam damnum à conductore præstandum est. Consentit his c. propter, §. verùm, de locato, vbi id tradit Abb. num. 6. Nau. cap. 17. num. 193. Mol. disp. 499. Nisi quòd Pontifex eo loco biennium designet, quo si pensio soluta non fuerit, conductor expelli possit: id tamen Gl. ibid. & Nau. cit. num. 193. intelligunt, si ad tempus non breue, sed saltem ad quinque, vel sex annos res locata sit. Sed meliùs ait Mol. l. c. spectato communi iure, non esse certum tempus designatum; sed id solùm spectari, vtrum conductor pensionem debitam contumaciter soluere intermittat. id verò secundùm iura satis præsumitur, si conductor biennio integro pensionem soluere neglexerit. qui videtur esse sensus l. quæro, §. inter locatorem, & l. cùm domini, ff. locati.

10 Dico II. Neque locatoris successor vniuersalis, siue hæres, ante expletum tempus, conductorem expellere potest, §. vlt. Instit. de locato, l. viam, C. eod. Ratio est: Quia eadem cum defuncto persona censetur.

Dico III. Successor particularis, puta emptor, donatarius, legatarius, non tenetur stare contractu locationis; similiter neque conductor. Habetur in l. qui fundum, ff. locati, & in l. emptorem, C. de locato. Quòd etiam locum habet, etsi solus vsusfructus alteri venditus, donatus, vel emphyteutico contractu concessus sit, sicuti docet Gomez n. 9. ex l. arboribus, §. 1. ff. de vsufructu. Potest enim vtrinque contractus rescindi.

Limitari autem debet assertio primò, vt locum non habeat, si pactio interuenit inter locatorem, & conductorem, ne res locata durante locationis tempore alienetur, constitutâ ipsi, in eius rei securitatem, hypothecâ, siue generali omnium bonorum, siue speciali eiusdem rei locatæ, iuxta l. si creditor, §. vlt. ff. de distract. pignorum. Secundò, si ea lege emptio v. g. facta sit, vt emptor conductorem ante tempus finitum non expellat, vti habetur in cit. l. emptorem, C. de locato. Tunc enim conductor retentione rei conductæ, per viam exceptionis se contra emptorem defendere potest: vel certè emptor conductori præstare tenebitur damnum, seu quod interest eius, ante tempus expelli, quod alioquin locator, eiúsve hæredes ipsi præstare deberent. Ita Gl. in cit. l. emptorem, ver. emit. Tertiò, si locatio fundi facta sit ad tempus longum, videlicet ad decennium, ad vitam; vt proinde transeat in contractum emphyteuticum, quo dominium vtile transfertur, non potest colonus à successore particulari expelli. Ratio discriminis est, quia colonus emphyteuticus ius reale vtile in fundo obtinet, l. 1. §. quod autem ait Prætor, ff. de superficiebus: colonus autem merè conductitius solùm personam locatoris sibi obligatam habet. Vide Gomez l. c. Mol. to. 2. disp. 490.

CAP. XXIII.

De Emphyteusi.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteuses concedi solent, vt prædia magis fœcunda reddantur.*
2 *In emphyteusi ius dominij vtilis transfertur; in eoque à locatione distinguitur.*
3 *In dubio, num sit contractus censualis, an emphyteuticus; præsumitur talis, qualis in eo loco vsitatior est.*
4 *Laudemium ad substantiam emphyteutici contractus necessariò non requiritur.*
5 *Emphyteusis alia est Ecclesiastica; & alia laica, seu communis.*
6 *Ad emphyteuticum contractum scriptura requiri solet.*
Emphyteuta domino exigenti instrumentum seu titulum emphyteuseos, ipsáque prædia emphyteutica, & fines eorum, exhibere cogitur.
7 *Impendia, quæ ad fundi conseruationem, & fructuum collectionem spectant, emphyteuta præstare debet.*
8 *Si emphyteuta tribus annis continuis in emphyteusi laica: duobus verò annis in Ecclesiastica, pensionem integram non soluat, ipso iure cadit in pœnam commissi; exceptis quibusdam casibus.*
9 *Emphyteuta, si domino non requisito rem emphyteuticam alienet, per venditionem, &c. ipso iure eâ priuatur.*
10 *Potest tamen emphyteuta fundum oppignerare, ad vitam suam locare, censum, vel seruitutē in illo, etiam irrequisito domino, constituere.*
11 *Titulo lucratiuo non prohibetur emphyteuta fundum emphyteuticum in alterum transferre, saluo tamen iure proprietarij.*
12 *Emphyteusis alia est simpliciter hæreditaria, alia mixtè hæreditaria, alia simpliciter ex pacto & prouidentia.*
13 *Emphyteusis alicui absolutè concessa pro se, & filijs suis, etiam fœminas comprehendit.*
14 *Emphyteusis, etsi absolutè hæreditaria sit, tamen in personam potentiorem transferri non potest.*
15 *Si emphyteuta Religionem profiteatur, quæ capax sit immobilium bonorum, transit emphyteusis ad Monasterium.*
16 *Pater vni filiorum donare, vel prælegare potest emphyteusin, si hæreditaria sit: sin verò ex pacto & prouidentia, non potest in præiudicium aliorum liberorum; nisi sit emphyteusis noua, siue primitus acquisita.*
17 *Si tempus iuris emphyteutici ad hominis vitam, ad duas, vel tres generationes concessi finitum sit, non tenetur dominus, secundum iuris rigorem, agnatum proximum, quantumuis idoneus sit, inuestire.*
18 *Laudemium ex venditione feudi emphyteutici vsufructuario, non proprietario debetur: v. g. patri, non filio ex bonis aduentitijs eius.*

EMφύτευσις græcè, latinè dicitur insitio, siue planta- 1
tio. Nam olim terræ incultæ, ac minùs fructiferæ dari solebant in emphyteusin; id est, vt plantatione, ac cultu meliores, vtilioresque redderentur; vtili tantùm dominio, siue vsufructu in emphyteutam, siue colonum translato; ea lege, vt pensionem annuam siue fructuariam, siue pecuniariam soluere cogeretur, in recognitionem dominij directi, penes eum manentis, qui prædium ad emphyteusin concessit.

Porrò, licet contractus emphyteuseos eo fine initio institutus fuerit, vt terræ infœcundæ fœcundarentur, sicuti dixi; postea tamen vsus obtinuit, vt etiam fœcundæ in emphyteusin darentur; siue in perpetuum, siue ad vnam, vel plures generationes; siue ad vitam hominis, qui sanus, & robustus est; siue ad longum tempus, id est, ad decennium, vel vltrà, (vti videre est in Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alien.) plerumque non modicâ, sed magnâ, & iustâ, comparatione percipiendorum fructuum, pensione constituta.

Ex his intelligitur definitio contractus emphyteuti- 2
ci, quam tradit Mol. disput. 445. Contractus, quo res immobilis, quoad dominium vtile, alteri conceditur, pro reali pensione statutis temporibus domino proprietatis, eam ob causam, soluenda. Quamuis autem emphyteuticus cōtractus quibusdam alijs valde affinis sit, videlicet locationi, censui resignatiuo, & feudo, sicuti notauit Iul. Clarus lib. 4. sentent. ver. emphyteusis, q. 1. Per voculam tamen *dominium* distinguitur à locatione, quæ ad modicum tempus instituta, nullum ius reale in conductorem transfert, sicuti superiore cap. dictum est. Vide l. 1. Zenonis Imper. C. de iure emphyt. & Instit. de locat. §. adeò.

Additâ verò voculâ *vtile* distinguitur emphyteusis à censu reseruatiuo, in quo non tantùm dominium rei vtile: sed plenum ac perfectum in censualistam transfertur, reseruato censu, siue annua pensione soluenda: non ita tamen, vt si pensio siue census biennio, vel triennio soluta non sit, res cadat in commissum, sicuti accidit in emphyteusi; quippe per quam ius non ita absolutè translatum esse censetur: sed sub conditione, si tale quid præstitum fuerit, sicuti notat Gl. in c. constitutus, ver. iuxta ratam, ibid. Abb. n. 21. Syl. ver. emphyteusis, n. 3.

Exinde colligit Clarus loco cit. Si dubitetur, celebra- 3
túsne sit contractus emphyteuticus, an censualis, seu, si ex verbis instrumenti colligi non possit, vtrum pensio annua soluatur iure emphyteutico, an iure census: potiùs præsumendam esse perpetuam emphyteusin,

quàm censualem contractum, præsertim si concessio ab Ecclesia facta fuit. Ratio est, quia contractus emphyteuticus minùs cedit in præiudicium concedentis, quàm censualis. Contrarium verò docuit Couar. 3. resol. c. 7. n.1. Mascard. vol.1. concl. 281. & alij perique; eò quòd in dubio, quod minimum est, sequi oporteat: contractus autem censualis minorem obligationem possessori imponit, quàm emphyteuticus. Sed rectiùs dicitur, quòd communiter inspiciendus sit mos regionis: vt in dubio talis reputetur contractus, qui in eo loco frequentari solet, sicuti habetur in l. semper in stipulat. ff. de reg. iuris, & notat Mol. to.2. disp.382.

Pro praxi quædam aduerte circa hoc dubium: I. Si in instrumento factæ concessionis, posita reperiatur vox venditionis, censeri debet contractus censualis: quia emphyteuticus contractus venditionis non est, sed potiùs elocationis. II. Etsi in instrumento nulla mentio laudemij facta sit, seu expressè, seu implicitè (videl. vt rusticus teneatur ad omnia onera, quæ emphyteutis communiter imponi solent) atque à tempore immemoriali nullum laudemium petitum, aut datum fuerit: tamen, si aliæ coniecturæ desint, consequens non est, fundum censualem esse, & non emphyteuticum: quandoquidem ad substantiam contractus emphyteutici laudemium non requiritur: cùm is variis modis, siue pactionibus institui possit, vti constat ex l. 2. & 3. Cod. de iure emphyteutico. III. Si in instrumento, laudemij mentio facta reperiatur, quod tamen constet, longissimo tempore exactum non fuisse, tum multò magis censeri debet contractus emphyteuticus: adeò, vt à nouo successore in eius inuestitura laudemium exigi possit, non obstante præscriptione, quippe quæ tantùm se extendit ad præstationes præteritas, præterquam si ipso facto, aut expressa protestatione fundus temporis diuturnitate tanquam liber à laudemij solutione possessus fuerit, sicut explicaui lib.1. tract.1. c.8. n.9.

5 Duplex est emphyteusis: Vna Ecclesiastica, cuius dominium directum ad Ecclesiam spectat: ideóque de eius constitutione secundùm ius canonicum iudicandum est. Veruntamen, si Ecclesiastica emphyteusis colono laico concessa sit, iudicandum erit de ea, quod attinet ad dominium vtile, secundùm leges seculares: vt exinde tributa laicus, tanquam de re ad se pertinente, Principi suo seculari pendere cogatur, sicuti docet Less. cap.24. dub. 8. num. 44. Molin. disput. 446. licet contrarium sentiat Andreas Fachin. p. 1. lib. 1. controuers. cap.91. ex Bartolo l. priuatæ, Cod. de excusat. munerum, lib. 10. Alia verò emphyteusis, quæ Ecclesiastica non est, laica siue communis dicitur.

Conditiones, quæ emphyteutico contractui communi iure insunt, (omissis iis, quæ vel locorum consuetudine receptæ, vel contrahentium pactionibus adiectæ sunt, à quibus quàm minimè in hoc contractu recedendum est, cùm sit stricti iuris, l. 1. & seqq. Cod. de iure
6 emphyteutico). hæ fermè sunt: Prima. Ad substantiam & valorem contractus emphyteutici requiritur scriptura, siue instrumentum scriptum, sicuti Doctores communiter docent, Clarus quæst. 4. Gomez cap. 3. n. 16. Mascardus conclus. 602. n. 2. Fachinæus c. 84. Molin. disp. 447. & colligitur ex l. 1. C. de iure emphyteut. ibi, *pactionibus scriptura interueniente habitis*. Idque multò certius esse debet de Ecclesiastica emphyteusi, quippe ad quam expressè scriptura requiritur in cit. Auth. de rebus Ecclesiæ non alienandis. Sin autem is, qui se emphyteutam asserit, instrumentum exhibe[illegible] non possit: quia amissum est: tenebitur testes pro[illegible]re, qui affirment contractum emphyteuticum, inter tales personas celebratum, scriptóque instrumento confirmatum fuisse. Quòd si eius rei plenam probationem per testes facere nequeat, petere debet à Iudice, vt in defectum probationis iuramentum sibi deferatur. qua de re Mascardus cit. conclus. 602. num. 14. Mol. disput. 449. Vbi notant, quòd emphyteuta, domino exigenti exhibere cogatur non tantùm instrumentum & titulum suæ emphyteuseos: sed etiam prædia emphyteutica, eorúmque fines: nam alioquin contra illum præsumptio fiet, & omnia eius prædia emphyteutica censebuntur. Videri etiam potest Fridericus Martini de iure censuum, cap. 8. n. 249. & seqq.

Sed excipi debet: Nisi emphyteuta præscriptionis iure se defendere possit, ostendens, se 30. annorum spatio, si emphyteusis laica sit, vel 40. si sit Ecclesiastica, fuisse in pacifica possessione rei emphyteuticæ: & tanquam emphyteutam pensionem vniformem domino persoluisse: tunc alia probatione per scripturam, testes, &c. ad titulum emphyteuseos ostendendum opus non erit, sicuti docet ex communi Mascardus concl. 603. Nicol. Euerh. vol. 2. consil. 33. Mol. disp. 449. arg. lib. 2. Feudorum, tit. 26. Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum, & agnatos, vbi habetur: *Si quis per triginta annos rem aliquam, vt feudum possedit, & seruitium domino exhibuit: quamuis de ea re non sit inuestitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest*. Imò multi sunt apud Mascardum, & Mol. cit. ll. qui saltem in emphyteusi communi, longi temporis, videl. 10. annorum spatio pensionem domino soluisse ad præscribendum satis esse arbitrantur. Cùm enim ad solutionem pensionis vtraque pars concurrat; faciliùs iura præsumunt, pactum ac titulum antecessisse, arg. l. cùm de in rem verso, ff. de vsuris.

Altera conditio: Emphyteuta debet fundum sibi 7
concessum proprio labore & industria colere, atque cauere, ne deterior efficiatur, si v. g. arbores frugiferæ excidantur, villa diruatur. Insuper ad ipsum pertinet omnia impendia præstare, quæ ad fundi conseruationem, & fructuum collectionem spectant: puta vt domus, horreum, aggeres, fossæ, sepes, putei conseruentur, ac reficiantur, l. sed cùm, ff. de vsufructu. Si tamen domus, horrea, putei, &c. absque culpa emphyteutæ, omnino collapsa sint, ad fundi dominum pertinet ea restaurare. Ratio est: quòd substantia fundi ad dominum pertineat, ius autem fructuum ad emphyteutam: Igitur meritò hic impendia facit, quæ ad fructuum perceptionem spectant: rei autem substantia domini damno parit. qua de re vide Clarum §. emphyteusis, q. 8. n. 8. Mol. disp. 454. Quamobrem si emphyteuta domos, vel stabula denuo ædificet, aut aliud quippiam præstet, ad quod iure contractus non tenetur, finita emphyteusi absque culpa, aut crimine suo, melioramenta, eorúmve æstimationem repetere potest, sicuti colligitur ex l. Papinianus, aliàs incipit *diuortio*, §. impendi, ff. soluto matrimon. l. ad eum quem, C. de vsufructu, & docet Gl. in l. sed si quid, ver. resigere, ff. de vsufructu. & videri potest Arius Pinellus l. 2. C. de rescind. vendit. p. 2. c. 3. num. 10. Andr. Fachin. p. 1. lib. 1. c. 92. Iulius Clarus lib. 4. sentent. §. emphyteusis, q. 45. Contrà verò, si per emphyteutæ negligentiam, fundus in seipso deterior factus sit, vt minoris valeat, priuari potest iure emphyteuseos, & vsusfructus fundi cum proprietate consolidari, secundùm Auth. qui rem, C. de sacrosanctis Ecclesiis, & ex communi docet Tiraquellus in l. si vnquam, ver. omnia, num. 31. Cod. de reuocat. donat. Mynsing. cent. 6. obseruat. 86. vbi ait, ad hoc, vt emphyteuta, & quilibet fundi conductor, ob eius deteriorationem, iure expelli possit, tria necessaria esse: I. Vt deterioratio notabilis sit, quod Iudicis arbitrio relinquitur. II. Vt ea deterioratio ipsius fundi sit absolutè, & non tantùm in ordine ad perceptionem fructuum ad tempus, quo colonus fruitur est. III. Vt colonus in dolo sit, vel culpa lata, aut leui.

Tertia conditio: Emphyteuta, in recognitionem 8

dominij directi, penes proprietarium manentis: atque in compensationem dominij vtilis sibi concessi, soluere debet annuum reditum siue pensionem, sicuti habetur in §. adeò, Instit. de locatione. Sin autem tribus annis continuis in emphyteusi laica, siue priuata: vel duobus continuis annis in Ecclesiastica, integram pensionem, siue canonem non soluat, ipso iure in pœnam commissi cadit, vt dominus eum expellere possit, quamuis de solutione interpellatus non fuerit, l.2. Cod. de iure emphyteutito, cit. Auth. Qui rem, &c. potuit, de locato, & videri potest Clarus ver. emphyteusis, quæst.8.nu. 4. Mol.to.2. disp.453. §. maius dubium.

Sed limitandum est primò: Nisi dominus debitor sit emphyteutæ, vt compensationi locus esse possit, teste Molin. disput. 453. §. illud obseruandum, Nauar. cap. 17. num. 192. argum. cap.2. de deposito. Secundò: Si emphyteuta pensionem offerat, & per dominum stet, quominus recipiatur. qua de re Gloss. in l.2. ver. secundùm legem, Cod. de iure emphyteutico, Clarus cit. quæst.8. num.20. Tertiò: Si ob ignorantiam, vel aliam iustam causam pensio non soluatur: quia videlicet hæres nesciuit rem emphyteuticam esse: nam vbi culpa non est, neque pœna commissi locum habet. Ita secundùm æquitatis rationem Gl. proximè citata.

Quartò limitari debet: Quòd emphyteuta, ob negligentiam, vel moram non soluendi canonem, pœnam commissi, seu priuationem iuris: vtilitatisque non priùs incidat, quàm dominus voluntatem exequendi pœnam declaret, sicuti colligitur ex cit. l. 2. & docet Syluest. quæst. 2. Clarus quæst. 9. Mynsinger. cent. 3. obseruat.65. & cent.6. obseruat. 83. Molin. disput.453. Tiraquel. l. si vnquam, ver. reuertatur, Cod. de reuoc. donat. Quòd si dominus omiserit voluntatem suam declarare, cùm facile ei licuisset: non potest deinde ius successor caducitatis pœnam exequi, sicuti docet Baldus in l. vlt. Cod. de reuocat. donat. Sed neque contra hæredem vasalli, aut emphyteutæ condemnatio per sententiam fieri potest, si contra delinquentem scienter intermissa fuerat, sicuti notauit Mynsinger. cent. 3. obseruat. 97. Id verò probabilius est, ad pœnam caducitatis incurrendam non requiri Iudicis sententiam: sed satis esse, si dominus voluntatem suam declaret: modò manifestum sit, quòd emphyteuta canonis solutionem per biennium, aut triennium culpabiliter intermiserit. Ita sumitur ex cit. l.2. iunct. Gloss. ver. licere eum à prædiis repellere, & docet Mynsinger cent. 3. obseruat. 65. & cent.6. obseruat. 83. Fachin. cap. 93. contra Sa ver. Emphyteusis, num.1. Quin & hoc probabile est, posse dominum in hoc casu etiam propria auctoritate rem emphyteuticam occupare, & emphyteutam renitentem eijcere, sicuti ex plurium sententia docet Mynsinger cit. obseruat. 65. Neque dissentit Gloss. in cit. l. 2. ver. secundùm legem, & Gl. in cap. potuit, ver. expelli, de locato, ibidem Abb. num.13. cùm tantùm dicant, contrarium esse tutius, propter scandalum: Ergo si id absit, licebit, per se loquendo, expellere emphyteutam; sicuti & alium colonum conductitium, si pactis non stet de canone soluendo.

Quintò: In emphyteusi Ecclesiastica, si post elapsum biennium, mox (id est, intra decem dies, secundùm communem doctrinam) oblatis pensionibus, emphyteuta moram purget, liberatur pœna commissi iuxta cit. cap. potuit. Idémque in priuata emphyteusi, secundùm æquitatis rationem, seruandum esse, monet Clarus q. 8. in fine. Vide Fachin. c.98.

Sextò: Si dominus ab emphyteuta, postea quam is ex quacunque alia causa caducitatis siue commissi pœna se dignum reddidit, insequentis temporis pensiones recepit, præsumitur ius reuocandæ ab ipso emphyteuseos condonare. Quemadmodum etiam dominus, si à vasallo suo post incursam pœnam caducitatis, sine protestatione iuris sui, solita seruitia recipiat, censebitur pœnam remittere, teste Claro §. feudum, q. 49.n.10. & q.63.

Sublimitandum verò id est: Nisi Prælatus sit, qui eiusmodi rebus Ecclesiæ præiudicare, & pœnam caducitatis remittere nequit, vti docet Gloss. communiter recepta in cit. cap. potuit, ver. expelli. Clarus q. 10. num. 3. contra Abb. in cit. c. potuit, num. 15. Verùm, si pensiones temporis præteriti, id est, quæ ante incursam caducitatem debitæ erant, petantur, vel accipiantur, pœna caducitatis ideo remissa non censebitur, saltem in Ecclesiastica emphyteusi, sicuti constat ex Auth. Qui rem, C. de SS. Ecclesiis. Aliter autem se rem habere in emphyteusi priuata docent Clarus cit. q.10. n.1. Fachin. c. 99. Quo loco notandum, quòd Ecclesia expellens emphyteutam post incursam caducitatem, tametsi nihil protestetur, nihilominus exigere possit pensiones præteritas nondum solutas, iuxta cit. Auth. Qui rem. Sed in priuata emphyteusi dominus emphyteutam expellens, si de iure illo suo nihil protestetur, censetur ei renunciare, seu remittere pensiones, vti Clarus docet, cit. loco.

Quarta conditio: Non licet emphyteutæ, domino irrequisito, fundum emphyteuticum alienare per venditionem: alioquin ipso iure cadit in pœnam commissi, & iure emphyteuseos, vnà cum meliorationibus, spoliatur, si alienatio traditione perfecta sit, cit. cap. potuit, & l. 3. Cod. de iure emphyteutico. Eapropter duorum mensium spatium domino concedi debet; partim ad deliberandum, an ipsemet, oblato eodem pretio, ius emphyteuticum, & meliorationes emere malit: partim ad explorandum, vtrum emptor, vel alius nouus successor colendo fundo emphyteutico idoneus sit: vt eum deinde in possessionem emphyteuseos suscipiat, accepto, pro inuestitura sine renouatione, laudemio: quod tamen partem quinquagesimam pretij, siue æstimationis emphyteuseos non superet, spectato communi iure, cit. l.3. per consuetudinem verò plurium locorum pars vicesima accipitur. Ante hoc verò bimestre tempus, si possessio fundi ab emphyteuta emptori tradatur, pœna commissi locum habet. 9

Porrò limitandum id est primò ex cit. l. 3. Nisi dominus in inuestitura, aut concessione emphyteuseos, clausulam apposuerit: quòd illius alienatio fieri posset: vel si concesserit alicui emphyteusim pro se aliis quibus ipse dederit: interpretanda est clausula talis cōcessionis, vt domini consensus non requiratur: cùm alioquin clausula illa specialis vltra ius commune nihil operaretur, sicuti notauit Clarus q.13. Vide eundem §. Feudum, q.31.

Limitandum est secundò: Si dominus à nouo emphyteuta, cui alienatio facta est, quamuis sine consensu suo, in fundi possessionem misso, pensionem accipiat, censebitur in alienationem consentire, & pœnam commissi remittere.

Dixi autem rem emphyteuticam alienari statim non posse per venditionem: nam de permutatione aliter sentiunt Syl. verb. Emphyteusis, q. 17. Clarus §. emphyteusis, q. 17. Quamuis valde probabile est, quod tradit. Mol. tom.2. disp.461. Si res emphyteutica permutetur cum eiusmodi rebus, puta oleo, frumento, vino, quas similiter etiam proprietarius soluere possit: de tali permutatione dominum admonendum fore: vtrum ipsemet eam acceptare malit: alioquin caducitatis pœnam locum habituram esse. Idémque dicendum videtur, si emphyteuta domino irrequisito fundum emphyteuticum alteri pro annua pensione emphyteusin concedat, aut in longum tempus elocet: qui contractus dici solet subemphyteuticus, atque domini consensum requirit: cùm sit species alienationis, sicuti docet Syl. ver. emphyteusis, quæst. 14. Clarus quæst. 20. & seqq. Mol. disp.461.

10 Interim verò non obstat, quò minus emphyteuta, etiam domino irrequisito, rem emphyteuticam alteri nomine hypothecæ obligare, ius census, aliámve seruitutem ad vitam concedentis constituere possit; & ad tempus breue locare: quin etiam ad tempus longum, dummodo locatio non fiat ipsius rei emphyteuticæ simpliciter, sed solùm commoditatis ex ea percipiendæ, nomine ipsiusmet emphyteutæ, dum viuit, sicuti docet Mol. cit. disp.461.§. maius dubium.

11 Denique titulo lucratiuo legati, donationis dotis, non prohibetur emphyteuta fundum emphyteuticum, saluo per omnia iure domini seu proprietarij, in aliam etiam extraneam, personam, domino irrequisito, transferre: modò non statim ab ipso emphyteuta in possessionem mittatur, sed domino significetur, vt donatarium idoneum ad emphyteusin agnoscat, & inuestiat, accepto ab ipso laudemio, si extranea persona sit. Videri potest Gl. in cit. l. 3. quæ est vlt. C. de iure emphyteut. ver. vendere, Abb. c. vlt. n.8. de locato. Clarus q.15. Syl.q. 16. & 17. & ver. dos, q.8. Mol. disp.461. Less.c.24 dub. 8.n.54. Vide etiam addit. ad Clarum q.15. vbi ait: Si emphyteuta alia bona habeat, non posse dare fundum emphyteuticum in dotem, domino irrequisito: Sed etsi in dotem det eo casu, quo dare potest, durare tantùm ad vitam donantis: imò etiam dotatæ.

RESTANT QVAESTIONES. PRIMA. Quinam sint successores in emphyteusi tum laica, tum Ecclesiastica. Hæc quæstio non mouetur de emphyteusi, quæ ad certos annos, videl. 10. vel 20. conceditur: vel quæ ad solam vitam emphyteutæ: constat enim eo tempore transacto, ad dominum, eiúsue hæredes emphyteusin reuerti. Sed præter temporalem istam emphyteusin, notandum est ex Claro §. emphyteusis, q. 16. & 28.
12 Molina to.2. disp.472. Quòd emphyteusis alia est simpliciter hæreditaria, id est, concessa cum facultate transferendi ad quoscunque hæredes, etiam extraneos: quæ proinde emphyteusis liberè alienari potest, requisito domini consensu: vel etiam non requisito, si ex inuestitura appareat, concessam fuisse cum libera alienandi facultate, vti docet idem Clarus q.13.n.7. Alia est mixtè hæreditaria, quæ concessa est pro filiis, seu descendentibus, iisque hæredibus. quo casu filius succedere in emphyteusi non potest, nisi etiam in hæreditate ascendentis succedat. Alia denique est emphyteusis simpliciter ex pacto & prouidentia, quæ data est pro filiis seu descendentibus, vel absolutè, vel in certas generationes. Et ad hanc non requiritur, vt filius sit hæres: cùm possit etiam repudiata hæreditate paterna, succedere in emphyteusi: quippe quam non iure hæreditatis, sed ex pacto & prouidentia, seu prima eius institutione accipit.

Nunc respondeo, & dico I. Si emphyteusis absolutè alicui concedatur, *Do tibi hunc fundum in emphyteusin*, nulla facta expressione hæredum, aut successorum: censeri debet ex pacto & prouidentia. Quam esse communem sententiam, testatur Molina disp.437. princ. Ratio esse debet, quia emphyteuses, sicuti & feuda, communiter ita concedi solent. Quare etiam vice versa, si alicubi consuetum sit, vt emphyteuses concedantur cum facultate transferendi ad quoscunque hæredes, etiam extraneos, tunc censeri debebunt simpliciter hæreditariæ, si dictâ formâ absolutè alicui datæ fuerint.

13 Dico II. Si emphyteusis alicui concessa sit pro se, & filiis suis, possunt enim fœminæ succedere. Ita docent Couar. 2. resol. c. 18. n. 1. Clarus q. 32. n. 2. Andr. Fachin. p. 3. lib. 8. c. 97. Mol. disp. 474. ver. Vtrum, contra multos Legistas. Ratio est: Quia nomen filiorum etiam filias comprehendit, l. quisquis, ff. de verbor. signif. Cùm igitur fœminæ capaces sint emphyteuseos, perinde ac masculi, iuxta Authen. de non alienan. §. Emphyteusis: ideo nomine filiorum expressò in emphyteutico instrumento, etiam fœminæ, comprehendi debent. Verùm consuetudine receptum esse, ait Clarus cit. q.32. n.3. vt non admittantur fœminæ, nisi deficientibus masculis.

Dico III. Si emphyteusis alicui concessa sit pro se, & hæredibus suis, aut successoribus suis, censeri debet hæreditaria, vt ad extraneos quoque transire possit. Quæ est communis sententia apud Clarum q.28. ver. tertius est casus, Molinam disp.469. ver. Est verò, & disp. 472. ver. Quòd si emphyteusis. Quia nomine hæredum, aut successorum etiam extranei comprehenduntur. Addunt tamen Doctores, hanc assertionem locum tantùm habere in emphyteusi laica: at verò in Ecclesiastica nomine hæredum tantùm comprehendi descendentes: non item extraneos. Quod tamen solâ consuetudine niti debet: si videlicet alicubi Ecclesiasticæ emphyteuses aliter concedi non soleant, nisi pro descendentibus: vt nomine hæredum non intelligantur nisi descendentes. Sin verò consuetum fuerit, vt Ecclesiæ emphyteuses in perpetuum, & pro quibuscunque hæredibus concedantur: vel si emphyteusis non de nouo detur, sed antiquitus ita data, & nondum Ecclesiæ incorporata sit: tali casu etiam ad extraneos hæredes deuolui poterit emphyteusis Ecclesiastica. Quandoquidem canonico iure talis concessio nullibi restricta, aut prohibita reperitur. Authentica autem Iustin. Imperatoris de alienatione & emphyteusi, §. Emphyteuses, vbi præcipitur, vt emphyteuses non concedantur, nisi in personam quæ accepit, & duos hæredes seu descendentis; ad propositum non facit: tum quia in ea Authent. sermo tantùm est de Ecclesia Constantinopolitana, & aliis quibusdam locis eiusdem Vrbis: tum quia Authent. illa, cùm de rebus Ecclesiasticis speciatim disponat, ab Ecclesia non acceptatur, iuxta c. Ecclesiá S. Mariæ, de Constit. Sin verò Authent. illa aliquibus locis per consuetudinem firmata sit: secundùm eam procedi potest, non vi Imperatoriæ constitutionis, sed propter consuetudinem diuturnam, quæ vim legis habet, vbi lex deficit, c. vlt. de consuet.

Dico IV. Etsi emphyteusis hæreditaria sit, seu concessa pro quibuscunque hæredibus aut successoribus, non 14
potest tamen transferri in personam potentiorem, magísque priuilegiatam: cuiusmodi est v. g. Ecclesia, vel Ciuitas. Ita colligitur ex l. vlt. C. de iure emphyteut. iun. Gl. ver. vetari. & esse communem, testatur Clarus q.22. Molina disp. 459. ver. quartum. Ratio est: Quia proprietarij conditio deterior reddetur tali alienatione: quandoquidem rariùs laudemium consequetur, & difficiliùs ad ipsum emphyteusis reuersura est.

Corollarium. Cùm bona alicuius ob crimen confiscantur, licèt fiscus etiam succedat in emphyteusi, si hæreditaria sit, vt ad quoscunque etiam extraneos deuolui possit, argum. l. iura liberorum, ff. de iure patronatus: tamen cogi poterit fiscus, vt intra annum alteri vendat emphyteusin. qua de re Molina lo. cit. & Syl. ver. emphyteusis, q. 20. vbi ait cum Speculatore, quòd Ecclesiæ, vel Monasterio talis emphyteusis legari possit, vel cum hæreditate relinqui, ita tamen, vt intra annum vendere debeat. Testatur tamen Molina disp.481. concl.2. Si bona alicuius ob crimen confiscentur, consuetudine receptum esse, vt emphyteuses & feuda Ecclesiastica statim ad Ecclesiam reuertantur, quæ consuetudo apertè approbata videtur in c. felicis, §. si qua verò, de hæret. in 6.

QVAESTIO SECVNDA. Si emphyteuta Religionem profiteatur, ad quem emphyteusis spectare debeat? Respondeo, & dico I. Si emphyteuta profiteatur Religionem, quæ capax non est stabilium bonorũ ac redituum, vti est Ordo Minorum de obseruantia, Capucinorum, & Societas Iesu: emphyteusis pertinet ad legitimos hæredes, aut successores, videlicet si hæreditaria est, ad proximum

consanguineum, si Religiosus ante professionem nihil disposuit: sin verò sit emphyteusis ex pacto & prouidentia, pertinet ad eos, qui secundùm inuestituram vocantur: si nullus talis adsit, reuertitur ad proprietarium. Ita docent Molina disp. 482. paulò post princ. Sanchez lib. 7. moral. cap. 15. n. 52. Ratio est: Quia professio talis Religiosi morti naturali æquiparatur, vti dicam tract. seq. c. 3. n. 3.

15 Dico II. Si emphyteuta profiteatur Religionem capacem bonorum immobilium, arbitror distinguendum esse, vtrum sit emphyteusis hæreditaria, nécne. Si hæreditaria est, transit quidem ad Religionem, seu Monasterium: sed debet emphyteusin, (saltem post mortem Professi) vendere: quia alioquin omnem spem proprietarius amitteret laudemium accipiendi. Et ita intelligi debent Molina to. 1. tr. 2. disp. 140. ver. eandem regulam, & t. 2. disp. 482. ver. Si verò. Chaldas de renouat. emphyteusis, q. 19. n. 7. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 10. n. 84. Sin verò hæreditas sit ex pacto & prouidentia, tunc commoditas seu vtilitas emphyteuseos, interim dum Religiosus viuit, ad Monasterium spectat: post vitam autem illius succedit, qui ex inuestitura vocatur: alioquin ad dominum reuertitur emphyteusis. Ita docet idem Molina cit. disp. 482. Sanchez cit. c. 15. n. 59. Ratio est: Quia cum persona omnia iura eius in Monasterium transeunt, si capax sit: adeóque etiam emphyteusis, & vsusfructus quilibet: item ius patronatus, si ad Professum pertinebat non iure Collegij, sed iure singulari, vti docent Gl. & DD. in c. beneficiū, ver. conferendum, de regular. in 6. Rodriq. to. 2. regular. q. 122. a. 2. Sanchez lib. 7. moral. c. 14. n. 1. & seqq.

Quin imò etsi in inuestitura expressum sit, vt emphyteusis non transferatur in Ecclesiam, vel alium potentiorem, non impeditur ista translatio emphyteuseos in Monasterium: tum quia non est alienatio propriè: cùm Monasterium possideat & fruatur loco Professi, veluti vnam cum eo personam faciens: tum quia prohibitio alienationis intelligenda est de voluntaria alienatione, non autem de ea, quæ ex legis dispositione necessariò fit: qualis est ista, vt omnia bona Professi in Monasterium transeant. Quæ est communis doctrina Canonistarum c. in præsentia, de probat. nominatim Abbatis n. 73. vbi vniuersim aiunt, si quid alicui datum, vel donatum sit ea lege, vt non liceat alienare: illo Religionem profitente, transire ad Monasterium: quia *hæc est alienatio legis, & accessoria ad personam ingredientis*, inquit Abbas: & infrà n. 75. bene monet: Monasterium succedere in bonis Professi non iure hæreditario, sed iure naturalis acquisitionis. de quo dicam infrà tract. seq. c. 5. n. 4. Bene tamen limitat Syl. ver. hæreditas, 1. q. 7. dicto 4. Sanchez cit. lib. 7. c. 15. n. 69. Nisi intentio alienãtis fine suo frustretur, si res illa ad Monasterium perpetuò & irreuocabiliter deueniat: tunc restituenda erit post Monachi vitam.

16 QVÆSTIO TERTIA. Vtrum pater vni filiorum emphyteuticum bonùm donare, vel prælegare possit? Respondeo & dico I. Si emphyteusis simpliciter hæreditaria sit, siue concessa alicui pro se, & hæredibus quibuscunque; vel pro se, & quibuscunque dederit: tunc possessor emphyteuseos vni liberorum in dotem dare, aut prælegare non prohibetur: modò id fiat sine diminutione portionis legitimæ, aliis liberis debitæ. Ita ex communi docet Clarus ver. emphyteusis, quæst. 16. Quia eiusmodi bona censentur potiùs libera, seu allodialia, quàm emphyteutica.

Dico II. Si emphyteusis noua est, seu primitus acquisita possessori quamuis cum pacto & prouidentia, potest vni filiorum prælegari, accedente consensu domini. Ita ex probabiliore idem Clarus, contra Molinam disp. 478. Couar. 2. resol. c. 18. n. 2. Ratio est: Quia pater stipulando pro se, & filiis suis, censetur stipulatus cum dependentia liberorum à sua persona, ita vt nullum ius habeant ante mortem ipsius: consequenter cum domino aliam formam contractus instituere potest, antequam ius acquiratur descendentibus. Hoc tamen discrimen est inter emphyteusin, quæ simpliciter ex prouidentia est, & emphyteusin mixtam, quòd hæc prælegari non possit cum diminutione legitimæ aliorum liberorum: at verò emphyteusis ex prouidentia simpliciter, non veniat in computationem bonorum hæreditariorum.

Dico III. Si emphyteusis est antiqua, possessor, ne quidem cum domini consensu, vni liberorum prælegando, aliis præiudicare potest. Hæc est communis: Quia post mortem primi acquirentis ius descendentibus acquisitum est, ex vi primæ inuestituræ. Si tamen emphyteusis sit hæreditaria mixtè, id est, concessa alicui pro se, & filiis suis hæredibus, tunc dispositionem patris testatoris filij amplecti debent, si hæredes esse velint: quia hæres facto defuncti contradicere non potest, l. cùm à matre, C. de rei vindicat. & docet Couar. 2. resol. c. 18. n. 2. concl. 4. Molina cit. disp. 478. concl. 3.

QVAESTIO QVARTA. Si emphyteusis, ad duas v. g. aut tres generationes concessa, iis finitis, ad dominum reuertatur: vtrùm is obligatus sit vltimi emphyteutæ agnato potiùs, quàm alteri, emphyteusin concedere? Affirmantem partem tenent Bartol. in l. 1. § permittitur, ff. de aqua quotidiana, & æstiua, & alij multi, quos citat & sequitur Clarus ver. emphyteusis, q. 43. Guill. lib. 2. obser. 145. quæ tamen sententia aliter probari non potest, quàm auctoritate Bartoli, & recepta in pluribus locis consuetudine. Nam de iure contraria sententia vera videtur, quam docent Mol. tom. 2. disp. 484. Andr. Fachin. lib. 1. controu. iuris, c. 100. Neque enim contrahens ex contractu plùs obligatur, quàm inter partes conuentum fuit: si igitur emphyteuticus contractus ita institutus est, vt vltra tres generationes durare non debeat, non ampliùs obligatus erit, qui emphyteusin concessit. Fateor tamen, secundùm æquitatem, non facilè repellendum esse filium emphyteutæ, si ad emphyteusin idoneus, & emphyteusis alicui concedenda sit: alioquin multi coloni ad mendicitatem redigendi forent, non sine Reipubl. detrimento. 17

QVAESTIO QVARTA. Si fundus emphyteuticus vendatur, vtrum laudemium debeatur proprietario, an verò vsufructuario, quando vsusfructus à proprietate seiunctus est? vti videre licet in patre, ad quem pertinet vsusfructus bonorum aduentitiorum filijfamilias. Respondeo cum Syl. ver. emphyteusis q. 22. & communi doctrina. Laudemium dandum esse vsufructuario, v. g. patri, aut ei, cui vsusfructus talis fundi legatus est. Quia omne emolumentum prouenienens ex re fructuaria, debetur vsufructuario, l. item si fundi, ff. de vsufructu. 18

QVAESTIO QVINTA. Si fundus emphyteuticus ad dominum reuertatur, vtrum is meliorationum estimationem emphyteutæ soluere cogatur? Respondeo, & dico I. Si emphyteuta fundo emphyteutico priuatus est ob canonem non solutum, meliorationes à domino repetere non potest. Ita habetur expresse in l. 2. Cod. de iure emphyteutico.

Dico II. Si emphyteuta absque culpa sua fundum emphyteuticum amittat, vt quia tempus finitum est, ad quod ei emphyteusis concessa erat; repetere potest meliorationes eas tantùm, ad quas ratione contractus emphyteutici non tenebatur; puta si nouum ædificium extruxerit, vti habetur in lib. 2. feudorum, tit. 28. Hic finitur lex, §. ad hoc, ver. si vasallus, iun. Gl. ver. aliquod ædificium fecerit. Sin verò meliorationes fecit emphyteuta, ad quas ratione emphyteutici contractus tenebatur, eas repetere haud potest, sicuti indicat Gl. citata, & bene docet Andr. Fachinæus lib. 1. controuers. iuris, 19

cap.92. Nam emphyteuta ex natura contractus emphyteutici fundum sibi concessum conseruare, ac meliorem reddere debet. Eadémque quæstio eodem modo de feudo resolui debet, per ea, quæ docet Clarus lib.4. sentent.ver. feudum, q.88.

CAP. XXIV.

De Feudo.

SVMMARIVM.

1 *Feudum veluti donatio ac beneficium quoddam est, ob quod fidelitas, & personale obsequium, à vasallo exigitur.*
2 *Feudum cum emphyteusi in plerisque conuenit.*
3 *Feudum magis etiam, quam emphyteusis, alienari prohibitum est.*
4 *Duplex est feudum: nouum, & antiquum: Item aliud est hæreditarium, aliud gentilitium, seu ex pacto & prouidentia.*
5 *De feudo nouo vasallus cum domini consensu disponere potest, etiam non requisita voluntate agnatorum.*
6 *De feudo propriè hæreditario vasallus suopte arbitratu disponere potest.*
7 *De feudo antiquo ex pacto & prouidentia, vasallus disponere non potest sine renuntiatione agnatorum.*
8 *Bona feudalia ex pacto & prouidentia, sicuti & emphyteutica, omnino separata sunt ab hæreditariis seu allodialibus.*
9 *Feudum in quibusdam differt ab emphyteusi.*
10 *In feudo communi iure fœminæ non succedunt: neque Clerici in sacris constituti; multò minùs Monachi, & similes Religiosi.*
11 *Illegitimi quoque, quamuis per Principis rescriptum legitimati, à feudis excluduntur; nisi expreßè ad ea habiles facti sint.*
12 *Feudum à vasallo aufertur ob crimen ingratitudinis erga dominum suum.*

FEudum alij à *fœdere* dictum esse arbitrantur: alij à *fide* seu fidelitate, quam vasallus domino præstare debet, sicuti habetur lib.2.feudorum, per quos fiat inuestitura, in fine. Definitur ex lib.2.feud.tit.23. In qui-
1 bus causis feudum amittatur. Concessio, seu donatio rei immobilis (puta regni, prouinciæ, ciuitatis, pagi, arcis, agri, &c.) secundùm vtile dominium, pro fidelitate & obsequio personali, quod vasallus domino exhibere debet. Qua tamen definitione non comprehenditur feudum emptitium, seu quod pretio comparatum est; cùm neque propriè feudum sit, sicuti testatur Clarus q.16.

2 In plerisque conuenit feudum cum emphyteusi: Primò: Quia vtrumque constituitur in re immobili. Secundò: Sicuti in emphyteusi, ita & in feudo vsusfructus transfertur in vasallum, manente proprietate penes dominum sicuti habetur lib. 2. feudorum, In quibus causis feudum amittatur, prope finem. Tertiò: Vasallus, sicuti & emphyteuta, à domino inuestiri, siue in possessionem mitti debet; vel verè & corporaliter ipsum introducendo, vt acquirat ius in rem; vel per iuris fictionem, tradendo ei anulum, ensem, vt acquirat ius ad possessionem rei propria auctoritate capiendam, sicuti colligitur ex lib.2. feudorum, tit. 26. Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum & agnatos vasalli, §. si facta, & docet Clarus §. feudum, q.26. Quartò: Vasallus sine domini consensu feudum alienare non potest: alioquin cadit in commissum post alienati feudi traditionem, & alienatio irrita est, sicuti habetur lib. 2. tit. 52. De prohibita feudi alienatione per Fridericum, c. Imperialem, & docet Clarus q.31. Syl. ver. feudum, q.18.

3 Quin imò magis etiam prohibita est vasallo alienatio feudi, quàm emphyteutæ alienatio emphyteuseos: Siquidem vasallo concessum non est, absque domini consensu, quouis titulo oneroso, vel gratuito donationis, dotis filiæ datæ, &c. feudum alienare, aut in emphyteusin dare, aut oppignerare, sicut constat ex cit. constit. Friderici, & docet Gl. ibid. Syl. q.21. Ioach. Mynsing. cent.4. obser.86. Clarus q.31.35.36. Qui tamen in fine cit. q.33. notat, consuetudinem permittere, vt liceat vasallo, domino non requisito, pascua, & terras in cultas in tempus etiam longum locare, seu in emphyteusin dare, seruitutem in re feudali constituere, fructus & commoditatem rei feudalis alienare; imò etiam alium sibi vasallum subinfeudare, teste Gl. communiter recepta in c. quę in Ecclesiarum, ver. alienandi feudum, de constit. Claro q.32. Mynsingero cent. 1. obseruat. 62. Quæ omnia tamen sine domini præiudicio fieri debent: adeò, vt si feudum aliqua de causa ad dominum reuertatur, mox seruitus illa, vel ius conductoris, &c. extinguatur. Nam *dissoluto iure dantis: dissoluitur etiam ius accipientis*, l. lex vectigalis, ff. de pignoribus. Vide tit. 9. lib.2. feudorum. Item fieri debet subinfeudatio sine pręiudicio hæredum, vel agnatorum, si sit feudum antiquũ, vel paternum: quare eiusmodi concessio feudi vltra vitam concedentis fieri non potest, sicuti notat Mynsing. cit. loco. Denique vasallus feudum sibi acquisitum omnino refutare, siue à se abdicare non prohibetur; vt illi obueniat, cui de iure debet, videlicet filio, aut alteri proximo agnato suo; vel ipsimet domino, si feudum nouum sit. Nam refutatio, alienationis nomine non comprehenditur, sicuti docet Mynsing. cent. 6. obser. 23.

Ex dictis quæstio soluitur: Vtrum vasallus, cum domini consensu, vbi is requiritur, de feudo disponere possit, in præiudicium liberorum, vel agnatorum? Pro resolutione notandum; Duplex esse feudum; nouum, & antiquum. Feudum nouum dicitur, quod primò alicui acquisitum est, beneficio solius conferentis. Feudum antiquum est, quod ab ascendente, iure agnationis, ad alterum transmissum fuit. 4

Iterum diuiditur feudum in hæreditarium, *Erblehen*; & Gentilitium, siue ex pacto & prouidentia, *Stamlehen*. Feudum hęreditarium propriè illud dicitur, quod alicui simpliciter concessum est, pro se, & quibuscunque hæredibus. Feudum ex pacto, & prouidentia dicitur, quòd concessum est alicui pro se, & filiis suis: aut, quod idem est, pro se & liberis suis. Nam appellatione liberorum in materia feudali veniunt tantùm masculi: quippe qui soli, iure ordinario, feudi capaces sunt: neque censentur comprehensæ fœminæ, nisi specialis earum mentio fiat, sicuti habetur in lib.2. tit. 8. de successione feudi, in fine. Sed etsi feudum speciali pacto concessum alicui sit pro se, & hæredibus suis masculis, & fœminis; hæ tamen ad feudum non admittuntur, nisi in defectum masculorum, sicuti constat ex c. 1. §. filia, & §. quin etiam Episc. vel Abb. de success. feudi, & docet Mynsing. cent. 5. obser. 74.

His positis dico primò: De feudo nouo vasallus, cum 5
domini consensu, tam inter viuos, quam per vltimam voluntatem disponere potest, etiam non requisito consensu filij primogeniti, aut alterius proximi agnati, qui alioquin secundùm formam inuestituræ in feudo successurus esset. Ita ex communi docet Clarus quæst. 40. & 41. Andreas Gaill. lib.2. obseruat.49. Mynsing. cent. 4. obser. 84. in fine. Ratio est: Cùm enim in hoc feudo descendẽtibus, vel agnatis nondum ius acquisitum fuerit, ideo primus acquirens de eo, tanquam de re suà, cum domini consensu, pro arbitratu disponere potest. Excipe primò: Nisi feudum nouum concessum sit speciali fauore alicuius filij, in inuestitura nominati: tunc enim non potest ius successionis ipsi adimi. Et simile est, si alicui feudum concessum sit adiuncto speciali fauore fratris, qui ipsi defuncto in feudo succedat. Excipe secundò: Nisi feudum nouum alicui concessum fuerit, vt esset instar antiqui, auiti, proauiti, &c. tunc alienari non potest cum præiudicio filiorum, aut collateralium, qui ab eodem illo communi stipite, patre, auo, proauo descendunt, sicuti docet Andreas Gaill. lib.2. pract. obseruat.50. Mynsing. cent.4. obseruat.84.

Dico II. De feudo simpliciter, & propriè hæreditario 6

tam nouo, quàm antiquo, vasallus arbitratu suo inter viuos, & per vltimam voluntatem, neque requisito domini, aut proximorum agnatorum consensu, perinde ac de bonis propriis disponere potest. Ita ex communi docet Clarus q.41. Gaill. l. 2. obseruat. 154. Ratio est: Quia tale feudum, ratione primæ inuestituræ, ad quoscunque etiam extraneos deuolui potest, reseruata domino directo fidelitate, à feudi successore præstandà.

7 Dico III. De feudo antiquo, quod cum pacto & prouidentia ad hæredes, siue liberos descendentes, concessum fuit (sicuti feuda plerumque concedi solent) non potest vasallus, etiam cum domini consensu, disponere, nisi insuper renuntiatio proximi agnati accedat. Ita ex omnium sententia docent Ioach. Mynsing. cent. 4. obser. 85. Clarus cit. quæst 41. Andreas Gaill. lib. 2. obseruat. 49. & constat ex lib. 2. feudor. tit. 39. De alienat. paterni feudi. Ratio est: Quia agnatis ex pacto & prouidentia primi tum conferentis, tum acquirentis, ius acquisitum est; cui pactum, vel dispositio posterior obesse non debet. Nam primordium, siue originem cuiusque contractus inspiciendum esse, dicitur in l. vn. Cod. de imponenda lucratiua descriptione, lib. 10. ibi, Gloss. ver. primordium. Interim tamen non prohibetur vasallus de fructibus percipiendis ex feudo disponere, quoad vitam suam.

8 Corollarium I. Bona feudalia ex pacto & prouidentia, sicuti & emphyteutica, non veniunt in confiscatione bonorum; propter generalem regulam, apud Iulium Clarum lib. 5. sent. §. fin. q. 78. n. 7. Quòd in fiscum transeunt omnia bona delinquentis, quæ ad extraneos deuolui possunt: quæ autem ad extraneos deferri nequeunt, ea neque confiscari possunt.

Corollarium II. Bona eiusmodi feudalia (loquor de feudo antiquo ex pacto & prouidentia) omnino separata sunt ab hæreditariis: quamobrem filio in legitimam suam computari nequeunt. Deinde proximus agnatus etiam repudiata hæreditate in eiusmodi feudo succedere potest: quia in feudo antiquo ex prouidentia primo acquirenti iure agnationis, non iure hæreditatis succeditur, sicuti docent DD. in lib. 1. tit. 8. de success. feudi. Clarus q. 9. & 76. Ioach. Mynsing. cent. 3. obseruat. 67. & cent. 4. obser. 2. Couar. 1. resol. c. 18. n. 4. Eadémque ratio est de emphyteusi, si alicui concessa sit pro se, & filijs suis, non exprimendo, quòd debeant esse hæredes, sicuti notat idem Couar. cit. c. 18. concl. 5. Syl. ver. emphyteusis, q. 19. Gaill. cit. obser. 154. n. 17. Quin imò, tametsi filius, vel agnatus hæreditatem defuncti adijt; beneficio tamen inuentarij consequitur, vt vltra vires hæreditatis creditoribus non obligetur; & feudum nihilominus retinere possit, quippe quod ab hæreditate, vt dixi, separatum est: & à defuncto in præiudicium agnatorum alienari, aut obligari non potuit. Neque enim in generali bonorum obligatione, aut hypotheca veniunt bona feudalia, sicut copiosè docet Andr. Gaill. l. 2. obser. 154. Excipiuntur tamen fructus eius anni, quo vasallus moritur: hi enim creditoribus debentur: sicuti etiam viuente vasallo debitore, in causam iudicati executio in fructibus fieri potest: salua semper manente substantia, & iure feudi. Quod idem etiam in Ecclesiastico beneficio debitoris clerici locum habet. qua de re Andreas Gaill. l. 1. obser. 117. Vide quæ dicam lib. seq. tr. 2. c. 3. n. 10.

Corollarium III. Qui iuramento renunciauit hæreditati paternæ, is nihilominus in feudo patri succedere potest: secùs, si omnibus bonis paternis renunciauit, sicuti docet Mynsing. cent. 6. obser. 66.

Denique conuenit feudum cum emphyteusi, quòd illo finito, sine dolo & culpa vasalli, meliorationes ad ipsum spectent: quare pati debet dominus, vt ea tollatur, nisi pretium vel æstimationem soluere malit, sicuti habetur lib. 2. feud. tit. 28. & docet Clarus lib. 4. sent. §. feudum, q. 88.

Porrò ab emphyteusi feudum differt primò: In Emphyteusi annua realis pensio soluitur; in feudo autem plerumque personalis tantùm obligatio est honorem, ac reuerentiam domino præstandi, eum adiuuandi, defendendi contra omnes, modo licito. De quo vide lib. 2. feudorum tit. 6. & 7. de forma fidelitatis, Syl. ver. feudum, q. 12. Clarum q. 21. Eapropter, feudum magis ad naturam donationis ac beneficij accedit; emphyteusis verò ad naturam locationis, & contractus onerosi. 9

Secundò: Vasallus non tantum qui primò inuestitur, dictæ fidelitatis iuramentum domino suo præstare debet; sed etiam filius, aliúsue successor, intra annum & diem, inuestituræ renouationem, præstito iuramento, petere cogitur; nisi iusta causa excuset: quia iustè impedito tempus lege constitutum non currit. qua de re videri potest Ioach. Mynsing. cent. 6. obser. 9. Iterum verò, si dominus moriatur, vasallus, intra diem & annum, ab hærede, alióue successore illius, inuestituram petere, & fidelitatem iurare cogitur: alioquin feudo priuatur; saltem per Iudicis sententiam. Habetur in l. 2. feudorum, c. 24. Quæ fuit prima causa amittendi feudi, & apud Clarum q. 49. In quibusdam etiam feudis consuetudo obtinet, vt vasallus in re cognitionem dominij directi, realem pensionem præstet; non tantùm cùm nouus vasallus inuestitur, *im anfall*; sed etiam cùm mortuo domino, alius eidem succedit, *im verrenfall*. In quo discrepat ab emphyteuta, qui laudemium semel tantùm, cùm inuestitur, pendere cogitur.

Tertiò: In emphyteusi etiam fœminæ succedere possunt, communi iure, & consuetudine. In feudo autem succedunt descendentes masculi tantùm, vt suprà dictum. Deficiente verò linea descendente, succedunt agnati laterales, non tantùm vsque ad gradum septimum; sed in infinitum, sicuti colligitur ex lib. 2. feud. tit. 50. De natura successionis feudi, & tanquam probabilius docet Clarus, quæst. 79. Gaill. lib. 2. obseruat. 150. Ratio est, quia in feudo non succedunt agnati tanquam collaterales defuncti; sed potiùs tanquam descendentes in linea recta à primo acquirente, communi ipsorum stipite. Quare regula feudalis est, quòd *vltimus agnatus primi acquirentis successor est, etiamsi feudum per mille manus transierit.* 10

Quartò: Emphyteuseos capaces etiam sunt Clerici, & loco Monachi Monasterium; ita tamen vt paulò pòst vendatur; vel prouideatur domino de laudemij solutione, ne dominij directi conditio per translationem in Monasterium deterior fiat. qua de re egi cap. præced. q. 2. Clarus §. emphyteusis, q. 22. Syl. q. 20. Less. lib. 2. c. 41. dub. 10. n. 84. Feudi autem dictæ personæ capaces non sunt, sicuti habetur lib. 2. feud. tit. 26. Si de feudo defuncti contentio fiat inter dominum, & agnatos vasalli. *Qui clericus efficitur, aut votum religionis assumit, hoc ipso feudum amittit.* Cuius rei ratio affertur eod. lib. 2. tit. 21. *Eò quòd desijt esse miles seculi, qui factus est miles Christi: nec beneficium pertinet ad eum, qui non potest gerere officium.* Sed limitari debet primò: Nisi sint Clerici tantùm in minoribus ordinibus constituti, non beneficiati: nam hos perinde ac laicos, ad feudum habiles esse, ex communi testatur Clarus q. 78. Secundò: Si feudum ex prima institutione, & voluntate conferentis, Ecclesiasticæ dignitati annexum sit, iuxta lib. 2. feud. tit. 40. De capitulis Conradi, §. vlt. &c. ex transmissa, c. verùm, de foro compet. quomodo Germaniæ nostræ Episcopi, Abbates, aliæque Ecclesiasticæ personæ passim feuda maiora, & Imperialia, annexa dignitati suæ, possident, sicuti notauit Fachin. lib. 7. controu. c. 35. in fine. Tertiò: Si feudum Francum,

ſeu liberum ſit ab obſequio; aut ſecundùm aliquos, ſi conditio feudi, locìue conſuetudo permittat, vt obſequium, quod ratione feudi debetur, per aliam perſonam præſtari poſſit: Item ſi tale feudum ſit, ex quo ſeruitium non perſonale, ſed reale, puta penſio pecuniaria præſtanda eſt. Tunc enim ceſſat ratio, quæ affertur lib. 2. tit. 36. An mutus, vel alias imperfectus, &c. Cur clericus, fœminæ, & ſimiles perſonæ feudum retinere non poſſint, *quia ſeruire non valent*. & ita docet Nau. com. 2. de Regul. n. 55. Fachin. lo. cit. Sanchez lib. 7. moral. c. 15. q. 3. Mynſing. cent. 5. obſer. 48. Veruntamen in quibus penſio realis penditur non propriè feuda ſunt, ſed multùm ad naturam emphyteuſeos accedunt, teſte Syluest. ver. feudum, quæſt. 8.

11 Quintò; A ſucceſſione feudi excluduntur filij naturales, & illegitimi omnes, quamuis per Principis reſcriptum legitimati ſint; niſi expreſſa mentio fiat, quòd etiam feudi capaces eſſe debeant. Legitimati tamen per ſubſequens matrimonium admittuntur. qua de re Clarus q. 82. & Doctores in lib. 2. feudorum, cap. 26. §. naturales filij. At verò in emphyteuſi etiam naturales liberi ſuccedere poſſunt; niſi ſit Eccleſiaſtica, à qua illegitimi omnes excluduntur, teſte Claro ver. emphyteuſis, q. 30. 31. Sa eod. ver. num. 4. Mol. diſp. 475. quem lege.

12 Denique beneficium feudi à vaſallo aufertur ob magnæ ingratitudinis cauſam: cuiuſmodi plures ſpeciales in libris feudorum enumerantur; videlicet, ſi mortuo domino vaſallus, intra annum & diem, hæredem, vel ſucceſſorem illius non adierit, vt fidelitatem polliceatur, & inueſtituram petat: ſimiliter, ſi hæres, vel ſucceſſor vaſalli intra idem tempus, dominum, cauſa inueſtituræ petendæ, non acceſſerit per ſe, vel per procuratorem ſi vaſallus dominum ſuum, quem ad prælium euntem comitatus erat, in acie periclitantem dimiſerit: ſi intellecto, domino ſuo inſidias parari, eum de hac re certiorem non fecerit; vel ſi contra dominum inimicis eius ſe ſociauerit: item ſi delator domini ſui extiterit, & graue diſpendium eum ſuſtinere fecerit: ſi eum per vim aggreſſus fuerit, impias manus in eum, aliáſue graues iniurias intulerit, aut vitæ eius inſidiatus ſit. Si vxori, filiæ, nurui, ſorori, in domo ſui domini adhuc manenti ſe immiſcuerit; ſi feudum, vel feudi partem, eiúſue aliquam conditionem falsè inficiatus fuerit. Denique iuſtiſſima cauſa feudi amittendi eſt ſi obſequia, ſiue ſeruitia, ob quæ beneficium ei datum fuit, præſtare recuſauerit: Niſi fortè ideo non ſeruierit, quia non potuerit: tunc enim feudum non amittit. Habentur hæc lib. 1. feudor. tit. 5. & lib. 2. feud. tit. 24. & 26. Quòd verò ad feudi priuationem Iudicis ſententia requiratur, ex communi docet Clarus q. 62.

Porrò, vtrum feudum amiſſum culpa vaſalli, domino, an agnatis deferatur, habetur in cit. tit. 24. §. denique. *Si vaſallus ita in dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat* (puta propter ingratitudinem) *non ad proximos, ſed ad dominum reuertatur; vt hanc ſaltem habeat ſuæ iniuriæ vltionem. Si verò non in dominum, ſed alias grauiter deliquerit; ſicuti ille, qui fratrem ſuum interfecit, vel aliud graue crimen, quod parricidij appellatione continetur, commiſerit* (eo modo, ſicuti dicitur in tit. 36. lib. 2. feudor.) *feudum amittit: & non ad dominum, ſed ad proximos* agnatos (non filium, iuxta tit. 31. eod. lib. 2.) *pertinet; ſi beneficium fuerit paternum*, id eſt, patri primitus acquiſitum feudum: tunc enim delictum patris nocet filio in feudo perdendo: ſecùs eſt, ſi feudum à genere vlteriore deſcendit; tunc enim priuato patre, propter delictum, v. g. fratricidij, filius delinquentis ſuccedit in feudo, excluſis collateralibus, ſicuti docet Abb. in c. 2. n. 9. de feudis: quamuis in his non vna DD. omnium opinio ſit, ſicuti videre licet apud Clarum q. 66. n. 3.

Quòd ſi inter vaſallum, vel agnatos eius, & dominum controuerſia ſit ſuper feudo, iudicare debent Pares curiæ. Exceptis caſibus; quos videre licet apud Mynſing. cent. 6. obſeru. 19. Sin verò inter vaſallos ipſos ſuper feudo, aut re feudali controuerſia exiſtat, dominus eſt iudex competens. hæc habentur in lib. 2. tit. 55. de prohibita feudi alienatione per Fridericum, & videri poteſt Clarus cit. quæſt. 66.

CAP. XXV.

De Depoſito.

SVMMARIVM.

1 *In depoſito dolus, non culpa, niſi quæ ſecundùm præſumptionem dolo æquiparatur; præſtanda venit.*

2 *Contractus depoſiti magnam fidem requirit.*

3 *Depoſitarius abſque conſenſu domini, expreſſo, aut tacito, re depoſita vti prohibetur.*

4 *Cæſareo iure prohibitum eſt, ne pecuniæ publicæ titulo mutui, alteriuſve contractus exponantur. Fortaſſe tamen Officialis à culpa mortali excuſari poteſt, ſi in aliquo caſu certum ſit, nec magiſtratui, nec ſubditis vllum ea re damnum inferri, aut lucrum decedere.*

5 *Depoſitarij poſſunt eſſe omnes, qui iudicij diſcretionem habent.*

6 *Eccleſia, vel Monaſterium non tenetur, ſi depoſitum dolo, aut culpa lata Clerici, vel Religioſi amiſſa fuerit: niſi Capitulum conſenſerit in depoſiti ſuſceptionem.*

7 *Sequeſtrum ſpecies quædam depoſiti eſt; eáque duplex, voluntaria, ac neceſſaria.*

Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt: dictum ex eo, quòd ponitur. Præpoſitio autem de *auget depoſitum, vt oſtendat totum fidei eius commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet.* Sunt verba Vlpian. in l. 1. ff. depoſiti.

Depoſitarius de dolo tantùm tenetur, l. 1. §. ſi quis ſeruum, ff. eod. Non autem de culpa ciuili, niſi craſſa ſit, vt ſecundùm præſumptionem dolo æquiparetur. videl. ſi in rebus ſuis curandis diligens, in depoſito negligens ſit, l. quod Nerua, ff. eod. c. 2. extrà, eod. Porrò de dolo adeò tenetur depoſitarius, vt cōueniri non poſſit, ne dolus præſtetur: quia talis cōuentio contra bonam fidem, bonoſque mores exiſtens, peccandi licentiam tribuit, ſicuti habetur in cit. l. 1. §. ſi conuenit, & ſeq. Cæterùm, poſtquam dolus admiſſus fuit, rectè conueniri poterit, ne quicquam exigatur. Præterea in tribus caſibus de culpa tenetur depoſitarius: I. Si ita conuentum ſit: nam contractus ex conuentione legem accipiunt. II. Si aliquis depoſito ſeipſum obtulit: quia maiorem præ aliis cuſtodiendi curam promittere videtur. III. Si is, apud quem res deponitur, mercedem accipiat; ſiue pro cura & cuſtodia, ſiue quòd rem elaborare debeat, v. g. ſartor veſtem ſarciendo, aurifex aurum elaborando: tranſit enim tunc contractus in locationem, ſicuti habetur in l. 1. § ſi veſtimenta, ff. depoſiti. Vide c. 2. de depoſito, Abbat. ibidem, Angelum ver. depoſitum, §. 4. Gabr. in 4. d. 15. q. 10. dub. 9. His adde, ſi depoſitarius in culpabili mora reſtituendi fuerit: & res poſtea, quamuis caſu fortuito, pereat, aliàs quin non peritura, ſi ſuo tempore reſtituta fuiſſet; depoſitario imputandum eſſe, iuxta cit. c. 2. de depoſito.

Illud verò peculiariter ſtatutum eſt in tit. ff. Nautæ, caupones, &c. ad arcendas improborum hominum fraudes; vt caupo, nauta, & ſtabularius de damno, qualicunque eorum culpa, etiam leuiſſima, in rebus cuſtodiæ ſuæ cōmiſſis eueniente, teneantur: niſi prædixerint, vt vnuſquiſque deponentium res ſuas ipſemet cuſtodiat, ſe damnum non præſtaturos: tunc enim non tenebuntur, niſi de dolo. Exiſtimant tamen non improbabiliter Syl. ver. Nauta, q. 1. Sa ver. ſtabularius, n. 3. Rebel. p. 2. l. 14. q. 10. n. 11. ante Iudicis ſententiam, non obligari eiuſ-

modi homines in conscientiæ foro ad culpam leuissimam præstandam. Cùm enim contractus in vtriusque commodum cedat, quando mercedem aliquam accipiunt; satis esse videtur, si culpam leuem præstare cogantur: quare quòd leges exactiorem diligentiam ab eis exigant, id vel in fraudis præsumptione fundatur; vel pœnale & odiosum est eiusmodi hominibus; ideóque ante Iudicis sententiam non obligat.

Quædam addenda sunt: Primum. Vt is, apud quem res deponitur, obligationem contrahat, necesse est, vt eius curam siue custodiam suscipiat conuentione vel expressa; vel saltem tacita: nam cùm aliquis ratione officij, vel conditionis suæ rerum depositarum custodiam profitetur; vt caupo, nauta, stabularius, sufficit, eo vidente, ac tacente, res in domum eius deponi, sicuti præter alios docet Mol. disp. 527. Rebellus, & Sall. cc. vbi rectè etiam notant, si cista v.g. deposita fuerit, & qui deposuit, queratur, aliquid ex ea amissum esse, ipsi incumbere obligationem probandi, talem rem in cista fuisse.

2 Secundum. In contractu depositi adeò fides seruanda est, vt etiam furi, vel prædoni, rem furtiuam, apud te depositam, repetenti, restituere debeas, sicuti habetur cit. l. 1. §. si prædo. Excipe: Nisi dominus vnà cum fure repetat, sicuti docet Gl. in c. 2. de deposito, ver. contra. Vel si furi, sine domini detrimento, restitui non possit; tunc æquitas postulat, vt domino potiùs restituatur, quippe maius ius habenti, sicuti habetur in l. bona fides, ff. eodem. Vide quæ dixi hoc libro tract. 2 c. 9. num. 5.

3 Tertium. Si depositarius re deposita sine expressa, vel præsumpta domini licentia vtatur, eámve alienet, furtum committere censetur, sicuti habetur l. 3. Cod. eod. Instit. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur, §. furtum. Sin verò dominus pecuniam numeratam, non clausam, nec obsignatam, alterius custodiæ committat, censetur ipsi mutuò dare, potestatémque facere alienandi, eâ negotiandi, arg. l. si sacculum, ff. depositi; vt proinde ex eo tempore, quo mutui, aut quasi mutui contractus interuenisse censetur, dominium, ideóque etiam periculum rei ad depositarium spectet. Idémque dicendum videtur de aliis rebus vsu consumptibilibus, v.g. frumento, oleo, vt saltem grauis peccati condemnandus non sit depositarius, si ea alienet; modò certus sit, se tantundem eiusdem generis, ac bonitatis præstò habiturum, cùm dominus repetiuerit: tunc enim alienatio in nullum eius damnum, sed potiùs commodum cedit: quandoquidem, si res deposita apud depositarium manens, casu, vel sine dolo eius perijsset, deponentis id damno accidisset, sicuti notauit Molin. disput. 524. Less. dub. 3. n. 8.

4 Sed quid in hoc casu sentiendum de Thesaurariis, Camerariis, Telonariis, Eleemosynariis Principum; vel Communitatum? Respondeo & dico I. Iure Cæsareo prohibitum est; ne pecuniæ publicæ titulo mutui, alteriúsve contractus exponantur, vel accipiantur. Ita habetur in l. 1. Cod. de his, qui ex publicis rationibus, &c. lib. 10. & l. 1. & 2. Cod. de his quæ ex publica collat. eodem lib. Pendet tamen id ex voluntate Magistratus, qui si expresè, vel tacitè consentiat, vt pecuniæ ab Officialibus ad lucrum exponantur; idque quasi in partem stipendij computetur, nulla culpa timenda est; dummodo id fiat sine damno subditorum, aliorúmve, quibus statis temporibus pecuniæ distribuendæ erunt. Et ita docet Syluest. ver. restitutio, 3. q. 5. dicto 9. Nau. c. 23. num. 94. Rebellus p. 2. lib. 16. vbi de deposito, q. vn. num. 20.

Dico II. Tametsi Magistratus prohibeat (sicuti & communi Cæsareo iure prohibitum esse dixi) ne frumentum ex horreo sine eius iussu extrahatur; ne pecuniæ publicæ in mutuum, censum, cambium, &c. aliis tradantur; si tamen certum sit, neque ipsum Magistratum, neque alios vllum exinde damnum accepturos; quia tam industrius est Officialis, vt constitutis temporibus frumenta, aut pecunias æquè bonas in promptu habeat; probabile est, non posse culpæ mortalis damnari. Ita significant S. Anton. p. 2. tit. 1. cap. 15. §. 5. Syluest. & Nauar. ll. cc. & expresè docet Rebellus loco citato. Si enim esset peccatum mortale, id foret aduersus iustitiam: grauitas autem peccati contra iustitiam æstimatur ex damno, quod in proposito aut nullum, aut exiguum est.

Dico III. Certum esse debet, quòd in tali casu lucrum ex negotiatione, cambio, censu, &c. non ad Magistratum, sed ad Officialem ipsum pertineat; modò is proprio nomine, ac periculo pecunias exposuerit. Ita habetur in l. idémque, §. si mandauero, ff. mandati, & docent Anton. Syluest. Rebell. ll. cc. Molin. tom. 2. disput. 402. conclus. 1. Quia hoc lucrum non est rei, siue pecuniæ, sed industriæ, quam Officialis adhibet, sicuti constat ex iis, quæ dixi suprà cap. 19. num. 5.

Alia verò ratio est, si Officialis expressum, vel tacitum mandatum habeat, pecunias ad cambium, censum, societatem exponendi: Quin etiamsi dominus nihil de lucro acquirendo mandauit; si tamen Procurator, aliúsve Officialis pecuniam cum domini periculo exposuit, æquum est, vt eiusdem etiam lucrum sit, cuius & damnum foret, sicuti habetur in cit. §. si mandauero, & l. ex mandato, ff. eod.

Alia item ratio est, si domino propter Officialis negotiationem, sine consensu eius factam, lucrum cesset, vel damnum emergat: id enim integre resarciendum est. Et verò, cùm plerumque negotiationes eiusmodi ab Officialibus in Principis aut Communitatis damnum cedant, ideo quibusdam locis, si deprehendantur, grauiter puniri, & officio amoueri solent. Nos autem solùm hic dicimus, si certum sit in aliquo casu nullum omnino damnum domino euenturum, & scandalum cesset, Officialem negotiantem in conscientiæ foro à mortali culpa excusari probabiliter posse.

Depositum suscipere, seu depositarij esse possunt 5 omnes, qui iudicium rationis habent, tum mas, tum fœmina, l. Publia, ff. depositi. Cæterùm si pupillus sine tutoris auctoritate depositum suscepit, licet res repeti seu vindicari possit; si tamen periit, non ampliùs obligatur pupillus, quàm inde locupletior factus est; præterquam si, cùm pubertati proximus esset, dolum commisit, l. 1. §. an in pupillum, ff. depositi.

Quòd etiam Clericus depositarius esse possit, habe- 6 tur in cap. 1. de deposito. Idémque de Religioso sentiendum: quamuis is malè faciat, inquit Molina tom. 2. disput. 525. si sine consensu Prælati, saltem rationabiliter præsumpto, munus depositarij suscipiat. Veruntamen Ecclesia, aut Monasterium nequaquam tenebitur, si res deposita etiam dolo beneficiati, aut Religiosi periit, vel absumpta fuit: nisi quatenus in vtilitatem Ecclesiæ, vel Monasterij aliquid versum fuerit, cit. cap. 1. Quod etiam dicendum est, si res deposita fuit apud Prælatum: quia delictum personæ non debet redundare in detrimentum Ecclesiæ regul. 76. in 6. & obseruauit Less. lib. 2. cap. 27. num. 12. Sin verò ipsa Ecclesia, seu Monasterium depositum suscepit, videlicet Prælatus cum consensu Capituli, tunc obligabitur sicuti alij depositarij, vt colligitur ex cit. cap. 1. Nisi quòd restitutionem in integrum petere possit, non quidem si dolo rem destruxit, aut perdidit: sed per culpam latam, si ea secundùm iuris præsumptionem dolo æquiparata, & ita contra Ecclesiam, vel Monasterium sententia lata, vel executio facta sit. quomodo intelligo Sanchez lib. 6. moral. cap. 14. num. 36. Cùm autem in Societate Iesu Rectores, & Præpositi locorum negotia non peragant cum Capituli consensu; ideo prohibitum illis est, ne deposita, præsertim pecuniaria, suscipiant, regula Præ-

Præpositi Domus professæ 69. & regula Rectoris 64.

7 Depositi species quædam est sequestrum. Nam sequester dicitur, apud quem plures eandem rem, de qua controuersia est, deposuerunt, l. sequester, ff. de verborum significat. & consentit l. propriè, ff. depositi. Definitur autem hoc loco sequestratio voluntaria, seu quæ partium consensu fit: cuius ea natura est, vt dum apud sequestrum res deposita manet, nisi aliter conuentum fuerit, neuter possidere censeatur; quia ei postea à sequestro tradenda erit, qui post causæ cognitionem superasse censebitur, l. licet, §. rei depositæ, ff. depositi, & notat Gloss. in cap. 1. de sequestrat. possess. ver. sequestrari. Ex eóque colligit Abb. in cap. exhibita, num. 15. de iudiciis; si ius patronatus sequestratum sit, interim præsentationem admittendam non esse: sicuti neque fructus ex re sequestrata permittuntur parti litiganti; cùm victori reseruari debeant. Sin verò pars vna commoda possessionum habuerat, ea per sequestrationem amittere non debet, vti notauit Baldus in cit. cap. 1. Prçter hanc porrò alia est sequestratio necessaria, quæ à Iudice fieri potest certis casibus, quos numerat Gloss. vn. C. de prohib. sequestrat. videl. si periculum sit, ne res pereat, per fugam, per absumptionem, per dilapidationem: item si maritus ad inopiam vergat, ipsius bona pro dote sequestrari possunt, l. si cum dotem, §. si verò, ff. solutro matrim.

CAP. XXVI.

De Mandato, Procuratore, Syndico.

SVMMARIVM.

1 *Mandatum gratuitum esse debet: sin autem merces interueniat, in locationem transit.*
2 *Fines mandati diligenter seruandi sunt.*
Qui iussit mercem suam decem v.g. aureis vendi, is voluisse censetur, vt, si fieri possit, etiam pluris venundaretur.
3 *Nemini officium suum damnosum esse debet.*
4 *Rei turpis nullum est mandatum.*
5 *Mandatum generale non extendit se ad ea, quæ speciale mandatum exigunt.*
6 *Mandatum expirat I. Per reuocationem, si res integra sit. II. Per renuntiationem, si ea tempestiuè fiat. III. Per mortem mandantis, re integra. IV. Per mortem mandatarij.*
7 *Procurator alius est generalis, & alius specialis: item alius est procurator ad lites, & alius ad negotia.*
8 *Procurator ad lites differt ab aduocato.*
9 *Procurator nemo esse cogitur: sed aduocatus ad defendendas personas miserabiles à Iudice compelli potest.*
10 *Irritum est pactum, quod vocant de quota litis obtentæ, soluenda aduocata.*
11 *Clericus in sacris, & beneficiatus in causa ciuili, si aliena sit, procurator, vel aduocatus esse non potest: potest autem esse aduocatus in causis Ecclesiasticis, vel coram Iudice Ecclesiastico.*
12 *Religiosis munus aduocati omnino prohibetur, præterquam in causis sui Monasterij.*
13 *Syndicus dicitur procurator alicuius Communitatis.*
14 *Procurator, vel mandatarius interdum sibi ipsi actionem, obligationemque accipit; interdum verò domino suo, seu principali.*

1 Mandatum est *officium, ab eo qui gratis suscepit, exequendum*, sicuti definit Accursius in annot. ad principium tit. ff. Mandati. Nam, vt dicitur in l. 1. ff. eod. *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est: nam originem ex officio, & amicitia trahit: contrarium autem est officio merces:* quare *interueniente pecunia ad locationem, & conductionem potiùs spectat.* Est enim hoc commune omni contractui, vt si conditio addatur contra naturam eius, faciat eum transire in aliam speciem, quatenus id possibile est, ait Abb. in c. vn. n. 10. de commodato. Etsi verò, si purum mandatum fuerit, nec expressa, nec tacita facta promissione mercedis aut salarij mandans post præstitum officium ex gratitudine obligatus maneat ad remunerandum; tamen id strictè debitum non est: quare neque occultæ compensationi in hoc casu locus esse potest, vti notat Mol. disp. 548. Veruntamen Procuratori, sicuti & Aduocato, quos constat laborem suum graatis non præstare, si certum salarium constitutum non fuit, ad Iudicis officium pertinebit salarium iustum designare. qua de re Gl. in l. salarium, ff. mandati, & l. 1. C. eod.

Inter mandantem, & mandatarium conuentio interuenire debet, saltem tacita: nam si videas in tui gratiam, aliquid à me fieri, v. g. fideiuberi; neque prohibeas, tacitè mandare censeris, sicuti habetur in l. si remunerandi, §. passus sim, ff. eod. Ex hac conuentione obligatio reciproca oritur; videlicet ex parte mandatum fideliter, & integre exequatur: alioquin existimationis ac famæ periculum sustinebit, si de dolo conuictus & damnatus fuerit, iuxta l. in re mandata, C. eod. iunct. Gl. ver. existimationis. Ex culpa verò, nisi lata, obligari non videtur, si mandati executio gratis fiat, sicuti docet Gl. in cit. l. in re mandata, verb. exacto, & colligitur ex l. si procuratorem, §. dolo, ff. eodem, & l. contractus, ff. de regulis iuris.

Contrà verò, mandans ratum habere debet, quod nomine eius à mandatario gestum est: præterquam si fines mandati excessit, non seruando modum & formam mandati, quæ speciatim præscripta ipsi fuerat: nam gesta contra, vel præter formam mandati, irrita sunt, sicuti habetur in l. *diligenter fines mandati custodiendi sunt*, ff. eod. l. cùm mandati, C. eod. & docet Syluest. ver. mandatum, q 7. Abb. in c. vlt. §. is autem, n. 6. de offic. deleg. Exempli causa: Si à me iussus equum vendere aureis 100. vendidisti 90. aut iussus emere 100. emisti 110. non cogor venditionem ratam habere. Sin autem pluris à te res vendita fuerit; vel minoris empta, quàm mandaueram; non censeberis fines mandati transgressus: quandoquidem qui mandauerat, centum aureis sibi equum emi; aut centum aureis vendi: is mandasse intelligitur, vt, si fieri possit, etiam minoris emeretur, vel pluris venderetur: iuxta §. is qui, Instit. de mandato, & l. diligenter, ff. mandati. Quapropter, nisi dominus contentus esse videatur, vt mandatarius vel famulus sibi retineat illud, quantò minoris emptum, vel quantò pluris venditum ab ipso fuerit; domino restituendum erit. 2

Præterea, mandans mandatarium indemnem seruare debet: vt omnes expensas, quas ille fecit, restituat, iuxta cap. cùm pro causa, de Procuratoribus: Quin etiam fortuitum damnum, quod occasione mandati passus est, vt si ab hostibus spoliatus fuit: eidem resarcire debet: ne ipsi officium suum damno sit, sicuti docet Syluest. quæst. 6. Molin. disput. 549. Etsi contrarium dicat Abbas in cap. cùm pro causa, de Procurat. propter l. inter causas, §. non omnia, ff. mandati. qui tamen §. procedit secundùm ius strictum: non secundùm æquitatem, quæ & obseruari debet. Excipe: Nisi merces, vel salarium interueniat: quamobrem famuli, & milites stipendiarij, si quid in profectione ad locum destinatum fortè amittant, puta pecuniam, ensem: à dominis exigere non possunt, sicuti rectè docet idem Abb. c. sicut, n. 17. de iureiur.

Denique, vt obligatio & actio mandati oritur, debet esse de re honesta, licita: nam *rei turpis nullum mandatum est*, l. si remunerandi, §. si passus, ff. mandati, & §. illud quoque, Instit. eodem. Cùm talis ob delictum potiùs pœnam mereatur. Notant tamen Gomez 3. resolut. cap. 3. num. 42. Molin. tract. 3. disput. 33. memb. 3. num. 8. in externo foro à pœna excusari personas alte- 4

rius potestati subditas, si eius mandato leuia delicta commiserint, v.g. furtum exiguum. Secùs autem esse in delictis grauibus, v.g. furto notabili, aut homicidio: quamuis & in his interdum mitior pœna mandatario decernitur, si spectatis personarum circumstantiis, propter metum aliqualis obediendi necessitas fuerat.

5 Mandatum aliud generale est, & aliud speciale. Qui generale mandatum habet alicuius negotia exequendi, quidquid egerit, id dominus ratum habere cogitur: nam mandatum generale ad omnia (præterquam ad illicita) perinde se extendit, sicut speciale ad quædam, ait Syluest. ver. mandatum, quæst. 2. iis exceptis, quæ speciale mandatum exigunt: qualia sunt facere alienationem, transactionem, oppignerationem, aduersario iuramentum deferre: talia enim generali demandatione comprehensa non censentur, sicuti habetur cap. 4. & 5. de Procurat. in 6. Quæ tamen exceptio iterum limitatur, nisi generale mandatum fiat cum *potestate plena, ac libera*: nam tale mandatum æquiparatur speciali; præterquam quòd donari non possit, nisi id exprimatur, sicuti docent Legistæ l. Procurator, §. si generaliter, ff. de Procurator. Garcias de beneficiis p. 5. cap. 8. num. 72. Abb. in cap. petitio, num. 2. de Procurator. Molina tom. 1. tractat. 2. disput. 30. §. de Procuratore. Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 73. vbi ait; Syndicos & administratores ciuitatum alienare, & transigere posse; quia generale mandatum cum libera à lege habent.

Huc etiam spectat doctrina Bartoli in l. Lucius, ff. de fideiussor. Quòd literæ *credentiæ*, in quibus generatim continetur, vt offerenti eas plena fides habeatur, non obligent scribentem: secùs verò, si fides literis habenda magis specificata sit; v. g. *latori huic plenè à me informato habebis omnem fidem*: vel *fidem ei habebis in omnibus, meo periculo*.

6 Mandatum expirat primò: Si à mandante reuocatur, re integra, id est, negotio nondum cœpto, vti habetur in §. rectè, Institut. de mandato, vbi Gloss. ait verb. item si adhuc; Tunc rem integram censeri, cùm nondum cœpit mandatarij interesse, argum. l. si Procuratorem, §. mandati, ff. mandati. Sin verò negotium cœptum fuerit, atque intersit mandatarij, vt ad finem perducatur, reuocari non potest à mandante, nisi paratus sit restituere, quod illius interest. Addit verò Abbas in cap. ex parte, 33. num. 12. de rescript. Si mandatarius, vel procurator habuit mandatum contrahendi cum certa persona, reuocationem significandam esse contrahenti: secùs, si mandatum habuit indifferenter. tunc enim satis est reuocationem significari mandatario seu procuratori: qui verò postea cum eo contrahit, ipsum solum obligatum habebit.

Secundò; Si mandatarius, dum res adhuc integra est, tempestiuè renuntiet, vt res per alium expediri possit, sicuti habetur in cit. tit. Institut. de mandato: *Mandatum suscipere cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut quamprimum renuntiandum: nam, nisi ita renuntietur, vt integra causa mandatori reseruetur eandem rem explicandi, nihilominus mandari actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit, aut non renuntiandi, aut intempestiuè renuntiandi*. Consentit l. si mandauero, §. vlt. ff. eod.

Tertiò; Mandatum plerumque expirat morte mandantis, si res adhuc integra sit, cit. §. rectè, & l. mandatum, Cod. mandati. Dixi *plerumque*; quia aliqui casus excipiuntur; videlicet si tibi mandatum fuerat, vt puellæ dotem traderes, exequi debes, etiam post mortem mandantis, ob specialem dotis fauorem, sicuti colligitur ex l. si ego, ff. de iure dotium. Item in l. si pater, ff. de manumissis vindicta, decernitur, mandatum de libertate danda mandatoris morte non expirare. Quare idem quoque de mandato ad pias causas existimandum esse, ex communi docet Couar. 3. resolut. cap. 14. num. 16. Molin. tom. 2. disput. 263. vbi rectè resoluit; Si aliquis pecuniam v.g. Eleemosynario dedisset pauperibus tradendam, morte mandantis non expirare mandatum: quare pauperibus, non hæredi pecuniam debitam fore. Nam spectato solo iure naturali, & seclusa subtilitate iuris ciuilis, tacitam mandati reuocationem inuehentis per mortem mandantis; dicendum potiùs est, mandatum executioni mandandum esse secundùm voluntatem defuncti, in qua ipse vsque ad mortem perseuerauit: cùm nihil tam naturali æquitati conueniat, quàm voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis, ratam haberi, §. traditionem, Instit. de rerum diuis. & hæredem facto, ac voluntati defuncti non repugnare: Ergo ita seruandum erit in causis piis, vtpote Ecclesiasticis, quibus ciuilis constitutio nihil præiudicij afferre potest.

Præterea, si mandatarius, ignorata morte, vel reuocatione mandantis, mandatum bona fide executus fuerit, competit ei nihilominus actio mandati: ne iusta & probabilis ignorantia ipsi damnum adferat, sicuti dicitur §. item si adhuc, Instit. eod.

Denique finitur mandatum morte mandatarij, præsertim si res integra sit, cit. §. item si adhuc. Interdum verò, etiamsi negotium cœptum fuerit, reuocabitur mandatum, si personæ industria specialiter electa erat.

Procurator est, inquit Vlpianus in l. 1. ff. de Procuratoribus, *qui aliena negotia mandata domini administrat*. Et infrà: *Vsus autem procuratoris per quam necessarius est: vt qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt; per alios possint, vel agere, vel conueniri*. Ex quo apparet, quòd procuratoris officium species quædam mandati sit.

Est autem alius procurator specialis ad vnam, vel 7 plures res speciatim datus; alius verò generalis, sicuti docent Doctores in l. procurator cui ff. mandati. Quamobrem procurator, sicuti & quiuis alius mandatarius, aut delegatus, literas, & formam sui mandati, vel commissionis exhibere cogitur; neque eius potestas se vlteriùs extendere censetur, quàm in literis expressum est, sicuti colligitur ex cap. cùm olim, 1. vbi Abbas num. 4. de offic. delegat. & cap. coram, num. 5. eodem tit. Persona tamen coniuncta sine mandato admittitur ad agendum pro altero; modò caueat alterum ratum habiturum, l. sed & hæ, ff. de procurat. l. maritus, Cod. eodem, vbi dicitur, maritum cum tali satisdatione admitti ad defendendum res vxoris, etiam ipsius curæ non traditas. qua de re vide Bartol. ibidem, & Abb. in c. constitutis, n. 5. extra eod.

Procurator alius ad lites, siue iudicia constituitur; alius ad alia negotia tractanda. Inter quos aliqua discrimina sunt. Primum. Licet procurator ad negotia post XVII. ætatis annum rectè constituatur; ad iudicia tamen nisi maior XXV. annis, deputari non potest, c. qui generaliter §. licet, eodem in 6. vbi Glossæ additio rationem affert, cur minor ætas, videlicet XVII. annorum completorum, ad postulandum, seu munus Aduocati sufficiat, iuxta l. 1. ff. de postulando: quia procurator actione mandati tenetur, & condemnatur: non item Aduocatus, vt mox iterum dicam. Quæ ipsa etiam causa est, cur Minor XXV. annis in iudicio stare non possit, seu vt Actor, seu vt Reus, absque tutore, aut curatore l. 1. & 2. Cod. Qui legit. personam, &c. Neque filiusfam. absque patris assensu, c. vlt. §. vlt. de Iudiciis, vbi Gloss. casus exceptos numerat; videl. si agat contra patrem, de toro violato, &c.

Alterum. Procurator ad negotia datus alium substituere potest: nisi id ei prohibitum sit; vel nisi specialis negotij grauitas permittere non videatur, l. si procuratorem, §. si quis mandauerit, iunct. Gloss. ff. manda-

ti, & docent Doctores in §. mandatum, 1. Instit. eodem. Procuratori verò ad iudicia alium substituere concessum non est; nisi id in mandato contineatur; vel postquam lis ab eo contestata fuit; vel nisi in rem suam, id est, propriam vtilitatem, datus fuerit; quia titulo donationis cessa ipsi est actio. Ita habetur in cap. 1. §. licet, eodem in 6.

Tertium. Procurator ad iudicia de culpa etiam leui, imò, secundùm quosdam, de leuissima quoque tenetur: quia exactam rei gerendæ peritiam præ se ferre censetur, l. in procuratore, Cod. mandati. At verò procurator ad negotia, sicuti & alij mandatarij, plerumque tantùm tenentur de culpa lata; nisi negotij qualitas exactam diligentiam requirat.

8 Differt autem procurator ad lites, ab aduocato: quia cum procuratore contrahitur, & mandati actio in eum competit: quandoquidem litem alterius, plerumque absentis nomine, prosequendam sponte suscepit. Aduocatus verò obligatione mandati non constringitur: sed clienti in iudicio præsenti, & pro se etiam agenti, aut aduersario respondenti, patrocinium aliquod ac defensionem præstat. Vide Syluest. verb. Procurator. Mynsing. Instit. de his per quos agere possumus, §. procurator, & l. 1. post princ. ff. de postulando.

9 Hinc existit, quòd sicuti nemo inuitus contrahere; ita etiam nemo officium procuratoris suscipere cogitur, l. inuitus, Cod. de Procuratoribus. Sed aduocatus, vt certæ personæ, quæ seipsam satis defendere non potest, patrocinium suscipiat, à Iudice compelli potest, l. 1. §. ait Prætor, 1. ff. de postulando; & officio aduocationis priuari, si, iusta excusationis causa non allata, pro altero postulare renuat, sicuti constat ex l. prouidendum, Cod. eodem, & notat Gloss. in cit. l. inuitus, Andreas Gaill. lib. 1. obseruat, 43. num. 3. Ioachim. Mynsinger. cent. 4 obseruat. 32. Abb. in cap. 1. num. 5. de officio Iudicis, Armilla verb. Aduocatus, num. 10. Vterque tamen, tam procurator, quàm aduocatus, salarium iustè accipit; nisi pauperes clientes sint, in gradu, aut extrema necessitate constituti, qui ex misericordiæ lege gratis defendi debeant, ideóque ad talem defensionem aduocatus Iudicis officio cogi potest, vti docet Gabr. in 4. d. 15. q. 6. a. 3. dub. 4. Abb. l. c. Syl. ver. aduocatus, q. 18. Sotus lib. 5. q. 8. a. 1. Less. lib. 2. c. 31. dub. 7.

10 Porrò irritum est pactum, quod dicitur *de quota litis*; id est, vt certa pars eius, quod ex lite prouenturum est, procuratori cedat, l. 7. ff mandati, l. si qui, Cod. de postulando, l. litem, Cod. de Procuratoribus. Vtrum autem valeat pactum non expresè de quota litis obtentæ; sed vt certa aliqua quantitas detur in casu victoriæ: v. g. si domus, de qua litigatur, valeat 150. ducatos, vt aduocato dentur 50. videri potest Gloss. in l. sumptus, ff. de pactis, Nauar. lib. 1. consil. 4. de pactis, edit. 2. & in man. cap. 25. numero 30. vbi ait, sine peccato conueniri posse, vt certa quantitas iusta pro labore soluatur, siue victoria litis obtineatur, siue non; imò & de certo præmio præter iustum stipendium dando, si victoria proueniat; modò id moderatum sit, & lege speciali non prohibitum.

11 Clericus in sacris, vel beneficiatus coram Iudice seculari in causis secularibus non potest esse procurator, vel aduocatus; nisi causam suam, vel suorum, vel Ecclesiæ, aut personarum miserabilium suscipiat, sicuti habetur in cap. 1. de postulando, & explicat ibi Abb. num. 1. Innocent. num. 1. vn. de obligatis ad ratiocinia. Syluest. verb. aduocatus, quæst. 2. Armilla, numero 5. vbi notant per sensum contrarium, dictos Clericos non prohiberi, quominus in causis Ecclesiasticis possint esse aduocati coram Iudice seculari, si videlicet coram eo persona Ecclesiastica, vel res ad Ecclesiam pertinens defendenda sit. Verùm coram Iudice Ecclesiastico in omnibus causis Clerici aduocati esse possunt; nisi sint Sacerdotes: his enim postulare non permittitur; exceptis quatuor illis casibus; videlicet in propria causa: vel suorum sibi coniunctorum: vel Ecclesiæ, vel personarum miserabilium, cap. cùm Sacerdotes, eodem titulo; vbi additur, si Clericus contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneo procurator, vel aduocatus esse præsumat, tanquam Ecclesiæ ingratum, beneficio illo spoliandum esse. Hinc vniuersim ait Abbas ibidem: Quòd exercens officium aduocati, vel procuratoris aduersus eum, à quo beneficium accepit, v. g. vasallus contra dominum, vitium ingratitudinis incurrat.

Denique Religiosis, etsi regulares canonici sint, munus aduocati, & procuratoris omnino prohibetur: præterquam in causa sui Monasterij, iubente Prælato, iuxta Clement. Religiosus, de Procurator. cap. ex parte; de postulan. & docet Abbas in cit. cap. 1. num. 3. de officio Iudicis. Adde, si Religiosus à Monasterio absens sit, posse eum cum voluntate Prælati præsumpta in iudicio agere, argum. l. si longius, §. filiusfamil. ff. de Iudic. Debet tamen agere nomine non suo, sed Monasterij, sicuti docet Nauar. comment. 2. de regular. num. 29. Vide eundem num. 64. 12

Procuratori consimilis est *Syndicus*: Differunt tamen, quia procurator instituitur à proprio domino, iuxta l. 1. ff. de Procurator. Syndicus verò (qui latinè defensor dicitur) ab vniuersitate, eiúsve administratore, v. g. Episcopo, Capitulo, Monasterij Prælato, sicuti videre est in cap. petitio, de Procurat. & cap. vnic. de Syndico. Quanquam canones hoc vocabulorum discrimen non semper obseruant, & Syndicum aliquando etiam procuratorem appellant, sicuti notauit Gloss. in cap. Quia, de Procurat. Abbas in cap. vnic. de Syndico, num. 2. vbi etiam monet, constitutum ab vniuersitate ad vnam tantùm causam, Actorem appellari potiùs, quàm Syndicum, sicuti colligitur ex l. item eorum, §. actor, ff. de Procurat. 13

Restat Qvaestio. Vtrum procurator, vel mandatarius, cùm iussu alterius contrahit, v. g. equum conducit, actionem & obligationem sibi ipsi: an verò mandanti acquirat? Respondeo ex doctrina Molin. to. 2. disput. 551. Mandatarius in contractu, alióve negotio tripliciter se habere potest: Primò, vt merus internuntius domini, seu principalis, cuius nomine contrahit tanquam instrumentum: Talis est v. g. famulus, qui à domino missus equum eius nomine conduxit: Item procurator, siue legatus à Rege missus ad matrimonium contrahendum: ad prolem ex Baptismo suscipiendam. Atque hi sibi ipsis nullum ius vel obligationem acquirunt: sed tantùm domino, siue principali. 14

Secundò, vt mandatarius ipsemet agat, contrahat, obligationésque & actiones sibi acquirat: quas deinde mandanti cedere debeat. Quamobrem in l. 1. Cod. de sententiis & interlocutionibus omnium Iudicum, statuitur, vt si procurator mandato domini absentis, in iudicio causam egit: non dominus, sed procurator condemnetur: quod tamen non semper obseruari, admonet Gl. ibidem, & alia Gl. in c. suscitata, ver. Monasterium, de in integrum restitutione, Ioach. Mynsing. cent. 6. obser. 11. Executio tamen sententię ordinariè fit in bonis domini: non procuratoris: nisi is in rem suam datus sit: vel mandatum se habere mentitus fuerit: vel, cùm nullum defensor mandatum proferre posset, satisdederit, dominum rem ratam habiturum, l. Plautius, ff. de Procurat. iun. §. Sin autem, Instit. de satisdat.

Tertiò, Si aliquis mandatum quidem ab altero habeat contrahendi, v. g. merces emendi: contractum tamen, nullo exposito mandato, veluti suo nomine

celebret. Talis non solùm ius & obligationem sibi ipsi acquirit, sed etiam executio sententiæ in eiusdem bonis fieri solet: licet postea actione mandati hoc ipsum repetere possit à mandante.

CAP. XXVII.

De actione ex iussu, & de in rem verso.

SVMMARIVM.

1 *Contrahens cum eo qui in alterius potestate est, interdum aduersum alterum actionem acquirit, seu* ex iussu, *seu* de in rem verso.

2 *Actio exercitatoria, & institoria ex iussu, saltem ipso facto interueniente, ortum habent.*

3 *Inter mandatum & iussum hoc interest; quòd iussum necessitatem imponit; sed mandatum liberè suscipitur.*

4 *Monasterium non obligatur ex contractu, aut delicto Religiosi, nisi in certis casibus.*

5 *Non censetur aliquid in rem meam versum, nisi quatenus exinde locupletior factus sum.*

6 *Si famulus vinum numerata pecunia domino emere iussus, impetrata fide de solutione, pecuniam intercipiat, contra dominum neque ex iussu, neque de in rem eius verso, actio competere potest.*

7 *Actio quod iussu, seu exercitatoria, institoria, commodior est, quàm actio de in rem verso.*

1 CONtrahens cum eo, qui in alterius potestate est, quandoque actiones acquirit aduersus dominum, siue eum qui illum in potestate habet, sicuti videre est in tit. Cod. & Instit. Quod cum eo, qui in aliena potestate. Quæ actiones ad duo præcipuè capita reuocari posse videntur; videlicet *Ex iussu*; & *De in rem verso.* Vel enim qui in potestate positus est, voluntate & iussu domini, patris, Prælati, &c. contrahit; vel sine eius iussu. Si ex iussu; interdum est iussus directus, & expressus: quo casu haud dubiè competit actio ex iussu aduersus dominum, Patrem, Prælatum, in solidum, quatenus iussit, siue intra fines ac formam iussionis, l. 3. ff. Quod iussu. Nam quodammodo cum eo contractum censetur, qui iussit, l. 1. ff. eod. Neque interest, vtrum specialiter in vno contractu iussum sit; an verò generaliter; *Quod voles, cum seruo meo negotium gere, periculo meo*: videtur enim ad omnia iussisse, quæ lex permittit, sicuti suprà de mandato dictum fuit.

Interdum verò interuenit iussus interpretatiuus; puta si postea ratum habeatur, quod filius, vel seruus gesserat, cit. l. 1. §. si ratum: Item iussus tacitus; vt si quis sciat, seruum, vel filium suo nomine contrahere, neque prohibeat: cùm enim in delicto sciens, & patiens pro consentiente, & tacitè iubente habeatur, iuxta l. 2. ff. de noxalib. actionib. multò magis in contractu. Quare his quoque casibus actio ex iussu competit.

2 Atque huc etiam spectant actiones exercitatoria, & institoria: si quis videl. maritimæ, vel terrestri negotiationi alium præposuit: censetur ratum habere velle, quidquid ille in tali negotio gesserit: dummodo fines & formam consuetam negotij non excedat. Imò latiùs id extendi solet, vt cuicunque negotio, officio, vel ministerio aliquis alterum præposuerit, actio vtilis, atque similis institoriæ competat aduersus præponentem, tanquam ex iussu generali. Quia præpositio veluti iussus quidam est: cùm nihil referat, verbo, an ipso facto voluntatem aliquis declaret, iuxta l. pro hærede, ff. de petit. hæredit. iun. Gl. ver. quàm animi, vbi ait: *per factum probatur voluntas.*

Hoc verò discrimen notari debet, quòd si seruus, vel similis persona, quæ ex necessitate parere debet, præposita fuerit, oriatur actio velut ex iussu: sin vero alia libera persona, oriatur actio potiùs ex mandato. Inter mandatum enim, & iussum hoc interest, quòd iussum necessitatem imponat: mandatum autem libera voluntate suscipiatur, l. 1. iun. Gl. ver. quemadmodum, ff. quod iussu. Ex quo & illud consequitur, vt qui cum 3
mandatario contraxit, contra ipsum quoque directam actionem instituere possit; & similiter aduersus institorem, vel negotiationi præpositum, si homo liber est, & non in potestate positus: quare in electione contrahentis erit, vtrum malit institorem, &c. an eum, qui præposuit, conuenire, l. 1. §. est autem, ff. de exercit. actione.

Quod ad alteram actionem, *De in rem verso*, attinet: Si personæ in potestate alicuius positæ, sine iussu eius expresso, & tacito contraxerunt: tunc absolutè loquendo non obligatur Prælatus v.g. ex contractu Religiosi: pater ex contractu filij: dominus ex contractu serui, aut famuli: sed solum quatenus in rem eius aliquid versum esse, demonstrari potest. qua de re videri potest Innoc. in c. olim, §. item notandum, de priuil. Angelus ver. Monasterium, §. 1. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 8. a. 3. dub. 10. Sanchez lib. 7. moral. c. 31. n. 9. vbi docent, Monasterium non obligari ex contractu, aut delicto Religiosi: exceptis casibus: I. Si Religiosus, communicato consilio cum Prælato & Capitulo, delictum commisit: quia 4
delictum Prælati & Capituli nocet Ecclesiæ, vti docet Gl. in reg. delictum, 76. in 6. argum. c. 2. de Ordine cognit.

II. Si Religiosus administrationi præpositus aliquid egit, aut contraxit, secundùm limites commissionis, & officij. Enimuero neque ex ipsius Prælati contractu Monasterium obligatur, si limites suæ administrationis excedat: vt si pecunias mutuò accipiat ad res vanas, aut turpes. Sin verò accipiat ad subleuandam Monasterij necessitatem: sed postea murato consilio malè expendat, obligabitur Monasterium, sicuti docet Sanchez l. c. n. 13. & videri possunt, quæ dixi hoc tract. cap. 15. n. 7.

III. Si Religiosus in Academia, vel alibi cum licentia Prælati degens, sumptus faciat, vel pecunias mutuò accipiat, secundùm quantitatem illi destinatam: quia ita etiam de filiofam. statutum est, l. sed Iulianus, §. proinde si accepit, ff. Ad Macedonianum, & videri potest Sanchez lib. 7. moral. cap. 31. num. 15.

IV. Si quid versum sit in rem, seu vtilitatem Monasterij. Quid autem sit in rem alicuius versum esse, latè explicatur in l. 3 ff. de in rem verso, Summa est: Si quid vel domino vtiliter comparatum, vel in quoscunque sumptus necessarios, aut vtiles domino expensum fuerit, censeri debet in rem domini versum: vt si triticum pro familia alenda comparatum: si domini debita dissoluta: Non item si ad meram voluptatem aliquid pro domino impensum: nisi dominus in idipsum cõsenserit: si tamen causa voluptatis, seu ad solum ornatum comparati sumptus, sine incommodo domini, non mandantis eos fieri, separari possint, idipsum dominus pati debet, l. 3. §. sed si mutua, ff. de in rem verso.

Porrò, non nudè ac simpliciter considerandum est, 5
vtrum res in substantiam domini versa sit: sed spectatis etiam impendiis: quia vtilitas & lucrum non spectatur, nisi impendijs deductis. Quare si seruus mutuam pecuniam accepit, & domino dedit pro eo, vt manumitteretur: pecunia non censetur in rem, siue vtilitatem domini versa: nisi quatenus excessit pretium iustum manumissionis: ideóque quatenus dominus ex pecunia locupletior redditus est, sicuti habetur in l. 2. & 3. ff. eod. tit.

Ex quo resolui potest casus: Titius famulo suo pecuniam numerauit, qua vinum emeret pro familia: sed famulus retenta pecunia, contra domini voluntatem, vinum habita fide de pretio, loco domini accepit, & ad alendam familiam inuexit: postea verò

cum pecunia aufugit: Quæritur, vtrum vini venditor actionem contra dominum instituere possit? Respondeo, non posse agere de *in rem verso*: cum dominus ex vino in familiam suam inuecto ditior factus non fuerit; quandoquidem pro eo pretium æquiualens soluit: idque habetur in l. 2. ff. de in rem verso, ex qua DD. ibi regulam tradunt; Non dici versum in rem seu vtilitatem alterius, quando is tantum erogat, quantum accepit. Et in l. 3. ff. eod. affertur similis casus; Seruus mutuam pecuniam accepit, & domino tradidit, pro eo, vt ab ipso libertatem consequeretur: Respondet Iureconsultus, pecuniam non censeri in rem domini versam; nisi quatenus iustum pretium manumissionis fortasse excessit. Ratio verò est; Quia vtilitas seu lucrum non censetur, nisi deductis impendiis. Neque refert, quòd famulus vinum ab œnopola acceperit, quasi in rem domini versurus: Non enim idcirco dominus tenetur: cùm *æquum non sit, vt vel credulitas creditoris domino obsit, vel calliditas serui noceat. quare curiosus creditor esse debet, quò vertatur*: quæ sunt verba l. 3. §. sed si sic, ff. de in rem verso.

Sed neque hoc casu agi potest ex iussu: Quia dominus non iussit, neq; consensit, vt obligatio mutui, siue crediti contraheretur; sed vt pecunia præsente emeretur. Constat autem, mandatum non extendi vltra comprehensa in eo: qua ratione ait Abb. in c. cùm olim, 1. n. 4. de offic. delegati. Quòd constitutus ad recipiendam pecuniam, nihil præiudicat domino, si confiteatur pecuniam se recepisse: quandoquidem non ad confitendum constitutus esse intelligitur; sed tantùm ad recipiendum. Confirmatur primò: Si œnopola sciuisset, quale iussum famulus de emendo vino habuisset, & nihilominus ei pecuniâ creditâ vendidisset, dominum nequaquam ex iussu obligatum habere potuisset: Ergo neque habere potest, cùm ignorauit: quia ignorantia non facit maiorem iussum interuenisse. Confirmatur secundò: Cùm hîc alteruter vel œnopola, vel dominus damnum pati debeat; potiùs ille sustinet, qui in culpa aliqua est, quàm qui extra omnem culpam. Atqui dominus extra omnem culpam est; cùm opera famuli vsus fuerit, de quo, vt ponimus, nihil fraudis suspicari debebat: œnopola autem non est extra culpam nimiæ credulitatis: cùm nihil in praxi, vel in iure receptius sit, quàm vt si quis iussum siue mandatum alterius alleget, eius rei aliquod testimonium ostendere debeat: alioquin mille fraudibus occasio aperitur, si mercatores famulis quibuscumque aliquid tanquam ex iussu domini, mutuò, vel creditâ pecuniâ accipientibus, credere securè possint, non ostenso ipsis mandato: idque tum à naturali iure, tum à bene constitutæ Reipublicæ moribus alienum esse existimo.

Alia quidem ratio esset, si dominus œconomum seu procuratorem domus constituisset generalem, cuius omnes negotiationes & contractus ad familiæ sustentationem ratas haberet. Quamuis etiam hoc casu attendendum erit, num mandatarius formam mādati obseruet, eiusque fines non egrediatur, iuxta l. 1. §. non autem, & §. si igitur, & §. si plures, ff. de exercitatoria: Etenim in quocunque mandato generaliter dato, semper præsumitur mandatum id, quod est de consuetudine mandantis; ait Nicolaus Euerhardus tom. 2. consil. 6. num. 64. ex l. vniuersorum, ff. de pignerat. actione.

His duo addi debent: I. Quod de seruis suprà dictum est, id ferme hodie locum etiam habet in hominibus liberis famulatui alicuius addictis: quippe qui vicem seruorum aliquo modo referunt, sicuti ex Oldendorpio notauit Ioachimus Mynsingerus Instit. Quod cum eo, qui in aliena potestate, §. præterea, ver.
7 déque eo quod in rem. II. Qui actionem habet, *quod iussu*, vel *exercitatoriam*, *institoriam*, potest quidem etiam agere de in rem verso; sed stultè faciet, si, omissa actione, per quam mox totum à domino, propter voluntatem & iussum eius, consequi posset; adigat se ad difficultatem probandi, rem creditam in vtilitatem domini versam fuisse; eo pacto, vt non plus iudicio consequi queat, quàm quatenus ostensum fuerit, reuera in vtilitatem domini versum fuisse, §. cæterùm, Instit. eod.

CAP. XXVIII.

De negotiorum Gestore.

SVMMARIVM.

1 *Qui absentis negotia gerenda vtiliter suscepit, is actionem negotiorum acquirit.*
2 *Inuentor rei alienæ, nihil à domino ratione inuentionis exigere potest; sed solam compensationem laboris, & expensarum, si quas fecit, rem ad dominum deferendo.*
3 *Qui ex pietate, aut mera liberalitate in alterum expensas fecit, non potest deinde, mutata voluntate, repetere.*
Dominus famulo ægrotanti non cogitur præstare salarium; neque expensas maiores; sed tantùm simplicem victum.
4 *Salarium constitutum repeti non potest ab hæredibus aduocati mortui.*
5 *Mater, & auia in dubio censentur filio præstare alimenta non animo repetendi: sed materno affectu. Alia verò ratio est de vitrico.*

QVi absque mandato domini, absentis negotium vtiliter gerit, is actionem contra illum, quamuis 1 ignorantem, acquirit, qua compellitur rem gestam ratam habere: itém expensas necessarias atque vtiles, damnum quoque, & lucrum cessans præstare; deniq; etiam laboris aliquam compensationem facere, sicuti constat ex l. 2. & toto tit. ff. de negotiis gestis. *Idque vtilitatis causa receptum est*, dicitur in §. 1. Instit. de obligationibus, quæ ex quasi contractu nascuntur, *ne absentium desererentur negotia, quæ sanè nemo curaturus esset, si de eo, quod quis impendisset, nullam habiturus esset actionem.* Et competit hæc actio negotiorum gestorum tametsi negotij euentus infelix fuerit, dummodo negotij gestor prudenter & vtiliter egerit, l. sed an, §. is autem, ff. de negot. gestis. Exemplum: Si equum Titij, de manu furis, aut militis, tanquam illius negotium gesturus, exiguo pretio redimas; sed dum equum ad dominum reducis, fortuito casu pereat, nihilominus pretium, & expensæ tibi restituendæ sunt, sicuti colligitur ex l. 2. ff. eod. & annotauit Barthol. Medina. lib. 1. instruct. c. 14. §. 30. reg. 4.

Sed vice versa, negotiorum gestor administrationis rationem domino reddere cogitur; & si quid eius culpa, etiam leui, neglectum est, resarcire. Nisi negotium desertum fuerat, à nullo alio suscipiendum, tunc suscipiens non tenetur, nisi de dolo, ac culpa lata, l. 3. §. interdum, iun. Gl. ff. de negot. gestis. E contrario verò negotiorum gestor interdum exactissimam diligentiam adhibere, adeóque culpam etiam leuissimam præstare debet; si videlicet alius negotium diligentiùs administraturus fuisset, l. si pupilli, §. videamus, ff. eod. & expressiùs in §. 1. iun. Gl. ver. ad exactissimam, Instit. de obligat. quæ ex quasi contractu. De casu autem fortuito negotiorum gestor ordinariè non tenetur; exceptis tamen casibus: Primò, Si dominus illum admonuit, ne sua negotia gerere aggrederetur; nisi tali conditione velit, vt casum etiam fortuitum præstare teneatur, l. negotium, iun. Gl. C. de negot. gestis. Secundò, Si negotiorum gestor sua culpa causam præbuit, vt res fortuito casu v. g. incendij periret, quæ alioquin non periisset, iuxta l. siue, ff. eod. Tertiò, Si quis nomine absentis nouum, & insolitum negotium, quod videlicet ille nunquam agere consueuerat, aggressus sit,

v. g. negotiationem ineundo, casum fortuitum præstare debet, l. si negotia, ff. eod. Vide Gl. ibidem. ver. sit. solitus. Molin. to. 2. disp. 553. & seq.

Ex dictis colligitur primò; Quòd fideiussor, si pro principali debitum soluit, habeat contra eum actionem ex mandato, si fide iubere iussus fuit; actionem verò negotiorum gestorum, si ad fideiubendum sponte accessit, l. sed videamus, ff. de negot. gestis.

2 Colligitur secundò: Licet rei alienæ inuentor, inuentionis mercedem, tanquam iure sibi debitam, exigere non possit, sicut docet Rebell. lib. 17. q. de negot. gestis, n. 15. & colligitur ex l. falsus, §. Qui alienum, ff. de furtis: *Qui alienum quid iacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur.* Nihilominus si rem inuentam ad dominum pertulit, laboris huius compensationem iustè exiget: Quia licet rem inuentam domino suo restituere ex iustitia obligatus sit, iuxta c. si quid inuenisti, 14. q. 5. non tamen tenetur deferendi laborem, & expensas ipsemet gratis præstare, sicuti notauit etiam Couar. reg. peccatum, p. 2. §. 3. n. 3.

3 His addo: Si aliquis ex pietate, vel mera liberalitate in alterum expēsas fecit, non posse postea, mutato animo, actione negotiorum gestorum eas repetere, sicuti colligitur ex l. 1. & l. si alimenta, C. de negotiis gestis. Verbi gratia: Quæ in curationem famuli domi tuæ ægrotantis liberali affectione semel impendisti, de constituta mercede postea detrahere iure non potes. Aliud verò dicendū, si à principio testatus sis, vel ex indiciis colligi possit, non habuisse te animū donandi, sed repetendi. Siquidem dominus ex lege iustitiæ non cogitur famulo ægrotanti, & non præstanti ea, ad quæ cōductus est, præbere expēsas maiores, v. g. in medicos, & chirurgos; sed tantū tenues, & alimenta: multò minùs salarium eidem pro eo tēpore præstare debet, sicuti colligitur ex l. si vno, §. itē cùm, iun. Gl. ver. personis, ff. locati, & docet Syl. ver. familia, q. 2. Ibid. Armilla, Sa ver. conductor, n. 5. Couar. 3. resol. c. 13. n. 8. Diez lib. 1. pract. qq. q. 8. §. 2. cōcl. 10. Mol. disp. 554. prope finem. Præterquam, si loci consuetudine receptum sit, vt dominus famulo propter infirmitatem nihil de annua mercede detrahere possit.

4 Neq; his obstat l. 1. §. Diuus, ff. de variis & extraordinariis cognitionibus, vbi dicitur, salarium constitutum repeti non posse ab hæredibus aduocati mortui; *quia per eum non staterat, quominus causam ageret.* Nam, vt ibidem notat Gl. ver. repeti, & Couar. cit. n. 8. speciali id priuilegio, ac fauore publici vtilissimi muneris statutum est; & locum etiam habere in professore scientiarum, ob legitimum impedimentum non docente, affirmat Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 44. n. 13. & Gl. cit. Nisi vel pactum, vel consuetudo aliud requirat.

5 Mater, & auia, præbentes alimenta filio, vel nepoti, si nihil protestentur, neque contrarium ex circonstantiis colligi possit, censentur ex pietate & affectu materno, non repetendi animo præstitisse, sicuti habetur in l. Nesennius, ff. de negot. gestis, l. alimenta, C. eod. Alia verò ratio est, si circa alias res liberorum expensas fecerint. Porrò circunstantiæ, atq; indicia, vnde colligi debeat, etiam alimenta data illis fuisse animo repetendi, sunt hæc: I. Si liberi propriis bonis abundent, & maiores in ipsos sumptus facti sint, quàm matris & auiæ facultates ferre videantur. II. Si bona liberorum penes se habeant; tunc enim ex illis suppeditare censebuntur. Vitricus autem priuigno in dubio non præsumitur alimenta præstare gratis; sed animo repetendi, si priuignus bona propria habeat, sicuti colligitur ex l si paterno, C. de negot. gestis. Quare ad priuignum pertinebit probare, alimenta præstita fuisse paterno affectu, sicuti docet Gl. ibid. ver. repetiturus, Rebellus loco cit. n. 6. Molin. cit. disp. 554. prope finem, vbi monet, in tali dubio vitricum à Iudice cogi posse, vt iuret, se alimenta præstitisse animo repetendi. Cæterùm si priuignus in seruitio vitrici extitit, alimenta ab ipso repeti non poterunt, sicuti notauit Gl. cit. ver. repetiturus.

CAP. XXIX.

De Fideiussoribus.

SVMMARIVM.

1 *Obligatio fideiussoria est, ideoq; supponit aliam obligationem, saltem naturalem.*

2 *Qui pro Religioso fideiubet, censetur ad id se obligare, quòd Prælatus, & Capitulum rem ratam habebunt.*

3 *Fideiussor intensius obligari potest, quàm principalis; non autem extensiùs.*

4 *Fideiussores alij in iudicio accipiuntur; alij extra iudicium. Deinde alij simpliciter dicti fideiussores sunt; alij verò indemnitatis.*

5 *Si mulier fideiussit, SC. Velleiano defenditur, quominus obligationem contraxerit.*

Qui tutus est exceptione fauorabili, repetere potest, quod per errorem soluit.

6 *Consuetudo obtinet, vt mulier SC. Velleiano renuntiare queat: quamquam de hoc, spectato iure communi, dubitari potest, si iuramentum non intercedat.*

7 *Clericus in damnum proprium fideiubere potest; sed non in præiudicium Ecclesiæ suæ: multò minùs Religiosis fideiubere concessum est.*

8 *Si plures fideiussores sint, omnes ad soluendum idonei, non nisi secundùm portionem obligantur.*

9 *Certi casus sunt, quibus fideiussor obligatione liberatur.*

FIDEIVSSOR est, qui de alterius obligatione, interposita propriæ fidei & obligationis cautione, securitatem præstat, sicuti colligitur ex Instit. de Fideiussoribus, initio, & l. græcè, ff. eod. l. ob autem n, §. qui verò à Titio, ff. de verbor. obligat. vbi etiam nominis etymologia redditur: dictus enim est fideiussor, quia *fide sua esse iubet*, quod ab altero debetur.

Corollarium I. Obligatio fideiussoris accessoria est 1
alteri obligationi, & sine ea cōsistere non potest. Sufficit tamen, si saltē naturalis obligatio supponatur; adeò vt hoc casu fideiussor etiam ciuiliter compelli possit, v. g. pro seruo, vel minore fideiubens, Instit. de fideiussor. §. & l. naturaliter, ff. de condict. indebiti, l. Marcellus, ff. de fideiussor. Sin autem is, cuius promissioni fideiussor accedit, nec ciuiliter, nec naturaliter obligetur, nulla etiam in fideiussore, oriri obligatio potest, l. qui contra, & l. fideiussor, princip. ff. eod. vt si lex contractui omnino resistat, v. g. venditioni rei sacræ, l. cùm lex, ff. eod.

Aliud exemplum affert Abb. in c. ex rescripto, n. 1. de 2
iureiur. Si quis fideiubeat pro Religioso contrahente sine auctoritate & cōsensu Prælati, ac Monasterij: cùm Religiosus in eo statu sit, vt propria auctoritate nihil vel sibi, vel alteri acquirere possit, ideóque omni iure incapax sit obligationis ex contractu; quamuis contrariū sentiat Less. lib. 2. c. 28. n. 6. Sanch. lib. 7. moral. c. 31. n. 37. Id tamen fateri oportet cum Mol. to. 1. tr. 2. disp. 140. ver. Potiùs distinguerem: Si quis pro Religioso contrahente fide iubeat, existimandum esse, fideiussorem ad id se obigare, quòd Prælatus & Capitulum rem ratam habebit. Deinde nemo negat, quin ex delictis, v. g furto, aut damno dato obligationem Religiosus contrahat; quatenus is satisfacere potest: ideóque tali obligatione fideiussor validè accedet. Denique pro *fideiussore fideiussorem accipi, nequaquam dubium est*, cit. l. græcè, in fine. Imò id frequens est, vt fideiussori à debitore principali alius fideiussor constituatur, qui priorem indemnem seruet.

Corollarium II. Licet fideiussor intensiùs, seu efficaciùs obligari possit, quàm principalis; vt videlicet etiam 3
ciuiliter obligetur, sicuti dictum est: Non tamen obligari potest extensiùs, ita vt ad plus obligetur, sicuti habetur in §. fideiussores, instit. eod. & in cit. l. græcè,

vbi dicitur; Quòd fideiussor obligari non potest in causam duriorem; quamuis possit in leuiorem. v. g. in minorem summam. Præterea si debitor principalis sub conditione obligatus fuerit, tum fideiussor purè obligari nequit: Quia non potest esse plus in accessione, quàm in re principali. Vide Gomez 2. resol. c. 13. n. 2. Mol. to. 2. disp. 541.

Corollarium III. Si principalis debito suo liberetur, vt quia ei condonatum est; simul etiam extinguitur obligatio fideiussoris, sicuti ex communi docet Pet. Nau. lib. 3. c. 4. num. 157. Nam ruente principali, ruit etiam accessorium.

4. Duplex est fideiussorum genus: Alij enim in iudicio accipiuntur; & alij extra iudicium. Fideiussor in iudicio est, qui se obligat, quod reus seu criminis, seu debiti sistetur in iudicio criminali, aut ciuili; & interdum quòd iudicatum fuerit, solutum iri, sicuti constat ex l. græcè, §. & post litem, ff. de fideiuss. & videri potest Clarus in pract. criminali, §. fin. q. 46. Mol. disp. 347. Addendum verò est ex l. Diuus, ff. de custodia, & exhibitione reorũ, si crimen graue, præsertim notorium sit, pro quo corporalis pœna imponenda est, reum non dimitti; sin autem crimen graue non sit, *in vincula conijciendus non est, qui paratus est dare fideiussores*, & cit. l. Diuus, & docent Canonistæ super rubr. de Fideiussor.

Præterea fideiussorum aliqui simpliciter fidem suam interponunt, in id quod principalis debet. Alij verò qui *indemnitatis* dicuntur, non obligant se simpliciter, sed quantò minus creditor à debitore suo consequetur. Atque hi antè conueniri non possunt, quàm facta discussione principalis debitoris, sicuti docent DD. in l. vlt. ff. de rebus creditis. Fideiussores autem primi generis & simpliciter dicti conueniri quidem possunt; sed opponere eis licet exceptionem ordinis; vt videl. priùs discussio fiat bonorum debitoris principalis, si præsens sit; in eius verò defectum, se postea soluere paratos esse, iuxta Authent. Præsente, Cod. de Fideiussoribus. Idémque etiam locum habet in actione hypothecaria, quæ contra tertium possessorem ad reuocationem hypothecæ instituti non potest, nisi priùs excusso debitore, Authent. hoc si debitor, Cod. de pignorib. iun. Gl. & Authent. sed hodie, C. de action. & obligat.

Excipe primò: nisi fideiussor renuntiârit beneficio dictæ Authenticæ, quippe quod in eius tantùm fauorem introductum fuit, sicuti docent Gl. & DD. ibid. item Gl. in c. peruenit, ver. non soluentibus, & Abb. num. 8. de fideiuss. Gomez 2. resol. cap. 13. n. 14. Gaill. lib. 2. obseruat. 27. n 21. argũm. l. quod fauore, C. de legibus, l. penult. Cod. de pactis.

Secundò: Nisi notorium sit, principalem debitorem soluendo non esse; quia frustra fieret discussio. Quare statim tunc actio contra fideiussorem, vel pignoris possessorem institui potest, sicuti docet Baldus post Gl. receptam in l. decem, ver. excussum, ff. de verb. obligat. Gomez l. c. & alij DD. in cit. l. vlt. ff. de rebus creditis. Tertiò: Si debitor conueniri, eiúsue bona excuti non possint, quia nimis potens, atque iniuriosus; est quia aliò migrauit, &c. Qua de re vide Authent. de fideiuss. & mandator. Gomez cit. num. 14. Molin. disput. 545. Less. cap. 28. numer. 9. Vel tametsi debitor bona præsentia habeat, non possint tamen ea venundari; quia nemo est, qui emat. quo casu creditor diu expectare non cogitur; sed contra fideiussorem agere potest, teste Gomez l. c.

Quartò: Si consuetudine, vel statuto aliter receptum sit; v. g. vt post moram principalis, etiam non facta bonorum illius excussione, statim fideiussor conueniri queat. qua de re Andr. Gaill cit. obser. 27. num. 29. & seqq.

5 Ordinariè quicunque principaliter obligari, idem etiam fideiussor esse potest, l. 3. ff. eod. tit. Excipitur mulier, quæ si fideiusserit, opponere potest exceptionem Senatusconsulti Velleiani, quominus soluere cogatur, sicuti habetur in cit. l. 3. iun. Gl. ver. mulierem, & toto tit. C. Ad Senatuscons. Velleianum. Et habet etiam id locum in conscientiæ foro; quippe quod, ob sexus fragilitatem, boni publici causa, introductum est, sicuti ex communi testatur Gomez num. 16. Abb. c. quia plerique n. 27. de immunitat. Ecclesiæ, Less. c. 28. n. 15. Mol. disp. 540. Si tamen mulier per errorem soluit, creditor interim retinere potest: quia tam naturaliter, quàm ciuiliter obligata erat. Verùm, cùm exceptio, quæ mulieri ex Velleiano Senatusconsulto competit, perpetua & fauorabilis sit; ideò quocunque errore solutum condicere, atque repetere potest, sicuti habetur in l. qui exceptionem, ff. de condict. indebiti, vbi DD. regulam tradunt; Quòd tutus exceptione perpetua ac fauorabili, quocunque errore soluat, repetere potest; non item si exceptio odiosa sit, vt in S C. Macedoniano.

Præterea in l. antiquæ, §. vlt. C. Ad Senatuscons. Velleianum statuit Iustin. Imperator, vt fideiussio mulieris ipso iure nulla esset, nullámque obligationem pareret, nisi publico instrumento cum testium subscriptione confirmata sit: præterquam, si pretium pro fideiussione accepit; tunc enim efficaciter obligatur mulier, sublato omni Senatusconsulti auxilio. Cuius ratio est: Quia non ex leuitate, aut naturali fragilitate; sed pro præmio consequendo intercessisse creditur.

Denique verò multi DD. sentiunt, cum Gl. in l. vlt. ff. & C. ad Velleianum, & praxis ferme ita obtinet; quòd mulier, publico instrumento se obligans, exceptioni Senatuscons. Velleiani validè renuntiet; modò ex certa cognitione, v. g. à notario antè satis instructa, id faciat. Qua de re Gaill. lib. 2. obser. 77. Andr. Fachinæus lib. 2. controuu. cap. 59. Licet contrarium doceat Couar. c. quamuis pactum, p. 2. §. 3. n. 8. Gomez n. 17. Mol. disp. 540. Less. cit. c. 28. n. 16. Quòd mulier, spectato iure communi, beneficio Velleiano extra iudicium validè non renuntiet, nisi insuper iuramentum, cum plena priuilegij sui cognitione, accedat. Quia eadem facilitate, qua ad fide iubendum, etiam ad renuntiandum Velleiano adduci posset; sicuti ob eandem rationem minor natu beneficio restitutionis in integrum renuntiare nequit, sicuti notauit Abb. in c. si diligenti, n. 9. de foro compet. quamdiu maior factus renuntiare possit. 6

Clericus, licet fideiubere non possit in præiudicium Ecclesiæ, potest tamen in damnum proprium: ita enim consuetudine obseruatur. Quamquam etiam tunc ex fideiussione non tenetur, nisi quatenus commodè soluere potest, ita vt non egeat, iuxta c. Odoardus, de solut. Vide Petr. Nau. lib. 4. c. 3. n. 173. & seqq. Less. cit. c. 28. n. 18. Gomez n. 18. Si autem Monachus, absque licentia prælati, & maioris partis Capituli fideiusserit, vel mutuum acceperit, Monasterium tali fideiussione non obligari, nisi quatenus in eius vtilitatem versum est, rescripsit Innoc. III. in c. quod quibusdam, de fideiussor. & videri potest Syl. ver. fideiussor, q. 3. & 4. Angelus n. 7. Sanchez lib. 6. moral. cap. 14 n. 38. Molina to. 2. disp. 540. vers. Religiosus. Veruntamen in re modica Prælatus fideiubere potest absque Capituli consensu expresso: cùm de eiusmodi rebus disponendi tacitum habere censeatur Capituli consensum. Similiter in Societate Iesu, in qua Capitulum non congregatur, Rector, vel Præpositus loci fideiubere potest; vti docent Molina & Sanchez ll. cc. sed non expedit, neque concessum videtur in re alicuius momenti. 7

Porrò si plures fideiussores pro eodem debito intercesserint, singuli in solidum obligantur. Si tamen omnes ad soluendum idonei sunt, competit eis exceptio, ex epistola Hadriani Imperatoris (si huic fauori suo 8

non renuntiarunt) vt obligatio in portiones diuidatur. Cæterùm si alij soluendo non sint, cogitur etiam vnus, qui soluendo est, totum præstare: vel, etiãsi alij soluendo sint, si tamen vnus, non opposita exceptione, integrum soluit, repetendi ius non habet; cogere tamen creditorem potest, vt actionem sibi contra reliquos fideiussores cedat, per quam eos compellat, vt singuli solutionis portionem refundant. Ita habetur §. si plures, Instit. de fideiussoribus. l. non rectè, C. eodem, l. vt fideiussor, ff. eod. Vide etiam l. si dubitet, §. ita demum, ff. de fideiuss. iun. Gl.

Præterea, si fideiussor pro principali debitore debitum soluit, cogere potest creditorem, vt cedat sibi omnem actionem cùm personalem, tum hypothecariam, quam contra eundem debitorem habet, iuxta l. 2. C. eod. Præterquam, quòd actione mandati agere possit aduersus principalem, vt omne damnum, & interesse, quod ratione fideiussionis incurrit, ipsi compensetur; quia *nemini officium suum damnosum esse debet*, sicuti habetur in c. peruenit, de fideiussor. & sumitur ex l. si seruus communis, §. quòd verò, ff. de furtis, & docet Syl. ver. fideiussor, q. 12. P. Nau. lib. 3. c. 4. n. 162.

Ad extremum dicendum est, quòd fideiussor, etiam ante Iudicis sententiam, in conscientia obligatus sit debitum soluere, in defectum principalis, sicuti rectè contra quosdam docet Petr. Nau. lib. 3. c. 4. n. 150. Quia, vt suprà dictum, fideiubere aliud non est, quàm fidem suam interponere de alieni debiti solutione, siue alienam obligationem in suam fidem recipere quisque autem promissionis suæ fidem interpositam, & acceptatam seruare naturali iure obligatus est. Quatuor tamen
9 potissimùm casus sunt, quibus fideiussor liberationem fideiussionis suæ iure petere potest, quos Gl. numerat in §. si quid, Instit. eod. tit. I. Si ita conuentum fuerit, vt elapso certo tempore, vel cùm fideiussor id peteret, fideiussione liberaretur, l. si pro ea, C. mandati. II. Si debitor principalis bona sua dilapidare incipiat, vt periculum fideiussori immineat, cit. l. si pro ea, & l. Lucius, iun. Gl. ff. eod. Idémque videtur esse, si debitor in longinquas regiones discessurus sit, secundùm Abb. in c. vlt. de fideiussor. III. Si fideiussor longo tempore in obligatione manserit. quod Iudicis arbitrio ex circunstantiis æstimandum erit. Ita habetur in cit. l. Lucius, iun. Gl. IV. Si fideiussor ad soluendum condemnatus sit statim, antequam soluat, agere potest aduersus debitorem principalem, vt ipsum liberet, & indemnem seruet, sicuti habetur in citat. iuribus, & l. fideiussor pro venditore, ff. eod. & c. vlt. de fideiuss. vbi Gl. ver. si diu, Abb. c. constitutus, n. 2. eod. tit. Syl. ver. fideiussor, q. 15. Gomez n. 10. Mol. disp. 546.

CAP. XXX.

De pignore & Hypotheca.

SVMMARIVM.

1 *Nomen pignus fermè rebus mobilibus; hypotheca immobilibus tribuitur.*
2 *Hypotheca, seu pignus diuiditur in Prætorium, conuentionale, & legitimum.*
3. *Pignus, seu hypotheca alia generalis est, & alia specialis: Item alia est expressa; & alia tacita, siue legis dispositione introducta: eiusque varij modi sunt.*
4 *Quæ res vendi, ea etiam oppignorari possunt: quæ autem vendi prohibita sunt, ea fermè etiam oppignerari non possunt.*
5. *Pignus creditor alteri oppignerare non prohibetur.*
6. *Pœna legis commissoriæ in pignoribus reprobatur.*
7. *Fructus ex pignore perceptos in partem sortis exonerandæ computare debet.*
8. *Debitor, rem, quam vni oppignerauit, alteri vendere non prohibetur: emptori tamen de euictione tenetur.*
9. *Oppignerato fundo, vel alia re frugifera, etiam fructus oppignerati censentur.*

PIGNVS, si latè accipiatur, est res quæuis alteri obligata in securitatem debiti; vt si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit. Similiter hypotheca, si latè accipiatur, dicitur quæuis res obligationi subiecta pro cautione debiti. Quapropter Marcianus dixit in l. res hypothecæ, ff. de pignoribus & hypothecis: *Inter pignus, & hypothecam nominis tantum sonus differt.*

Sin verò strictè accipiantur, differunt, sicuti præter 1 alios annotauit Abb. in c. cum aliquibus, num. 5. de sent. & re iudic. Nam pignoris appellatione, ea propriè res cotinetur, quæ simul etiam creditori traditur, maximè si mobilis sit, l. si rem alienam, §. propriè, ff. de pignerat. act. iunct. §. Item Seruiana, Instit. de action. & l. plebs, §. pignus, ff. de verb. signif. vbi iureconsult. existimat, pignus à pugno dictum esse, quia res, quæ pignori datur, manu traditur. Quæ verò res nuda conuentione tenetur, propriè hypothecæ nomine appellatur: descendítque pignus ex gentium iure; hypotheca verò ex iure Prætorio, sicuti notauit Gloss. marginalis in l. 1. ff. de pigner. actione, & constat ex l. si tibi, §. de pignore, ff. de pactis. vide Greg. Tholos. l. 23. syntagm. cap. 5. Placet tamen deinceps pignus & hypothecam pro synonimis vsurpare.

Triplici ex causa pignoris obligatio nascitur: vel ex 2 Prætoris iurisdictione, quod dicitur pignus *Prætorium*: vel ex partium conuentione, quod dicitur pignus *conuentionale*: vel ex iuris constitutione, quod dicitur pignus *legitimum*.

Prætorium pignus subdiuiditur in iudiciale; & quod propriè Prætorium dicitur. Iudiciale pignus est, quod in executionem sententiæ Iudicis auctoritate constituitur; mittendo creditorem in possessionem bonorum debitoris, posteaquam is in soluendo contumax extitit. Qua de re est tit. C. Si in causa iudicati pignus captum sit, & tit. C. de executione rei iudicatæ, & l. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iudicata. Prætorium verò pignus est, quod ante latam sententiam, à Magistratu constituitur, mittendo actorem in possessionem vel retentionem bonorum, quatenus ipsi cautum sit: puta si Reus in iudicium vocatus non compareat. qua de re est tit. lib. 2. decretal. De eo qui mittitur in possessionem bonorum, rei seruandæ causa, & c. contingit, de dolo & contumacia; item l. non est mirum, ff. de pigner. act. & tit. ff. Quibus ex causis in possessionem eatur, vbi in l. 1. plures causæ pignoris Prætorij recensentur. Vide Greg. Tholos. lib. 23. c. 6.

Conuentionale pignus est, quod partes contrahentes expresse constituunt siue rei interuentu, siue solo consensu: in quo differt hoc pignus à prætorio, quippe quod ante rei possessionem, vel apprehensionem nunquam acquiritur, sicut constat ex cit. l. non est mirum, iunct. Gl. ver. fuerit in possessionem.

Non prohibetur autem qui rem in pignus seu hypothecam accepit, alteri oppignerare, sicuti habetur in l. 1. C. si pignus pignori datum est, & docent Anton. Negusanus p. 2. de pignoribus, memb. 3. num. 19. 1 Syl. ver. pignus, q. 8. vbi aiunt; Quòd pignus pignori dari potest in infinitum: quia quilibet ius sibi acquisitum in alterum transferre potest; ita tamen, vt si prioris creditoris ius per solutionem ipsi factam extinctum fuerit, etiam posterioris extinguatur: quia extincto iure concedentis extinguitur etiam ius accipientis. Enimuero qui pignus acceperat, cùm primùm debitum integrè solutum, aut eo nomine satisfactum est, restituere illud debet; & quidem tale, quale erat tempore traditionis; non dolo, aut culpa lata, vel leui deterius factum: alioquin tenebitur creditor actione pigneratitia, l. quamdiu, C. de distract. pignorum, l. creditor, 2. C. de pigner. act.

Duplex est pignus, siue hypotheca conuentionalis: 3 Vna generalis, quæ ad omnia bona se extendit, non solùm præsentia, sed etiam futura, l. 1. l. & quæ nondum, ff. de pignor. Quod verum est, licet debitor, verba illa, tam

ia, *tam præsentium, quàm futurorum*, non adiecerit; sed absolutè posuerit; *fide, & periculo rerum mearum*. Ita habetur in l. vlt. C. Quæ res pignori obligari possunt. Cæterùm in generali eiusmodi hypotheca non censentur ea comprehensa, quæ nemo prudens in specie facilè obligaret; vti sunt quotidiana vestis, & supellex, item Doctorum libri, artificum instrumenta; mancipiorum necessaria ministeria; demum quæ ad affectionem debitoris spectant, l. obligatione generali, ff. de pignorib. Particularis verò hypotheca est vnius, vel plurium rerum in specie obligatio.

Legitimum pignus siue hypotheca est, quæ neque Iudicis præcepto, neque partium conuentione; sed legis dispositione constituitur: quamobrem etiam tacita hypotheca vocari solet; & similiter distingui debet in vniuersalem omnium bonorum, & specialem certorum.

Legitimam, siue tacitam hypothecam habet fiscus in bonis cuiuscunque debitoris sui, siue ex contractu, l. 2. C. in quibus causis pignus, &c. l. 3. & 4. C. de priuil. fisci, siue pro censibus & tributis præstandis, l. 1. C. eod. & l. 1. C. si propter publicas pensitationes venditio facta fuerit. Nomine autem fisci intelligitur publicum ærarium Principis, vel Imperij.

Secundò, Bona omnia tutoris, vel curatoris tacitè obligata sunt pupillo, vel Minori pro administratione, l. pro officio, C. de administr. tutorum. Quod Gl. & Abb. c. ex literis, de pignoribus, etiam ad Ecclesias, & hospitalia transfert, vt & ipsa administratorum suorum bona obligata habeant, pro administratione. Quia *Ecclesia iure Minorum fungitur*, c. auditis, de in integrum restit.

Tertiò, Liberi habent tacitam hypothecam in bonis patris, pro administratione bonorum aduentitiorum, sicuti videre est in tribus vltimis ll. C. de bonis quæ liberis.

Quartò, Maritus habet tacitam hypothecam in bonis vxoris pro dote promissa sibi præstanda; vicissim vxor tacitam hypothecam habet in bonis mariti pro restitutione dotis, iuxta l. vn §. & vt plenius, C. de rei vxoriæ actione, §. fuerat, Instit. de action. Adde, quòd vxor, mortuo marito, bonis eius in domo relictis iure retentionis insistere possit; donec ei dos restituatur: cùm ob familiaritatem, coniunctionémque cum marito, domum, & quæ in ea existunt, veluti manu sua teneat, sicuti post alios annotauit Mynsing. cent. 6. obser. 82.

Quintò, Res empta ex pecunia pupilli tacitè hypothecata ipsi est, ita vt quoad pretium recuperandum, anteponatur aliis creditoribus, etiam anteriorem expressam hypothecam habentibus, l. idémque, ff. Qui potiores in pignore, iunct. Gl. ver. res fuerit.

Sextò, Quæ à conductore in vrbanum prædium inducta, vel illata sunt, tacitæ hypothecæ loco obligata censentur pro pensione, & damno rei, l. 2. & 4. ff. in quib. causis pignus, vel hypotheca tacitè contrahatur, l. si non inducta, C. eod. l. certi iuris, C. de locato & conducto. *In rusticis* verò *prædiis contra obseruatur*, ait Nerat. in cit. l. 4. id est, vt illata, vel inuecta domino obligata non sint: quia satis prospectum esse videtur in fructibus, quos tacitè sibi pro pensione obligatos habet, iuxta l. in prædiis, ff. ex quibus causis, &c. Quamuis Gl. in cit. l. 4. & plerique DD. in cit. l. certi iuris, existiment, etiam illata in rusticum prædium, vt ibi maneant, obligata esse, si dominus sciuerit: Ait enim Imper. *Certi iuris est, ea quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris iure dominis prædiorum teneri.* Nisi malis cum Gl. margin. interpretari *voluntate dominorum*, id est, *pacto*. Illud tamen negari non potest, quòd quæ inquilinus in domum inuexit, interim à domino retineri possint, donec ei pensio debita soluatur, ob generalem regulam vsu receptam apud Andr. Gaill. lib. 2. obser. 12. n. 5. Si res debitoris sine vitio perueniat ad creditorem, & subsit causa retinendæ rei cohærens, interim retineri posse; v. g. vestem à sartore, ob non solutā mercedem. Plura vide in cit. tit. ff. in quibus causis pignus, vel hypotheca cōstituetur, & apud Ant. Negusan. de pignor. p. 2. mēb. 4. Vasq. eod. tr. c. 3. §. 1. Angel. & Syl. ver. pignus, q. 1. Mol. disp. 497. & 536. Tolos. l. 23. syntag. c. 8.

Quæcunque res emi, vendique possunt, eæ etiam pignori obligari, l. sed & quod, ff. de pignorib. Quapropter debita, ideoque instrumentum donationis, venditionis, &c. item vsusfructus, emphyteusis (tamen sine præiudicio proprietarij) ac similia iura hypothecæ subijci possunt. Sed & vice versa, quæ res absolutè & propter se ipsas vendi prohibentur, earum etiam oppigneratio prohibita censetur, sicuti habetur in l. vlt. iun. Gl. C. de reb. alienis non alienandis. Tum quia species quædam alienationis latè sumptæ est oppigneratio; quippe per quā ius in re alteri acquiritur, sicuti constat ex cit. l. vlt. quāobrem in materia fauorabili alienationis nomine etiam oppigneratio comprehendi solet: tum quia oppigneratio est veluti via & dispositio ad venditionem: siquidem creditori datur pignus, vt postquam debitor est in mora soluendi, illud vendere, & ex eo sibi satisfacere liceat, sicuti constat ex tit. ff. de distract. pignorum. Quare homo liber, res sacra & religiosa, publicum forum, &c. sicuti vēdi non possunt, ita neque oppignerari, l. 1. §. eam rem, ff. Quæ res pignori dari, &c. l. sancimus, 1. C. de SS. Ecclesiis, l. si monumento, C. Quæ res pignori obligari possunt, &c. 1. de pignoribus. 4

Porrò sicut res sacræ, ratione materiæ, in casu necessitatis quandoque vendi; ita multò magis pignori dari possunt. Præterea, licet res sacræ, vt Ecclesię, sepulchra; ius patronatus, &c. per se vendi, vel oppignerari non debeant; per accidens tamen transeunt cum loco vendito, vel oppignerato, cui annexæ sunt, sicuti colligitur ex c. ex literis, de iure patronatus. Cæterùm, sicuti fructus, & cōmoditas pignoris nō ad creditorē, sed ad debitorē tanquam dominū pertinet; ita & vsus iurispatronatus, siue præsentatio, donec locus pignori subiectus vendatur, ad eundem pertinere debet, sicuti notauit Mol. disp. 530.

Denique & creditor pignus sibi datum alteri dare potest: & durat secunda oppigneratio, donec extinguatur prima, sicuti constat ex l. 1. C. si pignus pignori datū sit: Nā resoluto iure dantis, resoluitur etiā ius accipientis. Secūdus tamē creditor exigere potest à debitore, vt vel debitum sibi statim soluat, vel aliud ęquè bonum pignus tradat, l. cum debitore, iunct. Gl. fin. ff. de pigner. act. 5

Pactum legis cōmissoriæ, in eo consistens, vt, si debitum v. g. ex mutuo ad certum tempus solutum non sit, pignus creditoris existat, vel eidem venditum, in feudū, aut in solutum datum sit; tam ciuili, quàm canonico iure reprobatur, tit. C. de pactis pignorum & l. commissoria, c. significante, de pignorib. Iustum tamen est pactum, vt si ad certum diem solutio facta non fuerit, pignus creditori, iusto tunc pretio secundùm boni viri arbitrium æstimādo, vendi debeat, sicuti habetur in l. si fundus, §. vlt. ff. de pignorib. & docet Gl. in l. 1. C. de pactis pignorum, Abb. in cit. c. significante, n. 6. Nau. c. 27. n. 203. Nā eiusmodi obligatio debitori imponitur, partim in pœnam iustam propter dilatam solutionem; partim ob interesse creditoris, vt is indemnis seruetur. 6

Deinde apponi potest pactum, vt, si debitor in mora soluendi existat, v. g. si pensio, seu census biennio solutus non fuerit, pignus, vel hypothecam statim distrahere liceat: atque inde accepto debito, quod reliquum est, debitori restituatur, iuxta l. si conuenit, ff. de pigner. act. & videri potest Conrad. de contract. q. 84. Binsfeld. c. ni ciuitate, q. 12. concl. 5. Sin autem nihil conuentum de pignore distrahendo, nihilominus distrahi potest biennio post moram, & interpellationem debitoris, l. vlt. C. de iure dominij. Sed etsi conuētum fuerit, vt pignus distrahere non liceat, posteaquam tamen ter denuntiatum

est debitori, vt soluat; bienniumque interim elapsum est, pignus distrahere concessum est, vti habetur in cit. l. si conuenit, & docet Gloss. ibid. Syl. ver. pignus, q. 10. Nau. num. 205. Veruntamen si creditor pignus distrahat, non poterit ipsemet emere, ne quidem per interpositam personam, sicuti habetur in l. & qui, C. de distract. pignorum.

Denique si pœna conuentionalis mediocris, & sine vsurarum fraude, adiecta sit, soluenda à debitore, nisi ad certum diem satisfecerit; ea etiam in conscientiæ foro solui debet, si à creditore exigatur, postea quam debitor in notabili, eáque culpabili mora fuerit, sicuti docet Palud. in 4. d. 27. q. 1. a. 2. Pet. Nauar. lib. 3. c. 3. num. 236. Less. lib. 2. c. 20. dub. 15. contra Nau. c. 23. num. 67. Lopez lib. 1. de contract. c. 31. Sanchez lib. 1. de matrim. disp. 37. qui aiunt, pœnam conuentionalem ante Iudicis sententiam non deberi. Qua de re dixi suprà c. 16. n. 12.

7 Fructus, quos creditor ex pignore percepit, vel dolo, aut culpa sua percipere neglexit, computari debent in rationem exonerandæ sortis, vel expensarum, quas fecit circa pignus, sicuti habetur in l. 1. 2. & vlt. Cod. de pigner. act. videri potest Abb. cum Alexandr. de Neuo in c. 1. de furtis, Nau. c. 17. n. 216. Ratio est: Quia debitor manet dominus pignoris, ideo tam vsus, quàm fructus, vel æstimatio eorum eidem debetur. Vide Innoc. III. in c. cùm contra, de pignor. Abb. ibidem. Molin. disp. 535. & quæ dixi suprà c. 15. q. 4. Porrò, si creditor necessariarum atque vtilium, moderatarum tamen, expensarum compensationem in fructibus non percepit, eas contraria hypothecaria actione repetere potest: & interim, donec soluuntur, pignus retinere, l. si necessarias, ff. de pigner. act. l. creditor, 2. Cod. eod. l. in summa, Cod. de pignor.

8 Debitor non prohibetur rem nomine hypothecæ seu generalis, seu specialis alicui obligatam vendere, vel alio modo alienare, sicuti constat ex l. si conuenerit, §. si fundus, ff. de pigner. act. l. si debitor, C. de distract. pignorum: tenetur tamen ei, cui pignoris alienatio facta est, de euictione, sicuti colligitur ex cit. l. si debitor, & l. si prædium, C. de euictione. Refert autem, vtrum pignus sciente, & consentiente creditore alienetur; an eo ignorante, aut inuito: Primo enim casu, nisi protestetur, vt ius pignoris saluum sibi maneat, censebitur remittere, vti habetur in l. 2. C. de remiss. pignoris. Posteriore verò casu res transit cum onere ad quemcunque possessorem, à quo & vindicari potest, in defectum venditoris; si, inquam, priùs excussis bonis eius, fideiussorúmque, impar soluendo reperiatur, sicuti habetur in Auth. de fideiussorib. § sed neque, Auth. sed hodie, C. de action. & obligat. Auth. hoc si debitor, C. de pignoribus.

Qua simili ratione, si res particularis vni oppignerata, postea alteri oppigneretur, cùm tamen ad vtriusque debiti securitatem non sufficiat; refert, vtrum id factum fuerit sciente priore creditore, atque ignorante posteriore; tunc prior ille iure suo cedere videbitur, sicuti notat Mol. disp. 532. Sin autem inscio priore creditore, manet illi saluum ius pristinũ; sed posterior, si nesciuit, rem ante oppigneratam esse, agere potest aduersus debitorem suum hypothecaria actione, vt rem aliam sufficientem in pignoris locum substituat, l. tutor, §. 1. & l. si quis in pignore, §. vlt. ff. de pigner. act. Adde quòd in hoc casu etiam actio de crimine stellionatus, ob calliditatem debitoris intentari possit, sicuti habetur in citatis iuribus, & l. 3. ff. de crimine stellionatus, l. 1. 2. & vlt. C. eod. Dictum autem stellionatus, seu callidę simulationis crimen à stellione, varij coloris animali.

Quòd si aliquis rem non suam, sed alienam in pignus dedit, dominus eam vindicare potest; nisi sciens pignori datam esse, id ratum habuerit, l. 2. & vlt. C. si aliena res pignori data fuerit, & l. si fundus, §. 1. ff. de pignor. Sin autem pignus à domino vindicetur, is, qui bona fide acceperat, agere potest contra debitorem contraria pigneratitia actione, vt rem æquè bonam sibi in pignus det, l. quæ prædium, C. eod. & l. rem alienam, ff. de pigner. act. vbi additur; Si res aliena in pignus data, postea efficiatur eius, qui dedit, ex eo tempore, vt verum pignus subiectum manere creditori: Quare nihil obstat, quominus aliquis hypothecæ aut pignori subijciat rem, cuius dominium se acquisiturum speret, sicuti notauit Mol. disp. 529. arg. cit. l. si fundus, §. aliena, ff. de pignor. *Alienares vtiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit.*

Denique addendum, si ager, vel quæuis alia res fructifera oppignerata est, etiam fructus oppigneratos censeri; ita vt licet postea ager vendatur, & fructus ab emptore aut conductore percipiantur, hypothecæ nomine obligati maneant, l. quamuis, C. In quibus causis pignus, &c. Quin etiam fructus, qui post elocationem, aut venditionem sati & enati, oppignerati manent, dum solo cohærentes sunt: quia censentur pars fundi, ideóq; eandem hypothecæ obligationem sustinent; & possunt à creditore vindicari, deductis expensis, l. si fundus, §. in vindicatione, ff. de pignor. Postquam verò à fundo separati, seu percepti sunt, desinunt esse oppignerati; nisi ab hærede percipiantur, ad quem res oppignerata hæreditario iure peruenit, l. Paulus, §. si mancipia, ff. de pignor. & videri potest Mol. tom. 2. disp. 529. Less. l. 2. c. 28. num. 43. 9

CAP. XXXI.

De Transactione.

SVMMARIVM.

1 *Transactio est de re dubia, & controuersa non gratuita pactio.*
2 *Qui in transactione bona fide facta immodicè læsus est, rescissionem eius petere non potest.*
3 *Qui alienare rem prohibentur, ij neque circa eam transigere, aut compromittere possunt.*
4 *Procurator sine mãdato speciali trãsigere non potest, sicut nec alienare.*
5 *Transigere in crimine publico, cui pœna sanguinis imponi solet, prohibitum non est. In alijs verò criminibus, cum accusatore transigens pro confesso habetur, excepto crimine falsi.*
6 *Non valet transactio sine Iudice facta de relictis in testamento, nisi inspectis verbis testatoris.*
7 *Si transactio circa vnam, vel plures res particulatim fiat, non extenditur ad alias, eiusdem causa controuersia contentas, nisi connexæ sint.*
8 *Transactio generatim, seu indefinitè facta ad omnia particularia se extendere censetur, saltem ea, de quibus tractatus præcesserat.*
9 *Iudex in causa valde dubia transactionem partibus suadere debet, sed ad eam compellere non potest: exceptis quibusdam casibus.*
10 *Si diuisio hæreditatis v. g. inter fratres instituenda sit, ad maiorem natu pertinet ex æquo diuidere, ad minorem eligere.*

Transactio est de re dubia, & controuersa, non gratuita pactio. Ita sumitur ex l. 1. ff. de trãsactionibus, iun. l. transactio, C. eod. & docet Abb. in rubr. de transactionibus, Syl. ver. transactio, princ. Mol. t. 2. disp. 556. Dicitur de re dubia: Si enim pars transigens sciat, ius sibi nullum in re competere; tum in conscientiæ foro, tum etiam in externo transactio irrita est, vel saltẽ doli mali exceptione rescindenda, sicuti constat ex l. in summa, ff. de condict. indebiti, l sub prætextu, 1. C. de transaction. & docet Gl. in c. super eo, ver. dato, de transact. Abbas ibidem, in fine. Sin verò post transactionem bona fide factam, instrumenta, ac probationes reperiantur, viciari, aut rescindi non potest, cit. l. sub prætextu. 1

Vtrum autem immodicè læsus, postea restituendus sit, beneficio l. 2. Cod. de rescind. vendit. in vtramque partem disputant DD. apud Arium Pinellum in cit. l. 2. p. 1. cap. 4. num. 12. & seqq. Mihi autem certa videtur pars negatiua: Quia sicuti in ludo, ita & in 2

transactione paciscentes incerto euentui se sponte, atque reciprocè committunt: ergo de læsione conqueri non possunt, argum. l. Lucius, §. vlt. ff. Ad SC. Trebellianum, vbi id notauit Gloss. ver. posse. Necesse tamen est ad iustitiam transactionis, vt seruetur æqualitas inter paciscentes; ita, vt parti tantùm detur pro remissione iuris sui dubij seu controuersi, quanti illud prudentis viri arbitrio valet, alioquin, si notabilis inæqualitas sit, vel si in externo foro læsionem supra dimidium iusti accidisse probari possit, hoc casu concedendum esse videtur remedium rescindendi venditionem, aut reparandi læsionem, secundùm doctrinā Bartoli in cit. l. 2. argum. l. si superstite, Cod. de dolo malo. Quamuis id ferme in praxi receptū non est, teste Gaill. lib. 2. obseruat. 70. Nisi læsio accidat enormissima, seu nimis excedens dimidium iusti, ita vt dolum interuenisse, præsumi possit, vti videre est apud Mynsingerum cent. 6. obseruat. 91.

Et re controuersa: Siue quia lis in iudicio iam mota est; siue quia controuersia seu dubium inter partes ortum, vt in iudicij disceptationem venire possit, transactioni locus est, l. 2. C. de transact. Porrò transactio inter partes sine metu, ac dolo celebrata, parit exceptionem litis finitæ; perinde ac si res in iudicio decisa sit, sicut colligunt Doctores ex l. si super, l. fratris, C. eod. & habetur expressè in l. non minorem, Cod. eod. *Non minorem transactionem, quàm rerum iudicatarum auctoritatem esse.* At verò post latam à Iudice sententiā, frustra transigitur; nisi vel appellationis, vel in integrum restitutionis remedium (si Minor, vel Ecclesia notabiliter læsa sit) adhuc supersit, l. post rem, ff. eod. l. si causa, C. eod. l. eleganter, §. quid ergo, ff. de condictione indebiti, vbi Vlpian. ait; tunc solùm transactionem de re iudicata nullius momenti esse, *cùm de sententia indubitata, quæ nullo remedio attentari, seu infirmari potest, transigitur.* Quo casu, ne iuramento quidem transactionem confirmari, ita, vt ex ea ius alteri parti acquiratur, rectè docet Molin. cit. disp. 556. §. vtrum autem.

Non gratuita pactio. Quia vt dicitur in l. 38. *Transactio nullo dato, vel retento, seu promisso minimè procedit:* quare DD. ibi notant, quòd transactio sit contractus reciprocus, isque innominatus (nisi stipulatione & acceptilatione firmetur) v.g. do tibi centum aureos, vt lite abstistas, & ius omne, quod in re litigiosa prætendis, mihi cedas. In eóque differt à compositione amicabili, per quam pars debiti gratis remittitur, sicuti habetur in c. super eo, de transactionibus.

Suadetur autem transigentibus in l. pacto, & seq. ff. eod. vt pœna transactioni adijciatur, si ab ea recessum fuerit: tunc verò is, qui recessit, pœnam soluere cogitur; & si ea non sufficit, quanti interest alterius, transactionem seruatam non esse, l. prædia, ff. de actionibus empti. Sin verò transactioni, alteríque pactioni appositā pœnâ, insuper conuentum fuerit, quòd nihilominus pactum seruari debeat, tunc contraueniens ad vtrumque compelli potest, & vt pœnam soluat, & vt pactum impleat, l. qui fidem, ff. de transact. l. cùm proponas. C. eod. Idémque locum habet, si transactio, cui pœna apposita erat, iuramento confirmata sit, l. si quis maior, C. eod.

3 QVAESTIO PRIMA. Quæ personæ transigere non possunt? Respondeo: Qui alienare rem prohibentur, ij neque circa eam transigere, aut compromittere possunt. Exempli causa, hæres fideicommisso grauatus; Tutor item sine Iudicis decreto, sicuti alienare bona immobilia prohibetur, ita etiam transigere, l. non solùm, C. de prædiis Minorum. Et similiter vasallus in feudo ex prouidentia sine consensu domini, & agnatorum transigere, aut compromittere non potest. qua de re Clarus ver. feudum, q. 38. 39. Mol. disp. 557. Transactio item in bonis Ecclesiasticis immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quæ seruari possunt, si fiat sine debita solemnitate, irrita est non minùs, quàm alienatio, argum. c. contingit, vbi id notat Abb. n. 3. de transact. & c. cum tempore, de arbitris, in quo habetur; Quòd Prælatus exemptus non possit in præiudicium exemptionis Ecclesiæ suæ compromittere. Et Procurator Principis, alteriúsve personæ, sicut alienare rem non potest, ita neque super ea transigere, sine mandato speciali, l. transactionis, C. eod. l. nulli, C. eod. l. mandato, C. de Procuratorib. Præterquam si in aliqua causa, libera ipsi administratio relicta sit, l. Procurator cui, C. de Procuratoribus, c. qui ad agendum, eod. in 6. Deinde, si Prælatus, tutor, aut quilibet administrator ita trāsactionem peragat, vt non sit periculum rei alienandę, sed potiùs acquirendę: ideóque Ecclesiæ aut domini conditionem meliorem efficiendi, subsistere transactionem, docent DD. in l. Præses, C. de transactionibus, Gl. & Bartol. in citata l. nulli, Abb. in cit. c. contingit, n. 3. Mol. disp. 557. §. secundus est, vbi generalem & communiter receptam doctrinam tradit: Transactionem valere, si ita fiat, vt res apud eum permaneat, qui illam alienare non potest: & causa litis finiendæ v. g. pecunia offeratur. quod idem docet Clarus de transactione super feudo, §. feudum, q. 38. 4

Denique excipitur casus necessitatis, in quo bona alioquin vinculata, seu alienari prohibita, per transactionem, aut compositionem in alium deriuari possunt, præsertim Principis accedente consensu: Vt si id necessarium esse iudicatur ad diuturnas lites finiendas, scandala impedienda. Etenim si prohibeatur res aliqua alienari, intelligi solet de alienatione voluntaria, non item necessaria. Ita ex communi Molina cit. disp. 557. §. Tertius est.

QVAESTIO SECVNDA. Super quibus rebus transactio, vel compromissum fieri non possit? Respondeo: Primò, Super re spirituali transactio, sicuti & omnis pactio reciproca, irrita & simoniaca censetur, si fiat dato, vel accepto aliquo temporali, c. super eo, c. præterea, 1. & 2. de transact. & videri potest Syl. ver. transactio, & quæ dicam lib. seq. tract. 10. c. vlt. § n. 34. & 35.

Secundò, Circa accusationem de crimine quatenus transigere liceat, habemus decisionem l. 18. C. de transaction. *Transigere, vel pacisci de crimine capitali* (id est, cui pœna sanguinis decreta est) *excepto adulterio, prohibitum non est.* Rationem dant DD. ex l. 1. ff. de bonis eorum, qui ante sententiam, &c. *Ignoscendum Principes censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit*, videlicet dando aduersario pecuniam, vt accusatione absistat, secundùm Gl. ver. qualiter qualiter. Excipitur autem adulterium communiter, l. 2. C. Ad l. Iuliam de adulteriis. Idque propter dedecoris notam, quæ coniugi innocenti, eiúsque consanguineis ex tali transactione aspergi potest. Sequitur in cit. l. transigere: *In aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis pœnam non ingerunt, transigere non licet, citra falsi accusationem.* Vbi inprimis nota, excipi accusationē de falsi crimine, circa quod trāsactio valida est, l. si ex falsis, C. eod. Quia licet pœnam sanguinis non ingerat, tamen condemnato grauem infamiam irrogat; à qua se liberare Reus omnimodè desiderat. quam rationem ex communi dat Clarus lib. 5. sent. §. fin. q. 58. num. 18. Veruntamen praxis Iudicum obtinet, vt licet accusatio de crimine per trāsactionem abolita sit; Iudex tamen vel alio accusante, vel ex proprio officio per inquisitionem, instituto nouo iudicio, procedere non prohibeatur, sicuti testatur Clarus §. fin. q. 58. n. 3.

In aliis verò publicis criminibus, quibus pœna sanguinis irroganda non venit, si Reus, aliquo dato, cum aduersario transigat, habetur pro confesso, l. vlt. ff. de præuaricatoribus, l. athletas, §. vlt. ff. de his qui notantur infamia, ibi: *Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciscitur.* Quare ordinaria criminis eius pœna

affici potest; nisi sufficienter probet, se innocentem esse, & pecuniam v.g. dedisse duntaxat ad vexationem redimendam, l. serui, Cod. Ad l. Iuliam de adulter. l. si ab eo, ff. de calumniatoribus, & docet Gloss. in l. vlt. ver. habetur, C. de præuaricatione, Molin. tract. 3. disput. 46. conclus. 3. Deinde, si accusatus gratuitò pactus sit cum aduersario, licet pactio talis in publicis criminibus sanguinis pœnam non irrogantibus irrita existat, ne crimina talia impunita permaneant, sicuti ex communi tradit Clarus cit. q. 58. n. 19. tamen paciscens non ideo pro conuicto, aut confesso habetur, neque infamis efficitur, sicuti colligitur ex l. in fisci, & notat Mol. cit. conclus. 3. §. dubium est.

Sed quid sentiendum de priuatis criminibus, quibus pœna sanguinis non irrogatur? Respondet Gl. in cit. l. transigere, ver. publicis, Gomez 3. resol. c. 3. n. 54. Clarus cit. q. 58. n. 16. Andr. Fachin. lib. 1. contr. c. 9. Mol. l. c. Si de tali crimine, puta iniuriarum, criminaliter agatur, transactio irrita est, & accusatus transigens pro confesso habetur; non minùs, quàm in transactione de crimine publico. Sin verò agatur ciuiliter ad pœnam applicandam parti læsæ, transactio, sicuti & gratuita pactio, valet.

6 Tertiò, non valet transactio sine Iudice facta super relictis in testamento, vel codicillo, nisi inspectis, cognitisque verbis testatoris, l. 1. §. ratio, ff. Quemadmodum testamenta aperiantur, l. non est ferendus, ff. de transact.

Quartò, transactio insuper alimentis in futurum debitis ex vltima voluntate, si sine Iudicis auctoritate fiat, irrita est; nisi ita fiat, vt per eam conditio alimentarij melior fiat, l. hi qui, §. eam transactionem, ff. de transact. l. de alimento, C. eod. vbi dicitur, de alimentis secundùm tempus præteritum transigi posse; non autem de alimentis, quæ in futurum debentur. Quia ex futuris alimentis vita hominis, cui testator prospectum esse voluit, dependet. Si tamen transactio iuramento confirmetur, videtur obligationem parere, ob iurisiurandi religionem, sicuti ex probabiliore Couar. c. quamuis pactum, p. 2. §. 6. num. 12.

7 QVÆSTIO TERTIA. Quàm amplè transactio interpretanda sit? Respondeo, & dico I. Si transactio fiat circa rem vnam, aut plures particulatim, extendi non debet ad res alias in eiusdem causæ controuersia contentas; præterquam si dependentes, & connexæ sint. Ita habetur l. si vnus, §. ante omnia, ff. de pactis, iunct. Gl. ver. noceat. Similiterque dicendum, si transactio facta sit super petitione rei non absolutè, aut vniuersim; sed ex tali genere actionis intentatæ, aut intentandæ; nihil obstare, quominus ex aliis causis ac titulis res eadem in iudicio peti possit, sicuti ex communi docet Abb. in c. 1. de transact. in fine, arg. l. si ita quis, §. vlt. ff. de verb. obligat.

8 Dico II. Si transactio fiat generaliter, seu indefinitè (indefinita enim enuntiatio æquiualet vniuersali, sicuti Abb. testatur in cit. c. 1. num. 6. ex l. vlt. ff. de vino, tritico, & oleo legato, c. vt circa, de elect. in 6.) extendit se ad omnia particularia contenta, etsi ea in specie cognita sint, l. tres fratres, ff. de pactis, l. sub prætextu, 2. Cod. de transact. Quia satis est, ea confusè siue in genere cognita, adeóque comprehensa fuisse, si excepta non sint.

Limitatur primò: Nisi transactio facta sit super relictis ex vltima voluntate, sicut dixi quæst. præced. Secundò: Nisi dolo alicuius transigentium res aliquæ occultatæ sint, cit. l. tres fratres, ff. de pactis, l. qui cum, §. qui per fallaciam, ff. de transactionibus. Tertiò: Licet transactio verbis generalibus, aut indefinitis concepta videatur, restringitur tamen ad rem: seu causam, de qua inter partes actum erat, l. si de certa, Cod. eodem, cit. l. qui cum, §. transactio, & docet Gloss. in c. 1. ver. sit vacuum, Abb. num. 6. de transact.

Imò generatim dici debet; Quòd in omni dispositione, etiam iuris stricti, clausula generalis refertur tantùm ad specificata, siue de quibus tractatus præcessit. Exempli causa: Orta controuersia inter defuncti matrem, atque vxorem, ob relictam hæreditatem tractabatur de debitis illius ex variis contractibus, postea per transactionem vxor in se suscepit omnia defuncti debita. Explicanda ista clausula est, quòd vxor satisfacere velit omnibus creditoribus, tum iis, qui sua debita iam petiuerunt, tum iis, qui postea comparituri sunt, licet modò ignorentur. Non tamen extendenda est clausula illa ad debita ex vltima voluntate: v. g. si defunctus anniuersarium fieri statuisset, vxor ex vi transactionis ad illum expediendum se obligasse censenda non est, cùm de tali genere obligationis actum non fuerit.

Ad extremum tria moneo: Primum. Valde consultum esse Christianis, vt ortâ inter eos aliqua controuersiâ, transactioni, vel amicabili compositioni, aut arbitrium iudicio causam committant potiùs, quàm vt iudiciaria lite longo tempore se fatigent. qua de re videri potest Ioan. Molanus tract. de testam. piis, c. 74. & 75.

Alterum. Quòd Iudex ordinarius in causa valde dubia transactionem suadere, eamque ex partium consensu factam exequi debet: Ordinariè tamen cogere non potest partes ad compositionem, vel transactionem; sed iis poscentibus, ius dicere, siue sententiam pronuntiare debet, sicuti docet Gloss. communiter receptam in l. 1. §. & post, ff. de operis noui nunciat. Abb. cap. cùm inter R. num. 9. de elect. & cap. si quando, n. 3. de offic. Iudicis delegati. Quod limitatur primò; Nisi sit Iudex supremus, qui in causa illa liberam disponendi facultatem obtineat; puta Papa in Ecclesiasticis beneficiis, sicuti notauit Abb. in c. cùm pridem, num. 5. de pactis. Secundò: Si partes diu litigauerunt, quia causa valde dubia est, vt difficile sit eam decidere: hoc casu Iudex, præsertim supremus ad transactionem partes compellere potest, vti docet idem Abb. c. cit. c. cùm inter, num. 9. eodémque modo intelligi potest Gloss. c. per venerabilem, ver. fauere, de elect. Quin & Episcopus in causa beneficiali, gratia litis finiendæ, aut pacis retinendæ, transactionem, seu compositionem, interdum decernere poterit: v. g. vt vni parti beneficium cedatur, alteri verò pensio designetur, vel litis expensæ prestentur: licet ipsæmet partes absque Ordinarij auctoritate eiusmodi pactum constituere non possint, propter periculum simoniæ, sicuti annotauit idem Abb. in cit. c. cum pridem, n. 8. 9

Tertium. Si hæreditas, v.g. quam pater in testamento non diuisit, inter fratres post mortem illius diuidenda sit, ad conuentionem tollendam, generali consuetudine receptum esse, testatur Gaill. lib. 2. obser. 16. n. 14. vt maior natu arbitratu suo ex æquo diuidat; minor autem eligat. idque sumitur ex c. 1. de Paroch. & S. August. lib. 16. de ciuit. c. 20. vbi disserens de diuisione terræ inter Abram, & Loth Gen. 13. *Hinc fortassis effecta est*, inquit, *inter homines pacifica consuetudo, vt quando terrenorum aliquid patiendum est, maior diuidat, minor elligat.* Vbi verò talis consuetudo recepta non est, ad Iudicem pertinet, diuisionem iustam instituere, §. si familiæ, Inst. de offic. Iud. & interdum rem sorte transigere, l. si quæ sunt, ff. Familiæ herciscundæ. 10

TRACTATVS

TRACTATVS QVINTVS DE TESTAMENTO, ALIISQVE VLTIMIS VOLVNTATIBVS.

CAP. I.

Quid ſit Teſtamentum & quotuplex.

SVMMARIVM.

1 *Teſtamentum definitur voluntatis noſtræ iuſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem fieri velit.*
2 *Teſtamentum inter vltimas voluntates principatum tenet.*
3 *Duplex eſt teſtamentum, vnum in ſcriptis, & alterum nuncupatiuum.*
4 *Pactum de futura ſucceſſione irritum eſt.*
5 *Pactum ſucceſſionis in propria hæreditate fauore militum & cauſæ piæ explicatur, vt ſit inſtar vltimæ voluntatis, quæ ante mortem non confirmatur.*

TEſtamentum *ex eo appellatur*, inquit Iuſtinianus in Inſtit. de teſtam. ordinandis, *quod teſtatio mentis ſit*. Nam ſicuti ornamentum ab ornando; calceamentum à calciando; ita & teſtamentum à teſtando dicitur: ſed alluſionis pariter, vt & declarationis maioris cauſa, addidit ille voculam *mentis*: quemadmodum etiam Paulus in l. ſenatus, ff. de donat. mortis cauſa ait; *Donatio dicta eſt à dono, quaſi doni datio.*

Græcè dicitur Διαθήκη, id eſt diſpoſitio: ſumitur enim nomen generis pro ſpecie: ſiquidem vtraque illa dictio tam in græca, quàm latina non ſolùm vltimam morientium teſtationem, ſed etiam viuentium pacta & pollicitationes comprehendit. Ex quo factum eſt, vt cum in ſcriptura ſacra ſecundùm hæbraicam lectionem, eſt ברית, id eſt fœdus, ſiue pactum; ſeptuaginta interpretes, & Apoſtoli verterint διαθήκην; iterum nomen generis loco ſpeciei ſumentes: ac denique latinus interpres tranſtulerit *teſtamentum*; diuino haud dubiè conſilio, eò quòd fœdera, & diſpoſitiones, quas Deus miſericorditer cum hominibus pepigit, potiſſimum cum ſanguine & morte acciderunt, vt teſtamenti ſimilitudinem gererent, ſicuti indicat Apoſt. ad Hebr. 9. S. Ambroſ. de Cain & Abel, cap. 7. *Teſtamentum dicitur, quo defertur bonorum hereditas. Meritò & teſtamentum dicitur, & diuinum: cùm ea, quæ verè bona ſunt, atteſtatione mandatorum cœleſtium conferuntur. Et teſtamentum dicitur, quoniam ſanguine dedicatum eſt: vetus in typo, nouum in veritate. Quo teſtamento diuinæ gratiæ pignus tenemus: quia ſic Deus dilexit hunc mundum.* Vide Couar. p. 1. rubr. de teſtam. n. 1. & 21. Ioan. Lorin. ſuper cap. 3. Act. n. 25. poſt Lactantium lib. 4. de diuin. inſtit. c. 20.

1 Teſtamentum, inquit Vlpian. in l. 1. ff de teſtamentis, *eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*. In qua definitione generis loco ponitur, *ſententia iuſta voluntatis*, id eſt, diſpoſitio legitima, ſiue iuri congrua, voluntatis noſtræ interpres: Secundùm quod conuenit teſtamentum cum pactis & contractibus inter viuos. Quare additur loco differentiæ, *de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit*. Nam teſtamentum, & quæuis vltima voluntas refertur in tempus mortis, in quo vim & robur ſuum accipit, teſtante Apoſt. ad Hebr. 9. *Vbi teſtamentum eſt, mors intercedat teſtatoris neceſſe eſt. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt: alioquin nondum valet, dum viuit qui teſtatus eſt.*

Sed difficultatem mouet Doctoribus, quòd hæc teſtamenti definitio etiam reliquis vltimis voluntatibus, puta codicillo, legato, &c. conuenire videatur: cùm & illæ iuſtæ diſpoſitiones ſint eorum, quæ poſt mortem fieri debeant. Reſpondetur; In analogis, quæ attributionis dicuntur, quorum vnum plenam & perfectam rationem definiti participat; alia verò imperfectè, & acceſſoriè; conſultiſſimum eſſe definiri id; quod principale eſt: ex quo reliqua facilè intelligi poſſunt. Atqui inter vltimas voluntates ſeu diſpoſitiones, primum ac perfectiſſimum eſt teſtamentum; quippe in quo vniuerſalis hæres, defuncti perſonam repræſentans, inſtituitur, in quem bona omnia, iura & actiones tranſire debeant; ita vt hæredis inſtitutio ſit caput teſtamenti, atque ſine ea teſtamentum nullum eſſe poſſit, §. ante hæredes. Inſtit. de legatis, l. iubemus, §. quòd ſi non fuerit obſeruatum, C. de teſtam. & docet Gl. in c. cùm tibi, de teſtam. Reliquæ autem vltimæ diſpoſitiones, hæredis inſtitutionem non requirentes, imperfectæ, atque diminutæ ſunt, vt infrà apparebit. Idque Bartolus in cit. l. 1. arbitratur Vlpianum indicaſſe, cùm dixit, teſtamentum eſſe ſententiam, *iuſtam*, id eſt, perfectam: quia perfecta non eſt, niſi hæres bonorum vniuerſalis inſtituatur: quod propriè & directè ſolùm fit in teſtamento, ſpectato iure ordinario, & ſecluſo ſpeciali priuilegio; quod v. g. militibus datum eſt, vt etiam codicillo hæredem directè inſtituere poſſint, l. militis, ff. de re militari. Quòd ſi hæc Bartoli interpretatio alicui non ſatisfacit; tum dicat; Teſtamentum dici *iuſtam* ſententiam, id eſt, ſolemnem, ſeu iuris ſolemnitatibus nixam; quæ ſi ad amuſſim non obſeruentur, teſtamentum irritum redditur. Quæ explicatio ſumitur ex rubr. & l. 1. ff. de iniuſto, rupto, & irrito facto teſtamento. 2

Duplex eſt teſtamentum: Vnum in ſcriptis, ſiue clauſum, quod teſtator ſua ipſius, vel alterius cuiuſcunque manu conſcriptum; ſeptem teſtibus maſculis, puberibus, liberis, ad id rogatis ſeu vocatis, omnibus ſimul præſentibus, ipſúmque teſtatorem videntibus, offert: profitendo eſſe ſuum teſtamentum: inſuper ipſemet, ſi ſciat, ac poſſit, ſua manu coram teſtibus teſtamento ſubſcribit; vel alius pro eo octauus teſtis, ſiue ſubſcriptor adhibitus. Poſtea teſtes omnes ſeptem teſtamentum vno, eodémque continuato tempore ſubſcribere, & proprio, vel alieno ſigillo conſignare debent: imò omnes vno ſigillo vti non prohibentur. Ita habetur in l. hac conſultiſſima, C. de teſtam. iuncto §. ſed cùm paulatim, & ſeqq. Inſtit. eod. Additur verò in l. cùm antiquitus, C. eod. Si quis ſua manu totum teſtamentum, vel codicillum confecit, idque ſpecialiter in ſcriptura expreſſit, tunc opus non fore eiuſdem, vel alterius pro eo, ſubſcriptione. 3

Alterum eſt teſtamentum nuncupatiuum, quod minorem ſolemnitatem requirit; ac ſolùm, vt ſeptem

testes (quales suprà descripsimus) simul vocati sint, qui audiant & intelligant testatoris voluntatem, coram eis, scripto, vel voce articulata prolatam, cit. l. hac consultissima, §. per nuncupationem, l. iubemus, iun. l. quoniam indignum, Cod. eod. Quamquam hodie nuncupatio talis coram testibus à Notario publico in scripturam redigi plerumque solet; non ad actus substantiam seruandam, sed ad meliorem eius comprobationem, & securitatem: quia fieri potest, vt testes interim decedant, vel inhabiles reddantur, quominus coram Iudice defuncti voluntatem declarare queant. quorum defectum publicum Tabellionis instrumentum abundè supplet; vt insinuatione nulla apud Iudicem opus sit, sicuti docent DD. in l. 2. C. quemadmodum testamenta aperiantur. Couar. c. cùm esses, n. 2. de testam.

Addendum his est, alios quoque præter eos, quos suprà dixi, à testium numero tam in clauso, quàm nuncupatiuo testamento repelli, de quibus fit mentio in §. testes, §. pater, & seq. Instit. eod. Videlicet surdus, mutus, vt & cæcus: item furiosus, prodigus, iure infamis, atque ad testamentum inhabilis; & qui in testatoris potestate est; pater quoque, & qui in patris potestate est, in filijfam testamẽto nonrectè testis adhibetur; neq; hæres ipse, aut qui in potestate hæredis est, aut pater qui eundem hæredem in potestate habet; neque fratres in eiusdem patris potestate existentes: sed in testamento extranei, tales testes esse possunt. Legatarij quoque non prohibentur esse testes in eo testamento, in quo ipsis aliquid relictum est; sicuti & qui tutor liberis à patre nominatus est, l. Qui testamento, ff. Qui testamenta facere possunt: quia tales non censentur esse testes in causa propria, cùm de testamenti factione principaliter testentur. Qua simili ratione decernitur in l. dictantibus, C. de testam. quòd dictanti testamentum aliquid legari possit; quamuis Tabellioni, seu scribendi testamenta nihil relinqui possit, C. de his qui sibi in testam. ascribunt. Denique Religiosi testimonium à testamentis non repellitur, secundùm communem DD. sent. apud Clarum lib. 3. sentent. §. testamentum, q. 55. n. 7. licet peccet, si absque Prælati licentia officium testis suscipiat.

In §. sed cùm aliquis, Instit. eod. ita habetur: *Cum aliquis ex testibus, testamenti quidem faciendi tempore liber existimabatur, postea autem seruus apparuit; Hadrianus, Seuerus item, et Antoninus rescripserunt, subuenire se ex sua liberalitate testamento, vt sic habeatur firmum, ac si, vt oportebat, factum esset.* Quam constitutionem Do communiter, ob eandem æquitatis rationem, ad similes quoque testium defectus publicè ignoratos, producere solent: veluti si impubes, aut intestabilis adhibitus erat, qui vulgò pubes, aut testabilis iure credebatur; nihil obstante, quòd vnus, aut alter, & fortasse ipsemet testator defectum non ignorârint. Ratio est: Quia error communis impedimenti latentis ius confert, sicuti latiùs dixi lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 9. Vide Mynsing. & alios commentatores super cit. §. Instit. & præced. §. testes, vbi Angelus regulam tradit, Quòd *quicunque testis in iudicio esse prohibetur, neque ad testamentum admitti potest, sed non ita se res habet vice versa.*

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum valeat testamentum, si Tabellione, vel alio quopiam coram testibus interrogante testatorem, num hanc personam, v. g. Caium auunculum suum, hæredem instituere velit, testator verbo expresso annuat? Affirmant Gl. & DD. communiter in l. iubemus, C. de testam. Abb. & alij in c. cùm tibi, eod. tit. ibidem Couar. n. 5. Mol. cit. disp. 127. Quanquam eiusmodi testamenta sæpe infringi solent, allegando, testatorem tunc non satis compotem mentis fuisse, aut morte oppressum, vel ob aliquam importunitatem suggestioni contradicere non ausum. Vide Iul. Clarum q. 37.

QVÆSTIO SECVNDA. An valeat testamentum, si testator hæredis institutionem, & legata coram septem testibus non exprimat; sed solùm mentionem faciat scripturæ, aut schedulæ, quam tali personæ v. g. Confessario suo tradiderat, in qua voluntatem suam contineri asseueret? Affirmant DD. communiter apud Clarum lib. 3. receptar. q. 4. & q. 36. Couar. cit. c. cùm tibi, n. 6. Molina lo. cit. Dummodo postea satis constet, schedulam quæ exhibetur, esse eam ipsam, de qua testator locutus fuit.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum pactum de futura successione valeat? Responsio est negatiua. Quia ius hæreditatis futuræ pacto acquiri, vel auferri nequit, l. hæreditas, iun. Gl. ver. interpositum, C. de pactis, conuentis, c. quamuis, iun. Gl. ver. improbet, de pactis, in 6. & l. licet, C. de pactis, vbi dicitur; *Pactum inter priuatos scriptum, vt is qui superuixerit, alterius rebus potiatur, ne donationis quidem mortis causa gestæ speciem efficaciter ostendere.* Excipe primò, Quòd in ead. l. licet, militibus priuilegium concessum sit, vt si de hæreditate propria paciscantur, pactum hoc, quod suapte natura irreuocabile, ideoque irritum est, quia testandi facultatem auferens; benignè explicetur tanquam donatio facta mortis causa, ita vt ante mortem reuocari semper possit. 4

Excipe secundò. Quòd pactum successionis in hæreditate propria, fauore piæ causæ subsistit, tamen per modum vltimæ voluntatis, seu donationis mortis causa factæ, sicuti de milite dictum fuit. quę est communior sententia Doctorum, quos citat, & sequitur Sanchez lib. 7. moral. c. 2. n. 51. contra Baldum l. 1. C. de SS. Ecclesiis, & alios apud Tiraquel. priuilegio 105. piæ causæ. Nam istas solemnitates, quæ supra ius gentium & naturale, ciuili iure introductæ sunt, vt videlicet hæreditas certa forma aut dispositione conferatur, in causis piis locum non habere, certum est. Volo dicere; si aliquis velit sua bona post mortem suam Ecclesię, vel pauperibus obuenire, quomodocunque disponat, vel paciscatur, validam esse dispositionem, ita tamen, vt ante mortem reuocare possit. 5

Tertiò excipiunt aliqui: Valere eiusmodi pactionem etiam inter priuatos quoslibet, si instituta sit non in vniuersitate bonorum, sed certa hæreditatis parte: quia hoc casu testandi facultas non adimitur. Sed non videtur admittenda hæc exceptio: Nam propria ratio, cur hęreditas pacto dari non possit, ea est: quia ciuili iure certę formulæ introductæ sunt, quibus dispositio bonorum in mortem disponentis relata, fieri possit, quæ sunt testamentum, codicillus, fideicommissum, legatũ, causa mortis donatio: tale autem non est pactum, quippe suapte natura irreuocabile: nisi quòd secundùm militum, & causæ pię priuilegia, potiùs voluntas dispo-nentis sequenda sit, vt valeat dispositio modo meliore, quo valere potest. quam doctrinam bene tradit Andr. Fachin. lib. 5. controu. cap. 84.

Quartò excipiunt aliqui apud eundem Fachinæum cap. 86. valere eiusmodi pactum inter priuatos, si fiat de futura hæreditatis successione reciproca. Quæ exceptio minimè admittenda est, cùm apertè repugnet lex cit. licet. Attamen validæ censeri debent eiusmodi dispositiones, si fiant per modum donationis mortis confirmandę. ídque inter coniuges receptum esse in Germania, testatur Mynsinger cent. 2. obseru. 33. eodémque modo intelligendi sunt Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 126. Nicolaus Euerardus tom. 2. consil. 21.

Illud quoque fateri oportet, & colligitur ex l. captatorias, ff. de hæred. instituend. nihil obstare, quominus duo mutua affectione se hęredes instituant. Quod inter coniuges frequenter vsurpatum est, vt etiam in eadem membrana se mutuò hęredes scribant. Quo tamen casu duo censentur esse testamenta; vt proinde vtriusq; nomine subscriptionis, & sigilla apponi debeant, atque

vtrique integrum sit suam voluntatem, seu testamentum postea mutare, sicuti docet Mynsing.cent.1.obser.8.Gaill.lib.2.obser.117.Mol.disp.152.

CAP. II.

De Testamentis Priuilegiatis.

SVMMARIVM.

1 *Legata ad piam causam censentur, quæ præcipuè, ac directè facta sunt ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animæ spiritualem salutem.*

2 *In testamentis & legatis ad causas pias nulla ciuilis solemnitas requiritur.*

3 *Seu nutu, seu quocunque signo ad piam causam quippiam relinquatur, valida est dispositio.*

4 *Vnus testis sufficiens non est ad probationem, cum alterius præiudicio.*

5 *Nulla testium probatione opus est, quando de veritate constat.*

6 *Testamentum inchoatum, sed non perfectum, valet duntaxat quoad legata pia.*

7 *Testamentum alterius arbitrio commissum valet piæ causæ fauore.*

8 *Captatoria institutio irrita est.*

9 *Legata ad causam piam ab hæreditatis aditione non dependent, sicuti legata profana.*

10 *Testamentum ad pias causas valet etiam quoad legata profana accessoriè inserta.*

11 *Testamentum non solemne inter liberos valet.*

12 *Licet extrinseca testamenti imperfectio, ob legalium solemnitatum defectum, non vitiet testamentum inter liberos, secùs tamen dicendum de imperfectione intrinseca, videl. si testator voluntatem non plenè declarârit.*

Testamentum nutu conditum inter liberos non valet; licet valeat, si ita ad pias causas conditum fuerit.

13 *In testamento scripto inter liberos condito maior solemnitas requiritur, quàm in nuncupatiuo.*

14 *Testamentum, quod miles in bellica expeditione sine iuris solemnitate condidit, firmum est, etiam post missionem, si ille intra annum moriatur.*

15 *Testamentum coram Principe, oblato libello, conditum; vel coram Iudice publicè insinuatum, aliam testium, &c. solemnitatem non requirit.*

16 *Hominibus rusticanis sufficiunt quinque testes, si plures in loco vbi testamentum condere volunt, haberi nequeunt.*

17 *Æquum est, vt si in loco, v.g. pestis tempore, plures testes aduocari non possint, duorum præsentia ad valorem testamenti sufficiat: licet spectato iuris rigore aliud dicendum sit.*

18 *In terris summo Pontifici subiectis valet testamentum coram Parocho, & duobus, vel tribus aliis testibus conditum.*

1 TEstamenta priuilegiata voco, in quibus vel nulla omnino iuris ciuilis solemnitas requiritur; vel non tam plena & perfecta, sicuti in aliis. Ex horum numero primum locum obtinent testamenta, itémque legata ad causas pias; id est, quæ præcipuè ac directè facta sunt ob Dei, aut Sanctorum honorem, vel animæ spiritualem salutem; puta quæ Ecclesiis, aliísue pijs locis, vel in captiuorum redemptionem, in pauperum, vel Religiosorum, quamuis consanguineorum, sustentationem, in satisfactionem pro peccatis, in mortuorum suffragia, &c. relicta sunt, qua de re Abb. in rubr. de testam.n.9.& c.relatum 1.n.7. Bart.in l.si quis Titio, ff.de legat.2. Nau.in Apol.de redit. Eccl., q.1.mon.26.Syl. ver.legatũ,4.q.1.& 2.Mol.disp.134.Paulus Comitolus respons.moral.lib.7.q.4.n.3.& fusè Tiraquell.in præfatione tract.de priuilegiis piæ causæ. Porrò si Episcopo, vel alij Ecclesiastico Prælato aliquid relictum fuerit, in dubio censeri debet intuitu Ecclesię legatum: nisi propinquus sit, qui reliquit, vt præsumptio sit, intuitu personæ relictum fuisse. Ita habetur in c. reliquisti, de testam.

2 Est autem hoc proprium insigne testamenti ad pias causas, quòd in eo nulla omnino ciuilis legis, aut consuetudinis solemnitas requiratur; sed solo naturali, diuino, ac gentium omnium iure subsistat, sicuti docent Bart. aliique DD. in l.1.C.de sacrosanct. Ecclesiis, Abbas, & alij in cit.c.relatum, 1.de testam. Clarus q.6.Tiraq.de priuileg.piæ causæ, priuil.3.& 164.Nicol. Euer. t.1.consil.27.& 28.& alij omnes. Ratio est: Quia iura secularia causis Ecclesiasticis, siue ad supernaturalem hominis finem, spiritualémque salutem directè spectantibus, nullum præiudicium afferre possunt, nisi à Sum. Pontifice approbata & recepta sint, iuxta c. Ecclesia, de Constit. Atqui solemnitates testamentorũ ciuili iure introductas circa pias & Ecclesiasticas causas, receptas non esse, constat ex cit.c.relatum 1.de testam. & fatentur DD.communiter.

Corollarium I. Etsi ciuili iure hæredis declaratio nutu facta, irrita sit; l. iubemus, C. de testamentis; non item legatum, sicuti constat ex l.nutu, ff.de legat.3. & ex communi docet Cou.c.cùm tibi, de testam.n.4.& 5. Tamen quod attinet ad causas pias, tam in testamento, quàm in legato sufficit quocunq; signo externo voluntatem defuncti declaratam esse: quia iure naturali ac gentium plus non requiritur. Imò etiam qui natura mutus pariter ac surdus est, volũtatem suam vltimam ad causas pias, quomodocunque potest, manifestare nõ prohibetur, sicuti docet Abb.in rubr.de testam.n.9. Clarus §.testamentum, seu lib.3.receptarum sententiarum, q.6.n.7.& significat. Gl.in cit.c.cùm tibi. 3

Corollarium II. Validum est testamentum, & quæcunque vltima voluntas ad causas pias manu testatoris scripta, etsi nullus testis adhibitus fuerit; modò sufficienter constet, esse testatoris scripturam, sicuti docet Tiraq.priuil.4. Quia, vti rectè idem ait priuileg.2.& Couar.c.relatum, 1.de testam.n.12. Mol.disp.134. Less. lib.2.c.19.dub.2. Interuentus testium non requiritur ad substantiam, siue solemnitatem talis testamenti: licet sæpe duo, vel tres testes requirantur ad probationem, si aliud probationis genus haberi non possit. qui ipse casus est cit.c.relatum, in quo Alex. III. Pontifex Iudicibus mandat, *quatenus si causa talis (super relictis Ecclesiæ) ad eorum examen deducta sit, eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta tractent, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis: quoniã scriptũ est Deut. 17. In ore duorum, vel trium testium stet omne verbũ.* Et in c.licet vniuersis, de testibus dicitur: *Licet quædam sint causæ, quæ plures, quàm duos exigant testes, nulla tamen est causa, quæ vnius testimonio, quamuis legitimo, terminetur.* Similia habentur in c. veniens, 10.c.cùm à nobis, eod. 4
tit. Valde enim expediebat bono communi, ad impediendas hominum callidorum fraudes, certam regulam statuere, quæ proinde omniũ gentiũ consensu recepta est; vt neque in iudiciali, neque in cõscientiæ foro quisquam cum suo, vel alterius præiudicio, stare teneatur solo dicto, siue asseueratione vnius, quantumuis probatissimi, & omni exceptione maioris testis; sed minimùm duorũ contestatione opus sit: qui alioquin plurimæ fraudes & iniuriæ contingerent. Quare dici solet; *Vnus testis, nullus testis*, vt videre licet apud Nau. lib.5. consil.3.n.2.de accusat.

Cæterùm si hæredi certò constet, voluntatem testatoris fuisse, vt aliquid in piam causam expenderetur; 5
esto in foro externo nequaquam id probari possit, tamen in conscientiæ foro satisfacere obligatus est. Non enim tunc probatione opus, quando de veritate cõstat; éstque hæc magna aliquorum, etiam Aduocatorum, deceptio; qui existimant, debitorẽ obligatione soluendi liberũ esse, quia de eo debitum demonstrari non possit.

Exinde resoluitur casus; Parochus quidã, post mortẽ parochiani sui, producit schedã, continentẽ legata quędam ad pias causas, quam hominem illum, antequã decederet, scripsisse, vel dictasse asseuerat, debétne pro vltima legitima voluntate haberi? Respõdeo, & dico I. Si manus testatoris agnoscitur, vel duobus testibus probari potest, pia eius voluntas executioni mandanda est.

Dico II. Si ipsemet Parochus legata annotauit, non creditur illi sine alio teste: quare monẽdi sunt Parochi,

aliique Confessarij, vt vltimas eiusmodi dispositiones ad causas pias non excipiant, nisi aduocatis duobus testibus, masculis, aut fœminis. Quanquam etiam vnus cum Parocho sufficere poterit; licet legatum sit pro Ecclesia sua, quãdoquidem Rector, aliúsue beneficiatus, aut Religiosus non prohibetur esse testis in causa Ecclesiæ suę.

Dico III. Si testator in testamento, vel coram testibus voluntatem suam declarauit, quòd velit quædam ad pias causas erogari, sicuti v. g. Confessario suo mandauerat: hoc casu Confessarius audiri debet, & secundũ eius relationẽ executio fieri; modò talia indicia afferat, vt, spectatis circũstantiis, verisimile esse possit, defunctũ ea ipsi mandasse, sicuti docent Couar. c. cùm tibi, n. 13. de testam. Nau. lib. 3. consil. 16. de testam. edit. 2.

6 Corollarium III. Si moriturus cœpit facere testamentum, vel codicillũ, & morte præuentus non absoluit; licet secundùm alia irritũ sit, l. si is qui, ff. Qui testamenta facere possunt; valet tamẽ quoad relicta pia, quæ in sua illa imperfecta dispositione iam expresserat. Tametsi enim voluntatẽ suã mutare potuerit testator, cùm tamẽ re ipsa nullã mutationem significârit, naturali pariter, ac canonico iure firma manere debet, sicuti docet Bartol. l. in testamẽto, ff. de fideicõmiss. Abb. in c. 1. & penult. de successi. abintestato, Tiraquel. priuil. 7. Couar. c. relatũ, 1. n. 14. Vasq. tr. de testam. c. 2. n. 27. Mol. cit. disp. 134. contra Clarum q. 7. n. 4. Fachin. lib. 4. controu. cap. 3.

7 Corollar. IV. Validũ est testamentum ad pias causas, etsi alterius arbitrio cõmittatur; itémq; legatum ad pias causas, etsi in liberam alterius voluntatẽ conferatur: v. g. *Instituo hæredes bonorũ meorũ pauperes, quos Titius elegerit*. Vel, *lego centũ aureos alicui puellæ in dotem, si Titius*, aut *si hæres meus voluerit*, quæ est communis DD. sententia in c. cùm tibi, de testam. Iul. Clar. q. 6. n. 5. Tiraq. priuil. 64. Less. l. 2. c. 19. dub. 2. in fine, Mol. dis. 134. in fine, & dis. 157. §. legatum.

Adde secundùm quosdã, si testator ita dixerit: *Committo omnia bona mea arbitrio vel dispositioni Titij*, tunc Titiũ hæredem nudum, ac solo nomine censeri; atq; obligatũ esse totã hæreditatẽ in causas pias distribuere. quæ videtur esse decisio cit. c. cum tibi, interprete Innoc. & Abb. cit. n. 4. & consentit Clarus l. c. Cou. n. 13. Ait enim Innoc. III. *Qui extremã voluntatẽ in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus*. quia, vt in rubrica dicitur, talis videtur testatus ad pias causas.

8 Hęc autem omnia aliter se habent in dispositione ad causas profanas: irrita enim est institutio hæredis, collata in arbitrium, vel liberã voluntatẽ tertij, l. illa institutio, l. si quis Semproniũ, ff. de hæred. instituẽdis: queadmodũ etiã legatũ in alterius arbitrio positũ, irritũ est, l. captatoriæ, ff. de legatis, 1. videri potest Mol. to. 1. tr. 2. disp. 157. Cou. cit. c. cùm tibi, n. 13. & 17. vbi contendit; Captatoriã voluntatẽ non appellari eam omnẽ, quæ in alterius arbitrio ponitur: talis enim dispositio non omnimodè reprobata est; cùm valeat saltẽ in militis testamento, secundùm Gl. marginalẽ in l. captatorias, C. de testã. militis; itẽ in libertatis cõstitutione, l. fidei cõmissaria, 46. ff. de fideicom. libertatibus: Sed eas captatorias volũtates censendas esse, quæ fiunt cũ conditione aptata ad alterius animũ captandũ: v. g. *Institue hæredẽ Sempronium, si & ipse me*, vel *fratrem meum instituerit*. Item: *Quaex parte Titius me hæredem instituerit; ex ea parte mihi hæres esto*: Nam talis institutio neq; valet vi testamenti, alteriúsue vltimę voluntatis, etiãsi miles ita disposuisset, l. captatorias, C. de testam. militis. Quia bonis moribus aduersatur eiusmodi conditio aptata ad adulandum alteri; & fortasse deludendum: nam qui conditionem apposuit, posteaquam ab altero institutus est, voluntatem suam mutare poterit: cùm vltima voluntas (vti dici solet) ambulatoria sit vsque ad vltimum vitæ spiritum, & antè firma non censeatur.

9 Corollarium V. Legata ad pias causas præstanda sunt, etiam si hæreditas adita non fuerit: quia hęres antè mortuus est, vel hęreditatem repudiauit. Ita ex cõmuni sententia docet Abb. c. relatũ, 1. de testam. n. 6. Couar. in c. Reynaldus, §. 3 n. 23. & seqq. Tiraq. priuileg. 33. contra Andr. Fachin. lib. 6. controu. c. 82. Quòd enim legata peti non possint, hæreditate non adita, est solemnitas ciuili iure introducta, l. eam, quam, C. de fideicommiss. quæ ad causas pias se non extendit.

His porrò addendũ est ex communiore DD. sententia 10
apud Couar. c. relatũ, 1. n. 2. Mol. disp. 134. Tiraquel. priuileg. 80. Testamentum, alioquin minùs solemne, quod ob piam causam conditũ est, valere non tantùm quoad relicta pia; sed etiam legata non pia, secundariò inserta. Ratio est: Quia subsistente principali, conuenit etiam subsistere accessorium. Et cùm alioquin legata, si irrita forent, causæ piæ tanquam hæredi institutę accrescerẽt; æquitas non permittit, vt idem testamentum, cuius iure ac valore se causa pia defendit, in eiusdem fauorem oppugnetur, & infirmetur, contra illud Prętoris edictũ, *Quod quisq; iuris in alium statuerit, vt ipse eodem iure vtatur*. Contrà verò, etsi testamentum, vel quæuis alia voluntas minùs solemnis, quoad alia infirma sit, tamen firma est, quod attinet ad relicta piis causis, iuxta c. relatum, 1. de testam. Quia, vt sæpe dictum, infirmatio vltimæ voluntatis, ob defectum ciuilium solemnitatum, ad causas pias non pertinet.

Alterum locum inter testamenta priuilegiata tenet, 11
quod à patre, matre, aliòue vtriusque sexus ascendente inter liberos conditum est: ratum enim censeri debet, licet imperfectum, & iuris solemnitate destitutum sit, sicuti statuit Constantinus Imper. in l. vlt. Cod. famil. herciscundæ: *Seu epistola parentis esse memoretur, siue quocunq; alio modo scriptura quibuscunq; verbis & indicijs inueniantur relicta*. Et infra: *Defuncti* (parentis) *dispositio custodiatur, etiamsi solemnitate legum fuerit destituta*. Et postea Theodosius Imp. in l. hac consultissima, C. de testam. *Ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus vtriusque sexus habeatur, non volumus*.

Sed obseruandũ est primò; Duplicem esse testamenti 12
imperfectionẽ: Vna est quasi extrinseca, consistens in defectu solemnitatum legaliũ: puta si septem testes, iiq; rogati ac masculi simul collecti desiderentur: & talis imperfectio nihil officit testamento inter liberos, sicuti ex communi docet Iulius Clarus q. 8. Mol. disp. 128. Andr. Fachinæus to. 2. lib. 4. controu. cap. 1. & 2. Nicol. Euerard. volum. 1. consil. 27. Andr. Gaill. lib. 2. obser. 112. & 116. Qui addunt primò; Id locum habere, tametsi pater liberos suos, inæqualibus portionibus instituerit, hæreditatémue diuiserit: nam talis inæqualis diuisio habet vim prælegatorum, sicuti colligitur ex l. si cognatione, iun. Gl. ver. voluntatem, C. Famil. herciscundæ. Accedit, quòd alioquin priuilegium illud vix illum effectum haberet, si ex testamẽto imperfecto liberi non aliter succedere possent, quàm ab intestato: licet contrarium doceat Couar. in c. Raynutius, §. 1. n. 3. Addunt secũdò, locum etiam habere erga liberos, Principis rescripto, multóq; magis subsequente matrimonio legitimatos, teste Claro q. 12. Fachin. c. 5. Imò etiam erga naturales, si Mater, non illustris persona, testetur: quia cõparatione matris, filij naturales quasi legitimi habentur, §. nouissimè, Instit. ad SC. Orphit. vbi Gl. ver. hæreditatem, Andr. Gaill. cit. disp. 112. n. 20. Ratio autem, cur legalis solemnitas in testamento inter liberos non requiratur, afferri solet: partim quia liberorum, quibus naturali iure hæreditas debetur, per se magnus fauor est: partim quia, ob mutuam charitatem, cessare inter eos debet omnis suspicio fraudis: ad quam cauendam iuris solemnitates ad testamenta alioquin requiruntur.

Alia verò est imperfectio testamenti magis intrinseca, consistens in eo, quòd voluntas testatoris non

fuerit plenè ac perfectè declarata, vt quia cœpit testamentum scribere, vel voce nuncupare hæredem: sed ad finem non perduxit. Et tale testamentum inter liberos non subsistere, quia non tam factum, quàm cœptum censeri debeat, docent DD. communiter, Iul. Clar. q. 9. Mol. cit. disp.120. §. illud est obseruandum. Fachin. cap. 4. Eadémque ratio est, si testator vnum ex liberis in testamento præterijt; vel si solo nutu voluntatem suam inter liberos testandi, vel bona sua diuidendi significauit, vti ex communi docet Mol. ibid. Clarus q. 8. vbi ait: *Et sic vides, non valere absolutè argumentum à testamento ad pias causas, ad testamentum inter liberos. Nam testamentum ad pias causas nutu conditum valet: secùs autem in testamento condito inter liberos.*

13 Secundò obseruandum: Ne fraus aliqua circa testamentum minùs solemne inter liberos scriptum contingere possit: statuisse Iustinianum Imp. in Authent. de testam. imperfectis, vt tale testamentum validum non esset, nisi & tempus conditi testamenti, & nomina filiorum, & portiones, in quibus instituti essent, manu ipsius parentis in testamento scripto exprimerentur: vel, si alius testamentum scripserat, subscriptio parentis, aut ipsorum filiorum accessisset. Cùm autem indicta Authentica Iustiniani nulla testium mentio fiat: ideo standum est iure antiquo, vt in testamento inter liberos scripto nulla testium solemnitas requiratur: dummodo testatoris manus cognoscatur: & alia, quæ in dicta Authent. requiruntur, obseruata sint. Vide Clarum cit. §. testamentum, q. 14. Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 112. n. 7. vbi ait: *Quòd schedula reperta in cistula patris, continens diuisionem bonorum inter filios, fidem faciat, & seruanda sit, si manu patris scripta, vel subscripta fuerat.*

Loquimur de testamento scripto: nam circa nuncupatiuum nihil Iustinianus innouauit: quare validum censeri debet, si coram duobus testibus masculis, vel fœminis, &c. factum fuisse constet, sicuti docet Gl. in dicta Authent. ver. derelinquant, Clarus q. 14. Mol. cit. disp. 128. aliique communiter.

Tertiò obseruandum: Testamentum tali modo scriptum manu testatoris, vel ipsorum liberorum, valere etiam quoad legata, fideicommissa, libertates, &c. extraneis relicta, sicuti expresè habetur in Authent. Quod sine, C. de testam. In nuncupatiuo verò testamento standum est suprà cit. constitutione Constantini, vt *si in eiusmodi imperfecta voluntate, liberis alia sit extranea mixta persona, quantùm ad illam duntaxat, pro nullo habeatur, ac liberis accrescat.* Quod tamen de testamento ad pias causas condito nullo iure statutum reperimus, vt suprà notaui.

Porrò de testamento descendentium erga ascendentes, nullum priuilegium in iure reperitur: quare neque asserendum, sicuti notat Clarus ver. testam. q. 12. nu. 6. Mol. cit. disp. 128. Gaill. cit. obser. 112. n. 26.

14 Tertium locum tenet testamentum à milite conditum, dum in bellica expeditione versatur. Neque enim is legitimum testium numerum adhibere: neque aliam solemnitatem obseruare debet: sed quocunque modo voluntatem vltimam declarârit; voce, aut scripto: ea rata existit, tametsi aliquid tantùm *in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus annotauerit, aut in puluere inscripserit gladio, sub ipso tempore, quo in prælio vitæ sortem derelinquit*: modò id per duos testes, etiam non rogatos, probari possit, sicuti habetur in l. milites, iunct. Gl. ver. sub ipso tempore, C. de testam. militari, & colligitur ex l. Lucius, ff. eod. si tamen extra dictam necessitatem, miles in castris testetur, requiritur conuocatio, & rogatio duorum testium, vt testatoris voluntatem audiant, teste Glos. cit. Claro q. 58. Molin. disp. 129. Andr. Gaill. lib. 2. obser. 118. ex l. Diuus, ff. eod. Porrò, quod in expeditione, vel castris non communi iure testamentum miles fecerit, post missionem intra annum tantùm valebit, §. sed hactenus, Instit. de militari testamento. Et videntur hæc etiam hodie obseruanda esse, si bellum contra Imperij hostes sit.

Adde ex l. vn. ff. de bonorum possessione ex testamento militis: omnes omnino, licet milites non sint, si tamen in hostili loco deprehendantur, & illic decedant, eodem militari priuilegio gaudere, vt quomodo velint, aut possint, tam in mari, quàm terra, testari ipsis concessum sit. idque docet Gl. & Bartol. in l. scriniarios, C. eod. Clarus q. 15. n. 5. Mol. disp. 129.

Quartum locum tenet testamentum coram supremo Principe factum, oblato ei libello, in quo vltima voluntas descripta sit: hæc enim rata haberi debet, absque vlla etiam solemnitate testium, &c. tametsi Princeps nihil rescripserit: dummodo non constet, testatorem suam voluntatem postea mutasse. Ita habetur l. omnium, C. de testam. iunct. Gl. & videri potest Clarus q. 56. num. 7. Sin verò libellus Principi oblatus non fuerit, sed voce hæres nuncupatus: vel oblatus libellus non ampliùs reperiatur: tunc duobus saltem testibus opus est ad probandum, defuncti voluntatem Principi, oblatis precibus, voce, vel scripto insinuatam fuisse, iuxta cit. l. omnium, in fine, atque ex communi docet Clarus 56. Mascardus conclus. 1352. num. 47. His addit Ioach. Mynsing. cent. 6. obser. 29. Fachin. lib. 6. controuers. cap. 86. Quocunque modo constet, testamentum, aliámve voluntatem vltimam coram Iudice insinuatam fuisse, nullam testium solemnitatem requiri: quia acta iudicij habent vim testium, seu supplent testium solemnitatem. Idque apertè significatur in cit. l. omnium. 15

Quintò, hominibus rusticanis concessum est in l. vlt. C. de testam. vt si ruri testentur, siue in locis vbi plures testes, quàm quinque haberi non possunt, sufficiat iste numerus tam in testamento scripto, quàm nuncupatiuo. Denique si in tali loco literati non reperiantur, subscriptione testium opus non est: secùs, si inueniri possint. Quin imò si vnus tantùm, vel duo fuerint literati, debent hi pro aliis ignorantibus, præsentibus tamen, & testatoris voluntatem agnoscentibus, subscribere. 16

Hinc quæstio orta est inter DD. Vtrum similiter testamentum validum sit pestis tempore conditum, cum minore testium numero, si septem adhiberi non possint? Tres sunt de hac re sententiæ: Prima est aliquorum, quos citat Iul. Clarus q. 56. num. 3. Mascardus tom. 3. de probat. conclus. 1352. num. 22. In tali casu satis esse, si duo testes interueniant fidei faciendæ causa: quam sententiam defendit Paulus Comitolus lib. 7. respons. moral. q. 1. conclus. 2. Eò quòd lex non obliget illos, qui eam seruare non possunt. Verùm hæc ratio locum habere non videtur in eiusmodi legibus infirmantibus, quippe quarum vis, quod attinet ad effectum infirmationis, erga eos quoque se extendit, qui inuincibili ignorantia, aut alio iusto impedimento detinentur. Neque enim negari potest, quin Principi potestas competat, contractibus, & testamentis, communi lege lata, substantialem formam, & modum præscribendi: ob publicum bonum, posthabito particulari quorundam incommodo: Atqui voluisse Imperatorem, vt testium numerus, &c. ad cuiuscunque testamenti substantiam pertineat, constat tum ex aliis iuribus, tum ex l. casus, C. de testam. & cit. l. vlt. vbi dicitur: Si inter homines rusticanos, quinque testes non interueniant, licet tot eo loco haberi non possint, nihilominus irritum esse testamentum.

Altera est sententia Baldi, & aliorum in cit. l. vlt. quam sequitur Sa ver. testamentum, n. 12. & probabilem censet Clarus cit. q. 56. Sufficere testes quinque, si plures haberi non possint, v. g. pestis tempore. Quæ tamen sententia facilè refellitur: vel enim nititur iuris priuilegio, & tale nullum extat: imò contrarium indicatur in cit. l. 8. *Casus maioris ac noui contingentis ratione aduersus timorem conta-*

gionis, quæ testes deterret, licet aliquid de iure laxatum est, non tamen prorsus reliqua testamentorum solemnitas perempta: Testes enim huiusmodi morbo oppressos eo tempore iungi ac sociari remissum est, non etiam conueniendi nnmeri eorum obseruatio sublata. Vel nititur necessitatis ratione, cui lex posita non sit; & tunc neque quinque testes requirentur: sed incidimus in priorem sententiam, quę tamen à plerisque reiicitur, teste Claro & Molin. ll.cc.

Tertia, & communior opinio est aliorum DD. quos citat Clarus & Mascardus, & sequitur Mol. disp. 127. §. de iure communi, Andr. Fachin. t. 2. controu. lib. 5. c. 92. septem testes etiam pestis tempore, ad testamenti substantiam requiri; licet necesse non sit, eos simul congregari, ad testamenti publicationem, vel subscriptionem; sed sufficiat singulos separatim rogari, & adhiberi.
17 Quæ postrema sententia, inspecto iuris rigore, vera esse videtur: tamen æquitatis ratio postulat, vt eo tempore, vel loco, quo testes, vel notarius nullo modo haberi possint, vltimæ voluntates absque iuris solemnitatibus factæ, validæ nihilominus pronuntientur, si de defuncti declarata voluntate liquidò constet: quod significauit Bartolus in l. vn. ff. de bonorum possess. ex testam. militis. Et ob eandem ęquitatis rationem in Camera Imperiali receptum esse, vt testamentum coram duqbus, vel tribus testibus, (inter quos Confessarius vnus esse potest) peste valde grassante conditum valeat, testis est Ioach. Mynsing. cent. 1. obseru. 96. Andr. Gaill. lib. 2. obseru. 118. n. 18. Siquidem testamenti fauor magnus est, arg. l. si pars, ff. de inoffic. testamento. Videri etiam potest Ioan. Molanus tract. de testam. piis, c. 83.

Denique obseruandum, quæ hactenus de solemnitate ad testamentum requisita, dicta sunt, solùm habere locum secundùm ius commune Cæsareum, seclusis specialibus locorum consuetudinibus, statutis, & aliorum regnorum legibus. Nam Venetiis v. g. & Viennæ in Austria, duos testes ad testamentum sufficere, affirmant. Deinde, quod Alexander III. Hostiensi Episcopo
28 rescripsit in c. cùm esses, de testam. *Testamenta quę Parochiani coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis idoneis personis fecerint, firma esse debere*; de terris tantummodo, quæ temporali Summi Pontificis dominio subiectæ sunt, communiter DD. interpretantur, sicuti videre est apud Couar, ibidem n. 12. Clarum q. 57. Mascardum l. c. n. 17. Mol. disp. 133. Vbi addunt, in eisdem terris quatuor testes, absque Parocho, sufficere; eò quòd duo testes suppleant vicem vnius Parochi.

CAP. III.

Quis de bonis suis testari possit, vel non possit; & an testandi aliqua obligatio incumbat?

SVMMARIVM.

1 *Omnibus hominibus libera est de bonis suis testandi facultas, nisi iure prohibeantur.*

2 *Positiuo iure testari prohibentur, Surdus simul & mutus à natura; Prodigus, Seruus; Vsurarius manifestus; Filiusfam. de bonis aduentitiis; Impubes; Captiuus apud hostes: Ad mortem damnatus: Religionem professus.*

3 *Professio religiosa non rumpit testamentum antea factum, sed potiùs confirmat.*

4 *Religiosus, cui peculium concessum fuit, cum Prælati consensu, causa mortis donare potest.*

5 *Summus Pontifex Religioso licentiam dare potest testandi ad causas pias, non ad profanas.*

6 *Nouitij Religionum nullo iure testari prohibentur, Religiosi Societatis IESV, qui simplicia, non formata, vota habent, de bonis suis mortis causa disponere possunt validè, sed non licitè.*

7 *Si Nouitius de bonis suis nihil disponens, professionem edat, succedit Monasterium: si tamen descendentes, vel ascendentes habeat, ipsis portio legitima statim conferenda, debetur.*

8 *Pater Religionem professus diuisionem bonorum inter liberos, connumerato etiam Monasterio bonorum capaci, instituere potest: sed tutorem filiis dare nequit.*

9 *Filius habens ascendentes, inter eos disponere potest ante professionem: & pater habens descendentes, inter eos disponere potest tum ante, tum post professionem: sed vterque tantùm de bonis acquisitis ante editam professionem.*

10 *Nemo, per se loquendo, obligatur ad testamentum condendum, sed interdum per accidens.*

AD prius quæsitum respondeo: Omnibus hominibus libera est de bonis suis ante mortem disponendi facultas, nisi vel naturali, vel positiuo iure prohibeantur. 1
Ratio affertur in l. 1. C. de SS. Ecclesiis: *Nihil est, quod magis hominibus debeatur, quàm vt supremæ voluntatis (postquam iam aliud velle non possant) liber sit stylus; et licitum, quod iterum non redit, arbitrium.*

Naturali iure testari vetantur, qui rationis vsu carent, vt infantes, furiosi, amentes. Ratum tamen est horum testamentum, quod eo tempore, quo furor eorum intermissus est, seu per lucida interualla condiderunt; licet postea in furorem reciderint, §. furiosi, Instit. Quibus non est permissum testamentum, l. furiosum, C. Qui testamenta facere possunt.

Positiuo iure testari prohibentur; I. Surdus simul & 2
mutus à natura, l. discretis, C. eod. §. Item surdus, instit. eod. Imò etiam qui casu, vel aduersa valetudine talis factus est, si literas nesciat, ciuili iure testari prohibetur, sine licentia Principis, cit. l. discretis, & §. Item prodigus, Instit. eod. Qui autem vtroque oculo seu à natiuitate, seu quocunque casu priuatus est, testari quidem potest, nuncupatiuè; sed pluribus obseruatis solemnitatibus, quæ prescribuntur in l. hac consultissima, C. Qui testam. facere possunt.

II. Prodigus, cui bonorum administratio interdicta est: sed quod antè fecerat testamentum, quàm interdictio bonorum ei facta fuit, ratum manet, §. item prodigus, Instit. eod.

III. Seruus siue mancipium, sicuti constat ex l. filius famil. ff. de testam. & cap. illud, 13. q. 2. vbi tamen Gloss. admonet, multorum locorum consuetudine receptum esse, vt seruus peculium suum liberis relinquere possit.

IV. Vsurarius manifestus, nisi priùs satisfecerit, vel idoneam cautionem prestiterit, c. quamquam, §. vlt. de vsuris in 6. Vbi Gloss. vlt. existimat, hanc prohibitionem ad omnem voluntatem vltimam extendendam esse: cui repugnat Couarruu. rubr. de testam. pag. 3. num. 13.

V. Filiusfamilias, licet, si pubes sit, de bonis castrensibus vel quasi castrensibus liberè testari possit, l. vlt. Cod. Qui testamentum facere possunt: non tamen de aduentitiis bonis; quamuis pater consentiat, l. qui in potestate, ff. de testã. Instit. Quibus non est permissum, in principio, & cap. licet, de Regul. in 6. Ratio est: Quia testamentum ex libero, non alieno consensu perfici debet. Sed excipitur primò; Quòd filiusfam. patre consentiente de bonis aduentitiis ad pias causas testari potest, c. licèt, de sepultur. in 6. Vide Abb. rubr. de testam. num. 10. Excipitur secundò; Quòd filiofam. Clerico de aduentitiis, perinde ac de castrensibus, liberè testari concessum est in Auth. Presbyteros, C. de Episc. & Clericis, & ex communi docet Abbas c. quia nos, de testam. nu. 5. &c. in præsentia, n. 56. de probat. Mol. disp. 138. Idémque de bonis Religionem ingredientium sentiendum, teste Syl. ver. legatũ, 2. q. 1. At verò donare mortis causa ex bonis aduentitiis non prohibetur filiusfam. si patris consensus & auctoritas accedat, l. filiusfam. ff. de donat. Ex quo sequi videtur, quòd ipsimet patri donatio fieri non possit; cùm nemo in propria causa auctoritatem præstare queat: quare opus est Iudicis auctori-

tate, ficuti notat Clarus l.4. select. §. donatio, q.6. nu. 7. Porrò si filiusfamilias cum patris consensu testamentum condens, apponat clausulam, vt valeat saltem per modum alterius vltimæ voluntatis, sicuti valere potest; obtinebit per modũ donationis causa mortis; modò is, cui aliquid relinquitur, presens sit, vt expressè, vel tacitè donatum acceptet, sicuti Clarus ib. notat. n. 9. Quia verba dispositionis latè interpretanda sunt, ita vt actus valeat, præsertim in vltima voluntate, quippe cuius magnus fauor esse debet, l. si pars, ff. de inoff. testam. Videri potest Baldus, & alij DD. in l. senium, C. Qui testamenta facere possunt.

VI. Impubes, ob iudicij immaturitatem, quæ plerumque cum tenera ætate coniuncta est, l. si frater, C. Qui testam. facere possunt, §. præterea, Instit. eod. & colligitur ex cit. c. licet.

VII. Qui vt captiuus, vel obses apud hostes detinetur, interim testari non potest, l. eius qui, & l. obsides, ff. eod. Sed quod antè fecerat testamentum, iure postliminij conualescit, si ad suos redierit: quin, tametsi in statu captiuitatis è vita discedat, validum erit testamentum antè confectum, ex Cornelia lege; vbi habetur §. vlt. Instit. Quibus non est permissum facere testam. cit. l. obsides, & l. lege Cornelia, ff. de testam. & qui testamenta facere possunt.

VIII. Damnatus ad mortem naturalem, aut ciuilem testari non potest, vti docent DD. in l. qui vltimo supplicio, ff. de pœnis. Abb. in rubr. de testam. n. 4. nisi consuetudine aliter obseruetur. de qua testatur Clarus qu. 21. propterea quò publicatio bonorum, de qua tit. ff. de bonis damnatorum, ferme sublata sit. Verùm spectato communi iure, non solùm testamentum, sed quæuis etiam alia voluntas, quamuis ante crimen commissum condita sit, per sententiam condemnatoriam infirmatur, l. eius, §. 1. ff. de testam. & l. si aliquis, ff. de donation. mortis causa. Nisi quòd donatio facta coniugi ante crimen commissum, etiam subsecuta sententia condemnatoria subsistit, l. res, C. de donat. inter virum & vxorem: præterquam si commissum sit læsæ maiestatis crimen, ob quod memoria Rei damnanda est, l. cùm hic status, §. cùm maritus, 2. ff. de donat. inter virum & vxorem. His adde, quòd neque donatio inter viuos facta post condemnationem de crimine capitali consistat Cæsareo iure, l. post contractum, ff. de donation. Sin autem ante condemnationem donatio facta fuerit, quamuis post crimen commissum, vim suam obtinet; nisi crimen sit, ob quod bona ipso iure fisco commissa sunt, vti docent DD. in cit. l. post contractum. Vide Gl. in cit. l. res.

IX. Religionem professus testari non potest: tum quia sui iuris non est; neque velle aut nolle habet, c. non dicatis, 12. q. 1. tum quia rerum dominium non habet, neque habere potest, Authent. Ingressi, C. de sacrosanct. Ecclesiis. Si tamen aliquis ante Religionis ingressum, vel Nouitiatus tempore testamentum condidit, per subsequentem professionem, tanquam mortem spiritualem, non rumpitur; sed confirmatur, adeò vt reuocari deinde non possit. Qua de re Nau. comment. 2. de Regul. nu. 44. 51. 53. Abb. c. in præsentia, num. 52. de probat. Clarus §. testam. q. 28. Less. lib. 2. c. 41. dub. 10. Fachin. tom. 2. lib. 6. c. 15. Sanch. 7. moral. c. 11. Monasterium tamen interim bonis eius fruetur, donec moriatur; dummodò capax sit dominij bonorum in communi: Sin verò incapax, vt Religio Minorum, tunc bona statim deuoluuntur ad hæredem institutum: adeoque tali casu mors ciuilis & naturalis æquiparantur, sicuti docet Abb. l. c. n. 30. Sanch. de matrim. l. 6. disp. 17. n. 9. Mol. cit. disp. 140.

4 Sed dubitatur primò; Vtrum Religiosus, licet testamentum, vel codicillum facere prohibeatur, tamen mortis causa donare possit, cum Prælati regularis licentia? Respondeo, & dico I. Certum esse debet, si Religiosus, cui peculium, vel quædam vtensilia concessa erant, de iis faciat dispositionem non obligatoriam, sed deprecatoriam, vt huic Ecclesiæ, vel huic personæ relinquantur; quòd Prælati auctoritate approbari & confirmari possit. Ita Nau. comment. 2. de Regular. num. 22. Rodriq. to. 3. Regul. q. 69. a. 2. & 3. Ratio est; Quia si res modica sit, vt Prælatus licentiam dare possit donandi inter viuos, cur non etiam causa mortis?

Dico II. Valde probabile est, quòd Religiosus de eiusmodi peculio, cum Prælati licentia, etiam mortis causa donando disponere possit. Ita docet Sanchez lib. 7. moral. c. 8. n. 11. contra Nau. comment. 2. de regular. n. 43. & in man. c. 27. n. 270. Graffis p. 1. decis. c. 5. n. 58. Rodriq. tom. 2. regul. quæst. 47. a. 2. Nam argumentum, quo Doctores isti nituntur: *Religiosus, cum Prælati licentia, testari non potest: Ergo nec mortis causa donare:* firmum non est, si prohibitio non ex iure naturali, sed positiuo proueniat. Exempli causa: Filiusfamilias, qui ne patre quidem consentiente testamentum facere potest, tamen mortis causa donare, cum patris consensu, permittitur, l. tam is, ff. de mortis causa donationibus. Siquidem testamentum plus iuris ac legitimæ facultatis postulat; donatio verò mortis causa ad naturam dispositionis inter viuos plurimùm accedit, vti dixi super. tract. c. 12. n. 4. Neque apparet ratio, cur. Religioso Prelatus licentiam dare possit aliquid absolutè donandi; & non etiam in tempus mortis, ita vt ea eueniente donatio effectum habere incipiat.

Arbitror tamen, quòd Prelatus, licet donandi seu disponendi in tempus mortis licentiam dederit, datam tamen ante mortem Religiosi reuocare possit. Neque enim ea reuocatione infert iniuriam donatario; cùm illi nullum adhuc ius acquisitum sit; sed vltimæ voluntatis dispositio vsque ad vltimum vitæ spiritum reuocabilis existat. Neque ipsi Religioso iniuria fit, cùm Prelatus dando licentiam aliquid agendi, non censeatur addicare ius hoc ipsum ei prohibendi, seu aliter decernendi: quandoquidem Religiosus per obedientiæ votum, voluntatem suam omnimodè Superiori subdidit, vti etiam dicam tractatu seq. cap. 7. quæst. 1.

Dubitatur secundò; Vtrum saltem Summus Pontifex possit, & soleat Religiosis testandi de bonis suis licentiam dare? Ad I. respondeo. Haud dubiè talem licentiam concedi posse, ex communi Doctorum sententia apud Sanchez lib. 7. moralium, cap. 8. nu. 45. Sicuti enim Summus Pontifex Religioso licentiam dare potest de quibusdam bonis inter viuos disponendi, aut donandi: ita etiam causa mortis. Verùm talis concessa licentia intelligi debet primò, de bonis quæ Religiosus de facto possidet, seu quorum administrationem habet, non verò de bonis, quæ Monasterio, vel alteri personæ iam erant acquisita per ipsius professionem, vti notauit idem Sanchez num. 55. Quia priuilegium Principis intelligi debet sine præiudicio tertij. Secundò; Vt liceat testari ad pias tantùm causas: quin imò cùm bona, de quibus Religiosus testaturus est, ad Ecclesiam alioquin spectent, non potest Summus Pontifex aliter disponendi licentiam dare, nisi ad causam piam, vel saltem quæ quomodocunque ad vtilitatem Monasterij, aut Ecclesiæ spectet; vt v. g. relinquatur personæ, quamuis diuiti, tamen de Monasterio bene meritæ, vel ad captandam eius beneuolentiam, patrocinium. 5

Ad II. Respondeo. Hanc testandi facultatem seu iure, seu consuetudine concessam esse Religiosis Ordinum militarium: & frequenter à Summo Pontifice concedi solitam aliis Religiosis, si extra claustrum Ecclesiasticum beneficium, præsertim Episcopatum, vel Cardinalatũ obtineant: vel si alia occasione extra clau-

ſtrum viuant, & alantur bonis ſua induſtria, aut labore comparatis, nihil à Monaſterio recipientes, neque illi tribuentes. Regularibus verò intra clauſtrum viuentibus teſtandi licentia rarò à Summo Pontifice conceditur; niſi tales ſint, quibus ſecundùm conſuetudinem loci, certa portio in alimenta & veſtes tribuatur: ita vt reſiduum ſeruent: ſin autem aliquid deſit, aliunde ſibi conquirant. Videri poteſt Molina to. 1. tract. 2. diſp. 141. ver. Ibidem, Sanchez lib. 7. moral. c. 8. nu. 60. poſt Nauar. comment. 2. de Regul. nu. 58. vbi quadruplices Religioſos diſtinguit.

6 Porrò Nouitiis Religionum de bonis ſuis teſtari, nulla etiam Superioris petita licentia, ſimpliciter conceſſum eſt, Authent. nunc autem, Cod. de Epiſcopis & Clericis, cap. ſi qua mulier, 19. quæſt. 3. Quia ſui adhuc iuris, & bonorum domini ſunt, libera exeundi poteſtate præditi. Quod etiam in Nouitiis Ordinis Minorum, atque Societatis IESV locum habere, oſtendit Sanchez lib. 7. moralium, cap. 3. num. 5. Imò etiam poſt vota ſimplicia Societatis IESV conditum teſtamentum abſque Superioris licentia, quamuis Conſtitutionibus & voto paupertatis repugnet, tamen validum fore, docet idem Sanchez cap. 8. num. 25. contra Molinam tom. 1. tract. 2. diſput. 139. ver. Illi qui tempore. Quia Religioſi Societatis IESV ante editam profeſſionem, aut vota formata, retinent dominium bonorum ac iurium: impeditum quidem voto paupertatis, quominus licitè ſeu inter viuos, ſeu mortis cauſa diſponere poſſint, abſque Superiorum licentia: non tamen impeditum aliqua lege aut Conſtitutione canonica, per quam diſpoſitio irrita reddatur: ſi loquamur de diſpoſitione vltimæ voluntatis. An verò donatio ſeu renuntiatio inter viuos facta à Societatis noſtræ Religioſo, ſine Superiorum permiſſu, Trident. Conſtitut. infirmata ſit, dicam infrà cap. 7. nu. 11.

Quòd ſi autem Nouitius morte naturali decedat inteſtatus, ſuccedunt in bonis eius proximi conſanguinei, teſte Abb. cit. cap. in præſentia, num. 68. Nauar. cit. comment. 2. de Regular. num. 49. Molina cit. diſput. 140. & alij communiter, contra Clarum lib. 3. recep-
7 ptar. §. teſtamentum, quæſt. 28. num. 6. Sin ſpirituali profeſſione inteſtatus moriatur, ſuccedit Monaſterium, ſi capax eſt ſucceſſionis. Sed ſi Profeſſus deſcendentes habeat, his portio legitima debetur, Authent. ſi qua mulier, Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis. Poteſt tamen, ſi velit, ſeu ante, ſeu poſt profeſſionem, bona ſua inter liberos diuidere: ita tamen, vt Monaſterio virilem etiam partem tribuat: ſiquidem Monaſterium hoc caſu veluti pro filio & hærede ſuo reputatur, vti docet Abbas in cap. cùm ſimus, de Regular. & habetur in cit. Authent. vbi Gloſſ. ver. connumerata, vbi ait: Monaſterio tantum relinquendum eſſe, quantum vni filiorum, cui plus datur, ſi inæqualis diuiſio ſit: quod etiam tradit Sanchez lib. 7. moral. cap. 9. nu. 26.

8 His quædam addenda ſunt: I. Licet pater profeſſus diuiſionem bonorum inter liberos inſtituere poſſit ex iuris etiam canonici permiſſione, per quam Authent. illa approbata, & recepta fuit: non poteſt tamen tutorem liberis dare, cùm eos in poteſtate iam non habeat: quare datiuo eiuſmodi tutori præferendus eſſet legitimus, ſi idoneus ſit: ſin verò talis non adſit, Iudex ex æquitate approbare deberet tutorem à patre aſſignatum, vti docet Sanchez nu. 37.

II. Quæ de liberis dicta ſunt, ſimiliter de aliis deſcendentibus intelligi debent: quia *liberorum appellatione nepotes, ac pronepotes, cæterique, qui ex his deſcendunt, comprehenduntur*, l. liberorum, ff. de verborum ſignificat.

III. Quamuis Doctores diſſentiant, vtrum legitima portio ſtatim à tempore profeſſionis filiis debeatur, communior tamen & probabilior eſt ſententia affirmans, quam ſequitur Molina cit. diſput. 140. ver. An verò ſtatim, Azor tom. 1. lib. 12. cap. 8. quæſt. 7. Leſſius lib. 2. cap. 41. num 83. Sanchez cit. lib. 7. cap. 10. num. 3. qui monet num. 6. Hanc doctrinam locum non habere in Religioſis Societatis IESV, qui poſt edita vota ſimplicia, retinent dominium bonorum, donec de eis diſponant; vel profeſſionem, aut vota formata edant, vti habetur p. 4. Conſtitut. cap. 4. in declarat. lit. E. & in Bulla Gregor. XIII. Aſcendente. Sin verò aliquis contrariam ſententiam ſequatur, quòd legitima filiis tradenda non ſit ante mortem patris profeſſi: neceſſariò tamen dicere debet, Monaſterium ſuſcipere in ſe obligationem patris ad alimenta præbenda filiis tum legitimis, tum illegitimis, vti ex communi docet Gutierez lib. 2. canon. quæſt. cap. 1. num. 90. & bene explicat Sanchez nu. 8.

IV. Quæ dicta ſunt de legitima portione deſcendentibus debita, ſimili modo locum habent in aſcendentibus, ſi filius eorum profiteatur: cùm haud deceat, parentes ob filij ingreſſum, aut profeſſionem Religionis, legitima ſua priuari. Veruntamen ſi filius inter aſcendentes diſponere velit, id ante profeſſionem facere debebit: poſtea enim non poterit: quia Authent. illa ſi mulier, cùm exorbitans ſit, ſeu correctoria iuris communis, extendi non debet vltra caſum expreſſum, ſicuti ex probabiliore tradit Sanchez cit. cap. 10. num. 20.

V. Quòd filius habens aſcendentes, inter eos de bonis ſuis diſponere poſſit ante profeſſionem, & pater habens deſcendentes, inter eos diſponere poſſit ante, & poſt profeſſionem, intelligi debet de bonis acquiſitis ante profeſſionem. Quæ enim poſtea acquiſita, ad Monaſterium pleno iure pertinent, vti notauit Nauar. comment. 2. de Regular. num. 56. Sanchez lib. 7. cap. 9. num. 22. vbi colligit, ſi aliquis hæres, vel legatarius inſtitutus fuerat ante profeſſionem: ſed hæreditas delata fuit, aut legatum ceſſit poſt profeſſionem, acquiri Monaſterio: Secùs verò eſſe, ſi hæreditas iure ſanguinis ab inteſtato Monacho proueniat: portionem tunc legitimam aſcendentibus, vel deſcendentibus dandam fore: propterea quòd veluti ante profeſſionem bona acquiſita cenſeantur: cùm ratione ſanguinis, quod immutabile ius eſt, deferantur: & non tanquam Monacho, ſed tanquam cognato: quare hoc caſu hæredes neceſſarij, ratione eiuſdem cognationis, participare debent. Quæ verò Moniali in dotem data ſunt, ea Monaſterio per profeſſionem illius irreuocabiliter acquiruntur, vt docet Sanch. n. 23.

9 Quartò dubitatur: An Religioſus, & aliæ ſuprà numeratæ perſonæ, adeò de bonis teſtari prohibeantur, vt neque ad cauſam piam teſtamentum, vel codicillum facere poſſint? Reſpondeo, cum Abb. rubr. de teſtam. Ita omnino prohiberi, ſpectato etiam canonico iure. Excipe, quòd mutus & ſurdus nutu, aut quocunque alio ſigno ad cauſas pias diſponere poſſit, vti dictum eſt cap. præced. nu. 3.

AD ALTERAM QVÆSTIONEM hoc cap. propoſitam, breuiter reſpondeo. Nemo, ne in conſcientiæ quidem foro per ſe obligatus eſt ad teſtamentum condendum: ſed interdum per accidens, ne alioquin lites, aliáve incommoda oriantur. Recta item ratio, aliorúmque exempla ſuadent, vt homines Chriſtiani, proportione facultatum ſuarum, ad pias cauſas aliquid relinquant, pro anima ſua: ad quod etiam adhortandi ſunt, ſicuti infrà dicam cap. 5. quæſt. 3. dicto 3. & 5. videri poteſt Molina to. 1. tract. 2. diſp. 135. 10

CAP. IV.

De Reuocatione Testamenti.

SVMMARIVM.

1 *Testamentum reuocatur, & cassatur, vel per factum testatoris contrarium, vel per aliud testamentum validum.*
2 *Prius testamentum legitimum per alterum minus solemne non rumpitur, nisi in casibus exceptis, aut priuilegiatis.*
3 *Prius testamentum continens clausulam derogatoriam posterioris, non censetur reuocatum; nisi in posteriore testamento illius clausulæ mentio fiat.*

CErtum est, testamentum, & quamuis vltimam voluntatem legitimè conditam testatoris arbitratu mutari posse, addendo, demendo, corrigendo, penitus cassando. Quod Apostolus significat ad Hebr. 9. & Vlpian. l. 4. ff. de adim. legat. cum ait: *Ambulatoria enim est voluntas defuncti vsque ad vitæ supremum exitum.*

1 Duobus modis testamentum à testatore reuocari & cassari potest; Primò, Per factum contrarium; puta si scriptum testamentum jaceret, hæredis nomen deleat; vel sigilla, aliámve eius substantialem partem, aut solemnitatem de industria auferat, l. si vnus de septem, l. nostrum, Cod. de testamentis, & videri potest Clarus quæst. 93. Molina disput. 153. Secundò, Per alterum testamentum validè ac legitimè conditum, in quo hæres aliquis institutus sit; tametsi postea accidat, eum hæreditatem non adire, prius testamentum irritum manet, sicuti habetur expressè in §. posteriore, Instit. Quibus modis testamenta infirmentur, & docet Couar. in rubr. de testam. p. 2. n. 21. Clarus q. 96. Mol. l. c.

2 Requiritur autem, vt dixi, alterum testamentum validum esse, vt secundùm illud saltem potuerit adiri hæreditas: Sin verò posterius imperfectum, seu minus solemne fuerit, primum non reuocatur: siquidem ciuili iure ita decretum est, vt testamentum legitimè conditum non sola voluntate (quamuis voce coram pluribus testibus expressa) rumpatur; sed alia noua & legitima hæredis institutione opus sit, sicuti colligitur ex §. ex eo, Instit. Quibus modis, & c. l. hac consultissima, §. si quis autem, C. de testam. & ex communi docet Clarus q. 91. & 96. Excipe I. Nisi testator, post conditum testamentum lapso decennio, illud coram tribus saltem testibus reuocet, l. sancimus, C. eod & explicat Gl. ibid.

Excipe II. Si testator coram septem testibus dicat se reuocare prius testamentum; quia velit decedere intestatus: siquidem in tali voluntate continetur tacita hæredum ab intestato succedentium nuncupatio & institutio, sicuti ex communi notauit Clarus q. 92. Couar. p. 2. rubr. n. 80. conclus. 6 & alij plerique ex l. 1. §. si hæres, ff. si tabulæ testamenti nullæ extabunt.

Excipe III. Si in priore testamento hæres extraneus institutus fuit, reuocatur per posteriorem voluntatem minùs solemnem, in qua instituti sunt qui ab intestato venire possunt; dummodo quinque testes adhibeantur, l. hac consultissima, §. si quis autem, Cod. de testam. vbi videri potest Gloss. ver. sancimus. Id verò sublimitari debet; Nisi in priore, causa pia instituta fuerit: talis enim institutio non reuocatur, nisi per subsequens testamentum solemne, testante Abb. p. 1. consil. 11. præsumpt. 2. Tiraquel. priuil. 53.

Excipe IV. Si testator hæredem à se institutum hæreditate indignum declaret; quamuis nulla expressa causa, adimitur ei hæreditas, & applicatur fisco, l. hæreditas, Cod. Quibus vt indignis hæreditates auferuntur.

Excipe V. Testamentum primum solemne reuocatur posteriore minùs solemni, si ad eius valorem maior solemnitas non requiratur; puta testamentum ad pias causas, inter liberos factum, vel militare, iuxta l. 2. ff. de iniusto, rupto, & irrito facto testamento, & docet præter alios Nicol. Euer. to. 1. consil. 27. n. 22. Abb. l. Clarus q. 98.

Hoc verò specialiter statutum est in Authent. hoc inter, Cod. de testam. vt testamentum inter liberos cōditum reuocatum non censeatur, nisi testator altero solemni testamento facto, insuper adiecerit, se nolle prius testamētum validum esse. Quod limitari debet primò; Nisi in posteriore etiam testamento liberi hæredes instituti sint, secundùm Gloss. in Authen. de testam. imperfectis, c. 3, ver. perfecta, Clarum q. 98. Tiraquel. priuil. 54. Secundò; Nisi in posteriore testamento causa pia instituta sit: quia tunc nulla iuris ciuilis solemnitas requiritur, sed sufficit cōstare de iusta testatoris voluntate, sicuti docent Abb. & Tiraquel. ll. cc. & dixi suprà c. 2.

Ad extremum aliqua addenda: Primum. Si duo proferantur testamenta eodem die confecta, ex collatione vnius ad alterum coniiciendum erit, vtrum eorū priùs conditum sit; alioquin vtrumque propter incertitudinem cassabitur, secundùm Gloss. in. l. vlt. ver. missus est, C. de edict. Diui Adriani toll. Clarum quæst. vlt. Excepto, si in altero pia causa scripta reperiatur, sicuti limitat Tiraquel. de priuil. piæ causæ 35. vel hæres ab intestato succedens, sicuti limitat Glossator Clari.

Alterum. Si testator in priore testamento protestetur; si quippiam postea mutauerit, aliúdve testamētum condiderit, nolle se id valiturum; standum est priore voluntate, ac dispositione; præterquam si in posteriore testamento addatur clausula derogatoria, seu reuocatoria prioris: quia, vt dicitur, l. si quis in principio, ff. de legatis, 3. *Nemo eam sibi legem potest dicere, vt à priore voluntate recedere non liceat*, Verùm non sufficere videtur hoc casu, si testator dicat reuocare se testamentum priùs conditum: quia censetur esse immemor prioris clausulæ, quæ si in mentem illi veniret, non reuocaret testamentum: quare necesse est, vt ipsamet clausula derogatoria prioris testamenti reuocetur; idque vel verbis specialibus, *non obstante clausula derogatoria prioris testamenti.* vel saltem generalibus, vt non valeat prius testamentum, *quibuscunque verbis derogatoriis conditum fuerit.* Ita colligitur ex cit. l. si quis in principio, & ex communi docet Couar. p. 2. rubr. n. 59. Fachin. lib. 4. controu. c. 92. Ioan. Molan. de testam. piis, c. 49. contra Bartolum cit. l. si quis in principio. 3

CAP. V.

De Hæredibus instituendis.

SVMMARIVM.

1 *Tum singuli homines; tum etiam Communitates hæredes institui possunt, nisi lege prohibeantur.*
2 *Religiosi professi Ordinum; quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, hæredes institui possunt: succedit autem eorum nomine Monasterium.*
3 *Collegia & Domus Societatis Iesu ratione alicuius Professi, aut vota formata habentis succedere non possunt siue ex testamento, siue ab intestato.*
4 *Monasteria Ordinis Minorum, & Cappucinorum capacia non sunt vllius hæreditatis: imò nec ecclesiæ eorum; secundum probabiliorem sententiam. At verò Societatis Iesu Collegia, & Domus hæreditates accipere possunt, modò non deferantur contemplatione suorum Professorum, &c.*
5 *Legata sicuti & alia donata, contemplatione suorum Professorum, Societas Iesu accipere non prohibetur.*
6 *Per professionem Religiosi omnia eius bona & iura, excepta legitima portione descendentibus, vel ascendentibus debita, in Monasterium transeunt, si bonorum immobilium capax sit.*

7 *Monasterium ratione sui Monachi hæreditatem delatam adire potest, etiam ipso inuito, vel ante aditionem mortuo.*
8 *Religiosus ad Episcopatum translatus hæreditariæ successionis capax est; sed bonorum administrationem tantùm habet, non dominium.*
9 *Hæres institutus vel est vniuersalis, siue ex asse; vel particularis.*
10 *Hæredes ex testamento alij sunt necessarij, videl. descendentes, & ascendentes, quibus saltem portio legitima debetur, quæ est triens hæreditatis; (si plures, quàm quatuor liberi, semis) alij verò hæredes non necessarij sunt.*
11 *Si alicui descendenti, aut ascendenti portio legitima non relinquatur, competit ei actio, vel ad petendum complementum, si aliquid relictum fuerat; vel ad rescindendum testamentum, tanquam ipso iure nullum, si nihil iure institutionis relictum, neque causa idonea exhæreditationis inserta & probata.*
12 *Etiam ob posthumi præteritionem, vel exhæreditationem testamentum rumpitur.*
13 *Peccant parentes, si sine iusta causa successionis inæqualitatem inter liberos constituant.*
14 *Liberi naturales respectu patris non sunt hæredes necessarij; at verò matris respectu sunt.*
15 *Frater & soror testatoris, si præteriti sint, testamentum tunc solùm infirmare possunt, si persona infamis instituta fuerit.*
16 *Ius naturæ postulare videtur, vt pater filiis testamento relinquat, quatenus ad vitæ sustentationem indigent, etiam vltra legitimam ciuili iure debitam. Et ferme eadem ratio est de liberis comparatione parentum indigentium.*
17 *Consultum est morituris, etiamsi liberos habeant, partem bonorum ad pias causas relinquere, pro salute animæ.*
18 *Consultius est bona sua in pauperes distribuere in vitæ decursu, quàm ad mortis tempus differre.*
19 *Expedit testamentum condere, non circa mortis agonem, sed dum ratio & sensus vigent.*
20 *Plerumque non expedit, vt Confessarij præsertim Religiosi, confectioni testamenti intersint, aut in particulari suadeant, quibus relinqui debeat.*

1 QVæstio Prima. Quinam hæredes institui possint? Respondeo, & dico I. Omnes homines, non tantùm singuli atque priuati (etiamsi amentes sint, surdi, muti, prodigi, serui) sed etiam Communitates, & Collegia hæredes institui possunt; nisi specialiter prohibeantur. Sumitur ex l. 1. C. de SS. Ecclesiis. Prohibetur autem primò, ne hostium ciuitates hæredes instituantur, l. omnium, ff. ad SC. Trebellianum.

Secundò, Ne Iudæorum communitas instituatur, l. 1. Cod. de Iudæis.

Tertiò, Ne Collegium instituatur, quod publica auctoritate erectum non est, l. Collegia, §. in summa, ff. de illicitis collegiis. l. Collegium, C. de hæredibus instituendis. Excipiuntur tamen ea Collegia seu Confraternitates, quæ pietatis causa institutæ sunt, etiam sine auctoritate Superioris, sicuti habetur in l. 1. ff. eod. vbi id notat Gl. recepta ver. illicita collegia. Nauar. consil. 3. de foro compet. edit. 2. vbi rectè monet, tales Fraternitates, ex personis laicis sociatas simpliciter quidem subesse Magistratui seculari; secundùm quid verò, videlicet quoad actus Ecclesiasticos, subesse Episcopo; qui proinde eis præcipere potest modum seruandum in processionibus, aut comitanda SS. Eucharistia ad ægrotos; &, si reditus annuos habeant, administrationum rationem ab eis exigere, secundùm Trident. sess. 22. de reformat. c. 8.

Quartò, hæres institui non potest deportatus, vel ad metalla damnatus, l. 3. ff. De his, quæ pro non scriptis habentur, & l. 1. C de hæred. instituen.

Quintò, Hæreticus, & apostata communi iure hæredes fieri nequeunt, l. Manichæos, & l. vult. C. de hæreticis, l. 3. C. de Apostatis. Vide etiam Auth. credentes, C. de hæret. & c. excõmunicamus, §. credentes extrà, eod.

Sextò, Spurius, siue natus ex coitu damnato & punibili, omnis successionis in bonis tam paternis, quàm maternis incapax est, sicuti constat ex Authen. licet, in fine, C. de natur. liberis, Auth. Quibus modis naturales, &c. §. vlt. Auth. ex complexu, C. de incestis. nupt. Instit. ad SC. Orfficianum, §. nouissimè, vbi Gl. ver. admitti, & docet Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 5. n. 3. & 4. Clarus q. 31. Mol. disp. 167. Atque etiam vice versa parentes in bonis spurij succedere prohibentur, Auth. Quibus modis, &c. §. de nepotibus. Auus tamen, deficiente prole legitima, spurium hæredem instituere potest; non tamen intuitu patris, sicuti docent DD. communiter apud Couar. cit. §. 5. n. 19. Clarum q. 32. Gaill. lib. 2. obser. 88. n. 15. Ab aliis item non ascendentibus nihil prohibet, quominus spurij hæredes instituantur; vel ab intestato succedant fratribus, aliisque consanguineis vterinis, l. 2. & 4. ff. vnde cognati. Si autem vterini non sint, sed ex diuersis matribus geniti, non censentur habere cognationem inter se, & cum aliis cognatis patris, quod attinet ad bonorum successionem: idq; etiam in naturalibus, imò & legitimatis locum habet, sicuti constat ex cit. Authen. Quibus modis naturales, §. filiũ verò, collat. 7. & docet Gl. in cit. l. 2. ff. vnde cognati, §. nascũtur.

Septimò, Occisor testatoris, saltem per Iudicis sententiam, hæreditate priuari debet, vt fisco deferatur, sicuti docet Clarus, §. homicidium, n. 22. Addit. Nauar. li. 4. consil. 1. de donat. inter virum & vxorem, edit. 2. ex l. cùm ratio, §. vlt. ff. de bonis damnatorum.

Octauò; Aliqui in iure propter commissum crimen intestabiles dicuntur, v. g. qui Cardinalem Ecclesiæ Romanæ persequuntur, c. felicis, de pœnis in 6. quod intelligitur post Iudicis sententiam.

Porrò, si testamentum deficiat, eò quòd hæres qui solus institutus fuit, incapax est, legata ex eo non debentur; nisi pia sint, sicuti constat ex dictis suprà c. 2. & notat Mol. disp. 154. in fine. Sin verò alius cum illo hæres capax institutus fuit, eidem accrescit portio alterius; neque deuoluitur ad hæredes ab intestato; propterea quòd iura non permittant aliquem ex parte testatum, & ex parte intestatum decedere.

Dico II. Religiosi professi Ordinum eorum tantùm, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, hæredes institui, atque ab intestato succedere possunt, vti colligitur ex Clem. exiui, ver. quia igitur, de verbor. signif. & ex communi docent Clarus q. 29. Nauar. comment. 2. de Regular. n. 50. Sanchez lib. 7. moral. c. 12. & cap. 25. Tales autem iure nouo Trident. sess. 25. c. 3. de Regularibus, sunt omnes Ordines, etiã Mendicantes, præter Minores de obseruantia, & Cappucinos. Excepta etiam Societate Iesu, quæ priuilegium illud seu concessionem Trident. bona immobilia & reditus possidendi non acceptauit, sed in suæ paupertatis professione secundùm constitutiones permansit; vti declarat Sanch. lib. 6. c. 18. n. 7. & seqq. Ratio autẽ huius regulæ, cur Ordines qui bona immobilia, ac reditus stabiles possidere non possunt, incapaces sint successionis hæreditariæ ratione Professorũ suorũ, hæc esse videtur; quia hoc ipsum magnum & stabile quoddam ius esse videtur, succedendi bonis omnibus Professorum suorum; nec non in omnibus hęreditatibus, quæ siue ex testamento, siue ab intestato deferuntur: quare hoc ius successionis cõpetere non debet iis Ordinibus, qui etiã in cõmuni bona ac iura immobilia possidere nequeunt. 2

Porrò tametsi Collegiis, ac domibus probationis in Societate Iesu bona immobilia & reditus annuos possidere concessum sit, non possunt tamen ratione alicuius Professi, aut vota formata habentis, succedere in hæreditate quacunque, vti habetur p. 6. constit. c. 2. §. 12. *Non solùm particulares Professi, & Coadiutores formati hæreditariæ successionis non erunt capaces: verùm nec Domus, nec ecclesiæ, nec Collegia, eorum ratione. Sic enim, omnibus litibus ac controuersiis præcisis, charitas cum omnibus ad Dei gloriã melius conseruabitur.* Et debent hæc verba intelligi de vtraque successione, videl. quæ est ab intestato, & quę est ex testamento: quia cùm lex seu constitutio nihil distinguat, nec nos distinguere debemus. Et ita apertè docet Sanchez lib. 7. c. 27. n. 16. 24. & satis indicat Molina to. 1. tr. 2. disp. 139. ver. Tam professi, iuncta disp. seq. 3

4 Quare nota, inter ordinem Minorum, ac Societatem Iesu discrimen esse, quòd in Ordine Minorum, & Cappucinorum non solùm Professi singuli hæredes institui non possunt, sed neque eorum Monasteria; adeò, vt talis institutio omnino irrita sit. Imò probabilius est, neq; ecclesiam Fratrum Minorum hæredem institui posse sicuti ex communiore docet Sanchez lib.7.moral.c.25.n.14.contra Rodriq.to.2.Regul.q.78.a.5.qui ait, Ecclesiæ Romanæ hæreditatem hoc casu acquiri posse. Sed contra est, quòd Ecclesiæ Romanæ non acquiruntur nisi ea, quorum ipsa Communitas Minorum, aut eorum ecclesia capax esse potest: cùm igitur ipsi, eorúmque ecclesiæ secundùm se incapaces sint omnis hęreditariæ successionis (alioqui ipsorum ecclesiæ succedere etiam possent in bonis suorum Profitentium) sequitur, quòd hęreditas Ecclesiæ Romanæ non deferatur; sed hæredibus ab intestato.

Deinde probabilius est, Fratribus Minoribus ne eo quidem pacto hæreditatem deferri posse, vt eam vendant, & in necessarios vsus pretium venditionis expendant, vti docet idem Sanchez n.11. contra Rodriq. n.4. Nam etiam hoc casu ius hæreditatis, cum omnibus annexis oneribus, ipsis acquireretur, cuius tamen incapaces redditi sunt, cit. Clem. exiui. Alia verò ratio est, si alius instituatur hæres, cum onere vt hæreditatem vendat, & pretium in Fratrum necessitates conuertat: siquidem hoc casu non ipsi Fratres, sed institutus ius hæreditatis cum annexis oneribus suscipit.

At verò Societas Iesu, etiam Domus professæ simpliciter hæredes institui, atque hæreditates adire possunt, ita tamen, vt, si in hæreditate Domui professę relicta contineantur bona immobilia, quæ eorum vsui, ac habitationi non inseruiant, ea vendi debeant, cùm aliàs possidere nequeant, p. 6. Constitut. c. 2. §. 5. & docet Sanchez lib.7.c.27.n.15. Molin.to.1.tr.2.disp.195.ver. A regula.

Obijciet aliquis: Si Societas Iesu, etiam Domus eius professa, hæres institui potest; sequi videtur, quòd eadem Societas, aut Domus professa succedere possit contemplatione sui Professi, aut Coadiutoris formati, si ab aliquo hæres institutus fuerit. Confirmatur ex eo, quòd extra controuersiam est, Societatis Iesu Professis, & Coadiutoribus formatis legata relinqui posse, ita vt ea acquirantur Domui professæ, aut Collegio, in quo habitant. Ergo simili modo hæreditas relinqui poterit; cùm ea sæpe minoris momenti sit, quàm amplum legatum. Ad obiectionem respondetur, negando conseq. Quia in omni religioso Ordine strictior paupertas est quoad personas particulares, quàm quoad Communitatem. Quare licet Domus, & Collegia Societatis Iesu capacia sint hæreditatis; tamen personæ particulares, post professionem, vel vota formata, adeò incapaces redditæ sunt, vt neque earum contemplatione Collegia, aut Domus succedere possint. Ratio afferri potest I. Quia, vt suprà dictum, hoc valde magnum & quodammodo stabile ius esset Societatis Iesu, succedendi ratione suorum in hæreditatibus; quo iure, ob maiorem paupertatis perfectionem, se priuare voluit. II. Quia hæreditates particularibus personis, etiam ex testamento, ferme deferri solent ratione cognationis, aut affinitatis specialis. Si enim ob Dei honorem tanquam pauperibus conferenda sit, Collegio, seu Communitati relinquetur.

5 Ad Confirmationem obiectionis dico, maximum esse discrimen inter hæreditatem, ac legatum; tum quia hæreditas longè maius continet ius atque dominium, quàm legatum: tum quia cum hæreditate transeant onera & obligationes variæ, cum quibus plerumq; lites & actiones iudiciales coniunctæ esse solent. At verò legatũ, cùm sit rei particularis, habet se instar eleemosynæ, seu rei donatæ; ideóque sicuti donata Religiosus quilibet cum consensu Pręlati accipere, & sic Ordini, Monasterio, aut Collegio acquirere potest, absque sua, vel Monasterij obligatione, ita etiam legatum. Quę ipsa causa est, cur Patres Ordinis Minorum, & Cappucini, licet hæreditatis omnino incapaces existant; tamen legatum capere possint, seu illud relinquatur Communitati, seu alicui in particulari; modò non in tanta quantitate, vt videatur esse in fraudem, id est, hæreditatem, vel partem hæreditatis relinqui sub nomine legati, vti habetur in cit. Clem. exiui, de verbor. signif. §. Cupientes, & explicat Sanchez lib.7. c.26.n. 10. & 11.

Veruntamen si Professus Societatis Iesu, vel vota formata habens, instituatur hæres intuitu ipsius Societatis, ita vt principaliter ipsa Societas, seu Collegium, aut Domus professa instituta videatur, dicendum est, institutionem valere, sicuti in simili docet Sanchez lib. 7.c.13.n.61. Id verò in dubio præsumendum est, si testator sciuit, Professum per se institui validè non posse: quia interpretari oportet dispositionem, potiùs vt valeat, quàm vt pereat, argum. l. vlt. C. de vsufructu.

Redeo nunc ad partem assertionis affirmantem, videlicet Ordines omnes, eorumque Professos, quibus permissum est bona immobilia in communi possidere, hæreditariæ successionis capaces esse, iuxta l. vlt. §. Hoc etiam, C. de Episc. & Cleric. Vbi aliqua aduertenda: Primum. Ipsa professione, veluti morte quadam Monachi seu Religiosi, omnia eius bona ac iura in Monasterium transeunt, excepta portione legitima hæredibus necessariis debita, Authen. de Monachis, §. illud quoque, Authen. Si qua mulier, C. de SS. Ecclesiis, & Auth. Ingressi, eod. tit. *Ingressi Monasteria, ipso ingressu*, id est, eo ipso, quòd Monachi fiunt, vti Glossa interpretatur, *se, suáque dedicant Deo*. Quæ approbata reperies à Gregor. I. lib.7. indict 2. epist.7. ad Ianuar. Caralitanum Episcopum, & refertur in c. quia ingredientibus, 19. q.3. Quia ita decet, vt qui se Deo, ac Monasterio dedicat, non solùm personam suam, sed omnia etiã bona simul offerat: vt plena sit oblatio ac sacrificium. 6

Alterum. Quicquid deinde Professus seu labore suo, seu aliorum donatione, aut legitima successione hæreditatis, vel ex cuiuscunque testamentaria successione acquirit, id non tam ipsi, quippe qui dominij rerum in particulari incapax est, sed potiùs Monasterio acquiritur; ita vt omnis actio, quæ Religioso, si professus non esset, competeret, à Monasterio nomina illius exerceri possit. Quæ est communis DD. sententia, sumpta ex cit. Authen. Si qua mulier. & Authen. de SS. Episcopis, §. si Monachus, & l. vlt. §. huius autem, C. de Episc. & Clericis, c. Abbates, 18. q. 2.

Tertium. Bona & iura, quæ Monachus tempore professionis habet, vel si quæ postea acquirit, ipso facto sine alia apprehensione transeunt in Monasterium, quoad dominium ac possessionem. Ita notauit Gl. cõmuniter recepta c. si qua mulier, ver. non extantibus, causa 19. q. 3. Quia bona transeunt in Monasterium accessoriè, seu per consequentiam eo ipso, quòd persæna in Monasterium transfertur, argument. cit. Authent. de Monachis, §. illud quoque, ibi, *Ingredientem namque simul sequuntur omnino res*. Qua simili ratione in l. si adoptauero, ff. de precario, decretum est, interprete Gl. marginali; Quòd dominium ac possessio omnium bonorum illius qui adrogatur, in adrogantem transeant, sine vlla apprehensione, quam doctrinam bene explicat Abbas in c. in præsentia, n.74. de probat. Cęterum si post professionem Monacho hęreditates, legata, aut donationes deferantur, haud dubiè ad eorum acquirendam possessionem requiretur apprehensio seu ipsius Monachi, cum licentia Prælati: seu Monasterij per Procuratorem v. g. suum, aut Syndicum.

7 Illud verò controuersum est, vtrum ad acquirendam hæreditatem Monacho, necessaria sit ipsius aditio; an verò Monasterium, eo etiam ignorante, vel inuito, adire possit? Et responderi debet contra Legistas, ex communi sententia Canonistarum in c. in præsentia, vbi Innoc. Hostiensis, & Abbas n.75. Couar. c.1. de testam. n.1. & sequitur Sa ver. Religio, n.27. Mol. to.1. tr.2. disp. 140. ver. Non solùm bona, Rodriq. to.2. regular. q. 77. a.1. Sanch. lib.7. moral. c.12. q. vlt. Hæreditatem proximè deferri Monasterio, vt adire eam possit, etiam inuito Monacho, aut ignorante; Monachus autem adire nequeat, nisi ex Prælati, aut Monasterij mandato. Ratio est: Quia Religiosi professi, propter paupertatis votum solemne, incapaces sunt sibi acquirendi; sed omnia eorum iura ad Monasterium transijciunt. Quapropter licet Religiosus, in eo quod Monasterio acquirit, seruo comparetur; quia tum rei proprietatem, tum vsumfructum, ideóque plenum rei dominium Monasterio acquirit; attamen quoad modum acquirendi filiofamilias potiùs comparatur, de quo in l. vlt. C. de bonis quæ liberis, &c. habetur, recusante eo hæreditatem, patrem nihilominus adire posse, ad acquirendum sibi vsumfructum.

Sed etsi Religionem professus post deuolutam, nondúmque aditam hæreditatem mortuus fuerit; vel ad aliud Monasterium translatus, nihilominus Monasterium illud, in quo Monachus tempore deuolutæ hæreditatis, vel legati extitit, eandem adire potest, sicuti docet Couar. in c. 1. de testam. n.31. Mol. cit. disp. 140. §. quando Religiosus, Less. lib.2. c.41. dub. 11. Ratio est, quam suprà dedi, quia talia iura Monasterio, ratione Professi sui, immediatè acquisita sunt; idque colligitur ex Auth. Ingressi, iun. Auth. Si qua mulier, C. de SS. Ecclesiis.

8 Sed quid de Religioso ad episcopatum translato, vtrum hæreditariæ successionis capax sit? Respondeo, capacem esse; quamuis fuerit Ordinis Mendicantium; ita tamen, vt bonorum sola administratio ipsi acquiratur; dominium verò Ecclesiæ, cui præest. Vide Gl. in c. vn. 18. q. 1. Syl. ver. religio. 4. q. 10. Less. lib. 2. c. 40. n. 113.

9 QVAESTIO SECVNDA. Quæ sit diuisio siue varietas hæredum? Respondeo primò: Hæres alius est ex testamento; alius ab intestato. Ille vel est vniuersalis, siue ex asse: vel particularis: & tunc vel in parte hæreditatis aliquota, v.g. triente, quadrante: vel in re certa ac determinata. Hæreditas enim plerumque diuiditur in duodecim vncias, quæ *assis* appellatione continentur. Habent autem & partes hæreditatis singulę propria nomina: videlicet, *Vncia*: *sextans*, id est, duæ vnciæ: *quadrans*, id est tres vnciæ: *triens*, id est, quatuor vnciæ: *quincunx*, id est, quinque vnciæ: *semis*, siue *semissis*, id est, sex vnciæ: *septunx*, id est, septem vnciæ, *bes*, id est, octo vnciæ: *dodrans*, id est, nouem vnciæ: *dextans*, id est, decem vnciæ: *deunx*, id est, vndecim vnciæ. §. hęreditas, Instit. de hæredib. instituendis.

Qui ex parte aliquota hæres instituitur, onera hæreditatis proportione partis suæ sustinere cogitur: non item qui in certa aliqua re institutus est: talis enim potiùs legatarij loco habetur: ideóque iura, actiones, & debita defuncti ad eum non pertinent, sed ad hæredem propriè dictum, qui & defuncti personam, tam quoad iura, quàm speciales obligationes, ac debita repræsentare debet. Ita habetur in l. quotiens, C. de hæred. instituen. Si autem nullus alius hæres, præter particularem, instituendus sit: tunc hæreditas reliqua illi, quamuis in certa tantùm re verbis directis instituto, accrescere debet. Quod ipsum etiam locum habet, si reliqui instituti ante testatorem mortui sint, vel postea hæreditatem repudient, sicuti constat ex l. 1. §. si ex fundo, ff. de hæred. instit. & docet Gomez to. 1. resol. c.10. num. 8. & 13. Mol. disp. 155. Vasquez tr. de testament. c.4. dub. 8. Cuius rei ratio est: Quia, vt dicitur reg. 7. ff. *Ius nostrum non patitur eundem in paganis*, (excipitur enim testamentum militare, l. si miles vnum, & l. si miles ita, §. & quia, ff. de testament. milit.) *& testato, et intestato decessisse.*

Præterea, hæres ex testamento alius est necessarius: alius non necessarius. Necessarius dicitur, quem testator in portione legitima instituere cogitur; nisi iustam exhæredandi causam habeat: ex illis quæ numerantur in Authent. Vt cùm de appellatione cognoscitur, cap.3. & 4. & apud Couarruuiam in c. Raynutius, princ. de testament. Mol. disp. 176. Hæres autem non necessarius appellatur, quem testator instituere non cogitur. 10

Hæredes necessarij inprimis sunt descendentes: his autem deficientibus ascendentes. Legitima portio descendentium nouo iure est triens hæreditatis, si non plures, quàm quatuor liberi masculi, vel fœminæ existant: semis autem, si plures, quàm quatuor, sicuti habetur in Authen. de triente & semisse, & Authent. nouissima, Cod. de inofficioso testamento. Atque in numero hoc liberorum constituendus etiam est, qui omnino renuntiauit hæreditati: non item qui exhæredatus, aut ob Religionis professionem incapax factus est, vti docet Gaill. lib.2. obseruat. 121. num. 17. & 18. Neque potest portioni legitimæ onus seu grauamen aliquod apponi, sicuti habetur in l. quoniam, Cod. de inoff. testament. Idque verum est, tametsi filius consentiat cum præiudicio suorum descendentium: quippe quibus in legitima illa portione noceri non potuit, sicuti notat Vasquez de testament. cap. 6. n. 89. secùs est, si filius descendentes non habeat: tunc enim iuri suæ legitimæ renuntiare poterit, teste Claro, q.43. num.3. Anton. Gomez tom. 1. resol. c.11. n.31. Couar. c. Reynaldus, §. 2. n.2. Sin autem vnus ex liberis defunctus nepotes reliquit, ij patris sui personam repræsentantes, in eiusdem portionem succedunt: ideóque cum reliquis liberis testatoris non in capita, sed in stirpes ad hæreditatem admittuntur, sicuti habetur in §. filius, Instit. de hæredib. ab intestato.

Verùm quod dixi de legitima portione liberis omnibus debita, locum tantùm habet in bonis priuatis: non item in regnis, ducatibus, & comitatibus Magnatum: talia enim bona in plerisque prouinciis ad primogenitum spectant: eóque mortuo, quamuis adhuc viuente patre, ad nepotem masculum deuoluuntur: secluso filio secundò genito, aliisque masculis: dummodo iis sustentatio sufficiens, pro conseruanda dignitate status, & familiæ suæ, assignetur, sicuti docent DD. in cap. licet, vbi Innocentius & Abb. num. 9 & 10. de voto. Deinde legitima portio intelligitur ex bonis, quæ sunt de substantia patris: non item ex bonis feudalibus, quæ dicuntur ex pacto & prouidentia, secundùm gratiam & liberalitatem concedentis, sicuti docet Andr. Fachin. lib. 4. controu. cap. 23.

Ascendentium item legitima portio est triens hæreditatis, qui deficientibus descendentibus testatoris, debita est parenti vni, vel vtrique superstiti: Sin autem neuter parens superfit, in locum patris succedunt auus, & auia paterna: in locum matris auus, & auia materna, sicuti expressiùs leges in Authent. de hæredibus ab intestato, §. consequens autem, & seq. Et necesse est, legitimam portionem hæredibus necessariis relinqui titulo honorabili institutionis, atque sine vllo apposito grauamine, modo, conditione: alioquin pro non appositis habentur, sicuti constat ex cit. loc. quoniam, & videri potest Authent. Vt cùm de appellat. cognoscitur, §. aliud quoque iun. §. Et hæc quidem de parentum.

Porrò, si alicui seu descendenti, seu ascendenti por- 11

tio

tio legitimo iure institutionis, siue hæreditario non relinquatur: refert vtrum in aliqua minore, quàm legitima portione tanquam hæres instituatur (non adiecta legitima ingratitudinis causa) an verò in nulla. Si primum, competit actio ei ad petendum complementum legitimæ, l. omnimodò, Cod. eod. & Authent. Vt cùm de appellat. cognoscitur, §. hæc autem disposuimus: duratque ea actio 30. annis, sicuti ex communi sententia docet Gomez 1. resolut. cap. 11. num. 23. Molin. disput. 177. Si autem omnino prætereatur, seu nihil iure institutionis relinquatur: iterum distingue, vtrum legitima prætereundi, vel exhæredandi causa apponatur, nécne. Si causa legitima non affertur, testamentum ipso iure nullum est, quod attinet ad hæredis institutionem: nam cætera, videlicet legata, fideicommissa, tutorum dationes, nihilominus subsistunt, iuxta Authent. ex causa, Cod. de liber. præter. Si verò causa legitima exhæredationis testamento inserta fuerit, sed ab hærede instituto probari non possit: tunc competit hæredi necessario quærela in officiosi testamenti, per quam euacuabit testamentum, quod attinet ad hæredis extranei institutionem, sicuti habentur hæc omnia in cit. Authent. vt cùm de appellat. cognoscitur, §. aliud quoque, & §. siue igitur omnes.

Est autem hoc discrimen, quòd si testamentum ipso iure nullum sit, tunc hæredi iniustè prætereito, triginta annorum spatio ius agendi, siue testamentum nullum dicendi relinquitur, sicuti docet Gl. recepta in l. licet, ver. longi, Cod. de iure deliberandi. Sin autem per querelam impugnare siue rescindere contendit, intra quinquennium id agere debet, l. si quis filium, iun. l. scimus, §. illud præterea, Cod. de inoff. testam. & ex communi docet Clarus q. 40. n. 5. Mol. disp. 175.

12 His quædam addenda sunt: Primum. Etiam ob posthumi præteritionem, vel exhæredationem, testamentum rumpitur, si ille viuus & perfectus nascatur, licet statim moriatur, l. posthumo nato, Cod. de bonorum posses. contra tabulas, §. posthumi, Instit. de exhæredat. liberorum. Quod intelligi debet, si moriatur post testatorem: nam si præteritus priùs, quàm testator moriatur, tum prætoria æquitate conualescit testamentum, l. posthumus, ff. de iniusto rupto, &c. Vide Gomez cit. cap. 11. n. 4. Clarum, q. 45. Mol. disp. 175. §. posthumus.

13 Alterum. Licet secundùm ius ciuile parentes liberis singulis non nisi certam portionem relinquere cogantur: ideóque vni plus, quàm alteri conferre possint: peccant tamen plerumque, si sine iusta causa, & ex inordinato affectu inter liberos (quorum natura communis est) successionis inæqualitatem constituant: v. g. quia ex diuersis matrimoniis nati sunt, quorum vnam matrem magis, quàm alteram testator dilexit. Huc etiam pertinet inuectio Saluiani lib. 3. ad Ecclesiam. *Qui à parentibus filij offeruntur Deo, omnibus filiis postponuntur: indigni iudicantur hæreditate, qui digni fuerant consecratione: ac per hoc vna tantùm re parentibus viles sunt, quia cœperint Deo esse pretiosi. Ex quo intelligi potest, quòd nullus pene apud homines vilior est, quàm Deus: cuius vtique fit despectione, vt eos præcipuè parentes filios spernant, qui ad Deum cœperint peruenire.* Et infrà: *Sunt ex parentibus multi, qui æquales filiis suis faciant portiones: nisi quòd vna tantùm eos conditione discernunt, quòd in iis partibus, quæ religiosis videntur adscribi, vsum iubent ad eos, proprietatem ad alios pertinere. At verò hoc multò est peius, & infidelius: tolerabilioris quippe impietatis esse videtur, cum proprietate aliquem filiis minus relinquere, quàm proprietatem iis rerum penitus auferre. Vsum enim,* subiungit, *eis dedit, vt esset, quo ipsi viuerent: proprietatem ijs tulit, vt quod Deo relinquerent, non haberent.*

Iustæ autem causæ inæqualitatis inter liberos constituendæ sunt: si inter eos aliqui de testatore, domesticis obsequiis, aliísue officiis, magis meriti fuerint: si qui plus indigere videantur, quia bonis aduentitiis carent: si adhuc pusilli, magno sumptu in studiis educari debeant: denique si secundùm gentis consuetudinem priùs geniti aliis, aut masculi fœminis in successione præferantur.

Tertium. Liberos naturales, nisi legitimati sint, non 14
tenetur pater hæredes instituere, sicuti ex communi docet Clarus q. 42. n. 4. iun. q. 84. Quanquam, si liberis careat, non prohibetur eosdem instituere, vel quomodolibet bona sua ipsis donare, legare: modò parentes, si supersint, legitima portione non priuentur, Auth. licet, C. de naturalibus liberis. Sin autem testator liberos legitimos habeat, non plus, quàm vnam hæreditatis vnciam naturalibus liberis, eorúmque matri relinquere poterit, cit. Authent. Quibus modis naturales efficiantur sui, & l. 2. cum adiuncta Auth. C. de naturalibus liberis. Locutus sum autem de patre: nam matri filij naturales æquali iure cum legitimis tam ex testamento, quàm intestato succedunt, vbi ius commune Cæsareum obseruatur, l. si qua illustris, C. Ad SC. Orficianum. Vide plura apud Couar. in epit. p. 2. c. 8. §. 4. Mol. to. 1. tr. 2. disp. 166.

Quartum. Frater, vel soror testatoris, quamuis vtrinque coniuncti, non possunt testamentum infirmare, eò 15
quòd præteriti, seu hæredes instituti non sint: excepto casu, si persona infamis, iuris, aut facti infamiâ, instituta fuit, & ipsis nihil titulo institutionis relictum: hoc enim casu fratres, & sorores agere possunt querela inofficiosi testamenti; nisi vterini tantùm sint, aut & ipsi infames, vel de ingratitudine erga defunctum notati, l. fratres, Cod. de inoffic. testam. & videri potest Clarus q. 50. Molin. disp. 159.

QVÆSTIO TERTIA. Quid homini deliberanti de hæredibus suorum bonorum instituendis, aut legatis relinquendis in conscientiæ foro suaderi debeat? Respondeo & dico I. Si testator liberos habeat, ius naturæ postulare videtur, vt ipsis necessaria ad victum, & honestam sustentationem relinquat: etiam vltra legitimam ciuili iure debitam. Ita docet Ioannes Molanus lib. de piis testament. c. 11. & probatur auctoritate S. August nolentis ab Ecclesia suscipi legata, quæ necessitati liberorum parentes in testamento subtraxerant: præterquam si liberi maturiorem ætatem consecuti, sponte consentiant; vt videre est serm. eius 49. de diuersis; tom. 10. Et apud S. Gregor. lib. 7. Epist. 32. indict. 2. *Melius est*, inquit, *in dubiis non districtionem sequi, sed ad benignas partes inflecti; dum ex parua rei cessione Ecclesia non grauatur, & orphano, atque pauperi misericorditer subuenitur.* 16

Dico II. Similiter liberi ex hac vita decessuri, parentibus suis, si ad victum, vel statum suum indigent, etiam supra ciuilem legitimam relinquere debent: Sin verò indigentes non sint, satiùs est, sola ipsis legitima relicta, reliquum in magis indigentes, pauperes, aliásue causas pias distribuere. Addit verò Molanus cap. 19. Etsi testator dilues proprios descendentes habeat, quibus bona sua relinquit: decens tamen esse, ob honorem, & reuerentiam parentibus debitam, vt eorum etiam in testamento memor, quippiam leget ingratitudinis signum.

Dico III. Quamuis testator numerosam prolem habeat, expedit tamen plerumque, ad piam causam legando Christum Dominum filiis cohæredem instituere. Quia 17
id non solùm animæ testatoris, sed ipsis quoque liberis expedit: vt hac veluti erga Christum commendatione, ipsorum tutor, & cōtra omnes insidias protector esse velit, sicuti S. annotauit Cyprianus in lib. de opere & eleemosynis, c. 7. S. Chrysost. hom. 51. ad pop. Antiochenum, & videri possunt de hoc argumento S. Hieronym. epist. 150. ad Hedibiam, q. 1. S. Basil. hom. 7. in diuites auaros, prope finem. S. August. expos. in Psal. 38. in illa verba: *Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit.* Et in Psalm. 48. in illa verba: *Relinquent alienis diuitias suas.* Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam. Dixi autem *plerumque* id expedire: Si enim bona liberis

ad sustentationem honestam omnino necessaria videantur, ea legatis minuenda non esse, constat ex I. assert. Non debet tamen hęc liberorum necessitas testatori cordato, atque in Deum confidenti maior apparere, quàm re ipsa sit: quominus saltem aliquam partem, secundùm prudentis viri arbitrium, pauperibus pro anima sua relinquat; nisi clarum sit, filiis omnia necessaria fore.

Dico IV. Quamuis secundùm ciuiles leges, testator vxori suæ, item fratribus, & sororibus suis relinquere nihil cogatur, tamen ius naturæ postulare videtur, vt istis, si indigentes sint, partem aliquam bonorum relinquat. Ita docet idem Molanus c.20. & 22. ex S. August. qui, vt Possidonius testatur in vita eius cap. 24. hæreditates Ecclesiæ relictas, reddidit non solùm testatoris parentibus, liberis; sed etiam affinibus, id est, valde coniunctis personis, si quando æquum & iustũ videbat, ab ijs potius possideri. Confirmatur exinde, quia tum cõiunx coniugi, quocum est veluti vna caro; tum frater fratri, aut sorori inopi alimenta necessaria ministrare cogitur, sicuti dixi tract. præced. cap. 13. n. 5. Ergo etiam dicessurus relinquere debet: modò tali legato seu relicto digni sint.

Dico V. Si fratres, sorores, aliíque cognati indigentes non sint, expedit propriam animam hæredem bonorum instituere, seu bona pauperibus, aliísque piis causis applicare. Ratio est: Quia testator descendentibus, & ascendentibus orbatus, aliis cognatis in hoc casu nihil debet: cùm interim ex lege charitatis, & misericordiæ obligatus sit pauperibus, quin & propriæ animæ suæ, vt à peccatis redimatur: nam *redemptio animæ viri, diuitiæ eius*. Prouerb. 13. quem locum ad hoc propositum allegat S. August. hom. 19. inter 50. Neque refert, quòd vxor, cognati, & amici, si nihil ipsis relinquatur, querelas ac murmura sparsuri putentur: hæc enim interdum negligi possunt, quando nullam iustam conquerendi causam habent: interdum verò à testatore caueri consultius est, si eiusmodi personæ sanguine, amicitia, aut obsequiis coniunctæ legatis honorentur; hæreditate ipsa, vt dixi, pauperibus, aliísque causis piis relicta, in animæ salutem.

18 Dico VI. Expedit magis diuitibus, vt bona, quibus abundant, tempore vitæ suæ in pauperes, & alias causas pias erogent, quàm vt testamento relinquant, post mortem suam distribuenda. Ita notauit Saluianus cit. lib. 3. in princip. Gabr. in can. Missæ, lect. 58. Ioan. Faber. Instit. de legatis, §. peculium. Ratio est, partim quia eleemosynæ, quæ à viuente erogantur, maioris meriti & satisfactionis sunt apud Deum, quàm si in tempus mortis differantur: quando homo dat, quia retinere diutius non potest, sicuti S. Lucia ad matrem Eutychiã dixisse narratur in histor. eius XIII. die Decembris: *Non satis Deo charus est, qui illi hoc dat, quod secum ferre non potest; si vis Deo gratum esse, hoc illi da, quo adhuc vti potes*: partim quia hæredes & testamentarij sæpe non integre, atque fideliter relicta pia exequuntur.

19 Dico VII. Si de bonis suis testari homines velint, præsertim ad causas pias; monendi sunt, vt ne in mortis agonem differant; sed id facere aggrediantur, antequam mortis periculum timetur, dum sensus & ratio vigent, vt quietiùs, meliore consilio, & maiore apud Deum merito perficiant, tempore quo in gratia Dei, præmissa etiam sacra Confessione ac Communione, constitutos se esse existimant. qua de re Ioan. Molanus c. 47. & 48. Gabr. in canonem Missę, lect. 58.

20 Ad extremum moneo, vt Confessarij, præsertim Religiosi, maiore spiritu, libertate, & fructu hominum animas iuuare possint, consultum non esse, vt confectioni testamentorum ipsi intersint, aut testatori in particulari suadeant, quibus hæreditas, vel legata relinqui debeant, præsertim propriis Ecclesiis, aut Conuentibus: sed expedit ferme in genere tantùm pias dispositiones commendare; nisi testator consilium petens dirigendus sit, ipsique explicandum, quidnam, consideratis omnibus, honestius, ad animæ eius salutem vtilius, Deóque gratius existimetur. Ad quam rem accommodari potest, quod legimus apud S. Lucam c. 12. vbi rogante quodam; *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem*, respondit Christus: *Homo, quis me constituit iudicem, vel diuisorem inter vos? Dixitque ad illos, videte, & cauete ab omni auaritia*. Et quę scripsit S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 9. *In supremo fine vitæ positos suum habere iudicium, vt liberè testentur quod sentiunt, qui postea non sint emendaturi: cùm honestum non sit compendia aliis vel debita, vel parata auertere: cùm sacerdotis, vel ministri sit prodesse, si fieri possit omnibus, obesse nemini*. Et paulò pòst: *In causis pecuniariis interuenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur*. Et subiungit: *In causa autem pecuniæ odia quærere, insipientiæ est*. Videri etiam potest Ioannes Polanchus de methodo iuuandi morituros, cap. 3.

CAP. VI.

De Hæredibus ab intestato venientibus.

SVMMARIVM.

1 *Liberi legitimi ante omnes alios, succedunt parenti ab intestato; & in demortuorum locum nepotes.*

2 *Deficientibus descendentibus veniunt pater & mater defuncti, & in eorum locum aui, & auiæ.*

3 *Fratres & sorores ex vtraque parte coniuncti præferuntur ijs, qui ex vna tantùm parte coniuncti sunt.*

Liberi duorum fratrum in capita, non in stirpes succedunt.

4 *Deficientibus consanguineis intra 10 gradus, succedit vxor; ea etiam deficiente, fiscus.*

5 *Hæres suus dominium hæreditatis etiam ante eius aditionem acquirit.*

6 *Qui ære alieno grauatus hæreditatem sibi delatam repudiat, non censetur id agere in fraudem creditorum: sed in conscientiæ foro videtur aduersus iustitiam delinquere, si alioquin soluendo impotens sit.*

7 *Hæres hæreditatem acceptando omnia in se debita & onera realia defuncti transfert; præditus tamen beneficio inuentarij conficiendi, & Falcidiæ detrahendæ.*

NVllo condito testamento; aut condito quidem, 1
sed illegitimè, aut postea rupto, aut irrito facto, succedunt hæredes ab intestato: ante omnes legitimi liberi, tum mares, tum fœminæ, æqualibus portionibus: in quorum mortuorum locum, adeóque in stirpes succedunt eorundem nepotes, sicuti habetur in Nouel. Iustiniani 118. collat. 9. c. 1.

Deficientibus autem descendentibus, veniunt pater 2
& mater defuncti, si superstites sint; in defectum verò, ac locum eorundem succedunt aui, & auiæ: ad eum modum, quo præced. c. de legitima ascendentibus debita dictum fuit.

Si tamen defunctus bona seu à patre, seu à matre profecta, reliquerit, in illis auum paternum; in his maternum præferri, docet Bartol. l. post dotem, Cod. soluto matrimonio, &c. cui tamen aliqui repugnant, apud Minsing. cent. 6. obser. 55. Couar. in epit. de success. ab intestato, n. 3. Quòd si vnà cum patre, aut matre; vel his deficientibus, vnà cum auo, vel auia adsint fratres, aut sorores ex vtraq; parte coniuncti; succedunt ipsi ęqualiter, siue in capita, iuxta Auth. defuncto, C. ad SC. Tertullianum, & cit. Nouel. 118. de hæred. ab intestato, c. 2.

Tertiò, si neque descendentes, neque ascendentes 3
hæredes adsint, succedunt fratres, & sorores, qui ex vtraque parte defuncto coniuncti sunt, æquis portionibus; & excludunt eos, qui ex solo patre, vel sola matre

iuncti sunt, cit. Auth. 118. c.3. & Auth. Itaque, C. communia de successionibus. Quòd si vnus ex fratribus, vel sororibus vtrinque coniunctis mortuus liberos reliquerit, succedunt hi, loco parentis sui, cum patruis non in capita, sed in stirpes, sicuti habetur in cit. c.3. §. si autem defuncto, iunct. Gl. ver. fratres. Si tamen fratres, & sorores vtrinque coniuncti omnes mortui sint, tunc eorum liberi (exclusis patruis ex vna parte coniunctis, Auth. cessante, C. de legit. hæred.) non in stirpes, sed in capita; adeóque æquis portionibus succedere debent, secundùm Carolinam constitutionem An. 1529. Spiræ in Comitiis editam. Ratio est: Quia duorum fratrum filij non parentum suorum loco; sed propriæ coniunctionis iure in hæreditate succedunt: cùm ergo æqualiter coniuncti sint, æquales etiam in hæreditatis portione esse debent: licet contrarium senserit Glossator Accursius, eúmque secutus Contius in cit. Nouel. 118.

Quartò, Deficientibus tam fratribus, & sororibus vtrinque coniunctis, quàm eorum legitimis liberis: tum demum veniunt fratres & sorores ex vna tantùm parte coniuncti: sed hoc discrimine, vt qui ex parte patris coniuncti sunt, succedant in bonis à patre prouenientibus: & qui ex parte matris coniuncti sunt, in bonis à matre prouenientibus: In reliquis verò bonis æqualiter omnes, vti docet Gl. in cit. Auth. itaque, C. communia de successionibus.

Quintò, Si etiam fratres, ac sorores, eorúmque filij deficiant, successio deuoluitur ad propinquiores collaterales, vsque ad gradum decimum, ciuili computatione: & fit talis successio in capita, nulla habita ratione, vtrum ex vtraque, an ex vna tantùm parte coniuncti sint. Ita habetur in cit. Authent. de hæredibus ab intestato, cap.3. §. si verò neque fratres, & Authent. post fratres, C. de legitimis hæredibus. Plura vide apud Couar. in epitome de successione ab intestato, Mol. disp.164. & seqq.

Sextò, Deficientibus hæredibus in linea transuersali vsque ad 10. gradum, succedit coniunx defuncti: nisi inter eos fuerit diuortium, l. vn. ff. & C. vnde vir, & vxor. Quòd si vxor marito sine dote nupsit, ei præmortuo, & consanguineo hæredes qualescunque relinquenti, succedit vxor, si inops sit, in quarta bonorum parte: tali adhibita moderatione, vt si liberi ex defuncto superstites sint, solus vsusfructus ad ipsam, dum viuit, pertineat; deinde, si plures, quàm tres liberi adsint, ipsa cum eisdem in capita succedat. Ita habetur in Auth. de exhib. reis, §. quoniam verò, Auth. præterea, C. vnde vir, & vxor, & Auth. vt liceat matri & auiæ, &c. §. quia verò legem. Et similis ratio est, si vxor locuples præmoriatur, relicto marito inope.

Septimò, Si neque consanguinei, neque coniunx extent, tunc fiscus secularis succedit in omnibus bonis laici ab intestato defuncti: Ecclesiasticus autem in bonis Clerici, l. vn. C. vnde vir & vxor, l. vacantia, C. de bonis vacantibus, lib.10.

His adde, quòd mulier, quæ susceptis ex priore matrimonio liberis ad secundas nuptias transiit, quidquid à priore marito quacunque donatione aut testamento acquisiuit, eiusdem matrimonij liberis seruare & relinquere debeat, omni alienatione penitus interdicta, l. fœminæ, C. de secundis nuptiis. Similiter & maritus, si quæ bona à priore vxore ad ipsum deuenerant, postea ad secundas nuptias transiens, reseruare ea debet liberis prioris matrimonij, l. generaliter, Cod. eod. Sin verò vir, aut mulier post mortem coniugis sui ad secundas nuptias non transeat, licentiam habet bona, quæ à coniuge suo profecta, exceptis lucris ex dote, aut donatione propter nuptias, arbitratu suo alienandi ac consumendi: si tamen non alienauerit, liberi ea sibi vendicare possunt, tametsi hæreditatem patris, aut matris adire noluint, Auth. hæres, iunct. §. seq. & Auth. vxore mortua, C. eod.

Ad extremum addenda est ea hæredum distinctio: quòd alius sit hæres suus, alius non suus. Suus hæres dicitur proximus descendens, in potestate defuncti mortis tempore existens: cui etiam annumerari debent posthumi, legitimati per subsequens matrimonium, vel per oblationem ad curiam, vti habetur Instit. de hæredit. quæ ab intestato, §. intestatorum, & seqq. Habet autem hæres suus id priuilegium speciale, quòd prorsus vna persona cum defuncto censeatur, quod ad bonorum successionem attinet; adeò quidem, vt eorum dominium, antequam hæreditatem adeat, sibi comparet: & si è viuis interim excedat, ad quoscunque hæredes non minùs, quàm alia bona ac iura sua transmittat. Cuiusmodi priuilegium competit etiam filio, qui Religionem professus, vel Episcopus creatus est; nihil obstante, quòd patria idcirco potestate egrediatur, sicuti videre est apud Gomez lib.1. resol. c.9. n.21. Mol. disp.179. Quamuis interim nihil obstet, quominus filius, si hæreditati se non immisceat, eam repudiare possit, perinde ac si ab initio acquisita ipsi non fuerit, vti docet Gomez n.22. Mol. disp.180. Sanchez lib.6. de matrim. disp.4. n.8. in fine.

Hæres non suus (quales omnes alij hæredes dicuntur) hæreditatis dominium non antè acquirit, quàm eam adeat, id est, voluntariè acceptet, profitendo se hæredem esse velle, §. vlt. Institut. de hæredum qualitate. Tametsi res ad hæreditatem pertinentes nondum apprehenderit, adeóque earum possessionem non acquisiuerit, sicuti expressè habetur in l. cùm hæredes, ff. de acquirenda possess. Datúrque ei anni spatium, posteaquam hæreditatem sibi delatam cognouit, ad deliberandum, vtrum eam adire velit, néene: & vsque ad complementum eiusdem anni, potestatem adeundi ad hæredes transmittit, si interea eum è viuis excedere contingat, l. cùm in antiquioribus, C. de iure deliberandi, & ex communi docet Gomez cit. c. 9. nu.51.

Atque adeò in hæredis libera potestate est hæreditatem acceptare, vel non: vt si repudiet, nullam omnino obligationem contrahat: quare habetur in l. qui autem, ff. quæ in fraudem creditorum: Si quis debitis obstrictus, hæreditatem, vel legatum sibi delatum repudiet, vt ea hæredibus ab intestato proueniant, non censeri aliquid in fraudem creditorum alienatum: quia *non fraudantur creditores, cùm quid non acquiritur à debitore: sed cùm quid de bonis diminuitur*, reg. 176. ff. Nihilominus talis in conscientiæ foro iniuriam mortalem creditoribus facere, ideóque ad damni compensationem obligari videtur, teste Mol. tom.2. disp.435. Sanchez lib.6. de matrimon. disp.4. num.9. Propterea quòd debitor ex iustitia obligatus sit, quemuis facilè sibi possibilem modum adhibere lucrandi bona, v. g. artificio, quo creditoribus suis satisfacere possit. Qui enim obligatur aliquid facere, videlicet soluere creditori, debet etiam adhibere medium necessarium ad solutionem faciendam.

At verò postquam hæres siue ex testamento, siue ab intestato succedens, hæreditatem adiit, seu acceptauit, non solùm omnia commoda & iura defuncti in se transfert: sed simul etiam reales obligationes, ac debita. Interim tamen duo priuilegia habet: Primum, quòd si intra 30. dies, posteaquam hæreditatem ad se delatam cognouit, inuentarium conficere cœperit, & intra alios 60. dies compleuerit, omnino securus existat, vt defuncti creditoribus supra vires hæreditatis soluere obligatus non sit, l. vlt. §. sin autem dubius, C. de iure deliberandi. Cuiusmodi priuilegium Ecclesiæ etiam competit (non minùs, quàm fisco) si hæres instituta sit licet inuentarium non conficiat, sicuti cum Bartol. in l.1. C. de sacrosanct. Eccl. docet Abbas in c.1. n.4. de testam. contra Couar. c.1. de testam. nu.17. Imò multi censent, Abb. in c.1. n.4. de solut. & c. Raynaldus, n.14. de testam. Syl. ver. vsura, 6. q.10. Sanch. lib.4. mor. c.15. n.37. Valq.

de testam. c. 9. num. 87. idem in foro conscientiæ de quauis priuata persona sentiendum esse, quòd supra vires hæreditatis nunquam teneatur: quia ius ciuile fundatur in fraudis præsumptione, quæ est contra hęredem, si inuentarium non confecerit: præsumptio autem cedit veritati, c. tua, de vsuris, in fine: quamuis contrarium, quod attinet ad creditorum debita, sentiat Couar. c. 1. de testam. n. 20. Molin. tom. 1. tract. 2. disput. 217. conclus. 1.

Alterum priuilegium. Quòd deductis expensis funeris, itémque solutis debitis, &c. saltem quartam partem restantis hæreditatis obtinere debeat hæres vnus, vel plures: si eam non habeat, de legatis detrahere possit, beneficio legis Falcidiæ, tit. ff. & Cod. Ad legem Falcidiam. dicitúrque hæc Falcidiæ detractio, à Falcidio Consule, huius legis auctore.

CAP. VII.

De renuntiationibus hæreditatum.

SVMMARIVM.

1 *Renuntiatio hæreditatis futuræ nullius roboris est, nisi iuramento firmata sit; vel nisi quis in ipsa factione testamenti liberè in sui præteritionem consentiat.*

2 *Renuntiationes strictæ interpretationis esse debent.*

3 *Omne pactum, vel donatio de alterius viuentis hæreditate irrita est; nisi fiat in fauorem alicuius Communitatis, v. g. Conuentus regularis; vel si ob necessitatem, quia secundùm Ordinis Constitutiones de omnibus iuribus acquisitis, & acquirendis aliquis disponere debet.*

4 *Renuntiatio, vel obligatio, quamuis iurata, irrita est, quæ fit ab ingredientibus Religionem, nisi fiat cum requisita forma in Trident. sess. 25. c. 16. de Regul.*

5 *Tridentina hæc constitutio locum non habet in renuntiationibus, aliisve dispositionibus, quibus, absolutè loquendo, nulla obligatio imponitur renuntianti, aut disponenti.*

6 *Renuntiatio beneficij Ecclesiastici ante duos menses professioni proximos fieri non potest: in Societate autem IESV non vacant beneficia Nouitiorum durante biennio probationis: eo autem expleto, statim resignari debent.*

7 *Tridentina Constitutio irritas reddens renuntiationes, locum etiam habet in iis, quæ fiunt ante ingressum, seu assumptionem habitus religiosi, tamen causa ingrediendi. Quamuis sententia opposita etiam probabilis sit.*

8 *Irrita est renuntiatio, aut donatio bonorum acquisitorum, tametsi facta sit sub conditione regressus, seu recuperationis, si professio non sequatur.*

9 *Renuntiationes à Candidatis Societatis IESV factæ cum conditione regressus, omnino repugnant Constitutionibus eiusdem Societatis.*

10 *Si renuntiatio, vel donatio bonorum post primum annum Nouitatus, vel post edita vota simplicia in Societate IESV, facta fuerit in fauorem Collegij eiusdem Societatis, & postea contingat eum, qui renuntiârat, dimitti, nihil ipsi restituendum est.*

11 *Locum etiam habere videtur hæc Constitutio, si Societatis nostræ Candidati donationes, vel renuntiationes bonorum faciant aliter, quam eiusdem Societatis constitutiones requirunt.*

12 *Hæreditas alia delata est, & alia adita.*

13 *Potest aliquis donare, saltem ad pias causas, hæreditatem, si quæcunque illi ante mortem obuenerit.*

14 *Professurus in Religione Mendicantium pacisci potest cum patre, vt veluti in præmium renuntiationis paternæ hæreditatis, aliquid det ad piam causam, quam ipse filius designat.*

15 *Non potest aliquis donare hæreditatem obuenturam post mortem suam, aut Religionis professionem.*

1 QVÆSTIO PRIMA: An, & quatenus iure subsistat, si hæres necessarius iuri successionis, seu hæreditati futuræ renuntiet? siue id fiat, quòd nihil omnino accipere velit; siue quòd parte bonorum, v. g. dote, aut donatione propter nuptias contentus esse velit. Respōdeo: Eiusmodi renuntiatio si nuda sit, & iuramēto non firmata, nullius roboris existit. Ita habetur in l. qui superstitis, ff. de acquir. hęred. l. vlt. ff. de suis, & legit. hæred. l. si quando, §. illud, C. de inoffic. testam. l. pactum dotali, Cod. de collationib. & videri potest Couar. in c. quamuis pactum, p. 3. princ. Molina tract. 2. tom. 3. priore, disp. 579. num. 11. Nam ita iure ciuili, propter bonum publicum, statutum est, vt hæreditas pactis nec dari, nec auferri possit, vti docent DD. in l. hæreditas. C. de pactis conuentis, Gl. in cit. l. si quando ve'r grauari.

Sed exceptiones aliquæ sunt: Prima. Si quis in ipso actu testandi renuntiet iuri successionis suæ; vel post conditum testamentum, in quo præteritus est, præteritionem approbet, valida est renuntiatio, vti colligitur ex l. non putauit, §. si quis sua manu, ff. de bonorum possessione contra tabulas, & ex communi docet Gomez 1. resol. c. 11. num. 14. Molin. tom. 1. tract. 2. d. 175. ver. Dixi in euentibus, Couar. c. Raynaldus, de testam. §. 2. num. 2.

Secunda. Si hæres necessarius, puta filius, viuente adhuc patre, integram portionem accepit, quæ ipsi iure debetur, reliquæ hæreditati validè renuntiat, secundùm Bartolum in addit. Gloss. ad cit. l. si quando, §. illud, Abb. volum. 2. consil. 116. Clarum ver. testam. quæst. 44. Verùm si bona patris postea incrementum capiant, poterit filius, nonobstante renuntiatione illa nuda ac simplici, petere legitimam portionem augmenti eius, tempore mortis apparentis, vti notauit Couar. cit. c. quamuis, p. 3. §. 1. num. 3. Mol. cit. to. 3. d. 579. n. 12.

Tertia. Si filius v. g. cum iuramento renuntiauit hæreditati, vel parti eius, valida est renuntiatio, vti habetur expresè in cap. quamuis pactum, de pactis in 6. vbi etiam ratio adiungitur; *cùm non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum*, supple iniustum. Quod ideo addo, quia nihil obstat, quominus renuntiatio cedat in detrimentum eorum, qui ipsi filio, v. g. nisi renuntiasset, successuri essent: quandoquidem his nullum ius hæreditatis competit, nisi dependenter à persona filij: consequenter si filius seu pacto, seu delicto priuetur iure hæreditatis, nulla idcirco iniuria infertur aliis. Quamobrem nepotes non possunt succedere auo, si pater eorum hæreditati iuratus renuntiauit; esto ante auum mortuus fuerit, sicuti cum Anton. Gomez rectè docet Molina cit. disput. 579. num. 4. contra Vasq. tract. de testam. c. 6. §. 2. dub. 2. num. 16. Couar. cit. cap. quamuis, p. 3. §. 2. num. 4. Azor. tom. 2. lib. 2. c. 28. quæst. 13. Deinde si filius hæreditati sibi deferendæ, v. g. maternæ, cum iuramento renuntiauit, eo ipso pater vsufructu priuatur bonorum maternorum, quæ filio, nisi renuntiasset, successionis iure deberentur. qua de re idem Couar. num. 3. resp. ad 2. Molina num. 18.

Alioquin verò renuntiatio, cùm odiosa, & contra ius commune sit, strictæ interpretationis esse debet, vt non extendatur vltra terminos, secundum verborum proprietatem, aut communem renuntiandi consuetudinem expressos. Quare non obstat, quominus filius, qui successioni patris tam ex testamento, quàm ab intestato renuntiauit, ab eodem patre, mutata voluntate, institui possit, vti docet ex communi Molina num. 23. Sanchez l. 7. moral. c. 7. num. 10. Quia quiuis fauori suo renuntiare, & obligationem etiam iuramento firmatam remittere potest; tametsi renuntiatio in fauorem alterius, v. g. fratris facta sit. Secundò non obstat in hoc ipso casu, quo renuntiatio in fauorem alterius, puta fratris facta est, quominus eo mortuo ante patrem, is qui renuntiauit, in paterna hæreditate succedere possit, imò ex testamento instituendus sit: quandoquidem causa renuntiationis cessauit, sicuti latè Couarruuias cit. p. 3. §. 3. num. 4. Molina cit. diput. 579. num. 19. Tertiò non obstat renuntiatio, quominus filius v. g. succedere possit fratri suo ex testamento, vel ab intestato, si 2

ad eum hæreditas priùs deuoluta erat, teste Couarru. cit. §. 3. num. 2. Molina num. 20. Sanchez l. 7. moralium, c. 7. num. 6. Quartò non obstat, quominus succedere possit in iis bonis, quæ pater ad secundas nuptias transiens liberis ex priore matrimonio susceptis relinquere cogitur, vti docent Couar. cit. §. 3. num. 1. Mol. num. 21. Gaill. lib. 2. obser. 98. num. 10. Sanchez num. 7. Quia in his filius non succedit iure sanguinis, cui renuntiauit; sed propter ciuiles constitutiones, ac fauorem. Qua simili ratione renuntiatio hæreditatis non extenditur ad bona feudalia, quippe quæ non iure hæreditario, sed ex pacto & prouidentia deferuntur, teste eodem Couar. n. 9. Mol. n. 22. Sanch. n. 8. Azor q. 12. Denique non extenditur ad necessaria alimenta, quippe quæ naturali iure debentur. idque sumitur ex c. cùm quidam, §. vlt. de iureiur. l. de alimentis, C. de transact. & docet ex communi Molina n. 33. Sanchez num. 5. Gaill. l. 2. obser. 147. num. 14. qui id extendit ad necessariam dotem, quippe quę succedit loco alimentorum.

QVAESTIO SECVNDA. Vtrum valeat pactum, aut quæuis obligatio circa hæreditatem viuentis alteri cedendam? Vt si Titius hæreditatem, quam sperat à Sempronio, seu ab intestato, seu ex testamento sibi obuenturam, promittat aut obliget Caio. Respondetur,
3 Omne eiusmodi pactum, donationē, vel hypothecam circa hæreditatem alterius personæ viuentis, ipso iure irritam esse. Ita habetur in l. vlt. C. de pactis, quia *huiusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi et periculosi euentus*: Idque *propter insidias, quæ parantur eius vitæ, super cuius bonis paciscuntur*, ait Gl. ibid.

Limita primò; Nisi consensus eius, de cuius hæreditate agitur, accedat; isque vsque ad mortem in ea voluntate perseueret; tunc morte confirmabitur pactum, vti habetur in cit. l. vlt. Quòd si ille, v. g. pater, diuidentibus inter se seu paciscentibus de paterna hæreditate, iurauerit, se consensum non reuocaturum; periurus quidem fiet reuocando; sed reuocatio consensus valida erit, vti constat ex ijs, quæ dicam lib. seq. tract. 3. c. 8. num. 5. Quare etiam paciscentes fratres, licet inter se iurati, omni obligatione liberabuntur; quia eorum pactio, cum addito iuramento, fuit facta dependenter à patris consensu, ambulatorio vsque ad vltimum vitæ spiritum: siquidem alio modo pacisci non poterant. Atque ita ex communiore docet Molina cit. disp. 579. num. 40. Sanchez lib. 7. moral. c. 2. num. 18.

Limita secundò; Nisi renuntiatio, vel pactum quodlibet fiat circa hæreditatem personæ incertæ: vt si quis Titio donet hæreditatem quamlibet, quæ ipsi intra annum, vel dum victurus est, obuenerit. Ita sumitur ex l. 3. §. de illo, ff. pro socio, vbi approbatur hæc conuentio societatis: *Si qua iusta hæreditas alterutri obuenerit, communis sit*: vbi Gloss. monet, intelligendum esse de hæreditate incerti hominis. Idémque ex communi Doctorum sententia docent Sanchez cit. c. 2. num. 31. Molina tract. 2. disp. 412. & 579. num. 38. Ratio verò est; Quia si persona certa non sit, de cuius hæreditate conuenitur, non ita captandæ mortis periculum timeri potest. Hinc sequitur, licet hæreditas à certo homine obuentura hypothecæ subijci non possit, tamen in generali omnium tum præsentium, tum futurorum bonorum obligatione, venire etiam hæreditates, sicuti annotauit Sanchez num. 5.

Limita tertiò; Quòd renuntiatio, vel pactum circa hæreditatem personæ certæ, fieri possit in fauorem Communitatis, seu Collegij: vt si quis Conuentui religioso donet obuenturam sibi hæreditatem patris, vel cognati sui; valida est donatio, seu renuntiatio, quamuis non requisito consensu eius, de cuius hæreditate agitur. Ita cum Corneo in l. vlt. C. de pactis, fallentia 3. & alijs, docet Sanchez cit. c. 2. n. 55. Nam hoc casu cessat ratio cit. l. vlt. ne ansa accipiatur machinandi insidias vitæ alienæ. *Quod enim Collegio datur, cum singulorum non sit, quasi nemini datur*, ait Gl. in c. cùm venisset, ver. tenebat, de restit. spoliatorum. arg. l. sed si hac, §. Qui manumittitur, ff. de in ius vocando. *Et naturale vitium est, negligi quod communiter possidetur*, l. 2. C. Quando, & quibus quarta pars, lib. 10. Etsi verò de omni Communitate dici possit, cessare in ea periculum insidiarum, seu votum captandæ mortis alienæ; magis tamen in Ecclesia, seu clericorum Conuentu, de quibus nihil sinistrum facilè suspicari licet, secundùm Gl. in c. absit, ver. sinistrum, 11. q. 3. & maximè in Conuentu Religiosorum, qui cùm propria propter Christum reliquerint, non censentur iniustè inhiare alienis. Confirmatur: Tametsi ad similitudinem ciuilium legum, canonico iure statutum sit c. 2. de concess. præben. ne beneficium alicui tribuatur, vel promittatur, viuente adhuc priore beneficiato; *Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & beneficium se credit successurum*: Attamen in c. consultationibus, de donat. permittitur, vt cum auctoritate Episcopi, Ecclesiæ, viuēte adhuc Rectore, atque in possessione permanente, locis religiosis concedi possint: quod singulariter annotauit Gl. cit. in c. cùm venisset, ibid. Abbas n. 10. de restit. spoliatorum.

Limita quartò: Si aliquis ante ingressum, vel professionem in Religione, vti accidit in Societate IESV, disponere debeat in causas pias de omnibus bonis & iuribus suis tum acquisitis tum acquirendis, sine vlla spe ea recuperandi, vti habetur in Const. Societatis p. 3. c. 1. §. 7. cum declarat. lit. F. & in exam. generali c. 4. n. 1. cōsequenter etiā disponere potest renuntiando hæreditatibus seu in genere, seu in specie: non tantùm in fauorem alicuius Ecclesiæ, aut loci pij: sed etiam in fauorem certæ personæ pauperis: modò renuntiatio vel donatio fiat intuitu pietatis, vti explicat Sanchez cit. c. 2. num. 54. & seqq. Probatur primò: Quia certum est, quòd supremus Princeps derogare possit l. vlt. C. de pactis, & statuere, vt pacta futuræ successionis valeant, non requisito consensu eius, de cuius hæreditate agitur: cùm id iuri naturali, aut bonis moribus naturalibus simpliciter non repugnet, sed tantùm spectata præsumptione legum ciuilium, quæ variatis circumstantiis facilè tolli potest. Atqui summi Pontifices approbārūt Constitutiones Societatis IESV, quibus præcipitur ante ingressum, vel post ingressum fieri renuntiationem omnium bonorum & iurium, etiam speratorū, in fauorem Communitatis piæ, aut personæ particularis pauperis; idque ad consequendam Christi amore perfectam paupertatem, abdicata omni spe bonorum temporalium. Ergo talis renuntiatio ob publicum Religionis commodum introducta, & Ecclesiastica auctoritate, vsque approbata, vim suam habere debet. Probatur secundò: Pactum de hæreditate tertiæ personæ viuentis validum est, quando non per se ac prinpaliter fit, sed per consequentiam, seu propter necessitatem alterius cōtractus, arg. l. si quis seruum, vbi id notat Gl. ver. restitutum iri, Bartolus & alij, ff. de actionibus empti. At verò in nostro casu renuntiatio hæreditatis speratæ, accessoriè fit, & propter necessitatem; quia ad perfectam paupertatem consequendam secundùm constitutiones Societatis IESV exigitur abdicatio & renuntiatio omnium iurium, sine vlla spe aliquid consequendi: in tali autem abdicatione veluti pars quædam continetur renuntiatio hæreditatis. Ergo ea valida est.

QVÆSTIO TERTIA. Quousque se extendat constitutio Trident. irritam reddens quamcumque renuntiationem, quæ fit causa Religionis ingrediendæ, aut profitendæ? Verba sunt ista sess. 25. c. 16. de Regul. 4
Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea (id est, ante expletum probationis annū) *facta, etiam cum iuramento*,

vel in fauorem cuiuscunque causæ piæ, valeat: nisi cum licentia Episcopi, siue eius Vicarij, fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum huius fauore expressa renuntiatione, sit irrita, & nullius effectus.

5 Respondeo & dico I. Constitutio hæc intelligi debet de iis tantùm renuntiationibus, aut donationibus, quæ obligationem inducunt renuntianti, donanti, &c. non item de testamentis, codicillis, aut donationibus causa mortis: hæc enim omni iure firma manent, si facta fuerunt ante professionem, vti ex communi docent Sanchez lib. 7. c. 5. num. 13. Rodriq. tom. 2. regul. q. 47. a. 10. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 139. ver. Ambiget fortasse: Quia ratio constitutionis Tridentinæ est; ne Nouitiis aliqua persistendi, & profitendi Religionem necessitas incumbat, si videant se beneficiis, aut hæreditatibus, aliisve bonis per renuntiationem spoliatos: hæc autem ratio cessat in vltimis voluntatibus, quippe quæ vsque ad professionem reuocabiles sunt. Quare valet adhuc hodie testamentum à Nouitio conditum; neque rumpitur secuta professione, tametsi Monasterium in eo præteritum fuerit.

Neque obstat, quod aliqui objiciunt, rumpi testamentum agnatione posthumi præteriti, l. 1. & 3. ff. de iniusto, rupto, irrito facto testam. Monasterium autem loco filij censetur, Authen. Nisi rogati, Cod. ad SC. Trebellian. Respondetur enim, Monasterium loco filij censeri iis tantùm casibus, qui iure expressi sunt. Videri potest Couarruu. cap. 2. de testam. num. 8. Nauar. comment. 2. de Regular. nu. 51. Molina cit. disput. 139. vbi monet: Iis, qui ad Societatem nostram suscipiendi sunt, consultum non esse ante ingressum, testamentum condere, aut mortis causa donare: quandoquidem in ingressu sub obedientiam, promittere debebunt, se post primum annum probationis, vel postea cùm per Superiorem iniunctum ipsis fuerit, bona sua relicturos & distributuros, si ante ingressum à se non abdicârant. Ex quo etiam sequitur, contra hanc promissionem suam facturum Nouitium Societatis, si tempore probationis inscio Superiore testamentum, vel aliam dispositionem vltimam, seu relatam in tempus mortis suæ condere audeat; quare hoc ipso Societate se indignum indicaret, nisi testamentum statim reuocare vellet.

Dico II. Constitutione Tridentina non prohibentur obligationes, seu contractus reciproci, quibus mutuò aliquid datur, & recipitur, puta emptionis, permutationis, locationis. Ita ex communi Sanchez lib. 7. c. 5. n. 32. Idémque puto dicendum de contractu mutui: cùm & in eo tantumdem recipiatur, quantum datum est.

Dico III. Eo decreto Tridentino non comprehenditur donatio modica, quæ Monasterio, vel certæ personæ in ingressu Nouitiatus fit; quia cessat ratio prohibitionis, *Ne hac occasione* Nouitius *discedere nequeat, quòd totam, vel maiorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, recuperare possit*. Multò minùs parentes Nouitij quamcunque donationem Monasterio facere prohibentur; modò ea fiat absolutè, non autem vt in legitimam portionem filij computetur. sic enim Nouitius, & non ipsi parentes Monasterio donare censerentur qua de re Sanchez nu. 23.

6 Dico IV. Tridentino illo decreto comprehenditur renuntiatio beneficij Ecclesiastici; quæ ante duos menses proximos professioni fieri non potest. Ita Maiolus lib. 3. de irregul. c. 6. n. 1. Rodriq. to. 1. regul. q. 37. a. 2. Sanchez cit. c. 5. num. 37. Nam etiam beneficij renuntiatio est amissio magni iuris, ob quam libertas è Religione egrediendi impeditur. Porrò intra duos menses professioni proximos, liberum esse renuntiare beneficio in manibus Ordinarij, inde probatur, contra Rodriq. loc. cit. Quia iure antiquo renuntiare Nouitius poterat toto Nouitiatus tempore, iuxta c. beneficium, de Regular. in 6. *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non est infra probationis annum alicui conferendum; sed interim eidem beneficio per alium deseruiri debebit, assignata congrua de illius prouentibus portione*. Atqui intra duos menses professioni proximos nihil in Trid. Concilio circa renuntiationes immutatum esse, ex textu colligitur; modò consensus & auctoritas Episcopi interueniat.

Neque obstat, quod objicit Rodriq. Renuntiationem secundùm canones absolutam esse oportere, & non sub conditione regressus: talis autem renuntiatio intra duos menses fieri non posset, nisi sub conditione secuturæ professionis; alioquin beneficium resignanti restituendum esset, vti patet ex textu constit. Trident. Respondetur enim, has conditiones, quæ secundùm iuris præscriptum insunt, rectè apponi posse in quacunque dispositione, etiam beneficij resignatione: cùm etiamsi non apponerentur, tamen tacitè intelligerentur. Non debet tamen Prælatus alteri conferre beneficium, donec professio sequatur; quia si antè contulisset, & professio secuta non esset, restituendum foret resignanti, vti bene docet Sanchez nu. 39. Fructus autem à die admissæ resignationis percepti pertinent ad beneficium: & seruantur successori, si nouus substituatur: sin verò Nouitius egressus beneficium recuperet, ad ipsum pertinere debent.

His duo adde: I. Fructus interim perceptos ex beneficio, deducta congrua portione quæ Vicario danda est, secuta professione Nouitij beneficiarij, ad Monasterium, tanquam hæredem, seu vniuersalem eius successorem pertinere, dummodo eiusmodi successionis capax sit. II. Si Nouitiatus ob iustam causam prorogetur, interim beneficium non vacat, neque alteri conferri potest: sicuti & vice versa, si ex Pontificis dispensatione tempus probationis remittatur, statim secuta professione beneficium vacat, & conferri potest. Quando enim in cit. c. beneficium dicitur, quòd beneficium infra probationis annum conferri non debeat, id secundùm hypothesin intelligitur, si, vt ordinariè fit, Nouitiatus annum duret. Ex quo rectè colligit Sanchez cit. lib. 7. c. 4. nu. 7. In Societate Iesu toto biennio probationis beneficia Nouitiorum non vacare, nec conferri posse: quia cùm ex iuris concessione prorogatur tempus probationis, censetur quoque prorogari seu differri tempus vacationis beneficij. Attamen finito biennio probationis, priusquam vota simplicia edantur, beneficia Ecclesiastica resignanda esse, decretum est in Congregat. 5. generali Societatis Iesu, can. 5.

Dico V. Probabile est, mentem Concil. Trident. fuisse, irritas reddere etiam eas iuratas renuntiationes, ac obligationes, quæ fiunt ante ingressum seu assumptionem habitus religiosi, tamen intuitu seu causa saltem impulsiua ingrediendi. qualis intentio in dubio præsumitur, si non multo tempore ante ingressum factæ sint. Ita docent Nauar. consil. 82. de regular. edit. 2. Rodriq. to. 2. regul. q. 47. a. 8. Molina to. 1. tr. 2. disp. 139. Sa ver. Religio, n. 5. Less. lib. 2. c. 41. n. 40. contra Menochium de arbitrar. Iudicum qq. centur. 5. casu 436. Vasq. de testam. c. 6. §. 2. dub. 12. Sanchez cit. lib. 7. cap. 5. num. 4. Probari debet, partim quia Concilium absolutè loquitur de renuntiationibus, quæ fiunt ante duos menses professionem antecedentes, non exprimendo tempus nouitiatus: ergo ad illud Constitutio restringenda non est: partim quia alioquin Concilium intendens tueri libertatem Nouitiorum ad egrediendum, si Ordo accommodatus non videatur, finem suum non assequeretur, si ante ingressum renuntiationes bonorum fieri possent, intuitu seu causa ingrediendi. Quare ita etiam declararunt Cardinalles apud Marzyllam eodem cap. 16. ver. renuntiatio: *Si donatio, vel renuntiatio facta fuerit intuitu Religionis in-*

grediendæ, tunctanquam facta in fraudem huius canonis, videtur subesse eius dispositioni.

Fateor tamen, contrariam sententiam esse etiam probabilem, quòd intentio Concilij Trident. fuerit solùm infirmare renuntiationes, & obligationes, quæ fiunt post ingressum ad probationem: ita enim ex contextu, & connexione cap. 16. cum 15. colligitur, vti bene notauit Menochius loc. cit. Quare in conscientia tutus erit, qui donationem ante ingressum accepit, seu sit Monasterium, seu alius quispiam: donec per Iudicis sententiam rescindatur. Puto enim, quòd Episcopus, re ad ipsum delata, rescindere posset donationem, si ante ingressum facta videatur in fraudem canonis Tridentini: idque ad tuendam intentionem & finem, quem Trident. Concilium spectabat.

8 Dico VI. Secundùm Trident. Constitutionem irrita quoque est donatio, seu renuntiatio bonorum, quæ facta est sub conditione expressa, aut tacita secuturæ professionis: ita vt eâ non secutâ, donatio corruat. Ita docet Nauar. lib. 3. consil. 81. de Regular. Sanch. lib. 7. moral. c. 5. num. 17. contra Mol. tom. 1. tr. 2. disput. 149. §. Quod ad Ecclesiam, Manochium num. 6. & 7. Nam Concilium vniuersim decernit, vt nulla renuntiatio, aut obligatio censeatur valida, nisi fiat intra duos menses proximos professioni, cum licentia Episcopi. Neque deest ratio, cur Concilium etiam talem conditionatam donationem, renuntiationémue comprehẽdere voluerit, si fiat ante tempus, aut sine solemnitate legitima: quia donantes seu renuntiantes ægrè contristant donatarios, præsertim sanguine iunctos, vt eos de possessione bonorum semel cœpta deijciant; cùm id plerumque non sine querela & indignatione eorum fiat. Sin verò Monasterium talem donationem acceperit, ægrè adducetur ad restituendum, sed omnes modos adhibebit, quibus Nouitius ad profitendum inducatur.

Pro pleniore autem intellectu annotandum hoc loco est: Donationem ante, vel post ingressum Nouitiatus tribus modis fieri posse, seu Monasterio, seu alteri personæ, aut Collegio. Primò, Sine vllo respectu ad ingressum: ita vt perinde donatio fieret, etsi donator Religionem non ingrederetur. Et talis donatio omni iure valida est: sed non præsumitur tali modo fieri, si sit quantitatis notabilis, vti videre licet apud Sanchez cit. lib. 7. c. 1. nu. 6. Secundò, Fieri potest donatio seu renuntiatio intuitu ingressus, ita vt ea causa sit impulsiua tantùm, quia ingrediens, aut ingressus absolutè vult donare: quamuis non vellet, nisi Religionem ingrederetur. Et hæc donatio omnium sententiâ irrita est, si fiat post ingressum sine solemnitate: & probabiliter etiam irrita est, si fiat ante ingressum, iuxta dicta præced. assert. Tertiò, Fieri potest donatio, aut renuntiatio propter ingressum, tanquam causam finalem & principalem: ita vt professione non secuta, repeti queat tanquam datum ob causam, causâ non secutâ. Et talis etiam donatio facta post ingressum irrita omnino censeri debet, nisi intra duos menses professionem antecedentes, cum Episcopi licentia confirmetur. Sin verò talis donatio, vel renuntiatio fiat ante ingressum, non est improbabile, validam esse; donec ab Episcopo rescindatur, si in fraudem canonis Trident. facta videatur, iuxta dicta præced. sect.

9 Aduerte autem hîc obiter: Quòd eiusmodi renuntiatio, aut donatio bonorum conditionata, reseruato iure recuperandi, siue fiat ante, siue post ingressum, omnino repugnat Constitutionibus Societati IESV, cap. 4. exam. generalis, nu. 1. & 2. vbi præcipitur, quòd ingressuri Societatem, antequam in domo aliqua, vel Collegio sub obedientia viuere incipiant, secundùm consilium Christi Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me:* omnia bona temporalia dispensare debeat, iuxta propriam deuotionem, & à se omnem fiduciam submouendo eadem vllo tempore recuperandi. Sin verò ob iustas causas eiusmodi distributio, seu dispensatio statim non fiat: promittat, se promptè relicturum omnia, sicuti dictum fuit, post vnum ab ingressu absolutum annum, quandocunque per Superiorem iniunctum ei fuerit.

Accedit etiam alia ratio, cur donationes, aut renuntiationes conditionatæ ab ingredientibus Societatem IESV nequaquam fieri debeant: quia in ea professio, vel votorum formatorum emissio pluribus plerumque annis post Nouitiatum, & vota simplicia differuntur: quòd si verò accidat post decem, vel duodecim v. g. annos ex Societate dimitti eum, qui bona suâ sub conditione recuperandi donauerat, quàm difficilè, & non sine querela, etiam contra ipsam Societatem dimittentem, recuperare poterit?

Corollarium. Si donatio, aut renuntiatio bonorum post primum Nouitiatus annum: vel (vt communiter iam fieri solet) post edita vota simplicia, fiat in fauorem Societatis, seu Collegij, aut domus alicuius: atque accidat postea eum qui renuntiârat, ex Societate dimitti: nihil ei restituendum est. Ita colligitur ex Constit. p. 2. c. 3. §. 5. in fine, & declarauit P. N. Generalis bonæ memoriæ Claudius Aquauiua, Anno 1584. apud Sanch. cit. lib 7. c. 1. n. 34. eandémque doctrinam leges apud Molinam cit. disp. 139. ver. Nouitij ante ingressum. Ratio est: Quia renuntians, seu donans bona sua Societati, censetur id facere secundùm Constitutiones eiusdem Societatis Iesu: at verò Constitutiones exigunt donationem fieri absolutè & irreuocabiliter, seu sine vlla spe recuperandi: quò omnis tentatio ad seculum redeundi, ob amorem rerum temporalium, præclusa sit, vti colligitur ex cit. c. 4. exam. general. princ. & p. 3. constit. c. 1. §. 7. 10

Bene etiam admonet Molina cit. loco: Cùm Constitutiones Societatis IESV de eiusmodi renuntiationibus faciendis ad cõmune Ecclesiæ, ac Religionis bonum, finémque supernaturalem spectent, atque à sede Apostolica approbatæ sint: nihil omnino obstare, quòd donans seu renuntians vigesimum quintum ætatis annum necdum attigerit: vel quòd donatio fuerit omnium bonorum, per quam ablata sit facultas testandi, &c. cùm ciuilium legum constitutiones in eiusmodi causis, ac personis nihil præiudicare debeant.

Limitari tamen debet corollarium primò: Quòd prudentiæ, æquitatis, & ædificationis: interdum etiam misericordiæ, ac charitatis lex postulet, vt eiusmodi homini, qui Societati donationẽ fecerat, aliquid ex ea restituatur, si dimittendus sit, vti significatur in 2. p. constit. c. 3. §. in declarat. lit. b. Secundò, Si donatio facta in fauorem Societatis Iesu fuit omnium bonorum, vel maioris partis, atque ex Societate egressurus aliunde sustentationem habiturus nõ sit, Societas donataria iure gratitudinis obligatur ad præstanda illi alimenta necessariâ, quamdiu indigebit: alioquin donatio reuocari posset, iuxta ea, quæ dixi hoc lib. tract. præced. c. 12. n. 17. & in specie notauit Sanchez cit. c. 1. n. 39.

Dico VII. Si donatio, extra Ordinem Societatis Iesu, à Nouitio cum requisita forma iuris facta fuerit, sed professio secuta non sit: quia Nouitius priùs vita excessurus est, non solùm potest is de re donata arbitratu suo ante mortem disponere: sed etiamsi nihil disposuerit, ea ad cõsanguineos ab intestato deuoluitur, vti docet Rodriq. cit. q. 47. a. 12. relata Cardinalium respons. *Si Nouitius ante professionem moriatur, donatio nõ illi, cui facta est, sed succedentibus ex testamento, vel ab intestato pertineat.* Probatur: Quia Cõcil. generalib. verbis ait, quòd nulla renuntiatio, aut obligatio *aliàs intelligitur effectũ suum sortiri, nisi secuta professione.* Et potest sufficiens ratio assignari, cur Concilium etiã hunc casum renuntiationis, aut donationis professione non secuta irritare voluerit, vt videl. Nouitius

moriturus pro salute animæ suæ liberiùs disponere posset. Aliter autem sentiendum esse de donatione facta ab alumnis Societatis Iesu ante professionem, vel vota formata eorum, constat ex præced. assert.

Dico VIII. Certum esse debet, quòd renuntiationes, aut donationes, quæ seu ante ingressum, seu post ingressum in Societatem Iesu fiunt, secundùm eiusdem constitutiones, validæ sint; non obstante Trident. Constitut. cit. sess. 25. de Regular. c. 16. quandoquidem hæc exceptio in fauorem Societatis expressis verbis adiecta legitur: *Per hæc tamen*, id est, suprà dicta, *sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis Iesu, iuxta pium eorum institutum, à sancta sede Apostolica approbatum, Domino, & eius Ecclesiæ inseruire possint.* Absolutè igitur valida est donatio, aut renũtiatio bonorum ac iurium facta ante ingressum in quacunque causam piam, secundùm deuotionem & arbitrium ipsius donatoris; quia id iubetur seu suadetur in exam. gener. c. 4. princ. Valet item donatio, aut renũtiatio, quæ post primum annum probationis, vel post edita vota simplicia, volente Superiore, fit in causas pias; vel si in consanguineos donatio conferenda videatur, accedente consilio & iudicio vnius, aut plurium virorum prudentium, iuxta Constitut. p. 3. c. 1. in declarat. lit. g. & in exam. generali c. 4. n. 2.

11 Dico IX. Si post ingressum sub obedientiam Societatis Iesus, donationes, vel renuntiationes bonorum fiant non secundùm Constitutiones nostras; videlicet ante finitum primum probationis annum; vel postea sine voluntate Superioris, aut in consanguineos sine iudicio vnius, vel plurium virorum prudentium, &c. videntur esse irritæ, propter Trident. Constitutionem. Nam ordo connexionis inter caput 15. & 16. sess. 25. de Regular. postulat, vt, sicuti quæ in priore capite dicta sunt, videlicet irritam esse professionem factam ante annos XVI. ætatis completos; ita etiam quæ in subseq. cap. 16. dicuntur, ad omnem Religionem, etiam Societatis Iesu, pertineant, quatenus eius instituto non repugnant. Ita enim intelligo dictum §. *per hæc tamen sancta Synodus.* Nempe non fuisse mentem Concilij, per antecedentia decreta, quamuis generalibus verbis concepta, aliquid imponere Societati Iesu, quod eius peculiaribus Constitutionibus aduersaretur. Vbi hęc limitatio, seu exceptio firmat regulam in aliis; si nimirum Societati Iesu contraria non sint, in ea quoque locum habitura esse. Atqui Societatis nostræ Constitutiones improbant donationes, aut renuntiationes illas, quæ primo probationis anno fiunt; aut postea sine Superioris consensu, &c. Ergo non solùm illicitæ, sed etiam irritę censeri debent. Confirmatur. Tridentinum Concilium, adiecta illa limitatione volebat fauorem & gratiam facere Societati Iesu, propter peculiares eius Constitutiones: *quod* autem *ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum*, reg. 61. in 6. Cederet autem in incommodum Societatis Iesu, si donationes, ac renuntiationes factæ contra Constitutiones validæ forent; cùm tamen Societas, quatenus potest, eas impedire, ac tollere velit. Contrarium tamen huius assert. docuit Sanchez cit. c. 5. n. 10.

His adde, si verum sit, quod suprà hac q. dicto 3. tanquam probabile asserui, renuntiationes à Candidatis factas ante ingressum intuitu ingrediendi Religionem, pro irritis habendas esse; idem quoque dici posse de Candidatis Societatis Iesu; si ante ingressum renuntiationes faciant non absolutè, sed sub conditione recipiendi: quippe quas Constitutionibus Societatis Iesu quàm maximè repugnare, suprà monui. Imò fortasse, etiamsi absolutè donationes faciant in causas profanas: quia etiam has renuntiationes non approbârunt Constitutiones; sed permiserunt, cùm impedire non possent, antequam Candidati sub obedientiam venirent, vti videre licet p. 3. Cõstit. c. 1. in declarat. lit. G. Quamuis contrarium docuerit Less. lib. 2. c. 41. n. 41. validas esse renuntiationes Candidatorum Societatis Iesu ante ingressum, etiamsi in causas profanas fiant. Et fateor, id esse valde probabile; si sermo sit de renuntiationibus factis absolutè; non autẽ sub cõditione regressus, quas Societas improbat, vt Candidatos aliter suscipere non velit, nisi omnem spem bonorũ temporalium vel ante ingressum abdicârint, vel postea suo tempore, tanquam spiritualis perfectionis sectatores, abdicaturi sint.

QVÆSTIO QVARTA. Titius Ordinem Mendicantium ingressurus, ante professionem omnia bona sua, etiam hæreditates, si quæ illi obuenerint, vel deinceps ante professionem obuenturæ sint, pauperibus donauit, vel Collegio Societatis Iesu, antequam professionem, vel vota formata ederet; accidit autem, vt ante tempus huius dispositionis, vel saltem ante professionem frater Titij absens in bello moreretur absque liberis, nullo testamento condito: eius verò mors ignorabatur ante editam professionem ab eodem Titio; quæritur, vtrum pauperes, vel Collegium, cui donatio facta fuit, hæreditatem delatam petere, aut accipere possit. Pro resolutione huius quæstionis notandum, 12 quòd hæreditas alia dicitur delata, & alia adita. Hæreditas delata est ipsa morte eius, in cuius bonis succedendum ex testamento, vel ab intestato: tunc autem statim hæres comparat ius ad rem, seu actionem petendi hæreditatem; attamen cum potestate deliberandi, adeóque etiam repudiandi hæreditatem delatam, si sibi eam non expedire censeat. Adita autem hæreditas dicitur, cumprimum in eam hæres consensum dedit, tum verò statim etiam ius in re, ipsúmque dominium rerum hæreditariarum, ante earum apprehensionem, acquirit, vti explicat Molina t. 1. tr. 2. disp. 174. ver. quod ad posteriorem.

Hoc posito, pro parte quæst. negante videtur esse l. quoniam, C. de iure deliberandi, vbi habetur; Si quis ignorans mortis sororis suę, adeóque non adita eius hæreditate, è viuis excedat, non transmittere hæreditatem ad hæredes suos. Nihilominus pars affirmans 13 videtur vera: Primò, Quia Constitutio illa ciuilis à Gentilibus subtilitate quadam introducta fuit ob hanc rationem; quia hæreditas, quę olim ante inuentarij beneficium valde incommoda esse poterat, defertur cum conditione deliberandi, num eam adire expediat, nécne: si ergo hæres delatam sibi hæreditatem ignorauit, consequenter de ea adeunda non deliberauit, neque in aditionem consensit, ius hæreditatis illius post mortem transmittere non potest: quandoquidem voluntas adeundi personalis est, quæ ad hæredes non transmittitur. Verùm hæc ratio cessat in casu donationis factę, in qua donator expressè declarat, voluntatem suam esse donãdi omne ius sibi commodum, etiam hæreditatis, si quæ delata sit, vel deferenda ante mortem naturalem, vel spiritualem. Nam hoc ipso declarat, quòd eiusmodi hæreditatem non repudiare velit, ob quam solam repudiandi facultatem ciuilis illa subtilitas de non transmittenda hæreditate ignorata, excogitata est.

Secundò, quia subtilitates ciuiles, aduersus ius gentium & naturale (si præcisè spectentur) introductæ, non habent locum in causis piis: sicuti neque solemnitates testamentorum, in quibus, quod attinet ad causas pias, procedi debet secundùm ius gentium, naturale, ac canonicum. Cùm ciuiles Magistratus potestatem suam ad causas pias, & Ecclesiasticas extendere non possint; ideóque eorum statuta in eiusmodi causis non obligent, nisi iure canonico recepta, atque approbata reperiantur. Certum autem est, spectato iure naturali, gentium, & canonico, validam esse donationem hanc: Si quæ hæreditas mihi commoda obuenit, volo, vt

ea pertineat ad pauperes, vel ad hoc Monasterium; ita vt meo ipsis transcripto iure accipere possint. Quid enim magis naturale est, quàm vt quisquam de bonis & iuribus suis, quomodocunque quæsitis, aut delatis, sicuti ipsi placet, statuere possit, præsertim ad Dei honorem, & animę suæ salutem?

Tertiò, Quia constitutio illa ciuilis locum tantùm habet secundùm ius strictum, non secundùm humanitatem, & æquitatem, sicuti apertè habetur in l. Pannonius, ff. de acquir. hæred. vbi dicitur; Hæredem hæredis cum ignorantia delatæ hæreditatis decedentis, secundùm æquitatem restituendum esse. Quantò magis in causa pia, & in foro Ecclesiastico secundùm naturalem æquitatem, & non secundùm stricti iuris ciuilis subtilitatem procedere oportebit? Cæterùm, si Titius seu de paterna, seu de alterius sibi obuentura hæreditate disponat in fauorem seu causæ piæ, seu alterius personę, & ante delatam sibi hæreditatem, seu ante mortem patris v.g. vita decedat, aut in Religione professionem edat; tunc constat, renuntiationem, seu donationem exspirare, vti seq. q. dicam.

QVÆSTIO QVARTA. An, & quatenus professurus in Religione Mendicantium hæreditati paternæ, vel maternę, renuntiare possit, cum pacto, vt aliquid detur in piam causam, v. g. Ecclesiam, vel Collegium Clericorum regularium, aut secularium? Respondeo,

14 & dico I. Si pater sponte, ac liberaliter promittat, se talem donationem facturum post filij professionem, dubium non est, eum obligari: cùm promissio hæc obiectum honestum, ac pium habeat. Quin imò ante professionem, vel ante vota formata in Societate Iesu, nihil prohibet veluti pactum iniri cum patre, vt filius renuntiet hæreditati paternæ, vel maternæ; parens autem veluti in præmium huius renuntiationis, ipsi parenti, & liberis eius commodæ, aliquam pecuniæ summam applicet pio loco, aut Conuentui, quem filius designat. Cùm enim renuntiatio hæreditatis ex necessitate quadam fiat, & adiectio pacti nihil incommodi, obligationísque filio afferat, sed solùm patri; non est credibile, talem dispositionem à Tridentino Concilio inhibitam fuisse: quare neque Episcopi, aut Vicarij eius licentia opus erit. Quin imò testatur vniuersim Rodriq. to. 2. casuum, c. 7. n. 1. in aliquibus Religionibus non esse in vsu, vt petatur licentia ab Episcopo, si facienda sit donatio, vel renuntiatio bonorum à Nouitio. Quod maximè intelligendum puto, si renuntiationes ex necessitate fieri debeant, propter Ordinis Constitutiones, vid. apud Mendicantes.

15 Dico II. Si filius ante professionem, vel ante vota formata in Societate Iesu, renuntiet hæreditati paternæ, aut maternę, in fauorem eiusdem Societatis, aut alterius cuiuscunque; patre, vel matre inscia, & non consentiente; atq; accidat filium ante mortem parentis, cuius speratam hæreditatem donârat, professionem, vel vota formata edere, donatio seu renũtiatio omnino corruit, vt nihil omnino debeatur ei, in cuius fauorem facta fuit. Ita docet Sanch. l. 7. c. 9. n. 25. Ratio est manifesta: Quia *nemo plus iuris in alterum transferre potest, quam sibi competere dignoscatur*, reg. 79. in 6. Sed filius modò nullum ius habet ad hæreditatem patris, matris, aut cuiuscunq; alterius personæ; cùm *viuentis non sit hæreditas*, argum. l. qui superstitis, ff. de acquir. hæred. postea verò, cùm professionem, aut in Societate Iesu vota publica formata edit, omnino incapax redditur hæreditatis capiendæ, cùm instar mortui censeatur, sicuti explicat Molina suprà cit. disp. 139. ver. Tam professi. Quare perinde est, ac si aliquis cum Caio paciscatur, vt, si ipse ante patrem suum moriatur, Caius loco mortui ius hæreditatis acquirat.

Verumtamen si pater mortuus fuerit, relicto bonorum suorum vsufructu vxori, dum ea viuit; Titius autem horum filius, in Religione Mendicantium profiteri velit, non prohibetur de parte hæreditatis suæ paternæ disponere, eam v.g. Ecclesiæ, aut Conuentui, vel cuicunque alteri donando. Quia quisque disponere potest de iure sibi iam acquisito, dũ disponendi ius habet: at verò hæreditas paterna huic homini iam acquisita est secundùm proprietatem, seu dominium directum; cùm matri solus vsusfructus cõpetat: ergo de proprietate hac, ante professionem suam, disponere potest, alteri cuicunque donando; ita tamen, vt non plus iuris in donatariũ transferat, quàm ipse habuerat; ideóque eadem onera donatarius sentire debeat, quæ donans patiebatur; vt, dum mater viuit, nullam commoditatem percipere possit; deinde, si accidat donatorẽ è viuis excedere ante matrem, hæreditas reliquis eius fratribus, aut proximis consanguineis accrescere debeat. Idémque eadem ratione sentiendum de bonis aduentitiis filij Religionem professuri, quorum vsusfructus ad patrem spectat, vti dixi præced. tract. c. 8. n. 2.

CAP. VIII.

De Codicillis.

SVMMARIVM.

1 *Codicillus est veluti imperfectum testamentum.*
2 *Codicillos duos, aut plures quis facere potest: sed non duo testamenta condere, ita vt ambo valeant.*
3 *Codicillus fieri potest, & sine testamento, & cum testamento, ita vt ex testamento pendeat, tanquam accessorium à principali.*
4 *Clausula codicillaris testamentis adijci solet; si non valeat dispositio, vt testamentum solemne, valere debeat tanquam codicillus, eiusque clausulæ sine expreßè, siue virtualiter adiectæ plures effectus sunt.*
5 *Codicillus fieri potest vel in scriptis, vel nuncupatiuè.*

CODicillus hîc dicitur, quasi paruus codex, siue scriptura, vltimam aliquam voluntatem continens, 1 absque hæredis directa institutione. Est igitur quasi imperfectum quoddam testamentum; idque ob duas causas: I. Quia testamenti solemnitates non requirit: præterquam quòd quinque testes, licet non rogati, ac fœminæ sint, in codicillo exiguntur, l. vlt. C. de codicillis, iunc. Gl. ver. quinque testes. II. Quia codicillo hæreditas neque dari, neque adimi potest: quin potiùs codicillus fundatur super hæredis institutione, vel ab intestato venientis successione, cui proinde in codicillo aliquid alteri dandum, vel aliud exequendum commendatur, l. quod per manus, ff. de iure codicilli, l. hæreditatem, C. de Codicillis. Inseruiunt igitur codicilli præcipuè ad fideicommissa, & legata relinquenda: item ad testamentum declarandum, immutandum, ei addendum.

Corollarium I. Codicillos etiam plures quis facere 2 potest; modò inter se contrarij non sint: alioquin prior à posteriore censebitur esse reuocatus, l. Diui, §. Codicillos & plures, ff. eod. l. cùm proponatis, C. eodem. Duo autem testamenta simul consistere non possunt; sed semper posterius, quod iure factum est, priori derogat: quamuis nemo ex illo hæres extiterit: quia institutus noluit, vel viuo testatore decessit. quo casu hæredes proximi ab intestato vocantur, §. posteriore, Instit. Quibus modis testam. infir.

Corollarium II. Codicilli fieri possunt tam ab eo, qui 3 intestatus: quàm qui testatus decedit: & ad hoc non solùm post factum testamentum, sed etiam ante testamentum, & cum ipso testamento, §. non tantùm, Instit. de Codic. l. conficiuntur, ff. eod. Et verò nisi codicillus expresè reuocetur, potiùs confirmatus censetur testamento, antè vel pòst facto: siquidem vires codicilli ex testamento pendent, tanquam accessorij ex princi-

pali, cit. §. non tantùm. Si verò testamentum nullum factum sit, tum quasi testamenti loco est codicillus, obligans hæredem ab intestato venientem, etiam posthumum. l. ab intestato, ff. eod. Si tamen defunctus vnà cum codicillo testamentum condiderit, natiuitate posthumi preteriti sicuti rumpitur testamentum: ita & codicillus: siquidem cadente principali, cadit etiam accessorium seu dependens, iuxta l. 1. C. eod.

4 Corollarium III. Si testator affirmans, propositum sibi esse condere testamentum, non adhibeat solemnitatem necessariam ad testamentum, sed tantùm ad codicillum, tunc distingue, vtrum simul adiungat clausulam codicillarem; seu expressè: *Si hæc dispositio mea non valet vi testamenti, volo vt valeat vi codicilli.* Seu tacitè ac virtute: *Si hæc dispositio non valet vt testamentum, valeat eo modo, quo valere potest*: tali casu censebitur esse codicillus; modò solemnitates requisitas ad codicillum habeat, l. 1. ff. eod. l. vlt. §. illud quoque, C. eod. atque testator ad testamenti factionem habilis sit, l. Diui, §. Codicillos, ff. de iure codicillorum. An verò nulla talis clausula adiecta sit; tunc attendere oportet, vtrum præsumptio seu certa, seu valde verisimilis capi possit, defuncti voluntatem fuisse codicillum tantùm condere; licet ob imperitiam testamentum appellarit: (magis enim mentem testatoris, quàm verba, quibus vsus est, spectare conuenit, l. Titius, §. Lucius, ff. de liber. & posthumis, & docet Gl. in l. tale pactum, ff. de pactis) vel etsi testamentum condere intenderit, simul tamen etiam vi codicilli valere voluerit. Quod præsumitur primò; Si testator iuramento siue à se præstito, siue ab hærede præstando, confirmauit, vt seruentur omnia, quæ in testamento continentur, iuxta l. cùm patet, §. filius matrem, ff. de legat. 2. & explicat Mol. disp. 132. Cou. c. Raynaldus, de testam. §. 3. n. 16. vbi ait, iuramentum hunc effectum habere, vt actus, qui eo modo quo fit, non valet, valeat meliore modo, quo potest. Secundò; Si is, cui testator prouidit, sit filius vel alia persona valde dilecta: nam vehemens amor facit præsumptionem clausæ codicillaris, sicuti notatur in l. in testamento, iun. Gl. ver. debuisse, ff. de fideicom. libertat. & apud Iul. Clarum q. 8. in addit. n. 8.

Sin autem testamento minùs solemniter cōdito clausula codicillaris neque adiecta sit, neque ob coniecturas pro adiecta haberi possit, eo casu dispositio neque vt testamentum, neque vt codicillus consistit; etiamsi omnia ad codicillum alioquin requisita adsint, sicuti constat ex l. 1. ff. eod. & cit. l. vlt. C. eod.

Porrò effectus codicillaris clausulæ seu expressè, seu tacitè intellectæ, non exigui sunt: I. Ex testamento minùs solemni, etsi hęredis institutio omnino irrita sit, tamen hæres ab intestato soluere cogitur legata, propter adiectam illam clausulam, vti constat ex l. si iure non subsistit, C. de testam. manumiss. II. Si testator carens hęredibus necessariis, in testamento minùs solemni instituat extraneum, virtute eiusdem clausulæ institutio directa vertitur in fideicommissariam, & proximi hęredes ab intestato censentur grauati restituere extraneo hæreditatem, l. ex ea scriptura, §. ex his verbis, ff. Qui testam. facere possunt. & l. vlt. C. de Codicillis: detractâ solùm Trebellianicâ, quæ est quarta pars hæreditatis. III. Si testator hęrede necessario scienter præterito, vel iniustè exhæredato, in testamento minùs solemni instituat extraneum, virtute illius clausulę formaliter, vel virtualiter adiectæ, cēsetur hęres necessarius grauatus, vt detracta portione legitima, reliquam hęreditatem restituat instituto, teste Mol. disp. 132.

5 Ad extremum aduerte; Codicillos ad similitudinem testamētorum bifariam fieri posse: primùm in scriptis, adhibitis quinque testibus, qui se subscribant; quamuis sigilla eorum non requirantur. Deinde sine scriptis, per nuncupationem, declarata vltima voluntate corā quinque testibus; tametsi ea postea in scripturam redigatur: id enim ad testamentum & codicillum nuncupatiuum nihil interest. Illud porrò discrimen est inter hęredis institutionem & legatum; quòd testator hæredem proprio ore, saltem ad interrogationem alterius, proferre debet, l. iubemus, C. de testam. At verò legatum nutu relinqui potest, si moriturus morbo impeditus articulatè loqui non possit, l. nutu, ff. de legatis, 3. & docet Couar. c. cùm tibi, n. 4. de testam.

CAP. IX.

De substitutione, & fideicommisso.

SVMMARIVM.

1 *Substitutio alia directa est, & alia indirecta.*
2 *Hæres fideicommisso grauatus, quartam Trebellianicam deducere potest: nisi fideicommissum sit respectu causæ piæ.*
Si priuilegium concurrat cum pri[illegible]o, infirmato vtroque, seruari debet ius commune.
3 *Præter substitutiones quatuor; videlicet vulgarem, pupillarem, exemplarem, fideicommissariam; sunt aliæ duæ mixtæ.*
4 *In donatione quoque inter viuos veluti fideicommissum interuenire potest.*
5 *Imperitia Notarij obscurè, vel imperitè loquentis non vitiat dispositionem.*
6 *Confessio partis omne genus probationum excedit.*
7 *Hæres fideicommisso grauatus, si sine liberis decesserit; profitendo Religionem, hæreditatem acquirit Monasterio; nisi aliud expresserit.*

SVbstituere est in locum hæredis vnius alterum statuere: quod dupliciter fieri potest; directè, ac indirectè. Directa substitutio est, in qua sine ministerio instituti, hæreditas sub conditione defertur substituto. Exempli causâ. Instituo hæredem Titium: si is hæres non fuerit, vel quia noluerit: vel quia non potuerit (morte v.g. præuentus) esto hæres Sempronius. Item, si testator impuberem in sua potestate constitutum, & post mortem suam in alterius potestatem non casurum, hæredem instituat: eique alium substituat, sub conditione, si ante annos pubertatis, cùm ipsemet testamentum facere prohibetur, decedat, sicuti habetur tit. ff. de vulg. & pupillari substit. & Instit. de pupillari substit. Vide Couar. in c. Raynutius, §. 5. Gomez 1. resol. c. 3. & 4. Mol. disp. 184. 1

Ad exemplum pupillaris substitutionis alia substitutio introducta est, quæ fit liberis amentibus, surdis simul & mutis: eò quòd & hi testamentum facere nequeant. Adde, non solùm patrem, sed etiam matrem exemplariter substituere posse: sed debet substitui aliquis ex hæredibus necessariis, puta liberis filij amentis, &c. si extent: vel iis deficientibus, parens: imò etiā fratres, & sorores, vel aliquis eorum in hac substitutione cæteris præferendus est, l. humanitatis, C. de Impub. & alijs substit. §. qua ratione, Instit. de pupil. substit. & videri potest Gomez 1. resol. c. 6. Cou. in c. Raynutius, §. 6. Mol. disp. 185. Hæc tamen in pupillari substitutione locum non habent: siquidem neque mater, neque auus maternus filio impuberi substituere potest: cùm eum in potestate sua non habeat. Deinde nō prohibetur pater, vel auus paternus, qui impuberē in potestate habet, omnino prætenita matre, substituere illi quem voluerit extraneū, l. precibus, C. de impuberū, & alijs substit. l. Papinianus, §. sed nec impuberis, ff. de inoffic. testā. & c. 1. §. vlt. de testā. in 6. Ratio est, quia per hāc substitutionem, substitutus non tā filio impuberi, quàm eius patri succedere cēsetur, l. patris & filij, ff. de vulgari & pupillari substitutione. Pater autem non cogitur vxorē suam, siue matrē impuberis hæredem instituere: Quare si filius post mortem patris ante pubertatem decedat, excluditur mater à successione, etiam secundùm legitimam.

Quia licet filius testamento suo matrem portione iure naturæ debita priuare non possit; pater tamen in testamento, quod filio impuberi facit, id potest, cit. §. vlt. & in l. Papinianus, ff. de officioso testam. *Sed nec impuberis filij mater inofficiosum testamentum dicit: quia pater ei hoc fecit.* Et intelligendum id est quoad omnia bona filij impuberis; quamuis ex materna linea acquisita sint, sicut colligitur ex l. sed si plures, §. ad substitutos, ff. de vulgari & pupillari subst. Eadémque in foro conscientiæ locum habere, modò mater alimenta necessaria habeat, ex communiore docet Mol. disp. 184. §. his ita constitutis.

2 Indirecta substitutio, quæ & fideicommissaria dicitur, ea est, in qua hæreditas substituto defertur ministerio hæredis, qui à testatore grauatus est, vel absolutè; vel sub conditione, nisi tale aliquid fecerit; vt hæreditatem vel totam, vel partem eius aliquotam alteri restituat, qui idcirco fideicommissarius appellari solet. Hæres tamen fideicommisso grauatus, post aditam hæreditatem, quartam partem eius, in qua institutus fuit, sibi retinere potest: quæ pars Trebellianica dicitur, à SC. Trebelliano, sicut videre est tit. ff. & C. ad SC. Trebellian. Instit. de fideicom. hæreditatibus, §. sed quia stipulationes, &c. Raynaldus, c. Raynutius, de testam. vbi dicitur, quòd filius grauatus hęreditatem restituere, supra legitimam, quę grauari non potuit, quartam Trebellianicam detrahere possit. Cæterùm testator prohibere poterit, ne Trebellianica à fideicommisso detrahatur; non minùs, quàm vt Falcidia à legatis, iuxta Auth. sed cùm testator, C. ad l. Falcidiam: Siquidem Falcidia & Trebelliana æquiparantur. Ita contra Gl. in cit. Auth. sed cùm testator ex communi docet Gomez lib. 1. c. 5. num. 11. Couar. c. Raynaldus, §. 3. num. 9. Syl. ver. legitima, q. 12. Clar. q. 62. Deinde non potest detractio fieri à fideicommissis; sicuti neque à legatis ad pias causas, iuxta Auth. similiter, C. ad l. Falcid. & Auth. de Ecclesiasticis titulis, §. si autem hæres, & ex communi tradit Couar. c. Raynal. §. 3. de testam. num. 13. Syl. ver. legatum, 4. §. 6. Mol. disp. 213. §. secundus, Less. lib. 2. c. 19. dub. 7.

Excipe, nisi tam hæres institutus, quàm fideicommissarius, aut legatarius sit pia causa, tunc locus erit detractioni, teste Abb. c. in præsentia, de probat. num. 37. Quando enim priuilegium concurrit cum priuilegio, tunc cassato vtroque, seruatur ius commune. Eadémque ratione, si alicui hæredi instituto, substitutio facta sit sub conditione, si is sine liberis decesserit; institutus autem Religionem profiteatur; succedit Monasterium, excluso substituto, si is sit priuata persona; secùs, si Ecclesia, vel causa pia, sicuti notant DD. in cit. c. in præsentia, vbi Abb. num. 36. cum Gl. ver. qui Monasterium instituit, ex Auth. Nisi rogati, C. ad SC. Trebellianum.

Porrò si hæres institutus hęreditatem adire recuset, tunc omnia eius iura & actiones ad fideicommissarium transferre cogitur; nullo nec damno, nec commodo apud hæredem remanente, sicuti dicitur in cit. §. sed quia stipulationes. Legata etiam ad pias causas, tametsi nemo hæreditatem adijt, Iudicis officio implorato, acquiri poterunt, sicuti Couar. notauit, c. Raynaldus, §. 3. n. 27.

3 Præter has, quas hactenus numeraui substitutiones quatuor; quarum prima erat vulgaris, altera pupillaris, tertia exemplaris, quarta fideicommissaria; sunt aliæ duæ, eæque mixtæ; quia plures in se substitutiones continent: Prima est, quoad personas, quę dicitur reciproca, siue breuiloqua, in qua plures hæredes instituti sibi inuicem substituuntur: v. g. *Instituo Caium, et Titium hæredes meos, eosq́; inuicem substituo.* Adde, non tantùm directas substitutiones, vulgares, pupillares, exemplares reciprocè fieri posse; sed etiam fideicommissarias; idq; vel expresè in testamento, v. g. *Instituo hæredes Caium, & Titium, et alterutri ex his priùs decedenti alterum substituo:* vel virtute, in codicillo continente substitutionem directam pro fideicommissaria, secundùm Gl. communiter receptam Instit. de vulgar. subst. ver. in testam. Less. l. 2. c. 19. dub. 7. n. 86. 92. Vide etiam Abb. in c. Raynutius, n. 14. & seq. Couar. ibid. §. 7. & 8. de testam.

Altera substitutio mixta substitutiones plures in se continet secundùm tempora & ætates; atque vocari solet compendiosa: puta, si pater, aliúsve descendēs ita testamentum concipiat: *Instituo filium meum hæredem eiq́; quandocunq́; ex vita decesserit, substituo Titium* tunc si filius hæres patris non extiterit, admittitur substitutus ex vulgari: Sin verò hæres extiterit, sed intra pubertatis annos decesserit, admittitur Titius ex pupillari: Si autem post pubertatem decesserit, succeditur ei ex fideicommissaria, detracta tamen non solùm legitima, sed & Trebellianica, iuxta cit. c. Raynaldus, de testam. Si denique & mente captus filius sit, succedet ei Titius ex exemplari. Vide Gomez 1. resol. c. 7. Couar. cit. c. Raynaldus, §. 9. Less. l. 2. c. 19. dub. 7. n. 90.

His adde, etiam in ratione pacti inter viuos quasi fideicommissum interuenire posse; si quis rem alteri donet, ea lege, vt post transactum tēpus, vel eueniente aliqua conditione, alteri tradat: quo casu res vinculata dicitur; quia alienari à possessore non potest: ipse tamen donator, si res adhuc integra est, & tertius ille, in cuius fauorem fideicōmissaria dispositio facta fuit, adiectum grauamen reuocare non prohibentur, sicuti respondet Clarus l. 4. receptar. ver. donatio, q. 13. n. 4. 4

Frequentissima autem sunt eiusmodi fideicommissa, si bona vinculata per vltimam voluntatem relinquantur, vt in subiecto casu videre est. Titius testamentum cōdidit, in quo Caium filium hęredem instituit; sed apposuit verba testamento, quibus videri potuit dictum Caium fideicōmisso grauare, quominus bona immobilia alienare posset; sed ad proximū agnatum transmittere deberet. Verùm, quia verba ambigua erant, vt Iureconsulti iudicârint, si ad forū externum res deferretur, absolutum iri, & nunquam cōpellendum ad seruandum eiusmodi fideicommissum; hac ille fiducia fretus, bona immobilia vendidit. Nunc verò conscientia vrgetur; quia ob certas, vel saltem probabiles, valde cōiecturas existimat, testatorem voluisse bonorum alienationem prohibere, & verborum obscuritatem culpa Notarij irrepsisse.

Respondeo, & dico I. Si Caius moralem certitudinem habet, quòd pater Titius voluerit illum fideicommisso grauare verbis illis testamenti, quæ vitio Notarij ambiguè posita sunt, in conscientia obligatus est ad faciendam compensationem damni, quod proximis agnatis venditione illa, à testatore prohibita, illatum est. Si enim Caius ad obseruandum fideicommissum non obligaretur, id vna harum duarum rationum fieret, vel quod voluntas testatoris, significata verbis tam ambiguis, non esset solemnis, ideóque iure non subsisteret: vel quòd in ciuili foro nunquam Caius condemnaretur ad eiusmodi fideicommissi, tam obscurè inserti, obseruationem. Sed neutra harum rationum satisfacit: non prima, quia inauditum est apud Doctores, vltimam volūtatem ideo reijci tanquam minùs solemnem, quia verba obscura, aut ambigua continet: sed si ambiguitas sit in verbis, ad coniecturas, quibus verisimile; fit, quid testator voluerit, recurrendum esse, constat ex l. Titius, § Lucius, ff. de liberis & posthumis, l. cùm res ff. de legatis, 1. & docet Gl. l. tale pactum, ff. de pactis: maximè verò in materia fideicommissorum: ad verisimilem disponētis mentem, qualibuscunque verbis expressam, attendendum esse, ex communi docet Nicol. Euerhar. vol. 1. consil. 4. n. 87. Idque maximè locū ha- 5

bere debet, si existimetur, verborum obscuritatem culpa Notarij irrepsisse, præter testatoris intentionem. Nam imperitiam Notarij ineptè, vel obscurè loquentis non vitiare dispositionem defuncti, constat ex l. 2. C. de errore Aduocatorum, & l. errore, C. de testam. & docet idem Euerhard. t. 2. consil. 21. n. 22.

Neque altera ratio satisfacit: Nam Caius in foro externo absolueretur ob defectum probationis: quia ex verbis tam ambiguis non satis elici potest voluntas testato-
6 ris: in dubio autem fideicommissum non præsumitur. In nostro autem casu nulla probatione opus est, quando Caius ipse fatetur, talem fuisse defuncti voluntatem: confessio autem partis omnes coniecturas, omnéque genus probationum superat, l. cùm te, ff. de iureiur. Quamobrem etiam in externo foro, si verba testamenti ambigua sint, sed intentio testatoris duobus saltem testibus probari possit ex verbis extra testamentum à testatore prolatis: multóque magis, si hæres certis coniecturis persuasus fateatur, testatorem voluisse instituere fideicommissum, haud dubiè contra eum pronuntiabitur, sicuti ex Bart. l. 1. ff. de vulg. & pupil. substit. docet Euerhard. vol. 1. consil. 53.

Dico I I. Si Caius certus non sit, sed dubitet de testatoris voluntate, & re diligenter examinata certam cognitionem acquirere nequeat, tam in externo, quàm interno conscientiæ foro liber pronuntiari debet. Ratio est: Tum quia fideicommissum, cùm sit noua aliqua dispositio, per quam hæres grauatur: non præsumi, sed probari debet: Tum quia hæres, præsertim suus, siue filius, est bonorum defuncti possessor: in dubia autem causa melior est conditio possidentis.

7 RESTAT QVAESTIO. De vero intellectu cit. c. in præsentia, de probat. quod sumptum est ex Authent. Sed & hoc, de SS. Episcopis: Si hæres fideicommisso grauatus sit, videlicet vt hæreditatem alteri restituat sub conditione expressa, aut tacita, si sine liberis decesserit: accidat autem, grauatum Religionem profiteri: quod hoc casu, excluso instituto, Monasterio hæreditas deferenda sit. Nota autem quod dixi, *aut tacita:* Si enim aliquis ascendentium, descendentem suum grauet, vt hæreditatem seu totam, seu partem alteri restituat: ea tacita conditione ita disposuisse censetur, si descendens sine liberis decesserit, l. si auus, ff. de condit. & demonstrat. l. cum acutissimi, C. de Fideicom. l. generaliter, §. cùm autem, C. de Instit. & substit.

Nunc respondeo, & dico I. Ratio huius Auth. Constitutionis, iure canonico approbatæ, non est ea, quòd Monasterium instar filij censeri debeat. Quòd enim Monasterium loco filij habendum sit, est fictio quædam iuris, exorbitans à veritate naturali: ergo extendenda non est vltra casus iure expressos, vti præter alios notauit Gutierez lib. 1. canon. c. 32. nu. 56. Sanchez lib. 7. moral. cap. 16. n. 5. & alij apud eundem. At verò Monasterium hoc casu loco filij habendum esse, non exprimitur in Auth. illa, sed contrarium: si enim grauatus professionem edat, non dicitur defecisse conditionem, si sine liberis decesserit, sed pro non scripta habendam esse. Cur ita? quia fauore matrimonij præsumendum est, testatorem ad hunc casum conditionem extendere noluisse: sed si in mentem ei venisset, hunc casum exceptum fuisse: cùm credibile sit, non minùs causam piam Monasterij, quàm liberos dilexisse. Ita docet Couar. 1. resol. c. 19. n. 11. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 19. ver. Quando quis.

Dico I I. Si testator expressit voluntatem suam, vel ea manifestis coniecturis colligi potest, vt Monasterio, in quo grauatus profitetur, præferatur substitutus in fideicommisso, ea voluntas rata esse debet. Hæc est communior sententia, quam defendit Couar. l. cit. Nauar. lib. 3. consil. 13. de testam. Mol. cit. disp. 190. ver. Hæc verò, Rodriq. to. 2. regul. q. 77. a. 4. Gutierez cit. c. 32. n. 19. Sanchez cit. c. 16. num. 12. Ratio est: Quia Constitutio illa, vt Monasterium, si capax sit successionis, excludat substitutum in fideicommisso, fundatur in præsumptione suprà dicta: cessat autem præsumptio, cùm contraria veritas apparet. Confirmatur hæc doctrina ex fideicommissis familiæ relictis, ita vt semper apud familiam maneant, ad conseruandum splendorem eius; quæ si ita instituta sint, vt ad primogenitum spectent; eo verè sine hærede masculo decedente, ad agnatum proximum itidem maiorem natu deuoluuntur. Siquidem eiusmodi primogenia, ac fideicommissa non transeunt ad Monasterium: quia id repugnaret eorum naturæ, cùm ad conseruationem familiæ instituta sint. qua de re videri potest Mol. to. 3. priore, disp. 623. Sanch. cit. c. 16. n. 44. Couar. cit. c. 19. n. 11. Gutierez n. 30.

Dico I I I. Etsi constet, vel præsumi debeat, testatoris voluntatem fuisse, vt substitutus in fideicommisso excludat Monasterium: nihilominus eo frui poterit Monasterium, dum professus viuit. Ita docet Molin. t. 1. tract. 2. disp. 190. ver. in quocunque, & cit. disp. 623. ver. Quod ad Religiosos, Sanchez cit. c. 16 n. 10. Couar. 1. resol. c. 19. nu. 7. Ratio est: Quia Monasterium, si bonorum immobilium in communi capax sit, succedit in omnia bona, ac iura professi, Auth. Ingressi, Cod. de SS. Ecclesiis. Professus autem habebat ius fruẽdi fideicommisso per tẽpus vitæ suæ, eo grauamine, vt si sine liberis decederet, substituto restitueret: Ergo tamdiu etiam Monasterium loco eius retinere ac frui potest. Sin verò Monasterium, in quo professio fit, capax non est successionis, tunc edita professione fideicommissum statim deuoluitur ad substitutum, & non ad hæredes seu proximos consanguineos professi, vti docet Gutierez n. 25. Azor to. 1. lib. 12. c. 8. q. 6. in fine. Sanchez cit. c. 16. n. 16.

Excipe: Nisi euidens adsit coniectura, noluisse testatorem, vt fideicommissum ad Monasterium deueniat, si grauatus in eo profiteatur: sed statim deueniat ad substitutum. Potuit enim testator de bonis suis arbitratu suo disponere: imò iustam ita disponendi causam habuisse, v. g. vt in familia diuitiarum decus, potentia, ac testatoris memoria conseruetur. Quamobrem pluribus allegatis Doctoribus, docet Sanchez cit. c. 16. num 19. Azor cit. c. 8. q. 5. in fine, si in fideicõmisso instituendo testator agnationis, nominísque sui rationem habuisse visus fuerit, vt si primogenium seu maioratum instituerit, Monasterium omnino excludi: quandoquidem in Monasterio, seu quod idem est, in professo Monasterium, non potest familiæ & agnationis splendor, secundùm institutoris intentionem, conseruari. Voluit enim testator, vt fideicommissio bona penes familiam semper manerent: post professionem autem si Monasterium succederet, non manerent bona penes familiam, sed penes Monasterium, dum professus viuit.

Confirmatur. Nam simili ratione, etsi obligatus hæreditatem restituere, relegetur, eiúsque bona publicentur, fiscus in fideicõmisso succedit, dum ille naturaliter viuit, l. Statius, §. Cornelio, ff. de iure fisci: Excipitur tamen, si testator prohibuit, ne bona fideicommissi extra familiam manerent, secundùm doctrinam Bartoli in l. Imperator, ff. de fideicommiss. libertat. Ergo idem dicendum de successione Monasterij: nam *sicuti Monasterium succedit in omnia bona Professi, ita fiscus in omnia bona deportati*, ait Sanchez num. 19. Est tamen hæc doctrina contra Molinam t. 3. priore, disp. 623. vbi ait, Monasterium succedere in Maioratu, si iurisdictionem annexam non habeat, atque retinere interim, dum professus viuit: quamuis dubius sit in hac sententia, n. 5. ver. Tertiò, & ver. Quartò. Siquidem, vt ipsemet ait, si maioratum quemcunq; ad perpetuam familiæ conseruationem ac splendorem instituens, interrogatus fuisset, vtrum vellet ad Monasterium deuenire, interim dum filius, aut nepos eius primogenitus in Monasterio viueret, vtique negasset: cùm id fini institutionis repugnet.

CAP. X.

De legatis, & fideicommissis particularibus.

SVMMARIVM.

1 *Legatum, seu fideicommissum particularè, est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda.*

2 *Qui testari, ij etiam legare; & qui hæredes institui, ij etiam legata relinqui possunt.*

3 *Licet Fratres Minores hæredes institui nequeant; tamen legata per modum eleemosinæ eisdem relinqui possunt: modò id non fiat in magna quantitate, vt veluti hæreditas sub legati nomine dari videatur.*

4 *Fratribus Minoribus nec habitatio seiuncta ab eorum Monasterio; nec reditus annuus perpetuus, vel ad tempus longum pro victu, ac vestitu eorum, legari potest.*

5 *Rem immobilem Fratribus Minoribus absolutè legari nihil prohibet: cùm eam vendere poßint, & debeant. Nisi hortus legatus sit ad Fratrum recreationem, vel quotidiana olera decerpenda necessarius; eum enim poßidere possunt.*

6 *Domui professæ Societatis IESV cùm hæreditas, tum legata relinqui possunt; ita tamen, vt, si in ijs bona stabilia contineantur vsui domus non opportuna, ea vendi debeant.*

7 *Res non tantùm testatoris propria, sed etiam alienæ legari potest; modò non sit ipsius legatarij.*

8 *Si debitor creditori legauerit, censetur reliquisse in compensationem debiti, si ex iuris necessitate debebat; secùs, si ex voluntario contractu.*

9 *Debita plerumque non possunt testamento relinqui; prterquam si iusta causa, vel neceßitas excuset, quominus ipsemet debitor, dum in viuis est, satisfacere queat.*

10 *Legata interdum purè fiunt; interdum in diem; interdum sub conditione.*

11 *Conditio in futurum alia est potestatiua, & alia mixta: vtrique autem hoc commune est, vt, si ante impletam conditionem legatarius moriatur, ad hæredes non transmittatur, si intuitu personæ relictum fuerat.*

12 *Legatum, vel hæreditas relicta sub cõditione nuptiarum, non debetur, nisi nuptiæ sequantur: Si tamen persona, cui relictum, Religionem ingrediatur, videtur ei dandum, secundùm benignam interpretationem voluntatis testatoris.*

13 *Iusta censetur esse conditio legato, vel hæredis institutioni adiecta, si cum certa persona matrimonium contractum fuerit.*

14 *Conditio legato, vel hæredis institutioni adiecta, si matrimonium non contrahatur, tanquam bonis moribus repugnans reijcitur: nisi vidua sit, cui ita relinquitur; vel nisi conditio adiecta sit, fauore status religiosi, aut sacerdotalis.*

15 *Si coniunx coniugi promiserat, se post mortem eius alteras nuptias non contracturum, obligatur promißione, sed plerumque non sub peccato mortali; nisi iurauerit, vel nisi liberorum multùm intersit, nuptias alias non contrahi.*

1 LEGATVM definitur Instit. de legatis, §. 1. *Donatio quædam, à defuncto relicta, et ab hærede præstanda.* Nomen *donationis* accipitur latè, pro quacunque datione gratuita. Additur *quædam*: quam particulam necessariò ita intelligere debemus, vt idem sit, quod rei alicuius particularis, quæ hæreditatis rationem non habeat: nam alioquin tota definitio conueniet fideicommissis vniuersalibus, quæ tamen diuersam à legatis naturam obtinent. Per tertiam voculam *à defuncto relicta*, distinguitur legatum primò, à donatione inter viuos, quippe quæ in vita donantis robur suum & firmitatem accipit: Secundò, à donatione mortis causa, quippe quæ non ab hærede necessariò præstanda est; sed plerumque ab ipso donante traditur, dominiúmque transfertur: tametsi ante mortem illius non confirmetur, sed reuocari possit. Quare si res alicui legata, postea eidem à testatore tradatur; tunc legati naturam amittere, & in mortis causâ donationem transire videtur; nisi testator, rem antea legatam, mutata voluntate, postea tanquam inter viuos absolutè donârit. Ita docet Molina disput. 193. in fine. Denique additur *et ab hærede præstanda*, per quam particulam præcipuè distinguitur legatum ab hæredis directa institutione: siquidem hæreditas non ab alio quodam, sed ab ipso testatore immediatè accipitur.

Porrò definitio ita explicata conuenit etiam fideicommisso particulari: quod hodie absurdum videri non debet, quando legata omnia particularibus fideicommissis exæquata sunt, l. 1. iunct. Gl. ff. de legat. 1. & Instit. eod. tit. §. sed non vsq. Neque inter se differunt, nisi verborum formâ: cùm enim ea ad ipsum legatarium diriguntur, v. g. *Lego Titio centum*; dicitur legatum strictè: cùm verò ad hæredem, vel legatarium relatis verbis, rogantur, vt talem rem dent alteri tertio, dicitur fideicommissum particulare.

2 QVÆSTIO PRIMA. Quis legare possit? Respondeo, Omnis, & solus ille; qui testari potest. Nam legatum non relinquitur, nisi in testamento, vel codicillo: Codicillum autem nemo facere potest, nisi qui & testari, l. Diui, §. Codicillos, ff. de iure codicillorum.

QVAESTIO SECVNDA. Quibus legari possit? Respondeo; Ordinariè iis solùm legari potest, qui & hæredes institui possunt, §. legari, Instit. de legatis. Dixi autem *ordinariè*: quia excipitur primò; Si ijs, qui hæredes institui non possunt, puta spuriis, habitatio & alimenta competentia; item dos, quæ succedit loco alimentorum, relinquantur, l. is cui, ff. de alimentis & cibariis legatis; modò id non fiat in fraudem, sed quatenus indigent. Ita Syl. ver. legatum, 2. q. 2. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 195. §. spuriis.

3 Excipitur secundò; Licet Fratres Minores de obseruantia, & Cappucini, eorúmq; Monasteria, aut Ecclesiæ hæredes institui non possint, vt suprà dictum cap. 5. num. 4. tamen legata ipsis relinqui queunt per modum piæ donationis seu eleemosynæ, iuxta c. exiit, §. ad hæc quia Fratribus, de verbor. signif. in 6. & extrauag. 1. ver. Porrò vt circa sepulturam, de priuileg.

Sed limitari debet I. Nisi legatum tantæ quantitatis sit, vt videatur relinqui in fraudem; siue sub nomine ac forma legati hæreditas dari, Clement. exiui, §. cupientes, de verborum signif. & videri potest Rodriquez tom. 2. regular. quæst. 126. a. 1. Sanchez lib. 7. moralium, cap. 26. num. 11. vbi aiunt, ex legatis tantum accipi posse pro sustentatione Minorum, quantum spectata personarum, temporum, ac locorum qualitate, aliísque circumstantiis, ministri & custodes arbitrati fuerint, necessarium esse inopiæ subleuandæ; ita vt amplius non exigatur, aut recipiatur, donec noua necessitas appareat. Qua simili ratione ait Syluest. ver. legatum, 2. quæst. 3. dicto 1. non repugnare mendicitati Minorum, si seruent victualia, cùm timetur fore, vt alio tempore haberi nequeant. Et Sanchez cit. cap. 26. num. 14. Non repugnare paupertati Minorum, si recipiant triticum, vel similes res supra necessitatem; eo pacto, vt per Syndicum commutentur, vel vendantur pro rebus necessariis.

4 Limitari debet II. Nisi Fratribus Minoribus legetur domus seu habitatio, seiuncta ab eorum Monasterio: talem enim possidere non possunt, c. 1. §. confirmatos, de religiosis domibus, in 6. & c. vn. de excess. Prælator. in 6. Veteres tamen domos instaurare & extendere possunt, si indigeant, ad eúmque vsum domum contiguam sibi legatam acceptare, vti explicat Sanchez n. 22.

Limitatur III. Nisi Fratribus Minoribus pro eorum victu, & vestitu legetur annuus reditus perpetuus, vel longum tempus: eius enim incapaces omnino sunt Clem. exiui, §. Cúmque annui reditus, de verbor. signif. Dixi autem primò, pro eorum victu & vestitu, ita videlicet vt tali legato paupertas & mendicitas eorum tollatur. Interim verò nihil obstat, annuos reditus ipsis legari, pro luminibus aut ornamentis Ecclesiæ, pro vino vel frumento ad quotidianum Sacrificium necessario, vti ex communi docet Rodriq. tom. 2. regular. quæst.

126. a. 5. Sa ver. Religio, nu. 57. Sanchez cit. c. 26. nu. 41. Item si legatum annuum sit pro coëmendis libris studio literarum necessariis, sicuti docet Abbas cit. consil. 63. n. 2. in fine, Sanchez nu. 46.

Secundò dixi: Non posse legari reditum annuum perpetuum, vel ad tempus longum, id est, decennium, vel vltrà. Quia ad minus tempus legari potest: cum veluti vnum legatum censeatur, cuius solutio ita diuisa sit, vt per eam mendicitas non tollatur, sicuti obseruat Syluest. ver. legatum, 2. quæst. 3. dicto 1. & videri potest Rosella ver. legare, num. 21. Sanchez num. 36. & 39. Qui addit cum Abb. p. 2. consil. 63. num. 6. legatum annuum relictum Monacho ad vitam eius non censeri perpetuum, cuius incapax sit Monasterium Ordinis Minorum: cùm vita hominis incerta sit. Arbitror tamen, tutius esse huiusmodi legato abstinere: præsertim si Monachus sanus ac valens corpore sit: cùm ius annuatim recipiendi tota hominis vita pluris æstimari soleat, quàm ius percipiendi ad decennium. Illud quoque verisimilius est, quòd anniuersaria perpetua, quibus hæredes grauantur ad eleemosynam præbendam Fratribus, repugnent eorum paupertati, sicuti docet Nauar. l. 3. consil. 8. nu. 3. de testam. Sanchez nu. 44. Cùm re vera hic sit reditus annuus pro eorum victu, & vestitu, quo paupertas seu mendicitas aliquo modo tollitur: quamuis contrarium sentiat Rodriq. cit. q. 126. a. 4.

Limitari debet I V. Nisi legato rei seu mobilis, seu immobilis adijciatur modus, qui repugnet eorum professioni, vti colligitur ex c. exijt, §. adhæc quia Fratribus, de verbor. signif. in 6. Puta si legetur eis vinea, vt ipsi eam retineant, excolant, & fructus pro vino quotidiano colligant, aut aliis locent: item si legetur pecunia, vt ex ea Fratribus vestes duplices ac superfluæ comparentur. Sin verò absolutè legata sit v. g. vinea, vel alius fundus, valet legatum: cùm illud vendi possit, ac debeat, & ex pretio necessitati Fratrum subueniri, cit.
5 §. Adhæc. Deinde si hortus legatus sit ad Fratrum recreationem necessarius, vel ad quotidiana olera decerpenda, valet vtique legatum: cùm tales hortos possidere queant, ita tamen, vt alteri non locent, nec fructus diuendant, cit. Clement. exiui, §. licet verò. Denique si pecunia legata sit pro vestitu Fratrum; & vestimentis tunc non indigeant, valet legatum, idque in alias necessitates eorundem conuertendum erit, vti docet Sanchez n. 24.

Quod attinet ad domos professas Societatis Iesu, cùm eæ dominium in communi habere possint, non solùm rerum mobilium, sed etiam immobilium quarundam, quæ videlicet ad habitationem, vsum, aut recreationem opportunæ sunt: non autem eo modo, vt reditus quicunque vini, olei, tritici percipiantur: sed neque fructus modici, v. g. olera, poma, vuæ ad comedendum aliis vendere liceat: neque hortus pro pecunia, aut alia pensione elocari, p. 6. Constit. cap. 2. §. 5. Hinc
6 sequitur primò: Quòd Domui professæ cùm hæreditas, tum etiam legatum relinqui possit: ita tamen, vt, si in hæreditate, vel legato bona stabilia contineantur, non necessaria, nec opportuna vsui Domus professæ, ea vendi debeant: quamuis nihil obstat, tempore non longo retinere, donec se occasio vendendi offerat; vel opportunitas aptandæ habitationis ad vsum Domus professæ, vti annotauit Sanchez cit. cap. 27. nu. 22.

Secundò sequitur: Si Domui professæ hæreditas, vel legatum relictum sit, adiecto modo, qui eius Constitutionibus contrarius sit, dispositionem irritam censeri; puta si census aliquis, vel quæcunque res immobilis non necessaria ad vsum legetur ea conditione, vt ipsimet retineant, & non diuendant. Sin verò annuus reditus seu Domui professæ, seu Ecclesiæ eius relictus fuerit, non est irrita dispositio: quia licet Domus professa nullam ex tali dispositione actionem, aut ius ciuile acquirat, cùm reditus annuos seu domui seu Ecclesiæ applicandos possidere aut administrare nequaquam possit, iuxta Constit. p. 6. c. 2. §. 2. 5. & 6. tamen hæres in conscientia obligatus est ad annua eiusmodi subsidia; propterea quòd Societas non prohibeatur ea recipere, si offerantur, secundùm testatoris voluntatem, sed tantùm, ne per iuris actionem exigat: vel ad eiusmodi perpetuas eleemosynas Domui, vel Ecclesiæ suæ relinquendas quemquam inducat, vti bene ostendit idem Sanchez nu. 6.

Qvæstio Tertia. Quæ res legari possint? 7
Respondeo & dico I. Non solùm, quæ sunt propriæ testatoris, etiam potentia, aut spe: item iura & actiones: sed etiam res alienæ legari possunt: ita vt hæres cogatur eas redimere, & præstare: vel si redimere non possit, æstimationem dare, §. non solùm, Instit. eodem, l. cùm alienam, Cod. de legatis. Idémque dicendum, si res pignoris nomine alteri obligata, legata sit: debet enim hæres eam luere, & legatario liberam dare, § sed etsi, Instit. eod.

Sed intelligi hæc debent, si defunctus sciebat rem alienam, vel obligatam esse: secùs, si ignorabat. Nisi etiam hoc casu tales sint circumstantiæ: puta quia personæ coniunctæ, aut valde dilectæ legauit: vt præsumi possit, quòd tametsi sciuisset alienam esse, vel alteri obligatam, nihilominus eam legasset, sicuti explicat Syluest. verb. legatum, 3. quæst. 2. Molin. disput. 196. Vasquez de testamentis, cap. 8. num. 64. Secundò excipitur: Nisi res aliqua legata sit, quæ ipsiusmet hæredis est: hæc enim præstari debet, licet testator existimauerit *non ad hæredem, sed ad se spectare*, l. vnum ex familia, §. si rem, ff. de legat. 2. Quia *testator rem hæredis legare potest vti propriam*, ait Gloss. cit. §. si rem tuam, ver. faciliores, Abb. in c. solius, num. 4. de testam.

Dico I I. Si rem legatarij aliquis ei legauerit, inutile est legatum: quia *quod proprium est ipsius, amplius eius fieri non potest*, §. sed si rem, Instit. eodem. Adde ex §. ex contrario, Instit. eod. inutile quoque legatum esse, si debitor creditori suo leget, v. g. 100. aureos, quos antea ei debebat. Nam legatum oportet esse gratuitum: id autem gratis non datur, quod iam antè debitum est.

Quo loco duplex dubium exoritur: Primum. Si debitor creditori suo aliquid testamento, vel codicillo relinquat, nihil exprimens, vtrum in dubio censendus sit reliquisse ad exonerationem, seu compensationem debiti? Doctores communiter distinguunt cum Bartolo l. si cùm dotem, §. si pater, ff. soluto matrimonio, Abb. cap. officij, num. 4. de testam. Vel enim 8
est debitor ex voluntario contractu: vel ex necessitate iuris: Primo casu, non censetur esse legatum animo compensandi, arg. l. vn. §. sciendum, C. de rei vxoriæ actione: vbi habetur, si maritus vxori in testamento aliquid relinquens, non addiderit, velle eam pro dote id accipere, præsumendũ est voluisse, illam vtrumque, id est, legatum & dotem consequi. Posteriore autem casu censebitur in dubio legatum esse animo compensandi, argum. cit. l. si cùm dotem, vbi habetur: si pater sine consensu filiæ dotem soluto matrimonio exegerit: & postea testamento eidem relinquat, censendum esse id fecisse animo compensandi. Quod similiter sentiendum est de aliis debitis necessariis, præsertim iniustè contractis: quæ aliquis sub titulo & colore legati honestiùs se restituere posse putat. Vide etiam Couar. in cit. c. officij, num. 2. de testam. Syl. ver. legatum, 3. q. 12. Nicol. Euerhardum vol. 2. consil. 28. nu. 113. Mascardum vol. 1. conclus. 96. Andr. Fachinæum lib. 5. contr. iuris, c. 33.

Alterum dubium: Vtrum Confessarius contentus esse possit, si debitor creditoribus suis testamento relinquere velit, quæ ipsis debet, v. g. ex causa furti, alte-

9 riúsve iniustæ læsionis? Respondent Doctores omnes negatiuè: nisi causa aliqua adsit, quæ excuset, quominus restitutio statim fieri debeat: sed eousque differri possit. Ita Sotus lib.4. de iust. quæst.7.a.4. Syluest. ver. restit.5.q.7. Nauar. c.17. num.68. Pet. Nauar. lib.4.c.4. num.72. Angles in flor. q. de restit.a.2. diffic. 4. Tol. lib.5. c.24.§. oportet. Sairus lib.10. clauis regiæ, tract.5. cap.3. dub.9. Rodriq. p.2. sum. cap.44. conclus.7. Adde ex eorundem doctrina: Etsi debitor morti vicinus sit, absoluendum non esse, si, quod ipsemet sine scandalo, læsione famæ, &c. restituere potest, testamento relinquere velit, vt ab hærede restituatur: tum quia talis non videtur habere syncerum animum ac propositum restituendi, si superuixerit: tum quia testamenta, & consequenter legata sæpe infirmari, aut quæ in illis relicta sunt, supprimi solent. Vide S. Anton. p.2. tit.2. c.1. §. 25. deceptione quarta, & septima.

Cæterùm, si appareat moriturum syncerè agere, & ideo restitutionem hæredi committere, quia putat ab eo commodiùs faciendam fore: insuper periculum non sit, ne testamentum, vel legatum euertatur: quia v. g. bona incerta pauperibus, vel loco pio elargienda sunt: cuiusmodi legata ad pias causas à testamenti solemnitatibus pendere non solent: denique si hæres, & executores testamenti sint viri boni, ac fideles: talibus circumstantiis concurrentibus, prudens Confessarius interdum permittere poterit infirmo, vt debita in testamento relinquantur. qua de re vide vtrumque Nau. ll. cc.

10 QVÆSTIO QVARTA. Quibus modis legata relinqui possint? Respondeo, Legata interdum relinquuntur simpliciter, non adiecta conditione, die, &c. cuiusmodi legatis id proprium est, vt transmittantur ad hæredes legatarij, licet is ante aditam hæreditatem decedat, tamen post mortem testatoris, l. si post, ff. Quando dies legati, l. ii. §. cùm igitur, & §. in nouissimo, C. de caducis tollendis. Nihilominus eiusmodi legata peti non possunt, priusquam hæreditas adita sit: adeò quidem, vt si nemo ex scriptis hæredibus adierit, legata vnà cum testamento corruant, neque ab hæredibus ab intestato præstanda sint, iuxta l. si nemo, ff de testam. tutela. Nisi sint legata pia: vel nisi subsistant virtute clausulæ codicillaris, vt suprà dictum. At verò statim vt hæreditas adita est, legatarij rerum in specie legatarum dominium acquirunt: vnà cum fructibus, etiam iis, qui ante hæreditatis aditionem post mortem testatoris percepti erant: quæ est communior sententia apud Gomez lib.1. resol. c.12. n.5. & 22. Mol. disp.194. arg. l. à Titio, ff. de furtis, iunct. Gl. vbi ait, quòd secundùm iuris fictionem, res legata recta via à legante ad legatarium transit.

Interdum verò legata relinquuntur in diem; idque dupliciter: vel enim in diem certum, v. g. lego Titio centum, danda ipsi proximis Kalendis Ianuarijs. Et hæc etiam legatis puris annumerantur: quare, licet ante præfixum diem peti non possint: ius tamen petendi, & actio transmittitur ad hæredes legatarij, si post mortem testatoris, ante illum diem decedat: etsi hæreditas tunc nondum adita fuerit, sicut habetur in cit. §. cùm igitur, & l. si dies, ff. quando dies legatorum cedat, & docet Syl. ver. legatum, 1. q. 1. Mol. disp. 181. §. his ita constitutis, & disp.205. §. quando dies certus. Vel legata relinquuntur in diem incertum, v. g. Lego Titio centum aureos, cùm ad pubertatem venerit ipsi dandos, vel cùm vxorem duxerit, cùm naues ex India appulerint, & talis adiectio diei incerta, si fiat in commodum hæredis, & non solius legatarij, habet vim conditionis pendentis in futurum: vt proinde eiusmodi legata ad heredes legatarij transmittantur, si is ante diei euentum è viuis excedat. Ita habetur in cit. l. si dies apposita.

11 Denique relinquuntur interdum legata sub conditione, præsertim in futurum pendente, vt & euenire possit, & non possit: nam hæc sola propriè dicta conditio est, suspendens legatum, aliámue dispositionem: v. g. *Lego Titio centum, si Caiam vxorem duxerit.* Diuiditur in *potestatiuam*: cuius euentus, moraliter loquendo, ex sola voluntate eius dependet, cui imponitur: v. g. *Lego Titio centum, si seruum suum manumiserit. Causalem*, cuius euentus minimè dependet ex voluntate eius, cui aliquid relinquitur: v. g. *Si naues ex India appulerint.* Et *mixtam*, cuius euentus partim ex parte eius, cui imponitur: partim etiam aliunde dependet: v. g. *Lego Titio centum, si Caiam vxorem duxerit.* Quibus omnibus conditionibus hoc commune est, vt, si aliquid ita legatum sit, ad hæredes non transmittatur; neque legatario cedat, antequam conditio impleatur: adeò, vt si priùs legatarius è vita discedat, omnino legatum expiret, sicuti constat ex l. vn. §. sin autem aliquid sub conditione, C. de caducis tollendis. Modò relictum fuerit principaliter intuitu personæ: secùs, si intuitu animæ, seu piæ causæ, vel intuitu dignitatis. Id verò ex circumstantiis diiudicandum erit: an qui dotem v. g. reliquit Titiæ puellæ pauperi, principaliter id egerit causa pietatis: vt proinde illâ mortuâ antequam legatum assequeretur, alteri puellæ maritandæ assignanda sit: an verò testator principaliter motus fuerit fauore talis personæ: quia v. g. diu ipsi seruierat tunc enim expirabit legatum, vti docet Abb. in c. nos quidem, de testament. n. vlt. Syl. ver. legatum, 1. quæst. 10. Item an is qui legauit, v. g. Episcopo mille, id egerit intuitu seu fauore personæ: quia erat eius propinquus: tunc enim eo mortuo, antequam dies legati cedat, expirat legatum: si autem dies iam cesserat, transmittitur ad eius hæredes. An verò legatum sit intuitu seu fauore Ecclesiæ: tunc enim mortuo vno Episcopo, successori eius debetur. Qua de re scribit Syluester verbo Legatum, 2. quæstione 5. Ludouicus Miranda tomo 1. manualis Prælatorum, q. 32. art. 7. Quo loco rectè resoluit: Si legato relicto pro Monasterio in certo loco ædificando, ibi ædificari non possit: alio loco ædificandum esse, cum consensu Episcopi, & executoris testamenti.

Illud porrò interest inter conditionem potestatiuam, & inter casualem, ac mixtam: quòd illa non nisi post mortem testatoris à legatario expleri debet: has verò satis est impleri post conditum testamentum, seu viuente, seu mortuo testatore, sicuti constat ex l. 2. ff. de condit. & demonstrat. atque ex communi docet Gomez 1. resol. c. 12. n. 61. & 68. Mol. disp. 206.

Speciatim autem quæri potest de hæreditate, vel legato relicto sub conditione matrimonij contrahendi, vel non contrahendi. Qua de re dico primò: Hæreditas, vel legatum relictum sub conditione nuptiarum, ita & non aliter debetur, quàm si matrimonium contrahatur: cùm sit iusta & honesta conditio. Cæterum, si is, 1 cui relictum fuit, Religionem ingrediatur, illud ipsum consequi debet: ob benignam iuris interpretationem, seu præsumptionem, si testatori, vel donatori in mentem venisset de Religione, cogitare, nihilominus legaturum, donaturum fuisse, iuxta Auth. Nisi rogati, C. ad S.C. Trebellian. Verùm, si nulla persona nominata, testator disposuit, vt puellis in matrimonium collocandis, tanta pecunia detur: præsumitur intellexisse de nuptiis propriè dictis, seu carnalibus, vti ex communiore docet Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 33. numero 32. Si tamen expresserit testator, vt legatum v. g. Titiæ obueniat, si nupserit, & Religionem ingressa non fuerit: verisimilius est, standum esse voluntati testatoris: quippe quæ bono etiam fine concepta esse potuit, non ea intentione, vt à Religionis ingressu retraheret: sed quia pro liberorum educatione, & familiæ sustentatione bona temporalia magis necessaria esse testator existimauit. Eadémque ratione, si legata sint ali-

cui ducenta, si vxorem duxerit: centum autem, si Religionem ingressus fuerit, seruandam esse testatoris dispositionem, docent Couar. 1. resol. c. 19. nu. 8. & seqq. Gutierez lib. 1. can. qq. c. 32. nu. 58. Sanchez lib. 1. disp. 34. nu. 12. Mol. disp. 207. quamuis Syl. ver. legatum 1. q. 9. & verb. hæreditas, 4. in fine, Armilla eod. ver. num. 22. Sa ver. legatum, num. 35. & 38. aliique plures contrarium sentiant. Sed prior illa sententia valde probabilis est: tum quia conditio nuptiarum bonis moribus non repugnat, neque iure aliquo reprobatur: tum quia etiam iura primogenituræ, & quædam feuda, præsertim maiora, hanc conditionem annexam habent, vt Clerici, & Monachi eorum capaces non sint. qua de re Couaruuias l. c. num. 11. Sanchez num. 14. Mol. disp. 140. §. regulam suprà statutam. Adde, quòd vice versa, valet etiam conditio adiecta legato, si Titius à nuptiis abstinens, Religiosus, vel Clericus factus fuerit: vel vt accipiat plus, si Religionem ingrediatur: minus verò, si matrimonium contrahat.

13 Dico II. Valida quoque, & obseruanda est conditio apposita legato, vel hæredis institutioni, si nuptias cum certa persona contraxerit, iuxta l. Titio, 1. §. Titio centum, ff. de condit. & demonstrat. & l. 1. Cod. de Institut. & substitut. & ex communi docet Couaruuias 4. decret. p. 2. cap. 3. §. 3. num. 1. Molin. cit. disp. 207. Sanchez disput. 33. conclus. 2. Excipe I. Nisi legitima tali conditione, vel modo grauata sit, vt suprà dictum. II. Si talis persona, quacum matrimonium contrahendum esset, indigna sit, vel honestè ac licitè cum ea contrahi non possit, habebitur conditio pro non adiecta, l. cùm ita legatum, ff. de condit. & demonstrat. vide Sanchez cit. disput. 33. num. 11. & seqq. Ioachim. Mynsing. cent. 6. obseru. 31. III. Si per eandem illam personam stet, quominus nuptiæ celebrentur, vel ante nuptias moriatur: tunc legatarius legatum absolutè consequitur. Est enim hoc speciale in conditione mixta, pendente à duorum voluntate, vt si non ex culpa grauati: sed alterius deficiat, habeatur pro impleta, sicuti præter alios docet Sanchez cit. disp. 33. n. 19. Mol. disp. 206. prope finem, Sa ver. legatum, n. 37. ex l. 1. C. de instit. & substitut.

Id verò intelligi debet, si testator disposuit in fauorem personæ, per quam non stat quominus nuptiæ contrahantur. Sin verò principaliter disposuit in fauorem alterius, videlicet *lego Caiæ 1000. aureos, si Titius vnus ex hæredibus meis nuptias cum ea contraxerit*: tunc videtur legatum corruere, si Titius matrimonium contrahere nolit, sicuti docet Sanchez num. 22. vbi monet cum Syluest. ver. sponsalia quæst. 8. licet pœnam consistentem in perdendo seu minuendo patrimonio aliquis non incurrat, ob factum alterius, si ipse præstitit, quod in se est: incurrere tamen posse pœnam impropriè dictam, quæ consistit in lucro non acquirendo: v. g. dono, vel lego tibi centum, si effeceris, vt Titius cum Caia contrahat: etsi omnem adhibueris diligentiam, atque per solum Titium stet quominus nutiæ sequantur, non consequeris donationem, vel legatum.

14 Dico III. Legatum, vel hæreditas relicta sub conditione, si nuptiæ non contrahantur, reiecta eiusmodi conditione, tanquam Reipubl. & bonis moribus repugnante, absolutè debetur. Ita habetur in l. quoties, l. cùm tale, §. Mæuia, ff. de condit. & demonstr. Similiter si alicui legata sint ducenta, si matrimonio abstinuerit: centum si contraxerit, consequetur ducenta, etiamsi contrahat, l. Titiæ si non nupserit, ff. eod. Et hæc etiam in conscientiæ foro obseruanda esse, docet Syluest. ver. hæreditas, 4. in fine, Couar. 1. resol. c. 19. num. 9. Mol. disp. 207. Sanchez cit. disp. 34. num. 4. aliique communiter, contra Med. quæst. 23. de restit. dub. 3. Gutierez lib. 2. canon. qq. cap. 25. num. 15. Vasquez de testament. cap. 8. num. 32. vbi aiunt: Si clarè constet voluntatem testatoris non fuisse legandi absolutè, sed sub conditione, si nuptiæ non contrahantur: institutum non posse rem legatam accipere, nuptiis contractis. Sed contrarium est probabilius, quia iusta legum dispositio testatoris voluntati præualet.

Limitari debet assertio primò: Quòd valida sit conditio vltimis voluntatibus adiecta, quæ non aufert potestatem matrimonij contrahendi simpliciter: sed ne contrahatur ante tale tempus, vel cum tali persona, ex tali gente, oppido, familia. Qua de re vide Sanchez cit. disput. 34. q. 2. conclus. 5. Mol. cit. d. 207. Secundò: Valet conditio nuptias prohibens, si adijciatur legato relicto viduæ, vel viduo, iuxta l. 2. C. de indicta viduitate, Authen. de nuptiis, cap. 23. §. quæ verò, collat. 4. & docet Couar. in 4. decret. p. 2. c. 3. §. 9. Mol. disp. 207. Sanchez cit. quæst. 2. in princ. Tertiò: Si virgini legatum sit sub conditione, si à nuptiis abstinuerit: alioquin legatum transferatur ad piam causam, valebit talis dispositio, teste Tiraq. de priuilegiis piæ causæ, priuil. 18. Sanchez l. c. concl. 4. Ratio est: Quia quòd conditio non contrahendi matrimonium ab vltimis voluntatibus tanquam inutilis reijciatur, id non ex iure naturali, sed ciuili proficiscitur: ciuiles autem dispositiones causis piis nihil præiudicij adferunt, nisi canonico iure approbatæ sint. Quartò: Si conditio non contrahendi matrimonium adiecta sit fauore status religiosi, aut sacerdotalis: videl. Lego mille aureos Caio, si à matrimonio abstinens, Religiosus factus fuerit, aut sacros ordines susceperit. Ita Molin. cit. disp. 207. ver. si hæreditas, aut legatum.

Ex eadem assertione tertia colligitur primò: Conditionem illam adiectam legato, &c. vt matrimonium non contrahatur, nisi accedente alterius consensu, vel arbitratu, similiter reijci tanquã inutilem: quia matrimonij bertati obstat. Habetur in cit. l. cùm tale, §. si arbitratu, ff. de condit. & demonstrat. Cæterùm honesta atque seruanda conditio est non contrahendi matrimonij sine consilio talis personæ: quia id libertatem non tollit: cùm consilium petere quidem, sed non sequi necesse sit. qua de re Sanchez cit. q. 1. concl. 8. Sa ver. legatum, n. 35.

Secundò colligitur, legatum vel hæreditatem alicui relictam sub conditione, si Religionem ingressus non fuerit, tanquam non adiectam haberi, sicuti docet Medina cit. q. 23. dub. 3. & alij communiter apud Sanchez cit. q. 1. n. 11. licet ipsemet contradicat. Sed probatur: tum quia matrimonium spirituale per Religionis professionem, æquiparatur carnali: tum quia conditio, quæ à maiore Religionis bono directè auocat, bonis moribus repugnat: ideóque in vltimis voluntatibus tanquam inutilis reijcitur. Dico, *quæ directè auocat*: Nam aliud sentiendum, si conditio indirectè tantùm & per accidens à Religione auocet: per se autem ac directè ad bonum matrimonij inuitet, sicuti suprà dixi n. 12.

Hoc loco dubium moueri potest. Si coniunx morienti coniugi promiserat, quòd à secundis nuptiis abstinere velit, vtrum promissione obligetur? Respondeo: Vel maritus v. g. moriturus vxorem suam ex absoluta promissione obligare voluit ad viduitatem seruandam, vel sub conditione donationis aut legati: v. g. *concedo illi vsumfructum fundi, si à secundis nuptiis abstinuerit*. Priore casu arbitror dicendum esse: si incontinentiæ periculum postea immineat viduæ, vt consultum ei videatur nubere, solutam esse obligatione promissionis: quia non censetur obligare se homini voluisse cum tanta difficultate. Sin autem facilè ac laudabiliter statum viduitatis seruare possit, puto obligatam esse vi promissionis factę: ideóque peccaturam, si fidem temere violet: quandoquidem omnis promissio obligat, quę obiectum honestum ac possibile habet.

Quæres: Vtrum mortaliter peccabit, an venialiter? 15

Resp. plerumque tantùm venialiter; si iuramentum non accessit, de quo vide Sanchez lib. 7. disp. 88. n. 37. Ratio est, quia præsumendum est, noluisse se obligare ex iustitia; sed tantùm ex virtute fidelitatis obligantis sub veniali, de quo vide Sa ver. promissio, n. 2. Sed etsi ponamus, voluisse se ex iustitia obligare; quia erat reciproca promissio inter virum ac mulierem non transeundi ad secundas nuptias post mortem alterius; excusari tamen potest à peccato mortali ob leuitatem materiæ: quia exiguum damnum censetur; quod coniugi mortuo per id infertur; nisi fortè liberi ex ipso superstites sint, quibus graue damnum ex tali matrimonio accidet: quo ipso casu, si promissio iuramento confirmata est, eius relaxatio facilè & sine causa fieri non debet. Sin autem defunctus vxorem suam non simpliciter obligare voluit ad viduitatem; sed sub conditione, si legato potiri velit, tunc non solùm in externo: sed etiam conscientiæ foro alterutrum debet præstare vxor relicta; vel abstinere à nuptiis; vel si ad secundas nuptias trãsire velit, carere legato; aut si illud iam accepit, restituere, sicut constat ex Auth. cui relictum, C. de indicta viduitate, & docent DD. communiter apud Sanchez lib. 1. disp. 34. lib. 7. disp. 91. n. 5.

CAP. XI.

De executione testamenti, aliarúmque vltimarum voluntatum.

SVMMARIVM.

1 *Si nullus à testatore executor nominatus est, ad hæredem executio spectat: nisi quòd in quibusdam casibus executio ad Episcopum spectat, communi iure.*

2 *Qui executor à testatore nominatus est, non cogitur hoc munus suscipere: sed priuandus est commodo, quod ex dispositione testatoris ipsi prouenturum esset.*

3 *Fratres Minores de obseruantia executores testamentorum esse non possunt; alij verò Religiosi non nisi cum licentia Prælati. Sed in Societate Iesu requiritur ad hoc dispensatio Præpositi generalis.*

4 *Facultate, quam Ordinis Prælatus subdito dare potest, etiam ipsemet vti non prohibetur.*

5 *Si Religiosus contra canonum decreta executor testamentarius sit, acta eius valent.*

6 *Clericus, vel Religiosus testamenti executor, legatum inter pauperes, vel ad causas pias distribuendum, Monasterio, vel Ecclesiæ suæ applicare potest.*

7 *Non videtur executor sibi ipsi applicare posse legatum pauperibus relictum; tametsi ipsemet pauper sit.*

8 *Legata ad causas pias ob incertitudinem loci, ecclesiæ &c. caduca non fiunt: sed plerumque pauperiori ecclesiæ, xenodochio, &c. danda erunt.*

9 *Si indeterminatè legata sit res à natura terminos non habens, sed ex arte, industria hominis; sufficit dare, quod in eo genere pretij minimi est: nisi coniectura sumi possit, aliud testatorem voluisse. Idque etiam in legatis piis locum habere, improbabile non est.*

10 *Legata pia, si ad vsum à testatore destinatum applicari nequeant, ad alium pium vsum adhiberi debent.*

11 *Legata ad alium vsum, contra, aut præter defuncti voluntatem applicari non possunt, nisi per dispensationem summi Principis ex iusta causa. Interdum tamen ad Episcopum, atque hæredem, vel executores pertinet interpretari, non alienum fore à voluntate defuncti, si mutatio fiat.*

12 *Hæres, aliique executores, si negligant, aut longo tempore differant soluere legata, præsertim pia, grauiter peccare censendi sunt.*

13 *Hæredem, vel executorem negligentem, si laicus sit; vterque iudex, Ecclesiasticus, & secularis, compellere potest ad exequendas vltimas voluntates defunctorum.*

14 *Legatarius post aditam hæreditatem rei sibi legatæ dominus efficitur.*

15 *Si nemo sit, qui legata, præsertim pia, exigat, aut exigere possit, ad iudicem pertinet hæredem compellere, vt soluat.*

1 QVÆSTIO PRIMA. Quisnam possit, vel debeat esse executor testamentorum? Respondeo, & dico I. Si nullus testamenti executor à testatore nominatus est, ad hæredes executio pertinet, etiam quod attinet ad legata pia, sicuti colligitur ex c. nos quidem, &c. si hæredes, de testam. Excipiuntur tamen legata pro redemptione captiuorum, & alimentis siue eleemosynis pauperum; horum enim executio ad Episcopum, tanquam patrem pauperum, & miserabilium personarum, si nullus alius executor relictus est, spectare debet, secundùm Authent. de Ecclesi. tit. §. si quis pro redemptione, & l. nulli, C. de Episc. & docet Abb. in cit. c. nos quidem. n. 4. Couar. n. 11. Mol. disp. 247. Spectanda tamen hac in re est cuiusque loci consuetudo.

Dico II. Executores testamenti à testatore constitui possunt vnus, vel plures; siue ex hæredibus, siue ex aliis: & non tantùm masculi, sed etiam fœminæ, sicuti colligitur ex cit. c. nos quidem, & l. à filio, ff. de alimentis legatis. Et non tantùm laici, sed etiam Clerici, ac Religiosi, c. tua nobis, c. Ioannes, de testamentis: quandoquidem executio iustæ voluntatis defuncti inter pia opera numerari solet.

Dico II. Is, cui à testatore munus executoris seu ad 2
pias, seu profanas causas, demandatum est, suscipere illud non cogitur; sed postquã semel suscepit, secundùm eiusdẽ defuncti voluntatem exequi cõpellitur. Colligitur ex cit. c. Ioannes, & docet ibid. Gl. ver. mandatũ susceptũ, Abb. n. 5. Porrò si executori aliquid in præmiũ, ac veluti sub cõditione, ac modo obeundi muneris relictũ fuerit, ipso iure amittit, si munus suscipere recuset. Sin autem ipsemet hæres, vel legatarius oneratus sit iussum testatoris exequi: tunc nisi obediat, priuandus est à Iudice omni cõmodo, quod ex testamento ipsi prouenturũ esset, vti habetur in Auth. de hæredibus & Falcidia, §. his igitur à nobis. Auth. hoc amplius, C. de fideicommissis, & c. licet de voto, vbi hæres nolens exequi votũ, cuius executio ipsi à patre iniuncta fuerat, hæreditate paterna priuandus dicitur. Eadémque ratione, si is, cui aliquid à defuncto legatum, ab eodémque tutor testamentarius liberorum nominatus est, tutelam suscipere recuset; commodo seu legato, quod alioquin ex testamento capturus esset, priuandum fore, ex communi docet Mynsing. cent. 6. obser. 87.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum Religiosi testamento- 3
rũ executores esse possint? Respondeo, & dico I. Fratribus Minoribus de obseruantia munus executoris testamẽtarij omnino prohibitũ est, vt neq; eorum Prælati dispensare, seu licentiã dare possint; Clement. Exiui, §. proinde cùm vir, de verbor. signif. vbi tamen adiũgitur, quòd *in exequendis* testamentis *consilium dare eorũ statui non obsistit: cùm ex hoc ipsis circa bona temporalia nulla iurisdictio, siue actio in iudicio, siue dispensatio tribuatur*. Ex quo rectè inferunt Angelus ver. executor, n. vlt. Couar. c. tua, n. 1. de testam. Rodriq. t. 3. Regul. q. 70. art. 2. Sanch. lib. 6. moral. c. 11. q. 2. n. 32. Si testator præceperit executoribus, vt aliquod legatum, v. g. inter pauperes distribuant; cum consilio vel electione Fratrũ Minorũ; quòd executores ex quadam morali æquitate consilium requirere, & electionem sequi debent: si Prælatus, seu Guardianus licentiã det operi huic promouendo, quod secundùm se piũ est, & nullã ferme occupationẽ, distractionémq; adferens. At verò ex necessitate sequi non tenentur executores directionem Fratrum: alioquin ipsi potiùs executores forẽt quoad effectũ, aliíque eorũ ministri, & subordinati: quod fieret in fraudẽ canonis, vti bene docet Syl. ver. testã. 2. q. 2. dicto 7. & sequitur Molina t. 1. tr. 2. disp. 237. ver. Illud est obseruãdum. Quamobrẽ si testator cõditionẽ apposuit, vt, nisi consiliũ Fratrũ executores petant, vel sequantur, irrita sit executio: hoc casu corruet ipso iure nominatio executoris, quippe facta sub forma iure prohibita, & impossibili reputata.

Dico II. Alij Religiosi testamentorum executores esse non possunt, seu ad pias, seu ad profanas causas, nisi cum licentia Prælati; qui in exemptis Ordinibus est regularis Prælatus Monasterij; in non exemptis Episcopus. Constat ex c. 2. de testam. in 6. Clement. vn. eod. tit. In Religione autem Societatis Iesu hanc licen-

tiam solus Generalis Præpositus ob casum necessitatis dispensatiuè concedere potest, vti habetur p.6.Constit.c.3. §. 7. in declarat. lit. D.

4 Veruntamen ipsimet Ordinum Prælati executores testamentorum esse non prohibentur, ob generalem regulam Syl. lo. cit. Rodriq. cit. q. 70. a. 1. Sanchez num. 5. §. Religiosus tamen: Quòd facultatibus, quas Prælatus Monasterij subditis concedere potest, eisdem ipsemet vti non prohibetur, nisi à superiore ipsi interdictum, vel aliud statuto Ordinis decretum sit. Deinde si Regularis extra obedientiam actualem viuat, seculari Ecclesiæ addictus, executor testamenti esse poterit: cùm esset in eo ratio prohibitionis, teste Gl. in cit. c. 2. ver. Religiosus, Sanchez n. 4.

Porrò si Religiosi claustrales testamenti executores fuerint, rationem reddere debent locorum Ordinariis: à quibus etiam puniri poterunt, si in executionis officio deliquisse reperiantur: quamuis alioquin à iurisdictione illorum exempti sint. Ita habetur in cit. Clement. vn. de testam.

5 Dubitant verò Doctores primò: Si Religiosus quicunque contra canonum prohibitionem, testamenti, aut cuiuscunque vltimæ voluntatis executor sit, vtrum gesta eius valeant, si exceptio defectus potestatis in iudicio ipsi non obijciatur? Et probabilior est responsio: Quòd valeant gesta: cùm adsit, spectato iure naturali, sufficiens voluntas testatoris, & executoris: neque canones infirment, quamuis prohibeant, sicuti bene docet Sanch. nu. 44. argu. l. filiusf §. veterani, ff. de Procurat. vbi habetur: Tametsi miles procurator in iudicio esse non possit, si tamen non repellatur, acta eius valere: licet contrarium sentiant. Syl. Couar. Molina, ll. suprà cit.

6 Dubitatur secundò: Vtrum Religiosus testamenti executor legatum inter pauperes, aut causas pias distribuendum Monasterio suo applicare possit? Eadémque ratio est de Clerico beneficiato, comparatione Ecclesiæ suæ. Responsio est affirmatiua, apud Syl. ver. testamentum, 2. q. 2. dicto 5. Rosel. ver. restitutio, 15. num. 8. Sanchez lib. 6. c. 11. num. 59. Quia nulla ratio afferri potest, cur non liceat æquè Monasterio indigenti, quàm alteri causæ applicare: nisi quia in causa propria executionis auctoritatem præberet. Sed hæc ratio non obstat: quia causa Monasterij distincta est à causa, seu persona Professi: sicuti & causa Ecclesiæ cuiuscunque distincta est à causa beneficiati. Quare eadem ratione quilibet executor iussus pauperibus dare, potest tribuere consanguineis suis verè indigentibus, etiam propriis filiis, quamuis illegitimis, aut spuriis: quia euidens est distinctio inter dantem ac recipientem, vti docent Gl. & Rotella ll. cc. Sanchez n. 52. & 55.

7 Quòd autem sibiipsi executor eleemosynam applicare non possit, si testator notam habuit ipsius paupertatem, videntur supponere plerique Doctores; propterea, quòd testator, si sciuisset eum capacem esse legati, expressè ei aliquid reliquisset, & non tali modo capiendi potestatem fecisset. Qua simili ratione docent DD. apud Sanchez nu. 55. quòd is, cui potestas commissa est eligendi successorem primogenituræ, seipsum eligere non possit. Sin verò testator ignorauit paupertatem executoris, vel ea postea superuenit, hoc casu non minùs sibiipsi, quàm aliis pauperibus, ex legato inter pauperes distribuendo applicare poterit, secundùm præsumptam voluntatem domini. quo casu vera est sententia S. Thom. 2. 2 q 32. a. 9. ad 3. iun. Caiet.

QVÆSTIO TERTIA. Quomodo relicta incerta executioni mandanda sint? Respondeo & dico I. Si incertitudo sit ex parte personæ, v. g. legatarij; quia duo eodem nomine appellantur; neque ex coniecturis colligi possit, de quo testator locutus fuerit; ciuili iure corruit legatum, l. si fuerit, l. si quis pluribus, ff. de rebus dubiis, l. duo sunt Titij, ff. de testam. tutela. Quamuis Mol. disput. 197. existimet, in conscientiæ foro legatum hoc casu inter vtrumque secundùm proportionem dubij, diuidendum fore: quia æquitas naturalis sic exigat. Responderi tamen potest, etsi ita sentiendum sit, spectato iure naturali præcisè; tamen ciuilibus legibus contrarium statutum fuisse, boni publici causa; tùm ad litium occasionem auferendam; tum ad excitandum studium testantium, vt voluntates suas clarè, non ambiguè exprimant; si sciant, alioquin irritas, & inefficaces fore.

Excipienda autem sunt legata ad pias causas, quæ ob incertitudinem loci, Ecclesiæ, &c. caduca non fiunt, sicuti habetur in Auth. de Ecclesiasticis titulis, cap. 6. *Si quis in nomine magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi hæreditatem, aut legatum reliquerit; iubemus Ecclesiam loci illius, in quo testator domicilium habuerit, accipere, &c. Si quis autem vnum Sanctorum hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit, & non specialiter nominauerit locum, in quo est venerabilis domus, inueniantur autem in eodem loco, aut ciuitate plura oratoria eiusdem Sancti, illi magis domui, quæ pauperior est, præbeatur. Si autem non est in ciuitate basilica nominati Sancti inueniatur autem in territorio eius, illi detur: Si autem neque in territorio eius reperitur eiusmodi domus: tunc ecclesiæ ciuitatis* (siue Parochiæ) *in qua testator domicilium habuerit, præbeatur.* 8

Simili modo, si aliquid absolutè & sine expressione loci pauperibus, vel ecclesiæ ædificandæ legatum fuit, executionem fieri oportet in loco: vbi testator domicilium habuit, l. si quis ad declinandam, C. de Episc. & Clericis. Nisi sit extraneus, vt domicilium eius ignoretur, vel multùm distet: tum dabitur pauperibus loci, vbi mortuus est, arbitrio Episcopi eiusdem loci, si defunctus alium executorem non designauit, sicuti habetur in l. nulli, C. de Episc. & Clericis, & in cit. §. si quis autem pro redemptione captiuorum, & tradit Mol. t. 1. tr. 2. disp. 157.

Deinde statuitur in cit. illo §. Si quis in nomine, & notat Gl. in c. indicante, de testam. Si in aliquo testamento, vel legato dubium sit, ex duobus locis piis, vtri conferendum; seu propter incertitudinem verborum, seu propter hæreditatis insufficientiam, tunc locum pauperiorem, & magis indigentem præferri oportere. quod etiam notauit Lud. Miranda in man. t. 1. q. 32. a. 8. vbi ait; Monasteria Monialium, quippe quæ plerumque indigentiores sunt, præferenda esse Monasteriis virorum.

Præterea, si quippiam absolutè ac generatim relictum pro pauperum alimentis, videtur esse in arbitrio executorum: vel, si nulli executores constituti sunt, in arbitrio Episcopi, distribuere in eos, qui verè pauperes sunt, sicuti colligitur ex cit. Authent. si quis autem, & docet ibi Gl. marginalis ex Bartolo. Bene etiam admonet Palud. in 4. d. 15. q. 3. a. 7. concl. 4. Nomine pauperum tales intelligendo esse, qui victum incertum habent ex eleemosynis fidelium: non autem ea Xenodochia, vel Religiosorum Monasteria, quæ ex fidelium eleemosynis collectum annuum sufficientem victum obtinent. Hæc tamen omnia, quæ dicta sunt, intelligi debent, nisi coniecturæ adsint, ex quibus probabiliter cognosci possit, quænam fuerit determinatè voluntas testatoris: hæc enim inprimis attendenda est, sicuti notat Abb. c. nos quidem, de testam. num. 13. & c. 4. num. 4. Couar. ibidem num. 2. Mol. t. 1. tr. 2. disp. 197. prope finem.

Dico II. Si incertitudo sit ex parte rei, refert, vtrum ea certos fines ac terminos à natura habeat: vtputa si legatus sit bos, equus. An verò terminum ac finem non habeat à natura: sed ex arte & humana industria, vt domus, vestis, scutella. Priore casu, danda est vna ex mediocribus, l. legato generaliter, ff. de legatis, 1. Vbi Gloss. ver. *pessimus* addit, distinguendum esse in tali casu: vtrum 9

eiusmodi rerum genus sit in patrimonio testatoris: tunc electionem pertinere ad legatarium: dummodo non eligat meliorem, iuxta §. si generaliter, iuncta Gloss. ver. electio legatarij, Institut. de legatis. Et facta semel electione, non potest deinde mutato animo aliam rem eligere, l. serui electione, in princ. ff. de legat. 1. Sin verò non sit in patrimonio testatoris, pertinet electio ad hæredem: quia res aliena non potest optari, aut vindicari, ait Abb. in c. indicante, num. 5. de testament. Posteriore autem casu electio pertinet etiam ad hæredem, qui rem in eo genere quamuis minimam dando liberatur, l. legato, l. si ita scriptum, in fine, ff. eod. Idémque sentiendum de rebus legatis in numero, pondere, vel mensura consistentibus: nam sufficit, quod in eo genere ac quantitate minimum est, tribuere, l. 3. ff. de tritico, vino, & oleo legato. Dummodo non recedatur à verborum proprietate, aut consuetudo vsu: multóque minùs à testatoris voluntate, si ea ex coniecturis colligi possit, sicuti habetur expressè in l. numis, ff. de legatis, 3. *Numis in distinctè legatis, receptum est, vt exiguores legati videantur, si neque ex consuetudine patrisfam. neque ex regione, vnde fuerit, neque ex contextu testamenti possit apparere.*

Excipiunt autem DD. communiter ab hac assertione legatum ad piam causam, quod si indeterminatè factum sit, nec appareat, quale testator intellexerit, præstandum esse quod in tali genere melius est. Ita enim docet Bart. in l. Titia, §. Seia, ff. de auro & argento legato Abb. c. indicante, de testam. nu. 6. & in c. ex parte, n. 4. de censibus, Couar. in cit. c. indicante, nu. 5. Contrarium tamen non improbabiliter cum Baldo & aliis apud Couar. l. c. respondent Molina disp. 198. Sanchez lib 4. moral. c. 13. n. 8. & c. 15. nu. vlt. Etiam in legatis piis indeterminatè factis sufficere præstare rem, quæ in eo genere minimi pretij est. Nam in dubio melior est conditio domini possidentis, qui proinde nullo iure soluere cogitur, nisi ostendatur debitor. Atqui, si res aliqua indeterminatè legata sit ad causam, seu piam, seu profanam: tunc hæres post aditam hæreditatem, omnium rerum defuncti dominus, & possessor existit: Ergo soluere non tenetur legatum, nisi secundùm eum valorem, quo certò, vel probabiliter constat, à defuncto obligatum fuisse. Accedit, quòd ipsemet testator, si quippiam Ecclesiæ promiserit, in dubio satisfacit præstando rem in eo genere minorem, iuxta cit. c. ex parte, de censibus: Ergo similiter hæres, personam defuncti repræsentans. Illud tamen valde probabile est, quod idem Ab. tradit in cit. c. ex parte, nu. 5 Licet ciuili iure vitietur promissio, vel legatum ob nimiam generalitatem: vt si quis promisisset triticum, quia dando modicam quantitatem liberaretur, l. triticum, ff. de verb. obligat. Tamen secundùm æquitatem canonicam, si appareat, voluntatem promissoris, vel testatoris fuisse obligationem aliquam inducendi, vir bonus in causis piis arbitrari debet, quid, spectatis circunstantiis, dandum sit.

QVAESTIO QVARTA. Vtrum voluntates defunctorum, præsertim circa relicta ad causas pias, ab executore, vel Episcopo in alium pium vsum interdum commutari possint? Respondeo, & dico I. Si legata pia ad eum 10
vsum pium, quem testator voluit, nequeant applicari, nō ideo caduca fiunt: quia principalis intentio fuerat in salutem animæ, ad honorem Dei relinquendi: quare arbitrio Episcopi, & executorum ad aliam piam causam applicanda sunt: ita tamen, vt quatenus fieri potest, defuncti voluntas impleatur. Habetur in c. nos quidem, de testam. & notat ibi Couar. n. 12. Abb. n. 6. vbi admonet: *Si pecunia relicta à testatore ad monasterium construendum, non sufficeret, debet conuerti in alium pium vsum: sed vnum semper nota, quòd ista conuersio non potest fieri per solum hæredem: nec per solum Episcopum: sed per vtrumque.* Excepto, si hæres, vel alius executor in tali casu Episcopo sine iusta causa consentire recuset: tunc eo etiam inuito, Episcopus propositum suum exequi poterit, sicuti colligitur ex cit. c. nos quidem, & cum Felino docet Rochus de Curte de iure patronatus, in 6. definitionis verbum, nu. 32. Couar. cit. c. nos quidem, num. 3. Præterea, si cuipiam pauperi, vel Religioso relictum fuerit, non in fauorem eius personæ, sed in salutem animæ, seu tanquam ob piam causam (quod in dubio præsumitur) tunc etsi personæ illi dari non possit, ad alium pium vsum conuerti debet, sicuti docet Abb. in cit. c. nos quidem, num. 14. Mol. disput. 294. argum. l. legatum, ff. de vsufructu legato.

Dico II. Si voluntas defuncti iustè & honestè imple- 11
ri potest, non est concessum executoribus, vel Episcopo eam in aliud opus, quantumuis melius videatur, commutare, sicut constat ex c. conquestus, de foro competente, c. quia nos, de testam. & c. 4. causa 13. q. 2. ex S. Gregor. 1. lib. 3. epist. 9. refertur, quòd *vltima voluntas defuncti modis omnibus seruari debet.* Et in Clem. quia contingit, de religios. domibus: *Cùm ea, quæ ad certum vsum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salua sedis Apostolicæ auctoritate, conuerti.* Consentit Trident. Concil. sess. 22. c. 6. de reformat. vbi inprimis supponitur, commutationes vltimarum voluntatum non nisi ex iusta, & necessaria causa fieri oportere à sede Apostolica: Additur verò, si eiusmodi commutationum executio Episcopis à sede Apostolica delegetur, quòd talem executionem priùs facere non debeant, quàm summariè & extraiudicialiter cognouerint, nihil in precibus summo Pontifici oblatis, subreptionis incurrisse: qui est verus sensus dicti cap. 6. apud Lud. Molinam t. 1. tr. 2. de iustitia, disput. 249. col. 3. Eáque simili ratione in ciuili iure prohibitum est, l. 1. & 4. ff. de administrat. rerum ad ciuitates pertinentium: Ne res ciuitati, vel municipio legata in aliam rem, quàm defunctus voluerit, citra Principis auctoritatem, conuertatur. Meritò autem excipitur Principis suprema potestas: quippe cùm is toti Reipublicæ præpositus, quæ ad eius commodum spectant, prouidere debeat: ac proinde ob eandem causam, si in relictis Ecclesiæ modus aliquis, vel conditio adiecta fuerit, quæ congruere non videatur: ea tanquam inutilis adiectio sum. Pontificis auctoritate declarari potest, sicuti docet Driedo lib. 2. de libert. Christiana, c. 4.

Excipiendum tamen arbitror, nisi causa aliqua vel de nouo incidens, vel ignorata à testatore subsit, quam si testator præuidisset vel cognouisset, aliter disposuisset: & nunc quoque, si viueret, contentus esset legatum pium in alium vsum, quàm destinarat, conuerti: quod secundùm epikeiam interpretari ad Episcopum, & hæredem, aliósque executores pertinet: v. g. si testator leget Ecclesiæ pecuniam ad vasa sacra conficienda: & Ecclesia illa non indigeat vasis sacris, sed potiùs casulis. Qua etiam ratione defendi potest, quod docet Couar. in c. tua, num. 12. de testam. *Auctoritate Episcopi posse pecuniam à testatore in certum vsum pium, non ita necessarium, destinatam, expendi in alium item pium vsum magis Christianæ Reipub. ac Religioni necessarium, cui necessitati aliunde subueniri nequeat absque magna difficultate.* Et Sa ver. testamentum, num. 33. *Potest Episcopus, cum consensu executorum, conuertere in maiorem publicam necessitatem, quod in minorem erat relictum: item quod non potest commodè fieri, in aliud conuertere.* Hæc enim intelligenda esse arbitror, non de propriè dicta dispensatione: quippe circa supremas voluntates ad summum Principem spectat: sed de interpretatione secundùm epikeian, quòd in tali casu commutatio legati non fiat contra voluntatem defuncti. Ponamus enim v. g. testatorem alicui Ecclesiæ legasse aureos 100. quia indigebat ornamentis, vel restauratione: postea verò non indigeat, quia ab alio interim dotata est: hoc casu poterit Episcopus, cum hæredis, vel executorum consensu, pecuniam conuertere in alium similem pium

pium vsum, qui magis necessarius videbitur.

Porrò in aliis legatis ad causam profanam, & priuatam faciliùs commutatio fieri potest, consentiente non tantùm hærede, sed etiam legatario, quippe qui iuri ac fauori suo renuntiare potest. Vide Syl. ver. legatum, 2. q. 11. & 13. Ioan. Molanum tract. de testam. piis, c. 72.

QVÆSTIO QVARTA. Intra quod tempus hæres, aliíque executores defuncti voluntatem exequi debeant: & quis eos ad executionem compellere possit?

12 Respondeo, & dico I. Hæres, aliique executores, post hæreditatem aditam, & inuentarium confectum, statim tenentur soluere legata, & alia exequi, quæ defunctus præceperat: nisi iusto impedimento excusentur. Ita habetur in c. si hæredes, de testam. vbi Abb. n. 5. Couar. n. 4. Mol. disp. 251. §. dubium item est, Syl. ver. testamentum, 2. q. 6. & 9. Pet. Nau. lib. 3. de restit. c. 4. n. 165. Causam autem iustam differendi aliquamdiu executionem legati pij commemorat S. Th. quodlib. 6. a. 14. Vt res defuncti maiore pretio vendi, & ampliores eleemosynæ in pauperes secundùm defuncti voluntatem distribui possint: secùs, si longo tempore expectandum sit, & non multò maior pecunia prouentura existimetur. Rectè enim notant Syl. & Pet. Nau. hęredem, atque executores, si diu differant solutionem legatorum, grauiter peccare non tantùm aduersus eos, quibus relicta sunt: sed etiam interdum aduersus defunctum, si tardè, vel non integrè præstentur legata pia, & eleemosynę relicta in remedium animæ, per sacrificia, orationes, aliáque fidelium suffragia: quin & ipsamet executio legati pij, puta actualis largitio eleemosynę, non parum momenti habet ad satisfaciendum pro peccatis defuncti, cuius nomine ac voluntate fit: qua de re S. Th. quodlib. 9. a. 13. & Gabr. in can. Missę lect. 58.

13 Dico II. Spectato iure communi Iudex tam Ecclesiasticus, quàm secularis compellere potest hæredem, vel executorem laicum ad exequendas vltimas voluntates, si negligat: quare officium huius iurisdictionis est mixti fori, datúrque locus pręuentioni, sicuti notauit Abb. in cit. c. si hæredes, num. 3. & in repet. c. cùm esses, n. 32. de testam. quibus locis specialiter ostendit, ad Iudicem Ecclesiasticum hoc spectare etiam in relictis ad causas profanas. Nam Iudex Ecclesiasticus subuenire debet personis miserabilibus, & destitutis omni auxilio, c. super quibusdam, de verb. signif. Sed defunctus omni auxilio destitutus, & idcirco miserabilis persona censetur: cùm causam ipsemet suam agere non possit. Ergo, &c.

Pœnas autem negligentibus executoribus iure statutas legere potes apud Abb. & Couarruu. in cit. cap. nos quidem, & cap. si hæredes, Syluest. verb. testam. 2. quęst. 6. & 8. Molin. dispu. 251. Videlicet, vt si intra medium annum, à die publicationis testamenti numerandum, cessante legitimo impedimento legata pia exequi neglexerint, postea eadem soluere cogantur cum omnibus fructibus & emolumentis, quæ à die mortis testatoris percipi poterant, iuxta cit. cap. si hæredes, Authent. de Ecclesiast. titulis, §. si autem legatum. Insuper, si bina etiam monitio ab Episcopo facta accesserit, priuentur omnibus commodis in testamento sibi relictis, vti habetur in cit. Auth. §. si quis autem pro redemptione. Sin autem hæres perperam neget legatum fuisse ad pias causas, & in ea negatione perseueret vsque ad sententiam, condemnandus est in duplum, §. item mixta, Instit. de action. iuncto Abb. in cit. c. si hæredes, n. 5.

Denique si hæredes, aut alij constituti executores legatorum, aliorúmve relictorum, seu ad pias, seu ad profanas causas, intra annum post monitionem à Iudice seu Ecclesiastico, seu seculari factam, exequi intermiserint, omni commodo (excepta sola legitima, si hæredes necessarij sint) ex testamento ipsis proueniente priuantur, iuxta Auth. hoc amplius, C. de legat. & fideicommiss. & Authent. de hæredib. & Falcidia, §. si quis autem. Non obligat tamen hæc pœna in conscientia ante Iudicis condemnationem, vti annotauit Couar. in cit. cap. si hęredes, num. 9. contra Gl. in cit. §. si quis autem, ver. auferri.

Dico III. Legatarius cùm primùm hæreditas adita est, instituere potest actionem non tantùm personalem ex testamento aduersus hęredem, sed etiam realem vindicationis; quippe cùm ex eo tempore rei in specie legatæ dominus existat; & perinde quidem secundùm iuris fictionem, ac si statim post mortem testatoris recta via ad ipsum rei legatæ dominium transiisset, l. à Titio hærede, ff. de furtis, iunct. Gloss. verbo, recta via, & l. si tibi homo, §. cùm seruus, ff. de legatis 1. Adde, hypothecariam quoque actionem, in securitatem ac subsidium, legatario competere in omnes res hæreditatis, & aduersus quemcunque earum possessorem, sicuti habetur in l. 1. C. communia de legatis, & docet Abb. c. si hæredes, n. 2. de testam. Gomez 1. resol. c. 12. n. 7. & 8. Mol. to. 1. tract. 2. disp. 3. Idque verum esse admonent de personali, & hypothecaria, seu quasi Seruiana actione, siue res legata sit in specie, puta *hic equus*: siue in genere, *aliquis equus, tot mensuræ tritici*. 14

Quòd si nemo adsit qui petat, vel petere possit legata, præsertim ad causas pias, Iudex tam Ecclesiasticus, quàm secularis ex officio hæredem compellet ad solutionem, sicuti colligitur ex c. nos quidem, de testam. vbi Abb. num. 5. notat; Etsi fratres Minores agere non possint in iudicio ad solutionem legatorum; cùm pro nulla re temporali iudicio experiri ipsis liceat, c. exijt, §. cæterum cùm in eadem, de verb. signif. in 6. ad Iudicem tamen ex officio suo pertinere, vt hæredem ad eiusmodi legata Fratribus soluenda adigat: quamobrem interdum Syndicus constituitur, qui nomine Ecclesiæ Romanæ petat: deinde ipsamet ciuitas, eiúsve Syndicus ad præstandum legatum tanquam pauperibus, compellere potest, argum. l. ciuitatibus, ff. de legatis, 1. Denique etiam ipsimet Fratres extra iudicium admonere Iudicem non prohibentur, vt officij sui memor ad talia soluenda legata hæredem cogat, teste Rodriq. t. 2. regul. q. 126. a. 4. in fine, Sanchez lib. 7. moralium, c. 26. num. 62. Atque simili ratione, si Domui professæ Societatis Iesu, illiúsve ecclesiæ eleemosyna annua perpetua, vel ad tempus longum relinquatur; licet eiusmodi reditus in iudicio exigendi, vel administrandi potestatem Societas non habeat; tamen Iudex tum Ecclesiasticus, tum ciuilis, ex officio compellere deberet hæredem ad soluendum; atque ciuitas, eiúsve Syndicus, aut quiuis è populo agere posset, vt ea soluantur, tanquam quæ pauperibus relicta sunt, ait Sanchez cit. lib. 7. cap. 27. num. 10. 15

Dico IV. Executores quoque agere possunt in iudicio ad legata pia implenda, tum aduersus hæredem, tum etiam aduersus alios bonorum hæreditatis possessores, modo suprà dicto. Ita ex l. nulli, l. si quis ad declinandam, C. de Episc. & Clericis, docet Abb. c. Ioannes, de testam. n. 4. Couar. n. 5. Syl. ver. testamentum, 2. q. 5. dicto 2. Mol. disp. 148. §. quòd ad vltimum. Ad alia verò non pia legata consequenda, qui meri executores testamenti sunt, nullam actionem instituere possunt; sed solùm Iudicis officium contra hæredem negligentem implorare debent, sicuti constat ex l. Lucius, §. Mæuia, ff. ad SC. Trebellian. l. hæreditas, ff. de petit. hæred. & docet Abb. in cit. c. Ioannes, n. 4. aliíque suprà citati.

CAP. XII.

De sepultura, & Portione canonica.

SVMMARIVM.

1 *Locus sepulturæ Ecclesiasticæ est ecclesia, & cœmiterium.*
2 *Incumbit præceptum misericordiæ sepeliendi fidelium corpora, si nemo alius adsit, qui sepeliat.*
3 *Ius sepulturæ communi iure competit ecclesiis parochialibus; ex priuilegio etiam aliis.*
4 *Religiosis, & Clericis sæuerè prohibitum est, ne quemquam ad vouendum, aut iurandum inducant, vt potiùs in ipsorum ecclesia sepulturam eligat.*
5 *Puberes, qui liberum arbitrium habent, sepulturam extra parochiam eligere possunt.*
6 *Religiosi ius sepulturæ eligendæ non habent, nisi à Monasteriis, vel Collegiis multùm dissiti decedant: Nouitij autem sepulturam eligere arbitratu suo possunt.*
7 *Prælati Ordinum, qui Superiorem Ordinis sui nullum habent, sepulturam etiam extra Monasterium deligere possunt.*
8 *Qui nulla electa sepulturâ decessit, sepeliendus est in propria Parochia, nisi sepulchrum Maiorum habeat.*
9 *Famuli Religiosorum intra Monasterium, vel Collegium morientes in illorum ecclesiis sepeliri possunt.*
10 *Omnes fideles in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet decessisse impœnitentes; vel nisi ob canonicam pœnam, aut censuram prohibeantur.*
11 *Catechumeni in loco sacro non sepeliendi sunt.*
12 *Omnis peccator mortalis ac notorius sepulturâ sacra prohibetur, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi possit.*
13 *Duplex est portio canonica; Vna episcopalis, & altera parochialis: vtraque per legitimæ consuetudinis præscriptionem aboleri potest.*

QVÆSTIO PRIMA. Quisnam sit locus sepulturę sacrę & Ecclesiasticę. Respondeo, inprimis
1 Ecclesia. Nam vt Greg. I. ait lib. 4. Dial. c. 5. relatus in c. 17. causa 13. q. 2. *Cùm grauia peccata non deprimunt, hoc prodest mortuis, si in ecclesia sepeliantur, quòd eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca veniunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundūt.* Et S. Aug. in l. de cura pro mortuis agenda, c. vlt. *Non æstimemus ad mortuos, pro quibus curam gerimus, peruenire; nisi quòd pro eis, siue altaris, siue orationum, siue eleemosynarum sacrificiis solemniter supplicamus.* Et infrà: *Quod vero quisque ad memoriam Martyrum sepelitur, hoc tantùm mihi videtur prodesse defuncto, vt commendans eum etiam Martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.* Refertur in c. 19. ead. q.

Deinde cœmiterium, quod dictum est quasi dormitorium, in quo fidelium corpora sepeliuntur, & plerumque est locus annexus ac vicinus ecclesiæ consecratæ, auctoritate Episcopi ad sepulturam deputatus, sicuti docet Gloss. communiter recepta c. in Ecclesiastico, 13. q. 2. ver. si terram, Abb. in cap. abolendæ, de sepulturis, vbi notant: Cœmiterium canonico iure sacrum fieri, non eò quòd corpus mortui illatum est: sed quòd Episcopi auctoritate ad fidelium sepulturam deputatum. de qua re vide quæ dicam lib. 5. tract. 5. c. 5. n. 1. Admonet autem Syl. ver. sepultura, q. 1. cœmiterium constitui etiam posse, *aliquantulùm remotum ab Ecclesia propter fœtorem*: præsertim pro eorum corporibus, qui peste moriuntur.

2 Denique notant Bannes 2. 2. q. 32. a. 2. concl. 3. Valent. to. 3. dis. 3. q. 9. p. 2. Sa ver. sepultura, prope finem: Mortale peccatum esse, si quis fidelium corpora sepelire negligat, cùm nullus alius adest, qui id officium præstet: quia opera charitatis ac misericordiæ in casu eiusmodi necessitatis obligatoria fiunt, sicuti constat ex lib. 2. tractatu 3. cap. 6.

QVÆSTIO SECVNDA. Quibus ius sepulturæ competat? Respondet Abb. c. certificari, de sepulturis,
3 n. 8. Syl. q. 3. Communi iure conuenire solùm Ecclesiis quæ habent populum, siue Parochialibus: nam vt sacramenta, verbi DEI prædicatio: ita & sepulturæ officium fidelibus præstare, ad eorundē Pastores pertinet, vti colligitur ex Clem. dudum, §. verùm, de sepulturis. At verò priuilegio Papæ ius sepeliendi fideles, concessum est etiam Religiosis, inprimis Ordinis Prædicatorum, & Minorum, vt videre est in cit. Clem. dudum: deinde verò etiam aliis. Atque item Episcopum, ex causa, cum consensu Capituli, ius sepeliendi alicui Ecclesiæ non Parochiali concedere posse, affirmat ibidem Abb. n. 9. Mol. disp. 214.

His duo adde: Primum. Religiosi, qui liberam à Papa sepeliendi potestatem habent, si cum Episcopo, vel Parocho paciscantur de non sepeliendis Parochianis, valet pactum: quandoquidem priuilegio suo renuntiare possunt, c. 1. de pactis, in 6. Neque opus est adhiberi consensum Generalis, aut Prouincialis Ordinis; sed sufficit immediatum Prælatum, puta Priorem, Guardianum vnà cum Capitulo consentire, c. 3. de pactis, in 6.

Secundum. In c. 1. de sepulturis, in 6. Religiosis, & 4
Clericis prohibetur, ne aliquem ad vouendum, vel iurandum inducant, vt apud eorum potiùs Ecclesiam sepulturam eligat, vel iam electam vlteriùs non immutet, idque sub quadruplici pœna: I. Excommunicationis, ipso iure incurrendæ, & Papæ reseruatæ, sicuti videre est in Clem. cupientes, de pœnis, in fine. II. Vt electio talis sepulturæ irrita sit, & corpus defuncti in ea Ecclesia sepeliri debeat; vbi, non electā sepulturā, sepeliendum fuisset. III. Si Religiosi, vel Clerici nihilominus sepelire præsumpserint, ad restitutionem sepultorum corporum, si petantur; & omnium, quæ sepulturæ occasione acceperunt, obligati existant, sicuti etiam habetur in c. ex parte, c. cùm liberum, de sepult. IV. Si dictam restitutionem intra decem dies facere recusent, tamdiu eorum Ecclesiæ, & cœmiteria Ecclesiastico interdicto subiaceant, donec illam adimpleant. Quam Bonif. VIII. constitutionem explicat Rodriq. t. 3. regul. qq. q. 58. a. 7. Prçcipuè autem meminisse oportet, quòd delictum vnius non debeat in aliorum, vel Ecclesiæ detrimentum redundare, sicuti etiam Suar. notauit de censur. disp. 37. sect. 1. n. 26.

QVÆSTIO TERTIA. An, & quis sepulturam extra suam parochiam eligere sibi possit? Respondetur; 5
Omnes puberes, tam masculi, quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, sepulturam eligere possunt, iuxta c. 1 de sepult. &c. licet, eod. in 6. in quo habetur, etiam filiumfam. si pubes sit, absque patris consensu libertate gaudere sepulturam deligendi: impuberi autem à patre deligi posse, si consuetudo loci permittat; alioquin cum maioribus suis, vel in parochiali Ecclesia sepeliendum esse. Quin etiam matrem, deficiente patre, filio impuberi sepulturam eligere, plerique affirmant, Armilla ver. sepultura, num. 8. Sa n. vlt. Molina cit. disp. 214.

Religiosi quoque, cùm velle & nolle non habeant, 6
neque sepulturæ sibi deligendæ libertate gaudent; præterquam si à propriis Monasteriis adeò remoti sint, vt ad ea defunctorum corpora commodè portari non possint. Ita habetur in c. vlt. de sepult. in 6. iunct. Gl. fin. & docet Abb. in c. nimis, n. 2. de excess. Prælator. Nau. comment. 2. de Regular. n. 43. Syl. ver. sepultura, q. 6. Armilla num. 6. Quod si in tali loco, qui à Monasterio nimis remotus est, Religiosus moriatur non electa sepultura, in Ecclesia parochiali sepeliendus erit; nisi vicinum sit Monasterium sui Ordinis, vti bene monet Sanchez lib. 6. moral. c. 14. n. 4. contra Gl. in cit. c. vlt. Et tenetur Monasterium expensas prestare pro sepultura Religiosi, argum. l. si quis sepulchrū, ff. de religiosis & & sumptibus funerū; vbi Prætor ait: *Quod funeris causa sumptus factus erit, eius recuperādi nomine in eum, ad quem ea res pertinet, iudicium dabo.* Atqui ad Monasterium pertinet Religiosos è vita decedentes tumulare; quia

& Nouitios, si proprium patrimonium non habent. Veruntamen Nouitij sepulturæ deligendæ libertate gaudent, cùm Religiosi nundum sint.

7 Porrò etiam Ordinum Prælati, si Superiorem in Monasterio non habeant, sepulturam eligere possunt, secundùm doctrinam Rosellæ verb. sepultura, 2. num. 2. Rodriq. tom. 3. regul. quæst. 30. a. 1. Sed dubium est, vtrum Ordinis Prælatus deligere sepulturam possit extra Monasterium suum? Respondeo posse, si Superiorem in Ordine non habeat; licet subditus sit Papæ, vt Generalis præpositus; vel Episcopo, vt Abbas non exemptus. Ita enim docent Abb. in c. de vxore, num. 5. de sepult. Syluest. ver. sepultura, quæst. 6. Armilla, nu. 6. Rosella, 2. num. 2. Rodriq. tom. 3. regul. quæst. 60. a. 1. Si autem Superiorem in Ordine habeat, vt Guardianus, vel Prouincialis liberam eligendæ sepulturæ facultatem non obtinet; cùm Doctores id non affirment, neque Ordinum consuetudo id permittere videatur; licet contrarium significet Sanchez cit. c. 14. num. 7.

QVÆSTIO QVARTA. Si quis nullâ electâ sepulturâ decedat, vbi sepeliendus sit? Respondeo ex Petro de Perusio tract. de canonica portione, Abb. c. 1. de se-
8 pult. Syl. q. 8. Mol. cit. disp. 214. & dico I. Si quis habeat sepulchrum Maiorum, in eo sepeliendus est, sicuti habetur in c. 1. de sepult. Quòd si verò alicuius auus, aliíque ascendentes in vno sepulchro; pater in alio iaceat, distinguit Abb. num. 5. Vtrum pater tale sepulchrum diuersum à Maioribus suis spõte sibi delegerit; an verò præter voluntatem suam eò delatus fuerit: primo casu ait, filium sepeliendum in sepulchro patris; altero casu in sepulchro auorum, siue maiorum suorum, & sequitur Mol. l. c. §. si quis è vita. Adde, etiam filios naturales cum patre sepeliendos esse; nisi is in dignitate constitus sit; spurius autem cum matre, nisi ea illustris sit, sicuti ex communi docet Syl. cit. q. 8. dicto 4. Sa ver. sepultura, num. 1.

Dico II. Si quis non habeat sepulchrum Maiorum, vel in eo commodè sepeliri non possit, sepeliẽdus est in propria parochia, vbi domicilium habuit, sacramenta percepit, diuinísque officiis interfuit. Ita omnes, & colligitur ex cap. 2. & 3 de sepult. in 6. Eadémque ratio est de scholaribus, & similibus personis quasi domicilium habentibus, teste Abb. cit. c. 1. de sepult. num. 4. Peregrinos verò, si ad propriam parochiam deferri non possint; alij aiunt sepeliendos esse in Ecclesia Cathedrali; alij in parochiali eius loci, vbi defuncti sunt: quare Syl. & Mol. ll. cc. consuetudinem in ea re seruandam esse, admonent.

Dico III. Vxor si sepulturam non elegit, cum marito sepelienda est; nisi alia loci consuetudo sit. Quòd si plures maritos habuit successiuè, cũm vltimo, cuius domicilium retinet, & honorem, tumulanda est, c. is qui, §. vlt. de sepult. in 6. Vide Syl. cit. q. 8. dicto 5. Abb. in cit. c. de vxore, n. 7.

Dico IV. Nouitius Religionis, si è vita excedat, siue in Monasterio, siue extra, v. g. in domo parentum, vbi cum licentia Prælati, seruato habitu religioso, iusta de causa moratus fuit; in Monasterio sepeliri debet, sine obligatione soluendi portionem canonicam Parocho. Ita ex communi Rodriq. t. 1. regul. qq. q. 39. a. 4. Ratio est; Quia Nouitij gaudent iuribus, & priuilegiis Ordinis sui.

9 Dico V. Famuli domestici Religiosorum Mendicantium in eorum Ecclesiis, vel cœmiteriis, etiam Parocho inuito, sepeliri possunt, si intra septa Monasterij, Collegij, aut Residentiæ moriantur; ex priuilegio Papæ, vti videre est apud Rodriq. t. 2. q. 67. a. 2. Molin. cit. disp. 214. §. In nostra Societate, & in compend. priuil. Societatis Iesu, v. famil. §. 1.

QVÆSTIO QVINTA Quibus sepultura sacra concedenda, vel deneganda sit. Respondeo ex c. nullus, iunct. Gl. causa 13. q. 2. & c. Ecclesiam, 2. de consecrat. d. 1. Omnes fideles, seu baptizati in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet eos in excommunicatione, aut interdicto; vel in statu mortali seu impœnitentes decessisse: vel nisi lege canonica, aut consuetudine ob crimen aliquod sepultura spolientur. Quare etiam ad mortem damnati, si pœnitentes excesserunt, in loco sacro sepeliri possunt, sicuti ex communi tradit Abb. c. ex parte, n. 4. de sepult. Quamuis interdum in criminis pœnam; & ob aliorum exemplum, sacra etiam sepultura priuantur. Qua de re Couar. 2. resol. c. 13. n. 11. Deinde ob nulla debita corpus defuncti sepultura prohiberi potest: neque licet creditoribus vllam actionem, vel molestiam exhibere hæredi, aut executori, nouem diebus post obitum defuncti, l. cùm sit, iunctis Authenticis, C. de sepul. violato, & videri potest Couar. cit. c. 13. n. 10. 10

Sepeliendi in sacro loco non sunt: I. Hæretici; etiamsi eorum hęresis primùm post mortem propalata sit, iuxta cap. sanè profertur, 24. quæst. 2. Neque pagani, & Iudæi, cit. c. ecclesiam. Quibus annumerantur infantes, morientes ante Baptismum. Si tamen prolem in ventre matris mortuam esse certum sit, vnà cum ea defuncta sepeliri debet: quia fœtus est pars matris, l. 1. §. & ex rescripto, ff. de inspiciendo ventre, Gloss. in cap. si quidquid, distinct. 4. de consecrat. Si dubitetur, an mortua sit proles, scindi debet mater, postquam mortua est: non autem dum viuit, cum periculo mortis illi adferendæ, sicut ex communi docet Syluest. quæst. 10. Armilla num. 21. Sed & catechumeni Ecclesiastica sepultura carere debent: quamuis pro eis oret Ecclesia, si credentes decesserunt, vti ex communi docet Palud. in 4. d. 4. q. 3. a. 1. q. 3. & consentit S. Ambros. de obitu Valentiniani. 11

II. Sepeliendi in loco sacro non sunt: Qui seipsum occidit, c. placuit, 23. q. 5. Qui semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, & Eucharistiæ sacramentum in Paschate sumere notoriè intermisit, iuxta c. omnis, de pœnitent. & remiss. dummodo tamen huius intermissionis nulla probabilis causa excusationis, seu impedimenti afferri possit: Item vsurarius manifestus, c. quia, de vsuris, c. quamquam, eod. in 6. Manifestus raptor siue violator ecclesiæ, c. 2. de raptor. Præterea religiosus manifestus proprietarius, c. super quodam, de statu Monach. Si tamen hi, quos numeraui, ante mortem ecclesiæ conciliati sunt: vel si eos signum pœnitentiæ edidisse, saltem vnius hominis testimonio probari potest, in loco sacro sepeliri debent, sicuti ex communi Syl. q. 9. dicto 7. Vsurarius tamen non antè sepeliendus est, quàm vsurarum restitutio facta, vel de facienda cautio data fuerit, cit. c. quamquam. Vide de hoc Palud. in 4. q. 15. q. 2. a. 6.

III. Sepeliendi in sacro loco non sunt: Qui in torneamentis, id est, hastiludiis, ex quibus probabile mortis periculum impendet, occubuit: tametsi ante mortem pœnitentiam, & viaticum acceperit, c. 1. & 2. de torneamentis. Idémque sentiendum de ijs, qui in duello succumbunt, secundùm Trident. sess. 25. c. 19. de reform.

Quartò, Omnis peccator mortalis, ac notorius sacra sepultura prohibetur, si eum absq; pœnitentia decessisse præsumi debeat, c. quibus, & seqq. 13. q. 2. & docet Gl. in c. quia, de vsuris, Abb. in c. ex parte, 1. in fine, de sepult. & c. fures, de furtis, Palud. in 4. d. 18. q. 8. a. 1. §. quantum ad 4. conclus. 5. Syl. ver. sepultura, cit. quæst. 9. dicto 7. Sa num. 3. Vt si aliquis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest à mortali, occisus deprehẽdatur, non præsumitur contritus decessisse, sicuti notant Doctores nominatim Abb. in cit. c. fures: quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur: sed ostendi debet. Si tamen talis post crimen patratum, quale-

cunque signum pietatis edidit, vt si in ecclesia orasse visus est; puto eum in loco sacro sepeliendum fore; si non sit inter criminosos specialiter exceptos: in illis enim certior coniectura requiri solet antecedentis pœnitentiæ de crimine secundùm canones damnato.

Porrò si aliquis horum contra sacros canones in loco sacro sepultus fuerit, licet exhumari debeat, si ossa eius ab aliorum fidelium corporibus discerni possint, iuxta cap. sacris, de sepult. & cap. ecclesiam, 1. & 2. distinct. 4. de consec. Ecclesia tamen reconcilianda non est; nisi in ea sepultus fuerit excommunicatus denuntiatus, vel infidelis: quo casu etiam parietes radi debent, cap. ecclesiam, 2. distinct. 1. de consecrat. & docet Syluest. verb. sepultura, quæst. 9. dicto 12.

Similiter, si alicuius corpus in aliqua ecclesia, ad quam iure non pertinebat, sepultum fuit; exhumari & restitui debet, cum omnibus oblationibus, si petantur, c. ex parte, 1. & c. seq. de sepulturis.

His adde, quòd in Clement. Eos, de sepulchris, excommunicati sunt, qui tempore interdicti extra casus concessos; vel nominatim interdictos, aut excommunicatos non toleratos, aut vsurarios manifestos scienter in loco sacro sepelire præsumunt.

13 Denique, quod attinet ad portionem canonicam, ea duplex est; Vna episcopalis, quæ est certa portio debita Episcopo ex legatis & funeralibus oblationibus, quæ facta sunt ecclesiis, vel aliis piis locis, intra diœcesim eius sitis, licet alioquin exempta sint, sicut docent DD. in c. requisisti, de testam. Syl. ver. canonica portio, q. 3. Rodriq. t. 1. reg. qq. q. 41. Mol. disp. 215. Quæ portio alicubi est tertia; alicubi quarta; alicubi dimidia. Pluribus autem locis omnino per contrariam consuetudinem abolita est. Vide Abb. in c. certificari, de sepult. n. 4. & c. vlt. de testam. Syl. q. 4. vbi numerant ea, ex quibus portio episcopalis detrahi non debet; videlicet ex relictis ad ecclesiæ fabricam, ornamenta, luminaria, anniuersarium, vel aliud quippiam faciendum in Dei cultum.

Altera est portio parochialis, quæ ecclesiæ parochiali, in qua aliquis de iure sepeliendus fuisset, debetur ex legatis & oblationibus funeris, factis ecclesiæ illi, in qua sepultura electa est; licet ea alioquin exempta sit, c. 1. & toto ferme tit. de sepulturis, Clem. dudum, eod. Et hæc portio similiter est varia, pro varietate diœcesium; eámque consuetudine omnino aboleri posse, testatur Abb. in cit. c. requisisti, n. 18. Syl. q. 1. Mol. l. c. §. dubium est, Rodriq. t. 1. reg. qq. q. 39. a. 2. Quapropter Trident. syn. sess. 25. c. 13. de reform. licet reuocet priuilegia concessa Monasteriis, Hospitalibus, aliísque locis piis, ne quartam funeralium Cathedrali, aut parochiali ecclesiæ soluere cogantur; præcipiátque, vt à quibus 40. annis antecedentibus solita esset persolui, ab eisdem etiam deinceps eodem modo soluatur; tacitè tamen hoc ipso significat, non fuisse propositum Concilio, locis ijs, aut Monasteriis, quæ quadraginta integris annis (tanto enim tempore contra Ecclesiam præscribitur) legitimæ præscriptionis immunitatem consecuta fuerunt, ius acquisitum auferre, sicuti explicat l. cit. Rodriq. Quare aliqui Religiosorum Ordines, vt Cistercienfium, nullam portionem præstant; quia non solum ab annis 40. sed etiam tempore immemoriali nullam præstare soliti sunt: Alij verò nihil de legatis, aliísve donatis ad Sacrificia, candelas, &c. sed solùm portionem aliquam de his, quę ipso die sepulturæ cum funere oblata fuerunt, sicuti docet Rodriq. cit. l. a. 3. Sa ver. sepultura, n. 10. Est igitur in hac re spectanda consuetudo, legitimè præscripta.



TRACTATVS SEXTVS, DE IVDICIIS.

CAP. I.

DE IVDICIO.

SVMMARIVM.

1 *Iudicium diuiditur in Ecclesiasticum, & seculare; in petitorium & possessorium; in ordinarium, & extraordinarium seu summarium, denique in criminale, ac ciuile.*

2 *Quòd Clericus actor coram seculari iudice in eodem iudicio reconueniri poßit, canonico iure receptum non videtur.*

3 *In causa Ecclesiastica laicus vnà cum Clerico arbiter constitui potest: sed non iudex.*

4 *Si vtraque actio, ciuilis & criminalis, ad pœnam seu vindictam tendit, vnâ intentatâ, altera tollitur, secus, si ad diuersa tendunt.*



VDICIVM à *iure dicendo* appellatum est; quia in eo per sententiam cum auctoritate profertur, quod iustum est, seu iuri consonum, cap. forus, de verborum signif. l. nemo, Cod. de senten. & interlocut. omnium iudicum. Quare & persona, quæ iurisdictioni præest, Iudex appellatur, *quasi ius dicens*, cit. c. forus.

1 Iudicij variæ diuisiones sunt: Vna sumitur à diuersitate iudicantium; quòd aliud sit iudicium *Ecclesiasticum*, & aliud *seculare*. Ecclesiasticum, seu ad Ecclesiasticum Iudicem pertinens iudicium est, si contentio sit de rebus seu causis Ecclesiasticis; puta de matrimonio, beneficiis, decimis, &c. vel si sit circa personas Ecclesiasticas: hæ enim coram suo, id est, Ecclesiastico Iudice ordinariè conueniri debent; etiamsi actor laicus sit; quia *Actor forum Rei sequitur*, c. si Clericus, c. cùm sit, de foro compet. & l. 2. C. de iurisdict. omnium iudicum.

Præterea secundùm Glos. à pluribus receptam in c. 1. ver. super suis, de mutuis petitionibus; Clericus actor coram seculari Iudice in causis ciuilibus eodem iudicio reconueniri potest. quam Gl. secutus est Less. lib. 2. ca. 29. dub. 6. n. 52. propter generalem regulam: Quòd actor eligens Iudicem pro se, debet eundem recipere contra se, per modum reconuentionis; non tantùm in eodem negotio, sed etiam diuerso, sicuti habetur in l.
2 penult. C. de sent. & interlocut. Veruntamen Abb. c. at si Clerici, n. 20. de iudiciis, & alij apud D. Martham p. 4. de iurisdict. cent. 2. casu 107. n. 2. meliùs sentire videntur, regulam istam de reconueniendis Clericis coram Iudice seculari, canonico iure receptam non esse.

Seculare autem, seu ad secularem Iudicem pertinens iudicium est, si contentio sit de re non Ecclesiastica, sed seculari; & inter laicos, vel saltem si Reus laicus sit.

Illud porrò discrimen notandum est; Quòd licet in causis secularibus nihil obstet Clericos iudices constitui; imò olim valde vsitatum fuerit, vt tales causæ ab Episcopis iudicarentur, vti etiam dixi lib. 1. tract. 5. p. 5. c. 8. num. 6. & ostendit Baron. Anno Christi 398. n. 63. maximè si essent miserabilium personarum, vt idem annotauit Anno 401. n. 60. In causis tamen Ecclesiasticis laicus iudex esse non debet, sicuti constat ex Concil. Chalcedon. sess. 2. Quia laici spiritualia tractare non debent, c. 2. de Iudiciis. Idque ampliari debet secundùm 3
Abb. in c. contingit, de arbitr. num. 4. quòd laicus, neque adiuncto sibi Clerico, in causa spirituali iudex esse possit sine auctoritate Papæ, sicuti colligitur ex c. Messana, de elect. Secùs tamen est in compromisso, in quo laicus vnà cum Clerico super causa spirituali, auctoritate Episcopi, constitui non prohibetur, iuxta ca. per tuas, de arbitris. Quia arbitrari de re spirituali non est ita actus spiritualis, sicuti est iudicare. Possunt tamen laici in causis Ecclesiasticis esse consiliarij, syndici, & actores; cùm hi non agant auctoritatiuè, aut tanquam proprio iure, vti notauit Abb. in cit. c. 2. n. 9.

Altera diuisio sumitur ex diuersitate materiæ; Quòd aliud est iudicium *petitorium*, in quo de rei proprietate, aliove iure agitur: Aliud verò iudicium *possessorium*, in quo de sola rei possessione, vel quasi possessione contenditur. Quamuis autem consultius sit Actori, vt priùs experiatur, num iudicio possessorio possessionem nancisci possit, propter possessionis commoda, sicuti dixi hoc libro tract. 1. de iustit. c. 7. num. 5. nihil tamen prohibet, quominus in eodem libello vel narratione idem iudicium cumulari possit, sicuti constat ex c. 3. & seqq. de causa possess. Quin imò tametsi priùs petitorio actum fuerit, non prohibetur Actor, ante conclusionem causæ, vel etiam post conclusionem, si iusta causa subsit, alterum iudicium super possessorio inchoare, ostendendo per violentiam se à possessione eiectum, sicuti habetur in c. pastoralis, eod. tit. & l. naturaliter, §. 1. ff. de acquirenda possess.

Tertia diuisio sumitur ex diuersitate formæ; Quòd aliud est iudicium ordinarium & solemne, in quo iuris ordo, ac forma obseruatur; videlicet vt Reo in ius citato, libellus siue intentio Actoris in scripto edatur; deinde litis contestatio fiat, iuramentum calumniæ præstetur (si id petatur) postea probationes proferentur: denique sententia à Iudice in scripto proferatur: qui ordo iudicij si non seruetur, eius acta irrita sunt, sicuti habetur in l. prolatam, C. de sententiis & interlocut. omnium iudicum, cap. in causis, de sent. & re iudicata. Aliud verò est iudicium *extraordinarium*, seu *summarium*, in quo simpliciter de plano, sine solemni strepitu ac figura iudicij, sola facti veritate inspecta, proceditur, iuxta Clem. dispendiosam, de iudiciis, l. nec quicquam, §. de plano, ff. de offic. Proconsulis, & videri potest Petr. Greg. Tholosanus lib. 47. Syntag. ca. 9. n. 6. & seqq. Henr. Canisius lib. 4. instit. iuris canonici, tit. 1. de iudicio ordinario, & extraordinario. In omni tamen iudicio Reus conuentus citari debet, data ei copia se defendendi: alioquin processus iudicij irritus est; excepto, si causa notoria sit, & clarum, nullam parti absenti defensionem competere posse, sicuti ex communi docet Abb.

in c.

in c. bonæ, 1. n. 5. de elect. Quòd si legitimè citatus neque per se, neque per procuratorem compareat, cùm comparere possit, contra eum rectè proceditur vsque ad sententiam definitiuam, sicuti notant DD. in l. Papinianus, ff. de minoribus. Abb. in rubrica, Qui matrimonium accusare possunt, n. 3.

Quarta diuisio sumitur ex diuersitate finis; Quòd aliud est iudicium ciuile, in quo Actor suum, vel alterius commodum priuatum prosequitur; siue causa ex contractu, siue ex delicto descendat: Aliud verò iudicium criminale, in quo agitur in causa criminis ad vindictam, seu pœnam publicam: siue ea corporalis sit, siue pecuniaria applicanda fisco: aut publici officij priuatio, &c. Pro cuius pleniore intellectu, notandum est primò ex Iulio Claro in pract. §. fin. q. 1. ver. Ego tamen: Quòd crimina, quæ à Magistratu puniri solent, alia contra publicam tantùm iustitiam sint, sine offensione particularis personæ: vti sunt hæresis, simonia, blasphemia, &c. ex quibus vna tantùm actio, vel potiùs accusatio descendit, quæ fit ad publicam vindictam. Alia verò sunt crimina, quibus non tantùm offenditur publica iustitia, sed etiam persona particularis; vti sunt homicidium, incendium, furtum, iniuria siue contumelia. Ex quibus duplex actio oritur: vna criminalis ad publicam vindictam: & altera ciuilis ad damnum resarciendum, vel pœnam applicandam parti offensæ. Ita habetur in l. vn. C. Quando ciuilis actio criminali præiudicat.

4 Notandum secundò, cum Gl. in cit. l. vn. ver. re familiari, Andrea Gaill. lib. 1. obseruat. 60. n. 5. & obseruat. 65. n. 1. Si vtraque actio tam ciuilis, quàm criminalis ad vindictam comparata sit, v. g. propter illatam contumeliam: tunc in arbitrio Actoris est, vtrâ experiri malit: verùm vnâ intentatâ, altera tollitur, sicuti constat ex l. Prætor edixit, §. si dicatur, ff. de iniurijs, & dixi hoc libro tr. 3. de iustit. p. 2. c. 6. n. 6. Sin verò actio ciuilis & criminalis ex causa furti, vis illatæ, &c. ad diuersa tendant: illa ad recuperationem rei familiaris: hæc ad vindictam publicam, vna per aliam non tollitur, sicuti constat ex l. 2. ff. de vi bonorum raptorum, & cit. l. vn. Illud verò vsitatissimum esse monet Iulius Clarus q. 2. n. 2. vt eodem libello vtraque actio proponatur: principaliter quidem, vt Reus secundùm iuris formam de crimine homicidij, furti puniatur; secundariò verò, & incidenter, vt ad illatum damnum, & expensas restituendas condemnetur.

Notandum tertiò: Præter actionem criminalem, & ciuilem, esse aliam quasi mixtam, seu de vtraque participantem; vt cùm agitur coram Iudice Ecclesiastico ad separationem tori, ob causam adulterij, sicuti habetur in c. tuæ, de Procurat. Aliqui verò non incongruè diuidunt actionem in merè criminalem, quæ ad vindictam publicam tendit: & in merè ciuilem, per quam petitur, quod ex commutatiua iustitia naturali iure, etiam ante Iudicis sententiam, debitum est: puta ex mutuo, empto, furto, incendio, rapina. Ac denique in mixtam, quæ est actio ciuilis iniuriarum, descendens ex iustitia vindicatiua: cuius proinde debitum non obligat ante Iudicis sententiam: & hæc est actio, quam suprà dixi, cumulari non posse cum criminali: secùs verò dicendum de actione merè ciuili, quamuis ex crimine orta sit. Vide alias diuisionum formas apud Nau. rubr. de iudicijs n. 17.

CAP. II.

DE IVDICE.

SVMMARIVM.

1 *Iudex alius est ordinarius; & alius delegatus.*
Arbiter nemo constitui potest ante annum ætatis XX. neque iudex ante eam ætatem delegari, nisi à Principe; vel si partes consentiunt.
2 *In causis ciuilibus Iudex non procedit, nisi postulatus; in criminalibus verò etiam ex officio, seu per viam inquisitionis.*
3 *Triplex est inquisitio; Generalis, Specialis, & Mixta.*
4 *Sola fama non probat; sed criminis indicium Iudici præbet, maximè si à viris honestis ortum habuit.*
Iudices, præsertim seculares, sæpe procedunt contra criminosum nulla præcedente infamia, ex alijs indicijs criminis.
5 *Indicia alia leuia sunt, alia grauia, alia denique quæ violentam præsumptionem, ac moralem certitudinem pariunt.*
Præsumptio alia hominis est, & alia iuris; & hæc interdum iuris ac de iure.
6 *Indicia, secundùm iudicis prudentis arbitrium, interdum maiora, & interdum leuiora requiruntur; pro varietate causarum.*
7 *In causis notorijs ac indubitatis non semper requiritur iuris processus.*
8 *In causis ciuilibus, & minoribus criminalibus semper Iudex sententiam ferre debet secundùm publicas allegationes, si eas falsitatis arguere non possit. At verò in criminalibus, quibus pœna mortis, vel membrorum mutilatio imponenda est, Iudex non potest secundùm publicas probationes hominem condemnare, quem priuatâ notitiâ innocentem scit.*
9 *Sententia iustè lata ordinariè non retractatur propter instrumenta postea reperta: secùs, si iniustè, seu contra leges lata fuit.*
10 *Si iudex dolo, vel magna imperitia sententiam iniustam tulit, litem suam facere censetur, & de damno tenetur.*
11 *Nemo in causa propria iudex esse potest; exceptis tamen quibusdam casibus.*
12 *Orto dubio, num causa ad hoc forum pertineat, potest id iudex cognoscere, & postea causæ principalis processum adoriri.*

PERSONÆ, quæ in iudicijs interueniunt, aliæ sunt principales; videlicet, Iudex, Actor, & Reus, vti habetur in c. forus, de verb. signif. Aliæ verò accessoriæ, vt Testes, Procurator vel Aduocatus, Assessor, Tabellio.

Iudex est persona publica, ad id constituta, vt secundùm legis præscriptum, vel loci consuetudinem, populo ius dicat, sicuti colligitur ex cit. c. forus. Et est alius Iudex ordinarius, qui tanquam ex officio vniuersitati causarum præest; siue proprio iure suo, si supremus Iudex; siue ex Principis beneficio, si subordinatus. Alius verò est Iudex delegatus; cui vices suas ordinarius commisit; seu ad vniuersitatem causarum, seu ad causam specialem terminandam, sicuti habetur in l. solet, & seq. ff. de iurisdict. omnium iudicum. Porrò, qui merè delegatus est, alteri causam subdelegare non potest, nisi sit delegatus Principis summi, sicuti habetur in c. pastoralis, de offic. Iudicis delegati, c. cùm causam, §. vlt. de appellat. & l. à iudice, C. de iudicijs, & dicam pleniùs in lib. 5. tr. 6. c. 10. assert. 3. Eo etiam differunt, quòd pubes in quacunque ætate à Principe iudex tam ordinarius, quàm delegatus constitui possit: non item ab alio inferiore delegari, nisi vicesimum ætatis annum compleuerit: præterquam si partes scienter cōsentiant in eum, qui annum saltem decimum octauum transcendit, c. cùm vicesimum, de officio iudicis delegati, l. quidam consulebat, de sent. & re iudicata. Arbiter verò, ne quidem ex partium consensu, constitui potest, nisi annum ætatis vicesimum excegerit, l. cum lege, ff. de arbitris. Denique verò ad officia, quibus Reipublicæ administratio continetur, adhiberi nemo deberet ante vicesimum quintum annum, saltem inchoatum, vti habetur in l. ad Rempublicam, ff. de muneribus, & honoribus, & notauit Gl. in cit. c. cùm vicesimum, Abb. ibid. n. 4.

Iudex in causis ciuilibus procedere non solet, nisi postulatus: quin & tunc operam dare debet, vt, si fieri possit, partes ad concordiam reuocentur, sicuti colligitur ex

Aa

c.1.de mutuis petitionibus: cùm *ad officium eius pertineat lites diminuere*,l.quidam,ff.de rebus creditis. In criminalibus autem causis duobus modis Iudex procedere potest: vel ad petitionem partis,seu instantiam accusatoris, de quo dicam cap.seq.vel ex officio per viam inquisitionis,sicuti docet Clarus lib.5. sent. §. fin.q.3. Less. lib. 2.c. 29.dub.12.n.105. Quòd verò aliqui addunt tertium modum procedendi per denunciationem non videtur differre à secundo:cùm denunciator aliud non agat, quàm Iudici indicia aperire,quibus ex officio ad inquirendum moueatur,teste eod.Claro.q.7.n.1.

3 Triplex est inquisitio, quam Iudex, vel Prælatus facere solet. Vna omnino generalis, cùm neque persona, neque crimine expresso,generatim inquiritur; vtrum in Cõmunitate sit aliquis criminosus, vel legum transgressor? cuiusmodi inquisitione Visitatores vti solent, quamuis nulla præcedat hominis infamia, vel commissi criminis indicium, sicuti colligitur ex c. Romana, de censib. in 6. c. 1. de offic. ordinarij, vbi id notat Abb. n. 5. Sotus de secr. tegen. mem. 2. quæst. 6. concl. 2. Prosper Farinacius in practica criminali, quæst. 1. num. 10. Nauarrus in rubr. de iudicijs, numero 53. & consil. 1. de offic. ordinarij, edit. 2. Less. lib. 2. c. 29. dub. 13. Subditi verò interrogati non debent denuntiare crimina occulta,sicuti constat ex c. qualiter & quando, 1. de accusat. Imò neque licitè denuntiare possunt, si talia sint, quæ iuridicè probari non posse videantur; consequenter neque puniri tunc enim denuntiatio criminis tantùm tenderet ad iniustam infamationem. Loquor autem de denuntiatione, quæ Iudici fit in ordine ad publicam vindictam; & non de denuntiatione charitatiua, quæ fit Prælato tanquam patri ad Reum emendandum, vel aliud impendens malum auertendum: de hac enim dixi hoc lib. tract.3.de iustit.p.2. c.4.

Altera est inquisitio mixta, eáque duplex: I. cùm generatim quæritur de crimine: speciatim verò de persona: *Vtrum Titius seruet statuta?* Cuiusmodi inquisitio fieri non debet ad puniendum, nisi infamia, vel indicia criminis præcedant. Quia meritò aliquis ægrè fert in vitam suam quasi malefactoris inquiri, dum famam integram seruat. Secùs verò dicendum, si inquisitio fiat propter Prælaturam, vel ordines alicui conferendos, vel vt matrimonium impediatur, sicuti annotauit Abb. in c. 1. n. 6. de offic. Ordinarij, & c. qualiter, 2. n. 11. de accusat. II. Cùm quæritur generatim de persona, speciatim verò de crimine, quod commissum esse constat: v.g. Quis huius homicidij auctor sit? Circa quam inquisitionem aduerte: licet Iudex de commisso crimine, v. g. furti, cuius notitiam, vel indicia accepit, generatim quærere possit, quis illud fecerit, sicuti bene explicat Farinacius q. 1. Interrogati tamen denuntiare non debent reum occultum: cùm Iudex ius non habeat de illo inquirendi, nisi de eo infamia, vel sufficientia indicia præcedant, sicuti notauit Syl. ver. correctio, 1. q. 8. & ver. inquisitio, I. n.7. Armilla eodem ver. num.10. Pet. Nau. lib.2.c.4.n.167. Less. lib.2. c. 30. dub.6. n. 47. Si tamen aliquis in hoc casu criminis generatim notorij auctorem occultum sciat, & putet suum testimonium sufficiens fore, vt Iudex moueri possit ex officio ad Reum capiendum, quin & torquendum; tunc denuntiare non prohibetur, boni publici causa, teste Azor.to.3.lib.13.c. 16.in fine. Lessio lib.2.c.30. n.48.

Tertia est inquisitio specialis, in qua tam persona, quàm crimen exprimitur; v. g. vtrum Titius homicidij auctor sit? Ad quam inquisitionem instituendam quàm maximè requiritur, vt antecedat infamia personæ, de qua inquiritur, sicuti habetur c. inquisitionis, in c. qualiter & quando, 2. de accusat. Adeò quidem, vt tametsi Iudex crimen hominis oculis suis deprehenderit, non possit contra eum procedere, nisi prius informationem acceperit de indicijs, infamia, sicuti docet Clarus q. 8. num. 5. Couar. 1. resol. c. 1. Fr. Arretinus in pract. criminal. p. 1. c. 15. Less. lib. 2. c. 29. dub. 11. Pet. Nauar. lib. 2. c. 3. num. 180. Ratio horum est: Quia æquitas postulat, vt in omni iudicio, præter Iudicem, duæ partes adsint: vna Rei, altera Actoris, seu accusatoris. Neque idem potest esse Iudex, & accusator, vti habetur in c. multi, 2. q. 1. cùm alioquin iudicia publica sæpe peruerti possent, si ex notitia Iudicis priuata contra Reum procedere liceret: quamobrem Actorum 25. S. Paulus dixit: *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat*: quæ verba in hanc rem allegat S.Th.2.2.q.67. a.3.& videri etiam potest Nauar. in rubr.de iudicijs,n. 53.79.

Quamobrem si Iudex ad punienda crimina ex officio procedat,boni publici causa: tunc accusatoris vicem supplere debet publica infamia, quæ & *clamorosa populi insinuatio* dicitur,sicuti notauit S.Thom.cit.a.3.ad 2. Nau. n. 82. Quare in hoc casu Iudex ante omnia iuridicam informationem coram Notario, &c. capere debet de infamia; atque etiam inuestigare, à quibus personis criminis infamia profecta fuerit. Si enim cognoscat ab improbis hominibus ortum habuisse, minùs curanda est, sicuti constat ex c. qualiter, 2. iun. Gl. ver. maleuolis, de accusat. & videri potest Iacob. Simancha de Cath. instit. tit. 55. n.7. Mynsinger cent. 5. obser. 46. Nau. in lib. 5. consil. 76. n. 4. de Simon. edit. 2. & c. mensuram, §. non tibi dico, d. 1. de pœn. n. 20. Caiet. 2. 2. q. 69. a. 1. vbi ait: Quòd *infamia vocatur non frequens vox discolorum, sed frequens vox talis, vt apud probos & prouidos viros reddatur persona de crimine rationabiliter suspecta.* 4

Cæterùm sola fama crimen sufficienter non probat, sicuti monet Gl. in cit. c. qualiter, ver. & famam: quia dictum vnius facilè sequitur multitudo nimis credula, ac prona in malum, c. cùm in iuuentute, iun. Gl. ver. sequitur, de purgat. canonica; sed indicium tantùm criminis Iudici præbet, ob quod vlteriorem processum, v. g. Rei citationem, custodiam instituere possit, donec veritas cognoscatur. Quanquam præter infamiam, etiam alia indicia prodi possunt, ex quibus Iudices, præsertim seculares (boni publici causa, ne crimina si impunita maneant, maiorem etiam alijs licentiam tribuant) moueri solent ad vlteriorem specialem inquisitionem ac processum, v. g. denuntiatio Officialis, aut alterius non suspectæ personæ (esto, quod illa peccârit crimen occultum denuntiando, sicuti docet Nau. rubr. de iudic. n. 87. Less. dub. 15. n. 125.) item hominis fuga, extraiudicialis confessio criminis. Atque ita docet S. Thom. quæst. 69. a. 2. in corp. Caiet. ibid. Sotus de secr. teg. mem. 2. q. 6. concl. 1. dub. 3. Clarus q. 3. 7. 20. 21. Sa ver. Iudex, de modo procedendi, Azor. t. 3. lib. 13. c. 18. dub. 1. contra Nauarr. c. 18. man. num. 38. & lib. 5. consil. 4. & 5. de accusat. edit. 2. quibus locis reprehendit Iudices, qui specialiter inquirunt, & procedunt contra aliquem non laborantem criminis merè præteriti seu transacti infamia: licet alia de eo indicia adsint, vel etiam testes idonei, per quos crimen (denuntiante v. g. Officiali) probare possit. Cuius sententia, spectato communi iure canonico, valde probabilis est, argum. c. qualiter 2. & c. inquisitionis, §. tertiæ, de accus. quamuis consuetudine; præsertim fori ciuilis, non obseruetur, sicuti videre est apud Pet. Nau, lib. 2. c. 4. n. 61. Clarum ll. cc. & q. 21. n. 2. vbi ait, quòd vnius testimonium facit indicium Iudici ad inquirendum, seu speciales informationes capiendum contra aliquem.

Porrò hîc aliqua aduertenda sunt: I. Indicia seu coniecturæ aliæ sunt, quæ dubitationem mouent; aliæ verò quæ suspicionem seu opinionem leuem; aliæ denique quæ suspicionem grauem, quæ & præsumptio dicitur seu credulitas; eaque interdum vehemens est, ac violenta, vt moralem propè certitudinem gignat, sicuti docet Abb. 5

in c.quosdam, de præsumpt. Deinde præsumptio alia est hominis, & alia iuris: Hominis præsumptio est, quam vir prudens, puta Iudex, ex apparentibus coniecturis, tanquam signis veritatis, concipit. Iuris verò præsumptio, quæ ex iuris auctoritate ac decreto prouenit: talis est v.g. si quis inter Christianos natus & educatus sit, quòd pro baptizato haberi debeat, iuxta c. vlt. de Presbytero non baptizato. Atque inter eiusmodi præsumptiones quædam sunt iuris ac de iure (vt aiunt) quarum hæc conditio est, vt contra eas, ob ipsam iuris dispositionem, admitti non debeat probatio in contrarium, iuxta l. antiquæ, C. ad S.C. Velleianum, & c. is cui fidem, de sponsal. Quamuis etiam in his, si de contraria veritate apertè constat, præsumptioni nullus locus esse potest, sicuti colligitur ex c. quia verisimile, de præsumpt. Cùm sit verissima & generalis regula, quod præsumptio cedit veritati.

6 II. Ex vna parte tantò maiora indicia ad inquirendum de persona requiruntur, quantò ea dignior est: præsertim si Ecclesiastica dignitate fulgeat, sicuti constat ex causa 2. q. 5. & causa 3. q. 7. & cit. c. qualiter 2. vbi dicitur, quòd Prælati *quasi signum sunt ad sagittam positi: quia non possunt omnibus placere: cùm ex officio teneantur arguere, &c. frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur.* Videri potest Nau. lib. 4. consil. 3. de accusa. in fine. Maiora item indicia requiruntur, quò maius crimen est, & maior hominis infamatio timenda, si de eo inquiratur. Ex altera verò parte, tantò leuiora indicia sæpe ad inquirendum sufficiunt, quantò perniciosius Reipublicæ crimen est: præsertim si malum ex eo etiam in futurum timeatur: v. g. publica latrocinia, hæresis, proditio: quæ ideo etiam excepta dicuntur, quòd in eorum inquisitione, &c. ordinarium iuris processum obseruare necesse non sit. Quare si accidat has duas rationes inter se pugnare: puta si crimen ingens ac perniciosum sit, de quo grauis persona suspecta est: magna tunc Iudicis prudentia opus, vt intelligat, vtra earum prępõderare debeat.

III. Leuiora indicia, si cætera paria sint, sufficere possunt ad vlteriorem informationem capiendam: & interdum Reum citandum, arrestandum, incarcerandum, de qua re videri potest Ioach. Mynsing. cent. 5. obser. 69. Grauiora verò requiruntur ad Reum de crimine iudicialiter examinandũ, torquendum: vrgentissima demum, & quæ apertam præsumptionem faciant, interdũ sufficient ad ferendam sententiam definitiuam in causis ciuilibus: quin etiam in criminalibus, saltem ad pœnam extraordinariam inferendam: imò etiam quandoq; ordinariam, in criminibus suapte natura occultis, vt plenior probatior haberi nõ possit, arg. c. maritis, vbi id notat Abb. n. 1. de adulterijs, Mol. tr. 4. disp. 15. n. 13. Quamobrẽ Hadrianus Imperator in l. 3. §. eiusdem, ff. de testibus, rectè dixit: Non posse simpliciter definiri, quæ ad probationem sufficiant: sed Iudicem ex animi sui sententia æstimare oportere, quid credat, aut quid non satis probatum opinetur, sicuti notauit etiam Abb. in c. tertiò, in fine, de probat. Semper tamen meminerit Iudex, si videat crimen probari non posse, vt maturè desistat, ne frustra famam hominis laceret, sicuti notat Less. c. 29. n. 141.

IV. Licet indicia interdum seorsim sumpta non sufficiant, tamen iuncta cum alijs, quibus adiuuantur, sufficere possunt ad inducendam v. g. probationem semiplenam. Contrà verò, licet indicia, quæ vocantur indubitata seu præsumptiones violentę, interdum per se sufficere possint ad sententiam difinitiuam & condemnatoriam, præsertim in crimine suapte natura occulto, vti videre est apud Prosperum Farinacium in practica, q. 86. n. 35. consideratæ tamen cum alijs contrarijs indicijs, aut præsumptionibus, quibus illa debilitantur, & quasi eneruantur, sufficere non debent. Exemplum habes in proximis consanguineis nudis eodem lecto repertis: quandoquidem in his nihil sceui criminis existimari fœdus naturale permittit, l. cum qui, C. de Episcop. & Clericis.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum Iudex secundùm acta & probationes publicas sententiam ferre debeat, etsi ipse priuatim veritatem contrariam perspectam habeat? Respondeo, & dico I. Iudex non potest absoluere innocẽtem, quãdiu is secundùm publicas probationes nocens apparet: neque potest Reum condemnare, antequam vel per legitimas probationes conuictus, vel spõte in iudicio confessus sit: quamuis Iudex priuata notitia sciat nocentem esse. Ita S. Th. q. 67. a. 2. Caiet. ibid. Couar. 1. resol. c. 1. Nau. c. 25. n. 9. & alij communiter, ex l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. Præsidis, & c. iudicet, 3. q. 7. vbi ex S. Ambrosio serm. 20. in Psal. refertur: *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges, et iura pronunciat.* Etenim gentium iure iudicandi potestas tali conditione Magistratibus collata est, vt ea non nisi secundùm publicas allegationes vtantur: siquidem id maxime Reipublicæ interest, ne alioquin, prætextu priuatæ notitiæ, publica iudicia ab improbis peruertantur, vt suprà etiam dictum n. 3.

Sed excipe primò, quòd in notorijs ordo iuris plerumque non requiritur: sic enim fures, & latrones in flagranti crimine deprehensi sine alio processu iudiciali, è vestigio interdum suspendi solent, sicuti etiam notauit Less. lib. 2. c. 29. n. 100. Excipe secundò, quod docet idem Less. n. 96. & 100. Couar. cit. c. 1. n. 7. in fine, Gutierez lib. 2. can. qq. c. 29. n. 17. supremo Principi licitum esse in aliquo casu è medio tollere criminosum, cuius crimen, pręsertim atrox, indubitatè scit commissum esse, vel plenè probari posse: licet ob aliquam causam publicè probatum non fuerit. Quod multò magis dicendum est, si malum à criminoso in futurum quoque timeatur. Expedit tamen, vt Princeps ad impediendam populi querimoniam, ipsi, exposita causa sufficientis scientiæ suæ, satisfaciat. 7

Dico II. In causis ciuilibus, ac minoribus criminalibus, quibus de pecuniaria mulcta agitur, debet Iudex denique sententiam ferre, & accusatum condemnare secundùm publica allegata & probata, quem ipse priuatim scit innocentem esse, si eius innocentiam demonstrare non possit. Hæc est communis doctrina. Cùm enim Reipubl. concessum sit, ex graui causa disponere de bonis subditorum, ea ab vno ad alterum transferendo, sicuti dixi hoc libro tr. 1. de iust. c. 8. n. 4. Profectò talis potestas in hoc etiam casu iudicibus concessa est: quandoquidem plurimùm Reipublicæ interest, vt secundùm publicas allegationes iudicia terminentur. Quamquam Sotus lib. 3. de iust. q. 4. a. 5. Arrag. 2. 2. q. 60. a. 5. Less. lib. 2. c. 29. dub. 10. n. 84. §. tertiò, & c. 31. dub. 4. non improbabiliter dicunt, condemnatum per sententiam ita materialiter iniustam, re ipsa, & in conscientia non priuari propriorum bonorum dominio: ideóque ius habere ea recipiendi à possessore, si scandalum absit: quòd non videatur esse mens Reipublicæ per sententiam, quæ falsis probationibus nititur, aliquem rerum suarum dominio priuare: sic enim absque necessitate calumniatoribus faueret. Quare bene concludit Sotus: Quod sententia iniusta (materialiter) ius nec aufert, nec confert: ideóque si is, cui solutio facta est, eiúsue hæredes postea errorem intelligant, tenebuntur in conscientia restituere. Quandoquidem sententia Iudicis in falsa præsumptione fundata erat: præsumptio autem cedit veritati. 8

Dico III. Nullo casu Iudici concessum videtur, vt hominem secundùm publicas allegationes & probationes conuictum, morti adiudicet, si eius innocentiam priuatim perspectam habeat. Hæc assertio est cõtra cõmunem sententiam apud Couar. 1. resol. c. 1. sed traditur ab Adriano quodlibeto 6. a. 3. Lirano in c. 23. Exodi, Angelo ver. iudicare, n. 7. Abb. in c. super quæstionum, §. quia verò, de offic. deleg. Rosella ver. Iudex, n. 16. Sa n. 13. Less. cit. dub. 10. Petr. Nauar. lib. 2. c. 3. n. 161. Nam hominem innoxium per se, ac directè occidere (nisi Deus ita iubeat) per se,

& intrinsecè malum est, sicuti fornicari. Quare sicuti Iudex matrimonium, quod secundùm publica allegata validum apparet, ipse verò inualidum esse scit, nullo modo suadere potest; ne dicam præcipere homini, vt coniugi putatitio carnaliter adhæreat: cùm hæc sit copula intrinsecè mala, cuius potestatem Ecclesia nemini vult, aut potest facere: Ita pari ratione Communitas, vel gentium iura neque volunt, neque possunt Iudici dare potestatem, vt hominem, quem certò innocentem esse scit, morti adiudicet. Verum quidem est, quòd Ecclesia, & quæuis Communitas velit Iudicem in publicis iudicijs, etiam grauioribus seu criminalibus, procedere secundùm publicas allegationes; sed ex præsumptione, quòd eæ veræ sint: si autem contrarium Iudici manifestum est, non potest esse locus præsumptioni.

Ob eandem rationem neque iustitiæ Minister, siue Carnifex mortis sententiam exequi potest in Reum condemnatum, quem certò scit innocentem esse. Ex quo tamen minimè inferas, quòd ipsi etiam innocenti, secundùm publicas allegationes condemnato, fas sit suæ defensionis causa, publicæ potestati resistere: cùm id sine scandalo fieri non possit, si eius innocentia publicè perspecta non est. Qua de re videri potest Couarruuias lib. 1. resol. c. 2. num. 13. Less. c. 31. dub. 4. in fine, Suarez lib. 5. de legibus, c. 10. n. 3.

QVÆSTIO SECVNDA. An sententia seu in ciuili, seu in criminali causa, lata per errorem facti, postea rescindi debeat? Respondeo & dico I. Si comperiatur, ob falsas allegationes testium, vel instrumentorum productiones, sententiam latam esse; condemnatus, sententia rescissa, in integrum restituendus est, iuxta l. Diuus, ff. de re iudic. & l. 1. seqq. C. Si ex falsis instrumentis, &c.

9 Dico II. Si post latam sententiam, quæ in rem iudicatam transijt, noua instrumenta, vel testimonia reperiantur: ordinariè fieri non potest restitutio contra sententiam, sicuti constat ex l. Imperatores, ff. de re iudic. attamen ad Principem recurrere licebit, qui, inspectis circumstantijs causæ, iubere potest, vt ea iterum in iudicium deducatur: &, si manifestò constiterit, sententiam ob ignorantiam facti latam fuisse, ea per restitutionem in integrum rescindatur, sicuti docet Molina tom. 2. disput. 568. Dixi autem *ordinariè fieri non posse restitutionem contra sententiam*. Excipitur enim si causa publica sit, v. g. ad fiscum spectans: concedi tum solet reuisio ac restitutio propter noua instrumenta reperta, iuxta cit. l. Imperatores, vbi Gl. communiter recepta ait, idem sentiendum esse, si causa ad minorem natu, vel Ecclesiam spectet.

10 QVÆSTIO TERTIA. Si Iudex ob imperitiam malè & contra leges publicas sententiam tulit, ad quid obligatus sit? Respondeo, & dico I. Si per dolum, v. g. pecunia corruptus, iniquam sententiam tulit, tenetur omne damnum parti læsæ resarcire, l. filiusfam. ff. de iudicijs, & amissa dignitate, efficitur infamis, l. vlt. C. de pœna Iudicis, qui malè iudicauit. vbi videri etiam potest Auth. nouo iure.

Dico II. Si Iudex sine dolo per imperitiam malè iudicauit, ex quasi delicto tenetur parti læsæ ad aliquam compensationem damnorum, sicuti vir prudens, inspecta qualitate causæ, diiudicans arbitratus fuerit: quare litem suam Iudex imperitè iudicando facere dicitur, id est, damnum partis læsæ in se transferre, Institut. de obligat. ex quasi delicto, princip. l. ex maleficijs, §. si Iudex, ff. de action. & obligat. l. vlt. ff. de varijs & extraord. cognit. Et habent hæc etiam locum in arbitrio: quia arbitria ad formam iudiciorum redacta sunt, l. 1. ff. de arbitris: item in Tabellione malè conficiente instrumenta: aut testium allegationes perperam excipiente: quia *imperitia culpæ annumeratur*, reg. 174. ff. in ijs maximè personis, quæ acceptando officium, se eius peritas esse hoc ipso profitentur.

Dico III. Si Iudex alioquin non imperitus, sed ad tale munus idoneus, eam, quam moraliter debet, diligentiam adhibeat: sed nihilominus ex humana fragilitate & obliuione inter iudicandum erret, in foro conscientiæ non tenetur restitutionem facere ex proprijs: quandoquidem iniuriam formalem non intulit: neque, vt ponimus, aliquid commodi ex tali sententia à parte læsa accepit: ideòque ex neutro capite restituendi, videlicet nec ratione rei acceptæ, nec ratione iniustæ acceptionis, læsionísue obligatus est.

Dico IV. Quia tamen Iudex causa fuit, vt damnum saltem materialiter iniustum parti inferretur, debet sententiam retractare, & reuocare, si sine graui suo incommodo possit, suadendo v. g. parti læsæ, vt causæ reuisionem postulet: quin & ipsemet Iudex, si ordinarius sit, sententiam suam, quam contra leges tulit, tanquam irritam reuocare potest, arg. l. si Præses, C. quomodo, & quando Iudex, &c. & l. si accusatoribus, C. de accusat. iuncta Gl. ver. eundem, Abb. in c. fraternitatis, n. 18. de frigidis, vbi singulariter notandum ait: Licet sententia iniustè lata, nisi ab ea appelletur, trãseat in rem iudicatam, eíque pro quo iudicatum fuit, acquiratur actio in factum, iuxta l. cum prolatis, ff. de re iudicata: fallere tamen, si sententia ipso iure sit nulla, videlicet manifestè contra leges lata, sicuti constat ex l. si cùm inter, C. quando prouocare non est necesse. Vide etiam Innoc. in c. 1. de re iudicata, eundem, & Abb. c. qualiter, 1. n. 6. de accus.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum aliquis in propria causa iudex esse possit? Responsio est negatiua, ex l. vni C. ne quis in sua causa iudicet. Ratio est: Quia Iudex debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes, vti habetur in c. 1. iuncta Gl. causa 4. q. 4. Excipitur primò, Nisi sit Princeps, seu Iudex supremus comparatione subditorum suorum, qui, nisi aliud constitutionibus regni receptum sit, cum Consiliarijs suis agnoscere, ac definire litem potest, vti colligitur ex l. vn. C. si quis Imperatori maledixerit, in fin. l. proximè, ff. de his quæ in testamento delentur. Ratio exceptionis est: tum propter plenitudinem potestatis, secundùm quam à subdito cogi non potest, vt alterius arbitrio se subijciat: tum quia præsumitur, à supremo Principe seu Magistratu, tanquam fonte legum, ac iustitiæ, atque optimis Consiliarijs cincto, nihil nisi iustum erga subditos promanare posse.

Excipitur secundò. Nisi causa notoria sit, quòd Iudex ratione publici officij iniuriam passus fuerit: quo casu potest Reum sine alio iuris processu incontinenti punire, vt iurisdictio sua, & publica potestas defensa permaneat, sicuti resoluit Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 39. exemplum afferens de eo, qui literas iniuriarum plenas ad senatum quendam scripserat, ob quod facinus à senatu rectè in carcerem conijci, atque puniri potuit.

Excipitur tertiò. Quòd Prælatus Iudex esse potest in causa Ecclesiæ suæ, sicuti docet Gloss. communiter recepta in c. si erga, ver. priuetur, 2. q. 7. Abb. in c. ad audientiam, n. 8. de appellat.

Excipitur quartò. Quòd Iudex à parte requisitus, si dubitetur, an cognoscendi, iudicandíque potestatem habeat, id ipsum ante omnia discernere potest, l. si quis ex aliena, ff. de Iudicijs, vbi dicitur. Quòd *Prætoris est æstimare, an sua sit iurisdictio*. Et in l. 2. ff. si quis in ius vocatus: *Ex quacunque causa ad Prætorem, vel alios qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictio eius sit.* Intelligitur autem id, si rationabile dubium esse possit: secùs, si omnibus notorium existat, aliquem à iurisdictione citantis exemptum esse: hoc enim casu citatus comparere non tenetur, v. g. Clericus à Iudice

laico citatus, sicuti docet Gl. recepta in c. veniens, ver. propter contumaciam, de accusat. Videri potest Innoc. in c. præterea, de dilationibus, Abb. in c. ex parte, de rescriptis, D. Martha de iurisdict. p. 2. c. 4.

12 Porrò hinc vniuersim inferri potest; Dictum illud, Quòd *nemo in propria causa iudex esse debet*; intelligendum esse, ne directè id fiat in propriam vtilitatem sententiam ferendo, sicuti notat Gl. in cit. l. si quis ex aliena, ver. æstimare: Interim verò permissum est Iudici ordinario, suborto dubio, vtrum causa aliqua, quæ ad ipsum defertur, suæ iurisdictioni subiecta sit, idipsum cognoscere: eóque dubio affirmatiuè resoluto, ad causæ principalis determinationem procedere, arg. c. ad Apostolicam, de Simon. vbi Abb. notat n. 3. Quòd Episcopus non tantùm sibi vendicet iurisdictionem compellendi laicos ad obseruandas consuetudines Ecclesiarum laudabiles: sed etiam orto dubio, num consuetudo laudabilis existat, idipsum determinare possit: quia in eiusmodi casibus non nisi indirectè iudicat in causa propria, quatenus id necessarium est, vt ordinario suo iudicandi officio satisfaciat.

Aliud exemplum: Episcopus in sui electione, proposita sibi capitulatione, intra alia iurare debuit Capitulo, quòd in tali rerum genere nihil immutare velit. Post confirmationem diœcesani ius sibi ab ipso pronunciari postulant: Episcopus autem antè edito iuramento impediri videtur, quominus in tali causa procedere possit. Arbitror, hoc casu non impediri Episcopum, quominus, cum consilio prudentum, cognoscat de viribus iuramenti præstiti, aut quousque se illud extendere debeat, vt deinde appareat, vtrum in causa principali ad instantiam partis progrediendi ius habeat, nécne. Alioquin enim Episcopus in consistorio suo ad gubernandam diœcesin sufficiens sibi non foret, si ortâ controuersiâ circa fundamentum suæ iurisdictionis, illam dirimere non posset.

Veruntamen si Iudex à parte contendente tanquam suspectus recusetur, iustitiam huius recusationis cognoscere non potest; sed causâ supersedendum ipsi erit: quia exceptio suspicionis (nisi notoriè friuola sit) sicuti Iudicem inhabilem reddit, quominus cognoscere possit super principali: ita, & multò magis, super incidente: cùm per talem exceptionem ad indignationem prouocetur, sicuti notat Abb. c. requiris, n. 12. de appellat. Gaill. lib. obser. 34. n. 6.

CAP. III.

De Actore & Accusatore.

SVMMARIVM.

1 *Qui in ciuilibus actor, in criminalibus accusator dici solet.*
2 *Citatio Rei est fundamentum omnis iudicij; nisi notorium sit, nullam ei defensionem competere posse.*
Libellus Actoris syllogismum iuridicum continere debet.
Actor, itémque Reus in iudicio contumaciter non comparens, parti læsæ ad expensas, & damna resarcienda condemnandus est.
3 *Litis contestatio fundamentum est iudicij ordinarij.*
4 *Accusatori onus probandi incumbit; non item denunciatori.*
5 *Inter denunciationem charitatiuam, & denunciationem iudicialem multiplex discrimen est.*
6 *De crimine pernicioso, si alia ratione impediri non poßit, accusare, vel denunciare quisque obligatus est.*
7 *Iudex ad se delatam accusationem ordinariè admittere cogitur.*

1 QVI in ciuilibus causis actor dicitur, l. qui prior, ff. de iudicijs, is in criminalibus accusator, ff. de accusat. & inscript. Quod ad Actorem attinet; Cùm Iudex officium suum ei non impertiatur, nisi imploratus; ideo si Actor aduersarium ad certum tempus citari faciens, ipsemet tempore constituto non comparcat, instare potest Reus præsens, vt Iudex causâ cognitâ illum ad expensas condemnet, quas Reus citatus in comparendo facere debuit, sicuti habetur in l. eum quem, ff. de iudicijs. Et videtur id etiam locum habere in accusatore; quin & in Reo, si peremptoriè citatus contumaciter non compareat, quòd ad expensas Actori condemnari debeat, c. ex literis, de dolo & contumacia. Sed & omnia alia emergentia damna seu Actor, seu Reus contumax parti aduersariæ præstare cogitur, l. sancimus, C. de Iudicijs. Neque ad alteram citationem deuenire oportet, nisi contumax sufficienter caueat in iudicio sisti, c. 1. in fine, de dolo & contumacia. Denique si Reus ad trinam & peremptoriam citationem nec per se, nec per procuratorem compareat, nulla legitima causa impeditus, per Iudicem missio fieri potest in bona eius; alioquin excommunicatio inferri, sicuti constat ex c. tuæ, vt lite non contestata, &c. & docet Gl. in c. 2. ver. rationabili causa, de procurat. Sin verò Actor contumaciter non compareat, Reo præsente testes recipi, & ad definitiuam sententiam procedi posse, etiam lite nondum contestatâ, dicitur in c. causam quæ, iunct. Gl. ver. ad domum, de dolo & contumacia, & Abb. ibid. num. 15. vbi aiunt, quòd Actoris contumacia intolerabilior est, quàm Rei. Vide c. quoniam, eod. tit.

Porrò citatio, per quam Reo præsenti copia datur se defendendi & ad obiecta respondendi, adeò necessaria est naturali, ac gentium iure, vt sine ea processus iudicij, & lata sententia irrita censeatur; excepto, si notorium sit, nullam Reo defensionem competere posse, sicuti ex communi tradit Abb. c. dilecti, n. 6. de Iudic. Nauar. lib. 2. consil. 5. n. 3. de appellat. edit. 2. & in man. c. 25. n. 10. Pet. Nau. li. 2. c. 3. n. 192. vbi aiunt, si certum sit, Reum de atroci crimine iuridicè conuinci posse, nulla illi legitima exceptione, aut defensione competente, at verò ad euitandum graue malum, iuridico processu necessario supersedendum esse existimetur: tunc absque eo, ad condemnatoriam sententiam, eiúsque executionem procedere interdum Principi concessum esse. Vide etiam Mynsing. cent. 2. obseru. 91. Gaill. lib. 1. obseruat. 48. & seq. 2

Ad Actorem etiam pertinet; postquam Reus citatus comparuit, libellum intentionis suæ ante omnia Iudici offerre: & per Iudicem ipsi Reo, vt is deliberare possit, cederéne, an litigare malit, Auth. offeratur, C. de litis contestat. l. 3. C. de edendo, &c. 1. de libelli oblatione, vbi Gl. ver. libellum reclamationis. Quòd si actione personali agatur, causa obligationis in libello exprimenda erit: v. g. *peto centum ex mutuo, ex vendito.* Sin actione reali, dominium necessariò inserendum est libello: v. g. *peto hanc rem, quia mea est*, sicuti ex communi docet Andr. Gaill. lib. 1. obseru. 61. Quare dicunt aliqui, quòd libellus Actoris syllogismum iuridicum continere debeat, cuius propositio sit principium iuris; assumptio verò facti speciem, conclusio petitionem contineat: v. g. Emptor rei obligatus est ad soluendum pretium, tradita ipsi merce: Titius à me emit equum, quem eidem tradidi, vel tradere paratus sum: Ergo peto, vt Titius emptor equi mihi pretium soluat. In quo proposito Actor probare debet suum intentum, videlicet quòd equus à Titio emptus, ipsíque traditus sit: quia affirmanti probatio incumbit, l. 2. ff. de probationibus. Sin verò Reus contra intentionem Actoris excipiat, dicendo v. g. sibi pretium equi postea donatum fuisse; tum onus probandi in ipsum Reum reijcitur, l. in exceptionibus, ff. de probat. vbi Gl. ait: *sicuti Actor intentionem suam, ita Reus exceptionem probare debet.*

Posteaquam verò Iudex libellum Actoris Aduersario, siue Reo conuento porrexit, nisi is cedere malit, ad litis contestationem venitur; cùm hæc sit basis siue fundamentum iudicij ordinarij, sicuti constat ex tit. decretal. Vt lite non contestata, non procedatur ad testium receptionem, vel sententiam definitiuam, 3

& notat ibi Gloss. cap. 1. ver. ad definitiuam. Fit autem litis contestatio per petitionem Actoris in iudicio, & Aduersarij responsionem, animo confligendi, c. dudum, §. licet, de elect. & c. 1. de litis contestatione. Ex quo apparet, idcirco appellari litis contestationem; quod Actor ius sibi esse testetur; Aduersarius autem contrarium contestetur. In summario autem siue extraordinario iudicio contestatio litis non requiritur.

Alius porrò est libellus, qui *infamationis*, seu famosus appellatur in cap. inquisitionis, §. tertiæ, de accusat. Si quis per schedulam publico, aut priuato loco positam, vel affixam, Iudicem moneat, vt de tali crimine inquirat, non adscripto suo denuntiatoris nomine; licet alia indicia, vel etiam testes inserantur. Ex eiusmodi schedula Iudici procedendum non esse, habetur in cit. §. tertiæ; imò talis infamator plerumque puniendus est, sicuti colligitur ex cap. quidam, 5. quæst. 1. & l. vnic. Cod. de famosis libellis. Monet tamen Molina tract. 4. disput. 35. post oblatam eiusmodi schedulam seu libellum, Iudicem ex officio procedere posse, ac debere in duobus casibus: I. est; Si infamia publica criminis antecessit. II. Si crimen perniciosum sit in futurum; tunc occultè, & cautè inquisitionem, aliáque facere debebit.

4 QVÆSTIO PRIMA. Qua ratione Actor in criminalibus, seu accusator, differat à denuntiatore? Respondeo; In eo potissimùm, quòd accusatori incumbat onus probandi criminis: qua in probatione si deficiat, & calumniator appareat, pœna plectitur talionis, id est, tali, qualem alteri per calumniam inferre intenderat, iuxta l. vlt. Cod. de accusat. & inscript. l. vlt. Cod. de calumniator. l. ab Imperatore, ff. de præuaricatoribus, & docet S. Thom. 2. 2. quæst. 68. a. 4. Quanquam pœna talionis, sicuti & inscriptio accusatoris, hodie vix in vsu est; sed arbitraria imponi solet, si Iudici appareat, illum calumniandi animo, non probabili errore ductum, ad accusandum accessisse, iuxta l. 1. ff. ad Turpillianum: & ita docet Pet. Gregor. Tholosanus lib. 31. syntagm. cap. 10. Couarruu. 2. resolut. c. 9. num. 1. atque colligitur ex cap. super his, de accusat. Denuntiatori autem onus probandi criminis non incumbit, sed solùm aperiendi indicia, quibus Iudex ex officio moueri possit ad vlteriorem inquisitionem. qua de re Clarus lib. 5. sent. §. fin. q. 7.

Notum autem est ex ijs, quæ dixi hoc lib. tract. 3. de iust. p. 2. cap. 4. Duas esse denunciationes: Vnam charitatiuam, (sub qua etiam canonicam, & regularem comprehendo) & alteram iudicialem, quæ sola huc spectat. Inter has autem denunciationes multiplex discri-
5 men est: I. Quòd finis charitatiuæ denunciationis sit, emendatio fratris, vel vt tertiæ personæ, aut bono Communitatis prouideatur: quamobrem hæc denunciatio ex motiuo virtutis charitatis procedere debet. At verò finis iudicialis denunciationis est, vt satisfiat Communitati læsæ: tendit enim in quandam iniuriam Communitatis, si eius membra delinquant: quare hæc denunciatio per se, ac directè procedit ex motiuo iustitiæ vindicatiuæ.

II. Etsi denuncians charitatiuè crimen nec probare, nec indicijs sufficientibus ostendere possit, quia solus vidit, audiuit, tamen denunciare potest Prælato, si existimet fidem ipsi aliquam habendam fore. At verò iudicialiter frustra denuntiaret, cùm Prælatus sine infamia, & sine indicijs criminis, ad eius punitionem procedere non possit, vt paulò antè dixi.

III. Qui iudicialiter denunciat, nomen suum (communi iure) inscribere debet, & postea vocatus coram Iudice comparere ad publicam testimonij depositionem, Reique conuictionem: Qui autem charitatiuè denunciat, nomen suum inscribere non debet: imò Prælatus deferentem manifestare nullo modo potest, nisi necessitas postulet ad finem correctionis obtinendum; tunc enim deferens consensum dare tenetur, aut, si dare nolit, ipso etiam inuito, reuelari poterit.

IV. In denunciatione charitatiua Prælatus non debet crimen occultum, atque graue alijs manifestare, si solus id emendare possit: secùs, si solus non possit, tum manifestare debebit alteri personæ, quæ idonea sit ad remedium adhibendum, (tametsi delati Superior sit) sin vnus non sufficiat, duobus, vel pluribus, quatenus necesse esse videtur ad criminis emendationem, vel vt tertiæ personæ, aut bono communi prouisum sit. At verò denunciatio iudicialis eò directè tendit, vt Reus per testes conuictus, aut confessus, in publicam notitiam deueniat.

Porrò licet Prælatus crimen occultum sibi charitatiuè denunciatum non euulgare, sed secretum tenere debeat: nihilominus eius notitia in gubernatione vti potest, quatenus licet sine secreti violatione, & citra denunciati infamiam: videlicet inuigilando homini, in alium locum mittendo, sub aliqua probabili ratione ab officio remouendo.

QVÆSTIO SECVNDA. Vtrum aliquis ad accusandum obligetur? Respondeo ex doctrina S. Thomæ quæst. 68. a. 1. Syluest. ver. accusatio, quæst. 2. & dico I. De crimine perniciose, cuius damnum alia ratione impediri nequit, accusare aliquis obligatus est, licet plerumque sufficiat denunciare iuridicè, vel canonicè. 6
Plerumque dico: Interdum verò contingere potest, vt bono communi, vel personæ particulari non satis prouideatur, nisi contra Reum processus iudicialis instituatur: hoc casu obligatus erit subditus ad denunciationem iudicialem, vt Reus per testes, aut indicia conuincatur, & malum emendetur. Dummodo denunciator existimet, se effecturum, vt fides ipsi habeatur: cùm alioquin frustra laboraret, & suspicioni calumniæ se obijceret.

Dico II. De alijs criminibus non perniciosis in futurum nemo accusare obligatus est, sicuti constat ex l. vn. C. vt nemo inuitus agere, &c. Imò quod attinet ad crimina priuata: præstat vt læsus iniuriam condonet, sicuti notat Sotus memb. 2. quest. 5. conclus. 2.

Porrò quilibet in iudicio accusator esse potest, nisi iure prohibeatur, secundùm Gloss. in rubr. Cod. Qui accusare non possunt. Quæ autem personæ ab accusando repellantur, vide in Gl. ibid. & apud Clarum cit. §. fin. q. 14. & 15. Iacob. Nouellum tract. de defensionibus, c. 2.

QVÆSTIO TERTIA. Vtrum Iudex ad se delatam accusationem admittere teneatur? Responsio est affirmatiua: Quia ad Iudicis officium pertinet, vt iustitiam administret partibus postulantibus, seu proprij, seu publici boni causa. Excipe: Nisi bonum publicum postulare videatur, vt à iudiciario processu, & condemnatione abstineatur: puta quia Reus Reipublicæ valde vtilis est: vel si ex accusatione, aut condemnatione grauis tumultus populi timeatur: tali casu Iudex accusationem ab initio repellere debet: vel si iam inchoata causa est, eam suspendere, & ad superiorem Iudicem transmittere: ad quem denique pertinebit, si ita Reipublicæ expedire videatur, accusationis causam omnino abolere, sicuti docet S. Thom. 2. 2. quæst. 68. a. 3. ad vlt. Caiet. eod. a. §. sed occurrit hoc dubium, Sotus memb. 2. q. 5. conclus. 5. in fine, Less. lib. 2. c. 30. dub. 3. Si tamen agatur de iniuria, vel damno partis læsæ, curandum est, vt ipsi etiam hoc casu, quatenus fieri potest, satisfiat. 7

CAP. IV.

De Probationibus.

SVMMARIVM.

1 *Probationes in causa ciuili variæ sunt: videl. per testes, per instrumenta, aut libros antiquos; per famam indicia.*

2 *Instrumentorum duplex genus est; publicum & priuatum.*

3 *Duo testes ad plenam probationem ordinariè requiruntur, & sufficiunt.*

Laicorum testimonium contra Clericum in causa criminali plerumque admitti non debet, tanquam sufficiens ad probationem plenam.

4 *Testes debent esse omni exceptione maiores: multi enim iure repelluntur: qui tamen plerique admittuntur, si crimina excepta sint.*

5 *Testes in iudicio debent esse iurati; & de eodem facto singulari contestari.*

6 *In quibusdam causis non iudicialibus, nec alteri præiudicantibus, sufficit testimonium hominis vnius.*

7 *Vnius testis, omni exceptione maior, ordinariè in iudiciali foro efficit probationem semiplenam.*

8 *Testis à competente Iudice legitimè interrogatus veritatem fateri obligatus est.*

6 *Certi tamen casus sunt, quibus aliquis interrogatus de crimine testificari non tenetur.*

10 *Parentes contra liberos; & liberi contra parentes, in testimonium non vocantur, exceptis criminibus valde atrocibus, si alij Testes haberi non possunt.*

1 POST litis contestationem, & iuramentum de calumnia, si id exactum fuerit, ad probationes deuenitur, quæ in causa ciuili variæ sunt; videlicet per Testes, l. 3. ff. de Testibus, per instrumenta, aut libros antiquos, c. cùm causam, & c. vlt. de probat. c. cùm Ioannes, de fide instrumentorum; vbi dicitur, quòd *instrumentorum fides, & depositiones Testium in litibus exercendis eandem vim obtinent.* Item per famam, indicia seu præsumptiones, iuxta cit. c. cùm causam. Quòd si eiusmodi probationibus Actor causam suam probabiliorem reddere non possit, Reus (etsi nihil præstiterit) obtinebit, c. vlt. §. sanè, de iureiur. Neque cogi potest Reus, vt propria instrumenta Actori edat, c. 1. de probat. l. 1. & 4. C. de edendo: cùm nimis graue futurum sit, si quis contra se producere debeat ea, quibus ab aduersario oppugnetur, l. nimis graue, Cod. de Testib. secùs, si sint instrumenta communia: ad ea enim edenda Iudex, petente parte, alteram cogere debet, c. G. perpetuus, de fide instrumentorum. Item si certum sit, nec alter neget, se emphyteutam esse, cogi potest à domino, vt instrumenta emphyteuseos edat, sicuti dixi suprà hoc lib. tract. 4. c. 24. num. 6.

2 Porrò instrumentorum duplex genus est; publicum, & priuatum. Instrumentum, siue scriptura publica dicitur, quæ per publicam manum, videlicet Tabellionis, legitimè confecta est, c. 2. de fide instrumentorum. Verùm & acta iudicij apud Iudicem conscripta à duobus Testibus, qui publice Notarij fidem supplere possunt, publicam fidem merentur, vti habetur in c. quoniam, de probat. Imò consuetudo passim obtinuit, vt protocolla à Notario, vel simili persona in publicis actibus scripta, sine alia obsignatione, vel subscriptione, fidem faciant; si nulla fraudis suspicio subesse possit, & non agatur de rebus magni momenti. Idémque sentiendum de libris censualibus, & similibus antiquis scripturis, sicuti colligitur ex c. ad audientiam, de præscript. vbi id notat Abb. num 11. & in c. cùm causam, de probat. Mynsing. cent. 6. obser. 26.

Scriptura verò priuata dicitur, quæ à priuato homine, nulla publica auctoritate confecta est; cuius ea conditio, vt si sola sit, ac Testium subscriptione, &c. non munita, contra auctorem suum probet; non item pro ipso, iuxta l. rationes, ac l. exemplo, ff. de probat. quibus habetur, quòd ex scriptura propria creditoris non ostenditur debitum. Notat tamen Abb. in c. postulationem, num. 30. de postul. Prælat. Æquum esse, vt rationibus mercatorum, saltem in minoribus debitis, fides habeatur etiam pro ipsis; sicuti creditur contra ipsos. Quia alioquin officium ipsis à publico Magistratu creditum, cum tacito mandato, vt codicem rationum conficiant, eis damnosum foret. Opus tamen est Iudicis arbitrio, vtrum fraus subesse possit.

In causa criminali maiorem notitiam, eámque publicam seu iudicialem Iudex habere debet, vt Reum condemnare possit. Duobus autem modis crimen in iudicio notorium redditur: Videlicet, si reus illud in iudicio confessus sit; vel si de crimine conuictus: eáque conuictio plerumque fit per Testes. Præter hos tamen est extraordinarius modus veniendi ad condemnationem; si Iudex præsentibus pluribus (id est tribus, vel quatuor, ait Less. c. 30. dub. 4. num. 23.) criminosum in flagranti crimine deprehendit: quia *de manifesta, & nota pluribus causa non sunt quærendi testes*, cap. de manifesta, 2. quæst. 1.

De Testibus est, QVÆSTIO PRIMA. Quot Te- 3
stes ad probationem requirantur? Respondeo: In omni causa Ecclesiastica, & seculari, ciuili & criminali, ad plenam probationem contra alterum, præter Actorem, vel Accusatorem, requiruntur, & sufficiunt duo Testes, si idonei sint, & omni exceptione maiores, sicuti constat ex c. licet, de Testib. l. iurisiurandi, C. eod. l. vbi numerus, ff. eod. Et consentit lex vetus Deut. 17. & 19. quam vt gentium consuetudine confirmatam, imò & naturali iuri valde consentaneam, allegauit Christus Matth. 18. *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Ratio est: Quia plerumque periculum subest, ne vnus homo peruerti possit: sed non tam facilè duo peruertuntur, saltem vt per omnia conformiter loquantur, & falsitas se non prodat, vti videre est in duobus senibus cap. 13. Danielis, & videri potest Simanca de Cath. institut. tit. 64. n. 32. Pet. Nau. lib. 2. c. 3. num. 199.

His adde, etiam ad condemnandum Sacerdotem, vel Episcopum duos idoneos Testes sufficere, si non de iure; propter c. præsul, 2. q. 5. saltem de consuetudine, sicuti notauit Gratianus in c. 1. ead. q. 2. Clarus in §. fin. quæst. 66. Prosper Farinacius quæst. 63. num. 235. & 244. Less. cit. dub. 4. num. 27. Laicorum tamen testimonium contra Clericum in criminalibus communiter non admittitur, vt sufficiens ad probationem plenam, sicuti constat ex c. de cætero, de Testibus: quia laici solent esse infesti Clericis. Præterquam si crimen exceptum sit, sicuti ibi notat Gl. ver. suam; vel etiam in subsidium, quando crimem aliter probari non potest: vt si in villa commissum sit coram solis laicis, quæ est doctrina Abb. cit. cap. de cætero, num. 3. quam sequitur Prosper Farinacius quæst. 61. num. 107. & alij. Debet autem, vt suprà etiam dixi, Testis esse distinctus ab Accusatore, imò etiam denuntiatore: quamuis in quibusdam causis, vt quibus agitur de peccato impediendo; v.g. ne matrimonium cum impedimento contrahatur; denuntiator etiam in Testem admittitur, sicuti notauit Abb. cap. iurauit, num. 2. de probat. Iosephus Mascardus volum. 1. conclus. 26. n. 7. Prosper Farinac. q. 60. n. 72. arg. c. in omni negotio, de testib. & attestat. Item in causis leuibus, & non infamantibus creditur denuntiatoribus Officialibus, sine alio Teste, vti docet Mascardus n. 9. Farinac. n. 74. Less. cit. dub. 4. num. 32.

QVÆSTIO SECVNDA. Qui, & quales Testes ad 4
testificandum admittantur? Respondeo & dico I. Quilibet potest esse testis, nisi iure prohibeatur, sicuti notat Syluest. ver. Testis, q. 1. Farinac. q. 53. nu. 1. & colligitur ex l. 1. ff. de testib. Imprimis verò prohibetur inimicus eius, aduersus quem testimonium fertur, l. 3. ff. de Testibus.

Imò in criminibus, etiam exceptis, vt hæresi, lesæ Maiestatis crimine,&c.in quibus alioquin inhabiles admittuntur, inimicus repellitur; dummodo inimicitia grauis sit secundùm Iudicis arbitrium, sicuti constat ex cap.per tuas,1.de simonia,& docet clarus §.fin.q.24.n.5. Binsfeld. de confess. maleficiorum, memb. 2. conclus.6.corol.6. §. dices, Gomez 3.resol. c.12.n.14.Farinac.q.53.n. 5. Less. c. 30.dub. 5.n.37.

Secundò, repelluntur consanguinei,& affines eius,pro quo testimonium dandum est, sicuti colligitur ex cit.l. 3. & cap. similiter,5.q.5.c. absens,2. causa 3. q. 9. Verùm in ciuilibus causis, si non arduæ, & multùm præiudicantes sint, tales personæ admittuntur, teste Mascard. conclus. 68.n.10.Farinac.q.53.num.24.

Tertiò, Domestici eius, qui Testes producere debet, in causis cùm ciuilibus, tum criminalibus repelluntur, iuxta l. Testes, ff. de Testibus, l.1.§.ad quæstionem, ff. de quæstionibus,l. etiam,C.de testibus, c. si Testes, 4. q. 3. Domestici autem alicuius dicuntur non tantum vxor, filij, & serui; sed & liberti, famuli conductitij, & alij familiares; saltem si eis aliquo modo imperare possumus, iuxta l. respiciendi, ff. de pœnis & docet Abb. c. in literis, num. 5. de Testibus. Veruntamen in subsidium, si veritas aliter haberi non possit, domestici Testes etiam admittuntur, v. g. in causa adulterij, sicuti docent DD. communiter l. consensu, C. de repudijs, Farinacius q.55. num. 35.

Quartò repelluntur infames infamia iuris,sicuti constat ex c. licet ex quadam, c. testimonium, de Testibus. Nam testimonium in iudicio ferre, numeratur inter actus legitimos, à quibus infames arcentur. Sed neque infames infamia facti ad testificandum in causa criminali, aut ardua ordinariè recipiuntur,vti videre est apud Couar. in pract. qq.c.18.num.1.sed interdum in defectum, si aliter veritas cognosci non possit; vt quia crimen suapte natura occultum,vel etiam in occulto loco commissum est, sicuti docet Clarus q.24.num.13.Farinac.quæst. 56. num. 56.Binsfeld. de confess. malef. memb. 2. conclus. 6. §.5. Less.dub.5.num.30. Attamen eiusmodi infamis personæ testimonium nullam fidem meretur sine tormentis,sicuti habetur in l. ob carmen, ff. de Testib. quamuis id non vbique obseruari, testatur Binsfeld. memb. 2. conclus.5. Porro in causa ciuili non ardua infamia facti laborans admittitur; quamuis minor fides habeatur.

Quintò, Persona vilis, & inops, si de ea, Iudicis arbitrio, suspicio sit, quòd pecunia corrumpi potuerit; secùs si honesta, & bonæ famæ, sicuti ex communi docet Abb.c.si qui testium, in fine, de testibus, Syl.ver.testis q. 1. Less. num. 39. Farinac. q. 57. n. 1. ex l. 3. ff. de Testibus.

Sextò, Pagani, Iudæi, & à Fide apostatæ contra Christianum testificari non permittuntur, c. non potest, & seqq. 2.q.7. *Qui enim diuina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt*, vti ex S. Aug. refertur in c. ipsa pietas, 23.q.4.

Septimò, Socius criminis ad testificandum adhibendus non est, sicuti constat ex l. vlt. C. de accusat. l. quoniam, C. de Testibus, c. veniens, 1. de Testibus, c. 1. de confessis, vbi id docet Abb. & Gomez lib. 3.resol.c.12.n. 16. Less.n.39. In criminibus tamen exceptis, & talibus, quæ sine socio admitti non possunt, criminosus examinari potest de sociis; eiúsque testimonium fidem facit, sicuti alterius hominis vilis,infamis, aut suspecti.

Octauò, Mulier secundùm forum canonicum, in testem produci non potest in causa criminali, c. mulierem, 33. q. 5. & c. forus, de verbor. significat. iunct. Gl. secùs verò est in foro ciuili, sicuti constat ex l. ex eo, ff. de Testibus, & ex communi docet Abb. c. quoniam, n. 2. de Testibus, Gomez cit.c.12.n.13.Farinac.q. 59. n. 17. Less. cit.dub.5.n.36.Clarus q.24.n.4.

Nonò, minor xx. annis in criminalibus repellitur à testimonio, l. in testimonium, ff. de Testibus. In ciuilibus autem admittitur, si pubes sit; non item impubes, iuxta l. 3. ff. de testibus, §. lege Iulia, & docent Syluest. Gomez, Less. ll.cc. Farinac. quæst.58.num.1.& 20. Deinde in crimine excepto, & valde pernicioso depositio puberis ætate minoris aliquod iudicium facere poterit, sicuti docet Binsfeld. de confess. malef. mem.2. conclus.6. in fine.

Decimò, in causa propria nemo admittitur testis, l. nullus, ff. de testibus. Propria autem causa ea censeri debet, cuius emolumentum, vel damnum ad aliquem suo nomine pertinet, l.1.§. in propria causa, ff. Quando appellandum sit. Quapropter Prælatus,& Clerici in causa Ecclesiæ non prohibentur esse testes, iuxta c. insuper, de testib. & c. tertio loco, de probat.vbi id notat Abb.nu.2. quia non censentur moueri proprio commodo. Debet autem Iudex ex officio Testes prohibitos repellere. Interdum tamen Testes, præsertim in causis ciuilibus, minùs idonei reputantur;quia contra eos Reus excipere potest; videl.quòd sint familiares, seu domestici Actoris: Sin verò Reus non excipiat, nihil obstat, quin eorum testimonium Iudex admittat, sicuti notat Abb. in c. bonæ, n. 9. de postul.Prælat. Deinde idem Abb. in c.tertio loco, n. 5. monet, quòd *propter defectum Testium surgentem ex natura rei, admittuntur Testes alioquin minùs idonei.*

Dico II. Testes debent esse iurati; alioquin ijs non 5
creditur in præiudicium alterius, cap. de testibus, c.tuis, c. nuper, de Testib. & attestat. l. iurisiurandi, C. eod. nisi ille cuius interest, iuramentum sponte remittat, iuxta c. tuis quæstionibus, iunct. Glos. ver.remittatur, de Testibus: Et debent Testes deponere de sensu; videlicet se vidisse Titium occidentem, audiuisse blasphemantem. Si enim deponant de auditu, ideóque non de ipso crimine, sed de fama criminis, aliòve indicio; licet duo, pluresve sint, non ostendunt facinus commissum esse, sed solùm indicium eius afferunt; quod interdum sufficit ad probationem semiplenam, iuxta doctrinam Bart. in l. vlt.ff.de quæstion. Nau.c. quis aliquando, §. non tibi dico, n. 22. d. 1. de pœnit. Ac demum testari debent de eodem facto speciali, vt sint contestes: Quare si vnus de vno furto testetur, alius de alio; vel vnus testetur se ex ore Titij audiuisse vnam propositionem hæreticam, alius aliam, non efficiunt plenam criminis probationem, quæ sufficiat ad condemnandum pœna ordinaria, sicuti docet Caiet.2. 2. q. 70. a. 2. Mascard. vol.2. conclus. 856. n. 13. Ioach. Mynsing. cent. 2. obseruat.100. Arnald. Albertin. tr. de cognos. assert. Cath.q.34.n.6.Simanca de Cathol.instit. tit. 51. n. 3. Clarus q. 53. n. 19. Less. lib. 2.c. 30. dub.4.n. 33. contra Gomez lib. 3. resol.c. 12. n. 12. Zanchin. Vgolinum tr. de hæreticis, c. 13. n. 6. & alios apud Ioan. Royas tr. de hæret. assert. 6. n.139. qui dicunt; Testes singulares deponentes de diuersis actibus specificis, videl. de diuersis propositionibus hæreticis,probare crimen hæresis in genere. Quæ doctrina falsa videtur: Cùm enim per eiusmodi Testes singulares crimen hæresis v.g.in specie plenè non probetur; sequitur neque etiam in genere satis probari: cùm genus existere non possit, nisi in specie.

Illud etiam non pauci arbitrantur, inter quos Simancha, & Less. ll.cc. Si testes deponant de eadem propositione hæretica, quamuis diuerso loco,ac tempore audita, efficere probationem plenam, quod displicet Farinac. q.64. n. 216. & alijs apud Mascardum n. 20. cùm reuera non sint contestes deponentes de eodem facto; ideóque faciliùs accidere possit, vt vterque decipiat, ac mentiatur.

Interim verum est, quòd Testes singulares deponentes de actibus diuersis, diuerso tempore commissis, etsi non probationem perfectam, magnam tamen præsumptionem contra Reum, & plusquam semiplenam

probationem efficiunt, quæ sufficiat ad torturam; imò interdum ad pœnam extraordinariam inferendam, sicuti Clarus loc. cit. annotauit, & videri potest Caiet. cit. q. 70. a. 2. Mynsing. cent. 3. obseruat. 76. Francisc. Brunus de indicijs, & tortur. p. 1. q. 2. n. 6. Farinac. q. 37. num. 34. Atque hæc in causis criminalibus, in quibus exactiores probationes requiruntur: In ciuilibus autem causis fateor, Testes deponentes de pluribus factis particularibus ad vnum finem tendentibus, sufficere posse: vt si in controuersia de possessione iuris decimandi, vnus Testis deponat de tritico, alius de hordeo, viso à se decimari: qua de re Gaill. lib. 2. obser. 66. Quin & in criminali causa, si Testes plures testentur de diuersis indicijs, ad eundem omnino effectum tendentibus; v. g. aliqui iurati deponant de viso egressu è domo occisi, alij de fuga, alij de fama publica; interdum efficere poterunt probationem plenam, seu talem, per quam animus Iudicis plenè informetur, sicuti notat Mynsing. obseru. 106. & colligitur ex l. 3. ff. de Testibus.

Quæstio tertia. Quantam fidem mereatur testimonium hominis vnius? Respondeo & dico I Dictum vnius Testis idonei sæpe dat iustam & probabilem causam credendi, sicut indicat Gl. in l. Titio fundus, ff. de condit. & demonstrat. Nau. lib. 1. consil. 1. n. 2. de Testibus & attestat. vbi ait, si vnus idoneus Testis dicat, 40. annis beneficium sine personali residentia pacificè obtentum fuisse, quod nouus beneficiatus via præscriptionis se tutum in conscientia credere possit; modò fama, vel testimonia contraria non adsint: Et in manuali c. 22. num. 82. Licet dictum vnius fide digni sufficiat, vt iustè aliquis credere possit, iuxta Gloss. in cit. l. Titio; non tamen affert necessitatem credendi: ad id enim requiruntur duo Testes, cap. cùm à nobis, de Testibus.

6 Dico II. In quibusdam causis non iudicialibus, nec præiudicantibus personæ tertiæ; vt cùm quæritur, an infans baptizatus sit, Ecclesia consecrata, &c. sufficit testimonium vnius, sicuti dicam lib. 5. tract. 2. c. 5. Item in ijs causis, quibus agitur de impediendo peccato; modò ius parti acquisitum non sit; puta in denuntiatione impedimenti matrimonij, iuxta cap. præterea, 2. de sponsal. Similiter in denuntiatione inhabilitatis ad ordines, & beneficia Ecclesiastica, admittitur testimonium vnius sin verò matrimonium contractum, vel electio, aut collatio beneficij facta fuerit, tunc ad rescindendum, vel irritum declarandum opus est plena probatione per duos saltem Testes, arg. c. super his, de accusat. & notat Nau. lib. 5. consil. 22. ad 4. quæst. de Simon. edit. 2.

7 Dico III. Vnus Testis de visu, qui sit omni exceptione maior ordinariè in externo iudiciali foro facit tantùm probationem semiplenam, quæ tamen etiam in criminalibus sufficiat ad torturam, sicuti docet Gl. in l. si quis, ver. conuictus, C. ad l. Iuliam Maiest. Clarus q. 22. Mynsing. cent. 6. obser. 97. Loquor autem de Teste, qui deponat de ipso crimine: secùs, si de indicio criminis, quantumuis propinquo: talis enim depositio efficiet probationem semiplenam solius indicij, seu signi; non autem commissi criminis: nisi plures Testes singulares de diuersis indicijs, iisq; propinquis testentur, nam quæ non prosunt singula, iuncta iuuant: veluti si vnus deponat, vidisse se Titium sanguine aspersum, ensem manu tenentem; alter vidisse se eundem ex loco delicti abeuntem, ex vrbe profugientem, sicuti præter alios docent M. Anto. Plancus, de indicijs & tort. n. 368. Arnaldus Albertinus de cognoscendis assert. hæreticis, q. 25. n. 20. Prosper Farinac. q. 86. n. 72.

Dico IV. Testis, qui minùs alioquin idoneus est, si ad testificandum adhibeatur; vel in subsidium, quia alij Testes haberi non possunt; vel ad auertendum malum in criminibus perniciosis & exceptis: non facit probationem semiplenam, sed solùm indicium, quod iunctum cum alijs indicijs, sufficere possit ad torturam, sicuti ex communi docet Less. dub. 5. n. 40. Clarus q. 22. n. 3.

8 Quæstio quarta. Vtrum Testis à competente Iudice legitimè interrogatus, teneatur veritatem sibi cognitam edicere, & de crimine testari? Responsio est affirmatiua, communiter recepta recepta, cum S. Tho. 2. 2. q. 70. a. 1. Gab. in 4. d. 15. q. 6. a. 2. conclus. 7. & constat ex tit. lib. 2. decret. de Testibus cogendis. Nam iusto Superioris præcepto parendum est; suppono autem Iudicem iustè siue iuridice exigere testimonium: si videlicet hominis infamia, iusta accusatio, vel denunciatio criminis, semiplena probatio, vel alia indicia sufficientia ad Testes examinandos antecesserint, sicuti ex communi tradit Less. cap. 30. dub. 6.

His adde primò, Si Testis legitimè examinatus tergiuersari, variare, & veritatem per malitiam celare velle videatur, interdum etiam torqueri posse, sicuti ex communi docet clarus q. 25. Prosper Farinac. q. 66. n. 96. & seqq. Adde secundò, Si Testis, quamuis per errorem, obliuionem, &c. falsum deposuerit, debere suum dictum reuocare ante latam sententiam, si speret se prodesse posse, saltem ad hoc, vt non sit Testis integer, seu omni exceptione maior, iuxta c. præterea, de Testib. cog. & docet Nau. c. 25. n. 40.

9 Sunt verò alicui casus, quibus aliquis interrogatus de crimine testari, vel denunciare non tenetur: Primus, & notissimus est, si nouit ex Confessione sacramentali.

II. Si crimen occultum est, ita vt nulla publica de eo indicia adsint: quamuis fortè duobus, vel tribus cognitum fuerit: hoc casu non tenetur aliquis de eo testificari, nisi crimen perniciosum sit. videri potest Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 219.

III. Si quis accepit sub sigillo secreti, vt consilium, vel remedium adhiberet misero delinquenti, puta medicus, obstetrix aduocatus, vir doctus, aut valde amicus. Ita docet Nau. c. 25. n. 46. Per Nau. lib. 2. c. 4. n. 222. Corduba lib. 1. quæstionarij, q. 43. dub. 2. Mol. tr. 4. disp. 5. n. 3. Less. cit. dub. 6. n. 42. & 45.

Quæ sententia certa est, si Iudex iuridicè interrogans, nesciat, notitiam cum pacto iusti secreti acceptam esse: tunc enim non præsumitur obligare velle ad reuelandum nisi agatur de malo in futurum impediendo. Cùm alioquin miseris hominibus omne iustũ solamen, consilium, aut remedium intercluderetur. Sin verò Iudex sciens, vel suspicans, secretum commissum esse, v. g. medico, vel obstetrici, legitimè inquirat, quia præcessit criminis infamia, vel semiplena probatio: tum arbitratur Abb. in c. intimauit, n. 3. de Testib. Sotus de secr. teg. mem. 2. q. 7. concl. 4. veritatem aperiendam esse: quia priuata pactio secreti seruandi, quamuis iuramento firmata sit, non potest iuri Magistratus præiudicare. Quæ doctrina vera quidem est, si ponamus, crimen occultum ex alio capite cognitum esse: vt si socius criminis, vel casu aliquis interueniens promissionem iuratam fecerit, se nullo casu reuelaturum: non potuit tali promissione præiudicare Iudici, quominus ipso iuridicè interrogante manifestare teneatur, sicuti rectè notat Mol. disp. 5. n. 8. Sin verò notitia criminis merè præteriti, in futurum non perniciosi, profecta est ab ipsomet criminoso, cum pacto ac veluti onere reticendi: ex eiusmodi conuentione nullum Magistratui, vel Reipubl. damnum seu præiudicium infertur: cùm, si pactum reticendi expressum, vel tacitum non intercessisset, talis criminis notitia accepta non fuisset: quare cùm pactum in se iustum, & de iure naturali sit: probabilius est, Iudicem non posse eius reuelationem homini imperare. Vide Molin. cit. disp. 5. n. 3. vbi ait: Idem sentiendum esse, si is, cui sub secreto commissum est, personæ tertiæ reuelet, quamuis iniustè, & nullo interposito pacto: quia sicuti alter reuelator iniuriam intulit rem secretam prodendo, ita tertius ille iniuriam augeret, & extenderet vlteriùs rem detegendo.

IV. Si quis notitiam delicti, alteriúsue secreti per

iniuriam acceperit, v. g. literas aperiendo, vel hominem per vim cogendo ad reuelandum: tunc ne Iudici quidem interroganti prodere iustè potest. Cùm non minùs ex delicto, quàm ex voluntario pacto obligatio iustitiæ contrahatur, ad damnum alicui datum non extendendum, sed potiùs, quatenus fieri potest, resarciendum, sicuti docet Mol. cit. disp. 5. n. 5.

V. Si scias factum Titij, de quo interrogaris, à peccato & pœna alienum esse: vt si ex ignorantia hominem pro fera occidit, si rem alienam abstulit gratia compensandi: vel grauissima necessitate adactus, sicuti notauit Nau. c. 17. n. 115. & Pet. Nau. n. 226. Nam interrogatio Iudicis procedit ex præsumptione commissæ culpæ: secundùm quàm iudicis intentionem rectè negas, factum Titij tibi cognitum esse: sicuti & ipse Titius eodem sensu negare potest, etiam iuratus, sicuti ex communi docet Less. c. 31. dub. 3. n. 14. & dicam lib. seq. tract. 3. cap. 14. n. 8.

VI. Si ex testificatione tibi, vel tuis notabile damnum impendeat, non teneris testari: nisi crimen Reipublicæ perniciosum sit, & alia ratione impediri non possit. qua de re Nau. c. 25. n. 50. Less. c. 30. dub. 6. n. 50.

VII. Parentes contra liberos: & liberi contra parentes in testimonium nec cogi, nec admitti possunt, l. 5. C. de Testibus: Exceptis criminibus atrocissimis, vt hæresis, læsæ Maiestatis, veneficiorum, &c. si alij Testes haberi non possint, sicuti docent Nau. c. 25. n. 50. Binsfeldius de confess. malefic. mem. 2. princ. Clarus q. 24. n. 22. Farinac. q. 54. n. 171. Nec frater contra fratrem, gener aduersus socerum, au socer aduersus generum ordinariè cogi possunt ad testificandum, sicuti constat ex l. lege Iulia, ff. de testibus. Sed in criminibus exceptis, & interdum in subsidium, tales personæ ad dicendum testimonium adigi poterunt.

VIII. Personæ exemptæ, aut priuilegiatæ non coguntur esse testes, v. g. Clerici coram Iudice seculari, l. inuiti, ff. de testib. c. si testes, §. item lege Iulia, 4. q. 3. Volentes tamen admittuntur, sicuti docet Gl. cit. l. inuiti, ver. non licet. Deinde in aliorum Testium, ac probationum defectum etiam dictæ personæ testificari debent: Clerici tamen coram suo Ecclesiastico Iudice, vel eo consentiente coram seculari. Qua de re Gl. in c. quamquam, ver. coram se, 14. q. 2. Gaill. lib. 1. obser. 100. n. 16.

CAP. V.

De Reo.

SVMMARIVM.

1 *Reus alius est ciuilis debiti, & alius Reus criminis.*

2 *Reus à competente Iudice legitimè interrogatus in iudicio, veritatem edicere obligatus est.*

3 *Confessarius Reum, qui conuinci non potest, non nimis vrgere debet ad confitendum crimen morte vel mutilatione dignum.*

Reus post latam à Iudice sententiam non tenetur fateri crimen, quòd antè falsò negârat.

4 *Reus à Iudice contra iuris ordinem examinatus, non tenetur crimen fateri: idémque dicendum, si rationabiliter dubitet.*

5 *Iudex Reum infamatum, vel conuictum de vno crimine, non debet examinare de alijs criminibus, quæ neque suapte natura, neque indiciis connexa sunt.*

6 *Si indicia v. g. ad capturam Rei sufficientia non fuerunt, totius etiam reliquus processus iudicij corruit.*

7 *Si Reus crimen vltro confiteatur, eius indicia det, de eo sine aliis testimoniis puniri potest.*

8 *Iudex Reum de crimine confessum non potest interrogare de sociis, nulla indiciorum suspicione aut infamia laborantibus: nisi sit crimen exceptum, vel perniciosum in futurum.*

9 *Tortura non adhibetur, nisi in criminibus grauibus, si adsint indicia grauia, sed non sufficientia ad probationem plenam.*

10 *Reus semel tortus, iterum torquendus non est, nisi nouum indicium accedat.*

11 *Iudex non debet ita torquere Reum, vt moraliter ei impossibile sit, crimen non confiteri.*

12 *Certæ personæ sunt, quas torquere non licet.*

13 *Si reus confessionem per mendacium, simulationem, dolumve Iudicis extortam postea retractet, non potest ex illa condemnari.*

14 *Saluus conductus duobus modis dari potest: I. in forma iuris communis II. in forma iuris specialis.*

15 *Reus ordinariè puniri debet in loco, vbi deliquit: verùm secundùm Germaniæ consuetudinem necessariò mittendus non est ad locum delicti.*

16 *Iudex domicilii potentior esse solet, quàm Iudex originis.*

SICVT causa alia ciuilis est; alia criminalis: ita & 1
Reus alius est ciuilis debiti, alius verò Reus criminis, vel saltem vt talis in iudicium vocatur. De Reo in criminalibus est.

QVÆSTIO PRIMA. Vtrum à competente Iudice interrogatus, commissum à se crimen fateri obligatus sit? Respondeo, & dico I. Si Iudex legitimè, & secundùm iuris ordinem interroget, præcipiatque sibi veritatem
edici, obligatur Reus in conscientia. Hæc est communis 2
sententia, quam docet S. Tho. q. 69. a. 1. Gabr. in 4. d. 15. q. 6. a. 2. ibid. Maior q. 18. Nau. c. 25. n. 35. Sa ver. iudicialis actus, de Reo, n. 1. Quia iustum Superioris præceptum obligat: vt super. cap. q. 4. argumentatus sum. Confirmatur I. Si Reus non teneretur veritatem fateri, tunc Iudex malè ageret ipsum ad id cogendo per iuramentum, ac torturam. Confirmatur II. Alioquin pleraque iudicia eluderentur, cum magno Reipubl. detrimento: quandoquidem Reus criminaliter condemnari non potest: nisi vel crimen confessus, vel de eo apertissimis documentis conuictus sit, l. vlt. C. de probat. cuiusmodi tamen probatio sæpe haberi non potest.

Contrariam tamen sententiam, tanquam probabilem, defendunt Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 142. Less. c. 31. dub. 3. Reum non esse obligatum confiteri crimen, quod morte, vel mutilatione dignum est: si intelligat, illud plenè probari non posse, ideóque nisi ipsemet se prodat, liberandum se fore. Fundamentum huius sententiæ est, quòd leges & præcepta humana ordinariè non obligent cum discrimine mortis, aut mutilationis: ob naturalem propensionem seruandæ propriæ vitæ, & corporis integritatis. Deinde si nemo cogendus est sibi sanguine iunctum denuntiare, aut prodere, l. 4. ff. de testib. l. 5. Cod eod. cur. ad seipsum prodendum aliquis cogi possit, ita vt sibi mortis, vel mutilationis causa existat?

Huius sententiæ censuram alijs committo: Id solùm 3
aduerto, eā Confessario inseruire posse, vt Reum ita persuasum, ad confitendum crimen in tali casu non multùm vrgeat: sed absoluat, sicut notauit Sa ver. iudicialis actus, de Reo n. 6. Sotus lib. 6. q. 5. a. 2. col. penult. Sequitur enim Reus sententiam non omnino improbabilem, vel saltem talem, quam Doctores aliqui probabilem iudicant, & hactenus de falsitate apertè conuicta non est.

Illud porrò extra controuersiam est, post latam à Iudice sententiam seu condemnatoriam, seu absolutoriam, desinere in Reo obligationem confitendi criminis, quod antea, quamuis iniustè, negârat: quia *finito iudicio, finitur etiam obligatio Rei.*

Dico II. Reus non secundùm iuris ordinem examina- 4
tus de crimine, videlicet cuius nec infamia laborat, neque eius expressa indicia, aut semiplena probatio extant, non tenetur illud fateri: sed amphibologia aliqua celare potest. Ita S. Th. q. 69. art. 2. Scotus in 4. d. 15. q. 4. a. 3. Maior q. 18. Gabr. q. 6. art. 2. conclus. 6. Ex quo sequitur, quòd Iudex Reo aperire debeat causæ statum, Testes de infamia, aliáue contra eum indicia: vt illi appareat, num iuridicè procedat, & ius habeat ipsum de crimine examinandi, sicuti notat Caiet. quæst. 69. art. 1. in secundo casu, notab. 3. Nauar. c. mensuram: §. non tibi dico, d. 1. de pœniten. & in rubr. de iudic. num. 59. Clarus quæst. 64. num. 23. Neque obstat, etsi Reus dissimulans veri-

tatem, quia non legitimè examinatur, intelligat exinde Iudici, Accusatori, aut Denuntiatori notam calumniæ aspersum iri: Nam *nullus videtur dolo facere, qui iure suo vtitur*, reg. 55. ff. Sensus est: Si quis ius habet aliquid agendi, non debet illi imputari damnum, quod ex actione eius per accidens euenit. Atqui in proposito casu quisque ius habet celandi suum crimen occultum, de quo illegitimè accusatur, vel interrogatur: Ergo potest illud celare, nihil obstante, quòd exinde alter calumniæ, vel mendacij suspicionem incurrat.

Veruntamen lex charitatis postulat, vt, qui crimen suum negat, vel celat; quatenus possibile est, denuntiantis famæ consulat; dicendo v. g. eum probabili ratione deceptum, malè ab alijs informatum, persuasum fuisse. Quæ resolutio non tantùm in iudicio, sed etiam in familiari consuetudine locum habere potest. Veluti, si Titio amico aliquam rem secretò commiseris, quam publicè ignorari tua interfit; postea verò Titius arcanum non sine iniuria alijs narret, ac patefaciat: poteris rem totam dissimulare, vel amphibologico sensu negare, nihil obstante, quòd Titius in mendacij suspicionem veniet. Hoc enim incommodi sibiipsi Titius imputare debebit, non tibi, qui iure tuo celandi occulti facti vsus es. Ita Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 348. Less. lib. 2. c. 31. dub. 2. Vide quæ dicam lib. seq. tr. 3. c. 13. n. 10.

Cæterùm tametsi Reus crimen suum occultum prodere non teneatur, si tamen ad sustinendam iustam criminis vindictam vltro prodere velit, opus virtutis exercebit, per se loquendo, sicuti docet Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 134. Less. lib. 2. c. 11. n. 36.

Dico III. Si reus rationabiliter dubius sit, vtrum Iudex secundùm iuris ordinem interroget; non tenetur commissum crimen fateri. Ita Caiet. cit. q. 69. a. 1. Sotus de secr. mem. 3. q. 2. conclus. 2. Sa de Reo, num. 1. Less. c. 31. dub. 3. num. 10. contra Palud. in 4. d. 19. q. 4. in fine. Nam licet in dubio plerumque pro Superiore præsumi debeat, non tamen in hoc speciali casu; cùm præceptum grauissimum est, quod proinde subditus in dubio, num iustum sit, nécne, suscipere non tenetur, sed magis pro libertate & incolumitate sua præsumere potest. Alia videtur esse ratio de Teste; quippe cùm non agatur de proprio eius periculo: quamquam non est improbabile, quod docet Sotus l. c. interdum in tali dubio sequendum esse Testi quod tutius videtur: veluti si Iudex inquirat de commisso homicidio; maius tunc periculum subest iniusti supplicij inferendi, si Iudex ius inquirendi non habeat; quàm æstimari debeat cõmodum, quod ex criminis punitione proueniet, si ius inquirendi habeat.

QVÆSTIO SECVNDA. Quousque se extendat Iudicis potestas ad examinandũ Reum, contra quem
5 indicia criminis prodita sunt? Resp. & dico I. Iudex Reũ infamatum, vel etiam conuictum de vno crimine, non potest examinare de alijs criminibus, quæ nec suapte natura, nec indicijs connexa sunt: v. g. deprehensus in furto non debet examinari de homicidio; nisi in loco, vbi furatus est, homo occisus fuerit. Ita contra Palud. in 4. d. 19. q. 4. in fine, Syl. ver. inquisitio, 1. q. 3. dicto 4. ex communi docet Adrianus quodlib. 11. diffic. 2. Caiet. 2. 2. q. 69. art. 1. Sotus lib. 5. de iust. q. 6. a. 2. Nau. in rubr. de iudic. n. 62 Pet. Nau. lib. 2. c. 4. n. 170. arg. c. inquisitionis, de accusat. §. tertiæ. Idque locum etiam habet in criminibus eiusdem generis non connexis: v. g. conuictus de vno homicidio, examinari non debet, num aliàs etiam hominem occiderit, si de hoc nulla indicia habeantur. Ratio est: Quia Iudex non potest inquirere de crimine, nisi sit aliquo modo ei tanquam publicæ personæ cognitum: Non ideo autem, quia vnum crimen hominis cognouit, alia etiam præsumptione quadam colligere potest; si connexa non sint seu antecedenter, seu consequenter, vti notauit Nauar. in cit. rubr. num. 64.

Non ignoro, aliam esse in hac re Iudicum secularium consuetudinem, præsertim in crimine furti: Nam deprehensum in vno, mox sine vlla dubitatione examinant de alijs alibi commissis furtis, quorum nulla indicia habent. Sed id non est secundùm iura, sicuti fatetur Clarus q. 64. n. 45. Binsfeld. de confess. malef. mem. 2. in princip. Excepto, si quis infamatus sit de crimine sæpius commisso: vt famosus latro, famosus fur; talis enim in vno furto, aut latrocinio deprehensus, illúdue confessus, de aliis similibus interrogari poterit, sicuti notauit Pet. Nau. cit. c. 4. n. 171.

His duo adde: Primum. Non posse Iudicem ex ijs indicijs, quæ contra iuris ordinem assecutus fuit, vlteriùs procedere, v. g. ad torturam; neque ex testimoniis, vel Rei confessione, quam iniustè extorsit, ad condemnationem: sed omnia acta irrita censeri debent. Quemadmodum nec captura, si iniusta est, & non sufficientibus indiciis nixa fuit, iustificatur per subsequentem legitimam probationem, aut confessionem: cùm ordo processus iudiciarij peruersus sit. Et ita docent Gl. & DD. in l. penult. ff. de quæstion. Binsfeld. mem. 2. concl. 7. dub. 1. §. tertiò, Clarus q. 55. n. 13. Ambros. de Vignate tract. de hæresi, q. 14. n. 162. Mynsing. cent. 3. obser. 80. Delrius lib. 5. s. 11. vbi aiunt, quod confessio extorta sine sufficientibus indicijs, est nulla; etsi millies fuerit ratificata. Addit tamen Less. c. 29. dub. 18. n. 175. quòd in tali casu supremus Iudex, qui non consensit in iniuriam, ex tali notitia moueri possit ad nouum processum instituẽdum; perinde ac si alius priuatus criminis occulti confessionem non sine iniuria extorsisset. 6

Alterum. Si Reus vltrò non adactus, nec obligatus crimen suum, vel alterius coram proprio Iudice confiteatur, puniri potest: cùm per talem confessionem crimen publicum fiat, sicuti notant DD. c. at si clerici, de Iudic. Nau. in rubr. eiusdem tit. n. 87. Quanquam etiam hoc casu oporteat Iudicem indicia siue vestigia criminis indagare, si illud sit facti permanentis: v. g. si Reus dicat, hominem se occidisse, cadauer exhumari, & inspici debet, sicuti docet Clarus ead. q. 55. n. 11. Mynsing. cent. 3. obseruat. 81. vbi ait; Quòd spontanea delicti confessio non sufficit ad condemnandum aliquem pœna capitali, nisi aliunde etiam constet, delictum commissum fuisse. 7

Dico II. Iudex Reum confessum interrogare non potest de socijs criminis, nulla indiciorum suspicione, aut infamia laborantibus. Ita habetur expresse in l. vlt. C. de accusationibus, *Nemo super proprio crimine confitentem de conscientia scrutetur aliena*; idque vtroque iure receptum esse, dicitur in c. 1. de confessis, & docet ibid. Abb. n. 4. Henricus quodlib. 9. q. 25. Gomez 3. resol. c. 12. n. 16. Clarus q. 21. n. 7. Binsfeld. mem. 2. Nau. c. 18. n. 59. man. & Pet. Nau. cit. c. 4. n. 173. Delrius lib. 5. disquis. sec. 3. Sotus mem. 2. q. 6. concl. 4. Limitanda verò est assertio I. nisi crimen tale sit, quod necessariò, & suapte natura socium requirit, vt sodomia; vel saltem communiter sine socio non committitur: tunc Iudex confessum, vel conuictum interrogare potest de socijs, sicuti docet Gomez 3. resol. c. 12. n. 16. Less. lib. 2. c. 29. n. 162. Si tamen socius criminosus omnino occultus sit, neque indicijs aut testimonijs alijs conuinci posse videatur, non tenetur Reus conuictus de illo testari; imò neque iure potest, secundum Pet. Nauar. lib. 2. c. 4. num 173. 8

II. Nisi crimen exceptum sit, videlicet in publicam perniciem tendens, vt hæresis proditio, falsatio monetæ, veneficium, latrocinium, de quibus Binsfeld. cit. mem. 2. in princip. quin etiam furtum, licet non de iure, tamen per consuetudinem, sicuti notant Sotus, & Binsfeld. ll. cc.

III. Nisi crimen committendum sit in priuatæ personæ perniciem; vt si aliqui coniurârunt in hominis necem. Verum quia Reus persona vilis, & infamis est; ideo eius confessio, seu testificatio non efficit probationem sem-

plena: nisi insuper aliud indicium, vel alterius Rei in tortura consensus accedat; tunc erit hæc sufficiens præsumptio ad capiendum, examinandum, torquendum socium, sicuti notauit Clarus q. 21. n. 8. & q. 22. n. 3. Less. c. 29. dub. 17. n. 161. Præterquam quòd fœminis ob sexus fragilitatem non æquè, ac masculis, fides habenda sit; ac proinde trium, vel quatuor consentiens denuntiatio requiratur, vt alius tanquam criminis socius capi & torqueri possit, teste Binsfeld. mem. 2. concl. 6. prob. 5. & videri potest Mascard. de probat. vol. 1. concl. 462. n. 27. Gomez 3. resol. c. 12. n. 18. Quod etiam in praxi obseruatur in processu super crimine veneficij.

9 QVÆSTIO TERTIA. An, & quibus casibus Reo suspecto tortura adhiberi possit? Respon. & dico I. In criminibus grauibus ad probationis subsidium, Reo tortura adhiberi potest. Ita habetur in l. 1. ff. l. 1. & toto tit. C. de quæstionibus. Quia alioquin passim scelera grauissima, cum magno Reipubl. detrimento, impunè patrari possent ab hominibus callidis, atque audacibus; modò operam darent, vt Testes idonei, aliáque sufficientia criminis documenta remouerentur. Dixi autem, torturam adhiberi posse in delictis grauibus, quæ videlicet pœnam corporalem, vel triremium merentur; non item in ijs, quæ pœnam pecuniariam, exilij, &c. sicuti ex communi notat Clarus q. 64. n. 4. Gomez 3. resol. c. 13. n. 2. Less. lib. 2. c. 29. dub. 17. n. 151. Nam tortura ad eliciendam criminis confessionem instituta, non debet esse tanta, vel maior pœna, quàm sit illa, quæ in eiusdem criminis condemnationem inferretur: quamobrem à tortura iniquè alicui delata appellari posse, notat Abb. in c. 1. n. 2. de confessis. Secundò dixi, torturam esse in subsidium probationis: quapropter adhiberi non debet, si Reus legitimè conuictus fuerit; vt de crimine condemnari possit, sicuti colligitur ex l. Diuus, ff. de quæstion. l. quotiens, C. eod. Nisi quod quibusdam locis consuetudo est, vt id fiat ad impediendam malitiosam appellationem, si Reus per Testes plenè conuictus crimen insuper confiteatur, sicuti Notat Clarus n. 7. Nauar. cit. c. 18. n. 59. Less. n. 152.

Dico II. ad torquendum Reum non quoduis indicium sufficit; sed debet esse graue, quod legitimè, videlicet per duos Testes, probatum, commissi criminis suspicionem, ac veluti præsumptionem Iudici pariat. Ita Antonius de Canario tr. de quæstionib. & torment. mem. 2. Prosper Farinacius in practica criminali, q. 37. n. 3. & 13. Simanca de Cath. instit. tit. 65. n. 15. & sumitur ex l. 1. princ. ff. de quæstionibus. In specie autem indicia sufficientia ad torturam numerantur à Gomez lib. 3. c. 13. n. 7. & seqq. Claro q. 21. num. 13. & seqq. Less. cit. dub. 17. n. 153. Delrio lib. 5. disquis. magic. s. 3. Videlicet, vnus Testis omni exceptione maior, confessio Rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo: nam fama, si sola sit, non probat, sed solùm habet se instar accusatoris mouentis Iudicem ad vlteriorem informationem capiendam. Alia indicia prætermitto, quia denique committitur res Iudicis prudentis arbitrio, considerata qualitate causæ, personæ, &c. sicuti rectè dixit Clarus q. 64. n. 13. Anton. de Canario cit. mem. 2. n. 8. Franc. Brunus de indicijs & quæst. p. 1. q. 3. n. 1. Binsfeld. mem. 2. post 5. concl. Delrius l. c.

10 Dico III. Reus semel competenter tortus; secundùm indiciorum grauitatem, iterum torqueri non debet. Quia per torturam toleratam infirmata censentur priùs habita indicia: secùs est, si nouum criminis indicium postea superueniat, sicuti colligitur ex l. vnius, §. Reus, ff. de quæstion. & notat Gl. marginalis in l. repeti, ff. eod. Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 22. dub. 5. Anton. de Canario tract. de quæstion. & tormentis, mem. 6. Ioan. Royas tr. de hæret. assert. 31. n. 298. Gomez c. 13. n. 25. in fine, Less. c. 29. dub. 17. n. 168. Item si Reus crimen, quod in tortura confessus erat, postridie, cùm deposito tormentorum metu in loco iudicij ad ratificationem confessionis suæ denuo interrogatur, illud reuocet, rursus torturæ subijci potest, sicuti ex communi docet Clarus q. 21. n. 36. & q. 64. n. 43. Ratio est: Quia retractatio confessionis factæ in tortura infirmat torturam; vt perinde sit, ac si nulla præcesserit; interim indicijs seu præsumptionibus prioribus in suo vigore permanentibus. Cæterùm, si tertiò ita tortus & confessus tertiò retractet, denuo non torquendus, sed plerumque absoluendus est, sicuti ex communi docent Farinac. q. 31. n. 99. Gomez l. c. n. 27. Delrius lib. 5. s. 9. Less. cit. n. 168. §. aduerte tamen, Clarus cit. n. 36. in fine. Si tamen commissi criminis indicia grauissima adsint, vt vehementem præsumptionem pariant, crimen à Reo malitiosè atque obstinatè negari; tunc sæpius Iudices, quamuis nullo nouo accedente indicio, torturam adhibere solent.

11 Illud etiam iudices meminisse debent, quòd licet tantò grauiora tormenta Reo inferri possint, quantò maiora contra eum indicia habentur; ordinariè tamen, & nisi grauissima indicia criminis adsint, cauere debent, ne talia tormenta sint, vt moraliter loquendo impossibile sit ea sufferre; ideóque cogant Reum ad confitendum. Cùm enim talis confessio quodammodo inuoluntaria censeatur, non potest in iudicio æstimari: ideóque condemnatio sequetur non propter confessionem; sed propter indicia, quæ vt ponimus, sufficientia non sunt ad condemnationem, sicuti præter alios annotauit Anton. de Canario de quæstion. & tormentis, mem. 5. n. 20. Neque enim refert, quòd extorta eiusmodi confessio altero die coram iudice & notario ratificari debet; cùm enim sciat Reus, similia tormenta sibi inferenda esse, nisi in confessione persistat, non potest ratificatio omnino libera censeri.

12 Dico IV. Quædam personæ torqueri non debent; vel ob earum imbecillitatem, videlicet impuberes, l. 1. §. impuberes, ff. ad SC. Syllanianum: quamuis terreri, & virgis castigari possint. Item senes decrepiti, l. si quis in graui, §. ignoscitur, ff. eod. quamquam etiam hi terreri possunt, ostendendo locum tormentorum, &c. Mulier prægnans, ob periculum abortus; cuius tortura differenda, donec vires ex puerperio confirmatæ sint. Vel ob priuilegium, videlicet vir nobilis, seu ordinis equestris; qui in magna dignitate constitutus est, vt Doctores, & Consiliarij Principum, eorúmque liberi: quos omnes ne leuiter quidem torqueri, seu terreri licitum est; præterquam in criminibus exceptis, videlicet hæresis, proditionis, læsæ Maiestatis, veneficiorum, sicuti videre est apud Clarum q. 64. n. 19. Gomez c. 13. n. 3. Delrium lib. 5. s. 9. Guid. à Suza, de indicijs & tortura, prope finem, Paulum Grillandum de quæstionibus & tortura, q. 6. Binsfeld. de confess. malefic. concl. 6. & habetur in l. etsi excepta, C. de malef. & mathem. iunct. Gl. ver. demonstrantur.

QVÆSTIO QVARTA. Vtrum rata esse debeat confessio Rei, quam Iudex per fictam immunitatis promissionem, aliámue simulationem extorsit? Respondeo, & dico I. Si Reus, intellecta fraude, confessionem non retractet, sed vltro in ea persistat, sciens etiam ius sibi reuocandi competere, secundùm talem confessionem damnari potest. Hæc est communis, Couar. 1. resol. c. 2. n. 16. Clari §. fin. q. 55. Menochij de arbitrar. qq. casu 567. Binsfeld. de confess. malef. mem. 2. concl. 7. dub. 3. Delrij lib. 5. disquis. magic. s. 10. conclus. 2. & 3.

13 Dico II. Si Reus confessionem per mendacium, simulationem, dolúmue Iudicis extortam, postea retractet; non potest ex ea condemnari. Ita docent Couar. Clarus Menochius, Binsfeld. ll. cc. Andr. Fachinæus lib. 9. controuers. c. 61. contra Cinum in l. præsenti, C. de his qui ad ecclesiam confugiunt, Felinum in c. afferte, de præsumpt. Si enim examinatio Iudicis iusta & legitima non est, neque confessio rata & iuridica censeri debet:

debet: atqui examinatio Iudicis facta per mendacium, simulationem, dolum, iusta & legitima non est: cùm Iudici ius non competat tali modo confessionem expiscandi. Ergo, &c.

Quare facilè soluitur contrariæ sententiæ fundamentum: Iudicem promissione immunitatis, seu fictè, seu ex animo facta, non potuisse legibus, & Reipublicæ præiudicare. Respondetur enim cum Couar. id dictum verum esse, quatenus de commisso crimine recto iuris tramite constat; non autem quatenus modo illegitimo cognitum est: eiusmodi non iuridicę cognitionis si nulla ratio habeatur, nihil iuri publico adimitur.

Non desunt tamen, qui Iudici callidas æquiuocationes ad circumueniendum Reum permittunt, eúmque dolum bonum appellant, vti videre est apud Delrium cit. loco. Exempla sunt: Iudex promittit Reo, si crimen apertè fateatur, se ipsi de publico, vel suo, quoad viuat, alimenta necessaria præbiturum; insuper nouam domũ extrui curaturum; intelligens ligneam fascium, straminúmque congeriem, in qua v. g. Saga confessa comburenda sit. Vel promittit Iudex, si Reus crimen fateatur, gratiam se facturum; subintelligendo Reipublicæ, in cuius commodum cedet, si noxij morte puniantur: Vel si crimen Reus fateatur, spondet id profuturum ipsi ad vitam; subintelligendo futuram, post mortem.

Hæc mihi non placent. Primò, quia eiusmodi locutiones, ac promissiones per circumstantias loci, temporis, ac personarum satis determinantur ad significandum eum sensum, quem Reus format; contra Iudicis mentem, ac sententiam: vt proinde non æquiuocationes; sed simulationes, ac mendacia existant, vti dicam lib. seq. tract. 3. c. 13. num. 6. Secundo: Quia Reus, postea re comperta, iustum ac probabilem errorem allegare, priorémque confessionem retractare poterit: dicendo, se crimen confessum fuisse, non omnino sponte, neque quòd verè illud commiserit; sed quia confessionem vtilissimam sibi fore arbitratus fuerit; quippe per quam tum molestiis & vexationibus Iudicis liberandus; tum verò etiam gratiam & munera consecuturus esset. Denique, si eiusmodi callidæ, vel potiùs fictæ promissiones tolerentur in iudicio, vbi nihil nisi sanctum, iustum, ac syncerum cerni debet; cur non etiam tolerentur in mutuis hominum commerciis, ac pactis? quàm autem id noxium Reipublicę futurum sit, vt nulla inter homines fides ampliùs constare possit, quis tam cæcus est, vt non perspiciat?

14 QVÆSTIO QVINTA. Quam immunitatem Reo tribuat *Saluus conductus*, siue publica fides, & securitas eundi ad certum locum, & redeundi? Respondeo ex doctrina Ioachim. Mynsing. lib. 1. obseruat. 82. Becano 2. 2. cap. 16. quæst. 6. Saluum conductum duobus modis dari posse; Primò in forma iuris communis; vt Reus contra omnem violentiam, seu vim iniustam defendatur, salua tamen iustitia seu iuris executione, quæ non obstante saluo illo conducto fieri possit. Quomodo Patres Concilij Constantiensis Hieronymo Pragensi saluum conductum dedisse, legimus sess. 6. Secundò, in forma iuris specialis, seu cum derogatione iuris communis; vt quando promittitur securitas contra omnem vim, etiam alioquin iustam, saltem in illa causa, de qua agitur, præstandam. Quomodo Patres Concilij Trident. Germanis omnibus, etiam hæreticis, saluum conductum promisisse legimus, post sess. 15. Vide plura de saluo conductu apud Gregor. de Magalottis, to. 11. tract. iuris, p. 1. col. 231. Prosperum Farinacium in pract. criminali, quæst. 29.

15 QVÆSTIO SEXTA. Reus criminis, à quo Iudice iudicandus, & puniendus sit? Est enim alius Iudex originis, aut domicilij; alius Iudex delicti, sicuti constat ex iis quæ dixi lib. 1. tr. 4. cap. 12. num. 7. Respondeo: Reus comprehensus ordinariè puniri potest, ac debet in loco, vbi deliquit. Ita habetur in l. si cui, §. penult. ff. de accusat. Authen. vt nulli Iudicum, §. si quis verò comprehensorum, & ex communi docent Couaruuias in pract. qq. cap. 11. numero 3. Clarus §. practica criminalis, quæst. 38. num. 19.

Corollarium. Si Reus hîc delinquens, aliò fugiat, & capiatur, remitti debet ad Iudicem delicti: quod intellige, si vterque Iudex sit sub eodem principatu. Tunc enim vnus Iudex alterum iuuare debet, ne crimina in regno impunita maneant, maiórque peccantibus licentia fiat. Sin verò Iudices sint sub diuersis Principibus, tunc Iudex loci, in quo Reus versatur, cogi non potest ad Reum capiendum, aut captum transmittendum: Igitur Reus securè ibi morabitur, nisi Iudex loci rogatus à Iudice, delicti, vltro eius petitioni annuere velit, sicuti videre licet apud Clarum nu. 20. Couar. num. 9.

Dixi autem in assertione *ordinariè*: quia limitationes aliquæ sunt: I. Quòd aliter obseruatur secundùm Germaniæ consuetudinem, ab Imperatore permissam, & tacitè approbatam, apud Andr. Gaill. lib. 1. de pace publica, cap. 16. n. 30. vt nulla remissio ad Iudicem delicti fiat; sed in loco captiuitatis Reus iudicium sortiatur, & pœnis afficiatur, ob delicta alibi in Imperio commissa: præterquam, si Iudex captiuitatis, ob ius amicitiæ & viciuitatis, sponte Reum remittere velit ad Iudicem delicti, aut domicilij.

II. Quibusdam regionibus in praxi obseruatur doctrina Bartoli in l. si dominum, ff. de furtis; vt si fur cum rebus subtractis, & aliò delatis deprehendatur, inibi capi, & puniri possit: Quia rem furtiuam detinens continuò delinquere censetur. de quo vide Clarum n. 16.

III. Si Reus, qui alibi deliquit, postea reperiatur, & capiatur in loco originis, aut domicilij, ibidem iudicari, & puniri potest, sicuti colligitur ex l. 1. C. vbi de crimine agi oportet, & videri potest Couar. cit. c. 11. n. 6. Farinac. lib. 1. tit. de inquisit. q. 7. n. 19. & 24. Andr. Fachin. lib. 9. controuers. iuris, cap. 20. & 21. Bene autem monet Andr. Gaill. lib. 2. obseruat. 36. n. 6. & seqq. Discrimen esse, saltem considerata Germaniæ consuetudine, inter Iudicem solius originis, & Iudicem domicilij: quòd potentius est ius domicilij, quàm ius originis, ideóque Iudex domicilij etiam in absentes ciues, seu incolas iurisdictionem obtineat, eósque citare possit. At verò Iudex originis iurisdictionem non habet in originarios, qui alibi domicilium obtinent: nisi dum in loco suæ originis commorantur: in quo æquiparatur Iudici delicti, & Iudici contractus: siquidem neque hi iurisdictionem habent in Reum, nisi inibi reperiatur, c. 1. §. contrahentes, iun. Gl. magna, de foro compet. in 6. 16

§. Vnicus.

DE SAGIS.

SVMMARIVM.

17 *Plures fœminæ, quàm viri veneficiis obstrictæ sunt.*
18 *Sagas ad veram pœnitentiã conuertere difficile; sed non impossibile est.*
19 *Confessarius agendo cum Sagis à Iudice captis, aut condemnatis, magna prudentia vti debet.*
20 *Sagæ tenentur eiusdem criminis reas, quas nouerunt, Iudici prodere.*
21 *Si testis, aut denuntiator testimonium suum reuocet, probabilem erroris sui rationem afferens, audiri debet.*
22 *Iudex plerumque æstimare non debet reuocationem denuntiationis, post latam sententiam condemnatoriam denunciantis; etsi is morti proximus reuocet.*
23 *Confessarius frustra plerumq; laborabit, si post Sagæ supplicium Iudici significet, eam reuocasse denuntiationes.*
24 *Qui sibi crimen morte dignum falsò affinxit, retractare tenetur, si spes sit mortis supplicium ea ratione effugiturum, quamquam opposita sententia ob auctoritatem Doctorũ, in praxi probabilis est.*

25 *Etsi Confessarius ex sacramentali Confessione colligat, mulierem metu tormentorum confessam, re ipsa innocentem esse, tamen iudicem de ea re monere non expedit.*
26 *Iudex mulieres de maleficio suspectas capere, & torquere debet secundum indiciorum grauitatem.*
27 *In criminibus exceptis, etsi Reus confessus non sit, damnari potest propter multiplicatas denuntiationes personarum infamium, modo sint contestes eiusdem criminis particularis.*
28 *Consuetudo apud Christianos est, vt Rei ad ignem damnati non lenta morte crucientur, nisi impœnitentes decedant.*
29 *Crimina morte extinguuntur, nisi excepta sint, vt hæresis, veneficij, &c.*
30 *Saga in carcere priùs mortua, quàm crimen confessa, vel de eo conuicta sit, si nihil aliud obstat, in loco sacro sepeliri debet.*
31 *Quæ de crimine conuictæ non fuerunt, nec confessæ, non debent post mortem publica sententia infamari.*
32 *Sacra Eucharistia, & sacra sepultura Sagis negari non potest, si iudicio adhuc pendente, in carcere decedant.*
33 *Sacra Eucharistia ad Sagas, & alias eiusmodi personas cum minore solemnitate deferenda est.*

QVÆSTIO PRIMA. Cur plures fœminæ, quàm viri cum Diabolo paciscantur, & maleficia discant? Respondeo: Quia mulieres, ob defectum iudicij,
17 & experientiæ, citiùs credunt, & faciliùs decipiuntur, quàm viri: sunt magis curiosæ, & rerum nouarum appetentes; ad libidinem & luxum proniores; magis item pusillanimes, atque infirmæ, vt animi mœstitiam, aut rancorem ægrè nimis ferentes, faciliùs quoduis, quantumuis impium Dæmonis solatium, auxiliúmque admittant. Ita Binsfeld. in rubr. C. de Maleficis & Mathemat. notab. 8. Iacob. Simanca de Cath. instit. tit. 37. nu. 3. Paulus Grillandus tract. de sortilegiis, quæst. 7. num. 31.

QVÆSTIO SECVNDA. Quomodo Confessarius cum Sagis vltro ad sacram Confessionem accedenti-
18 bus se gerere debeat? Respondeo: Si mulier ad confessionem veniens, ob aliqua indicia, vel asserta eius Confessario de maleficiis suspecta sit; proponat illi ex vna parte periculum animæ, in quo versatur, nisi rite confiteatur; ex altera verò parte obligationem maximam sigilli sacramentalis, vt mors potiùs Confessario perferenda sit, quàm peccatum quodcunque pœnitentis directè, vel indirectè significare ei liceat: ideóque quæ coram Confessario tanquam Dei Vicario peccata fassa fuerit, secretissima fore, perinde ac si nulli hominum dicta essent. Quòd si Confessarij exhortatione permota confiteatur, se sagam esse; plurimùm expedit, vt diligenter, & exactè exquirat quo tempore, qua occasione in tale crimen lapsa fuerit: cùm enim mulieres tales in dictis suis inconstantes esse soleant, enarratis circumstantiis conuinci deinde poterunt, vt quod semel dilucidè confessæ fuerant, retractare facilè non possint. Postea examinet confessam de modo, & qualitate superstitionis; vtrum ex animo Fidei Christianæ renuntiârit; Diabolum adorârit; Falsa de Deo, & æternitate senserit: an rebus sacris abusa sit? hominibus nocumentum intulerit in bonis fortunæ, aut corpore? num etiam læserit personas valde coniunctas, vt maritum, parentes, liberos? item an viros Principes, Clericos, Religiosos: idque propter censuram excommunicationis. &c. Vtrum alios seduxerit, & an hi in tali crimine persistant: quia tenetur illos ad viam veritatis reducere; aut si conuerti nolint, Magistratui deferre, sicuti docet Martinus Delrius lib. 6. disquisit. Magic. sect. 3. §. quoad interrogatoria. Qua tamen denuntiandi obligatione non astringetur, si exinde probabile periculum immineat, in suspicionem, atque capturam veniendi.

Sed quia difficile, quamuis non impossibile, est, è potestate Diaboli eripere eos, quos sibi deuinxit inito pacto, magnam operam Confessarius adhibere debet: I. Vt agnoscere incipiant hostis infestissimi mendacia, fraudes, & falsa promissa. II. Vt abiurato diabolo, fidé, ac spem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad se inuitat, & reuerti volentes recipit: Eximenda enim ipsis est persuasio, quam multæ habere solent, propter pactum initum, à Dæmone liberari non posse. qua de re Barth. Spineus de strigibus, q. 32. III. Frequentes preces, vt litaniæ Sanctorum, & variæ Collectæ; quæ si vel ab ipso pœnitente, vel alio coram ipso, spiritu fidei feruente recitentur, maximam vim habent ad Diabolum repellendum. IV. Crucis signum, sacræ imagines, & reliquiæ Sanctorum, aqua, agni Dei, & similia benedicta, de quibus Less. lib. 2. c. 44. num. 5. V. Frequens peccatorum confessio, facta apud eundem Confessarium, statum hominis cognitum habentis; vt congruas interrogationes formare, & apta remedia præscribere possit. VI. Fidei Catholicæ sæpius repetita professio, frequens recitatio symboli Apostolici.

QVÆSTIO TERTIA. Quomodo Confessarius se gerere debeat cum Sagis à Iudice captis, vel condemnatis? Respondeo: De hac re tenenda esse, quæ sequuntur: I. Consultum non est, vt Sagæ captæ ante iudiciale 19
examen ad sacram Confessionem admittantur: quia spe liberationis consequendæ, innocentiam tunc suam prædicare solent; & vix adigi possunt, vt crimen confiteantur, dum timent sibi à delatione. Quamobrem consuetudo in plerisque tribunalibus viget, non admittendi Confessarium ad Reos, priusquam omni examine expedito, noxij iudicati sint. Quamuis, nisi consuetudo prohibeat, nihil obesse videtur, quominus Confessarius prudens, etiam ante iudiciale examen, Sagas, aliosve Reos suspectos accedat, ad contritionem de peccatis suis disponat; ad patientiam, & obedientiam Magistratui debitam seriò cohortetur.

II. Cauere debet, ne coram Reo reprehendat, aut in dubium reuocet modum procedendi, aut sententiam Iudicis: igitur querimoniæ, præsertim à fœminis plerumque mendacibus, de iniuria ipsis facta admittendæ haud sunt: cùm officium Confessarij non sit talia iudicare; sed Reos ad veram pœnitentiam disponere, ad patientiam, & mortem, si ita opus sit, fortiter perferendam hortari, eorundémque Confessiones audire.

III. Expedit, Confessarium vtcunque cognita habere, quæ in iudicio acta fuerunt; quæ indicia, & probationes deprehensæ, quæ mira acciderunt per aquam benedictam, agnos DEI, &c. vt si postea per inconstantiam suam coram Confessario crimen negent, refelli possint, atque conuinci, addita exhortatione, vt in vitæ suæ termino syncerè agant coram Deo, eiúsque ministro Sacerdote, neque sinant se à Dæmone decipi, atque ad æternas pœnas deduci. Ita enim fiet, vt si Sagæ virum prudentem, ac grauem nanciscantur, qui non facilè earum excusationibus & querelis moueatur, denique ad cor redeant, atque ad Deum conuertantur.

IV. Si Saga Confessario fateatur crimen, statim illam examinet de modis & circumstantiis, de quibus dixi quæst. præced. §. Quòd si Confessarij. Postea cohortetur, & disponat illam ad veram pœnitentiam, proposita magna DEI misericordia: per quam id iam consecuta sit, vt facilè ex faucibus Dæmonum eripi possit; alioquin æternùm cum ipsis arsura: animetur ad fortiter subeundum supplicia corporis breui tempore duratura; quibus satisfacere poterit pro peccatis suis, atque diu duraturas alterius vitæ pœnas redimere. Sin autem Saga in iudicio confessa, apud Confessarium constanter dicat se innocentem esse, & tormentorum metu confessionem exortam: si eam verum dicere, consideratis circumstantiis, arbitretur: (præsertim cùm in foro interno confessionis credendum sit Reo, sicuti dicenti contra se, ita & dicenti pro se) hoc casu consolari eam potest: etiam Martyres passos fuisse immeritos: pœnam hanc fore illi ad meritum, atque vberem satisfactionem aliorum peccatorum suorum: Interim verò scire debeat, Deum non decipi, ideóque caueat, ne si innocentem se faciat contra scientiam,

& voluntatem DEI, cum Diabolo perpetuùm luat.

20 V. Sagam de crimine suo confessam examinet Confessarius, vtrum consortes, siue eiusdem criminis reas, quas nouit, Iudici prodiderit: quia ad id obligatur; vt perniciosa flagitia à Magistratu impediri, atque extirpari possint. Sin verò Saga constanter asseueret, se per inuidiam, aut ob tormentorum metum innocentes denuntiasse, vrgere eam debet Confessarius, exposita grauissima obligatione, vt falsam denuntiationem coram Iudice reuocet; etiamsi timeat, quòd ob variationem & inconstantiam noua tormenta sustinere cogetur, sicuti constat ex doctrina Pet. Nauar. lib. 2. cap. 3. num. 251. Modò spes aliqua sit, Iudicem eiusmodi reuocationi, contra priorem iuratam iudicialem depositionem, fidem aliquam habiturum. Ordinariè enim Iudices stare solent confessione, aut denuntiatione criminis semel iudicialiter facta, licet reuocatio eius postea interiecto temporis interuallo fiat, sicuti docet Abb. in c. sicut, num. 1. de testib. Couar. 2. resol. c. 73. Iacob. Menoch. de arbitr. Iudicum quæstion. casu 108. Binsfeld. memb. 2. conclus. 5. §. hæc quæstio; excepto, si deponens

21 de crimine, postea errorem suum alleget, eius probabilem rationem afferens, sicuti docet Abb. c. præterea, num. 4. de testib. cogendis, Couar. n. 8. Menoch. nu. 7. Deinde rectè admonet Delrius lib. 5. s. 5. in fine, post Couar. cit. n. 8. Si ex manifestis indiciis appareat testem, aut denuntiatorem, non ex leuitate & perturbatione animi; non prece, aut suasione testimonium suum corrigere, aut reuocare, etiam in crimine hæresis, & maleficij à Iudice audiendum esse: quæ tota doctrina colligi potest ex cit. cap. sicut.

Dubitant autem Doctores, vtrum Iudex attendere, & æstimare debeat reuocationem denuntiationis, post latam sententiam condemnatoriam denuntiantis, quando is supplicio proximus ait, innocentem personam esse, quam in iudicio falsò denuntiarat? Pro parte affirmatiua quæstionis est; Quòd instante morte nemo salutis suæ immemor censetur, sicuti docent Doctores in l. vlt. Cod. ad l. Iuliam repetundarum. Ergo magna præsumptio est, reuocationem veram esse, per quam proinde elidatur denuntiatio.

22 Sed negatiuam partem tenent Binsfeld. de confess. malefic. memb. 2. conclus. 5. §. Videtur quòd elidat. Martinus Delrius lib. 5. disquisit. magic. sect. 5. num. 5. & alij communiter. Quia denuntiatio in tormentis facta, ac postea coram Iudice, & Notario ratificata, præsumptionem veritatis inducit. Ergo non eliditur per subsequentem reuocationem extra iudicialem, & non solemnem. Ad rationem in oppositum respondetur; Denuntiationem, aut reuocationem hominis morituri (præsertim si animo perturbato sit, sicuti plerumque esse solent, qui ad supplicium ducuntur) non efficere præsumptionem certam, sicuti colligitur ex l. si quis in graui, §. 1. ff. ad SC. Syllanianum, vbi dicitur; Quòd vulnerato non creditur, si mox decessurus dicat, se à Titio percussum fuisse; nisi id aliter probari possit.

23 Nihilominus, si Saga constanter Confessario ingerat, quòd personam innocentem denuntiârit; permittere illi, imò suadere poterit, vt publicè coram populo retractet: tum quia tali reuocatione conscientiam criminis commissi pacatiorem reddet; tum quia negari non potest, talem reuocationem apertè coram Deo teste factam à morituro, aliquatenus debilitare priorem denuntiationem; vt si alia etiam indicia commissæ antea falsitatis accedant, contra denuntiatam personam procedi non debeat.

Ex dictis porrò colligitur; Quod Confessarius operam suam frustra locabit, imò querimoniæ, aut scandali occasionem præbebit, si post mulieris supplicium significet Iudici, eam in extremis reuocasse denuntiationes: cùm Iudices eiusmodi reuocationem non acceptent, plus fidei habentes iudiciali antea legitimæ factæ denuntiationi, quippe per quam quodammodo ius ipsis quæsitum est; quàm extraiudiciali, eíque non probatæ reuocationi.

His adde, quòd Confessarius sigillum sacramentale violaret, si non accepta priùs licentia, aut non declarata voluntate pœnitentis, Iudici, vel alteri cuicunque significaret innocentiam personæ denuntiatę; eo ipso significans iniuriam personæ denuntiantis. Quare si in aliquo casu Confessarius arbitretur, consultum fore, vt Iudicem de hac re admoneat, quia alia etiam indicia innocentiæ habentur; roget mulierem, extra confessionē sibi dicat, vt hoc ipsum Iudici significare deinde possit; quippe, qui persuasum sibi habere debet, Confessarium nihil omnino eorum quæ in confessione sacramentali accepit, siue pro Reo, siue contra Reum sint, iudicare.

QVÆSTIO QVARTA. Si fœmina coram Confessario constanter neget, se Sagam esse, dicátque metu grauium tormentorum se maleficij crimen sibi in iudicio affinxisse, quid agendum? Respondeo, & dico I. Si talis persona alia peccata sua rectè confiteri, ideóque syncerè agere videatur, à Confessario absolui debet.

Dico II. Confessarius deinde hortari debet mulierem, vt considerato dedecore, quod sibi, ac familiæ suæ inferet, nec non mortis malo; cuius sibiipsi causa existit, confessionem suam coram Iudice constanter retractet: dummodo spes aliqua sit, quòd Iudex ante sententiam latam Reum retractare volentem auditurus, aut fidem aliquam habiturus sit. Multi enim Iudices stare solent confessione semel iudicialiter extra metum tormentorum facta, aut confirmata; nisi probabilissima argumenta commissæ falsitatis appareant: Tunc autem inanis & frustranea erit reuocatio, quę nihil profutura putatur, sicut bene monet Iacob. Simanca de Cathol. instit. tit. 13. num. 28. 24

Dico III. Si mulier, vel quicunque alius Reus, qui falsa confessione crimen sibi imposuit, ob quod mortis supplicio afficiendus erit, persuaderi sibi non sinat, vt retractet: quia timet, grauissima, qualia antea se passum tormenta recordatur, iterum inferenda fore; ideóque mori mauult, quàm ea sustinere; hunc Confessarius denique vrgere non debet, ad retractationem cum talium tormentorum periculo: quia Reus conformare se potest sententiæ probabili Doctorum negantium, in hoc casu obligationem retractandi sub peccato mortali incumbere: hi sunt Angelus vér. detractio, §. 7. Sotus lib. 5. q. 10. a. 2. Tolet. lib. 5. cap. 66. Less. lib. 2. c. 11. dub. 7. assert. 5. Sa ver. infamare. Quamquam contraria sententia speculatiuè vera mihi videtur, quæ est Couar. 1. resol. c. 2. n. 8. Nau. c. 18. n. 29. Mol. tract. 4. disp. 37. conclus. 15. Qui enim causam suæ mortis posuit, tenetur eam tollere, si possit; alioquin sui ipsius occisor erit: Sed Reus, qui sibi crimen falsò affinxit, ob quod morte puniendus est, is causam suæ occisionis posuit: Ergo tenetur eam tollere, retractando crimen falsò sibi impositum. Minor est clara: Maior declaratur simili: Si enim aliquis ignem posuit, ex quo intelligit oriturum esse incendium, nisi extinguat ignem, si possit; tanquam incendiarius damnabitur. Confirmatur: Si enim is, qui crimen falsò affinxit alteri, ob quod supplicio extremo afficietur, omnium sententiâ, homicida est; cur non etiam, qui sibi affinxit? cùm neque suæ, neque alienæ vitæ dominus existat.

QVÆSTIO QVINTA. Si Confessarius ex sacramentali confessione prospicere se arbitretur, mulierem crimen metu tormentorum confessam, re vera innocentem esse, vtrum Iudicem, tanquam internuntius, & aduocatus hominis confessi, de ea re monere debeat? Respondeo: Id consultum non esse. I. Quia, vt suprà dictum, Iudex huic retractationi extraiudiciali fidem nul- 25

Iam habebit, post publicam Rei confessionem, aut conuictionem. II. Quia si sciatur, Confessarium intercedere pro Reis, quos ipse innocentes esse ex sacramentali confessione suspicatur; alij verè nocentes exinde occasionem accipient, facinora sua Confessarium callidè celandi, non sine graui sacrilegio, & animarum suarum pernicie. III. Quia si Confessarius plures Sagas, vel alios supplicij Reos audire solitus, de vnius, non item aliorum innocentia contestetur; hoc ipso aliorum nocentiam tacitè confirmare videtur, sicuti in simili dicam lib. 5. tract. 6. c. 14. ver. Quintò.

26 QVÆSTIO SEXTA. Quodnam sit Iudicis officium in processu contra maleficas? Respondeo I. Vt nulla capiatur, & ad iudiciarium processum trahatur, nisi adsit verisimile criminis commissi indicium; & non sola delatio personarum infamium; siue sola infamia ab hominibus vilibus, & improbis orta, siue probabili causa, aut coniectura, sicuti videre est apud Farinac. lib. 1. tit. 5. q. 47. II. Vt secundùm numerum delationum, & grauitatem indiciorum, deueniat ad torturam; neque seueriùs, aut sæpius Reum torqueat, quàm indicia exigant. Dicunt tamen Doctores, quòd in crimine hæresis (cui propter grauitatem, crimen maleficij æquiparatur, teste Binsfeld. memb. 2. conclus. 5. §. hæc quæstio, Delrio lib. 5. sect. 5. prope finem) Iudices proniores esse soleant ad torturam; cùm sit crimen valde perniciosum, suapte natura occultum, ac plena probatione plerúmq; destitutum, arg. l. Diuus, ff. de quæstion. & ex communi testatur Ioannes Royas tract. de hæret. assert. 31. n. 296. Addunt aliqui, dicta crimina adeò detestabilia, & perniciosa esse, vt quamuis interdum accidat quibusdam prauis ex denuntiantium malitia iniuriam fieri, potiùs id permittendum sit; quàm vt bonum publicum per Magistratus dissimulationem periclitetur. Arbitror tamen dicendum esse, etiam in hoc crimine maleficij, ad instituendum processum specialem contra personam quamcunque, grauia indicia requiri; grauiora autem, si persona sit magni nominis, familiæ, aut dignitatis. Ad torturam verò suspecto inferendam generalis regula est, ex l. 1. ff. de quæstionibus: Quòd talia indicia opus sint, quibus animus Iudicis planè inclinetur ad existimandum, hominem noxium esse: vt iam nihil aliud deesse videatur, quàm ipsius Rei confessio, sicuti bene explicat Mart. Delrius lib. 5. disquis. Magic. sect. 3. §. ad assumendas.

Controuersia autem inter Doctores est; Vtrum Reus de maleficio condemnari possit mortis pœna, propter multiplicatas personarum infamium denuntiationes, etsi ipsemet crimen confessus non sit? Affirmant Binsfeld. de confess. malefic. memb. 2. conclus. 7. Gomez 3. resolut. c. 12. num. 18. & alij plerique, contra Prosperum Farinacium quæst. 43. num. 39. 62. Martinum Del-
27 rium lib. 5. sect. 5. Ratio est: Quia licet depositio seu testimonium personæ infamis minus ponderis habeat, tamen indicium aliquod facit; tantóque maius, quantò plurium infamium personarum depositiones concurrunt & consentiunt. Ergo fieri potest, tot personas, v. g. duodecim, aut quindecim Sagas de proprio crimine confessas, aliam vt sociam perseueranter denuntiare, vt exinde oriatur indicium moraliter certum seu indubitatum, quod plenæ probationi in criminibus exceptis, suapte natura occultis, æquiualere debet.

Hæc sententia vera est, per se loquendo, & secundùm eam in praxi procedendum est in hæresis crimine. Verùm quod attinet ad crimen sagarum seu maleficarum, alia difficultas non modica se offert. Nam, vt testimonia, seu depositiones plurium ad condemnationem hominis non confessi sufficiant, debent ij esse contestes, id est, testificari de eodem facto particulari, sicuti suprà ex communi docui. Atqui existimo, vix vnquam accidere, vt decem, aut duodecim Sagæ in eandem personam denuntiando consentientes, de eodem particulari facto contestentur. Aut enim confessæ, & de sociis interrogatæ id solùm dicunt, Titiam quoque maleficam esse: cuiusmodi tamen denuntiationes, nisi particularium factorum indiciis specificentur, nihil aliud generare possunt, quàm infamiam commissi criminis; quæ si sola sit, parùm probat. Accedit hoc loco, quòd maleficæ interrogatæ de sociis interdum aliquas prodant; non quia eas verè tales esse sciunt, sed quia propter eatundem in hoc genere infamiam, vel antecedentem capturam, tales esse suspicantur. Sin verò vlteriùs examinatæ specialia facta denuntient, vix accidet: vt multæ in eodem particulari consentiant; sed vna dicet, se ante tres annos; altera se ante duos annos Titiam in conuentu Sagarum, ac Dæmonum vidisse; tertia, se eandem sociam habuisse in creanda tempestate; quarta se sociam habuisse in alio magię genere. Cuiusmodi denuntiationes infamium personarum, quantumuis multiplicatas, si solæ sint, & non aliis grauioribus indiciis, aut testimoniis confirmatæ, arbitror ad condemnatoriam sententiam haud sufficere.

QVÆSTIO SEPTIMA. Vtrum condemnati ad ignem viui comburendi, an priùs strangulandi sint: Resp. ex doctrina Couar. 2. resol. c. 10. num. 9. Iulij Clari §. fin. q. 99. num. 7. Binsfeld. cit. memb. 2. conclus. 7. dub. 4. & dico I. Si lex ob criminis atrocitatem iubeat Reum igne comburi, intelligitur, vt viuus comburatur: Consequenter Iudex id legis pręscriptum exequi debet; nisi sit supremus, qui in lege dispensare possit; vel nisi ob circumstantias, epikeia dictet, legis rigorem in casu particulari mitigandum esse: qua de re vide Prosp. Farinac. in pract. criminali q. 17. n. 5.

Dico II. Consuetudo apud Christianos viget, vt Rei ad ignem damnati non lenta morte, absque omni subsidio, crucientur; ne in desperationem, aliúdve graue peccatum incidant, atque impœnitentes decedant: sed quibusdam locis pectori illorum puluis tormentarius appenditur, cuius concussione extinguantur. Excipe: Nisi impœnitentes, & in crimine pertinaces perseuerent hæretici, aut malefici; tum viui, absque subsidio, non immeritò cremantur: cùm cesset ratio; cur pœna legibus decreta mitigari debeat. 28

QVÆSTIO OCTAVA. An, & quatenus Sagæ, si in carcere moriantur, de crimine infamari, aut damnari possint? Respondeo, & dico I. Licèt ordinariè crimina, eorúmque pœnę morte extinguantur, sicuti habetur l. 1. & 2. C. si Reus, vel Accusator mortuus sit, & l. Lucius, ff. de iure fisci; tamen id locum non habet in criminibus exceptis; cuiusmodi est v. g. crimen desertæ militiæ, l. defunctorum, C. de re militari, lib. 12. Crimen læsæ Maiestatis, l. vlt. C. ad l. Iuliam Maiest. Crimen hæresis, l. Manichæos, Cod. de hæreticis. Crimen apostasiæ, l. hi qui, Cod. de apostatis. Crimen veneficij, seu maleficij, quippe quod secundùm praxin forensem, hæresi æquiparatur. In eiusmodi, inquam, Reus conuictus, aut antea confessus, etiam post mortem damnari, aut bona eius confiscari possunt, sicuti docet Gl. in cit. l. 1. C. si Reus, vel Accusator, Gomez 3. resol. c. 1. n. 8. Clarus cit. §. fin. q. 51. n. 13. Martinus Delrius lib. 5. sect. 19. Quamobrem quibusdam locis consuetudo est, vt tali casu Sagæ, si in carcere, post iuridicam criminis confessionem, aut conuictionem, mortuę sint; publico loco crementur. Idémque in aliis grauissimis criminibus puta hæresis, læsæ Maiestatis, sodomiæ, latrocinij factitari solitum esse, vt cadauer hominis in tali crimine notoriè deprehensi, conuicti, aut confessi, post eius mortem cremetur, aut furca suspendatur, testis est Gomez cit. c. 1. n. 81. Clarus n. 15. 29

Dico II. Si Saga in carcere moriatur, antequam crimen confessa, vel de eo conuicta est (nisi aliud obstet) in sacro loco sepeliri debet: tantùm abest, vt corpus eius 30

cremari, aut memoria seu fama eius publicè damnari possit. Ita ex communi Delrius loc. cit. Excipe I. Nisi Reus in carcere sibi ipsi mortem consciuerit, tunc corpus eius igne comburi, vel furca suspendi iure potest: cùm censeatur crimen, tali pœna (vt ponimus) dignum, ipso facto confiteri, sicut docet Gomez cit. c. 1. num. 79. Couarruu. 2. resolut. c. 2. Delrius cit. c. 19. & videri potest Menoch. de arbitr. qq. casu 285. Sed etsi Saga v. g. sibi ipsi necem adferens, ante mortem de crimine doleat, confiteatur, imò & Eucharistiæ sacramentum accipiat, nihilominus Iudex tribunalis sui consuetudinem sequi potest, vt eius, tanquam de crimine suo confessæ, cadauer cremetur, memoria damnetur, bona confiscentur: cùm pœnitentia illa sacramentalis foro externo nihil præiudicij adferre soleat.

Excipe II. Iudex permittens corpus sepulturæ tradi, tamen protestari poterit, quòd litem contra maleficum cœptam prosequi velit, citatis ad defensionem ijs quorum interest, sicuti & in hæresis crimine seruatur, teste Delrio l. c. Verùm hoc ius agendi contra defunctum, quinquennij tantùm spatio durat, secundùm ciuile ius, sicuti colligitur ex l. si quis defunctum, Cod. de apostatis, & docet Gloss. recepta in l. Manichæos, Cod. de hæreticis, ver. subire, Clarus q. 51. num. 14. Gomez n. 81. In foro autem canonico quid obseruandum sit, videre est in c. 2. de præscript. in 6.

31 Corollarium. Reprehendenda est praxis quorundam Iudicum, qui in promulgata sententia Sagæ ad mortem damnatæ, aliam extra, aut intra carcerem defunctam interdum nominant; quòd v. g. fuerit socia, aut magistra artis magicæ: cùm tamen de hoc crimine conuicta non fuerit, nec confessa. Quare iniquum esse videtur, talem publica sententia veluti damnatam, infamare. Si tamen vehementissima, & quasi indubitata indicia habeantur, vt si quinque, aut sex Sagæ cum debitis circumstantiis ac coniecturis, constanter asseuerarent de aliqua defuncta, quòd fuisset magistra in hoc genere magiæ; tolerari potest consuetudo, vt in promulgatione nominetur, si de hoc crimine iam antè publicè infamata fuerit.

QVÆSTIO NONA. An S. Eucharistia Sagis in carcere morituris ministrari debeat? Non loquor de ijs, quæ ad supplicium mortis ducendæ sunt, quibus (sicuti & aliis Reis damnatis) sacrum viaticum si pœnitentes, & confessæ sint, negari non posse, dicam lib. 5. tract. 4. c. 6. num. 8. & videri potest Binsfeld. memb. 2. conclus. 7. dubius 5. Ad propositam autem quæstionem respondeo, & dico I. Si mulier de veneficiis valde suspecta, crimen non confiteatur (siue torta sit, siue non torta propter corporis infirmitatem, fœtum in vtero, &c.) sacra Eucharistia priuari non potest; si petat, & sacramen-
32 taliter confessa sit. Est communis, & probatur ex regula canonica: Cui sacramentum reconciliationis seu pœnitentiæ datur, neque viaticum negandum est. Atque extendi debet assertio I. vt locum etiam habeat, etsi mulier crimen in tortura confessa sit; sed postea in publico iudicio reuocârit: quia confessio in tortura, nisi postea ratificetur, non censetur esse alicuius momenti. II. Etsi mulier coram Iudice, & Notario extra torturam crimen confessa sit, postea tamen reuocârit, allatis indiciis falsitatis, ob quę Iudex, propter variationem & inconstantiam, ad noua tormenta deuenerit; si ea mulier constanter pertulit, censetur expurgasse priorem confessionem. Quare si postea in dicta retractatione, seu contestatione innocentiæ perseueret, non debet in mortis periculo constituta sacramentis priuari. Neque his obstat, in quibusdam tribunalibus consuetudinem esse, vt confessio semel facta non nisi per tres torturas purgetur: nam, vt taceam, hanc praxin iuri conformem non esse; quia tortura expurgat antecedentes criminis præsumptiones, sicuti ex communi Farinacius q. 4. n. 26. & q. 40. n. 2. Delrius lib. 5. s. 9. §. cæterùm: saltem illa extendi non debet ad sacramentorum subtractionem. Etenim sacramenta morituro negari non possunt, nisi constet, eum esse in statu peccati mortalis: de tali autem muliere, quæ crimen semel confessa, postea retractauit, non cõstat esse in statu mortalis peccati, videlicet falsæ, & pertinacis reuocationis. Alioquin enim Iudex non debuisset eam torturæ subijcere: cùm tortura adhibenda sit tantùm in causa dubia ad cognoscendam veritatem.

Dico II. Etsi mulier de crimine confessa, vel secundùm præsumptionem fori externi conuicta sit; si tamen coram Confessario, post seriam admonitionem, constanter neget, fides ei habenda est in foro conscientiæ; ideóque à peccatis absoluẽda, & sacro viatico ante diem supplicij munienda est, sicuti constat ex iis, quæ suprà dixi q. 3. Data opera dixi, *Coram Confessario*, videl. in secreto: si enim post Confessionem sacramentalem palàm dixit, se innocentem esse; Communio illi neganda est, propter scandalum: quia publicè præsumitur mendax, pertinax, atque impœnitens.

His quædam addenda sunt: Primum. Quod dixi de sacro viatico, non esse denegandum mulieribus, si iudicio adhuc pendente in carcere decessurę putentur; idem ferme sentiendum de sacra sepultura, non esse negandam decedentibus, si de crimine, neque sufficiẽter conuictæ, neque confessæ fuerint. Ratio est: Quia consuetudo illa denegandi sepulturam maleficis, aliísve Reis, licet ante mortem sacramentis muniti fuerint; locum tantùm habet in damnatis, vel quorum memoria etiam post mortem damnari potest: horum autem, qui crimen nec confessi, neque de eo sufficienter conuicti sunt, memoria damnari non potest. Ergo non debent sacra sepultura priuari. Cæterùm, si contra mulierem, crimen maleficij confiteri recusantem, vehementissima atque indubitata indicia adsint, improbari non potest praxis, vt ipsi mortuę, propter violentam præsumptionem criminis, sacra sepultura denegetur. Quamquam eiusmodi homini sacramentaliter confessæ sacrum viaticum negare non oportet: quia indicia illa & præsumptiones fori externi transferri non debent ad internum conscientiæ examen, quod Iudici spirituali, seu Confessario committitur.

Alterum. Si sacra Eucharistia ad Sagas, & alias eiusmodi personas infames deferenda sit, cum minore id solemnitate fieri conuenit; ideóque pulsus campanę per plateas, & magnus comitatus omitti potest. Neque tamen etiam omnino clam S. Eucharistia deferenda est; perinde, ac si id indecens sit, ideóque nemo scire debeat. Simili ratione dicendum in casibus, quibus Sagæ, vel similes Rei in carcere decedentes, vel vltimo supplicio affecti sacræ sepulturæ tradi possunt; non esse id agendum magna cum solemnitate, & cum publicis exequiis; neque tamen etiam omnino clanculum atque furtiuè; sed cum cæremoniis saltem præcipuis, & quasi substantialibus, quæ in Rituali præscriptę sunt. Interim pietatis opus exercent sanguine iuncti, & amici, si pro condemnatis, & supplicio affectis priuatim orent, Sacrificia offerant, vel offerri curent; modò non constet, aut vehemens præsumptio sit, impœnitentes decessisse.

CAP. VI.

De appellatione.

SVMMARIVM.

1 *Appellatio tanquam remedium innocentiæ, non ad defensionem iniquitatis institutum est.*
2 *Ab arbitris appellari non potest, si partium consensu electi fuerunt; neque à summo Principe.*
3 *Duplex est appellatio; iudicialis, & extraiudicialis.*
4 *Appellatio intra decem dies à lata sententia, vel alio grauamine fieri debet.*

5 *Appellatio si rationabili causa nititur, producit effectum tum suspensiuum, tum deuolutiuum.*
6 *Literæ appellationis, quæ vulgò apostoli dicuntur, vel sunt dimissoriæ, vel refutatoriæ, vel reuerentiales.*
7 *Tempus totum exercendæ, ac finiendæ appellationis annus est: sin causa impedimenti incidit, biennium.*
8 *Iniustè appellans, ad expensas litis & alia damna Aduersario resarcienda obligatur.*
9 *Index suspectus canonico iure recusari potest; ac peti, vt arbitri partium consensu statuantur.*
10 *Regularibus denegatur appellatio, nisi manifestum sit, eos à prælatis suis grauari.*

APpellatio est prouocatio à sententia, vel alio Superioris grauamine ad alium maiorem Iudicem, seu Magistratum, sicuti colligitur ex c. placuit, 2. quæst.
1 6. Quod remedium ad iustam defensionem, & vt præsidium innocentiæ institutum est; non ad defensionē iniquitatis, c. cùm speciali, §. porrò, de appellat. Quare si causa vel ipsius appellantis antecedente confessione, vel alio quouis modo notoria sit, appellationi deferendum non est, cit. c. porrò. Item, si contra absentem ob veram contumaciam sententia lata sit, appellans ab ea non auditur, iuxta l. 1. Cod. Quorum appellationes non recipiuntur.

2 His adde primò; Ab arbitris appellari non posse, si partium consensu delecti fuerunt, sicuti habetur in l. 1. C. de arbitris, & docet S. Th. 2. 2. q. 69. a. 3. ad 2. Secundò, A summo Principe appellari non posse: cùm is Superiorem non habeat, ad quem prouocetur, iuxta l. 1. ff. A quibus appellari non licet. Eadémque ratio est, si à summo Principe alicui causa delegata sit, remota appellatione, cit. l. 1. §. vlt. & c. super, de offic. iudicis delegati, c. pastoralis, de appellat. Inferior autem, siue Superiorem recognoscens, quamuis sit legatus Papæ, non potest causam cōmittere, appellatione remota, aut alium iuris ordinem immutare, sicuti docet Abb. in c. 1. de rescriptis, n. 1. Denique in eadem causa non nisi bis appellare concessum est; tertiò autem appellans non auditur, l. vn. C. Ne liceat in vna causa, & c. c. directæ, c. sua, de appellationibus.

3 Duplex est appellatio; Vna iudicialis, altera extraiudicialis, vti notauit Gl. summaria communiter recepta super tit. de appellat. Appellatio iudicialis de his instituitur, quæ circa iudicium accidunt: quamuis ciuili iure non nisi à sententia definitiua appellari possit; non item ab interlocutoria, l. ante, C. Quorum appellationes, & c. præterquam si eius grauamen per appellationem à definitiua reparari non possit: quam regulam hodie approbatam reperies in Trident. sess. 13. c. 1. de reform. & sess. 24. c. 20. de reform. Extraiudicialis appellatio est, quæ extra iudicium interponitur, ob aliud quodcunq; grauamen illatum, vel inferendum. Vt si beneficium alteri collatum sit in meum præiudicium, c. concertatione, de appellat. in 6. Item ne electio, collatio beneficij, & c. indebitè fiat, c. considerauimus, c. cùm nobis, de elect. Vel vt postulatio alicuius ad Prælaturam, propter bonum publicum admittatur, vel aliqua dispensatio concedatur, cuius petendæ iusta causa subest, ideóque indebitè denegatur; possum querelam ad Superiorem eius, qui iniustè negat, deferre, iuxta doctrinam Abb. in cap. bonæ, 1. num. 14. de postul. Prælat. & c. pastoralis, eod. tit. n. 17. Sanchez lib. 3. disp. 10. q. 3.

4 Vtrique appellationi tum iudiciali, tum extraiudiciali hoc commune est; quòd intra decem dierum spatium, à lata sententia vel alio grauamine, fieri debeat, iuxta Authen. hodie, Cod. de appellat. c. ad consultationem, de sent. & re iudicata, c. concertationi, de appellat. in 6. & docet S. Thom. 2. 2. quæst. 69. art. 3. ad 3. Quamuis à grauamine extraiudiciali, cùm id in rem iudicatam non transeat, grauatus etiam post decendium audiatur, si per modum querelæ (tanquam remedium iuris communis & ordinarij) Superiorem adeat, eius officium implorando, sicuti habetur in cit. c. concertationi, §. sed si, & notat. Abb. in c. cùm sit Romana, num. 22. & c. bonæ, num. 10. differ. decimatertia, de Appellat. Sed sententia in iudicio lata, si intra decem dies per appellationem suspensa non fuit, transit in rem iudicatam, id est, facit auhoritatem rei iudicatæ, & tribuit ius plenum parti litiganti, nisi de iniquitate sententiæ certò constet, sicuti habetur in c. cùm inter, vbi id notat. Abb. num. 7. de sent. & re iudicata; & consentit regula 207. ff. *Res iudicata pro veritate accipitur.* Quod maximè intelligendum esse, inquit Abb. in c. cùm dilectus n. 5. de elect. in ordine ad Aduersarium, qui intra tale tempus non appellando censetur sententię acquieuisse. Interim verò Superior ex officio inquirere potest, si ex obseruatione sententiæ immineat peccatum parti, pro qua iudicatum fuit: vt si alicui videatur beneficium Ecclesiasticum non canonicè adiudicatum; ideóque iniustè illud possidere. Imò in matrimonio carnali semper audiri debet coniunx, si à sententia pro valore matrimonij lata velit appellare, & ostendere eius impedimentum; vel si appellet à sententia diuortij quoad vinculum, ostendendo, nullum impedimentum subesse; cùm in his casibus agatur de vitando peccato, sicuti notauit Abb. in c. 1. de concess. præb. & colligitur ex c. lator, & c. consanguinei, de sent. & re iudic. vbi DD. aiunt, quod *sententia in causa matrimoniali etiam post decendium non transit in rem iudicatam.* Excipiuntur etiam causæ publicæ, seu ad Rempublicam attinentes, in quibus tota sententia ob noua instrumenta postea reperta, ex causa retractari potest, l. Imperatores, ff. de re iudicata.

Vtrique etiam tum iudiciali, tum extraiudiciali appellationi commune est, vt, si rationabili causa nitatur, 5
ordinariè producat effectum suspensiuum, & deuolutiuum. Quamquam effectus suspensiuus pręcipuè locum habet in appellatione iudiciali; pręsertim quę est à sententia definitiua: illa enim omnino suspendit iurisdictionem Iudicis, quoad illam causam, c. si à Iudice, eod. in 6. Et pendente appellatione nihil omnino innouari, nec sententia executioni mandari debet, l. vn. ff. Nihil nouari appellat. interposita, c. non solùm, de appellat. in 6. In appellatione autem extraiudiciali tum demum reuocantur & rescinduntur acta, seu attentata post eam, si veritas causæ à Iudice appellationis cognita fuerit, iuxta cit. c. non solùm, & c. Romana, §. cùm autem, & seqq. eod. in 6. & tradit Abb. in cit. c. consuluit, n. 2. n. vlt. & cit. c. bonæ, eod. tit. & c. considerauimus, n. 1. de elect.

Deuolutiuus autem effectus in eo consistit, quòd Iudex, ad quem appellatur, priorem Iudicem inhibere, & ad se deuolutam causam ipse cognoscere, ac definire possit, c. si à Iudice, c. non solùm, de appellat. in 6. Interdum tamen appellatio suspensiuum effectum non operatur; vt cùm appellatur à sententia excommunicationis, vel similis censuræ, quæ executionem rei iudicatæ secum trahit, si absolutè alicui inflicta fuit, c. pastoralis, §. verùm, de appellat. & explicat Abb. ibid. num. 16. Operatur tamen effectum deuolutiuum, vt Iudex recipiens appellationem, seu querelam, causam & iustitiam inflictæ excommunicationis cognoscat, iuxta Gl. in cit. §. verùm, ver. cùm executionem. Abb. in c. consanguin. num. 9. de sentent. & re iudicata. Præterquam, quòd declaratoria sententia, per quam Iudex aliquem pronuntiat in excommunicationem incidisse, per appellationem etiam suspendi soleat, sicuti docet Nau. consil. 6. num. 2. de sent. excom. edit. 2.

6 Porrò intra triginta dies, numerandos à die latæ sententiæ, (si intra decendium appellatum fuerat) literæ, quæ vulgo apostoli dicuntur, instanter petendæ sunt à Iudice à quo appellatur, ad eum qui de appellatione cogniturus est: alioquin qui appellauit, censetur appel-

lationi renuntiasse, spectato iure communi, c. ab eo, de appellat. in 6. Clem. quamuis rigor, eod. tit. l. iudicibus, C. eod. Harum literarum tres species affert Abb. in c. bonæ, num. 9. de appellat. Gl. in c. 1. eod. tit. in 6. vel enim sunt *dimissoriæ*, quibus Iudex appellationi defert, & causam ad Superiorem ablegat; vel *refutatoriæ*, quibus appellationi non defert, sed iniquam asserit: vel *reuerentiales*, quibus defert quidem, sed non tam ob meritum causæ, quàm ob reuerentiam Superioris, ad quem appellatur. Sed & in appellatione extraiudiciali, instituta ob grauamen illatum vel inferendum, *apostoli* peti solent, si sit, qui eos dare possit; aliàs non, sicuti notat Gl. in c. 1. de appellat in 6. ver. vel extra, Abb. in cit. c. bonæ, num. 8. differ. 4. Adde, si quis in præsentia Iudicis appellare non possit, concessum esse appellare coram Notario, vel duobus viris honestis; qui Tabellionis vicem supplent, sicuti ex communi docet Abb. Clem. si à iudicibus, n. 4. de appellat. Sa ver. actus iudicialis, de appellat. n. vlt.

7 Tempus verò totum exercendæ, & finiendæ appellationis, annus est: sin causa impedimenti incidit, biennium: inter quod tempus appellans curare debet, vt causa apud Iudicem appellationis terminetur; alioquin sententia prioris Iudicis (si appellatio iudicialis fuit) transibit in rem iudicatam, iuxta Authent. ei qui, Cod. de tempor. & reparationibus, c. cùm sit Romana, de appellat. Clem. sicut, eod. tit.

His aliqua addenda: I. Si appellans intermittat suam appellationem prosequi, nihilominus Iudex, ad quem causa deuolu a est, in ea procedere potest; sicuti notat Abb. in c. ex parte, 12. de rescript. quia nemo debet cum alterius præiudicio consilium mutare.

8 II. Qui iniustè appellat, videlicet vt tempus exequendæ sententiæ differat, omni iure obligatur ad expensas litis, & alia damna Aduersario illata; imò propter illatam calumniam etiam puniri potest, vti docet Abb. in c. 2. n. 1. & c. de priore, n. 7. de appellat. Sed & peccat Superior, si deferat appellationi, quæ nulla probabili ratione nititur, ac manifestò friuola, & iniusta est, sicuti notauit idem Abb. in c. de priore, num. 2. de appellat. Quare etiam pars aduersa instare poterit, vt Iudex, ad quem à sententia definitiua appellatum fuit, eam prosequatur; quando id ipsius interest, videlicet ad maiorem confirmationem causæ suæ, sicuti notauit Abb. in c. accepta, n. 4. de appellat. Alioquin verò, si Rei conuenti nihil interesse videatur, sufficit consensus Actoris, vt causa ad Iudicem, à cuius v.g. interlocutoria appellatum fuit, remitti possit, sicuti notat. Gl. & DD. communiter in cit. c. accepta.

III. Secundùm ius canonicum, Iudex, si parti litiganti suspectus sit, v.g. quia Aduersarij consanguineus est, recusari potest; & tunc arbitri communi consensu statuendi sunt, qui causam recusandi, an iusta sit, nécne, cognoscant; & si iusta causa suspicionis ac recusationis videatur, tunc cognitio ad superiorem Iudicem ableganda, vel cum consensu recusatoris alteri committenda est, sicuti habetur in c. cum speciali, de appellat. 9

IV. Cum appellatione similitudinem gerit, querela simplex, quæ ad Superiorem interdum defertur ob denegatam iustitiam ab inferiore Iudice debitè requisito; modò causa cœpta non sit; alioquin, si in eius processu iustitia denegetur, vel causa nimis protrahatur, appellationi locus erit, vti notauit Andr. Gaill. lib. 1. obseruat. 27. n. 3. Porrò, quòd Iudex negligens litem suam faciat, & ad damna parti læsæ illata condemnari debeat; imò & ab officio remoueri possit, si magna eius negligentia sit, docet idem Gaill. num. 7. & dixi suprà hoc tract. c. 2. num. 10.


V. Quę de appellatione extra, & intra iudicium, ac Iudicis suspecti recusatione dicta sunt, locum etiam habent in causis Regularium; modò manifestum sit, eos grauari, seu iniuriam pati, c. licet, de offic. Ordinarij, c. de Priore, de appellat. Alioquin verò denegatur appel- 10
latio Religiosis; ne eius prætextu à Prælatorum suorum obedientia, quam voto promiserunt, se facilè subducant, iuxta c. ad nostram, c. irreprehensibilis, c. cum speciali, de appellat. & videri potest Sanchez lib. 6. moral. c. 8. q. vlt.


Atque hæc de Iudiciis, & tota materia iuris, ac iustitiæ ad laudem Dei omnipotentis, Beatiss. Virginis Mariæ, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, S. Ignatij fundatoris, ac parentis Societatis IESV, aliorúmque Sanctorum scripta sunto, Amen.




Laiman. Theolog. Moral. t. I

colorchecker CLASSIC









calibrite

mm